1963

1963
XVIII-4

2.965

COMMENTARIO-

RVM IN VNIVERSAM ARISTO-TELIS METAPHISICAM, TOMVS SECVNDVS, SEPTEM LIBROS COMPLECTENS A SEXTO, VSQVE AD DVODECIMVM INCLVSIVE:

AVTHORE MAGISTRO FRATRE FRANCISCO DE ARAVIO DOMINICANO, SACRAE THEOLOGIAE SALMANTICAE PRIMARIO PROFESSORE.

Es de este Conu.to de N.S. Buena.a de Palencia. Dio le D. Pablo ortiz siendo Prior N.R.P.F. Joseph de Jesus M.a Pred.or año de 1694



BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO PALENCIA

Salmãticæ Apud Antoniam Ramirez, Vniuersitatis, Typographam, Anno 1631.

COMMENTARIO

RVM IN VNIVERSAM ARISTO-

TELIS METAPHISICAM, TOMVS

SECVNDVS, SEPTEM LIBROS COMPLECTENS

A SEXTO, VSQVE AD DVODECIMVM

INCLVSIVE.

AVTHORE MAGISTRO FRATRE

FRANCISCO DE ARAVIO DOMINICANO,

SACRAE THEOLOGIAE SALMANTICAE

PRIMARIO PROFESSORE.



Salmanticæ Apud Antonium Ramirez, Vniuersitatis

Typographum, Anno 1593.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro Fray Francisco de Araujo de la Orden de Santo Domingo nos fue fecha relacion que auiades compuesto vn libro intitulado Commentariorum in vniuersam Aristotelis Metaphisicam Tomus secundus, el qual era muy vtil y prouechoso, y os auia costado mucho estudio y trabajo, nos pedistes y suplicastes os mandasemos dar licencia para le poder imprimir, y preuilegio por tiempo de veinte años, o como la nuestra merced fuese, lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizieron las diligencias que la Pregmatica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos mádar dar esta nuestra cedula, para vos en la dicha razõ, y nos tuuimoslo por vien, por la qual por os hazer vié y merced, os damos licencia y facultad para que vos, o la persona que vuestro poder ouiere y no otra alguna podais imprimir el dicho libro, intitulado Commentariorum in vniuersam Aristotelis Metaphisicam Tomus secundus, que de suso se haze mencion en todos estos nuestros Reynos de Castilla, por tiempo y espacio de diez años, que corran y se quenten desde el dia de la data desta nuestra cedula, sopena que la persona, o personas que sin tener vuestro poder lo imprimiere, o vendiere, o hiziere imprimir, o vender por el mismo caso pierda la impresion que hiziere con los moldes, y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo acusare, y la otra tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, cõ tanto que todas las veces que ouieredes de hazer imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos diez años lo traygais al nuestro Consejo juntamente con el original que en el fue visto que va rubricada cada plana, y firmada al fin del de Iuan Gallo de Andrada nuestro Secretario de Camara de los que residen en nuestro Consejo, para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, o traygafe en publica forma como por Corector nombrado por nuestro mandado se vio y corrigio la dicha impresion por el original, y se imprimio conforme a el, y quedan impresas las Erratas, por el apuntadas, para cada vn libro de los que assi fuere impresos, para q̃ se tasse al precio q̃ por cada volumen ouieredes de auer, y mandamos al Impresor q̃ assi imprimiere el dicho libro no imprima el principio, ni el primer pliego del ni entregue mas de vn solo libro con el original al Autor, o persona a cuya costa lo imprimiere, ni a otra alguna para efecto de la dicha correcion, y tassa, asta que primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro Cõsejo, y estando echo, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y sucessiuamente ponga esta nuestra cedula, la Aprouacion, y Erratas, sopena de caer y encurrir en las penas contenidas en las leyes y prematicas destos nuestros Reynos, y mandamos a los del nuestro Consejo, y a otras qualesquier *iusticias* dellos, que guarden y cumplan esta nuestra cedula, y lo en ella contenido. Fecha en San Lorenço a veynte y dos dias del mes de Iulio de mil y seyscientos y diez y nuebe años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor,
Pedro de Contreras.

Facultas Reuerendi admodum Patris Prouincialis.

IN Dei Filio ſibi dilecto Reuerẽdo P. M. Fratri Franciſco de Araujo Primariæ Cathedræ in Vniuerſitate Salmantina Moderatori. Frater Didacus de la Fuente Magiſter, totius Prouintiæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Prouincialis & ſeruus ſalutem, cum in Secundum Tomum Metaphiſicæ præclariſsima Commentaria multo labore, & vigilijs compoſita ædideris, quia in magnam Scholaſticorum utilitatem cedent, & noſtri Prædicatorum ordinis decorem augebũt. Ne tanti Magiſtri ſcripta pereant, & tam præclarum iubar diutius ſub modio ocultatũ maneat, tenore præſentium, & noſtri officij authoritate licentiam, & facultatem tibi præfato Magiſtro concedimus, quinimo in meritum ſanctæ obedientiæ hoc ipſum præcipimus vt ſeruatis ſeruandis Secũdũ Tomũ Metaphiſicæ in lucẽ emitere præloque ſtatim poſsi mãdare. In quorum fidem præſentes literas noſtri officij ſigillo muniui, & manu propria ſubſcripſi in noſtro Conuentu Matris Dei Complutenſis, die vigeſima prima Martij, Anno Domini milleſimo ſexcenteſsimo vigeſimo octauo.

Fr. Didacus de la fuente.
Prior Prouincialis.

DEmandato noſtri Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Prioris Prouincialis Fratris Antonij de Sotomayor, vidimus Secundum Tomum Commentariorum in Ariſtotelis Meraphiſicam à R. P. M. F. Franciſco de Araujo in alma Salmanticenſi Academia Primariæ Theologorum Cathedræ Moderatore compoſitum, & nihil in eo reperimus fidei diſonum, ſed potius omnia ſecuram & veram doctrinam redolentia, cũ ctis Metaphiſicæ ſtudioſis per vtilem, imo etiam neceſſariam, quippe qua Author, humani Ariſtotelis ſtagiritæ, & diuini Ariſtotelis D. Thom. mentem, per lucide ſatis, ac mirum in modum ſubtiliter ad aperit. Eſt quidẽ opus ſuo Authore dignũ, ac proinde quod in lucem omnibus pro futurum prodeat, & typis excudatur. Datis in Regali Conuentu & alma Vniuerſitate S. Thomæ Abulenſis, die 25. Nouembris, Anni 1620.

Fr. Franciſcus de Sotomaior.
Præſentatus.

Fr. Franciſcus Giron.
Præſentatus.

Errata huius Tomi ſecundi, ſic corrige.

PAg. 1. col. 1. vbi dicitur partibus, le. partitus. pag. 91. col. 1. in margine, vbi Nominalium, le. Nominalium. pag. 351. col. 2. in margine pro te ffertur. le. reffertur. pag. 361. col. 1. in tit. quæſt. le. nimirum, pro minerum, & in tit. art. pro eſt, le. &. pag. 372. col. 1, li. 1. pro duo, le, duæ, & infra, pro lacis, le. lactis, & pro grandum le. gradum. pag. 551. col, 2. li. 28, pro contritione, le. contritionem. pag, 553. col. 1. li. 26. pro munitatem, le. vnitatem. pag. 642. pro concurrunt, le. concurrum. pag. 676. col. 2. pro doſtris, le. deſtrui.

His erratis correctis conuenit hic liber cum originali, pro fidei robore.

M. Gonçalus Korrea.

Cenſura.

SVpræmi Senatus Regij mandato, per legi Tomum Secundum Commentariorum in vniuerſam Ariſtotelis Metaphiſicam, ſeptem poſteriores libros complectentem, à ſexto, ſcilicet, vſque ad duodecimum incluſiuè, ab eruditiſsimo Patre Magiſtro Fr. Franciſco de Araujo Dominicano, Primariæ Sacræ Theologiæ Cathedræ in Salmanticenſi Academia, ſubſtituto ordinario, præclarè elaboratum, & concinnatum, ac per quæſtionem digeſtum: in quibus nihil obuium fuit, vel Catholicæ Fidei contrarium, vel pijs moribus noxium, & cum liber hic eruditione, breuitate, ſimul, & copia excellat, ac ſupernaturalis Theologiæ firmum exiſtat fundamentum, vt in lucem ædatur, digniſsimum, eum eſſe cenſeo. Madriti die 28. menſis Iunij, Anni 1621.

Doctor Ioannes Molina,
Regiæ Maieſtatis à Sacris.

TASSA.

YO Marcos de Prado y Velasco Escriuano de Camara del Rey nuestro señor de los que residen en su Cõsejo doy fe, que por los señores del fue tassado cada pliego entero del libro intitulado Commentariorum in vniuersam Aristotilis Methaphisicam Tomus secundus septem libros completens à sexto vsque ad duodecimum inclusibe, compuesto por el Padre Maestro Fray Francisco de Araujo, de la Orden de Santo Domingo, que con licencia de los dichos señores fue impreso a quatro marauedis el pliego, que al dicho respeto hazen trecientos y quarenta pliegos y medio, mil y trecientos y sesenta y dos marauedis, y a este precio y no a mas mandaron se venda cada libro, y que esta tassa se ponga al principio de cada vno, para que se sepa el precio a como se ha de vender segun consta y parece del decreto de los dichos señores a que me refiero, y para que dello conste di esta fe en Madrid a primero de Iulio de mil y seyscientos y treynta y vn años.

Marcos de Prado y Velasco.

PROLOGVS AD LECTOREM.



CCIPE benevole Lector Methaphiſicalium quæſtionum Secundum tomum, quem Deo dante enixus ſum, ne deinceps initiati operis deſideres complementum: à quo enim initium acceperas olim, nunc opus completum habes. Sectatus ſum in in vtroque breuitatem, & in Theologicis, quæ iam parantur, ſectaturus: quoniam licet revera illud breuiandi genus, quod Epitomes nuncupatur, probare vix ſolemus, eo quod rarum ſit, vt exanimi ſententia Lectoribus procedat: illud autem quod compendioſas habet ſententias, exprimit Authoris mentem, datque conceptus ore promendos, ſolam verborum amputans prolixitatem, ſemper probauimus: memores illius quod monuit ſapientiſsimus Eccleſiaſtes: *His amplius fili mi ne requiras, faciendi plures libros nullus eſt finis.* Sed num quid hic conſcriptionem plurium librorum interdicit, vt iſte contra Eccleſiaſtes præceptum conſcriptus eat? Abſit. Illos dumtaxat prohibet ſcribere, qui præ longitudine carent termino ac fine. Notat Olimpiodorus præfatum teſtimonium ſic legens: *fili caue tibi à faciendis multis libris, quoniam non eſt finis*: ideſt, quorum non eſt certus finis, ac ſcopus, ob cuius defectum eo prolixiores lectoribus apparent, quo ſunt in vtiliores. Hinc acriter Baſilius Apollinarem reprehendit, quod contra hoc Salomonis documentum, ex facilitate ſcribendi, orbem repleret libris: cũ tamen ſcriptum ſit nunquam in multiloquio ſtultitiam deeſſe. E contra vero hoc fuit ſemper genium & ingenium meum non paſsim excurrere pro campi oblati latitudine, ſed pro inſtituto ſtrictæ ſemitæ ſcopum veritatis inquirere, & illa inuenta, mentem paucis verbis auditoribus dare. Quod dicendi genus eo accommodatius eſt huius ſcientiæ profeſſoribus, quo prolixiora volumina his tempotibus prodierunt, & in dies prodeunt: in quibus opinantium diſſidium, ac ſcribentium multiloquium auditores ab Scholis deterrent. Tum etiam, quod magis modum docendi Dei, ac Angelorum imitatur, cui dum humanus intellectus appropinquat, plus redolet perfectionis: Deus namque amator eſt breuitatis in docendo, ſi quidem eius diuinum eloquium, & ſi pluribus diuiſum libris, vnica lex, duplex ve teſtamentum appellatur, quia in vtroque idem eſt finis, idéque legiſlator, vt ait Olimpiodorus. Quẽ proinde docendi modum nobis commendat Philo dicens: *Tum vero homines diſcipuli facti eius, qui ſolus eſt ſapiens ſumma celeritate quod quærebant inueniunt: eſt autem præcipua virtus diſcipulorum, dare operam vt perfectum Doctorem perfecte imitentur: at qui Præceptor ille omni tempore celerior eſt.* Inter Angelos autem dum ſuperiores illuminant inferiores de occultis, eo breuiori vtuntur doctrina, quo vno conceptu plura comprehendunt. Ob quorum in docendo, & illuminando imitationem D. Thomas Aquinas ſorte Angelici Doctoris nomen promeruit: de quo canit Eccleſia: ſtylus breuis grata facundia. Sic Dominus Ezechielem per Angelum edocturus, nec non Ioannem Euangeliſtam in Apocalypſi, vno dumtaxat volumine cibauit, vt diſcas multa de vero, vno breui volumine concludere. In hac que ſtricta ſemita nobis Methaphificæ Princeps Ariſtoteles, & eius fidelis interpres D. Thomas facem prætulere, quo eos ſemper duces, & ante ſignanos habeas in Methaphiſicali auſcultatione; ne intellectus circa naturalia à recto deuians tramite, in præcipitium ruat. Quæ igitur eorum inueneris, obſecro agnoſcas; quæ vero noſtra ignoſcas.

Cap. 12.

Epiſtol. 74.

Prouer. 10.

Lib. de ſacrificio Abelis, & Cain.

Cap. 3.

Cap. 5.

Vale & ora pro me.

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM ARISTOTELIS METHAPHISICAM: TOMVS SECVNDVS, SEPTEM LIBROS COMPLECTENS: A SEXTO, VSQVE AD DVODECIMVM INCLVSIVE.

AVTHORE FRATRE FRANCISCO DE ARAVIO Dominicano, Sacræ Theologiæ Salmanticæ, & Cathedræ Primariæ ordinario Moderatore.

Argumentum libri sexti.

LIBER sextus, etsi à quibusdam neotericis in duo capita dumtaxat diuidatur: cõgruentius tamen à Doctore Angelico in quatuor lectiones tot capitibus plane correspondentes est partibus. Familiaris namque atque consuetus ordo D. Thomæ semper fuit, tot lectiones libris Aristotelicis adhibere; in quot capita ipsos libros à suo Auctore partitos inuenit, in hijsque quatuor siue lectionibus, siue capitibus quatuor agit: Primo namque postquam lib. 4. ostendit ad hanc scientiam pertinere, considerationem de ente in comuni, & eius attributis: & in quinto entis multiplicitatem multis eius modis ac partibus subiectiuis distincte consideratis, fuit contẽplatus: in hoc libro idem prosequens intẽtum modum quo hæc scientia de ente & de illius attributis speculatur, atque illius supra reliquas scientias excellentiam ostendit, atque distinctionem, in hocque versatur primũ caput. Et quoniã ad huius extensionem opus erat intellectum in practicum & speculatiuum distinguere, & scientias ad illum & ad hunc pertinentes explanare; vt facta inter illas, & Metaphisicam comparatione; huius maior dignitas innotesceret; ideo in hoc eodem capite intellectum speculatiuum à practico distinguit: scientias quoque Theoricas in genere docet esse tres: Mathematicam scilicet, Phisicam & Theologiam. Præter rationales quas in Theoricis nõ computat, quia de realibus dumtaxat verba faciebat, quas Philosophias generali nuncupat nomine, quarum primatum soli Theologiæ naturali ideſt, Metaphisicæ concedit. Secundo ostensa iam huius scientiæ suprema dignitate, & eius obiecto constituto, reijcit quædam entia ab illius consideratione: nempe illa quæ per accidens aut contingẽtia sint omnis expertia perfectionis; præmittens initio capitis secundi quodam documentum necessarium, vt per locum à diuisione cum destructione vnius membri, intentum concludat ab illis verbis: *Sed cum ens illud quod simpliciter dicitur multipliciter dicatur, quorum vnum quidem erat quod secundum accidens, &c.* Vbi diuidit ens, iuxta quadruplicem illius acceptionem, in ens per accidens. Verum quod significat veritatem propositionis: ens per se, quod

continet ſubſe decem prædicamẽta, & illud quod diuiditur per actum & potentiam. Concluditque â conſideratione huius ſcientiæ excludendũ eſſe ens in prima acceptione, quod eſt tale per accidens; tum propter auctoritatẽ Platonis: tum etiam quia ſolum ens ſecundũ rem, quod in tertia & quarta acceptione importatur, pertinet ad huius ſcientiæ ſpeculationem. Ens autem per accidens ſicut non eſt vere vnum: ita neque eſt vere ens. Tũ denique, quia illius quod eſt vere ens datur vnica generatio & corruptio, quæ tamen non datur entis per accidens. Huius enim quod eſt alium eſſe muſicum, non vna ſed duplex generatio datur tertio in capite ſequenti ab illis verbis, quod autem ſint principia Logica excludit opinionem Auicenæ aſſerentis, nihil eſſe per accidens in mundo: ſed omnes effectus habere cauſas perſe: & ex neceſſitate euenire; refutat autem hanc ſententiam, vtpote ſuæ poſitioni, qua excluſerat ens per accidens â conſideratione Methaphiſicæ contrariam ſuponens dari huiuſmodi entia per accidens, & effectus contingentes in vniuerſo. Circa excluſionem autẽ huius opinionis tria agit. Primo namque opinionem deſtruit hac ratione. Quamuis generatio aut corruptio vnius rei ſit cauſa generationis aut corruptionis alterius, non tamen poſita illa ſequitur hæc neceſſario, quia ſunt multæ cauſæ agentes, vt in pluribus, & deficientes, vt in paucioribus, vnde adhuc illis poſitis poteſt effectus per accidens ex aliquo capite impediri, vel propter occurſum cõtrarij agentis, vel propter materiæ in diſpoſitionem: non ergo omnis effectus eſt neceſſarius, ſed aliquis erit cõtingens, & quoniam Auicena ponens in ſua Methaphiſica omnem effectum eſſe in ordine ad ſuam cauſam neceſſarium, fortaſis ſub intellexit; *Seclu ſo omni impedimento*: ideo D. Thom. hic lectione 3. §. *ſed ſciendum ſit* ait. *Sed ſciendum, quod dictum Auicenæ intelligi debet, ſuppoſito quod nullum impedimentum cauſæ adueniat. Nec eſſe eſt enim cauſa poſita ſequi effectum niſi ſit impedimentum, &c.* Deinde deducit Philoſophus quandam concluſionem ex ſua ratione, dicens. *Patet igitur quod vſque ad aliquod vadit principium; hoc vero non amplius ad aliud: erit igitur quod vt cumque cõtingit, cauſaque generationis eius nulla*, ideſt, quod licet omnis effectus contingens & per accidens (ſi quidem aliquis eſt dabilis non habẽs cauſam perſe) reduci poſsit proxime ad aliquã cauſam perſe. tamen in tali reductione conueniẽ dũ ſit ad aliquã cauſam cuius nõ detur cauſa perſe, ſed ſolũ detur cauſa per accidẽs. Aponit exemplum D. Thom. in illo qui à latronibus vulneratur, & occiditur, occiſionis quidẽ datur cauſa perſe, ſcilicet vulneris inflictio, & huius etiam datur cauſa perſe, nẽpe, quod à latronibus inueniatur, ſed huius nulla datur cauſa perſe: ſed per accidẽs, etenim per accidens omnino eſt, quod iſte vadens ad negotiũ incidat in latrones. Denique mouet quãdam queſtionem, ſub his verbis, *ſed in quale principium, & qualem cauſam talis reductio eſt, vtrùm, vt ad materiam: an vt ad cuius gratia, an vt ad mouens, maxime perſcrutandum.* Hoc eſt, ad quod genus cauſæ pertineat cauſa per accidens, ad quam dixerat fieri effectus contingentis reductionẽ, & remittit ſe ad iam dicta ſupra, ideſt, in 2. phiſicorũ tex. 65. vbi determinauit cauſas effectuum caſualium, vt fortunam, & caſum, ad cauſam efficientem reduci. Ex quibus concludit reiſciendum eſſe ens per accidens ab huius ſcientiæ conſideratione. Et quia ex ſententia Ariſtotelis videbatur ſequi excludendum eſſe fatum atque diuinam prouidentiam: ſi quidem in ordine ad has cauſas nihil per accidens accidit, ſatisfacit huic obiectioni D. Thom. ab illis verbis, *attendendum eſt autem*, vſque ad finem lectionis, multa de fato, & diuina prouidentia, eruditione plena & notatu digna edocens, quæ nos in quæſtionibus examinauimus, indicatque Ariſtotelẽ de cauſis proximis, & particularibus loquntũ fuiſſe, in ordine ad quas neceſsitatis, aut contingentiæ conditio in effectibus ſumitur: ac proinde fatum aut diuinam prouidentiam, quæ ſunt cauſæ vniuerſales, non excluſiſſe. Quarto tandem in capite quarto, quod incipit ab illis verbis. *Quod autem tanquam verum ens, & non ens, vt falſum, &c.* excludit verum & falſum ab huius ſcientiæ principali conſideratione, denotans, ad hanc ſcientiam aliqualiter, ex parte & veluti ſecundario: ad Logicam vero, & ad ſcientiam de anima, primario, & principaliter pertinere. Hoc aute probat Philoſophus hac ratione. Ad hanc ſcientiam perſe primo pertinet ens ſecundum rẽ, cum ſuis attributis vt dictum eſt: ſed verũ, & falſum non ſunt entia extra animam, neque attributa naturæ, ſed potius ſunt attributa ipſius cognitionis: cum in ſola inueniantur cognitione: & non in qualicunque; ſed in ſola cõpoſitione, aut diuiſione, ideſt, affirmatione, aut negatione, quod oſtendit à ſufficienti diuiſione. Etenim verum, & falſum, neque ſunt in rebus, cum in adequatione aut in adequatione intellectus ad res conſiſtant: neque ſunt in ſimplicium aprehenſione, quæ neque eſt vera neque falſa, niſi per accidens & in ordine ad compoſitionem, ſiue diuiſionem: vt quando diffinitio aut ex partibus extraneis componitur; & ſic nullum habet diffinitum: aut aplicatur alieno diffinito, & dicitur tũc falſa

diffini-

diffinitio ex falſa propoſitione, quæ ex illa confeitur: & aliàs nulla datur alia operatio intellectus, niſi compoſitio, & diuiſio: igitur in hac ſola eſt nata veritas & falſitas reperiri. Hic obiter aduertit D. Thom. duo, quæ ex doctrina Philoſophi dubia manebant. Primum eſt, quod in compoſitione & diuiſione plura quidem intelligit intellectus, non tamẽ plura per modum plurium, ſed per modum vnius: quia ſicut intelligendo aliquod totum v. g. domum, intelligit ſimul omnes eius partes per modum vnius: ita in compoſitione, intelligit ſubiectum, copulam, & prædicatũ ſimul, & per modum vnius; formando ex eis vnicam negationem aut affirmationem. Secũdum eſt, quod licet in ſimplicium apprehẽſione ſit ſubiectiue ſimilitudo rei cognitæ, & quædam adæquatio ad illam: quia adhoc, vt cognitio ſit vera aut falſa requiritur, quod ſimilitudo rei cognitæ ſit in illa obiectiue, & ideo *in ſola ſecunda operatione* (ait D. Thom.) *eſt veritas & falſitas*; ſecundum quam intellectus, non ſolum habet ſimilitudinem rei; *ſed etiam ſuper ipſam reflectitur cognoſcendo & iudicando ipſam.* Hæc ſunt (amice lector) quatuor puncta Philoſophi ac Diui Thomæ in quæ totus hic reſoluitur liber. Quæ vt plene intelligas (omiſsis quæſtionibus de diuiſione ſcientiarum, ac Methaphiſicæ excellentia quas in libro primo fuſe diſputaui: eo quod vnico tãtum proœmiali libro decreui hoc opus exornare) tres duntaxat diſputabo quæſtiones. Primam de diſtinctione operum intellectus, ſpeculatiui, & pratici: vt hic vtriuſque intellectus munus ac diſtinctionem à Philoſopho in primo capite aſignatam intelligas. Secundam vero de ente per accidens & eius cauſalibus cauſis: vt ex hac ſecundum caput Philoſophi calleas, & tandem tertiam de contingentia effectuum, atque de neceſsitate illorũ, vt ex hac ea, quæ Philoſophus & D. Thom. noſtri veri Præceptores in tertio capite nobis ſcitu digna tradiderunt, percipias. Pro quarto capite nullam aliam ſpecialem quæſtionem, præter primam, controuertam, quia in ea omnis operatio intellectus ſpeculatiui comprehenditur, ac proinde compoſitio & diuiſio, cuius natura erit explananda ſicque nedum primo ſed etiam quarto capiti plene quæſtio prima ſatisfaciet.

Explicit argumentum libri ſexti.

QVÆSTIO PRIMA.

De multiplici vtriuſque intellectus, tam ſpeculatiui, quam practici, operatione, in quatuor Articulos diuiſa.

DVPLICEM eſſe intellectum, alterum ſpeculatiuum, & practicum alterum; non quidem re, ſed munere & officio teſtatur D. Thom. diſcipuli cum ſuo Authore 1. p. q. 79. art. 11. & in 3. d. 23. q. 2. art. 3. quæſtiuncula 2. & de veritate quæſt. 3. art. 3. & lib. 3. de anima lect. 15. & hãc vtriuſque intellectus realem identitatem colligunt ex ipſo Philoſopho 3. de anima tex. 49. vbi inſinuat intellectum ſpeculatiuum per ſolam extenſionẽ ad opus fieri practicum, de cuius textus intelligentia, authoritate, ac veritate libro primo ſatis ſuperque à nobis fuit diſputatum. Vnde ſuppoſita hac doctrina, nunc de vtriuſque intellectus opere, munere ac officio eſt agendum, & quoniam operationes intellectus ſpeculatiui teſtatus eſt Philoſophus in eodem tertio de anima tex. 21. eſſe duas, ſimplicium aprehenſionem, atque compoſitionem, & hanc eius interpretes diuidunt in compoſitionem, quæ eſt enunciatio ſeu propoſitio & in diſcurſum: ideo ſingulæ in ſingulis articulis examinandæ ſunt, in quarto vero munus intellectus practici declarabitur, quas ve, ac quot operationes exequatur. *Nu. 1.*

ARTICVLVS I.

An ſimplicium apprehenſio ſit actus intellectus ſpeculatiui, & per quid à compoſitione & diuiſione diſtinguatur?

IN hoc articulo tria ſunt, quæ ſcire oportet de ſimplicium apprehenſione. Primo namque ſciendum eſt an ad intellectum ſpeculatiuum, & eius munus pertineat aliquam operationem elicere, quæ ſit ſimplex aprehenſio? Secundo quod ſit eius conſtitutiuum, atque diſtinctiuum, quam ve comparationem ſiue relationem ſubeat ad compoſitionem? Tertio tandem cum ſimplicitas compoſitionem excludat, videndum eſt an ſimplex apprehẽſio totius compoſitionis ex pluribus conceptibus factæ ſit expers. Ad quorum ſingula, quia non eſt ſententiarum diuerſitas aut opinantium varietas ſingulis reſpondetur aſſertionibus.

Reſpon-

Sententia Autho. Respondeo dicendum primo ad minus proprium intellectus speculativi pertinet quædam operatio, quæ simplicium nuncupatur apprehensio. Hæc conclusio probatur primo ex testimonio prox me adducto libri tertii de anima vbi Aristoteles numerans operationes intellectus speculantis expressam fecit mentionem de simplicium apprehensione. Rursus nam voces sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ vt testatur idē Philosophus primo perhiermenias seu de interpretatione cap. 2. hoc est, sunt voces conceptionum signa, vt legit & exponit D. Thom. hoc ipsum testimonium 1. p. quæst. 85. art. 5. in argumēto *sed contra*, sed dātur in vocibus signa quædam simplicia quæ termini, seu partes simplices orationis à Dialecticis appellantur igitur etiam in intellectu loquentis dantur conceptus simplices qui signis vocalibus exprimuntur. Secundo probatur nam Logica quæ habet pro fine dirigere operationes intellectus, in multis tractatibus agit de simplicibus prædicatis ad directionem primæ operationis intellectus: in prædicabilibus namque de secundis intentionibus prædicatorum tractat Logicus, & Aristoteles ipse suam Logicam sic diuidit, vt in libro Cathegoriarum de simplicibus tractet prædicatis, ad primæ operationis, in libris Periarmeniarum de enunciatione ad secundæ operationis in libris vero priorum, atque in reliquis de argumentatione ad tertiæ operationis directionem igitur datur simplicium apprehensio, quæ per Logicam dirigibilis est.

2 Dico secundo in hac simplicium apprehensione aliqua reperiuntur complexa quæ ne dum termini complexi, sed etiam orationis intentioni substerni possunt. Hæc conclusio probatur aduersus Fonsecam in hoc libro quæst. 3. sect. 1. præ notando ex Dialecticæ principijs traditis à Petro Hispano & Soto lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 3. terminum cōplexum esse illum qui intra genus partis, habet partes significatiuas ex quibus componi tur, vt *homo albus* orationem vero esse illam quæ intra genus totius habet partes significatiuas perse si seorsum sumantur, vt *animal rationale*, vel idem subtractum *homo albus*, vt subest intentioni partis perse propositionis, est terminus, quia habet partes vt quid ordinabile perse ad alterius compositionē, & vt substernitur intentioni totius est oratio, quia habet partes vt quid non ordinabile ad alterius compositionem. Orationes autem esse in duplici differentia, alias perfectas quæ verum vel falsum habent significare quas propositiones Dialectici nuncupant alias autem imperfectas, quæ perfectionem propositionis non attingunt: neque enim verum aut falsum significant, licet aliquando imperfectū, & aliquando perfectum generent sensum in animo auditoris, vt *Petrus albus*, *animal rationale*, *Petre disputa*, *vtinam disputares*. Hoc supposito affero in conclusione simplicitatē primæ operationis intellectus non esse tantam quod sit incompositibilis cum illa, complexio termini complexi, aut orationis non significantis verum vel falsum. Et probatur primo, nam hæc complexa siue in ratione termini siue in ratione orationis sumantur, pertinent ad aliquam ex tribus operationibus intellectus: non ad tertiam, quia est discursus, neque ad secundā quia est propositio continens veritatem aut falsitatem: huiusmodi autem complexa neque discursus, neque propositionis rationem habent vt supōno, ergo pertinent ad primam operationem. Confirmatur nam diffinitio, & diuisio, vt animal rationale, & animal, aliud rationale, aliud irrationale sunt orationes vtpote cum sint species modi sciendi, qui est oratio ignoti manifestatiua pertinentque ad simplicium apprehēsionem, quia ex vi illarum intellectus solum rerum quiditates ac differentias apprehendit: ergo. Secūdo probatur nam teste Dionisio cap. 7. de diuinis nominibus diuina sapientia fines primorum coniungit principijs secundorum, quia omnis naturæ inferior in sui supremo attingit infimum naturæ superioris, quatenus naturæ superior participatur ab inferiori, sed in genere compositi Logici supremum est propositio in qua est veritas aut falsitas infimum autem est oratio quæ perfectionem propositionis non attingit. Igitur secunda operatio intellectus quæ est superior ordine perfectionis ad primam, debet in sui infimo attingi ab illa. Hoc est debet quo ad orationes imperfectas ab illa participari, ac proinde huiusmodi orationes in simplicium apprehensione debent reperiri: alias diuina sapientia in coniunctione harum duarum intellectus operationum defeciisset contra Dionisium, & non absque iniuria diuinæ sapientiæ dictum.

3 Dico tertio, in simplicium apprehensione nequit dari propositio. Vnde illius simplicitas, huius compositioni contraponitur. Prima pars ostenditur ex eodem axiomate Dionisij, si enim diuina sapientia sic naturas coniungit vt præcise infimum superioris ab inferiori participetur, & supremum operationis secundæ est mentalis propositio: nullatenus à simplicium apprehēsione debet aut potest participari, alias natura inferior attingeret superioris nedum infimū: sed etiam supremum, & sic diuinæ sapientiæ ordo in tali coniunctione defeciisset, quod non est dandū.

Secun-

Secunda pars probatur. Nã simpliciũ apprehensio dicitur simplex operatio respectu alicuius cõpositionis mẽtalis, cui cõtraponitur: sed non cõtraponitur cõpositioni orationum quæ nõ significant verũ aut falsum, cum huiusmodi orationes ad simpliciũ perueniãt apprehensionẽ, igitur dicitur talis per cõparationẽ ad propositionẽ, cuius cõpositioni contraponitur, quæ propterea appellatur absoluta cõpositio & diuisio, quia prædicatum affirmat, vel negat de subiecto cõponendo. Confirmatur: nã simpliciũ apprehensio ordinatur ad secũdam operationẽ intellectus: non solũ, vt medium ad finẽ, siue vt imperfectũ ad perfectũ, quo pacto etiã secunda ordinatur ad tertia: sed etiã vt pars perse ad totum, quatenus subest intentioni termini siue partis. Sed nulla propositio est ordinabilis vt pars perse ad alterã, quia nulla est capax intentionis termini cõpositiui per se propositionis cathegoricæ: ergo nulla propositio est dabilis in simpliciũ apprehẽsione, ac per consequens hæc illi est cõtraposita, & cũ ea est incompossibilis. Si autẽ inquirat Lector, qua ratione in hoc substracto mentali, *animal rationale*, intentio termini siue partis perse, & intẽtio diffinitionis siue cuiusdã totius cõpatiuntur: & in hoc substracto, *homo est animal rationale*, intẽtio termini, & intẽtio propositionis nõ cõpatientur? Si quidẽ hæc repugnantia non oritur ex rationibus totius, ac partis, ambæ enim sunt in primo substracto cõpossibiles. Respõdeo disparitatẽ ex diuerso modo totius accompositionis esse sumendam, cõpositio etenim totius perfecti, & quasi vltimate intenti à natura intellectuali, qualis est propositio continens veritatem vel fallitatẽ, nequit compati cũ ratione partis in eodem subiecto: bene autẽ cum hac compositio totius imperfecti, & nõ vltimate intẽti, cuiusmodi est oratio nõ significans verum vel falsum, compatietur. Sicut enim in corporibus organicis viuentium, natura quasdam partes ordinauit, quæ nullatenus includunt rationem totius, vt caput & manus in homine: quasdam vero instituit, in quibus vtraquẽ ratio, tam partis, quam totius imperfecti, & non vltimate intenti à natura reperitur, vt sanguis, atra bilis, & ceteri humores, in quibus ratio partis est, eo quod ad hominis, v. g. compositionem ordinantur: & etiam ratio totius, quia sunt naturæ quædam totales in suo genere, habentes se ad instar elementorum in vniuerso, quorum sunt quædam participationes, præcipue hæc ratio totius in eis apparet si Philosophorum sententiam disputationis, & exẽpli gratia supponamus, asserẽtiũ humores in homine animis siue formis substantialibus proprijs informari. Sicut igitur elementa sunt naturæ totales in vniuerso, sed propter eorũ potẽtialitatẽ simul sunt quoddã modo partes mixtorũ, scilicet virtuales, quia ad illorũ cõpositionẽ medijs primis qualitatibus ordinãtur, & sicut in animali humores rationẽ totius imperfecti, & rationem partis ad totũ vltimate intentum ordinabilis cõiũgũt. Ita in ordine operationũ intellẽctualiũ, sunt aliquæ, quæ vtrũq; munus & partis, & totius imperfecti exequi possunt, atque duabus intẽtionibus scilicet partis ad primum munus, & totius imperfecti ad secundũ munus exequẽdum subesse possunt, quia intentio partis non cum qualiber intentione totius, sed solum cũ illa quæ perfectissimã petit compositionẽ prædicati cum subiecto, est incompossibilis. Vnde incompossibilitas intentionis termini cum intentione totius in illo substracto quod est propositio, non ex rationibus partis & cuiuslibet totius, sed ex rationibus partis & totius perfecti & vltimati, perfecta gaudentis compositione, oritur, sicut in exemplis ordinis naturæ adductis patet. Aliud quoque exẽplum appotissimũ habemus in rationibus medij, & finis apud Philosophos morales: licet enim medium & finis dicant rationes veluti oppositas, & incompossibiles in eodem materiali, tamen hæc incompossibilitas non reperitur inter medium & quemcũque finem, sed solum inter medium, & finem vltimatum siue, remotum qui ad alium in tali ordine non est ordinabilis. Nam eadem res quæ est medium ad finem vltimatũ, potest esse finis proximus & non vltimatus respectu alterius medij prioris, haut dissimiliter contingit in ordine Logicali operationum intellectualium.

4 Sed instabit adhuc Lector. Nam ex hac doctrina sequitur quod eadem natura sanguinis quæ est pars respectu animalis, & sub eadem formalitate est totum quoddam imperfectum, & sicut eadem res est medium & finis respectu diuersorum per eandem bonitatem formaliter: ita hæc oratio mẽtalis *animal rationale* per eãdẽ formalitatẽ, & ex natura rei possit ac debeat exequi munus partis, & totius imperfecti, siquidẽ vtrũque munus eidẽ naturæ realiter, & sub eadẽ formalitate, potest conuenire & de facto conuenit. Igitur falsum est illud cõplexũ mentale diuersis intentionibus subesse debere. Patet cõsequẽtia, nã ratio partis, & ratio totius imperfecti in genere entis realis possunt cõtrahi per eadẽ differentiã, igitur in genere relationis rationis poterunt etiam contrahi per eandem differentiã. Respondeo satisfaciendo duobus quæ in argumento neoterici Lectoris à nobis exiguntur. Nempe quare ille conceptus animalis rationalis, per naturã suã præuenientem omnem

ſecundam intentionem non eſt pars, & totū ideſt terminus, & oratio. Huius ratio eſt, quia per naturalem ſuam repreſentationē eſt quidem imago illius obiecti, & eſt quodam totum quatenus eſt qualitas quædam completa de genere qualitatis. Munus autem termini ſiue partis non habet formaliter à parte rei, ſed ex paſsiua ordinatione intellectus illum ad propoſitionis compoſitionē ordinantis, munus quoque orationis non competit ei, niſi ex intellectus acceptione qui accipiendo illos duos conceptus, vt per modum vnius coordinatos eis intentionem attribuit orationis, cum igitur ratio partis & totius imperfecti, ſint differentiæ non naturæ, ſed reſpectus eiuſdē, vel diuerſæ naturæ, non faciunt diuerſitatem realem ſed rationis tantum in naturis realibus, in artificialibus autē rationis quæ relationibus ſeu reſpectibus ipſis conſtituuntur arguunt entitatiuam diuerſitatem, qualis poteſt inter duas formas rationis interuenire.

ARTICVLVS II.

An ſecunda operatio intellectus ſit compoſita qualitas.

Opinio Durand. Gregor. Fonſecæ.

5 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit propoſitionem apprehenſiuam eſſe ſimplicem qualitatem ſicut iudicatiuam, ac proinde noſtrum intellectus in ſecunda operatione cognoſcere enunciabilia vnica ſimplici qualitate compoſitionis formalis experte, habente tamen virtualem compoſitionem præcedentium conceptuum, vt in hac propoſitione, *homo eſt animal*, quæ formaliter eſt vnica qualitas ſimplex tres illos conceptus quibus intellectus ſeorſum conceperat in ſimplicium apprehenſione, hominem, eſſe, & animal, virtualiter continens ad eum modum quo qualitates ſecundæ, v. g. Molle, durum, & ſimiles dicuntur mixtæ ſeu compoſitæ ex primis ſcilicet ex humido, & calido, frigido, & ſico, quia continent illas virtualiter cum formali ſimplicitate. Ita Durandus in 1. d. 38. quæſt. 2. Ferrara 1. contra gen. cap. 55. Gregorius in prologo quæſt. 1. art. 3. quibus ſubſcribit Fonſeca lib. 4. Methaphi. cap. 2. quæſt. 6. ſectio. 6. & ex profeſſo hanc tuetur ſententiam tom. 3. Methaphiſicæ lib. 6. cap. 1. quæſt. 3. ſect. 1. & 2. Authores autem prædicti non eadem ſed duplici diuerſa via ſuam defendunt ſententiam. Alij enim, quia putant in omni ſecunda operatione ita contingere exiſtimantes omnem ſecundam operationem eſſe ſimplex iudicium aut aſſenſum, alij admiſſa diſtinctione iudicij, & aſſenſus ab apprehēſiua propoſitione; adhuc in omni ſecunda operatione nullam formalē compoſitionem agnoſcunt, ſecundam viam ſequuntur Durandus, & Ferrarienſis, quos etiam ſequitur Soto lib. 2. minoris Dialecticæ cap. 5. circa vltimum argumentum, primā vero ſequuntur Gregorius, & Fonſeca.

Opinio D. Tho.

Secunda ſententia veluti media, eſt quorūdam neotericorum Diui Thomæ diſcipulorum aſſerentium propoſitiones, quarum extrema eadem ſpecie intelligibili repreſentantur eſſe ſimplices qualitates ſecus vero illas, quarum extrema per vnicam ſpeciem repreſentari non poſſunt. Horum potiſsimum fundamentum habetur in D. Thoma, & Caietano 1. p. quæſt. 14. art. 14. vbi ex pluralitate ſpecierum colligunt in nobis indigentiam componendi: & ex identitate diuinæ ſpeciei, colligunt compoſitionem eſſe à diuino intellectu excludendam. Tertia omnino oppoſita primæ, affirmat in omne apprehenſiua propoſitione veram, & formalem compoſitionem reperiri, quatenus plures conceptus ſiue termini mentales ad illius conſtitutionem agregantur. Princeps huius ſententiæ reuera fuit D. Thom. 1. p. quæſt. 58. art. 4. & quæſt. 85. art. 5. quem ſequuntur Caietanus ibidem ex nominalibus in prologo ſententiarum, Gabriel, quæſt. 1. art. 2. ochamus ibidem, Maior quæſt. 2. ad 7. & Baſolis quæſt. 2. art. 2. quibus in hac parte ſubſcribit Vazquez 1. p. diſputa. 213. cap. 2. & 3. Licet non latis ſibi conſtans ſit diſp. 223. c. 2. & 3. & 1. 2. diſput. 12. cap. 1.

Sententia Authoris.

6 Reſpondeo dicendum primo, propoſitionem apprehenſiuam, qua aliquid affirmat aut negat intellectus de aliquo, ad ſecundam operationem intellectus pertinere. Hæc concluſio communiter ab omnibus, & à prædictis authoribus acceptatur. Et probatur, nam propoſitiones apprehenſiuæ mentales ſunt illæ quibus intellectus ſimpliciter prædicat vnum de alio aut affirmando, hoc eſt, media copula affirmata, aut negando: hoc eſt, media copula affecta negatione: ſiue in illis ſtatim iudicet, ſiue non de hoc enim ſtatim propriā proferam ſententiam, vt quando intellectus proponit mentaliter. *Homo eſt animal*, *Deus eſt vnus*, *homo non eſt lapis*, *Deus non eſt corporeus*, *&c.* Sed huiuſmodi pertinent ad aliquā operationem intellectus: igitur cum neque ad tertiam, cum ſint expertes diſcurſus: neque ad primam, cum non ſint ſimplicium apprehenſiones, pertineant, ad ſecundam pertinebunt. Confirmatur nam enunciationes imperfectæ, vt diffinitiones ſubiunctiui, ac optatiui modi potius pertinent ad primam, quam ab ſecundam operationem intellectus, vt articulo

ticulo præcedenti aduerſus Fonſecam proba tum relinquitur. Hoc autem docuimus prouenire ex earum imperfectione, quia compoſitionem terminorum complexorum non excedunt: igitur illæ enunciationes, quæ vnum de alio affirmant, aut negant: verumque aut falſum ſignificant, nequeunt ad primam operationem pertinere: ac per conſequens ad ſecundam pertinebunt.

7 Dico ſecundo, huiuſmodi propoſitiones, quas apprehenſiuas appellauimus, quia in eis vnum de alio ſimpliciter negatur, aut affirmatur, ſunt realiter compoſitæ ex pluribus qualitatibus. Ideſt ex tot terminis mentalibus, quot fuerint vocales termini non ſynonimi illos exprimẽtes. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & probatur quo ad primam partem. Primo ex teſtimonio Philoſophi lib. 3. de anima tex. 21. afferentis operationem noſtri intellectus duplicẽ, ſcilicet ſimplicium apprehenſionẽ, & compoſitionem: at nomine compoſitionis nequit accipi ſimplex qualitas: ergo. Minor quia Philoſophus appellat compoſitionem, illam actionem, ad quam prima ordinatur, vt pars, & quæ ex prima componitur actualiter. Cum enim ſimplex apprehenſio ſit terminus mentalis, eſt vere compoſitiua: ac proinde verus actus compoſitionis, illi debet aliquando conuenire: fruſtanea enim eſt potentia, quæ ad actum nunquam reducitur: igitur & operatio, quæ proprie dicitur cõpoſitio actualiter debet eſſe compoſita qualitas. Secundo probatur ex teſtimonijs Doctoris Sancti: quorum primum habetur 1. p. q. 14. art. 14. vbi docet intellectum diuinum cognoſcere enunciabilia ex parte rei cognitæ: ſed non ex parte cognoſcentis, hoc eſt, non ſecundum modum enunciabilium, quia non facit diuinus intellectus compoſitionem, quã facit humanus. Secundum habetur ibidem, quæſt. 16. art. 2. & 5. vbi habet quod veritas noſtri intellectus conſiſtit incompoſitione. Tertium habetur quæſt. 58. art. 4. vbi aſſerit de intellectu Angelico idem quod de diuino prædicauerat quæſt. 14. art. 14. Quartum habetur quæſt. 85. art. 5. vbi aſſerit humanum intellectum cognoſcere enunciabilia per modum enunciabilium, & componendo: quia cognoſcit illa vnum apprehenſum alteri cõiungendo. Ex quibus locis tale deducitur argumentum. D. Thom. id quod tribuit noſtro intellectui in cognitione veritatis, negat intellectui diuino & Angelico, & è contra: ſed diuino & Angelico intellectui atribuit modum cognoſcendi enunciabilia, abſque compoſitione ex parte cognoſcentis. Ergo hunc modum denegat noſtro intellectui: & ſicut huic atribuit modum cognoſcendi cum compoſitione, ita eundem modum illis denegat. Poteſt etiam formari ſic, idem argumentum. Nam vel D. Thom. intelligit nomine compoſitionis, quã atribuit humano intellectui, compoſitionem obiectiuam, ideſt, tenentem ſe ex parte obiecti enunciabilis: aut compoſitionem formalem, & tenentem ſe ex parte intellectus cognoſcentis: ſi primum nullum eſſet aſsignatum diſcrimẽ inter humanum, & Angelicum atque diuinum intellectũ, ſi quidem compoſitio ex parte obiecti enunciabilis etiam relucet in diuini & Angelici intellectus cognitione. Si ſecundum habeo intentũ. Nempe, quod in cognitione humana enunciabilium, interuenit actualis, & non ſolum obiectiua compoſitio. Confirmatur ex alijs duobus teſtimonijs Doctoris Sancti, quæ habentur in 3. d. 24. quæſt. 2. art. 1. & 2. 2. quæſt. 1. art. 2. vbi inquirens, an obiectũ primariũ fidei, quod eſt, veritas per eſſentiam, ſit complexum. Reſpondet eſſe quidem in ſe ſiue ex parte obiecti incomplexum, eo quòd deitas in ſe ſimplex eſt, eſſe tamen complexum ex parte noſtri intellectus credentis, quia vt ſic, eſt in intellectu componente, & ideo ſubinduit complexionem, vnumquodque enim eſt in alio admodum illius. Tertio probatur ratione ex ipſo Doctore Sancto deſumpta, quæ poteſt reduci ad hanc formam: tota ratio intelligendi aliquod enũciabile abſque compoſitione eſt plenitudo luminis, & ſpeciei perfectio propterea enim intellectus in prima apprehenſione quod quid eſt ſubiecti, penetrat veluti ſimplici intuitu, prædicata quæ à tali ſubiecto poſſunt remoueri, aut illi cõuenire, vt ſic proportio ſeruetur inter luminis & ſpeciei repreſentantis perfectionem: ſed hæc ratio defficit in humano intellectu propter debilitatem luminis ipſius, & limitationem ſpecierum quas à ſenſibilibus abſtrahit, quot enim ſunt naturæ ſenſibiles, tot abſtrahit ſpecies: vnde plurium miniſterio indiget ad cognoſcendum ſubiectum & prædicatum enunciationis: ergo enunciando, reuera componit. Quarto probatur ab inconuenienti, nam ſequeretur, modum cognoſcendi enunciabilia noſtri intellectus eſſe æque perfectũ ac ſimplicem cum modo cognoſcendi eadẽ enunciabilia intellectus Angelici, conſequẽs eſt falſum & contra Doctorem Sanctum vbi ſupra: ergo & antecedens: ſequela patet quia vterque eſt cum compoſitione ex parte obiecti, & expers actualis compoſitionis ex parte cognoſcentis. Et ex hac æquali ſimplicitate oritur æqualis perfectio, & immaterialitas in vtroque. Dices in modo cognoſcendi noſtri intellectus, licet experte actualis compoſitio

nis,

nis: eſſe virtualem compoſitionem ex pluribus conceptibus neceſſario prærrequiſitis, quos ex indigentia debet formare ſubiecti, copulæ, & prædicati, antequam ad cognitionē perueniat enunciabilis. Angelica vero cognitio enunciabilis eſt expers, tam actualis, quā virtualis compoſitionis: quia plures conceptus partium enunciabilis, aut nullatenus, aut ſaltē ex indigētia nō præſupponūtur. Sed cōtra hanc ſolutionem arguitur tripliciter. Primo quidem, quoniam etiam Angelus præſertim, inferior, ad enunciandum de homine rē alterius generis. v. g. quod ſit albus: vel quod non ſit Angelus: ſicut indiget duabus ſpeciebus ad vtriuſque extremi repreſentationem: ita poteſt, ac debet plures ſimplices conceptus formare, qui virtualiter in enunciatione contineutur: ergo etiam talis enunciatio erit compoſita virtualiter: ſiquidem præhabet in virtute plures conceptus: horum enim plura litas virtualiter in enunciatione præhabita cō ſtituit in illa virtualem compoſitionem: ſiue talis cōceptuum præuia ellicientia, ex indigentia æquali, aut inæquali, ſiue ex ſola intellectus fœcunditate proueniat, vt in Angelis ſuperioribus contingit. Secundo, nam de obiecto ſimpliciſsimo, v. g. de Deo poteſt noſter intellectus enunciationē formare, intelligereque illud per compoſitionem: ſed tunc neque prærrequiritur præuia conceptuum plurium ellicientia. Neque compoſitio tenet ſe ex parte obiecti: ſed ex parte cognoſcentis: ergo. Tertio nam diuerſimode actualis compoſitio ſiue complexio ad noſtrum, atque ad Angelicum intellectum debet comparari: ſed ad Angelicum comparatur ſolum, vt res cognita: ergo ad noſtrum debet comparari, nedū vt cognita, ſed vt modus cognoſcendi, tenēs ſe ex parte ipſius intellectus. Confirmatur, nam alias in ſecunda operatione noſtri intellectus neque per accidens poſſet falſitas reperiri: quod eſt omnino falſum: ergo ſequela probatur, quia propterea noſter intellectus eſt capax deceptionis, atque ſuſceptiuus falſitatis, quia inordinate componit vnum cum alio teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 17. art. 3. vnde quæſt. 58. art. 5. ex eo probat Angelicum intellectum non pati falſitatem, quod hæc nequit recipi, niſi vbi habet locum inordinata compoſitio: Angelicus autem intellectus ſiquidem nullo pacto componit, neque inordinate componit: ergo ſi noſter intellectus non componit vnum cum alio, neque inordinatam facit compoſitionem, ac proinde nō erit capax falſitatis, ac deceptionis, ſicut neque Angelicus. Neque euades vim huius argumēti, ſi dicas noſtrum intellectum componere vnum cum alio ex parte obiecti, & hunc modum compoſitionis ſat eſſe ad falſitatem: eo quod poteſt in illo vnum alteri inordinate attribui, vt ſi diffinitio obiectiua hominis attribuatur Leoni, vel è contra. Nam hæc obiectiua compoſitio etiam inuenitur in Angelico intellectu, & tamen defectu pluralitatis cō ceptionum, quarum vna alteri coordinetur, nequit in illo ſuſcipi falſitas circa naturalia: ergo eadem ratione neque in noſtro intellectu poſſet ſuſcipi, ſi eſſet expers huiuſcemodi actualis compoſitionis. Deinde quoad ſecundam partem. Probatur concluſio ratione, qua vtitur. D. Thom. in quarto teſtimonio allegato, ſcilicet quæſt. 85. art. 5. in argumento *ſed contra*, quia voces ſunt ſigna conceptuum teſte Philoſopho primo perhiarmenias capite primo: ſed voces, quibus exprimitur hæc propoſitio *homo eſt animal*, ſum tres, ſcilicet li homo, li eſt, & li animal: ergo tot conceptus illi correſpondent in mente loquentis, & tot formantur in mente audientis. Cōſequentia patet, quia eo ordine concipimus, quo audimus, ac proinde auditis illis tribus vocibus, intellectus eodem ordine format tres conceptus. Deinde probatur, nā hæc oratio, *animal rationale*, eſt compoſita ex duobus conceptibus, quia in voce conſtat ex duobus terminis, non ſinonimis: ergo eadem ratione hæc mētalis oratio, *homo eſt animal*, erit compoſita ex tribus. Confirmatur: nam, ex eo quod iſtæ voces, *homo eſt animal*, ſunt prolatæ ordine quodam, reſultat in eis intentio propoſitionis: ſed etiam conceptus eis correſpondentes poſſunt formari ordine quodam, quia ſicut audimus ſic concipimus: ergo in illis ſic formatis reſultabit intentio propoſitionis.

8 Dico tertio in propoſitionibus, quarū extrema ſunt ſynonima, hoc eſt, identicis, etiā ſaluatur compoſita qualitas: non quidem ex pluralitate extremorum, ſed propter conceptum copulæ, & vnius extremi. Hæc concluſio probatur, nam in hac propoſitione identica, *homo eſt homo* (& ſimilibus) ſaluari debet modus naturalis enunciandi noſtri intellectus: ſed hic modus eſt enunciare componendo: in hoc enim deficit à modo enunciandi intellectus Angelici, (vt dictum eſt:) ergo vere in huiuſmodi propoſitionibus componit. Sed compoſitionem hanc non eſſe ex conceptu ſubiecti, & prædicati, ſed ex vnico conceptu gerente vicem ſubiecti, & prædicati, & ex altero copulæ probatur: nam vel conceptus hominis, vt eſt id de quo, & conceptus hominis, vt eſt id quod de alio dicitur, diſtinguntur ſpecie, vel ſolo numero; ſed neutrum poteſt dici: ergo vnicus ſimplex conceptus hominis eſt, qui ſubijcitur, & prædicatur. Probatur minor, quod non primum, quia diſtinctio

ctio ſpecifica in illis conceptibus proueniret ex eo quod modus ſubiecti, ſeu illius de quo, & modus prædicati, ſeu illius quod de alio, refunderentur in obiectum, & in rem conceptam; alias enim ex repreſentatione ſolius naturæ humanæ non diuerſificarentur illi cõceptus: ſed hoc ſtare non poteſt, quia alias hæc propoſitio eſſet falſa, *homo eſt homo*, fieret namque in illa iſte ſenſus, homo quatenus eſt id de quo eſt homo, quatenus eſt id quod de alio, qui ſenſus eſt falſus, quia in actu ſignato prædicat modum prædicati de modo ſubiecti: ergo & quod nõ poſſit ſubſtineri. Secundũ patet, nã alias duo accidentia ſolo numero diſtincta aliquãdo eſſent ſimul in eodẽ intellectu, nempe illi duo conceptus hominis, quia tota illa propoſitio cũ omnibus ſuis partibus poteſt eſſe ſimul in intellectu, quod tamẽ in ſchola Doctoris Sãcti nõ eſt admittẽdũ.

9 Sed contra arguitur, primo argumento Durandi vbi ſupra, nam ſicut intellectus nequit actuari ſimul duabus ſpeciebus, ita neque poteſt informari ſimul pluribus conceptibus, ſignificãtibus plura vt plura: ſed ſi hæc propoſitio, *ſubſtantia non eſt accidens*, componeretur ex pluribus conceptibus: ſimul informaretur intellectus pluribus conceptibus ſignificantibus plura, vt plura, quia ſubiectum, & prædicatum ſignificantur, vt diuerſa, ac proinde vt plura: ergo non eſt compoſita ex pluribus conceptibus. Confirmat hoc argumentum Durandus ex quodam teſtimonio Philoſophi in tertio de anima cap. 3. vbi aſſerit Philoſophus quod comparatio extremorum fit per aliquid vnum, & indiuiſibile animæ: ergo ſentit huiuſmodi comparationem fieri per ſimplicem qualitatem. Ad hoc argumentum reſpondetur negando minorem, quia ſicut ſpecies repræſentantes extrema illius propoſitionis habent modum vnius vnitate ordinis, propterquã poſſunt ſimul informare intellectũ vnita & conceptus habent vnitatem ordinis, & ſignificant plura, non vt plura, ſed vt ſubſunt vnitati ordinis, & comparationis vnius ad alterum, & ideo poſſunt eſſe ſimul in intellectu. Ad confirmationem reſpondetur, quod Philoſophus ſolum vult comparationem iudicij, vel aſſenſus fieri per aliquid indiuiſibile, nempe per ſimplicem qualitatem. Secundo poteſt dici quod tantũ vult diſcretionem, & comparationem inter duo extrema pertinere ad eandem numero potentiam: ait enim, *ideo ad ſenſum communem pertinere diſcernere album à dulci*, & ex hoc colligit vnitatem ſenſus communis, quia ſeparatis, hoc eſt, diſtinctis potentijs, nõ contingit diſcernere albũ à dulci, ſed quod oportet ambo extrema cognita eſſe alicuius vnius potẽtiæ, & ita explicat illũ D. Tho. lectione 3. Secundo arguitur. Propterea diuinus, & Angelicus intellectus ſine cõpoſitione enunciant, quia per vnicã ſimplicẽ ſpeciẽ extrema propoſitionis cognoſcũtur, hac enim ratione vtitur D. Th. 1. p. q. 14. a. 14. ſed humanus intellectus quãdo que extrema vnius propoſitionis cognoſcit per vnicã ſpeciẽ, vt extrema huius, *currens currit*, *ambulans ambulat*, vel huius *amãs amat*, verbi nãq; & participij cõceptus per eandẽ ſpeciẽ elliciũtur: ergo ſaltẽ in huiuſmodi propoſitionibus nõ cõponit intellectus. Confirmatur primo, nã in hac, *homo eſt homo*, non formãtur diſtincti cõceptus ſubiecti, & prædicati, quia ſunt eiuſdẽ obiecti, & vnicus, alias cõceptus hominis poteſt exequi munus ſubiecti & prædicati, & vt diuerſimode acceptus ſumdat ſubiecti ac prædicati relationẽ: ergo ſimiliter eadẽ qualitas ſufficiet exequi munus ſubiecti, & copulæ, & vtriuſq; intentionẽ fundare, ac proinde propoſitionẽ conſtituere, præſertim in illis, quarũ extrema (vt vidimus) idẽ ſignificãt, & copula eſt ipſum prædicatũ. Cõfirmatur ſecũdo, nã ſi aliqua ratio nos cogeret multiplicare cõceptus ſubiecti, & prædicati in hac, *homo eſt homo*, & alijs identicis, eſſet, quia cõceptus ſubiecti poteſt diſtribui ac ſupponere diſtributiue manente confuſo cõceptu prædicati, vt quãdo dicitur: *Omnis homo eſt homo, omnis currens currit*. Hæc enim multos conuincit, ſed reuera ineficax ratio eſt, quia ſicut idẽ cõceptus poteſt ſubeſſe duplici intẽtioni ſubiecti, ſcilicet, & prædicati ita & duplici ſuppoſitioni, ex diuerſa intellectus acceptione proueniente. Ergo in neutra fit multiplicatio conceptuum.

10 Ad argumẽtũ reſpondetur dupliciter, primo cõcedẽdo intentũ argumẽti: ſolũ enim in illis propoſitionibus in quibus copula coincidit nũ prædicato, & alias prædicatum eſt eiuſdẽ ſignificationis cũ ſubiecto, repræſentãtur eadẽ ſpecie omnes partes propoſitionis & ideo in illis nõ cõponit intellectus, in alijs vero diuerſę interueniũt ſpecies. Alia enim ſpecie ſubiectũ, & alia prædicatũ, ſiue ſuerit accidẽs cõmune, ſiue proprium, ſiue genus, aut differẽtia illius repræſentatur, vt inſinuat D. Th. in loco citato. Quãdo autẽ propoſitio eſt idẽtica, ſaltẽ ipſa conuenientia repræſentatur per ſpeciẽ diſtinctã ab illa, per quã ſubiectũ, ac prædicatũ repræſentãtur. Reſpõdetur ſecũdo, & melius, quod diuinus intellectus non cõponit in enũciationibus, quia eadẽ ſpecie nedũ impreſſa, ſed etiam expreſſa omnia, quæ conueniũt ſubiecto, aut diſconueniũt, repræſentantur illo. Et hæc eſt ratio, qua D. Thom. vtitur in loco allegato, ad excludendã à diuino, & ſimiliter ab Angelico intellectu compoſitionem.

nem. Et licet humanus vnica ſpecie impreſſa ad extrema illarum propoſitionum cognoſcenda vtatur, non vnica ſpecie expreſſa, ſed pluribus, pro ſingulis enim partibus eiuſdem verbi ſingulos format cõceptus, ſicut & pro ſingulis caſibus eiuſdem nominis. Vnde ſicut Cato, & Catonis, ita currens, & currit, diuerſis conceptibus ſubordinantur. Hanc autem eſſe veram, aut magis conſentaneam intelligentiam teſtimonij D. Thomæ patet, tum ex contextu, ait enim noſtrum intellectum componere enunciando, quia de vno in aliud diſcurrit: & quia *ſpecies intelligibilis ſic repræſentat vnum, quod non repræſentat aliud.* Ideſt quod non ſimul, & in diuiſibili, ac ſimultanea repręſentatione repræſentat aliud, & ideo ſubdit. *Vnde intelligendo quid eſt homo non ex hoc ipſo alia, quæ ei inſunt intelligimus, ſed diuiſim ſecundum quandam ſucceſſionem.* Diuinum autem nõ componere, *quia intelligendo eſſentiam ſuam cognoſcit eſſentias omnium, & quæcunque eis accidere poſſunt*: loquitur ergo D. Thom. de vnitate ſpeciei, in qua fit intellectio actualis, quæ eſt ſpecies expreſſa. Tum etiam, quia probabilius eſt ens reale, & rationis, genus, differẽtiam, naturam ſpecificam, & eius propriasſ paſsiones eadem ſpecie impreſſa repræſentari, perſe, & regulariter loquendo, & tamen nullus dubitat quod in horum enunciationibus componat intellectus. Iuxta hanc igitur ſolutionem diſtinguenda eſt maior argumenti, & ſimiliter minor, & neganda eſt conſequentia. Ad primam confirmationem nego conſequẽtiam. Ratio diſcriminis, quod ſubiectum, & copula, licet eiuſdem Logicalis ſignificationis ſint; tamen ſemper differunt munere, & officio, & ex parte obiecti aliquis modus diuerſus perſe aut exercetur, aut repræſentatur, verbi gratia currẽs repræſentat ſemper modum actionis, & formæ, currit eundẽ curſum repræſentat cum modo vnionis, & conuenientiæ. Abſque hoc autem neque ſaluatur enunciatio, neque cõpoſitio, bene autem ſaluatur vtrumque, ſtante identitate reali copulæ, & prædicati, aut prædicati, & ſubiecti. Ad ſecundum nego maiorem, quamuis enim propter illam rationem non nullis neotericis videatur multiplicandos eſſe conceptus ſubiecti, & prædicati in illis propoſitionibus: re tamen vera ratio ineficax eſt, in prima nãque non multiplicantur, quia idem numero conceptus hominis ab intellectu repetitus, & dupliciter acceptus poteſt diuerſis intentionibus, & ſuppoſitionibus ſub eſſe. In ſecunda vero multiplicantur nõ propter diuerſam acceptionẽ, aut ſuppoſitionem, ſed propter diuerſum modũ refuſum in obiectum diuerſificãtem ſpeciei expreſſe, ſiue conceptus repræſentationem. Tertio arguitur, nam compoſitio propoſitionis non poteſt fieri ex conceptibus quos intellectus format in prima operatione, nẽpe in ſimplicium apprehenſione, & nulli alij ſunt aſsignabiles: ergo: maior patet, quia iſti tres conceptus, v. g. *homo eſt, & animal*, non poſſunt coordinari in modum ſubiecti, copulæ, & prædicati, eo quod aduenire eis noua repræſentatio naturalis, quam in ſimplicium apprehenſione non haberent. Etenim in ſimplicium apprehenſione non repræſentant verum, neque conceptus hominis, aut animalis repræſentat ſuum obiectum, vt id, de quo, velut quod de alio, & tamen in ſecunda operatione ſubinduũt hos modos, & repræſentationem veri: ergo aliquid repræſentarent, quod antea non repræſentabant, ac per conſequens noua eſſet eorũ repræſentatio, quæ tamen nouitas repugnat inuariabilitati repræſentationis naturalis. Cõ firmatur primo, nam intelligens hanc veritatem, ſcilicet, *hominem eſſe animal*, format diſtinctum verbum à tribus præexiſtentibus, & illud eſt ſimplex qualitas: ergo in ſimplici qualitate cognoſcit verum. Maior patet, nam tũc intelligit nouũ obiectum diſtinctum ab obiectis ſimplicium conceptuum præcedentium, ſed intellectio noui, & diſtincti obiecti petit nouum, & diſtinctum verbum, vbi aliâs non eſt â quo ſupleatur, ſicut ſupletur in beatifica viſione: ergo. Confirmatur ſecundo, nam ſola diſtinctio rationis conceptuum non facit realem compoſitionem, ſicut neque pluralitatem: ſed conceptus ſubiecti, & prædicati in enunciationibus noſtri intellectus ſola ratione diſtinguntur: ergo. Minor eſt Doctoris Angelici 1. parte, quæſtione 13. articulo 12. vbi aſſerit, *quod ſubiectum, & prædicatũ in omni propoſitione affirmatiua vera, ſunt idem ſecundum rem, & differunt ſola ratione.* Ad hoc argumentum neganda eſt maior, ad cuius probationẽ dicendum eſt, quod conceptus illi tres, (& idem dictum puta de alijs) ſeorſum, & ſucceſſiue poſſunt formari in ſimplicium apprehenſione: ſed quando formantur ſimul, & vnite iam ſunt in ſecunda operatione intellectus, quæ ex ipſis vnitis reſultat. Neque ideo variatur eorum naturalis repræſentatio: ſed hæc eadẽ inuariata per hoc, quod ſubeſt nouo modo rationis, nẽpe intentioni ſubiecti, copulæ vnientis, aut prædicati, & intentioni propoſitionis prouenienti ex acceptione, & vſu intellectus ad hæc munia accipiẽtis prædictos conceptus, habet repræſentare verũ, quod antea nõ repræſentabat, quæ repræſentatio eſt noua quo ad modũ rationis, à quo pendet tanquam ab intrinſeca cõditione, à ſubſtantijs vero ipſorũ conceptuum, tanquã à ratione formali

repræ-

repræsentandi: sicut virtus causandi assensum scientificum reperta in assensibus principiorum integratur ex duobus: ex assensibus quidem tanquam ex ratione formali: ex dispositione vero Logicali accidentalirer illis, & ex acceptione intellectus superuemente, tanquam ex intrinseca conditione. Ad primam confirmationem distinguo maiorem: formar nouum verbum, quo ad modum concedo: nouum, quo ad substantiam nego maiorem, quia sicut tota propositio supra entitates triū conceptuum solum addit nouum modum rationis, ita verbum, quod formar intellectus in secunda operatione, vt in illo intelligat veritatem, non addit supra triplex verbum trium simplicium cognitionum, nisi modum rationis, scilicet, positiuam ordinationem ex actiua ordinatione intellectus prouenientem, per quam completur triplex illud verbum in ratione verbi propositionalis, in qua intellectus intelligit verum, quod etiam à significatis trium simplicium conceptuum solum modaliter distinguitur, vt sic seruetur proportio inter obiectum propositionis, verbum ipsius, & ipsam propositionem. Ad secundam nego minorem ad cuius probationē respondeo quod D. Tho. nomine subiecti, & prædicati intelligit res ipsas significatas, quæ subiecta, & prædicata obiectiua nūcupantur, & ideo ait exēpli gratia quod homo, & albus, & homo, & animal sunt idē subiecto, & differunt secundū rationē, ideoque istæ propositiones affirmatiuæ, *homo est albus*, & *homo est animal*, sunt veræ. Posrea vero subdit D. Tho. quod *in propositionibus, in quibus idem prædicatur de seipso, hoc aliquo modo inuenitur, in quantum intellectus ponit aliquid ex parte subiecti trahendo illud ad partem suppositi, & aliquid ex parte prædicati, quod concipit ad modum formæ in supposito existentis. & huic diuersitati rationis respondet pluralitas subiecti, & prædicati identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem*, in quibus verbis non intendit D. Thom. quod subiectum, & prædicatum propositionis omnino identicæ, qualis est ista *homo est homo*, sint plures conceptus: sed solum intendit pluralitatem conceptuum reperiri, nedum in illis propositionibus affirmatiuis, quarum extrema significata gaudent diuersis rationibus: sed etiam in illis quarum extrema sunt omnino eiusdem rationis formalis experta totius compositionis, tam physicæ, quam metaphysicæ, cuiusmodi sunt enunciationes, quas noster intellectus pro hoc statu format de Deo. Vnde subdit D. Thom. quod licet Deus in se consideratus vnus, & simplex sit, tamen intellectus noster, secundum diuersas conceptiones ipsum cognoscit eo, quod non potest illum, vt in seipso est, videre. Quarto arguitur propositio apprehensiua non distinguitur à iudicatiua, sed hæc est simplex qualitas: ergo & illa. Maior patet, quia in voce eadem oratio, quæ est expressiua affirmationis, vel negationis, est expressiua iudicij: ergo, & in mente affirmatio, vel negatio, & iudicium sunt idem. Pro solutione huius argumenti sequens instituitur dubium appendix.

Dubium appendix, an in secunda operatione humani intellectus propositio apprehēsiua à iudicatiua distinguatur?

11 IN hoc dubio duæ versantur sententiæ. Prima asserit omnem propositionem apprehensiuā, quæ in actu exercito, & perfecte enunciat vnum de alio, esse realiter ipsum iudicium intellectus. Primus Author huius sententiæ fuit Gregorius, quæstione prima prologi, articulo tertio, cui subscripserunt Fonseca vbi supra, & Gabriel Vazquez prima Secundæ, disputatione 62. & 70. capite tertio, & prima parte, disputatione 203. capite tertio, §. *ex dictis*. Secunda sententia, & comunis est asserentium propositionem apprehensiuam, nedum in actu signato, & veluti in esse cognito, & intentionali, aut etiam quando est imperfecta, vt in his *si disputares, & vtinā disputarem, &c.* (quod fatetur. Prima sententia) sed etiam quando perfecte, & in exercitio enunciat vnum de alio: distingui realiter a iudicio: quam tuentur omnes Authores (exceptis his tribus) quos in articulo pro prima & tertia sententia retulimus.

Opinio Fōsecæ.

Sententia Authoris.

Respondeo dicendum, primo, necessario distinguendum esse propositionem apprehensiuam à iudicio, reali distinctione. Hæc conclusio probatur aduersus Authores primæ sententiæ. Primo, nam multoties inuenitur propositio apprehensiua absque iudicio intellectus, sed hæc separatio est signum realis distinctionis: ergo: maior patet, nam quando intellectus per modum quæstionis formar duas propositiones contradictorias, verbi gratia, quando inquirit, *an quantitas distinguatur à re quanta, vel non distinguatur ab illa?* dantur huiusmodi propositiones in mente, sicut & voce exprimuntur absque iudicio, vt etiam Fonseca videtur concedere: similiter aliquæ propositiones absolute prolatæ, de quarum veritate intellectus est dubius, verbi gratia, affirmant partes, vel affirmant

ſunt imparia, vel Sol eſt maior terra centum ſexaginta ſex vicibus, ſunt in intellectu abſque iudicio, quia intellectus illis propoſitis, & præconceptis manet circa eas pendulus, & anceps, ſimiliter quando diſputationis gratia quis inſtat conſequentias, & reſumit arguentis ſilogiſmos, format illorũ propoſitiones abſque aſſenſu, vel iudicio: ergo. Secundo, nam iudiciũ habet pro obiecto ipſam veritatem apprehenſam in propoſitione apprehenſiua, ſupra quam veluti reflectitur, vt iudicet intellectus ita eſſe, vel nõ eſſe obiectum apprehenſum, ſicut per propoſitionem apprehenſiuam repreſentatur, quia ad eum modum quo ſponſaliorum contractus eſt promiſio futurarum nuptiarum habens pro obiecto ipſas nuptias, & votum ſimplex religionis eſt promiſio habens pro obiecto actualem profeſsionem, ita iudicium habet pro obiecto ipſam propoſitionem apprehenſiuam, & rem apprehenſam: ſed omnis actus diſtinguitur à ſuo obiecto realiter, quia teſte D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. articulo primo, ad ſecundum, ideo neque viſio poteſt eſſe primum viſibile, neque volitio poteſt eſſe primum apetibile: ergo neque iudicium poteſt cum propoſitione apprehenſiua identificari. Confirmatur: nam iudicium de ſimplici enunciabili eſt ſimplex qualitas, vt ſtatim oſtendetur; & in illo ſaluatur ſubiectiue formalis veritas; ſed propoſitio apprehenſiua etiam ſimplicis enunciabilis neque eſt ſimplex qualitas, vt in corpore articuli oſtendimus, nec eſt ſubiectum veritatis formalis, vt libro quarto docuimus: ergo. Tertio, nam iſti tres conceptus, *homo eſt animal*, habent rationem propoſitionis, & nõ iudicatiuæ: ergo apprehenſiuæ. Maior probatur, tum quia ſicut iſti duo conceptus, *homo albus*, ſeipſis vniuntur in modum orationis imperfectæ, ita iſti tres, *homo eſt albus*, poſſunt ſeipſis adunari ad conſtitutionem vnius orationis perfectæ. Tum etiã, quia ſeipſis ſignificant hominem eſſe animal, ac proinde menſurantur â veritate tranſcendẽtali huius obiecti, vt ſignum illius, & ſicut iſtæ tres voces, *homo eſt animal*, eo quod hoc ordine proferuntur ſubinduunt intenſionem propoſitionis vocalis: ita illi tres conceptus per illas expreſsi ſubinduunt intentionem propoſitionis mentalis. Minor vero conſtat, quia in ordinatione illorum conceptuum nihil iudicat intellectus. Dico ſecũdo iudiciũ de ſimplici enũciabili debet eſſe ſimplex qualitas, ſecus autem de multiplici, aut de compoſito enunciabili: tunc enim, & ſimplex, & compoſita qualitas poterit eſſe iudicium.

12 Prima pars cõcluſionis ſtatuitur aduerſus Vazquez aſſerentẽ iudiciũ eſſe cõpoſitam qualitatem ſicut & enunciationem, cum qua identificatur. Et aduerſus Fonſecam vbi ſupra aſſerentem iudicium de ſimplici enunciabili aliquando eſſe compoſitam qualitatem, ſcilicet quando affirmatio, vel negatio fit cum expreſsione ſubiecti, copulæ, & prædicati: aliquando vero eſſe ſimplicem qualitatem, vt quando fit medio vnico verbo aprobatiuo, aut reprobatiuo, v. g. *Fiat, vel non fiat, ita eſt, vel non ita eſt*. Et probatur, nam iudicium de veritate huius enunciationis, *homo eſt animal*, non conſiſtit in ipſa expreſsione ſubiecti, copulæ, & prædicati; ſed in illo vnico actu approbatiuo, quo dicit *ita eſt*: ſed hic actus eſt ſimplex, vt fatetur Fonſeca relatus ſectione tertia: ergo abſolute iudicium de ſimplici enunciabili eſt ſimplex qualitas. Maior patet, quia iudicium eſt ſententia prolata ab intellectu de propoſita enũciatione. Sententia autem in actu approbatiuo, vel reprobatiuo conſiſtit. Secundo, nam cum teſte Dionyſio capite ſeptimo, de diuinis nominibus, ſupræmum infimi conueniat cum infimo ſupræmi, debet in noſtro intellectu cognoſcente enunciabilia aliquis actus ſimplex dari, qui attingat modum, quo intellectus Angelicus abſque cõpoſitione cognoſcit enunciabilia; ſed hic actus neque in diſcurſu, neque in enunciatione ſaluatur, quia ſunt compoſitæ qualitates: ergo debet ſaluari in iudicio. Vnde Vazquez dicens enunciationem eſſe compoſitam qualitatem, debuiſſet illam diſtinguere à iudicio, ſupoſita tamen ignorantia huius diſtinctionis, cõſequenter loquutus fuit dicens, *iudicium eſſe compoſitam qualitatem*. At Fonſeca minus conſequenter fuit loquutus, ſiquidem ſectione prima, & ſecunda, ſubſtituit enunciationem eſſe ſimplicem qualitatem, & cum iudicio identificatam, & ſtatim ſectione tertia ſubſtituit iudicium de ſimplici enunciabili, quandoque eſſe compoſitam qualitatem, nempe quando fit cum expreſsione ſubiecti, copulæ, & prædicati. Secunda pars declaratur: nam propoſita hac hypothetica enunciatione, *Deus eſt trinus, & homo non eſt animal*, quia obiectum eius totale eſt vnum vnitate ordinis, & abſolute falſum propter vnius partis falſitatem poteſt intellectus, vnico verbo re probatiuo non ita eſſe dicere: & quoniam in illa hypothetica ſunt duo enunciata partialia, vnum verum, & falſum alterum, negatiuũ vnum, & affirmatiuum alterum. Poterit etiã intellectus duo iudicia formare, veluti partialia, quorum vno approbet vnam partem, & altero reprobet alteram partem enunciati, quod ſi plures fuerint partes enũciati, cõgruentior modus iudicandi erit ſingulis actibus

bus iudicatiuis de illarum ſingulis ferre ſententiam. Cõfirmatur, nam idem aſſenſus ſiue iudicium ſimplex aliquando fertur in præmiſſas, ſimul & concluſionem. Huic quidem vt *quod*, & illis vt rationi formali aſſentiendi, ſicut & voluntas eodẽ actu volitionis aliquãdo fertur in media, & in finẽ, & aliquando diuerſis, quando ſcilicet media, & finis proponuntur, vt appetenda ſecũdũ ſe, & ambo vt *quod*, & ſimiliter præmiſſis: ſecundũ ſe aliquãdo intellectus aſſentitur ſingulis aſſenſibus diſtinctis ab aſſenſu concluſionis. Quinimo & hic eſt conuenientior modus aſſentiendi noſtro intellectui, quoniã illo ſaluatur diſcurſus, & cauſalitas vnius aſſenſus reſpectu alterius; ergo idem dicendum eſt de iudicandi modo, quem ſeruat, circa alia enunciabilia.

13 Sed aduerſus dicta arguitur. Primo argumento quarto facto â principio, ad quod reſpondetur negando conſequentiã, quia voces illæ quæ exprimunt enunciationẽ primario, ſecundario exprimunt iudiciũ. Cuius ſignũ eſt ipſa enunciatio. Vnde illud dictũ Ariſtotelis, quod eo ordine concipimus, quo audimus, de conceptibus, & noticijs apprehenſiuis, ex quibus fiunt enunciationes, verificatur; ſecus autẽ de iudicatiuis, quia harũ vnica ſimplex multis vocibus exprimitur. Poteſt ſecundo dici, quod huic propoſitioni apprehẽſiuæ, *homo eſt animal*, alia vocalis oratio ſubordinatur, atque iudicio illius (& idem de alijs dictũ puta) nam apprehenſiuæ reſpõdet hæc vocalis, *homo eſt animal*, iudicatiuæ autẽ reſpondet hæc, *ita eſt*, ſicut per hãc ſignificatur, vel alia huic ſimilis, quæ non apprehenſionẽ, ſed aprobationẽ rei apprehẽſæ exprimat. Vnde iuxta hãc ſolutionẽ negari poteſt antecedens. Secundo arguitur, quia Philoſophus c. de ſubſtantia, & lib. 2. de interpretatione c. vltimo, appellat ipſas opiniones enunciationes: ſed opinio eſt iudiciũ quoddã actuale cũ formidine admixta, ſiue habitus iudicatiuus, &c. ergo. Confirmatur, nã teſte eodẽ Philoſopho 4. Metaph. c. 3. nullus intellectus poteſt, ſi ſit bene diſpoſitus, negare hoc omnium notiſsimũ principiũ, ſcilicet, *impoſsibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*, ſed ſi negatiua propoſitio poſsit haberi ſine iudicio, aut aſſenſu, nihil obſtat quo minus intellectus bene diſpoſitus abſque iudicio erroneo illud neget, ergo. Ad hoc argumentũ reſpondetur, quod nomine enunciationis accepit Philoſophus in illis locis enunciationem iudicatiuã, quando quidẽ ipſum iudiciũ rationẽ enunciationis, & propoſitionis affirmatiuæ, aut negatiuæ non ſubterfugit, quia hæc comunis, & ſuperior eſt ad apprehẽſiuã, & iudicatiuã: & in hoc ſenſu recte dixit opinionẽ eſſe enunciationẽ. Ad confirmationẽ reſpondetur eodem modo, quod negatio alia eſt apprehenſiua, & hæc poteſt cadere ſupra dictũ principium, vt quando quis in diſputatione ab arguente reſumit hoc antecedens: *Non eſt impoſsibile idẽ eſſe ſimul*, & non eſſe, quæ eſt propoſitio cõtra dictoria illius principij. Tũc enim intellectus abſque iudicio apprehendit prædictã negationẽ. Vnde diſtinguenda eſt maior iuxta hanc diſtinctionem: negatione etenim iudicatiua, fateor nullum intellectum bene diſpoſitum illud notiſsimũ principiũ negare. Secus autem apprehenſiua dũtaxat negatione, quæ nullo aſſenſu, aut iudicio firmatur. Tertio arguitur, nam omnis propoſitio iudicatiua eſt apprehẽſiua: ergo non diſtinguitur iudiciũ â propoſitione apprehenſiua. Antecedens probatur, tũ quia notitia apprehenſiua eſt genus ad iudicatiuã, omnis enim iudicatiua eſt apprehenſiua notitia licet non è contra. Tũ etiã, quia omnis propoſitio iudicatiua eſt affirmatio, aut negatio, at affirmare, vel negare eſt aſſentire. Eo quod eſt attribuere, & coniũgere vnũ alteri, nõ à parte rei Phiſica vnionẽ, ſed mentali iudicio. Tũ deniq; quia in omni propoſitione cognoſcitur cõuenientia, vel diſconuenientia extremorũ, ſed in hoc cõſiſtit ratio aſſenſus: ergo. Cõfirmatur: nã aſſenſus in intellectu eſt idẽ, quod proſequutio in voluntate, & diſſenſus eſt idem, quod fuga: ſed affirmatio eſt quædã proſequutio, & negatio eſt quædã fuga intellectus teſte Philoſopho 6. ethicorũ c. 2. ergo affirmatio eſt aſſenſus, & negatio eſt diſſenſus. Ad hoc argumẽtũ reſpõdetur negãdo antecedẽs, ad cuius primã probationẽ nego antecedẽs: iudicatiua enim notitia eſt ſpecies cõdiſtincta ab apprehẽſiua, & vtraque cõtinetur ex æquo ſub genere notitiæ intellectiuæ. Ad ſecundã diſtinguenda eſt minor iuxta aſsignatã diſtinctionẽ, qua diſtinximus affirmationẽ in illã, quæ eſt aprobatio, & in illã, quæ eſt ſimplex enunciatio, & ſimiliter negatio: alia eſt reprobatio, ſeu diſſenſus, & alia eſt ſimplex negatio vnius de alio. Affirmare igitur, ſeu negare, primo modo eſt aſſentire, vel diſſentire: ſecus autẽ, ſecũdo modo. Ad tertiã reſpõdetur diſtinguendo minorẽ eodẽ modo. Ad cõfirmationẽ nego minorẽ, vel diſtinguo illã ſub eadẽ diſtinctione. Philoſophus namque appellans affirmationem proſequutionẽ, & negationẽ fugã intellectus aut nominibus affirmationis, & negationis intellexit aprobationẽ, vel reprobationẽ obiecti apprehẽſi: aut nominibus proſequutionis, & fugæ intellexit proſequutionẽ, & fugã obiectiue, quia ipſæ propoſitiones apprehenſiuæ ſunt obiectum proſequutionis, vel fugæ aſſenſus, vel diſſenſus.

ARTICVLVS III.

In quo consistat discursus, qui est tertia speculatiui intellectus operatio?

14 AD exactam huius articuli declarationem tria examinanda sunt. Primum est, an discursus in pluribus consistat operationibus, ita vt includat in trinsece tanquam partem sui consequens, siue conclusionē? Secundum est, an vnico indiuisibili assensu possit intellectus ferri supra præmissas, & conclusionem? Tertium est; an discursus sit operatio necessaria, & connaturalis humano intellectui?

Circa primū quæsitū duplex versatur sententia. Prima asserit totā rationē discursus perfici, & consumari in præmissis, siue in antecedenti, vt subest illationi, & consequentiæ, cōclusionem vero, siue consequens esse effectū consequutū ex discursu. Huius sententiæ videtur esse Auctor opusculi 48. tractatu de silogismo capite 4. vbi asserit, quod discursus siue ratio sistit in minori extremitate. Secunda asserit discursum non consumari, nisi ex antecedente, & consequente, ex quibus tanquam ex partibus necessarijs, & integralibus constat. Et quia hæc sententia veritati, & D. Thom. conformior est; ideo est à nobis amplectenda, & pro prima conclusione huius articuli statuenda. Respondeo igitur primo in omni discursu includi plures propositiones, quarum vna debet esse cōsequens, alia vero, siue vnica, siue duplex debet esse antecedens. Hæc conclusio probatur primo ex diffinitionibus argumentationis, & silogismi. Argumētatio enim est oratio, in qua vno dato, alterū sequitur, siue, vt habet prędictus Author opusculi 48. cap. 1. est oratio significatiua discursus rationis ab vno cognito ad aliud incognitum, vel à magis cognito ad minus cognitum. Silogismus autem diffinitur in eodem capite, quod *sit oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud euenire per ea quæ posita sunt, & concessa*, quam definitionem amplectuntur Petrus Hispanus, & Soto libro 5. minoris, Dialecticæ lectione prima: rursus in capite quarto, opusculi 48. à principio habet prædictus Author in hæc verba, *sciendū quod omnis silogismus constat ex tribus orationibus, quarum duæ vocantur præmissæ, vltima vero dicitur conclusio.* Ex quibus tale deducitur argumentum, discursus fit medio silogismo, vel argumentatione mentali, sed silogismus, & argumentatio includunt antecedens, & consequens tanquam partes integrales sui: ergo & discursus. Secundo probatur, nam teste D. Tho. 1. parte q. 14. art. 7. duo requiruntur ad rationē discursus, scilicet successio, & vicissitudo cognitionum, & ordo causalitatis, secundum quem vnum cognoscatur per alterum ex parte cognoscentis, id est, quod vna cognitio sit causa alterius, & vtroque capite probat D. Thom. discursum esse à diuino intellectu remouendum, & idem habet primo contra gentes capite 57. sed successio, & ratio causę, & cognitionis causatæ non saluatur in solo antecedenti, aut in solis præmissis dispositis, cum illatione: ergo. Tertio discursus est motus rationis à cognitione antecedentis ad cognitionem consequentis procedens; sed motus, neque præcise in termino *à quo*, neque in solo termino *ad quem* saluatur; sed quā do mobile partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: ergo discursus, qui est motus rationis, neque in sola antecedentis, neque in sola consequentis cognitione saluatur, sed inutraque. Cōfirmatur, nam motus discretus in duplici contactu ad minus cō sistit, nempe in contactu termini *à quo*, & in contactu termini *ad quem*, qualis est motus localis Angeli, qui vtrumque mutatum esse intrinsice, includit: nam, vt aduertit Caietanus prima parte, quæst. 53. articulo 1. circa finē, motus discretus habet se, vt numerus successiuus, qui constat ex vnitatibus, tanquam ex partibus sibi succedentibus, sed in motu rationis contactus termini *à quo* est cognitio antecedentis, & contactus termini *ad quem* est cognitio consequentis: ergo vtraque includitur intrinsece in tali motu. Et ex his facile explicantur, & soluuntur testimonia, & argumenta quæ in contrarium adduci solent, quorum primum desumitur ex loco citato opusculi 48. Secundum vero ex primo posteriorum capite 2. vbi demonstratio diffinitur per causam finalem, quod est silogismus faciens scire, sed scire supponit pro conclusione: igitur conclusio non est pars, sed effectus totius demonstrationis, ac silogismi. Tertium desumitur ex diffinitione modi sciendi, tradita à Petro Hispano, & Soto lib. 2. cap. 2. quæ sic habet, modus sciendi est oratio ignoti manifestatiua, vt diffinitio diffiniti, & argumentatio consequentis: cum igitur consequens sit ignotum, & manifestabile per argumentationem, erit extra essentiam illius. Cui consonat ipsa diffinitio silogismi supra tradita, quæ ex quibusdam positis, & cōcessis indicat inferri aliud à silogismo, hoc est, consequens. Quartum desumitur ex diffinitionibus modi, & figuræ traditis ab eisdem Authoribus libro 5. cap. 2. asserētibus, quod modus est dispositio

duarum

duarum propoſitionum ſecundum debitam quantitatem, & qualitatem: figura autem diſpoſitio trium terminorum ſecundū debitam ſubiectionem, & prædicationem. Cum ergo forma artificialis ſilogiſmi ſit diſpoſitio cum modo, & figura, ſicut hæc in duabus præmiſſis ſaluatur, ita & ille. Ad primum enim reſpōdetur verum eſſe quod in minori extremitate ſiſtit ratio, ſed quia minor extremitas ingreditur concluſionem, idem eſt, ſiſtere diſcurſum in minori extremitate, atque ſiſtere in concluſione. Ad ſecundum, quod cum in noſtra ſententia aſſenſus diſtinguatur â propoſitione apprehenſiua, ſcire eſt aſſenſus concluſionis realiter ab illa diſtinctus, & ideo ab illa, & â tota demonſtratione ex tribus propoſitionibus apprehenſiuis cōpoſita poteſt cauſari. Ad tertiū reſpōdetur argumētationē eſſe manifeſtatiuam ignoti, ideſt, conſequentis, non ex ſe tota, ſed quo ad vnā partem, nempe quo ad antecedens, vt ſubeſt illationi, ratione cuius tota argumentatio cathegorematice dicitur manifeſtatiua. Vnde & relatiuum illud alietatis poſitum in diffinitione ſilogiſmi denotat concluſionem eſſe aliam à toto ſilogiſmo non totaliter, ſed partialiter, ideſt, quo ad præmiſſas conſiderato. Ad quartum dicendū eſt, modum & figuram eſſe formam artificialem totius ſilogiſmi, quamuis non niſi in ordine ad duas præmiſſas, & tres illarum terminos, tanquam in ordine ad partes principaliō res explicentur.

Opinio Fonſecæ

15 Circa ſecundum quæſitum, tres ſunt modi dicendi, quorū primus eſt Gregorij in 1. diſtinct. 1. q. 1. art. 2. aſſerentis nunquā poſſe eundem aſſenſum ferri in concluſionem, & præmiſſas ſimul. Eo quod aſſenſus premiſſarū eſt cauſa aſſenſus concluſionis, & aliàs eſt certior, & euidentior illo, nequit autē idē aſſenſus eſſe cauſa ſui ipſius, vel eſſe certior ſeipſo. Secundus modus eſt Fonſecæ hic quæſt. 4. ſectione 2. aſſerentis omnem aſſenſum concluſionis cadere ſupra antecedens, ſiue præmiſſas, non ſolum virtualiter, ideſt, quatenus virtualiter continentur in concluſione, ſed etiam formaliter, ideſt, aſſentiendo illis expræſe quatenus ſunt formalis ratio aſſentiendi concluſioni. Tertius aſſerit quod ſi argumētatio, ſiue ſilogiſmus ſumatur in vi vnius propoſitionis cauſalis, ſiue rationalis tunc vnicus aſſenſus totalis reſultans ex pluribus partialibus fertur in totam propoſitionem rationalem, ac proinde in præmiſſas, & concluſionem. Secus vero, ſi ſilogiſmus conſideretur, quando conficitur in exercitio ab intellectu, & vnum infertur ex alio, atque aſſenſus concluſionis ſumitur vt ſimplex: tunc enim adæquate attingit concluſionem. Pro hac ſententia citatur apud prædictum Fonſecam in margine Gerbaſius de notitijs dubio ſecundo. Ex hijs autem modis dicendi nullus eſt, qui perfecte attingat veritatem. Primus namque deficit, quia, vt ſtatim oſtendemus, eodem aſſenſu poteſt intellectus aſſentiri præmiſſis, & cōcluſioni: ſicut voluntas eodē actu poteſt velle medium, & finem, eodem enim modo ſe habet cōcluſio ad principia in intelligibilibus, ſicut ſe habet medium ad finem inagibilibus, vt teſtatur Philoſophus ſecundo Phiſicorū capite vltimo, & 7. ethicorum cap. 8. & ipſe Gregorius fatetur. Secūdus vero deficit, quia non ſtat cum ſententia ſui Authoris: etenim, ſi propoſitiones apprehenſiuæ præmiſſarum, & concluſionis ſunt idem cum aſſenſibus earundem, ſingulis propoſitionibus ſilogiſmi correſpondent ſinguli aſſenſus: ergo nequit vnus ferri ſupra omnes, aliàs iam aſſenſus diſtingueretur â propoſitionibus apprehēſiuis, quod non ſtat cum ſententia præfati Authoris. Deinde deficit: quia non ſemper aſſenſus concluſionis fertur in præmiſſas, ſed aliquando adæquate ſiſtit in concluſione, eo quod aliquando ſoli concluſioni aſſentitur intellectus, nempe quando non recordatur præmiſſarum, & quando in virtute aſſenſus præmiſſarum elicit diſtinctum aſſenſum concluſionis, qui eſt illius effectus. Quod tamen negat prædictus Author. Denique, quia non explicat, an illo aſſenſu concluſionis ſimul, & præmiſſarū ſaluetur formalis diſcurſus, quod tamen debebat explicare.

Sententia Thomiſtarum.

16 Vnde pro explicatione veritatis dicēdum eſt, quod non repugnat eundem aſſenſum ſimul ferri in præmiſſas, & concluſionē, licet id non ſit neceſſe fieri ſemper, ſed quando intellectus ſuo aſſenſu fertur in præmiſſas, tanquam in medium, & rationem aſſentiendi concluſioni, & tunc non ſaluatur diſcurſus rationis formaliter in tali aſſenſu. Hęc eſt vera ſententia D. Thom. 1. 2. quæſt. 8. art. 3. quam ſequuntur Capreolus in 1. diſtinctione 1. quæſt. 1. art. 3. Durandus in 2. diſtinctione 38. quæſt. 3. Argentina quæſt. 1. art. 2. & Soncinas in hoc libro quæſt. 10. & nos eam inſinuauimus ſupra libro 1. quæſt. 3. art. 4. ad primum. Sit igitur hæc ſententia ſecunda concluſio huius articuli. Quæ probatur primo, nam duobus modis poteſt intellectus aſſentiri præmiſſis in ſilogiſmo, vno modo abſolute, & perſe ratione ipſarum, quod fit ante cōcluſionem, cum quælibet earum proponitur, & conceditur: altero modo reſpectiue, ideſt, tanquam medio, per quod fertur in concluſionem, vel tanquam obiecto, *quo*, & rationi formali aſſentiedi cōcluſioni. Similibus enim duobus modis poteſt ferri voluntas in finem,

& media, ſed in primo caſu aſſenſus præmiſarum ſiſtẽs in præmiſis, tanquã in obiecto *quod*, eſt cauſa aſſenſus concluſionis ſiſtentis in illa: in ſecundo autem caſu idem aſſenſus ad concluſionem, & ad præmiſas ſimul terminatur, idemque proportionabiliter contingit in finis intẽtione, & mediorũ electione, & hoc docet noſtra ſecunda concluſio: ergo. Secundo probatur quod in hoc ſecundo caſu ſit idem aſſenſus præmiſarum, & concluſionis. Nam quando ex duobus obiectis vnum ſe habet, vt ratio formalis *qua*, vel ſub *qua* ſiue vt mediũ *in quo*, vel per *quod*: & alterum ſe habet vt ratio *quæ*, ſiue vt obiectum *quod*, & vltimatum: tunc idem actus terminatur ad vtrumque: ſed in caſu poſito præmiſſæ ſe habent reſpectu cõcluſionis, ſicut medium reſpectu obiecti vltimati, & ſicut obiectum *quo*, reſpectu obiecti *quod*: ergo eodem aſſenſu poſunt, & debent attingi. Maior patet, nã ideo eadẽ intellectio terminatur ad verbũ, & obiectum extrinſecũ, & idem motus fertur in imaginem, & archetipum, ſiue motus ſit apetitiuæ, ſiue cognoſcitiuæ potentiæ, & eadem viſio attingit lumẽ, medium, & colores obiectos. Quod autem in hoc vnico aſſenſu non ſaluetur formalis diſcurſus patet: nam hic non ſaluatur, niſi vbi eſt viciſitudo, ſubiectio, & ordo cauſalitatis plurium cognitionum, ſecundum quem vna cognitio eſt cauſa alterius, & vnum cognoſcitur propter aliud ex parte cognoſcentis: in vnico autem illo aſſenſu vnũ cognoſcitur propter aliud ſolũ ex parte rei cognitæ, & neque ſubceſsio, neque pluralitas datur cognitionũ. Ex his autem abſque difficili negotio aduerſariorum argumẽtis poſſumus ſatisfacere: ecce nim his, quæ Gregorius adducit pro ſua ſentẽtia, vnico verbo fit ſatis, ſi dicamus illa procedere in primo caſu, quando ſcilicet præmiſſæ abſolute, & ſecundum ſe diſtincto actu attinguntur. His vero, quæ Fonſeca pro ſua facit ſententia, ſigillatim reſpondẽdũ eſt. Obijcit namque primo, quia cum concluſio ſit ignota, ſi aſſenſus ſuper eam cadens non reſpiceret ſimul præmiſas, eſſet temerarius, nullaque ratione ſuffultus, ac proinde non poſſet notã facere concluſionem. Secundo, quia cum cõcluſio ſit demonſtrabilis, & non ex ſuis terminis nota, nihil in ea inuenit intellectus, cuius cauſa illi aſſenciatur, alias eſſet principium indemonſtrabile. Tertio arguit, quia ita ſe habent principia ad concluſiones, ſicut lumẽ medij ad colores: ſed hæc duo neceſſe eſt eodem actu attingi: ergo & illa. Quarto, nã præmiſſæ continent argumentum, quod eſt ratio formalis aſſentiendi concluſioni: ſed non datur aſſenſus ſine ratione formali aſſentiendi: ergo. Quinto, quia alias aſſenſus eiuſdem concluſionis probatæ per diuerſa media non diſtinguerentur ſpecie: ſiquidem aſſenſus illius in ſe, non ſpectata diuerſitate mediorũ, eiuſdem rationis formalis eſt: quod tamen eſt falſum. Ad primum itaque reſpondetur negando ſequelam eo, quod licet aſſenſus concluſionis ſit diſtinctus ab aſſenſibus præmiſarũ, tamen neceſſario cauſatur, ſequitur, & notificatur ex illis. Ad ſecundum negatur ſimiliter ſequela, quia licet intellectus inueniat in cõcluſione veritatem, ratione cuius proxime aſſenciatur illi, hoc tamen non tollit, quominus habeat rationes, & cauſas veluti extrinſecas, & remotas, propter quas ſit demonſtrabilis. Ad tertium neganda eſt maior, ſi intelligatur de præmiſis in ordine ad concluſionem in primo caſu, quando abſolute ſecundũ ſe, & vt *quod* attinguntur ab intellectu: tũc enim diſtincto actu attinguntur abſque concluſione, eo quod habent rationem obiecti *quod*, & vltimati: at lux medij, Ita eſt ratio formalis ſub *qua* in ordine ad colores, vt non ſit ratio *quæ vltimata*, in qua ſiſtat viſus, niſi quando terminatur ad corpus pure lucidum, vt eſt cœleſte. Ad quartum reſpondetur quod præmiſſæ continent præcipuam partem argumenti, quatenus continent rationem formalem extrinſecam aſſenciendi concluſioni, & ſine hac bene poteſt ſaluari aſſenſus terminatus ad ſolam formalem rationem intrinſecam cõcluſionis. Vnde neganda eſt minor ad formã argumenti. Ad quintum negatur ſequela: ex cauſis enim extrinſecis efficientibus, & formalibus, & ex ordine ad illas ſufficienter diſtinguntur aſſenſus ſpecie: & quia aſſenſus huius concluſionis, v. g. *terra eſt rotunda*, elicitus ex præmiſis Aſtrologiæ, & alter aſſenſus eiuſdẽ concluſionis elicitus ex præmiſis Philoſophiæ, dicunt ordinem intrinſecũ ad ſuas cauſas, principia, & media, ideo diſtinguntur ſpecie.

17 Circa tertium quæſitum duplex verſatur ſentẽtia. Prima aſſerit diſcurſum prouenire ex ordine obiectorum cognitorum reſpectu intellectus finiti, ac per conſequens tã humano, quã Angelico intellectui poſſe, ac debere conuenire tanquã connaturalẽ vtriuſque operationem. Ita Scotus in 2. diſtinct. 7. quæſt. 1. & in prologo primi, quæſt. 4. & Gregorius in eadem diſtinct. 2. quæſt. 5. Secunda vero aſſerit diſcurſum prouenire ex imperfectione intellectus humani, qui ſuam perfectionem non ſtatim à principio, ſed per quendã motum eſt aptus adipiſci, ac proinde eſſe ſolius intellectus humani operationẽ propriã, & connaturalem. Hæc eſt ſententia D. Tho. 1. p. quæſt. 58. art. 3. & quæſt. 8. de veritate art. 15. & 24. art. 3. & tertio contra gentes cap.

cap.44. quam sequuntur cõmuniter eius discipuli, inter quos præcipue iudicantur Caietanus, & Banesius circa articulum citatũ primæ partis, quibus subscribunt Conimbricenses in tractatu de Anima separata disputatione quarta, articulo secundo, pro cuius declaratione.

18 Dico tertio, discursus est operatio tertia nostri intellectus, soliusque eius propria, & connaturalis, ex imperfectione luminis, & specierum proueniens. Prima pars huius conclusionis ab vtriusque sententiæ Authoribus acceptatur. Et patet primo, quia discursus est quædam operatio nostri intellectus, & non prima, neque secunda, vt dictum est (nisi nomine secundæ accipiamus compositionem, vt est genus ad omnem propositionem, siue simplicem, siue compositam, siue cathegoricam, siue hypotheticam:) ergo est tertia: siquidem nomine compositionis dũtaxat illas pro propositiones accipimus, quæ argumentationis, seu discursus formam non habent, vt supra aduertimus. Secundo nam sicut prima operatio, ideſt, simplex apprehensio ordinatur ad secundam operationem, ideſt, ad compositionem discursus expertem, tanquam pars ad totum, medium ad finem, & minus perfectum ad magis perfectum: ita hæc ordinatur ad tertiam operationem, ideſt, ad compositionem discursiuam, sicut medium ad finẽ, & sicut extremum componens, (nulla enim propositio est pars perfecta, & proprie alterius) & sicut minus perfectum ad magis perfectũ, licet enim discursus secundum se non sit magis perfectus quam iudicium, aut simplex cõpositio, quæ in Angelis reperitur: est tamen magis perfectus respectu intellectus, qui est potẽtia rationalis: ergo habet locũ in nostri intellectus tertia operatione. Secunda pars probatur aduersus Authores primæ sententiæ. Primo, nam solus humanus intellectus est potentia rationalis, vt docet D. Tho. 1. parte, quæst. 79. articulo 8. & de veritate, quæst. 15. art. 1. & quæst. 16. art. 1. quia solus ille est aptus natus adquirere per motum veritatis cognitionem: sed discursus est operatio propria potentiæ rationalis: ergo est propria solius intellectus humani. Secũdo, nam Angelicus intellectus suapte natura est potens adquirere intelligibilem perfectionem absque motu, siue progressu ab vno ad aliud cognitum: vndẽ comparatur corpori cœlesti, quod à principio accepit absque motu omnem suam Physicam perfectionem: sed huiusmodi intellectui repugnat motus rationis, siquidem possidet, & adipiscitur suum finem sine motu: ergo repugnat illi discursus, qui est motus rationis, ac proinde soli intellectui humano est connaturalis. Tertio, nam eiusdem intellectus est discurrere, cuius est intelligere veritatem cõponendo: sed solius intellectus humani est intelligere componendo, diuinus enim, & Angelicus intellectus non componunt, vt supra dictum est: ergo solius intellectus humani est discurrere. Tertia pars probatur aduersus eosdem Authores. Primo, quia ex eodem capite probenit discursus, atque compositio: sed cõpositio prouenit ex imperfectione luminis, & speciei: ergo & discursus. Maior est Doctoris Sancti 1. parte, quæst. 58. art. 4. vbi docet, quod sicut in discursu comparatur conclusio ad principium, ita in compositione comparatur prædicatum, & subiectum, ex quo infert in hæc verba. *Sic igitur patet, quod ex eodẽ prouenit, quod intellectus noster intelligit discurrendo, & cõponẽdo, & diuidẽdo, ex hoc scilicet, quod non statim in prima apprehensione alicuius primi apprehensi potest inspicere quidquid in eo virtute continetur.* Quod cõtingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis, & cætera. Et ex his vltimis verbis relinquitur minor sufficienter comprobata. Secundo, nam discursus, quantum ad necessitatem discurrendi ad adquirẽdam certam veritatis cognitionem prouenit ex indigentia phantasmatum, nempe ex eo, quod intellectus indiget conuerti ad phantasmata, & vti speciebus ab illis abstractis, vt docet D. Thom. in 3. distinctione 31. quæst. 2. art. 4. & 1. parte quæst. 89. art. 6. Sed ex huiusmodi phantasmatum indigentia prouenit, vel saltem indicatur imperfectio luminis, & specierum à phantasmatibus dependentium: ergo ad hanc reducenda est necessitas discurrendi. Sed contra hanc conclusionem nonnulla militant argumenta.

19 Primo namque arguitur, ex eo quod discursus teste D. Thom. in articulo citato quæstione 79. comparatur motui; iudiciũ vero, siue simplex cognitio veri cõparatur quieti: sed quies est perfectior motu, & finis illius, vnde & cognitio principiorum, quæ est secũda operatio intellectus pertinet ad habitum nobiliorem, quam discursus, hic enim ad scientiam, illa vero ad habitum principiorum pertinet. Ergo vltra secundam operationem non datur tertia, quæsit finis illius. Ad hoc respõdetur quod secunda operatio nostri intellectus potest considerari dupliciter, vel quo ad substantiam, vel quoad modum simplicitatis. Rursus quoad substantiam considerata, vel potest sumi secundum se, vel cum ordine ad subiectum, hoc est, in ratione connaturalis operationis. Igitur si consideretur quoad modum simplicitatis, vel secundũ se perfectior est secunda operatio si autem consideretur alijs modis, perfectior est discursus, quia no-

bis

bis magis proprius, & connaturalis, & veluti ex vltima hominis differentia, ideſt rationalitate ortus. Poteſt etiam dici, quod totus diſcurſus includit ſecundam operationem in præmiſis, & concluſione vltra illationem, & ideo eſt perfectior illa, ſicut totum ſingulas excedit partes: vnde à pluribus habitibus regulatur diſcurſus, quoad præmiſas quidem ab habitu principiorum, quo ad illationem à ſcientia rationali, & quo ad concluſionem à propria ſcientia illius, vel opinione. Ideoque iuxta has diſtinctiones diſtinguenda eſt minor argumenti, præſertim quod iudicium, in quo quieſcit intellectus, perficitur, & accipit certitudinem per diſcurſum, teſte D. Thom. in loco citato, ex tertio ſententiarum. Secundo arguitur, nam ſequitur animam ſeparatã diſcurrere in adquirenda veritate, ſiquidem diſcurſus eſt connaturalis operatio noſtri intellectus, ex naturali eius in perfectione progreſſu ipſum committanti prouenies. Cõſequens autem eſt falſum: ergo & antecedẽs. Minor patet, primo quia D. Thom. tertio contra gentes capite 48. & quæſt. 14. de veritate articulo 11. aſſerit animam ſeparatam intelligere ad modum Angelorum. Secundo quia, vt dicitur Matthæi 22. animę beatorum conformabuntur Angelis: ſed in Angelis nõ eſt diſcurſus, teſte D. Thom. vbi ſupra, & Dionyſio capite 7. de diuinis nominibus. Cõfirmatur; nam in animabus beatorum non manebit actus ſcientiæ hic adquiſitæ quantum ad diſcurſum, ſed ſolum quantum ad terminum diſcurſus, qui eſt certitudo de concluſionibus, licet in animabus damnatorum vtrũque remanebit ſimul cum neceſſitate diſcurrendi, ita enim plane docet D. Thom. in tertio, articulo citato in corpore, & ad tertium: ergo ſaltem in animabus beatorum non remanebit diſcurſus. Propter hoc argumentum triplex eſt modus dicendi, quorum primus aſſerit in animabus ſeparatis nullatenus dari diſcurſum, aut compoſitionem etiam in vſu ſciẽtiarum, & ſpecierum ex hac vita delatarum, ita tenet Ricardus in tertio diſtinctione 31. articulo 3. quæſtione 1. & Bañez 1. p. quæſt. 89. articulo 6. Secundus aſſerit animas ſeparatas poſſe diſcurrere in vſu ſpecierum, & habitũ hinc delatorum, nõ tamen ex neceſsitate diſcurrere, quia ſicut neque phantaſmatibus, ita nec diſcurſu indigent. Hunc modum ſequuntur Egidius quodlibeto 4. quæſt. 16. & Henricus quodlibeto 6. quæſtione 8. Tertius primo, è diametro oppoſitus aſſerit omnes animas ſeparatas in vſu ſpecierum, ſeu habitũ hinc delatorum indigere diſcurſu, ſecus vero in vſu ſpecierum, vel habituum inditorũ, ita Abulenſis ſuper Matthæi 25. quæſt. 580. & Ocamus in quarto, quæſtione 12. articulo 2. quibus ſubſcripſerunt Conimbricenſes tractatu de anima ſeparata diſputatione 4. articulo ſecundo. Ex quibus modis ſecundus eſt nobis eligendus, tum quia eſt conformior D. Thom. qui in tertio vbi ſupra aſſerit neceſsitatem diſcurſus non remanere in animabus beatis, non autem ab illis excluſit voluntariũ diſcurſum; quinimo ibidem ait poſt reſurrectionem animas reunitas corporibus poſſe prohibito, licet non ex indigentia diſcurrere, & ab hoc priuilegio excluſit damnatorum animas non ſeparatas, ſed corporibus reunita. Et prima parte, quæſt. 89. articulo 5. & 6. docet ſcientias hic adquiſitas remanere in anima ſeparata quoad ſubſtantiam habitus, & actus, non tamen quo ad modũ, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata: vbi ſolum modum conuerſionis ad phantaſmata, & non modum diſcurſus denegat animæ ſeparatæ, eo vel maxime, quod ratio diſcurſus ad ſubſtãtiam actus ſcientifici ſcientiarum adquiſitarũ videtur quodammodo pertinere. Rurſus tertia parte, quæſtione 11. articulo 3. ad tertiũ ait in hæc verba. *Beati conformantur Angelis quantum ad dona gratiarum: manet tamen differentia, quæ eſt ſecundum naturam: & ideo vis collationis, & diſcurſus eſt connaturale animabus beatorum, non autem Angelis:* igitur ſentit D. Tho. diſcurſum poſſe reperiri in animabus ſeparatis, vtpote eis connaturalem. Tum etiam, ratio ſuffragatur. Nam propterea Angelus nõ poteſt prohibito diſcurrere, quia eius voluntas non poteſt vti proprio intellectu, niſi iuxta modum ſi connaturalem, qui eſt intelligere ſine diſcurſu, vt recte probat Bañez 1. parte quæſtione 58. articulo 3. dubio ſecundo: ſed modus connaturalis animæ ſeparatæ eſt intelligere per diſcurſum, vt ex loco proxime citato D. Thomæ conſtat, & intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, & vnio ad corpus ſunt modi cõnaturales animæ: ſtatus autem ſeparationis, & intelligere ſine ordine ad phantaſmata conueniunt animæ ſeparatæ præter naturam, vt docet D. Thom. 1. parte, quæſt. 89. articulo primo, & Bañeſius ibidem dubio ſecundo: ergo intelligere ſine diſcurſu conueniet animæ ſeparatæ præter naturam, ſicut intelligere ſine phantaſmatibus. Diſcurſus vero cõueniet iuxta naturam, ſicut & ordo ad phantaſmata, ac proinde ex libera aplicatione voluntatis poterit intellectus diſcurrere. Vnde ad argumentum negãdum eſt minor, ad cuius ptobationes patet ſolutio ex dictis. Ad confirmationem vero negandum eſt antecedens, ſi non ſolum neceſsitatẽ, ſed etiam permiſionem diſcurſus excludat à ſeparatis animabus.

AR-

ARTICVLVS IIII.

De imperio, & alijs operationibus practici intellectus, quæ sint & in quo consistant?

20 IN hoc articulo omnes conueniunt dari in intellectu practico iudicium practicũ de cõuenientia, vel disconuenientia obiecti moues voluntate ad amplectendũ, vel recusandum obiectum propositum, similiter dari discursum, medio quo concludatur dictamen, & iudicium illud practicum: huiusmodi enim discursibus, & iudicijs vtuntur scientiæ morales, quæ perficiunt practicum intellectum. Circa alia vero duo operationũ genera est disensio, videlicet circa promissionem, & imperium aliqui enim negant esse actus intellectus practici, alij affirmant. De promissione quidem negat id Suarez tom. 2. de Religione lib. 1. de voto cap. 13. acerrime defendens votum, quod est promissio de meliori bono esse actũ volũtatis, sequutus in hac parte Maiorem in 4. distinct. 38. quæst. 1. & Scotum ibidem quæst. 1. Sed quod votum, & quæuis alia promissio sit actus practici intellectus affirmat D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 1. cui Caietanus ibidem, & Torre tom. 1. de religione super art. 1. quæst. 88. disp. 3. & omnes alij discipuli subscripsere. De imperio autem circa proprios actus negarunt esse actum practici intellectus Almainus tractatu 3. moralium, cap. 2. & Angelus c. 1. suorum moralium, Bonauentura, Ochamus, & alij nominales in 3. d. 17. atque Henricus quodlibet. 9. & Scotus in 2. dist. 6. q. 1. & quodlibet. 17. quorũ sententiam iam senescentem his temporibus suscitarunt Suarez lib. 1. de prædestinatione cap. 16. 1. tom. Methaphis. disput. 19. sect. 4. & 6. Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. & Conimbricenses lib. 3. de anima cap. 13. quæst. 4. art. 1. Molina 1. p. q. 23. disput. 2. Vazquez ibidem disput. 87. cap. 3. & 1. 2. disput. 49. cap. 3. & 4. qui omnes existimant imperium circa proprios actus esse actum superfluum, & inutilem intellectui, atque nociuum libertatis innatæ voluntati. Sed pro veritatis explicatione sequentes ita tuo conclusiones.

Sententia Authoris.

21 Respondeo dicendum primo promissionem esse actum intellectus practici. Hæc conclusio probatur primo, nam promissio est ordinario vnius ad alterum: sed ordinatio est actus solius rationis: ergo promissio est actus proprius intellectus, seu rationis, & cũ alias hæc ordinatio, quæ exercetur in promissione, sit actus intellectus moti, & inclinati à voluntate, & propterea parit, & inducit quandam obligationem ad aliquid faciendum, vel non faciendum, quia vel causatur ex actu voluntatis, aut habet illum annexum, ratione cuius prouenit dicta obligatio. Minor autem in qua est vis huius rationis probatur quia, ad solũ intellectũ pertinet ordinare vnũ ad aliud, etenim ordinare est cõferre vnum cum alio, conferre autem vnum cum alio est propriũ munus intellectus. Vnde recte Caiet. 1. 2. q. 17. art. 1. ait esse hanc fere communem animi conceptionem. Sed hanc rationẽ D. Tho. intendit labefactare Suarez, hac obiectione, quam prius Scotus aduersus D. Thom. excogitauerat, nempe quia ordinare conuenit intellectui non ex proprijs potentiæ intellectiuæ, sed ex ratione immaterialitatis, quæ est cõmunis intellectui, & voluntati, ac proinde etiam ordinare erit actus communis voluntati, & intellectui, & quia referre est ordinare etiam voluntas ordinat, vt dum quis vult obedire alteri, se alteri subordinat, & dum voluntas per charitatem refert sua opera in vltimũ finem, illa ad hunc ordinat, & dum quis per matrimonium se alteri tradit, suum corpus alteri subijcit, quæ est quædam ordinatio ergo voluntatis etiam est ordinare. Sed hæc obiectio nullius est momenti, aliud enim est ordinare constituendo ordinem in re ordinata, & aliud exequi ordinem statutum, idest ordinate procedere, seu ordinate ferri in plura obiecta partialia, primum est solius rationis, secundum autem est commune voluntati, & cuilibet potentiæ sequenti ductum rationis. Quando igitur volũtas in exemplis adductis ordinat, ordinate vult vnum propter aliud iuxta ordinem prius factum ab intellectu; at intellectus promittendo, vel in voto, vel in sponsalibus ordinat constituendo ordinem, & faciendo ordinationem per modum cuiusdam denũciationis, siue intimationis. Ex quo sic arguitur ordinare constituendo ordinem, & intimando quid sit faciendum, vel non faciendum, est proprius actus intellectus, & huiusmodi ordinatio est promissio: ergo promissio est actus solius rationis: Sicut oratio, & depræcatio hac de causa essent actus rationis existentes in intellectu, licet regulati à virtute religionis existente in voluntate. Secundo probatur conclusio: nam intimare, & denunciare aliquid agendum, est actus rationis, quia est quædam loquutio talis intimatio, & denunciatio, loquutio autem est actus intellectus, cuius signum est loquutio vocalis, & exterior: sed promissio facta alteri est quædam colloquutio cum illo, siue mentalis tantum, vt cum fit soli Deo, siue verbis expressa, vt

cum

cum promiſsio ſit hominibus: ergo. Tertio, nam ferre legem eſt actus rationis, teſte D. Thom. 1.2. q.90. art.1. & 92. art. 2. ſed promiſsio eſt quædam lex, qua promittés ſe vult obligare ad aliquid faciendum, vel non faciendum ergo. Minor patet, quia votum, quod eſt quædam ſpecies promiſsionis, lex particularis eſt, quam vouens ſibi imponit, vt dicit D. Thom. 2. 2. q.88. art.10. & non alia ratione, niſi quia eſt promiſsio inducens obligationem. Huic argumento reſpondet Suarez ſe dubitare de maioris veritate, atque etiam minorem tantum eſſe veram metaphorice, & à metaphora non ſumi efficax argumentum. Sed contra arguitur, nam D. Thom. illam maiorem deſumpſit ex Philoſopho 5. Ethicorũ cap. 1. ergo de illius veritate non eſt dubitandum, niſi de veritate ſententiæ Ariſtotelis in morali Philoſophia dubitetur. Rurſus in minori præfati ſilogiſmi nõ eſt metaphora, ſed proportio: ſi enim imperare alijs præcipuè ſit per legem, quæ ſubditis decretum ſuperioris intimat obſeruãdum, eſt actus rationis, ita promiſsio, quæ voluntatem promittentis alteri intimat, etiam eſt quædam lex priuata, ac proinde actus rationis: igitur ratio noſtra manet inconcuſa.

22 Dico ſecundo, imperium reſpectu alterius ab imperante eſt actus intellectus practici, & valde neceſſarius. Prima pars admittitur ab omnibus, etiam illis, qui negant imperium erga proprios actus imperantis, vt fatetur Vazquez vbi ſupra cap. 2. & probatur rationibus factis pro prima concluſione, quia huiuſmodi imperium eſt ordinatio, & intimatio voluntatis ſuperioris & quædã loquutio, atque lex: igitur eſt actus intellectus, & alias cum ordinetur ad aliquid agendum, vel non agendum, hoc eſt, ad finem praxis, & operis, cuius regula eſt mandatum, & lex ſuperioris, atque cum ſit actus prudentiæ, vt præceptiuæ exiſtentis in practico intellectu, cumque ſit ab intellectu moto à voluntate, erit actus non ſpeculatiui, ſed practici intellectus. Secũda pars probatur, quia imperfectionibus intellectus idem eſt eſſe, atque eſſe neceſſarium, cum omnis perfectio conueniens intellectui neceſſaria ſit illi iuxta eius naturam, quo pacto quælibet ſcientia poſsibilis haberi à noſtro intellectu dicitur illi ad eius perfectionẽ, & vitam contemplatiuam perfectè degendã neceſſariam: ſed tale imperium eſt actus natus haberi à practico intellectu: ergo eſt illi neceſſarius, atque adeo intellectus practicus non pro ſemper, ſed pro tempore debet illum habere. Rurſus imperium legis eſt conueniés intellectui, & ad cuiuſuis Reipublicæ, ſiue communitatis moderamẽ ſummopere neceſſarium: ſed imperium erga alios eſt ſæpe ſæpius habens vim legis, vel præcepti ſuperioris, ergo. Denique quia munus prudentiæ vt præceptiuæ eſt valde neceſſarium: ſed ad hoc munus pertinet præcipere alijs, quod eſt alijs imperare: ergo hoc imperium eſt actus neceſſarius.

23 Dico tertio, imperium erga proprios actus ipſius imperantis eſt actus practici intellectus, neque libertatis læſiuus, ſed potius ad ſuauiter, & efficaciter mouẽdã voluntatẽ, & alias potentias inferiores neceſſarius. Hæc cõcluſio, quoad primam partem, probatur primo, nam ſicuti imperium intellectus poteſt deferri, & intimari alijs, ita proportionabiliter poteſt deferri, & intimari proprijs potentijs ipſius imperantis in ordine ad ſuos actus, ſed hac de cauſa admittitur imperium erga alios actus in practico intellectu: ergo etiam debet admitti erga proprias potentias, & actus. Confirmatur, nam actus, quo quis ſibi, aut ſuæ animæ, vel volũtati intimaret, *fac hoc*, eſt imperium, & actus ordinatiuus rationis practicæ, & iſte eſt poſsibilis. Dauid enim ſuæ animæ imperabat, vt Deum benediceret dicens: *Benedic anima mea Domino*, Pſal. 102. & Magnus Antonius Ægiptius dum morti appropinquabat animæ ſuæ imperabat, vt cito à carcere mortalis corporis egrederetur: ergo talis actus non eſt denegandus. Probatur ſecundo: multis placet in diuino intellectu dari imperium non ſolum ad creaturas, ſed etiam ad eius exequtiuas potentias diſtinctas virtualiter ab intellectu terminatum, quia virtualis hæc diſtinctio ſufficit: ergo à fortiori ſufficit realis diſtinctio, quæ inter noſtrum intellectum, & voluntatem, atque reliquas potentias verſatur. Antecedens probatur, nã actus, quo produxit vniuerſum vt ratione formali agendi, fuit imperium ad creaturas terminatum. Vnde ſic explicatur cum ordine ad ipſas fiat lux, fiat firmamentum, &c. ſimiliter prædeſtinatio eſt imperium, quo Deus efficaciter tranſmittit creaturas rationales ad beatitudinem, vt docent diſcipuli Doctoris Sancti cum ſuo Authore 1. pq. 23. art. 1. ſed quia huiuſmodi actus non ad creaturas ad extra immediate terminatur, ſed etiam mediante potentia exequutiua, quæ mouet efficaciter ad effectus operandum ad extra, eſt enim in ſententia iſtorum imperium ratio mouendi potentias exequutiuas. Et illa defert diuinum imperium ad creaturas, & licet hæc ſententia non admittatur, neque (vt verum fatear) mihi placeat; tamen in omnium Theologorũ, etiam aduerſariorum ſententia noſtra voluntas mouet intellectum noſtrum ad operandum quoad exercitium, & etiã diuina volũtas

mouet

mouet virtuali motione diuinã intellectũ, aut ideas diuinas ad libere creaturas ad extra producendũ: ergo, sicuti motio voluntatis tam in Deo quã in nobis potest ferri ad intellectũ ipsius volentis, pari ratione imperiũ poterit ferri in voluntatẽ, & aliãs potentias eiusdẽ imperantis. Secunda pars quod nõ sit læsiuus libertatis relinquitur clara ex probationibus tertiæ partis, si enim in omni actu libero, volũtas indiget moueri ab intellectu per imperiũ, manifestũ relinquetur tale imperiũ non esse læsiuũ humanæ libertatis. Probatur igitur tertia pars primo. Nã tale imperiũ est actus prouidẽtiæ, est enim actus prudentiæ, quæ est pars prouidentiæ: sed actus prudentiæ, & prouidẽtiæ est necessarius ad suauiter mouendã voluntatẽ, neque tollit eius libertatẽ. Secundo nã omnis electio debet imponere aliquẽ actũ in intellectu practico, â quo reguletur, & efficaciter moueatur, hoc nequit esse solũ iudiciũ de conuenientia, aut disconuenientia: ergo erit imperiũ. Maior patet, quia omnis actus voluntatis fertur in obiectum apprehẽsum per intellectũ, & fit dependenter ab illo sicut ipsa voluntas in suo esse dependet essentialiter ab intellectu. Minor vero probatur, quia stante iudicio de cõuenientia electionis circa deambulationẽ causa recreãdi animum etiãsi iudicium aprouetur à voluntate. Adhuc voluntas manet indifferens ad talẽ electionẽ & potest in sensu cõposito illã non elicere. Vnde etiam in Deo vltra iudicium aprobatũ à volũtate, quod significatur in illis verbis, *vidit lucẽ*, requiritur imperiũ ex quo efficaciter sequatur effectus productio quod insinuatur in illis verbis. *Dixit Deꝰ fiat lux & facta est lux*. Tertio nã teste Caiet. 1. 2. q. 16. art. 4. duplex est habitudo & tendẽtia volũtatis in suũ obiectũ, scilicet in finẽ ac bonũ: prima est tendẽtia in illud vt odibile seu amabile absolute, vt præueniẽs exequutionẽ, & rationẽ operabilis, & hæc consumatur & sistit in electione incipitq; in intentione quæ est amor finis ex qua sequitur electio mediorũ. Secũda est habitudo in finẽ, vt assequibilẽ per media exequutioni mãdãda, & hæc incipit in imperio & consumatur in exequutione seu operatione mediorũ electorũ ad quã imperiũ efficaciter mouet: ergo vltra iudiciũ & aprobationẽ volũtatis atque electionẽ requiritur imperiũ. Vltimo nã vbi sunt distinctæ, difficultates, & distincti actus & habitus illorũ regulatiui requiruntur cum ex difficultatibus diuersis habitus & communiter actus diuersificentur, sed in iudicando conuenientiã mediorũ, & in illorũ aprobatione atque electione est diuersa difficultas ab illa quæ reperitur in præcipiendo & exequutioni mandãdo media electa & aprobata: ergo distinctus actus requiritur à iudicio & electione qui sit imperiũ. Minor probatur, quia postquã aliquis auarus iudicat conueniẽs esse dare elemosinã pauperi & aprobat talẽ actũ elemosinæ sentit nouas difficultates in ipsa pecuniæ exhibitione. Confirmatur, nam actus ad quos diuersæ dispositiones naturales atq; diuersæ virtutes requiruntur sunt diuersi sed ad iudiciũ, consiliũ & imperiũ requirũtur diuersæ dispositiones naturales & diuersæ virtutes: ergo sunt actus diuersi & necessarij siquidẽ, neq; naturalis dispositio, neque virtus datur ad actus minime necessarios. Minor, quia ad bene iudicandũ & consiliandũ requiritur ex parte naturæ perfectio sensus cõmunis, ad bene autẽ præcipiendũ requiritur naturalis inclinatio ad bonũ, teste D. Tho. 2. 2. q. 51. art. 3, & hac de causa dicit D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 1. posse contingere, quod aliquis recte iudicet, & male præcipiat. Rursus in quæstione citata ex 2. 2. art. 2. ait D. Tho. ex alia virtute esse hominem bene præceptiuum, scilicet ex prudentia, cuius actus est imperiũ, & ex alia esse bene iudicatiuũ, scilicet ex sinesi, & gnomi, ex illa quidẽ iuxta regulas ordinarias, ex hac vero iuxta regulas altiores, & supra cõmunes, & ex alia esse bene consiliatiuũ, scilicet ex eubulia. Vnde eis opponuntur vitia diuersa. Nã teste D. Tho. 2. 2. q. 53. iudicio opponitur inconsideratio, imperio autẽ inconstantia, & negligentia. Dicendũ igitur est imperiũ omnino esse ponendũ, non solũ erga alios, sed etiã erga proprios actus imperantis absque læsione libertatis. Quæ sententia est proculdubio Doctoris Sancti in locis allegatis, præsertim 1. 2. q. 17. art. 1. cui subscribunt, ibidẽ Caiet. Conradus Medina, ac Soto lib. 1. de iustitia, & iure q. 1. art. 1. & lib. 7 q. 1. art. 7. & Fõseca lib. 9. Metaph. c. 2. q. 7. sect. 2. & 3.

24 Sed contra dicta, hæc militant argumenta primo, quia promissio non est simplex apprehẽsio, cõpositio aut ratiocinatio, & nulla alia datur operatio in nostro intellectu: ergo. Dices hanc diuisionẽ actuum intellectus tantum fieri de actibus intellectus speculatiui. Sed contra nam D. Tho. 1. 2. agens de actibus intellectus practici, nullã mentionem fecit de promissione, & ibi q. 17. vltimum actum practici intellectus posuit imperiũ, quod certum est non esse promissionẽ: ergo promissio, neque in actibus practici intellectus est annumeranda. Confirmatur primo nam promissio habet vim obligandi ex sua essentia, & natura: sed obligatio oritur ex actu voluntatis, quo quis se vult obligare, vnde & obligatio voti cuiuslibet propositionis ex intentione voluntatis vouentis mensuratur, si enim quis profert mente, & voce hanc orationem; *ego promito recitare septem Psalmos Pœnitentiales*, & alias eius intentio ad tolos quatuor Psalmos fertur, ille qui sic vouet ad sõlos quatuor recitãdos manet obligatus: ergo promissio essentialiter est actus voluntatis. Quod si dicas promissionem obligare ex actu annexo voluntatis, quem connotat, & secum semper affert. Contra nam

neque talis actus voluntatis obligationē produ cens, ſubſequitur tēpore actū intellectus, qui ſit promiſsio, neque natura, illum præcedit: ergo eſt vnicus, & ſimplex actus promiſsio, & vo luntas ſe obligandi, alioquin ordo aliquis inter ipſos deberet verſari. Confirmatur ſecundo nā omnis actus intellectus etiā practici eſt loquutio mentalis, ſed promiſsio nō eſt loquutio: ergo. Minor patet quia multoties promiſsio fit Deo, qui non indiget noſtra loquutione, cū cogitationes cordis ei ſint patefactæ, & finis loquutionis eſt manifeſtare occultas animi conceptiones, & quia hac de cauſa dicit D. Tho. 1. p. q. 107. art. 3. loquutiones Angelorū ad Deū non eſſe actus intellectus, ſed voluntatis, eoque teſte D. Tho. loquuntur Deo ordinādo per voluntatē conceptionē ad illum, non vt ei aliquid cōmunicent, ſed vt ab eo aliquid accipiant: ergo idē eſt de loquutione hominis ad Deū exercita in promiſsione, quia in hac modū loquendi Angelorū imitatur. Reſpondetur ad argumentū, quo conuincitur Suarez iuxta ſolutionē inter arguendū aſignatā. Ad replicā dicendū eſt cum Caietano in art. citato ex 2. 2. quod imperiū eſt vltimus actus rationis practicæ reſpectu electionis abſolutæ, qua elligit homo ſibi ipſi præcipere aliquid agendū, vel non agendum; at vero reſpectu aliorū ſunt plures actus intellectus practici, vt præcipere depræcari, promitere, &c. Quibus homo ad alterū ordinatur, & ſi præcipere ſumatur reſpectu aliorum, quatenus quis præcipit, v. g. ſubditis ſuis non eſt vltimus actus rationis practicæ, ſed condiſtinguitur contra depræcari, & promitere ad omnes. Aduertit rurſus Caiet. quod omnes iſti tres actus diſtinguuntur à præcipere primo modo per hoc, quod præcipere primo modo ad cuius rectificationē ponitur prudentia, eſt cauſa electionis. Iſti autem tres actus ſunt materia, & effectus electionis; nam poſtquam homo abſolute elegit imperandum alijs, aut orandum, aut promitendum, imperat, orat, aut promittit. Vnde neque in 1. 2. fuit inſufficiens D. Thom. dum hos actus non numerauit quia ſolos illos, quos homo habet in ordine ad ſe, numerabat. Ad primam confirmationem reſpondetur iuxta ſolutionem inter arguendum aſignatam negando maiorem, non enim votū, atq; promiſsio inducit obligationem ex eſſentia ſua, & ratione ſui, ſed ex ratione actus voluntatis concomitantis. Ad impugnationem dico, quod ille actus voluntatis ſe obligandi antecedit natura, ipſam promiſsionem, eſt tamen ſimul tempore cum illa ſi ſit efficax voluntas, qua homo vellit, & proponat ſtatim manere obligatum ad aliquid agendum, ſi autem inefficax propoſitum eſſet aut ſolum de obligando ſe in futurum, etiam tempore poſſet præcedere promiſsionem. Reſpondetur ſecundo quod obligatio oritur ex promiſsione proxime, vt à formali, & proxima cauſa obligandi, & ſic ab illa debet proxime regulari voti obligatio, ſed tamen remote, & vt à cauſa mouente, & veluti primaria procedit, & regulatur à propoſito, volūtatis quod de ſe non habet obligationē niſi media promiſsione, vnde iuxta hanc ſolutionem neganda eſt minor, neque in caſū poſito obligatio ad recitandū quatuor Pſalmos à ſola intentione, ſed etiā à promiſsione debet regulari, quæ ſtante propoſito, & intentione efficaci de recitādo tantū quatuor Pſalmos, nō potuit ferri ad ſeptē, debet enim promiſsio efficaci intentioni, & propoſito cōmenſurari. Ad ſecundā nego minorē; ad primā probationē dico, quod promiſsio Deo facta eſt mentalis loquutio, non quidem ordinata, vt Deo manifeſtetur occultū, ſed ſolū ordinata ad hoc, vt per illā homo ordinetur ad Deū per modū cuiuſdā intimationis, ſicut etiā depræcatio, vel oratio ex natura ſua habet ordinare hominē ad Deū, quā depræcatur per modū cuiuſdā intimationis, vel denūciationis, neq; omnis loquutio ordinatur de facto ad manifeſtādū verbū occultum ei, ad quē fit, niſi aliàs illū lateat verbū, & cogitatio loquētis. Ad ſecūdā probationē nego antecedēs, neq; enim vult D. Tho. loquutionē Angelorū eſſe actū voluntatis formaliter, ſed tantum eſſe actū intellectus moti à volūtate, quatenus idem actus loquutionis, v. g. Gabrielis, per quā ordinatur ad Michaelē per modū cuiuſdā intimationis, ſeu denūciationis manifeſtatiuæ ſui cōceptus, vel rei conceptæ, qui eſt elicitiue ab intellectu imperatiue, & veluti à mouēte eſt à voluntate, & pari ratione promiſsio, & depræcatio, & imperium ſunt actus ellicitiue ab intellectu, & imperatiue à voluntate, quinimo hac de cauſa ſunt actus practici intellectus. Secundo arguitur: ad actus electionis in voluntate ſufficit apprehēſio, & repreſentatio obiecti ex parte intellectus, neq; enim ad omnē actū apetitiuū, aut volūtatis requiritur aliquod iudiciū de conuenientiæ obiecti repræſentationē & licet aliquando præcedat tale iudiciū, non tamen requiritur tāquam quid neceſſarium omnino: ergo multo magis ſuperfluum erit imperium ſi ipſum iudicium quandoque ſuperfluum inuenitur. Reſpōdetur negando antecedens, quia D. Thom. ſepe ſepius dicit tale iudicium prærequiri ad omnem electionē, præſertim lib. 3. de anima lectione 3. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. & in 2. diſt. 24. q. 2. art. 1. Vnde falſo Conimbricenſes loco citato art. 3. putant probabile eſſe dictum antecedens, & vt probabile, & veritati conſonum illud admittūt. Tertio arguitur: nam actus imperij videtur ſuperfluus: ergo nullatenus admitendus in practico intellectu, antecedens probatur tripliciter 1. quia teſte Philoſopho 3. de anima tex. 46.

actus

actus timoris, & tristitiæ multoties habentur absq; præuio imperio, & sunt actus appetitus: ergo. Secũdo, quia teste D. Th. 1. 2. q. 17. a. 3. electio, & intẽtio, quæ sunt actus volũtatis, & liberi eliciũtur sine imperio, alias si ad illas præcederet imperiũ, daretur processus in infinitũ, qui non est admittẽdus, nã ante illud imperiũ, quo quis, v. g. imperat sibi studendũ esse, præcedit volitio studij: ergo si ante istam est aliud imperiũ, ante illud, esset alia volitio, ante quã esset aliud imperium, & sic daretur processus in infinitũ, & nũquã ad primũ aliquẽ actũ volũtatis esset deueniẽdũ, quod est inconueniẽs: ergo. Tertio, nã si requireretur imperiũ istud, vel esset ad mouẽdas potẽtias, vel ad efficaciter mãdandũ media electa exequtioni: sed ad neutrũ requiritur: ergo est supersluũ. Minor pro 1. parte patet, quoniã neque mouet quoad exercitiũ cæteras potentias, cũ hoc propriũ sit volũtatis, teste D. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. neq; quoad specificationẽ, quia iudiciũ de cõueniẽtia boni sufficiẽter dirigit volũtatẽ quoad specificationẽ. Pro secũda etiã parte probatur, quia mouere ad mãdatũ media exequutioni est mouere quoad exequutionẽ, id est, quoad exercitiũ quod diximus esse munus solius volũtatis. Deinde quia, supposito iudicio de cõueniẽtia medij, v. g. studij vt si meus intellectus formet hoc iudiciũ, *expedit mihi studere, hic & nũc*, & supposito, quod volũtas hoc mediũ acceptet, & elligat hoc actu, *volo hic, & nũc studere*, nihil deficiet ad exequẽdũ actũ studij hic, & nũc: ergo. Respõdetur negãdo antecedẽs. Ad primã probationẽ dico Philosophũ loqui de actibus timoris, & tristitiæ naturalibus ex passione, vel ex aliqua naturali corporis dispositione prouenientibus, & præueniẽtibus vsum rationis, nõ vero de actibus liberis timoris, & tristitiæ, ad hos enim requiritur iudiciũ, & imperiũ. Ad secũdã patebit ex dicendis ad 4. Ad 3. concessa maiori, nego minorẽ pro vtraq; parte, quia imperium mouet potẽtias ad exequtionẽ, & quoad exercitiũ intimãdo, & ordinãdo, idest, motione quadã intimatiua, atq; ordinatiua, quæ requiritur vltra motionẽ volũtatis. Quarto arguitur ad electionẽ sufficit iudiciũ medij representati, atq; propositi volũtati: ergo iã imperiũ non requiritur ad omnẽ actũ liberũ volũtatis. Antecedẽs patet, tũ quia si imperiũ præcederet electionẽ, admittẽdus esset processus ille in infinitũ, in 2. cõfirmatione 3. argumenti insinuatus. Tũ etiã quia D. Th. a. 3. q. 17. ad 3. ait, quod electio præcedit imperiũ, & imperium præcedit vsum. Cõfirmatur, nã ideo eiusdem ad seipsum nequit esse depræcatio, quia depræcatio est ad superiorẽ, & nullus respectu sui est superior, sed etiã imperiũ est ad inferiorẽ: ergo nullus potest sibi imperare, cõsequentia patet: nã nullus potest esse sibi inferior, sicut neq; superior, etenim vtraq; ratio alietatẽ suppositorũ importat. Ad hoc argumentũ duplex est modus dicẽdi inter discipulos D. Th. Primus: est M. Soto vbi supra asserentis, quod electio præcedit imperiũ, ad illã tamen sufficit iudiciũ, ne detur prædictus processus in infinitũ. Secundus est Medinæ 1. 2. q. 17. art. 1. asserentis, quod sicut imperium præcedit vsum, ita præcedit electionẽ, quia electio est quidã vsus volũtatis, quib⁹ fauet August. lib. 8. cõfessionũ c. 9. dicẽs, *quod imperat sibi animus vt velit, &c.* Sed vterq; modus dicẽdi potest meo iudicio cõciliari, supponẽdo ex eodẽ Caiet. 1. 2. q. 16. ar. 4. quod duplex est ordo volũtatis, scilicet directus, quo directe actus feruntur in sua obiecta, vt volo pœnitere, ad quod elligit volũtas ieiuniũ, v. g. & postea imperat sibi talis pœnitẽs à cibo abstinentiã, & tandẽ vtitur mẽbris exterioribus, ad moderatã cibi sumptionẽ, & in hoc ordine est prior electio imperio, quod est prius vsu. Alter ordo est reflexus, quo actus intellectus, & voluntatis supra seipsos reflectũtur, v. g. ille actus volo studere, est electio ipsius amoris studij, & est cõsensus in ipsum, & est actus, quo applicatur volũtas ad amandũ studiũ, & quidem in hoc ordine prius est imperiũ, quã electio, & vsus. Vnde quãdo D. Th. & Soto dicũt electionẽ esse priorẽ imperio, loquũtur secundũ primũ ordinẽ, alij vero dicũt esse posteriorẽ iuxta secũdũ ordinẽ. Potestque dici, quod D. Th. & Soto loquũtur formaliter de electione, vt electio est, quia vt sic est prior imperio Eadẽ tamẽ, quæ præstat munus electionis, etiã præstat munus volũtatis vsus, & vt sic est posterior imperio, in quo sensu loquũtur Caiet. & Medina. Pro cuius maiori declaratione aduertendũ est, quod alio actu imperat intellectus voluntati, vt velit studere, & eligat studiũ, & alio imperat sibi, vt studeat, & aplicet libros ad studendũ. quæ imperia adeo distinguũtur, vt primũ sine secũdo possit esse, & illud præcedere, imperiũ igitur illud primum, quo imperat electionẽ studij, est veluti mediũ inter actũ electionis, vt electio est, & inter eũ dẽ actũ, vt vsus est volũtatis. prius enim ratione intelligitur volũtas eligere studiũ, & ille actus egredi à volũtate, sub ratione electionis, postea in alio signo rationis intelligitur imperium intellectus, cadens super eundem actum sub ratione vsus, & tunc in tertio signo rationis intelligitur exercitiũ illius actus electionis in ratione vsus applicantis voluntatem ad studium. Ad confirmationem respondetur, negando consequentiam, ratio discriminis est, quia depræcatio, siue oratio est actus ad superiorẽ simpliciter, & quia nõ est aliqua potentia in eadem natura superior

ad intellectũ; ideo intellectus nequit orare ad ſeipſum, aut ad aliquod ſuperius in eodẽ ſuppoſito, ſed imperiũ eſt ad inferius, & quia in eadẽ natura ſunt potentiæ multæ inferiores ad intellectũ, ideo poteſt dari imperium terminatum ad illas, imo poteſt etiã ipſe intellectus imperare ſibi, quia intellectus, vt apprehendens aliquid, eſt ſuperior ad ſe ipſum quo dãmodo, & ideo poteſt ſibi imperare alium actum, ſicut voluntas vt intendens finem, eſt ſuperior quodammodo ad ſe ipſam, vt electiuam, & ſic poteſt ſe ipſam ad electionem mouere, vt dicit D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 6. ad 1.

25 Quinto arguitur, nã omnis operatio etiam practici intellectus ad vnam ex tribus ſupra recẽſitis debet pertinere, ſed imperium ad nullã illarũ pertinet, neq; enim eſt diſcurſus, neque ſimpliciũ apprehenſio, neque cõpoſitio, ergo nullatenus eſt ponendũ. Confirmatur primo, quia poſito huiuſmodi imperio, ſequũtur duo incõueniẽtia. Primũ quod tollatur libertas volũtatis, quia ex imperio efficaci tollitur indifferentia ad vtramque partem elligendi ſcilicet, vel non elligendi, quæ indifferentia eſt de ratione libertatis. Secundũ eſt quod ad actus virtutũ particulariũ, v.g. tẽperãtiæ, iuſtitiæ, & ſimiliũ elliciẽdos nõ requirãtur virtutes ſpeciales, quia ex vi, & efficacia talis imperij huiuſmodi actus ſufficienter ellicerentur, hac enim ratione, ad motus membrorum exteriorum exercendos non ponitur in eis virtus ſpecialis, quia motus illi neceſſario ſequuntur ex efficacia motus interioris, ſcilicet imperij, & ſimiliter hac dẽ cauſa ad actus gaudij, vel fruitionis non ponitur ſpecialis virtus à charitate diſtincta, quia gaudiũ, & fruitio neceſſariò conſequũtur ad actũ primariũ charitatis: ergo idẽ dicendũ eſt in noſtro caſu. Confirmatur ſecundo, nam pro ſingulis actibus neceſſarijs ad perfectionẽ ſpeculatiuam, & practicã fidei dantur dona Spiritus Sancti, teſte D. Tho. 2. 2. q. 8. art. 6. ſed non datur aliquod donum ad perficiendum actum imperij: ergo ſignum eſt talem actum non pertinere ad perfectionem intellectus practici in ordine ſupernaturali, ac proinde neque in ordine naturali; minor patet diſcurrendo per ſingula dona ab Iſaia cap. 7. annumerata. Confirmatur tertio, vel imperiũ huiuſmodi eſt actus liber, vel neceſſarius, ſi liber: ergo ſupponit in voluntate aliquẽ actum liberũ; quia voluntas eſt formaliter libera, à qua actus intellectus participant libertatẽ. Si neceſſarius: ergo tollit libertatẽ; quia omnis ſuppoſitio efficax, & neceſſaria tollit libertatẽ, quod eſt incõueniens. Cõfirmatur quarto, quia extra intellectũ poteſt reperiri operatio ordinatiua vnius ad alterũ: ergo nulla eſt ratio cõſtituendi imperiũ in intellectu: antecedens probatur, quia cogitatiua habet ordinare, & cõferre vnũ cũ altero vnde teſte Caiet. 2. 2. q. 47. art. 3. participat quẽdã actũ prudentiæ, qui in ordinatione conſiſtit, voluntas etiã ordinat media ad finẽ: ergo. Ad hoc argumentũ quadruplex eſt modus dicẽdi: primus aſſerit, quod imperiũ pertinet, ad ſecundã operationẽ, quæ eſt cõpoſitio, quia teſte D. Th. vbi ſupra, eſt quędã motio per modũ intimationis enũciatiuæ, & quia eſt cõcluſio per ſilogiſmũ practicũ deducta, ex lege veluti ex principio, vt docet D. Th. q. 5. de veritate art. 1. ad 6. ita videtur ſentire Medina q. 17. art. 1. ad 1. & ad 2. dicẽs imperiũ potẽtiæ reduci ad iudiciũ, id eſt ad propoſitionẽ iudicatiuã, vel ad diſcurſum, vt cõcluſionẽ illius. Secũdus modus dicẽdi eſt, quod intellectus practicus habet alios actus præter illos tres, qui pro ſolo intellectu ſpeculatiuo recẽſentur, cuiuſmodi ſunt, oratio, promiſsio, & imperiũ, ita Soto vbi ſupra in ſolutione ad primũ, quod probat hac ratione, quia ſecũda operatio, ad quã videtur reduci imperiũ, ſignificat verũ, vel falſum per modũ indicatiui: at imperiũ, v.g. hic actus *fac hoc* neq; verũ, aut falſum ſignificat, neq; per modũ indicatiui, ſed per modũ imperatiui enũciat. Tertius modus aſſerit quod imperiũ formaliter nulla ex illis operationibus eſt, tamẽ eſt quid cõſtitutũ ex ſecũda operatione, iſte modus colligitur ex D. Th. 1. 2. q. 90. a. 1. ad 2. aſſerente, quod licet intellectus tantũ habeat illas tres operationes, poteſt tamẽ habere aliquid per illas, aut ex illis cõſtitutũ, & ſic lex, prouidẽtia, & imperiũ cõſiſtunt in quibuſdã rationibus ordinãdi per illas operationes cõſtitutas. Poteſt etiã quarto dici ſatis probabiliter, quod pertinet, ad primã operationem, ad illam enim docuimus ſupra pertinere omnes orationes imperfectas, illas ſcilicet, quæ verũ vel falſum nõ ſignificãt, & quia omnes illi dicẽdi modi probabiles ſunt, iuxta illos dicẽdũ eſt ad argumẽtũ: mihi tamẽ, ſecũdus & quart⁹ magis probãtur. Ad primã confirmationẽ nego maiorẽ, ad primũ inconueniens Bellarm. Suarez, & alij qui negat actum imperij circa propriæ volũtatis actus imperantis ea potiſsime ratione ducũtur, quia tollat libertatẽ. Sed dicendũ eſt dupliciter primo cũ Capreolo in 3. diſt. 36. q. 1. ad argumẽta Scoti contra 1. & Med. 1. 2. q. 9. a. 1. & q. 17. a. 3. quod licet inferat actũ imperatũ neceſſario exſuppoſitione, vel in ſenſu cõpoſito, neceſsitas tamẽ ex ſuppoſitione, aut ſenſu cõpoſito nõ tollit libertatem ad merẽdũ requiſitã, vt patet in determinatione auxilij efficacis, quæ neceſsitat ex ſuppoſitione voluntatẽ abſque leſione libertatis. Vnde Ariſt. lib. 1. Politicorum ait, quod ratio regaliter imperat appetitui, ideſt ſuauiter ſeruando illæſum proprium modum operan-

operandi, & eodem tendit solutio M. Soto lib. 1. citato, quæst. 1. art. 1. ad 2. Secundo potest dici, quod imperium est duplex, aliud inefficax, & imperfectum, quod non determinat voluntatem: sed relinquit illam indifferentem pendulam adhuc, & fluctuãtem, alterum vero est perfectum, absolutum, & efficax, primum quidem non determinat voluntatem, neque infallibiliter infert actum imperatum. Vnde de hoc imperio intelligendus est D. Thom. quando in 1. 2. q. 16. art. 3. & art. 4. ad secundum, asserit potentiæ dari imperium, ad quod actus non sequatur statim in voluntate, quia illi potest resistere voluntas propter eius inefficaciam, & imperfectionẽ. Secundum vero infallibiliter infert actũ imperatum, sed libere iuxta naturam ipsius voluntatis liberæ, quoniam solus intellectus imperat, vt fiat actus, sed vt fiat libere iuxta naturam voluntatis, & ideo ad eius efficaciam pertinet vt electio libere sequatur. Ad secundam nego minorem: nam pro actu imperij datur donum consilij, vt dicit D. Thom. 2. 2. q. 52. art. 2. ad primum. Dicitur autem hoc donum potius consilij, quam imperij, quia dona dantur ad actus in quibus anima mouetur ab Spiritu Sancto, & veluti se habet vt mota, licet actiue illos eliciat, & hæc passiua motio magis significatur per consilium, quam per præceptum eo, quod consilium significat motionem mentis ab externo consiliante, præceptum autem seu præcipere significat idem quod mouere alium. Ad tertiam respondetur præceptum esse actum liberum, quia est ab intellectu moto à voluntate, & quod præcedit electio in ratione electionis, vt iam dictũ est vnde suppositio illius non tollit libertatem licet efficax sit. Ad quartam distinguo antecedens, potest reperiri ordinatio extra intellectum per participationem ab intellectu concedo, perse primo, nego: quia igitur intellectus essentialiter & per essentiam habet ordinare, ideo est potentia capax habendi imperium; voluntas vero ordinat per quãdam participationem ab intellectu & exequutiue vt supra docuimus, idest ordinate volendo ea quæ proponuntur ordinata ab intellectu, similiter propter participationem quandam rationis potest cogitatiua ordinare sicut & discurrere, sed solius intellectus est imperare, quia est illius potentiæ solius quæ est ordinatiua per essentiam: hæc enim est quæ ordinat statuendo ordinem rebus cuius actus esse potest ratio formalis ordinandi cuiusmodi est actus promissionis, de precationis & imperij.

QVÆSTIO II.

De ente per accidens & eius causis in tres Articulos diuisa.

DE ente per accidẽs pergit agere Philosophus à cap. 2. vt illud è considerationc scientifica repellat, magisque naturam, & excellentiam entis perse, circa cuius scientificam cognitionem Methaphisica tota versatur, explicatam, ac cõmendatam relinquat; vtque nos in hoc puncto Philosophi mentem declaremus, neotericumque Methaphisicæ auditorẽ sufficienter de entibus per accidens instruamus, hanc quæstionem secũdã instituimus in tres articulos diuisam iuxta tria scitu digniora, quæ hîc à Philosopho insinuantur, & Methaphisicis, tum Medicinæ, tũ Theologiæ Scholas obeũtibus apprime necessaria, hoc est an de ente per accidens possit haberi scientifica cognitio, & quas causas habeat, atque inter istas causas an debeat fatum siue fortuna annumerari? quorum singula singulis articulis iam pergamus explanare.

ARTICVLVS I.

An de ente per accidens scientifica cognitio ab humano intellectu haberi queat.

Status quæstionis.

1 IN hoc articulo opere preciũ duxi terminos tituli declarare, vt ex eorũ declaratione dicẽdorũ via aperiatur, & tãdẽ veritas patefiat. Nomine igitur entis per accidẽs, ait Fõseca q. 1. sect. 2. sumi hîc à Philosopho aggregatũ ex duobus, quorũ alterũ de altero ita dicitur, vt neque alterum alteri perse cõueniat, neque vtrũque eidẽ tertio, *vt homo albus*, siue albũ musicũ, quã acceptionẽ entis per accidẽs strictiorẽ esse ait illa, quã lib. 2. c. 7. docuerat, vbi entia per accidẽs appellauerat illa aggregata, quæ non erant vnius naturæ seperatim, ex quo fiebat, vt hæc aggregata, *animal bimbile*, *homo disciplinabilis*, essent eo loco entia per accidens, quæ tamen hoc loco non censenda sunt entia per accidens, sed perse, quia vel alterum ex coniunctis dicitur perse de altero, vel vtrũque de eodem tertio. Sed aliter dicendum est cum Flandrensi q. 8. art. 1. §. *considerandum est secũdo*, quod ens per accidẽs, prout hîc accipitur à Philosopho, & de quo cẽset fore à scientifica cognitione, excludẽdũ, esset illud, quod ex equo includit naturas diuersorũ generũ, siue subalternorũ, siue generalissimorũ vt *album dulce*, & *homo albus*, & hanc esse primam acceptionem entis

per accidens hic ab Ariſtotele vſurpatam: probat primo, quia huiuſmodi aggregatum eſt condiſtinctum ab ente perſe, ideſt, vnius generis, Philoſophus autem loquitur de ente per accidens, prout condiſtinguitur ab ente perſe. Secũdo, quia Philoſophus loquitur de illo ente per accidens, quod ait tripliciter cõtingere, ſcilicet vno modo quando accidens prædicatur de ſubiecto, & ſecũdo modo quãdo ſubiectum prædicatur de accidente, & tertio quando accidens de alio accidente prædicatur: ſed hæc tria genera prædicationum ſolum ex illo ente per accidens quod concernit naturas diuerſorum generum poſſunt effici, & per hæc illius latitudo, & multiplicitas explicatur, & exhauritur. Tertio, nam hoc aggregatum, *homo riſibilis*, aut hoc, *animal hinibile*, prout ex æquo important naturas diuerſorũ generum, ſcilicet ſubſtãtiæ, & qualitatis ſunt entia per accidens, de quibus negat eſſe ſcientiã, & tamen non comprehenduntur ſub ente per accidens diffinito à Fonſeca hic, vt ipſe fatetur: ergo ſtandum eſt huic Flandrenſis acceptioni, idemque argumentum fit de his aggregatis, *humanitas, riſibilitas, animalitas hinibilitas*, quæ ſunt entia omnino per accidens, & tamen primum conuenit perſe vni tertio ſcilicet homini, & ſecundum conuenit equo. Secunda acceptio entis per accidens, prout hic excluditur à ſcientifica cognitione, eſt illius entis, quod non habet cauſam perſe, ad quam perſe ſequatur, quo pacto effectus caſuales, & fortuiti entia per accidens nuncupãtur, & hanc acceptionem merito admittit Fõſeca, ſed cum huiuſmodi effectus poſsint comparari ad cauſas vniuerſales, ad quas dicunt neceſſariam habitudinem, reſpectu quarum ſunt effectus perſe, & ad cauſas veras, ſiue fictas particulares, reſpectu quarum ſunt caſuales, & fortuiti, quia aut nullatenus, aut non perſe cauſantur: nomine entis per accidens, in hac ſecunda acceptione ſolum intelligitur effectus huiuſmodi comparatus cum illa cauſa particulari, ad quam non dicit habitudinem effectus perſe, vt inuentio Theſauri reſpectu fodientis, & caſus fulminis ineuntem ad vineam excolendam collatum cum matutino illius exitu è domo ſua. Rurſus nomine ſcientificæ cognitionis accipimus illã, quæ adeo certa, & ex principijs certis elicita eſt per demonſtrationem, vt omnem excludat dubietatem, atque formidinem: nam formidoloſam, atque coniecturalem cognitionem non eſt inconueniens ab humano intellectu haberi de entibus per accidens præſentibus, ſiue futuris, quatenus poteſt noſter intellectus, aut futuros effectus contingentes, & per accidens, ex aliquibus cauſis coniecturari, aut effectus iam præſentes ad cauſas per accidens incertas, & non neceſſarias probabiliter reducere. De certa iraque atque infalibili cognitione eſt ſermo, ſiue illa ſit euidens, vt cognitio ſcientiæ naturalis, ſiue obſcuritati obnoxia, vt eſt cognitio Theologiæ noſtræ pro hoc ſtatu, & tantum de cognitione certa humani intellectus eſt quæſtio, quia de illa tantum fecit Philoſophus ſermonem, & quia de efficatia diuini, aut Angelici intellectus in entibus per accidens, & contingentibus cognoſcendis, negotium Theologicum eſt, â quo Methaphiſico eſt abſtinendum, ne in alienam meſſem falcem mittat, & materias â ſuis proprijs locis extrahere, à meo ingenio valde alienum ſemper fuit, & in hoc opere ſummopere vitare hoc vitium curaui, & conabor, licet obiter aliqua dicam ad noſtri inſtituti cognitionem magis neceſſaria. Vnde ſenſus tituli articuli eſt. An humanus intellectus poſsit habere certam, & infallibilem cognitionem de ente per accidens, quod eſt aggregatum ex naturis diuerſorum generum, aut eſt effectus caſualis, vt caſualis eſt. His ſuppoſitis duæ verſantur ſententiæ oppoſitæ in hoc articulo. Prima eſt Fonſecæ loco citato aſſerentis de ente per accidens primo modo ſumpto poſſe, & de facto haberi ſcientificam cognitionem, non tamen ex eadem ſcientia, ſed ex pluribus comparatam, de ente autem per accidens, ſecundo modo, ideſt, pro eo, quod caſuale, poſſe haberi ſcientificam cognitionẽ ab eadem ſcientia ortã ſecundum quid, ideſt, quoad priuationem ipſam, & declinationem ab ente perſe: ſecus vero quoad res ipſas, quod eſt ſimpliciter, de illo ſciẽtiam haberi non poſſe, quam ſententiam his verbis explicat. *De entibus per accidens quatenus ſuo modo ſunt entia, & prima operatione intellectus apprehenduntur, poſſe haberi ſcientiam compoſitam, vt de ſubiectis, eãque tunc diffinitiuã, tum demonſtratiuã aliquarum paſsionũ: at quatenus ſunt effecta per accidens, & ſecũda operatione intellectus, vt enunciabilia quædam ſumuntur, non poſſe de illis haberi ſcientiam, vt de obiectis demonſtrabilibus, niſi quodammodo nempe quatenus de illis demonſtrari non poſsunt*, hæc ille ſectione ſecunda, §. *poteſt etiam vis*. Secunda ſententia huic oppoſita quoad primum dictum aſſerit, nullatenus de ente per accidens etiam primo modo ſumpto poſſe haberi ſcientificam, aut diffinitiuã cognitionem, niſi quoad hoc, quod indemonſtrabile ſit, & deficiens ab vnitate, & perfecta te entis ſcibilis. Hæc eſt plane ſententia Philoſophi hic, qui abſolute negat de ente per accidens poſſe haberi ſcientiam, & D. Tho. lectione 2. quo. Frãdẽſis q. 8. art. 1. & alij Thomiſtæ Methaphiſici ſequũtur in huius loci cõmmentario.

Opinio Fõſecæ.

2 Reſ-

Sententia Authoris.

2 Reſpondeo dicendum, primo de ente per accidens in prima acceptione nullatenus ſcientifica, aut diffinitiua cognitio haberi poteſt. Probatur primo duplici ratione Philoſophi, quarum altera à poſteriori, altera vero à priori procedit, à poſteriori quidem, nã omnis ſcientia, aut ſpeculatiua, aut practica eſt: ſed neque ſpeculatiua conſiderat de entibus per accidens, geometria enim non ſpeculatur, quæ accidere poſunt figuris: ſed ſolum conſiderat earum accidentia perſe. Neque practica conſiderat de accidentibus, quæ per accidens inſunt rei factæ, ſicut domificatoria ars non conſiderat ea, quæ per accidens conueniunt domui, cum illi infinita accidere poſſint: ergo. A priori autem ſic, nam ſcientia cõſiderat de eo, quod eſt ens ſecundum rem (ſit namque ſermo de ſcientijs realibus, quæ circa realia entia verſantur:) ſed ens per accidẽs ſolo nomine eſt ens, & non ſecundum rem: ergo de illo non eſt ſcientia. Maior probatur à Philoſopho, quia vnumquodque eſt ſcibile, in quantum eſt ens, & minorem probat, quia vnumquodque eſt ens, in quantum eſt vnum: ſed ens per accidens in prima acceptione nõ eſt vnũ niſi ſolo nomine: ex duobus enim, quorum vnũ accidit alteri, non fit vnũ niſi ſecundum nomen, ideſt, prout vnum de alio prædicatur, vt cum dicitur *muſicum eſſe album*, in qua prædicatione non ſignificatur fieri vnum aliquod ex muſica, & albedine, ſed vtramque eidem conuenire, quod eſt eſſe vnum nomine tenus. Rurſus probat Philoſophus minorem eandem, quia eorum, quæ ſunt entia eſt generatio, & corruptio: ſed ens per accidens, neque vna generatione fit, neque vna corruptione corrumpitur, alia enim eſt generatio, & corruptio albi à generatione, & corruptione muſici: ergo. Secundo probatur, nam principium cognoſcendi ſcientifice paſsiones in ſcientijs humanis eſt eſſentia, cum qua paſsiones habent neceſſariam connexionem: ſed ens per accidens, vt hic ſumitur nullius eſt eſſentiæ, ex qua paſsiones certæ dimanent: ergo nulla de eo, aut de eius paſsionibus poteſt haberi ſcientifica cognitio. Maior patet ex differentia, quæ verſatur inter ſcientias humanas, & ſupernaturales, quia principium cognoſcendi in ſcientia diuina, vel ſupernaturali eſt libera determinatio diuinæ voluntatis, & quia hæc eſt cauſa ſufficiens, & infallibilis effectuum contingentiũ, caſualium, & liberorum, atque ſingularium, ideo ſcientia ſupernaturalis poteſt agere de contingentibus, præteritis, præſentibus, ſiue futuris, atque de ſingularibus: principiũ autẽ cognoſcendi in ſcientijs humanis eſt eſſentia ſiue diffinitio, quæ eſt medium in demonſtratione, & quia hæc ſolum habet neceſſariam connexionem ſecundum propria eſſentialia cum paſsionibus perſe ei conuenientibus, & non cum accidentibus libere, vel contingenter ei ſuperuenientibus, ideo ſcientiæ humanæ per eſſentias obiectorum ſolunt poſſunt cognoſcere paſsiones habentes cum eis neceſſariam connexionem, & eadem ratione ne queunt agere de ſingularibus. Minor vero quod ens per accidens, neque vnius eſſentiæ, neque vnius diffinitionis ſit, patet, quia non habet vnitatem, & claudit ex æquo naturas diuerſorum generum, & eiſdem rationibus patet, quod de illo, vt de ſubiecto apprehenſo, nequeat haberi diffinitiua cognitio, quia vnumquodque eſt diffinibile in quantũ ens, & vnum, atque vnius eſſentiæ. Tertio probatur, nam de hoc ente per accidens *muſicum album*, vel de hoc *homo albus*, habetur diffinitio vnica vnico genere, & differentia terminata, aut duplex, altera hominis, & altera albi, & ſimiliter cognitio ſcientifica huius complexæ paſsionis, *riſibile diſgregatiuum viſus*, quæ de illo poteſt demonſtrari, aut eſt vna, aut duplex, neutrũ poteſt dici, nõ primũ, vt fatetur prædictus Author, non ſecundum, nam tunc iam non diffinitur, neque ſcitur ens per accidens, vt ſic: ſed partes illius ſunt, quæ diffiniũtur, & ſciuntur, illæ autem ſunt duo entia per ſe, ſcilicet *homo*, & *albedo*, *riſibile*, & *diſgregatiuũ viſus*, nullatenus igitur entis per accidẽs, vt tale eſt formaliter conſtitutum abente perſe datur ſcientia aut diffinitio.

3 Dico ſecundo de ente per accidens in ſecunda acceptione, prout eſt effectus caſualis, nequit dari ſcientifica cognitio. Hęc probatur à Philoſopho, primo eodem argumento à poſteriori, quo vſus eſt pro prima concluſione. Secundo, quia effectus caſualis, vt ſic, non dãtur cauſæ certæ, & determinatæ ſecũdum ſe, aut quoad nos: ſed ſcientifica cognitio haberi debet per demonſtrationem, cuius principia ſunt cauſæ, vel ſaltim quoad nos priores, ac notiores, quia omnis demonſtratio ex certis, notioribus, & verioribus debet procedere. Tertio, quia nihil demonſtratur, aut ſcitur, niſi quod oſtenditur ſemper, aut in plurimum euenire, vt *homines eſſe riſibiles*, & *in omni vere eße tonitrua*, quorum primum ſemper; ſecũdum vero vt in plurimum ita contingit: ſed effectus per accidens, & caſuales, neque ſemper, neque vt in plurimum, ſed raro contingunt: ergo de illis nequit eſſe ſcientia. Maior patet, quia ſcientia eſt de neceſſarijs, & de his, quæ aliter euenire non poſſunt, quæ neceſſitas ſolum in illis, quæ ſemper, aut in plurimũ conueniunt ſubiecto demonſtrationis, poteſt inueniri. Dico tertio de ente per accidens in

vtraque acceptione ſumpto poteſt dari ſcientia ſecundum quid, ideſt, quoad aliquas rationes communes, & quoad eius defectum, & accidentalitatem. Hæc eſt concluſio expreſſa Doctoris Angelici hic lectione ſecunda: quã nullus hucuſque negauit. Explicaturque primo à D. Thom. exemplo infiniti, nam ſicut infinitum, quod de ſe non eſt ſcibile, poteſt tamen ſciri à nobis quoad eius infinitatem, quæ eſt negatio finitatis, de qua negatione poſſumus aliqua demonſtrare, vt quod eſt quid rationis, quod eius ſubſtractum eſt impoſsibile, fieri à Deo, quo pacto, D. Thom. 1. p. q. 7. demonſtrat infinitum ſecundum quantitatem non poſſe fieri à Deo, ita ens per accidens poteſt ſciri quoad eius defectum, & declinationẽ ab ente perſe, de illoque poſſumus demõſtrare aliquas paſsiones negatiuas, videlicet quod non habeat vnitatem, quod non ſit diffinibile, quod non habeat cauſas certas, quod non ſit ens perſe, &c. Secundo probatur concluſio, nam effectus caſuales ſiue per accidẽs euenire raro, & ex eo quod cauſæ aliquando ſe impediant eſt prædicatum quoddam demonſtrabile de ente per accidens, ſimiliter ens per accidens eſſe vnum ſecundum quid, & multa ſimpliciter, eſt prædicatum demonſtrabile de ente per accidens, & à nobis demõſtratum eſt in prima concluſione ex eo, quod claudit naturas plurium generum: ergo aliqua de illo poſſunt ſciri: ſed quoniã hæc, aut communia, aut negatiua ſunt, non obſtant, quo minus ipſum ens per accidens in ſe, & directe incapax ſit terminandi diffinitiuam, atque ſcientificam cognitionem. Sicut quod de chimera demonſtretur eſſe fictam, eſſe impoſsibilem, & monſtruum quoddam implicans contradictionem, non tollit quo minus de ipſa directe, & ſecundum ſe nequeat dari ſcientia; quinimo ex eo conuincitur de ea non poſſe dari ſcientiam, quia hæc de illa demonſtrãtur, quia ſcientiæ circa vera entia, poſsibilia, & neceſſaria debent verſari. Sed contra arguitur: omne quod eſt, aliqua certa cognitione cognoſci poteſt, quia omne ens dum eſt, neceſſario eſt; ſed ens per accidens eſt in rerum natura vt *homo albus*, &c. Ergo de illo poteſt haberi certa notitia euidens, ac per conſequens, aut ſcientifica, aut diffinitiua. Confirmatur primo: nam multa ſunt entia per accidens ex diuerſorum generum naturis aggregata, de quibus dantur ſcientiæ: ergo. Antecedens probatur inductiue, *nam linea viſualis*, & *numerus ſonorus*, ſunt entia per accidens, & tamen de illis dantur ſcientiæ ſubalternatæ, ſcilicet perſpectiua, & muſica. Rurſus Chriſtus eſt ens per accidens, *ſcilicet Deus homo*, & de illo datur Theologia, obiectum enim tractatus de Incarnatione eſt Ieſus Chriſtus compoſitus ex diuinitate, & humanitate, vt inſinuant D. Thom. & Caietanus in prologo tertiæ partis: ergo. Cõfirmatur ſecundo, de quocumque poteſt eſſe demonſtratio de eodem poteſt eſſe ſcientia: ſed de ente per accidens poteſt eſſe demonſtratio: ergo & ſcientia. Minor patet, quia de illo demonſtrat Philoſophus hic, quod non eſt vnum, quod de eo nõ eſt ſcientia, atque quod de eo nequit eſſe demonſtratio. Dices quod demonſtrare de eo, quod non datur demonſtratio de illo, eſt dari ſcientiam de illo ſecundũ quid, & quoad communia, & negatiua prædicata, vt docuimus in tertia concluſione. Sed contra arguitur, nam actus qui natus eſt habere ſuum oppoſitum ſimpliciter, ſi denotetur tranſire ſuper illud oppoſitum, per hoc minuitur: ſed ſcire natum eſt habere pro obiecto ſimpliciter hoc, quod eſt ens per accidens non ſcire, ſicut & quodcumque aliud, quia intellectus eſt reflexiuus: ergo poteſt habere quemcunque actũ pro obiecto ſimpliciter, ac proinde poteſt cadere ſub hoc, quod eſt ens per accidens ſciri. Confirmatur tertio, nã id, quod vere, ac proprie in omni demõſtratione, & per eã ſcitur, eſt ens per accidẽs, vt demõſtratur *hominem eſſe viſibilem*, *corpus eſſe mobile*, & ſimilia: ergo enti per accidens non repugnat ſciri, aut demõſtrari. Antecedens patet, quia illa ſunt compoſita ex naturis diuerſorum generum, ac per conſequens ſunt entia per accidens. Ad hoc argumentum reſpondetur, diſtinguendo maiorem de ente, quod eſt vnum, & perſe, ac de ente, quod eſt expers vnitatis, illud quidem fateor poſſe certam cognitionem diffinitiuam, aut ſcientificam terminare, ſecus vero iſtud, quod ſolo nomine eſt ens, & ſecundum rem ſunt plura entia aggregata. Ad primam confirmationem nego antecedens. Ad primam probationem, quod obiecta illarum ſcientiarum, quas ſubalternatas nuncupamus, non ſunt entia per accidẽs, quia non ſunt hæc complexa *linea viſualis*, *numerus ſonorus*, vt ex quo diuerſas has naturas important, vt ſic enim nullas ſcientias poſſunt terminare, ſed ſunt viſualitas in concreto, & ſonoreitas, vel linea ſub ratione viſualis, & numerus ſub ratione ſonori, quæ vt ſic ſunt entia perſe, eo, quod important diuerſas naturas ordine quodam, vnam quidem de materiali, & alteram de formali, quo pacto album, quantum, & quale entia perſe ſunt, vt ſic ſignificata, quia tamen nominibus incomplexis caremus ad ſignificandum obiecta muſicæ, & perſpectiuæ, circunloquimur illa his nominibus complexis *linea viſualis*, & *numerus ſonorus*, in quo deceptus eſt Fõſeca, vbi ſupra exiſtimans

ſtimans obiecta illarum ſcientiarum eſſe aggregata ex linea, & viſualitate, atque ex numero, & ſonoreitate; ideo ad diuerſas ſcientias vnumquodque eorum pertinere, ſed reuera vnumquodque illorum eſt ens perſe circumloquitiue complexe explicatum, & ad vnam tantum ſcientiam pertinet vt eius obiectū, quæ tamen principijs demōſtratis in alia, vtitur ad demonſtrandas ſuas concluſiones. Ad ſecundam probationem reſpondetur negādo maiorem, nam vbi diuerſæ naturæ habēt idem eſſe, ſicut in Chriſto, nō fit ens per accidens. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur iuxta ſolutionem ibi aſsignatam. Ad replicam dicendum eſt, quod quando actus intellectus tranſit ad ſuum oppoſitum, quod habet quidditatem, & vnitatem, tunc vera eſt maior, ſecus vero quando eius oppoſitum eſt expers vnitatis, atque quidditatis, vt in ente per accidens contingit. Poteſt etiam dici ſecundo quod concludit tertiam concluſionē, ſcilicet quod actus ſcientiæ poteſt cadere ſupra ens per accidens ſibi oppoſitum quoad eius defectum, & carētiam perfeitatis, & alia ſimilia attributa negatiua demonſtranda, nō vero quoad demonſtrandum rem ſubſtractā, quæ eſt accidentalis coniunctio. In quo ſenſu eſt verum hic illud axioma lib. 1. Priorū, quod oppoſitorum eſt eadem ſcientia, ac diſciplina, nam ſcientia, quæ attingit ens perſe directe, & quoad rem ſubſtractam perfeitati, attingit etiam ens per accidens illi oppoſitū, indirecte, & ſecundum quid quoad defectū, & non quoad rem ſubſtractam defectui perfeitatis. Ad tertiam reſpondetur negando antecedens, nam quando Philoſophia demonſtrat de homine, quod ſit riſibilis, v. g. non demonſtrat totum hoc complexum, *hominem eſſe riſibilem*, neque terminatur ex æquo ad hominem, & riſibilitatem, neque enim homo riſibilis vt ſic habet aliquam cauſam ſui perſe, quia nulla cauſa cauſat ex æquo hominem, & riſibile: ſed perſe, primo hominem, & ſecundo riſibile ordine quoddam demonſtrat, itaque vt de ſubiecto de homine riſibilitatem in concreto, vt id, quod demonſtratur. Vnde obiectum ſcientiæ eſt ens perſe, quia eſt homo, v. g. ſimiliter id, quod demonſtratur, eſt ens perſe, quia eſt riſibilitas, & etiam totum hoc enūciabile *hominem eſſe riſibilem*, vt attingitur à ſcientia, eſt ens perſe, quia importat vt ſic dumtaxat connexionem riſibilitatis cū homine, quæ connexio eſt perſe.

ARTICVLVS II.

An ens per accidens in prædictis acceptionibus ſumptum habeat aliquas per ſe cauſas ſui?

Opinio Auicena & Ciceronis.

4 IN hoc articulo de ente per accidens in vtraque acceptione pariter eſt nobis diſputandum, atque quæſtioni ſatisfaciendum, haudque facili negotio, cum res difficillima ſit, magnamque ingerens peritioribus Theologis difficultatem. Tres igitur verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia veluti media. Primam affirmantem, & tribuentem abſolute effectibus, tum per accidens in eſſe naturæ, tum caſualibus, & fortuitis, cauſam perſe ſequuti fuere Auicena Metaph. lib. 10. cap. 1. & Cicero lib. 2. de diuinatione, exiſtimantes omnium effectuum dari cauſas perſe, & quia ad cauſam perſe ſequitur neceſſario effectus, inferebant omnes effectus neceſſario euenire abſque vlla caſualitate, ac contingentia, ad horum ſententiam poteſt reduci ſentētia Democriti, & aliorum Philoſophorum, quos refert & refutat Ariſtoteles lib. 2. Phiſicorum textu 44. aſſerentium fortunā eſſe cauſam perſe omnium effectuum huius vniuerſi, ac proinde omnes à caſu, & fortuito euenire, quia licet iſtæ duæ ſententiæ pugnent interſe quoad fortunæ poſitionem, conueniunt tamen in hoc, quod ambæ tribuunt effectibus per accidens aliquam cauſam perſe, illa quidem neceſſariam, & infallibilem auferentem ab omnibus effectibus contingentiam, hæc vero caſualem, & fortuitam poſcentem in omnibus contingentiam. Secunda ſententia aſſerit effectus per accidens poſſe, ac debere ad cauſas perſe, non quidem vnas, ſed ad plures cauſas cœleſtes, quarum quælibet ſuū effectum perſe producit, & vtraque totum effectum per accidens, v. g. huius effectus, quod eſt exicatio herbæ prati, datur cauſa cœleſtis in Marte, & huius quod eſt caſus fulguris, datur cauſa in Ioue: vtriuſque autem ſimul, ſcilicet fulgure combuſtam fuiſſe herbam exſiccatam, datur cauſa cœleſtis, ſcilicet aſpectus atque concurſus Iouis, & Martis. Hanc ſentētiam ſequuntur Aſtrologi quam plurimi, quorum Principes ſunt Ptolomeus, Albumazar, & Halij Abengazel, Arabes, hos tanquam duces ſequuntur ex Neotericis Leouicius Iuntinus, Ioannes Stalius, & alij, qui ex aſtrorum ſolo concurſu, ac poſsitione futuros effectus contingentes, ac per accidens audent pronoſticari, quaſi omnes huiuſmodi effectus per accidens, ſiue à libero arbitrio, ſiue à ſolis cauſis corporeis, & naturalibus dependentes habeant cum cauſarum cœleſtium concurſu connexionem neceſſariam. Ex quo principio inferunt duo colloraria, alterum eſt veram dari

de huiuſmodi effectuũ per accidens pronoſti catione ſcientiam veræ Aſtrologiæ: alterum poſſe futuros huiuſmodi effectus, antequam fiant, ab intellectu creato, ſiue humano, ſiue Angelico certo ſciri, atque prædici, quia poteſt creatus (ne dum diuinus) intellectus omnium cauſarum concurſus, cum quibus tales effectus habent neceſſariam connexionem, penetrare. His ex parte ſubſcribunt aliqui ex catholicis, nempe Bañes 1. p. q. 57. art. 3. dubio vnico, §. *nobis tamen neque*, & q. 115. art. 6. §. *hactenus ex Caietano*, Vazquez in eadem 1. p. diſp. 207. cap. 2. & 3. Molina, q. 57. art. 3. & Durandus in 2. diſtinct. 7. q. 3. & diſt. 3. q. 7. ac Nouiſsime Fonſeca vbi ſupra q. 1. ſect. 2. & q. 3. ſect. 1. dum aſſerit huiuſmodi effectus poſſe terminare certam cognitionem, ac ſcientificam, ac proinde habere aliquas cauſas perſe. Dixi hos Authores ex parte ſolum ſubſcribere prædictis Aſtrologis, quia iſti nõ negant effectus liberos quouis modo à libero arbitrio dependentes nõ habere cauſam perſe in cœleſtibus corporibus, ac per conſequẽs ſubter fugere certam omnis intellectus creati cognitionẽ, antequam fiant, ſed ſolum affirmant effectus naturales à ſolis cauſis naturalibus dependentes, in quibus nullatenus cauſa libera admiſcetur, aut libera eius aplicatio habere cauſam per ſe in cœleſtibus corporibus naturalem, ac proinde poſſe talem effectum, etiam antequam fiat, certo præcognoſci ab intellectu creato, ſiue humano, ſiue Angelico, qui talem cauſam, & eius habitudinem ad effectum comprehenderit. Et quoad hãc partem ſubſcribunt iſti Authores Aſtrologis recenſitis. Vnde eorum ſententia, & ſi falſa nobis videtur, non tamen temeraria, ſuperſticioſa, fidei, ac religioni contraria, ſicut ſentẽtia Aſtrologorum cenſetur. Et hæc ſententia præſertim ſic à Catholicis modificata, eſt media inter primam & tertiam, quæ prorſus negat entia per accidens habere cauſam perſe, ex qua à creato intellectu, antequam fiant, poſſint pronoſticari, aut certo præſciri. Hæc eſt proculdubio ſententia Angelici Doctoris 1. p. quæſt. 115. art. 6. & 3. cõtra gentes cap. 85. & 86. & lib. 1. Perhiarmenias lectione 14. atque in hoc lib. 6. lectione 3. quem ſequuntur Caietanus, & Ferrarienſis in locis citatis ex 1. p. & 3. contra gentes. Flandrenſis hic q. 10. art. 1. & 2. & Torre tom. 2. de religione, quæſt. 95. art. 5. in annotatione illius Articuli §. *hæc ratio*, eandem ſententiam ſequuntur illi Theologi, qui cum D. Tho. 1. p. quæſt. 57. art. 3. negant Angelum poſſe cognoſcere effectus per accidens, ſiue contingentes, ante quam fiant, etiam ſi à ſolis cauſis naturalibus eueniant, de quorum numero eſt Valẽtia ibidem diſp. 6. q. 8. puncto 3. quam ſententiam late proſequitur, & exornat D. Thom. 1. p. q. 86. art. 4. & 2. 2. quæſt. 95. art. 1. de veritate q. 8. art. 12. & de malo q. 16. art. 7. & primo contra gentes cap. 67. & 96. ſecundi contra gentes, & ibidem cap. 100. & tertio contra gentes cap. 154. quibus in locis videndus eſt Ferrara, & Caiet. pro eadem ſententia.

Vera ſententia D. Tho. & Authoris.

5 Sed pro veritatis declaratione notandum duxi primo quot ſint genera effectuum per accidens, vt eis explicatis de ſingulis veram proferam ſententiam, & D. Thom. conſentaneam. Duplex igitur eſt ens, ſiue effectus per accidens, aliud in eſſendo, quod licet includit entia plurium prædicamentorũ, aut generum, & hoc, vt docuimus, duplex eſt aliud claudens ex æquo, & ſine ordine plura entia diuerſa, vt *homo albus, acerbus lapidum*, & ſimilia, aliud vero claudens plura diuerſa per modũ vnius, & cum ordine quodam, vt *viſuale, album, &c.* Aliud rurſus ens per accidens dicitur in eueniendo, quod ſcilicet, licet ſit ens, & vnum, tamẽ per reſpectum ad cauſam euenit per accidens, & huiuſmodi ens, ſiue effectus per accidens eſt quoddam genus effectus contingentis, qui adhuc diuiditur in effectus per accidens in ordine ad cauſam liberã, & poteſt dici effectus per accidens moraliter, quatenus eſt præter intentionem agentis liberi, vt inuentio theſauri reſpectu fodientis terrã, & hîc eſt effectus fortuitus proprie loquendo, & in effectum per accidens, ideſt impedibilem à cauſa libera, vt quod domus cadat à labefactante illam, vel quod ciuitas capiatur ab inimicis illam obſidentibus, & hic proprie eſt effectus liber à cauſis liberis actiua paſſiuis applicantibus dependens, & in effectum contingentem pure naturalem, qui ſcilicet ex impedimento naturali, atque ſola naturalis cauſæ applicatione ſequitur, vt quod in hoc vere anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti decimi nulla ſint tonitrua, vel quod Agmidalus hoc anno menſe Martij non floruerit, quod contingit, vt in paucioribus, ac per conſequens, ex aliquo impedimento ſuperueniente, & cum hoc impedimento non apponatur ab aliquo homine, vel Angelo, ſed ex aliqua naturali cauſa talis effectus erit contingens, non moraliter, aut libere, ſed mere naturaliter. Deinde aduertendum eſt cum Caietano 1. p. quæſt. 22. art. 2. §. *in reſponſione ad primum*, huiuſmodi effectus, ſiue contingentes, ſiue fortuitos, ſiue caſuales reſpectu vnius cauſæ, poſſe ac debere reſpectu alterius eſſe perſe, & nullam caſualitatem, aut cõtingentiam, vel accidentalitatem habere, eo quod cõtingens, caſuale, & fortuitum ſunt relatiua, ſiue reſpectiua ſolum ſecundum dici, & prop-

& propterea non oportet, quod id, quod in ſe, & ſimpliciter eſt fortuitum, ſiue per accidens, ſit fortuitum, vel per accidens, reſpectu omnis agentis, hæc eſt enim differentia inter abſoluta, & reſpectiua, quod quando aliquid eſt in ſe, & ſimpliciter tale, ſecundum aliquod prædicatum abſolutum non deſinit eſſe, aut dici tale, ex comparatione ad quodcumque: quando vero eſt tale, ſecundum aliquod prædicatum reſpectiuum, ſolum habet tale prædicatum in ordine ad correlatiuum, ita vt oppoſitum prædicatum reſpectiuum in ordine ad aliud correlatiuum ſortiri poſſit, vt patet de albo, quod cum abſolute ſit albū, reſpectu autem alterius eſt ſimile, ad nigrum autem cōparatum eſt diſimile. Ex quo infert ægregie Caietanus, quod cum effectus contingentes ſint caſuales, & per accidens in ordine ad naturam, & intentionem creatam nō inconuenit, quod ſint per ſe intenti, & non fortuiti in ordine ad primam cauſam, & diuinam intentionem ita tamen quod ſecundum ſe, & abſolute ſumpti, ſimpliciter caſuales, & per accidens ſint, & dicantur, quia vnaquæq; res eſt, & iudicatur ſecundū proprias, & proximas cauſas: quo pacto Philoſopus in hoc ſexto iudicat effectus contingentes caſuales, & per accidens, nempe in ordine ad cauſas proximas, vel particulares, & ſicut effectus per accidens, vel caſualis reſpectu cauſæ ſecundæ eſt per ſe intentus reſpectu cauſæ primæ, & intentionis diuinæ, ita effectus cauſualis, ſiue per accidens reſpectu cauſæ ſecundæ particularis, poteſt eſſe per ſe intentus reſpectu cauſæ ſecundæ vniuerſalis. Ponit D. Th. exēplū ibi ad primū, & q. 116. art. 1. in cōcurſu duorum, qui licet reſpectu illorum ſit caſualis, eſt præuiſus, & per ſe intentus à Domino, eos ſcienter ad vnum locum mittente, ſic quod vnus de altero neſciat. His ſuppoſitis ſequentes ſtatuo concluſiones. Reſpondeo dicendum primo ens per accidens in eſſendo primo modo nullam habet cauſam per ſe, bene tamen, ſecundo modo. Hæc concluſio quoad primam partem probatur rationibus Ariſtotelis in hunc modum: primo quia omne ens habens cauſam per ſe eſt vnum, quia eſt vere ens, cum quo vnum conuertitur, ſed tale aggregatum per accidens non eſt vnum, vt probatum eſt: ergo non habet cauſam ſui. Secundo quia omne ens eſt ſcibile, ſeu certo cognoſcibile, ſed de tali ente dictum eſt nullam poſſe dari certam cognitionem, niſi tantum directe quoad ipſam perfectatis, & vnitatis negationem, & quoad defectum entis per ſe ergo. Quoad ſecundam partem probatur eiſdem rationibus ab oppoſito factis, quia tale ens, quod eſt concretum accidentale, eſt vnum, & eſt ſcibile: ergo eſt vnum ens per ſe, ac proinde habet cauſam per ſe.

6 Dico ſecundo aliqui effectus per accidens in eueniendo habent cauſam per ſe in Deo ſolo, & nullus illorum in quacumque ex illis tribus acceptionibus prænotatis, vt per accidens eſt habet cauſam per ſe. Prima pars huius concluſionis ſtatuitur aduerſus Auicenam, & ſequaces, qui primam ſententiam in eo ſenſu defendebant, vt omnibus effectibus per accidens aliquam cauſam per ſe, & neceſſariam aſſignarent. Et ſecunda militat aduerſus Democritum, & alios, qui effectibus per accidens, vt ſic ſub hac ratione, cauſam per ſe in fato, & fortuna conſtituebant. Probatur itaque prima pars: nam effectus contingentes, ſiue per accidens in tertia acceptione, qui ſunt effectus dependentes à cauſis pure naturalibus, poſſunt eſſe per accidens reſpectu omnis cauſæ creatæ, & præter intentionem illius: ergo iſti in ſolo Deo debent habere cauſam per ſe, antecedens probatur, quia cum omnis cauſa creata naturalis, & corporea, quantumuis vniuerſalis vt cœleſtis virtus, ſit limitata, & defectibilis, atque impedibilis ab alia, eoque eius efficacia, neque infinita, neque ſupra omnes aliàs cauſas eſt. Hinc fit, vt quando eius effectus, quem in plurimū efficit, impediatur, & fiat oppoſitum eius, ad quem ipſa inclinat, v. g. Saturni virtus eſt frigida, & ſicca, vt in plurimum cauſat ſiccitatem, & frigiditatem in his inferioribus poteſt impediri ab alia virtute, quæ cauſat calorem, & humiditatem, & virtus illa cœleſtis, quæ in vere influit, vt in plurimum tonitrua poteſt impediri ab alia cauſa, ac proinde per accidens euenire ſolet, vt in aliquo vere nulla ſint tonitrua: ergo. Cōfirmatur quinque rationibus, quibus Doctor Sanctus tertio contra gentes cap. 86. probat multos effectus naturales nullam habere cauſam per ſe in corporibus cœleſtibus, quorū ſumma hæc eſt, actio cuiuſlibet agentis corporei, & naturalis, vt effectū, ad quem inclinat, ſortiatur, indiget materia apta, & diſpoſita ſub certis diſpoſitionibus, quarum aliqua deficiente effectus impeditur, indiget etiam corpus cœleſte concurſu corporis inferioris, nedum vt ſubiecto recipiente, ſed etiam vt agente ſecundo ſubordinato, & veluti inſtrumento, in quo cœleſtis influxus recipi debet ad modum ipſius recipientis: ergo defectu debiti concurſus materiæ, vel inſtrumenti, vel agentis ſecundi ſubordinati poterit impediri effectus corporis ſuperioris, antecedens patet: nam corpus ſublinare ad cœleſte tripliciter comparatur, ſcilicet vt natura recipiens eius effectum, & vt agens ſecundum, & vt inſtrumen-

tum

tum motum ab illo, & modificans eius concursum, ex quo fit, vt effectus cœlestis corporis possit impediri, quia non est immediate ab illo, sed solū vt causa remota, & quia à pluribus dependet, quam à cœlesti corpore. Secunda pars conclusionis probatur rationibus Philosophi in hunc modum primo quia effectus per accidens, vt sic sub hac ratione formali, nō est vnum per se, quia vt recte arguit D. Thom. in illo art. 6. quæst. 116. omne, quod est de nouo, habet causas per se: sed ens per accidens vt sic non est vere ens, sicut nec vere vnum, quod explicat duobus exemplis in hæc verba: *Album enim causam habet similiter, & musicum, sed album musicum non habet causam, quia non est vere ens, neque vere vnum, manifestum est autem, quod causa impediens actionē alicuius causæ ordinatæ ad suum effectum, vt in pluribus concurrit ei per accidens, vnde talis concursus non habet causam in quantum est per accidens. & propter hoc id quod ex tali concursu sequitur, non reducitur in aliquam causam præexistentem, ex qua ex necessitate sequatur: sicut quod aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aeris generetur, & deorsum cadat, habet causam, aliquam virtutē cœlestem, & similiter etiā, quod in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cœleste principiū: sed quod ignis cadens huic materiæ occurrat, non habet causam cœleste corpus; sed est per accidens, &c.* Confirmatur, nam si omnis effectus naturalis haberet causam per se in cœlesti corpore, cum cœlum agat vniformiter, & eodem modo, atque ex necessitate naturæ, si aliàs effectus horum inferiorum deberent sequi conditionem illius impediibiliter, omnes effectus fierent semper, & eodem modo, ac per consequens cœlestia corpora imprimerent necessitatem ijs, quæ eorum actioni subduntur, cuius oppositum demonstrat D. Thom. ibi & in cap. citato 86. terti contra gentes rationibus factis; etenim in vtroque loco postquam eripit actus humanos, & effectus liberos à necessitate corporum cœlestium, vindicat etiam effectus mere naturales, & corporeos cœlestibus corporibus subditos à necessitate ipsorum corporum cœlestium. Secundo probatur, nam causa per se est illa, qua posita, de necessitate ponitur effectus, si non fuerit impedita, ac proinde omnis effectus causæ per se contingit, vt in pluribus, & deficit in paucioribus, quia vt in paucioribus impeditur: ergo si omnis effectus haberet causam per se, nullus effectus esset vt in paucioribus, ac per consequens nullus esset per accidens, quod tamen est falsum, & contra quotidianā experientiam, etenim vt in paucioribus homo nascitur cum sex digitis, & in vere deficiunt tonitrua. Confirmatur, nam effectus casualis, & fortuitus siue præter intentionem est per accidens in prima acceptione, & non dicitur casualis, neque fortuitus, nisi respectu causæ per accidens, præter cuius intentionem, siue inclinationem euenit: ergo vt sic non dicitur respectu causæ per se, neque habet illam, & eadem est ratio proporcionabiliter de alijs. Pro cuius declaratione notandum est valde, quod causa per accidens, & similiter effectus per accidens possunt considerari dupliciter, vno modo materialiter pro re, quæ est causa, vel effectus per accidēs, alio modo formaliter, vt subsunt accidentalitati, vel casualitati, & primo modo bene possunt habere causam per se, secus autem secundo modo, v. g. quando aliquis fodiendo terram, inuenit thesaurum, fossio ipsa, quæ est effectus per se hominis, est causa per accidens inuentionis thesauri, & si quidem fossio consideretur, vt causa per accidens inuentionis thesauri, vt sic non reducitur ad aliquam causam priorem, sed est omnium prima in illo genere causæ per accidens, si autem consideretur vt est effectus per se hominis fodientis, sic reducitur ad aliquam causam per se, non vt causa per accidens, sed vt causa per se, & tam ipsa fossio, quam inuentio thesauri potest habere causam per se in aliqua virtute superiori, non solum in Deo, sed etiam in aliquo Domino, qui miteret scienter seruum ad fodiendum terram gratia inueniendi thesaurum. Et quando dicitur quod est causa causæ, est causa causati, sed causa per se est causa effectus per se, & effectus per se est causa per accidēs, effectus per accidens: ergo causa per se est causa causæ per accidens. Dicendū est, quod illa maior verificatur, quādo id, quod est causa causæ, est causa illius, vt causæ, id est, secundum quod illa secunda causa est causa sui causati, secus autem quando prima causa non est causa secundæ causæ in quantum causæ, vt cōtingit in nostro casu, homo enim non est causa per se fossionis, vt fossio est causa per accidens inuentionis thesauri, sed vt est effectus per se intentus ab homine: vt autem subterfugit ordinem, & intentionem primæ causæ, scilicet hominis causat inuentionem thesauri, & ideo non debet reduci in primam causam, teste D. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 1. ad 3.

7 Dico tertio, omnes effectus per accidens in eueniendo habent causam per se in diuina voluntate, sed non omnes habent causam per se in sola diuina voluntate. Prima pars conclusionis probatur, ex secundo notabili, vbi supposuimus effectus omnes casuales, & fortuitos esse tales solum respectu causarum secundarum, non vero respectu primæ

cauſæ, quæ eſt diuina volũtas, reſpectu cuius omnes ſunt per ſe intenti & ordinati. Confirmatur nam propterea D. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. dicit diuinam voluntatem ſemper impleri, quia ſicut nullum ens ſubterfugit rationem entis cõmuniſsimam in producẽdo, ita nullus effectus ſubterfugit ordinem, & intentionem diuinæ voluntatis, quæ eſt vniuerſaliſsima in cauſando, & eadem ratione probat q. 22. art. 2. & q. 107. art. 7. omnes effectus vniuerſi cadere ſub ordine diuinę prouidentiæ, & nihil eſſe à caſu reſpectu Dei. Vnde merito Ferrarienſis eandẽ partem noſtræ concluſionis affirmans ca. 89. Tertij cõtra gentes, §. *conſiderandũ tertio*, concludit omnẽ effectum per accidens habere cauſam per ſe in Deo, excepto malo culpæ, quod fit â voluntate creata, vt excedit ordinẽ diuinæ voluntatis. Secunda pars patet, quia ex dictis conſtat multos eſſe effectus per accidẽs, ſiue caſuales reſpectu vnius agentis particularis, qui tamen ſunt per ſe reſpectu alterius agentis prioris, & magis vniuerſalis, vt concurſus duorũ ſeruorũ reſpectu Domini, illos mittẽtis, & theſauri inuentio reſpectu illius qui ſcienter miſit ſeruũ ad fodiendũ terram gratia inueniendi theſaurum. Dico quarto illi effectus per accidens, qui vel in ſola diuina volũtate, vel ab aliqua cauſa libera dependent, à nullo intellectu creato poſſunt, antequam fiant, certo præcognoſci, autprædici. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus omnes Authores ſecundæ ſententiæ. Et prima eius pars probatur primo: nã futuri euentus vere contingentes nequeũt cognoſci certo, niſi à ſolo Deo, aut per reuelationẽ ab ipſo factam, vt docet D. Thom. in locis citatis: eo quod eorũ eſſe non eſt determinatũ in cauſis ſecũdis, niſi in æternitate præſens, vel in decreto diuinæ volũtatis determinatũ; ſed effectus per accidens mere naturales, & à ſolis cauſis naturalibus pendentes, antequã fiant, ſunt vere futura cõtingentia: ergo. Minorẽ negant Authores ſecundæ claſis. Sed probo illã, tum quia D. Tho. reducit contingentiã vt in primã radicẽ in efficaciam diuinæ võluntatis, & vt in cauſam proximã in cauſam ſecũdã defectibilẽ ita dicit 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. & 115. art. 6. vbi nullatenus illã reducit ad libertatẽ cauſæ ſecundæ, imo neque cauſæ primæ: ergo in cauſis pure naturalibus, ſicut ſaluatur defectibilitas, ſaluatur cõtingentia iuxta mentẽ Doctoris Sãcti, Tũ quia, nulla exiſtẽte cauſa libera, ſaluari poteſt adhuc in rebus cõtingẽtia, vt quæſt. ſeq. art. 3. dicit: ergo. Secũdo, nã D. Tho. in illis locis adductis in tertia ſententia diſtinguit triplex futurũ, aliud, quod ſequitur ex neceſſitate, ex ſuis cauſis, vt ſolẽ oriri cras, aliud, quod cõtingit vt in pluribus, & aliud, quod ſequitur ex cauſis vt in paucioribus, cuius exẽplũ ponit in caſualibus, & fortuitis futurũ primi generis, & ſecũdi inquit ab Angelo cognoſci, & tãto magis certius, quã à nobis quãto rerũ cauſas vniuerſalius, & perfectiꝰ cognoſcũt, ſicut medici, qui acutius vident cauſas, melius de futuro ſtatu ægritudinis pronoſticãtur: futurũ vero cõtingẽs ait eſſe omnino incognitũ Angelis. Ex hoc ſic arguitur, nã futura, vel debẽt cognoſci in ſe ipſis, & ſic ſolius eſt Dei illa cognoſcere, cuiꝰ cognitio mẽſuratur æternitate, vel in ſuis cauſis, & ſic cognitio Angeli nõ extẽditur ad futura tertij generis. Sed hæc ſunt effectus naturaliũ cauſarũ cõtingentiũ: aliàs D. Th. nullũ futurũ excluderet in illis locis ab Angeli cognitione, quod nõ eſt admittendũ: ergo. Patet ſequela, quia actus liberos, & euẽtus pendentes à libero arbitrio excludit in aliis locis à cognitione Angeli, dũ ab ea excludit cogitationes cordiũ. Cõfirmatur, nã D. Tho. 1. Perhiarmen. lect. 14. & q. 115. art. 5. diſtinguit res humanas à rebus naturalibꝰ, & tã in operibus hominũ, quam in rebus naturalibus ait dari futura cõtingẽtia, & effectus caſuales, & per accidẽs, & in eodẽ art. 5. aſſerit diuinationẽ effectuũ caſualiũ, aut etiã futurorũ operũ humanorũ eſſe vanã, & ſuperſtitioſã: ergo ſentit D. Tho. dari verã contingentiã in rebus pure naturalibus, ratione cuius futuri euẽtus ſint hominibus, & Angelis ignoti. Secũda pars eſt certa ſecũdũ fidẽ, ſicut certum eſt actus liberi arbitrij futuros poſſe à ſolo Deo, vel ex illius reuelatione cognoſci. Et quia eorũ pronoſticatio, & illa pars iudiciariæ Aſtrologiæ, quæ verſatur circa actus liberi arbitrij, & futuros euẽtus à cauſa libera pẽdẽtes pronoſticãdos, eſt dãnata vt vana, & ſuperſticioſa, irrefragabiliũ Scripturæ Sacræ, Cõciliorũ teſtimonijs, & Sũmorũ Pontificum decretis, quæ late expendit Torre loco citato, §. *ſecunda aſſertio*, & ratio naturalis ſuffragatur: quia effectus in cauſa omnino indifferenti ad fore, & non fore non poteſt habere determinatum fore; ſed liberum arbitrium eſt omnino indifferens ad ſuos actus, & effectus ab illis dependentes: ergo, antequam fiant, nequeunt habere in libero arbitrio determinatum fore, ex vi cuius poſsint ab intellectu creato precognoſci. Sed contra dicta arguitur, ſicut effectus ſimplex habet cauſam per ſe ſimplicem, ad quam ſequatur, ita concurſus duarum cauſarum proximarum habebit duplicẽ cauſam per ſe, ad quarum poſitionem neceſſario ſequatur, verbi gratia, quod ignis generetur

in parte ſupperiori, & cadat in terram habet cauſam. *A.* & quod herua ſicca ſit in parte illa, ſupra quam cadit, habet cauſam. *B.* igitur quod cadens comburat herbam habebit vtramque cauſam, ſcilicet, A. & B. & cõſequẽter effectus per accidẽs vt ſic habebit cauſam per ſe. Cõfirmatur primo: nã D. Th. in hoc 6. lectione 3. fatetur concurſus duarũ cauſarũ proximarum habere cauſam per ſe in cœlo, vt floritiones duarũ plãtarũ, & 1.p.q.19. art.6. ait, quod oportet reducere quecũque effectũ in rebus corporalibus ex cauſa impediẽte, proueniẽtẽ, in vniuerſalẽ virtutẽ, ſcilicet cœli per aliquas medias: ergo omnis effectus per accidens ſecundũ D. Tho. habet cauſam per ſe, ac per cõſequens cũ talis cauſa, ſiue ſit vna, ſiue multiplex, poſsit ab Angelo, qui omnes cauſas naturales cõprehẽdit, cognoſci, poterit etiam futurus effectus certo præcognoſci. Confirmatur ſecũdo, nã quod domus aliqua craſtina die ruat, & quod ex mutua lapidũ colliſione accẽdatur ignis, qui cõburat vicinas domus, eſt effectus cõtingens, & ſatis caſualis, & tamẽ poteſt ab Angelo præſciri: ergo habet cauſas per ſe, & determinatas. Minor probatur, nã omnes partes huiꝰ euentus poſſunt præſciri ab Angelo, quia in primis ex diſpoſitione lapidũ in edificio poterit cognoſcere, quod ruet poſt vnũ, vel duos dies, hoc enim habet cauſam per ſe in diſpoſitione lapidũ. Rurſus ex futuræ ruinæ cognitione poterit cognoſcere coliſionẽ lapidum, & ignẽ ex tali coliſione generãdũ. Denique ex propenſione domus verſus vicinam poterit præſcire ab igne generando fore vicinã domũ ſucedendã, omnes enim iſti effectus futuri habent ſuas cauſas per ſe determinatas. Reſpõdetur ad argumẽtũ quod cõcurſus ille duarũ cauſarum nõ prouenit à cauſis ex parte, qua neceſſariæ ſunt, ſed qua poſſunt deficere, & altera illarũ per accidẽs deficit, ideo eſt per accidẽs, & ad nullã cauſam per ſe in cœleſti corpore exiſtẽtẽ, eo quod talis cõcurſus nõ prouenit ex cauſa ſubdita cœleſti virtuti, cũ enim corpora inferiora ſint de integritate prima vniuerſi, v. g. elemẽta, de qua non eſt motus, aut influxus cœli, vel corpora inferiora præſupponant corpus cœleſte non tamẽ præſupponũt eius motũ, ſed præſuppo nũtur ad illud; Tũ etiã quia omne agens per motũ, ſiue per mutationẽ præſupponit materiã, circa quã operetur. Vnde poteſt corpus inferius impedire effectũ coporis cœleſtis modificando aliter eius influxum in genere cauſæ materialis, in quo cœleſti corpori, quod tãtũ eſt primũ in agẽdo, nõ ſubordinatur, aliquando ex electione animæ poteſt cœleſtis corporis influxus impediri, quia anima rationalis ei directe nõ ſubordinatur, & etiã ex alterius agẽtis ſecũdi actiuo impedimẽto poterit impediri, & fieri effectus per accidẽs reſpectu cœli. Quare D. Th. huiuſmodi effectus per accidẽs quãdo ad materiale, quãdoque ad actiuũ impedimentũ reducit vt infra videbimus. Ad primã cõfirmationẽ negatur conſequentia, ſed explicandũ eſt antecedẽs quoad vtrũque teſtimoniũ, in primo enim ſolũ voluit indefinite loquẽs aliquẽ effectũ, ſiue concurſum, qui eſt per accidens reſpectu alterius potẽtiæ habere cũ illo vnã cauſam cõmunẽ in cœlo, & ponit exẽplũ in floritionibus duarũ plantarũ, quod floreat enim Agmidalus, florente Ceraſo, per accidẽs eſt, reſpectu illius tamen vtriuſque floritio poteſt eſſe ab vna cauſa. Hoc tamẽ non obſtat, quo minus alij effectus ſint, qui in nulla virtute cœleſti, neq; interſe adunentur; & ideo in alijs locis, ſcilicet. Tertio cõtra gent. cap. 86. & 1.p.q.115. art.6. deſtruit hãc vniuerſalẽ, *omnis concurſus per accidẽs habet in cœlo cauſam per ſe*, quæ optime deſtruitur, ſtante vera vna indefinita. In ſecũdo vero loquitur D. Tho. de illo effectu, & impedimento, cuius cauſarũ tota ſeries nullam admiſcet cauſam per accidens, talis enim cõcurſus, & effectus reducetur in cauſam per ſe cœleſtẽ. Caietanus ibi ait D. Thom. loqui de impedimento cauſæ impediẽtis actiue, vt ſic, infra ordinem cauſæ effectiuæ, cõcurſus enim a cauſa effectiua prouenies debet reduci in cauſam cœleſtẽ, eo quod omne corpus agit virtute cœli; ſecus vero ſi proueniat tale impedimentũ à cauſa materiali: ſed quia (vt ipſe Caietanus poſtea docuit) ne dum materiale, ſed etiam actiuũ impedimentũ poteſt eſſe prima radix effectus per accidẽs reſpectu cœli, ideo hæc ſolutio obiter dicta dũtaxat putatur. Ideo tãdum eſt in prima ſolutione quod D. Tho. loquitur indefinite de aliquibus effectibus ex impedimẽto ſubſequutis, qui ex inclinatione cœleſti poſſunt prouenire. Ad ſecundam quadruplex eſt ſolutio, prima eſt Bañeſij aſſerẽtis illius domus cõbuſtionẽ (& idẽ eſſe dicẽdũ de alijs ſimilibus euẽtibus) futurã latere Angelũ, quatenus aliter poteſt euenire per cõcurſum alicuius cauſæ liberæ, aplicãtis actiua paſſuis, ignorat enim Angelus, an homo aliquis impediat illã cõbuſtionẽ, ruinã domus præueniẽdo. Bene tamen illã cognoſceret certo in ordine ad cauſas naturales, & ex earũ meritis. Cæterũ hæc ſolutio deſtruit cõtingentiã effectuũ per ordinẽ ad cauſas naturales, quod puto eſſe cõtra D. Tho. & cõtra veritatẽ, vt quæſtione ſequẽti oſtendetur. Secunda Magiſtri Torre vbi ſupra aſſeren-

asserentis illam combustionem vicinæ domus, & similem quemcunque euentum esse vere contingentes in ordine ad causas naturales, sed tamē latēre Angelum, quia nequit Angelus cognoscere omnes causas tam actiuas, quàm materiales, à quibus dependet, & defectu cuiuscumque earum potest impediri. Cæterum hæc solutio deficiens videtur dum enim explicat, qualiter aliqua ex illis causis lateat Angelum, qui totum ordinem causarum naturalium comprehendit. Vnde tertia solutio sit pro explicatione secundæ quod sicut cogitatio cordis mei, licet naturalis sit, prout naturale condistinguitur à supernaturali ordine gratiæ, latet Angelum, propterea quod excedit libertas ordinem causarum naturalium, & eadem ratione indifferentia effectus illius, qui à materiali, vel actiuo impedimento potest impediri, redit ipsam combustionem domus ignotam Angelo, quia modus ille causandi indifferenter est supra ordinem, vel extra ordinem causarum pure naturalium, & sicut actus liber, antequam fiat, non habet determinatum fore propter indifferentiam sui principij liberi, nisi in diuina voluntate, ita ille effectus, ante quam fiat, non habet determinatū fore propter indifferentiam causæ suæ contingentis, nisi in diuinā voluntate, & licet vicina domus sit apta, & disposita ad suscipiendum ignem non est determinata, aut inclinata ad illum efficaciter recipiendum, nisi à Deo determinentur, quo pacto multi motus puerorum, brutorum, & etiam viuentium aliqui effectus à Deo determinantur, quos quæstione sequenti art. 3. recensemus. Quarta solutio huic annexa est, quod cum talis combustio, v. g. egredi debeat à causa contingenti præmota à Deo concursu eficaci iuxta naturam ipsius, & hunc concursum determinatum ad cōbustionem, collisionem lapidum, & ipsam domum vicinam, nō debeat Deus lapidibus, nec domui, cum effectus non prius lapidis aut domus sit, vel Angelus cognoscat lapidum, & domus dispositionem, & remotam inclinationem ad combustionem, non tamen cognoscit diuinam determinationem, sed ignorat an Deus tali concursu illas præmouebit, eo quod concursus non est debitus à Deo lapidibus ad comburendam domū, sicut est debitus aquæ ad frigidādū, & igni ad calefaciēdū. Secundo arguitur, nā D. Th. condistinguit effectū à concursu, & omnē effectū dicit habere causam per se, ita q. 115. ar. 6. in corpore, & ad primū & solū concursum plurū causarū ait esse per accidens: ergo effectus cōdistinctus à cōcursu semper habet causam per se. Respondet tripliciter Caiet. ibidē, §. *ex tamen ijs*, Primo negando antecedēs, quia D. Tho. solū vult cōditionaliter, & permissiue quod si ita est adhuc concursus esset per accidens. Secundo quod loquitur de effectibus duarū causarū agentiū seorsum sumptis, nō vero de illo, qui est effectus vtriusque raro cōtingēs. Tertio quod loquitur de effectibus subditis per se causæ cœlesti, non vero de cōditione materiæ præsuppositæ causalitati corporis cœlestis.

ARTICVLVS III.

An poni debeat fatum siue fortuna pro effectibus causandis per accidens?

Status quæstionis.

9 IN hoc articulo prius explicandi sunt termini quæstionis, & ea, in quibus omnes tā Catholici, quā Philosophi Gētiles cōueniūt. Causa igitur per accidēs, vt cōdistinguitur à causa per se in omni genere causæ potest assignari, quia licet (vt recte traddit Soto lib. 2. Physicorū q. 5. §. *efficiētes autē* exēpla causæ per se, & per accidens à Philosopho appositā ex solo genere causæ eficientis sint, eo quod in hoc genere dicta diuisio manifestior fiat; tamē in omni alio genere causæ, locū habet. Corpus enim quod est causa per se materialis albedinis, respectu cuius magnū, vel parū est causa materialis per accidens, & anima est causa formalis per se hominis. Sapiētia vero, & pulcritudo est causa per accidens. Finis etiā duplex est, alius per se, quod in scibilibus dicitur finis scientiæ, alius per accidens, quod dicitur in scientijs finis scientis. Diuescere enim est finis per accidens respectu medicinæ, potest tamen esse finis ipsius medici volētis medēdo ditescere. Sūpta itaq; causa per accidens nō in tota sua latitudine, sed vt est differētia causæ efficiētis, duas habet species, scilicet casum, & fortunā, & fatū. Quarū prima definitur, *esse causam efficientē per accidens in his, quæ agunt præter finē, raro contingunt*, cuius sensus est casum esse causam illā, quæ dū intenderet vnū finē, quē vt in plurimū consequitur, aliū raro, & per accidens assequitur, vt equus generans aliū equū cum vno tantū oculo, vel cū vno tantū pede est causa illius casualis. Fortuna vero, *est causa efficiens per accidens in his, quæ agunt secundum propositum, præter finem raroque contingunt*, idest, est causa illa, quæ dum libere, & à proposito vnum finem intēderet mouens se ad illū aliū præter intentionē operatur, vel assequitur, vt homo, qui intrādens agriculturā fodiendo agrū, inuenit thesaurum, & quia omne agens liberum, &

à propoſito operatur propter finem, ſed non omne operans propter finem eſt agens liberum, & ſecundum propoſitum, ideo ad plura ſe extendit cauſa caſualis, quam fortuna. Hæc tamen ſolum hominum eſt, illa vero hominum, & brutorum, imo, & omnium agentium naturalium, quæ vt mota agunt propter finem. Et quia eadem cauſa quæ intendit per ſe vnum finem, reſpectu cuius eſt cauſa per ſe, eſt, quæ à ſequitur alium præter intentionem, reſpectu cuius caſualis, vel fortuna eſt, ideo caſus, & fortuna à cauſa per ſe, non realiter, ſed ſola ratione diſtinguũtur. Fatum vero, non cauſæ per accidens, ſed cauſæ per ſe efficientis ſpecies eſt, dicitur autem fatum à fando, teſte Auguſtino lib. 5. de Ciuitate cap. 9. Ex eo quod eſt aliqua cauſa, quæ ſua ordinatione fatur, & proloquitur res faciendas, vel quia eſt aliquis cauſarum ſecundarum ordo à mẽte ſuperiori præfatus, præloquutus, ſiue præordinatus. Poteſt namque fatum, & cauſaliter, & formaliter accipi, hoc eſt, actiue prout pertinet ad aliquam primam cauſam, & paſſiue prout tenet ſe ex parte cauſarum ſecundarum ordinatarum, ſicut teſte D. Thomas 1. p. quæſt. 23. art. 2. Exequutio prouidentiæ diuinæ, ſiue prædeſtinationis actiue, & paſſiue accipi ſolet, & actiue eſt in gubernante, vt in cauſa, paſſiue tamen eſt in rebus gubernatis. Vnde his ſuppoſitis, in quibus omnes conuenimus ſenſus articuli, & punctus controuerſiæ eſt, an huiuſmodi fatalis cauſa ſit cauſa per accidẽs, ſicut fortuna, vel an ſit cauſa per ſe, & à fortuna diſtincta.

Error Ciceronis. In hac autem controuerſia tres fuêre ſententiæ, prima fuit Ciceronis in libris de natura Deorum, & lib. 2. de diuinatione, qui vt refert Auguſtinus quinto, de Trinitate cap. 9. vt neceſsitatem fati aduerſus Stoicos negaret, abſtulit à Deo prouidentiam, præſciẽtiam, & fatum exiſtimans futuros effectus, ſi eſſent præſciti, aut præuiſi, ſiue præfati à Deo, effici prorſus neceſſarios. Vnde vt faceret homines liberos, fecit eos ſacrilegos, vt rectè Auguſtinus argumentatur; itaque iuxta illius ſententiã, aut fatũ nullatenus erat ponendum, quia eſſet cauſa, & conſequenter neque ex parte effectus erat aliquid fatale, cauſæ fatali correſpondens, vel ſolũ erat cauſa per accidens, à qua effectus omnes per accidens, & à casu prouenirent. Huic ſententiæ affinis eſt altera illorũ, qui teſte D. Tho. 1. p. quæſt. 116. art. 1. aſſerebant fatum, eſſe cauſam omnium effectuũ caſualium, & fortuitorum huius vniuerſi, ſecundum quos fatum erat cauſa fatalis, & caſualis, ſiue fortuna, quoniam in ſola ſiderum diſpoſitione, & aſpectu conſtituebant deffinientes fatũ, *eſſe diſpoſitionem ſiderum, in qua quiſque natus, vel conceptus eſt.* Secunda ſententia huic ê diametro oppoſita fuit Stoicorum, quorũ Princeps, fuit Criſypus, teſte AuloGelio lib. 6. cap. 2. aſſerentium fatum actiue eſſe ordinẽ, & ſeriem cauſarum naturalium, quæ ineuitabili neceſsitate effectus ſuos operãtur. Hos ſequutus fuit Seneca Stoicæ Scholę diſcipulus lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 36. fatum vero paſſiue dicebant eſſe neceſsitatem omnium rerum, & actionum cauſæ fatali ſubordinatarum, quibus alluſit Virgilius, dũ de Paride cecinit, *te tua fata trahunt ne cæpta relinquere poſsis.* Sed in explicanda hac cauſa fatali diuiſi fuêre Authores huius ſententiæ in duos modos dicendi, alij dixere hanc cauſam fatalem tollentem ab omnibus rebus cõtingentiam eſſe innatam, & virtute cœleſtium corporum ſitam, & ſic ſolam conſtellationem, in qua vnaquæque res efficitur eſſe fatalem cauſam, hunc modum dicẽdi ſequũtur illi, quos refert Philoſophus 3. de anima cap. 3. quia intellectum aſſenſu non diſtinguebant. Auicena lib. 10. Metaph. cap. 1. & alij ex Stoicis, quibus ſubſcripſerunt Hæretici Pricilianiſtæ, vt refert Auguſt. lib. de Hæreſibus cap. 70. Alij vero etiam ex Stoicis (imo hæc fuit omnium Stoicorum mẽs) dixere hanc cauſam fatalem eſſe in diuina præſcientia, ac prouidentia conſtituendam, eo quod putabant diuinam præſcientiam, ac prouidentiam tollere à rebus libertatem, atque contingentiam, & illas ineuitabili efficere neceſsitate. Horum blaſphemum dicendi modum ſuſcitauit poſt Chriſtum natum in terris Simon Magus, vt refert Clemens lib. 3. recogni, & ſequuti fuerũt Manichæi, teſte Hieronimo in prologo aduerſus Pelagianos, Vuicleph, & alij Lutheri Præcurſores. Tertia ſententia, quæ media incedit via, aſſerit fatum paſſiue ſumptum eſſe, ordinem cauſarum naturalium ſuauiter & iuxta naturam cuiuſcumque cauſæ præſcitum, & ordinatum à Deo, actiue autem eſſe ipſam diuinam prouidentiam contingentem à fine vſque ad finem fortiter, & omnia ſuauiter diſponentem, atque gubernantem, quæ in quibuſdã cauſas neceſſarias præparauit, & ideo in illis fatum paſſiue ſumptum eſt diſpoſitio neceſſaria expers contingentiæ, in alijs vero cauſas liberas, & in alijs cauſas contingẽtes adaptauit, in quibus exequutio, & diſpoſitio fatalis eſt libera, vel contingens. Hanc ſententiam nos docuerunt Ariſtoteles naturæ lumine ductus lib. 2. Phiſic. capit. 4. & 3. de anima c. 3. Auguſt. lib. 5. de Ciuitate à c. 1. vſque ad 9. & lib. 7. cõfeſsionũ c. 7. Hieroni-

Error Eſtoicorũ.

mus,

mus, & Clemẽs Petri discipulus, & successor vbi supra, Eusebius lib. 6. de præparatione Euangelica, Concilium Bracarense primum cap. 9. & 10. Damascenus lib. 2. fidei cap. 7. Leo 1. Epistola 91. cap. 11. Boætius 4. de consolatione prosa 4. prædictos Gentilium errores confutando; Eandem sententiam vestigijs sanctorum primum inhærens Diuus Thomas prosequitur, & exornat, atque eosdem errores confutat multis in locis, præcipue in opusculo 28. & 3. contra gentes cap. 92. 1. part. quæst. 116. per totam, præsertim art. 1. & 3. & in hoc 6. lectione 3. quibus in locis videndi sunt Caietanus, & Ferrariensis. Flandrensis in hoc 6. quæst. 12. art. 1. & quæst. 11. art. 2. Soto lib. 2. Physicorum quæst. 5. art. 2. Fonseca cap. 2. quæst. 2. lectione 5. qui vnanimiter non minus, quam Catholicæ 3. adhærent sententiæ atque Catholicæ doctrinæ explicatione sequentes statuo conclusiones.

Sententia vera.

10 Respondeo dicendum primo fatum quoad primæuã eius acceptionẽ, vel quoad primam nominis impositionem, seu quoad à quo nomen à Gentilibus fuit impositum nullatenus esse ponendum. Hæc primo probatur, vt certa secũdum fidem, quia antiqui Gentiles hoc nomen ad virtutem siderum, vel ad prouidentiam tollentem libertatem, & contingentiam à rebus significandã vsurparunt: sed in hac acceptione non est ponẽdum: ergo. Confirmatur, quia in hoc sensu Sancti Patres fatum detestantur, Gregorius enim Magnus homilia 10. in Euangelia dicit, *absit à fidelibus cordibus vt fatum esse aliquid dicant*, similiter negat fatum Gregorius Nisenus lib. 6. cap. 2. & August. 5. de Ciuitate cap. 1. ait. *si propterea quisquam res humanas fato Dei tribuit, quin ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat*, ne scilicet suspecto nomine vtamur, quãdoque à nominibus suspectis est nobis abstinendum. Hieronimo attestante ex verbis inordinate prolatis Hæresim cõtrahi, cuius testimonium refert. Minor in 4. distinct. 13. circa finẽ, & D. Tho. 3. p. quæst. 16. art. 8. Dico secundo fatum quoad rem significatam â Sanctis Patribus, & Theologis hoc nomine, formaliter pertinet ad genus causæ, & quidem ad genus causæ efficientis per se. Prima pars statuitur aduersus Fonsecam, qui loco citato asserit fatum proprie summi ex parte causarum, & sic esse diuinam prouidentiam, & ex parte effectuum, & sic esse diuinæ prouidẽtiæ exequutionem, subditque veri fati vocabulum à Theologis potius ex parte effectuum, quã ex parte causarum vsurpari, pro qua sententia citat in margine D. Thom. sed falsa est eius opinatio, quod probatur nam D. Tho. in illa quæst. 116. art. 1. tantum asserit, quod fatum est ordinatio causarum secundarum ad effectus diuinitus præuisos, & eandem definitionem fati repetit articulo secundo, & per totam quæstionem, sed præsertim articulo secundo, atque hæc ordinatio causarum secundarum potest accipi actiue, & prout in Deo est, vel passiue, & prout est in causis secundis ordinatis ad aliquos effectus producendos, & primo modo prouidentiã debere dici, secundo autem habere rationẽ fati: ergo sentit D. Thomas quod fatum formaliter pertinet ad genus causæ, & quod prout est in Deo, non fatum, sed prouidentia appellatur. Deinde ibi in solutione ad primum ait, quod series, siue ordinatio causarum secundarum non habet rationem fati, nisi secundum quod dependet à Deo, & ideo quod diuina voluntas, vel potestas potest dici fatum causaliter, formaliter vero est ipsa dispositio, seu series causarum, secũdarum: ergo sentit fatum formaliter, & proprie in causis secundis. Confirmatur, nam idem insinuatur in alijs fati deffinitionibus, quas adducit, & aprobat D. Thom. vt in deffinitione Boætij vbi supra asserentis fatum esse dispositionem rebus mobilibus inhærẽtem, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Ecce distinguit fatum à prouidentia, de qua ait, quod per fatum, tanquã per causam, res ordinat in suos fines. Huic consonat definitio, quam ex Doctore Sancto 3. contra gentes cap. 92. & Augustino vbi supra colligit Soto dicens, fatum esse ordinem causarum naturalium præordinatũ, & præloquutum à Deo, quæ ita influunt in hæc inferiora, vt ex sua natura deficere possint, & à diuina libertate dependeant, influere autem est proprium causæ efficientis. Sed contra hoc potest obijci pro Fonseca ex D. Thoma qui quæst. 116. articulo primo, ait fatum posse poni à Catholicis, quatenus omnia, quæ hic aguntur, diuinæ prouidentiæ subduntur, sed ea, quæ aguntur sunt effectus. Et quod ipse ordo causarum secundarum est effectus ordinationis diuinæ prouidentiæ. Et quia in hoc 6. lectione 3. deffinit quod fatum est dispositio inhærens corporibus inferioribus ex actione corporis cœlestis, id est, causata à corporum cœlestium influxu; Sed hæc non obstant, nam in primo testimonio D. Thomas attribuit effectibus fatum transitiue, & veluti secundario, sicut enim diuina prouidentia ab ipso Diuo Thoma dicitur fatum causaliter, & dispositio causatũ secundarũ formaliter, ita

in rebus citatis ponit fatum exequutiue, ſiue conſequutiue, vel tãtum vult D. Thom. fatum poni ad effectus illos cauſandos, non vero ſaluari in illis formaliter: ordo vero cauſarum ſecundarũ, licet ſit effectus reſpectu diuinæ voluntatis, eſt tamen cauſa reſpectu effectuum ſubſequutorum, & ſic eſt fatum. In ſecundo autem teſtimonio D. Thomas loquebatur ſecundum opinionem illorum, qui in corporum cœleſtium virtute ponebant fatum, & cauſam omnium effectuũ inferiorum, & dicit, quod talis poſitio fati, nec tollit contingentiam, nec imponit rebus neceſsitatem. At in alijs locis latius extendit rationem fati, ſcilicet ad ſeriem omnium cauſarum ſecundarum, quæ diuinæ prouidentiæ ſubduntur. Poteſt etiam dici quod ibi per diſpoſitionem corporum inferiorum intellexit diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, ſimul cum cauſa cœleſti, vt mota, & ordinata à Deo, & ſic idem eſt ſenſus illius definitionis, atque aliarum, quas ex eodem D. Thom. adduximus. Vnde relinquitur prima pars noſtræ concluſionis inconcuſa. Secunda autem probatur aduerſus primę ſententiæ ſectatores. Primo nam fatum eſt cauſa efficiens, vt probatum eſt, & non eſt cauſa per accidens: ergo eſt cauſa perſe. Minor probatur, quia eſt diſpoſitio cauſarum ſecundarum à Deo facta, & ordinata; ſed nihil ordinatum à Deo eſt per accidens, vt ſubeſt ordinationi diuinæ, & ſic ſeries cauſarum ſecundarũ eſt fatum, vt diximus: ergo. Secundo fatum cauſaliter eſt diuina prouidentia, formaliter vero ſumptum eſt ſeries cauſarum ſecundarum, quatenus diuinæ prouidentiæ correſpondet, ſed nihil correſpondens diuinæ prouidentiæ, vt ſic, eſt caſuale, aut per accidens, ſicut enim exequutio diuinæ prouidentiæ actiue, ita neque paſſiue ſumpta poteſt eſſe per accidens. Tertio, nã ſequeretur omnia fieri à caſu, & per accidens, ſiquidem omnia, quæ fiunt in his inferioribus, fato ſubdũtur, quod etiam illi Authores admittebant; conſequens autem eſt fidei, & rationi naturali contrariũ: fidei, quæ docet nihil à caſu fieri reſpectu primæ cauſæ in qua illi cauſam ponebant fatalem: rationi vero naturali, quæ oſtendit multos eſſe effectus neceſſarios à cauſis determinatis ad vnum prouenientes. Experientiæ deniq; qua illos experimur. Dico tertio cauſa fatalis diſtinguitur à fortuna eſſentialiter, & formaliter. Probatur primo, quia fortuna re vera eſt cauſa per accidẽs, ſolũque reſpicit, vt ſic, effectũ, quẽ producit præter intẽtionẽ, at factum eſt cauſa per ſe, & nõ ſolum reſpicit effectum, ſed diuinam prouidẽtiam, quia eſt ordo cauſarum ſecundarum, vt ſubeſt diuinæ prouidentiæ ordinanti illas ad effectus præuiſos; quæ differentia eſſentialis, & formalis eſt, licet materialiter, & ex parte contingat fortuna cum fato, quatenus eadẽ res, & fortunæ reſpectu effectus non intenti, & cauſæ fatalis reſpectu effectus per ſe intenti, & præordinati rationem induere poſsit. Secundo fortuna ſolum extenditur ad cauſas, quæ operantur ex deliberatione, & ſecundum propoſitum, & conſequenter ſolum effectus humani in his inferioribus fortunæ ſubduntur. Fatalis vero cauſa in omnibus, & ſingulis cauſis diuinæ prouidentiæ ſubordinatis ſaluatur, & omnia, quæ ſubduntur diuinæ prouidentiæ ſubdũtur & fato, teſte enim D. Thom. quæſt. 116. art. 4. omnes effectus, quos Deus producit medijs cauſis ſecundis ſubduntur fato cuius rationem aſſignat, dicens, fatum eſt ordinatio cauſarum ſecundarum ad effectus diuinitus præuiſos: ergo quæcumque cauſis ſecundis ſubduntur, ſubduntur & fato, ſi qua vero ſunt, quæ immediate à Deo fiunt, cum non ſubdantur cauſis ſecundis, non ſubduntur fato, ſicut creatio rerum, glorificatio ſpiritualium ſubſtantiarum, & alia huiuſmodi, &c. Vnde quando Soto vbi ſupra art. 2. §. *conueniunt* ergo, ait fatum, & fortunam conuenire in hoc, quod ſicut fortuna non eſt, niſi in habentibus intellectum, ita nec fatum eſt proprie, niſi in hominibus, aut in alijs rebus, quatenus ad fortunam hominis pertinent, non enim datur fatum arboris, aut bruti cum fulmine pereũt, loquitur de fato, prout vulgus accipit fatum in ordine ad caſuales effectus reſpectu cauſæ per accidens; alioquin non eſt ſuſtinendus à nobis, qui in contrarium habemus Doctoris Sancti teſtimonium, in quibuſcunque cauſis ſecundis ordinatis à Deo eſſe fatum, & omnes effectus cauſarum ſecundarum ſubdi fato, exceptis operibus à Deo dũtaxat immediate productis, quæ excepto, cum ſit ſingularis, firmat regulam in contrarium, vt omnes alios effectus cauſarum ſecũdarum credamus fato eſſe ſubiectos, etiam bruti, & arboris percuſionem, quæ licet reſpectu bruti, aut arboris caſualis ſit, tamẽ reſpectu fulminis, & eius cauſarum à diuina prouidentia ordinatarum eſt effectus fati.

11 Dico quarto fatalis cauſa, licet certa & infallibilis ſit, non tamen tollit à rebus cõtingentiam, neque eis imponit neceſsitatẽ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſententiæ, & probatur prima pars, quia fatum eſt diſpoſitio cauſarum ſecundarum à diuina prouidentia ordinata; ſed diuinæ prouidentiæ ordinatio eſt efficax certa, & in-

& infallibilis nullam patiens resistentiam, quia nullus est, qui diuinæ possit resistere voluntati: ergo. Cõfirmatur ratione Doctoris Sancti, qua probat in hoc 6. lect. 3. nihil fieri à casu respectu Dei, quia respectu agentis inducentis effectum semper, & impedibiliter, & cuius causalitas se extendit ad omnia, & à cuius causalitate, siue ordine nulla causa exijt, nihil sit â casu, sed Deus est huiusmodi agens: ergo nihil à casu fit respectu illius, ac proinde eius causalitas, & dispositio certa, & infallibilis est. Exeadẽ enim radice scilicet ex efficacia, & impedibilitate prouenit eius infallibilitas in causando, & exclusio casualitatis. Secũda pars probatur primo, quia diuina prouidentia nõ tollit per suã ordinatione contingẽtiã à rebus, vt dicitur quæst. sequẽti: ergo neq; fatũ, quod est diuinæ prouidentiæ ordinatio. Secundo ad efficatiam diuinæ prouidentiæ pertinet, vt effectus producat quoad substantiam, & quoad modum necessitatis, vel contingentiæ ordinando ad necessarios causas necessarias, & ad contingentes causas contingentes, vt sæpe dictum est. Tertio prouidentia diuina, aut eius ordinatio non imponit omnibus rebus necessitatẽ: ergo neq; fatũ. Antecedens probatur late ab Augustino lib. 5. de Ciuitate cap. 9. aduersus prædictos Stoicos, & definitur in Concilio Constanciensi sectione 8. contra Vuiclephi cuius 27. propositio damnatur vt hæretica, nempe omnia ex necessitate euenire absoluta. Probatur etiã à Gratiano in decreto 23. quæst. 4. cap. *Nabucodonosor*, & ratione ostenditur idem antecedens, quia alias non esset liberum arbitrium, neque essent consequenter, leges, consilia, præmia, & suplicia ad homines arcendos à malo, vel ad bonum excitandos, quod est impium. Deinde, quia teste D. Thom. quæst. 116. art. 3. ordinatio causarũ relata ad Deum est immobilis, id est, infallibilis, & causans necessitatem ex suppositione, quæ non obstat contingentiæ, aut libertati, sed absolutè prout in ipsis causis est recepta, est mobilis, id est, fallibilis, & defectibilis iuxta naturam ipsarum causarum secundarum.

QVÆSTIO III.

De effectibus contingentibus, & & eorum contingentiæ modis, ac radice in tres Articulos diuisa.

EFFECTVS contingens est quid inferius ad ens per accidens in tota sua latitudine, eo quod omne cõtingens propriè sumptum vel est per accidens, vel admiscet aliquid entis per accidens, non tamen è contra: quia aggregata ex duobus entibus per se, *vt homo, & equus*, siue *equus, & visibile*, sunt entia per accidens, & nihil admiscent effectus contingentis. Vnde ordine doctrinæ poscente, præmissa quæstione de ente per accidens quæstionem de effectibus cõtingentibus aggredimur à communioribus ad particularia descendentes. In qua tria, nẽpe an sint effectus huiusmodi contingentes? & quotuplex sit contingẽtiæ modus? ac quæ sit eius prima radix? singulis articulis sunt examinanda.

ARTICVLVS I.

An dentur effectus aliqui contingẽtes in vniuerso?

IN hoc articulo, exceptis illis Gẽtilibus, & Hæreticis, qui fatum in quadã causa imponente necessitatem rebus, constituebant, quos proxime, pro secunda sententia art. vltimi quæst. præcedentis retulimus, omnium Philosophorum, & Theologorum est concors sententia dari in hoc vniuerso aliquos effectus contingentes: In his autem effectibus assignandis, & vera contingentiæ ratione explicanda diuiduntur in tres modos dicendi. Alij enim dicunt veram contingentiam consistere in causæ indifferentia ad posse deficere, & non deficere â suo effectu, quæ indifferentia debet excludere â tota collectione causarum secundarum talis effectus inclinationem per se seu virtutem per se inclinantem ad talis effectus productionẽ, si enim causa vniuersalis, v. g. cœlestis, quæ est prima dictæ collectionis per se, & natura liter inclinat in talem effectum, iam effectus non cõtingens, sed necessarius erit, vt enim sit absolutè cõtingens, deberet esse per accidens, & potens deficere, non solum respectu alterius causæ particularis, sed etiam respectu causæ cœlestis, & quia nullus effectus naturalis,

turalis, & mere corporeus eſt, qui non habeat cauſam per ſe in cœleſti corpore, ideo nullus eſt contingens in ſerie cauſarum naturalium, ſeclusis cauſis liberis. Ita Scotus in primo diſt. 2. quæſt. 2. & diſt. 8. quæſt. 5. & diſtinct. 39. quæſt. 3. Gabriel ibidem diſt. 38. art. 1. Ochamus quodlibeto 1. quæſt. 17. & Durandus in 2. diſt. 3. quæſt. 7. & diſt. 7. q. 3. & in 1. diſt. 38. quæſt. 3. Ex quo infert Durandus huiuſmodi futura à ſolis cauſis naturalibus dependentia certo poſſe ab Angelo præcognoſci, eò quod, ſicut à cauſa neceſſaria ſequitur effectus neceſſario, ita à cauſa naturali impedibili non impedita ſequitur effectus infallibiliter. Hos ſequuntur ex Neotericis Molina, & Gabriel Vazquez ſupra à nobis iam relati quæſtione præcedenti. Omnes itaque iſti conueniunt in effectibus à ſolis cauſis naturalibus dependentibus non ſaluari proprie contingentiam, ſed cõtaxat in ijs, quæ libero ſubduntur arbitrio. Secundus modus huic affinis eſt Baneſij aſſerentis in effectibus naturalibus ſaluari veram, & rigoroſam contingentiam quatenus impedibiles ſunt per concurſum liberi arbitrij applicantis actiua paſſiuis, & ideo vt ſic ab Angelo certo cognoſci nõ poſſe, ſi tamẽ aliqui ſunt effectus, qui à libero arbitrio impediri non poſſunt, vel ipſi effectus naturales, qui alias ſunt à libero arbitrio impedibiles, conſiderati ex proprijs meritis in ordine ad cauſas naturales huiuſmodi, vt ſic, contingentiam proprie dictam non habent, ac proinde poſſe ab Angelo præcognoſci, antequam fiant, propter determinationem, quam habent in ſuis cauſis. Conuenit itaque hic author cum authoribus relatis in eo, quòd aſſerit contingentiã proprie dictam in ſolis rebus libero arbitrio ſubiectis, aut ab illo dependentibus reperiri. Diſcriminatur autem ab eis in eo, quod ait huiuſmodi contingentiam euenire effectibus naturalibus ſimpliciter, & abſolute, quatenus impedibiles aliquo modo à libero arbitrio, quod tamen illi videntur negare, quia à rebus pure naturalibus propriã omnino adimunt contingentiam. Ita habet Baneſius 1. p. q. 57. art. 3. & Iatius quæſt. 115. art. 6. §. *hactenus ex Caietano*; vbi refert Caietanum in eadem olim fuiſſe ſententia, ſed huius maneat fides apud Authorẽ. Colligo tamen obiter fallo Fonſecam in hoc 6. quæſt. 3. ſect. 2. ſententiam aſſerentem effectus, qui per ſe fiunt cauſis naturalibus nullo modo impeditis, vt cum equus integer, & non mutilus ab equo generatur, eſſe vere contingentes attribuiſſe Baneſio 1. p. quæſt. 19. art. 8. cum ibi propriam circa contingentiam non explicet ſententiam, ſed in locis à me citatis, in quibus ſolum eis effectibus tribuit contingentiam, qui ſunt impedibiles à libero arbitrio, & quatenus impedibiles ſunt. Tertius modus eſt ipſius Fonſecæ in loco proximè citato, & quæſt. 2. ſectione 4. aſſerentis in rebus pure naturalibus dari contingentiam, in eueniendo ſecundum quid, ideſt comparatione cauſarum particularium ſeorſum ſumptarum, eo quod eueniunt præter illarum intentionem, non vero dari contingentiam ſimpliciter, & abſolute eo, quod poſito generali ordine omnium cauſarum naturalium à Deo inſtituto: omnes effectus naturales abſolute neceſsitate naturali eueniunt, ideſt, comparatione totius collectionis ſuarum cauſarum. Et hinc infert hic Author ſect. 6. §. *quod igitur* huiuſmodi effectus, antequam fiant, cognoſci poſſe abſtractiue ab Angelis intellectum ad eos in ſuis cauſis intelligendum applicantibus. His ſuppoſitis, vt veram Philoſophi, ac Doctoris Angelici aperiam ſententiã, duas ſtatuo concluſiones.

Opinio enumerationis.

Sententia Authoris.

12 Reſpondeo dicendum primo in hoc vniuerſo dari veram contingentiam. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus prædictos Stoicos & Auicennam, qui fato tolli contingentiam, & omnia neceſſario euenire à prouidentia diuina, vel cauſis cœleſtibus aſſeuerabant. Et probatur vt certa ſecundum fidem, & euidens lumine naturali, primo quia teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 86. art. 3. contingentia, & neceſsitas ſunt modi ſeu differentiæ reales entis veluti oppoſiti, qui propterea habent diuerſas rationes formales, & radices. Ratio enim formalis contingentiæ conſiſtit in defectibilitate, ideſt, in hoc, quod taliter fiat effectus, quod poſsit non fieri, vel ſi de cauſa contingentiæ loquamur, quod taliter operetur effectum, quod poſsit naturaliter impediri eius operatio, & quia radix omnis potentialitatis ad non eſſe eſt materia, quæ eſt prima potentia; ideo radix contingentiæ eſt materia prima. Neceſsitas vero eſt modus eſſendi, defectibilitatẽ, ſeu potentiam ad non eſſe, ſiue ad impediri naturaliter non admittens, & quia prima radix actualitatis, & eſſendi eſt forma, & primus actus cõpoſiti, ideo radix neceſsitatis eſt forma ita vt ſi aliqua neceſsitas oriatur à materia, oriatur ab illa, qua parte includit aliquid actualitatis. Ex hoc ſic arguitur ad complementum vniuerſi pertinent omnes differentiæ entis realis ſed huiuſmodi ſunt neceſsitas & contingentia: ergò de fato dantur in vniuerſo alioquin dimmutum eſſet vniuerſum & cũcta quæ dominus fecit ſimul ſumpta non eſſent valde bona, quod eſt contra ſcripturam

Gene-

Geneſeos 1. Confirmatur, nam in vniuerſo ſicut eſt radix neceſsitatis ſcilicet forma ita datur radix contingentiæ ſcilicet materia: ergo. Secundo nam fatũ vel eſt diuina prouidentia, vel ordo cauſarum ſecundarum ab illa diſpoſitus, ſed diuina prouidentia nõ tollit à rebus contingentiã: quia omnes cauſas diſponit ſuauiter & iuxta ipſarum naturas, vt dictum eſt: ergo. Quod ſi dicant Stoici & Auicena fatum eſſe ſiderum diſpoſitionem, & quia hæc eſt cauſa neceſſaria, etiam effectus omnes debent eſſe neceſſarij. Contra arguitur dupliciter: primo cauſa fatalis extenditur directe ad ſuos effectus, & conſequenter etiam ad actiones humanas, ſed ad has nequit extendi directe virtus cœleſtis, ſed tantum occaſionaliter, & indirecte, quatenus influendo directe in corpora quodam modo inclinat animam, vt probat D. Thom. contra Auicenam primo Metaphyſ. cap. 1. & Albumaſar in primo ſui introductorij, 1. p. quæſt. 116. art. 1. & 3. contra gentes cap. 87. ergo. Secundo quia cauſa fatalis debet extendi ad effectus per ſe, & ad effectus caſuales, & per accidens qui fiunt in hoc vniuerſo, ſed virtus cœleſtis cum ſit determinata ad vnum nequit effectus per accidẽs producere: aliàs ad vnum, & eodem modo non produceret: ergo. Tertio, quia licet cœleſtis virtus ſit neceſſaria, & eius motus ſit neceſſarius, tamen non ſemper producit ſuos effectus, quia quandoque impeditur propter materiæ indiſpoſitionem, vel propter agentis, ſecundi à quo modificatur, defectum, quem ex alterius impedimento patitur, vel propter animæ rationalis electionem, quæ directe influxui cœleſti non ſubditur, & ideo neque ab eius inclinatione cogitur, quia teſte Tholomeo ſapiens dominabitur aſtris ideſt reſiſtet effectui, & inclinationi ab aſtris cauſato in corpore. Denique arguitur, nam de fide eſt dari liberum arbitriũ, & liberas operationes ad humanos actus, & effectus ab eis dependentes in quibus eſt contingentia, & indifferentia, ad eſſe & non eſſe. Rurſus eſſe futuros euẽtus quos ſolus Deus cognoſcat, & nullus alius intellectus niſi ex Dei reuelatione, attellante Iſaia Propheta cap. 12. *Annuntiate nobis quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quod dij eſtis vos*, ſed huiuſmodi euẽtus futuri ſunt contingentes, & indeterminati in ſuis cauſis alioquim ab Angelo, aut homine cognoſcente cauſam poſſent cognoſci, & annunciari: ergo.

13 Dico ſecũdo in effectibus à ſolis cauſis naturalibus dependentibus, & impedibilibus datur vera contingentia ſecluſo omni reſpectu ad concurſum liberi arbitrij applicantis actiua paſſiuis. Hæc concluſio ſtatuitur, aduerſus tres modos dicendi reſencitos. Et probatur primo, quia ita cẽſent D. Tho. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 115. art. 6. & 2. 2. q. 95. art. 5. Et tertio contra gent. cap. 86. & quæſt. 10. de malo art. 7. ad 17. & de veritate, quæſt. 2. art. 14. quem ſequuntur Caiet. & Ferrara in locis citatis, & Egidius quodlibeto 4. Atque Alenſis p. 1. quæſt. 26. membro 3. art. 2. & Flandria hîc quæſt. 8. art. 2. & quæſt. 12. art. 1. & 2. Ex quibus teſtimonijs arguitur in hunc modum. D. Thom. diſtinguit res humanas à rebus naturalibus, & effectus liberos ab effectibus naturalibus. Vnde in illo teſtimonio 2. 2. dicit actionum humanarum, & rerum naturalium pronoſticationẽ ex cauſis cœleſtibus eſſe ſuperſticioſam, atque in ea immiſceri dæmonis operationẽ, & poſtquam tertio contra gent. cap. 85. excluſerat effectus libero arbitrio ſubditos ab influxu cœleſtium corporum cap. 86. excludit effectus mere corporeos à neceſsitate talis influxus, idemque habet quæſt. 115. art. 6. ergo ſentit dari proprie contingentiam in effectibus naturalibus prout diſtinguuntur â ſubiectis libero arbitrio, aliàs eſſet inutilis diſtinctio, & innanis repetitio verborũ. Secundo probatur, nam contingentia proprie dicta conſiſtit indefectibilitate cauſæ, vel effectus, ſecundum quod poteſt producere cauſa ſuum effectum, & naturaliter impediri ab illo, & effectus ita egredi à cauſa quod naturaliter potuiſſet non egredi, cuius contingentiæ radicem dicit D. Thom. quæſt. 86. art. 3. eſſe materiæ potentialitatẽ, complementum vero traddit Caiet. quæſt. 115. art. 6. §. *ſtito tamen* eſſe cauſæ aduerſæ appoſitum impedimentum: quo ſuppoſito argumentum ſic procedit: contingentia completa eſt potentia deficiẽdi naturaliter per appoſitionem impedimenti. Sed de fato in ſolo ordine cauſarum naturalium datur hæc potentia deficiendi reducta ad actum per appoſitionem impedimenti: ergo datur vera contingentia. Confirmatur, nam ſicut actus liber egredi dicitur cum indifferentia ad vtrumlibet â ſuo principio, & ideo eſt liber, ita effectus naturalis egreditur a ſua cauſa cũ hac indifferentia, vt poſsit egredi, & non egredi, ex meritis ſuæ cauſæ, quæ naturaliter eſt impedibilis, & antequã fiat nõ habet eſſe determinatum in illa, ſed indifferens quodammodo: ergo etiam erit contingens. Cõſequentia patet quia ſicut indifferentia agentis per intellectum conſtituit libertatẽ, ita indifferentia agentis per naturam conſtituit contingentiam. Tertio: omnis effectus vniuerſi, aut eſt neceſſarius, aut contingens

accepto

accepto hoc nomine, prout comprehendit effectus liberos, sed effectus causarum naturalium defectibilium naturaliter non sunt necessarij, neque liberi: ergo sunt omnino contingentes. Quarto, quia omnis effectus per accidens, & casualis est simpliciter contingens, sed in rebus pure naturalibus dantur plures effectus per accidens, & casuales, vt monstra, & portenta, quæ tametsi raro, verumtamen in rebus pure naturalibus euenire conspicimus: ergo. Ad hæc argumenta respondet Fonseca vbi supra sect. 2. quod tantum probãt dari in huiusmodi rebus effectus contingentes in essendo, ideſt, talis naturæ, quod possint corrumpi, aut contingentes secundum quid ideſt, casuales respectu agentium naturalium particularium, sicut dantur aliqui etiam fortuiti respectu agentium particularium liberorum. Sed contra arguitur, nam multi ex huiusmodi effectibus sunt casuales, & per accidens respectu primi mobilis, & virtutis cœlestium corporũ: ergo absolute sunt contingentes, & casuales, quia subterfugiunt omnium causarum secundarum intentionem; antecedens patet, quia quamuis virtus primi mobilis in se sit vniuersalis, & vna, tamen vt concurrit ad effectus, medijs corporibus inferioribus, est multiplex, & modificata in illis, est contingens. Vnde effectus, qui est præter intentionem causæ particularis, & per accidens potest esse præter intentionem cœlestis virtutis, vt sic modificatæ, & ita D. Thom. 3. contra gentes cap. 86. reducit contingentiam, & casualitatem effectus per accidens ad defectum agentis secundi. Rursus potest prouenire ex materiæ indispositione, & sic D. Thom. reduxit contingentiã in hoc 6. lect. 3. & primo Perhiarm. lect. 14. ad materiæ indispositionem, quæ cũ in hoc genere sit prima, cœlo non subordinatur, vt dictum est. At in secundo Physicor. cap. 4. tex. 39. reducit eam ad casum, & fortunam ideſt ad impedimentum actiuum. Ex quo sic arguitur, virtus, & influxus cœlestis, quamtumuis in se sit necessaria, tamen vt deriuatur ad hos effectus sublunares medijs corporibus inferioribus, potest impediri siue per impedimentũ materiale, siue per impedimentum actiuum siue per modificationem agentis secundi: ergo dabilis est effectus, qui respectu virtutis cœlestis, vt sic modificatæ, sit per accidens. Denique probatur impugnando prædictos dicendi modos. Primus enim deficit, quia tollit contingentiam rebus pure naturalibus, & ex hac parte coincidit cum sententia Auicenæ, qui omnes effectus habere causam per se, ad cuius positionem necessario sequantur, asserebat, quod supra impugnauimus. Secundus etiam deficit, quatenus licet admittat contingentiam in rebus naturalibus, tamen non admittit eam nisi in ordine ad concursum liberi arbitrij applicantis actiua passiuis, quod tamen est falsum; quia secluso omni libero arbitrio, etiam diuinæ voluntatis, supposito tamen hoc ordine vniuersi, adhuc causæ secundæ operarentur cõtingenter per impedimenti proprij effectus appositionem. Et quia prædictus author admittit, quod si daretur appetitus, vel apprehensio mouens ad aliquos effectus naturales, quæ à cœlo non haberent determinationem, daretur contingentia in huiusmodi effectibus, sed dantur aliqua principia mouẽtia virtuti cœlesti non subordinata, vt modificatæ, in inferioribus, scilicet in dispositione materiæ, & concursus per accidens agentis secundi apponentis impedimentum effectui intento, & qui sequitur, vt in pluribus: ergo. Tertius denique modus Fonsecæ eisdem rationibus impugnatur, & quia quando asserit huiusmodi effectus in eueniendo secundum quid (vt ipse ait) esse necessarios, & per se intentos respectu cœlestis virtutis cum omnibus suis causis, intelligit Fonseca cœlum cũ suo motu, & virtute operatiua, & causis ipsi inferioribus, & subordinatis, aut etiam intelligit ipsum Deum mouentem corpora cœlestia. Si primum iam est ostensum effectus per accidens, & casuales esse præter intentionem causarum secundarum, si secundum (satis enim obscure loquitur, & quando in illam quandoque in hanc partem vertitur) nihil dicit, nam neque D. Thom. quem ipse testatur se deserere in hac parte negat, respectu Dei omnes effectus esse per se intentos, sed tantum asserit, quod dantur effectus omnino contingentes, quia sunt præter intehtionem omnium causarum secundarum, huic enim non obstat, quod sint per se intenti à diuina prouidentia. Dicit fortasse se intelligere etiam in collectione illarum causarum ipsum Deum non absolute, vt prouidentem toti vniuerso libere, sed vt ad instar agẽtis naturalis mouet cœlum intelligentiæ motricis ministerio. Sed contra hoc est, quod effectus per accidens, qui fuerit præter intẽtionem cœli, & intelligentiæ motricis non inconuenit, quod sit præter intentionem Dei, vt mouentis cœlum more agentis naturalis adhuc effectum, quia hoc non est esse præter intentionem Dei vniuersalem, sed præter intentionem particularem illius, & veluti secundũ quid, manet enim talis effectus ex alia parte subditus intentioni Dei, vt prouisoris vniuersalis, sub cuius prouidẽtia

cadunt,

cadunt, monſtra, mala naturæ, imo & mala culpæ vt permiſſa, teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 2.

14 Sed contra poteſt obijci primo quia Deum decet facere melius in vniuerſo; ſed melius eſt effectus eſſe expertes contingentiæ, & defectibilitatis, quàm eſſe contingentes: ergo debuit tollere contingentiam à rebus.

Secũdo quia omnis effectus naturalis prouenies à cauſa nõ impedita eſt neceſſarius, & etiam ille, qui prouenit â cauſa impedita: ergo nulla eſt contingentia in effectibus pure naturalibus, antecedens pro prima parte eſt certum, & pro ſecunda probatur, quia effectus prouenies à cauſa impedita ſimul cũ impediente ſequitur inclinationem impedientis, quæ fuit poſterior; ſed eius virtus etiam cauſat naturaliter: ergo non minus ſequetur effectus naturaliter, quia neceſſaria ſequela ex cauſa potentiori naturali, vel ex cauſa impedita ſimul cum potentiori impedienti ſequitur effectus, ſicut quando ex elementorum pugna, & cõmixtione fit aliquod mixtum.

Tertio quia in brutis animalibus, & in pueris amentibus, & à fortiori in non viuentibus nulla eſt indifferentia: ergo motus eorũ ſunt omnino neceſſarij, antecedens patet: quia eſt omnimoda determinatio in eis ad ſuos motus.

Quarto nam horum effectuum diſpoſitio à diuina prouidẽtia ordinata nullatenus eſt euitabilis: ergo eſt ineuitabilis, ac proinde neceſſaria.

Ad primam obiectionem reſpondetur dupliciter primo quod Deum decet facere melius toti vniuerſo, non autem melius rei particulari, toti autem vniuerſo melius eſt habere contingentiam, quàm ſolam neceſſitatẽ, quia in rerum diſtinctione conſiſtit bonum, & vniuerſi pulcritudo: Secundo quod agenti, & prouiſori particulari conuenit facere melius, & excludere omne malum à ſuis effectibus, in quantum poteſt, ſecus vero agenti, & prouiſori vniuerſali, qualis eſt Deus, vt tradit D. Thom. 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 2.

Ad ſecundam negatur antecedens pro ſecunda parte, ad cuius probationem patet ex dictis negandã eſſe minorem, quia licet virtus cauſæ impedientis ſeorſum, & ſecundũ ſe cauſet naturaliter proprium effectum, at quatenus impediens eſt occurrendo alteri, per accidẽs, cauſat, quia occurſus ille eſt per accidens, & caſualis.

Ad tertiam diſtinguitur antecedens nulla eſt indifferentia libertatis concedo antecedens, nulla eſt indifferentia contingẽtiæ, & impedibilitatis, nego illud; Vnde immerito Fonſeca ſect. 3. irridet hanc brutorum, amentium, & puerorum contingentiæ indifferentiam.

Ad quartam duplex eſt ſolutio prima Caietani quæſt. 22. proxime citata art. 4. §. *in reſponſione ad ſecundum* aſſerentis diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, neque euitabilem, neque ineuitabilem eſſe, ſed aliquid eminẽtius, cui ſubſcripſit Fonſeca ſectione 5. dicens fatum eſſe diſpoſitionem cauſarum ſecundarum à diuina prouidentia præordinatam certam, & infallibilem; ſed non eſſe appellandam ineuitabilem, quia ineuitabile denotat neceſſitatem. Sed quia quæſtio eſt de nomine, ſuſtineri poteſt ſolutio Ferrariæ primo contra gentes cap. 85. & tertio contra gent. cap. 74. & 94. aſſerentis diſpoſitionem huiuſmodi diuinæ prouidentiæ abſolute, & in ſenſu diuiſo ex meritis cauſarum ſecundarum defectibilium eſſe euitabilem, ex ſuppoſitione tamen, & in ſenſu compoſito eſſe ineuitabilem, quod inſinuauit D. Tho. quæſt. 116. art. 3. dicens illam primo modo ſumptam eſſe mobilem, immobilem vero in ſecundo ſenſu.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit contingentiæ, & contingentium effectuum modus?

15 VARII, ac diuerſi ſunt diuidendi contingentiam modi. Fonſeca enim loco citato nempe ſect. 2. diſtinguit tria contingentium genera, vnũ caſualium, ideſt, præter intentionem euenientium, aliud in eſſendo, ideſt, eorum, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, tertium in eueniendo, ideſt, eorum, qui ita eueniunt, vt ab eis cauſis, à quibus eueniunt, poſſent non euenire: ſed hanc diuiſionem prius, & ſub alijs cõgruentioribus terminis expoſuit Bañeſius noſter 1. p. quæſt. 19. art. 8. §. *denique notandum eſt*, dicens contingens eſſe triplex, aliud contingens Dialectice, quod ſolũ dicit poſſibiliter aliquid eſſe, & poſſibiliter non eſſe, & nullam ponit imperfectionem in cauſa, & ita Deus contingenter creauit mundum, & cœlum contingenter exiſtit. Aliud phyſice, ſiue naturaliter, quod ſupra poſſibilitatẽ ad eſſe, & non eſſe addit reſpectum ad cauſam, quæ ſubeſt imperfectioni defectibilitatis, ſiue impedibilitatis, quo pacto Deus nihil contingenter operatur. Et aliud contingens moraliter, quod petit fieri præter operantis intentionem, & hunc reſpectũ addit

ſup-

ſupra contingens naturale, ſiue phyſice. Sed D. Thom. ſæpe ſæpius præſertim in 1. p. q. 57. art. 3. quæſt. 86. art. 4. & 2. 2. quæſt. 95. art. 1. & in 1. diſt. 38. art. 1. aliam affert diuiſionem, dicens contingentium alia euenire, vt in pluribus, alia vero vt paucioribus, quæ ſunt raro euenientia, & hunc modum diuidendi contingens in futuris euentibus ſequũtur Caiet. 1. p. quæſt. 115. art. 6. Durandus in 1. diſt. 38. quæſt. 5. & Flandrenſis hic q. 8. art. 2. & quæſt. 11. art. 1. ſubdens his duobus contingentiæ generibus tertium eorũ, quæ ſunt indifferentia ad vtrumlibet, ſcilicet ad eſſe & non eſſe. Ex his modis diuidendi contingens primus diſplicet propter duo: primo quia in nullo membrorum diuidentium ſaluat contingentiam ſimpliciter; quod eſſe falſum oſtendimus ſupra. Secundo quia nullum aſsignat contingentiæ modum, qui in cauſa ponat imperfectionem impedibilitatis, qui tamen eſt admittendus, vt conſtat ex dictis. Facile tamen omnes diuiſiones neũ ſecunda, & tertia, ſed etiam prima benigne acceptæ poſſunt ad vnam reduci, & inter huius membrorum ſubdiuiſionem coaptari. In hunc modum: contingens vt ſic, aliud dicitur large, quod habet potentiam ad eſſe, & non eſſe, ſicut, homo, cœlum, & cætera entia extra Deum quoad eſſe exiſtentiæ ipſorum, in quibus eſt latitudo: nam corruptibilia habent potentiam veluti naturalem, & intrinſecam ad non eſſe, incorruptibilia vero ſolum per potentiam obedientialem, & extrinſecam Dei poſſunt non eſſe, & hoc congruẽter contingens Dialectice nuncupauit Bañes. Aliud eſt contingẽs magis ſtricte, quod diuiditur in indifferens ad vtrumlibet, ſcilicet ad eſſe, & non eſſe, vel potius ad fieri, & non fieri, vt Petrum currere, & hoc ſubdiuiditur in liberum, ideſt, cuius indifferentia non ex imperfectione cauſæ, ſed ex innata libertate prouenit, & illud, cuius indifferentia ex imperfectione, ſeu impedibilitate cauſæ prouenit, & in ſolis cauſis naturalibus inuenitur, & contra hoc ſolet condiſtingui liberum. Vnde in primo ſenſu Deus contingenter creat: in ſecundo vero Deus nõ creat contingenter, quia creat libere, & in impedibiliter: aliud eſt contingens vt in pluribus licet raro impediatur, vt hominem naſci bipedem, & aliud eſt raro contingens, quod ſæpius impeditur, vt hominem naſci vnius tãtum pedis. Ex his reſpondeo ad quæſitũ hac vnica concluſione: modum contingentiæ, & effectuum cotingentiæ, proprie ſumpta ratione contingentiæ, eſſe triplicem alium indifferentium, alium vt in plurimum, & aliũ raro contingẽtium: patet primo ex D. Tho. qui hanc diuiſionem ſtatui contingentium in locis citatis duo membra. Secundum ſcilicet, & tertium exprimit, & primum ſuppo nit, in alijs vero per hæc tria mẽbra expreſſe diuidit contingentiæ modum; ita enim habet primo Perhiarm. lect. 13. Secũdo Phyſicor. lect. 8. & in hoc 6. lect. 2. Neque tamen propriam, ſed Ariſtotelis in eiſdem locis declarauit ſententiam: Secundo probatur, nam contingens proprie ſumptum ſupponit pro effectu impedibiliter eueniente, quod nomine contingentis in eueniendo nõ inepte Fonſeca explicauit, ſed hoc contingens adæquate per illa tria membra exhauritur, adæquate diuiditur, atque de illis prædicatur, inter quæ formalis diſtinctio, ſeu oppoſitio inuenitur, ergo nulla conditio bonæ diuiſionis in hac deſideratur: Maior ſupponitur ex dictis, & Minor probatur: quia ſub primo membro comprehenduntur effectus humani, ſiue liberi, & alij naturales ad vtrũlibet indifferentes, vt equum currere, vel equum non currere, amẽtem ambulare, qui effectus, licet naturales, ſunt indifferentes, ſimiliter quod vas rotundum, & obturatum æqualis vndique craſitudinis, aqua contenta congelata, per partem dexteram cauſa vitandi vacuum rumpatur, eſt effectus indifferens, quia poteſt rumpi per ſiniſtrã, & quod bellua, propoſito vndiq; pabulo, æque propinquo, & æque appetibili ad hoc accurrat magis, quãm ad illud: & ſub ſecundo membro comprehenduntur omnes effectus, vt in plurimum euenientes obnoxij tamẽ deffectibilitati: & tandem ſub tertio comprehenduntur effectus caſuales, & per accidens, qui raro contingunt, & quodlibet membrorum ſuſcipit prædicationem diuiſi, gaudetque diſtincta deffinitione à deffinitione alterius: ergo. Tertio nam, cum contingens ſit idem, quod poſsibile non eſſe, opponitur neceſſario, vnde neceſſario, & poſsibiliter non ſunt modi contradictorij: quot modis dicitur effectus neceſſarius, tot modis debet dici effectus contingens, quia in hoc oppoſita parificantur, ſed effectus neceſſarius eſt triplex, ſcilicet alius eſt neceſſarius; quia fit abſque vlla indifferentia, vt ſolem illuminare, alius, quia fit raro, ſed impediblliter, vt ſolem debito tempore eclipſari, quando ſcilicet occurrerit Lunæ in eodẽ puncto eclipticæ lineæ, & alius per ſe intentus, vt quod homo generet hominem, qui huiuſcemodus neceſsitatis opponitur primo modo contingentiæ, & ſecundus, ſecundo, & tertius tertio. Sed cõtra dices, ſub primo membro non comprehẽduntur indifferentes ad vtrumlibet, quia nõ dantur illi enim recenſiti determinantur â

Deo,

Deo, qui eſt prima cauſa omnes alias præde terminans. Deinde quia contingentia, de qua eſt ſermo, dicit imperfectionem, ſcilicet impedibilitatem, & materiam in ſubiecto, quia eius radix eſt materiæ potentialitas, vt dictum eſt: ergo libertas non debet comprehendi in hac diuiſione, denique quia ſolem eclipſari eſt effectus raro contingens, & tamen non clauditur ſub tertio membro, quia eſt effectus neceſſarius: ergo. Primæ obiectioni, quæ eſt Fonſecæ ſectione 3. negantis illos effectus eſſe indifferentes, ſatis fit, ſi dicamus Dei determinationem per concurſum efficacem non tollere effectus indifferentiam, quam habet, vt egreditur à cauſa ſecunda.

Secundæ reſpondetur libertatem creatam, etiam eſſe imperfectam propter indifferentiam, ex parte ſubiecti, & ita merito comprehendi, ſecus diuinam, ſi autem ſtricte ſumatur contingens, vt condiſtinguitur à libero, poteſt primum membrum accipi pro indifferenti naturali. Tertiæ occurritur, quia eclipſis eſt effectus contingens raro quantum ad tempus, non vero quantum ad cauſam, ad quam neceſſario ſequitur, & ideo eſt inter effectus neceſſarios computandus.

ARTICVLVS III.

An radix contingentiæ ſit in diuinæ voluntatis efficacia conſtituenda?

Opinio antiquorum.

16 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ, prima fuit quorundam antiquorum aſſerentium radicem contingentiæ in ipſis cauſis ſecundis impedibilibus, hoc eſt, in earum impedibilitate, eſſe conſtituendam, hos refert D. Thom. hic lect. 3. & 1. part. quæſt. 19. artic. 8. qui ex eo præcipue mouebantur ad ſuam aſſertionem, quod Deum putarent ex neceſsitate agere naturæ, vt ſenſit plane Philoſophus lib. 9. huius capit. 9. & lib. 12. cap. 6. & ſecundo de cœlo capit. 3. qua admiſſa hypotheſi, & ſimul rerum contingentia, eius radicem in diuina voluntate indefectibili ponere impoſsibile iudicabant, & ideo ad cauſas ſecundas defectibiles recurrebant.

Oponic Scotiſtarum.

Secunda aſſerit ponendam eſſe in diuinæ voluntatis libertate adeò, vt ſi hæc ex neceſsitate naturæ operetur omnium rerum contingentia de medio tollenda ſit; Principeps huius ſententiæ fuit Scotus in primo diſtinctione 2. quæſt. 2. & diſtinctione 8. q. 2. & diſtinct. 39. quæſt. 1. & in 2. diſtinct. 1. quæſt. 3. quem pauci ex Neotericis ſequuntur nouiſsime autem omnium Fonſeca hic cap. 2. quæſt. 3. ſect. 2. & 3. quia tamen aliquantulũ hic author ſibi nimis confidens ab Scoti, & D. Thomæ ſententia diuertit, eius tria dicta placet proponere, vt ex eis propria eius ſententia pateſiat: aſſerit enim primo quod contingentium in eſſendo, ſiue poſsibilium deficere nulla alia radix eſt quærenda, niſi eorum naturæ, ita habet concluſione prima. Secundo aſſerit quod contingentium in eueniendo, ideſt, effectuum impedibilium prima radix eſt diuina voluntas, vt libera: ita habet concluſione ſecunda aſſerit tertio, proximam radicem contingentiæ effectuũ caſualium, & immediate à Deo prouenientium, eſſe eandem diuinam voluntatem, vt liberam & efficacem. Tertia ſententia aſſerit primam contingentiæ radicem in diuina voluntate, vt efficaci eſſe conſtituendam: hæc eſt ſententia Doctoris Angelici in hoc ſexto lectione 3. & 1. part. quæſt. 19. artic. 8. de veritate quæſt. 23. artic. 5. primo contra gentes capit. 85. quem ſequuntur Capreolus in primo, diſtinctione 38. quæſt. prima, Ferrara tertio contra gentes 67. Caietano 1. part. quæſt. 14. artic. 13. §. *ad huius difficultatis euidentiam*, & quæſt. 19. artic. 8. §. *circa iſtam difficultatem*, Bañeſius ibidẽ dub. vnico concluſ. 7. & 8. Flandrenſis hic quæſt. 11. art. 1. & quæſt. 12. art. 2. & Suarez 1. tom. Metaph. diſput. 15. ſect. 3. Authores tamen huius ſententiæ diuiſi ſunt in tres modos dicendi, alij dicunt efficaciam diuinæ voluntatis eſſe radicem primam contingentiæ per modum rationis formalis, libertatem vero eſſe conditionem ſine qua non eſſet in rebus creatis contingentia de horum numero videtur eſſe Flandrenſis, qui ait primam cauſam contingentiæ eſſe diuinam prouidentiam, quæ includit, vel cõnotat actum liberum diuinæ voluntatis, alij autẽ, de quorum numero ſunt Capreolus, & Caietanus, & Suarez volunt efficaciam diuinæ voluntatis eſſe primam radicem contingentiæ, ita vt libertas nullatenus ad illam ſaluandam, vel ad eius reductionem in Deum requiratur. Alij denique de quorum numero eſt Bañeſius aſſerunt, quod efficacia diuinæ voluntatis eſt radix prima contingentiæ, libertas eius nihilominus requiritur, vt contingentia reducatur in illam, tanquam in primam radicem, non tamen, vt ſit in rebus. Vnde inferunt iſti, quod ſi voluntas diuina operaretur ex neceſsitate naturæ, darentur effe-

ctus contingentes, ſed eorum contingentia non reduceretur in diuinam voluntatem, vt in primam radicem. Sed pro explicatione veritatis ſuppoſita illa diſtinctione effectuum contingentium, ideſt, poſsibilium non eſſe, & naturaliter impedibilium, & moralium, hoc eſt, præter intentionem cauſæ liberæ creatæ.

Sententia D. Tho. & authoris.

17 Reſpondeo dicendum primo radicē primam contingentiæ quouis modo ſumptā non poſſe eſſe cauſas ſecundas. Hæc concluſio ſtatuitur contra Authores primæ ſententiæ, & probatur duplici ratione D. Thom. quarum prima reducitur ad hanc formam; tunc aliquis effectus cauſæ vniuerſalis eſt contingens, quando eſt impedibilis per concurſum alterius cauſæ: Sed effectus Dei nequit impediri per concurſum alicuius cauſæ ſecundæ: ergo nequit prouenire contingentia effectus cauſati â Deo, à cauſis ſecundis alias poſſet impediri per concurſum illarum. Secunda procedit ab inconuenienti, quia ſequitur effectum contingentem fieri præter intentionem Dei, ſiquidem Deus eſt cauſa libera, & effectus contingentes fierent à cauſis ſecundis præter cōcurſum Dei liberum, ac proinde præter eius intentionem, hoc autem eſt impoſsibile, quia nullus effectus poteſt Dei intentionem ſubterfugere: ergo. Dico ſecundo diuina libertas non eſt radix prima contingentiæ quouis modo ſumptæ, ſed efficacia diuinæ voluntatis. Vnde ſententia Fonſecæ quoad eius tria dicta deficit à veritate. Hæc concluſio quoad primam partem ſtatuitur aduerſus Scotum, & ſequaces ſecundæ ſententiæ, & probatur primo quia prima radix contingentiæ eſt illa, quæ eſt in Deo ratio agendi cum cauſis ſecūdis iuxta modum ipſarum præſtando eis ſuū concurſum ad effectus contingentes, ſed hæc eſt efficacia, & non libertas; Deus enim mouet cauſas ſecundas contingentes ad effectus contingentes, & neceſſarias ad effectus neceſſarios, & liberas ad effectus liberos per ſuam voluntatem vt efficacem, & non vt liberam: ergo. Confirmatur nam prima radix contingentiæ eſt prima cauſa productiua illius, ſiquidem contingentia eſt modus quidam cauſatus â Deo, ſicut neceſsitas, & libertas, ſed Deus cauſat omnes ſuos effectus, & modos eorum proxime per ſuum intellectum, & per voluntatem, vt mouentem intellectum: ergo voluntas eſt prima radix contingentiæ.

Secundo probatur ratione Doctoris Angelici, quæ ad hanc formam eſt reducenda, ad efficaciam diuinæ voluntatis pertinet ita præparare, & mouere cauſas ſecundas, ad proprios effectus, vt faciat eas operari tales effectus, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoadmodum contingentiæ, vel neceſsitatis, ſiue libertatis, ſed ex hoc haber diuina voluntas eſſe primam radicem contingentiæ: ergo ex efficacia, & non ex libertate id habet. Maior patet, quia ad efficaciam cauſæ pertinet producere effectus ſimiles ſibi, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam in accidentibus, & ſi agens eſt liberum, quod effectus producatur talis, & cum tali modo, quo ipſum vult producere, eſt maximæ ipſius efficaciæ: Minor autem probatur quoniam ſicut diuina voluntas ex eo eſt prima radix neceſsitatis, atque libertatis creatæ, quia eſt prima cauſa, quæ medijs cauſis ſecundis neceſſarijs operatur effectus neceſſarios, & medijs cauſis liberis operatur effectus liberos, & ita propottionabiliter eſt prima radix contingentiæ, quia eſt prima cauſa, quæ medijs cauſis contingentibus operatur effectus contingentes. Secunda pars concluſionis ſtatuitur, aperto Marte aduerſus Fonſecam, & probatur impugnando ſingula eius dicta. Primum namque deficit à veritate, quia diuina voluntas eſt prima cauſa, ac proinde prima radix omnis entitatis creatæ, & cuiuslibet modi, conditionis, & proprietatis realis illius: ſed illa contingentia, quam ipſe appellat in eſſendo, & nos appellamus poſsibilitatem ad non eſſendum, vel abſolute, vel de lege ordinaria, eſt modus, conditio vel proprietas rerum creatarum, verbi gratia cœli, elementorum & aliarum rerum, quæ poſſunt ſiue annihilari, ſiue corrumpi: ergo diuina voluntas eſt prima radix huiuſmodi contingentiæ, ſiue poſsibilitatis, ac per conſequens, licet proxima radix ſit in ipſis rerum naturis, prima tamen vlterius eſt quærenda in diuina voluntate. Secundum ex prima parte concluſionis manet labefactatum. Tertium dictum falſiſsimum eſt, & falſum ſupponit, eſt falſiſsimum quidem, quia proxima cauſa contingentiæ, & caſualitatis eſt illa in ordine, ad quam effectus eſt contingens, hoc eſt impedibilis, & caſualis, hoc eſt præter intentionem, ſed in ordine ad voluntatem Dei, ac diuinam prouidentiam nullus effectus eſt impedibilis, aut caſualis, cum omnis effectus per ordinem ad diuinam prouidentiam, & voluntatem ſit infallibilis inimpedibilis, ac intentus: ergo. Maior patet quia deffinitio effectus caſualis, & naturaliter contingentis datur formaliter per ordinem ad cauſam proximam defectibilem, & impedibilem, aut no

inten-

intendentem talem effectum, vt dictum eſt. Rurſus ſequitur Deum operari aliquos effectus contingenter, conſequens eſt abſurdū: ergo ſequela probatur quia cauſa, quæ eſt proxima radix cōtingentiæ ſui effectus, operatur contingenter: ergo ſi Deus eſt proxima radix contingētiæ in illis effectibus, quos ſe ſolo, & immediate producit (vt admittit hic author) operaretur illos contingenter. Denique quia hoc verſatur diſcrimen inter effectum, libertatem, atque contingentiam proprie dictam, & caſualitatem, quod libertas, cum ſit conditio dicens perfectionem, cōuenit actibus liberis creatis formaliter, non tantū per ordinem ad proximam cauſam liberam, ſcilicet liberum arbitrium creatum, ſed etiam per ordinem ad primam cauſam, & radicem libertatis, quæ eſt diuina voluntas, & effectus, vt liber, poteſt prouenire à Deo, qui libere operatur. At contingentia, cum ſit conditio dicens imperfectionem, nequit conuenire effectibus formaliter per ordinem ad primam cauſam, ſed tantum per ordinem ad cauſam ſecundam impedibilē, ſimiliter caſualitas ſolum poteſt conuenire effectibus per ordinem ad cauſam caſualiter operantem, hæc autem eſt cauſa ſecunda & non Deus, qui nec contingenter, nec caſualiter operatur. Supponit autem falſum, quia ſupponit effectus productos à ſolo Deo poſſe eſſe contingentes, quod quidē eſt falſum, nam effectus contingens proprie dicit intrinſece ordinem, ac dependentiam ad cauſam impedibilem; ſed Deus nō eſt cauſa impedibilis: ergo ſe ſolo nequit producere effectum contingentem, & licet effectus proueniens à ſolo Deo poſsit eſſe præter intentionem cauſæ ſecundæ, vt monſtrua, vig. miraculoſa, ac ſuſcitatio à ſolo Deo, patrata tamen non eſſet caſualis reſpectu Dei, ſed reſpectu cauſæ ſecundæ. Neque valet dicere, quod poteſt Deus facere ſe ſolo, quidquid facit cum cauſis ſecundis igitur ſe ſolo poteſt facere effectus contingentes, & caſuales, quos cum cauſis ſecundis operatur. Illud enim axioma intelligendum eſt quando effectus non dicit intrinſece, & formaliter ordinem ad cauſam ſecundam efficientem, vel quando ab illa non dependet, etiam in genere cauſę formalis in ſuplebilis à Deo, qua de cauſa vitalis actus nequit fieri à Deo ſine potentia vitali creata, neque contingentia abſque cauſa ſecunda impedibili, quia ſicut actus vitalis dicit intrinſecum ordinem ad potentiam vitalem, & ab illa dependet, vt cauſa formali extrinſeca, ita contingentia dicit intrinſecum ordinem ad cauſam impedibilem, à qua vt à cauſa quodammodo formali, ideſt, vt à termino ſuæ habitudinis dependet.

18 Dico tertio libertas in prima mundi productione requiſita fuit, vt conditio neceſſaria ad ſaluandam rerum contingentiā, & huius reductionem in diuinam voluntatem, vt in primam cauſam: ſecus vero ſuppoſita illa prima mūdi productione. Hæcō cluſio ſtatuitur pro authoribus tertiæ ſententiæ pro illis inquam, qui ſecundum modum dicendi ſequuntur, & probatur prima pars, nam ſi Deus opereretur abſque libertate, nō ſtatuiſſet in vniuerſo hunc ordinem, & diſtinctionem cauſarum contingentium, neceſſario, aut libere operantium, quia aut infinitum, aut nihil operaretur, eo quod ageret ſecundum vltimum potentiæ: ergo cum potentia eius ſit infinita, produceret infinitū. Rurſus cum natura idem, & ſemper, ac eodē modo agat, quia eſt ad vnum, & eodem modo determinata, non produceret diuina voluntas tantam rerum varietatē, atque diſtinctionem, in qua vniuerſi huius pulchritudo conſiſtit; ſed idem, & eodem modo ab æterno produxiſſet, aut certe nihil produceret, quia nō poſſet eligere ex infinitis rebus producibilibus, quas produceret, aut quas relinqueret. Vnde non eſſet in rebus contingentia, aut libertas, ſed ſumma vnitas, ſumma neceſsitas & ſumma indefectibilitas, aut certe nihil. Ac proinde ad primā mūdi, & eius partiū conſtitutionē requiritur libertas diuinæ volūtatis, & recte Scotus in hoc ſenſu, ablata libertate à diuina voluntate dixit Philoſophos, qui cum Ariſtotele Deū operari ſine libertate, & aliàs effectus contingentes poſuerūt cōtradictoria admiſiſſe. Secūda pars probatur primo nam ſuppoſita prima huius vniuerſi conſtitutione libere producta, libertas primæ cauſæ nec requiritur, vt ſaluetur cōtingētia in rebus, neq; vt reducatur in diuinā volūtatē, vt in primā cauſam: ergo nullatenus eſt requiſita. Antecedens pro prima parte probatur, quia etiā ſi Deus modo diſponeret, & moueret cauſas ſecundas ex neceſsitate naturæ, eſſent cauſæ ſecundæ impedibiles, ſicut modo ſunt, Deo libere mouente, eſſent etiam cauſæ liberæ, ſcilicet homines, in quibus fortuna, & caſus poſſet eſſe, vt præter eorum intentionem aliquid accideret: ergo. Antecedens patet nam curſus equi, v. g. poſſet fieri per viam aliquam, in qua fouea, aut lapis aliquis eſſet, vbi equus offenderet, & à ſuo curſu ceſſaret: ſimili de cauſa poſſet lapidis motus naturalis impediri, & fructus arboris rigore æſtus, aut hyemis (eo modo quo nūc) impediretur, quia eadē eſſet vis in æſtu, & frigore, fructib⁹

contraria,atque modo. Secunda pars probatur, nam in Deo maneret eadem efficacia, & virtus cauſandi omnes effectus, & modos eorum per modum primæ cauſæ, eo quod adempta libertate ab illo,non auferetur per locum ab intrinſeco eius virtus, & efficacia aut ratio primæ cauſæ, licet materialiter, & ratione ſubiecti, in quo libertas, & efficacia identificantur, ſequatur ad deſtructionem vnius deſtructio alterius: ergo adhuc in ipſum contingentia & neceſsitas reducerentur vt in primam cauſam, & radicem. Confirmatur nam defectus libertatis non tollit, quominus diuinæ proceſsiones ad intra reducantur in Patrem, vt in primum ac fontale principium, qui eſt primum principium producendi Verbum per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem: ergo. Neque defectus libertatis obſtaret, quominus diuerſæ potentiæ creatæ motæ à Deo diuerſos effectus,& diuerſimode producerẽt, & in hoc ſenſu,& non in primo voluerunt Authores huiuſmodi dicendi non requiri libertatem Dei ad ſaluandam contingentiam, aut eius in Deum, vt in primam cauſam reductionem. In quod Fonſeca cæcutiuit ſect.3. in ſolutione ad primum.Ex his rationibus manent impugnati duo alij modi defendendi tertiam ſententiam. Proximam autem radicem contingentiæ, & neneceſsitatis eſſe in cauſis ſecundis ſatis conſtat ex dictis.

19 Sed contra arguitur primo, nam ſequitur omnes effectus eſſe contingentes,conſequens eſt falſum: ergo. Sequela probatur quia duo genera effectuum contingentiam poſſent ſubterfugere, ſcilicet eorum, qui ſunt neceſſarij,vel à ſolo Deo producti, ſed omnes iſti ſunt ab eadem efficacia diuinæ voluntatis, aqua ſcilicet proueniunt illi, qui fiunt medijs cauſis impedibilibus: ergo. Confirmatur primo, nam ſi Deus ſe ſolo produceret flores arborum, illi flores eſſent effectus eiuſdem rationis cum floribus productis medijs arboribus,ſed iſtis ſunt contingentes:ergo & illi. Dices eſſe eiuſdem rationis quoad ſubſtantiam:ſecus autẽ quoadmodum. Sed contra nam Deus, & efficacia diuinæ voluntatis eminenter præhabent contingentiam cauſarum ſecundarum: ergo poſſunt ſuplere vicem illarum quoad illum modũ contingentiæ ſuis effectibus cõmunicandum. Confitmatur ſecundo, ſi effectus quoadmodum contingentiæ reducerentur in efficaciam diuinæ voluntatis, vt in in primam radicem, & in cauſam ſecundam impedibilem vt in principium proximum in ſuplebile, hæc eſſet vera,effectus eſt contingens, quia procedit à cauſa ſecunda contingenti. Sicut hæc eſt vera,effectus eſt contingens,quia diuina voluntas vult ipſum fieri contingenter, ſed illa propoſitio prima eſt falſa: ergo falſum eſt contingentiam effectuum à cauſis ſecundis debere proxime prouenire; Minor probatur,nam D. Thom. 1. p. quæſt.19. art.8. in fine ita concludit, *non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter,quia cauſæ proximæ ſint contingentes,ſed propterea quod Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos præparauit.* Igitur non requiritur cõtingentia in cauſa proxima,ac proinde effectus proxime productus à Deo poterit contingens eſſe. Reſpondetur ad hoc argumentum negando ſequelam, ad cuius probationem dico,quod licet efficacia diuinæ voluntatis ſit eadem circa illos effectus, tamen eſt diuerſimode applicata,nam ad effectus contingentes applicatur media cauſa ſecunda impedibili,& ideo effectus procedunt affecti modo contingentiæ,quia ad hoc ſufficit, quod cauſa proxima ſit contingens, vt totus effectus contingenter eueniat, eo quod iſte modus contingentiæ deſumitur per ordinem ad cauſam proximam impedibilem, & non per ordinem ad cauſam primam ſicut modus caſualitatis, & fortuiti effectibus caſualibus,& fortuitis non conuenunt per ordinem ad omnes eorum cauſas, ſed ſolum per ordinẽ ad naturã, & intentionẽ creatã, vt docet D. Thom.1. p. q.22. art.1. ad primum & ibidem aduertit Caietan.§. *iã ſupra citato.* Ad effectusauté neceſſarois, & à Deo immediate productos applicatur efficacia diuinæ voluntatis vel medijs cauſis ſecundis neceſſarijs, vel abſque contingentibus ſe ſola,& ideo tales effectus non habent, vnde ſumant modum contingentiæ. Ad primam confirmationem duplex eſt ſolutio,& vtraque inſinuata à Caietano 1.p. quæſt.14. art. 15.§. *quoad ſecundum igitur.* Prima quod illi effectus quoadmodum non eſſent eiuſdem rationis cum illis,quos medijs cauſis ſecundis Deus producit,eo quod illi non contingentes,nec neceſſarij proprie, ſed eſſent liberi,& neceſſarij neceſsitate immutabilitatis,ſicut diuina voluntas formaliter, neque eſt neceſſaria,neque contingens in cauſando,ſed libera,& neceſſaria neceſsitate infallibilitatis,ſeu immutabilitatis,neque modus ille contingentiæ eſt à Deo ſuplebilis, tum quia inuoluit imperfectionem,tum quia intrinſece dependet à cauſa ſecunda, non ſolum vt effectiua,ſed etiam vt formali, & ſpecificatiua illius,ac per cõſequẽs in ſuplebili.

Secunda

Secunda est quod illi effectus essent contingentes propter efficaciam diuinæ voluntatis, & propter suplementum suplens vicem causæ contingentis, quam potest supiere diuina voluntas eminenter præhabens modum operandi omnium causarum secundarum. Sed hæc solutio est falsa, & contra mentem D. Thom. in primo distinctione 38. & ideo standum nobis est in prima. Ad secundam concedo sequelam, & nego minorem. Vnde D. Thom 1. p. quæst. 14. articulo 13. ad primum asserit quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, in quibus verbis fatetur illam causalem, sed quia postea in articulo 8. quæstionis 19. de causa contingentiæ, non quomodocumque, sed per modum primæ radicis, ideo dixit effectus non esse contingentes, quia sunt à causis contingentibus, &c. Cuius propositionis sensus non esse contingentes effectus primordialiter, & radicaliter à causis secundis, non tamen negauit habere contingentiam à causis secundis proxime; quinimo hoc ibi fatetur dum subdit, *contingentes causas ad eos præparauit.*

Secundo arguitur, quia contingentia nequit reduci in diuinam voluntatem: ergo falso asserimus antecedens probatur. Neque reduci potest in illam, vt in principium proximum, quia diuina voluntas non est formaliter contingens, aut impedibilis, aut agens præter intentionem, quibus conditionibus afficitur principium proximum contingentiæ, nec vt in primam radicem, quod patet. Tum quia diuina scientia est prima causa rerum, vt ratio operandi teste D. Thom. quæst. 14. artic. 8. Tum quia diuina scientia, quæ est causa rerum est necessaria teste eodem Diuo Thoma artic. 13. ad primum sed necessitas est conditio opposita contingentiæ: ergo. Tum denique, quia omnis effectus, prout procedit à Deo, non est contingens, sed ineuitabilis, & infallibilis, diuina enim voluntas semper impletur, & nullus est qui ei possit resistere, vt docet D. Thom. quæst. 19. artic. 6. Respondetur negando antecedens; ad probationem negatur secunda pars antecedentis, ad primam probationem dico diuinam scientiam esse rationem formalem agendi, sed voluntatem diuinam esse primum principium mouens, & applicans, quoad exercitium, & ideo esse primam radicem contingentiæ. Ad secundam quod est necessaria necessitate immutabilitatis, quæ non opponitur contingentiæ. Ad tertiam quod effectus ille est ex suppositione ineuitabilis, & ideo contingens. Tertio arguitur sequitur, quod etiam, si Deus cum eadem efficacia ageret ex necessitate naturæ, adhuc esset contingentia in rebus, consequens est falsum: ergo & antecedens, minor patet, quia omnes causæ secundæ mouentur necessario à prima causa. Respondetur negando minorem, quia, suppositio eodem ordine vniuersi, mouerentur iuxta suas naturas. Vel dicendum est, quod vtrumque sequitur, quia ex impossibili sequitur quodlibet. Quarto arguitur ab Scoto, nam causa operans, in quantum mota, si necessario mouetur, necessario mouet; sed causa secunda operatur in quantum mota à prima: ergo si ab hac necessario mouetur, & ipsa necessario operabitur, ac per consequens secluſa libertate diuina, etiam in secunda rerum dispositione destruitur earum contingentia, & libertas. Omissa duplici solutione Caietani, de qua fuit sermo lib. 5. quæst. 4. Dico maiorem veram esse, quando motio mouentis necessarij est necessaria non solum vt egreditura à mouente primo, sed etiam vt recepta in mouente secundo impedibiliter, vel defectibiliter iuxta naturam, & modum ipsius mouentis secundi: in nostro autem casu motio diuina reciperetur in causis secundis iuxta ipsarum naturas, iuxta quas modificaretur ad operandum necessario cum necessarijs, & contingenter cum contingentibus, & libere cum liberis; neque hæc modificatio obstaret diuinæ efficaciæ: sed potius ex illa proueniret, sicut modo de facto prouenit ex efficacia sui auxilij, materialiterque dumtaxat causæ secundæ concurrerent ad talem modificationem, ideſt, præbentibus aptum susceptibile. Quinto arguitur, aliqua futura conditionata sunt contingentia, & prout sciuntur à Deo, atque prout ab illo facienda sunt, habent contingentiam, & casualitatem: ergo Deus potest esse proxima causa contingentiæ. Minor patet in his conditionalibus, v. g. Geneſis 3. de Adamo dicit Deus *ne forte mittat manum suã* Matthæi 11. de Sodomitis, *forte permãsissent vsque adhuc*, & Exodi 4. *si non audierint sermones signi prioris credent verbo signi sequentis.* Deus ipse testatur se huiusmodi futura scire sub contingentia, & probabilitate: ergo sub eadem possunt, & debent haberi

suum fore ab ipso Deo. Vt hoc solu-

namus argumentum, se-

quens statuitur

dubium.

Dubium appendix, an detur aliqua propoſitio conditionalis cotingẽs, ac proinde cuius obiectum habeat ex ſe veritatem â Deo cognoſcibilem?

Opinio Iuniorũ.

20 IN hoc duplex verſatur ſentẽtia prima affirmans eſt Fonſecæ lib.3. inſtitutionum Dialecticarum cap.15.quã etiam repetit, & ſequitur tom.3. Metaph. lib.6.diſputatione,& quæſtione citata ſect. 1. dicens huiuſmodi conditionales,de quibus eſt ſermo,& controuerſia apud Theologos, an à Deo cognoſcantur ante determinationem diuinæ voluntatis non petere ad ſui veritatem neceſſariam cõſequutionem, aut probabilem,hæc enim requiritur ad conditionales, quæ vulgo à Dialecticis in quotidianis diſputationibus vſurpantur;in quibus verbis ſupponit conditionales propoſitiones, de quibus diſputant Dialectici eſſe in duplici differentia, alias neceſſarias,& alias probabili connexione gaudentes ad ſui veritatem;Id ipſum videtur ſenſiſſe Suarez lib.2. opuſculorum cap.5. Dum aſſerit huiuſmodi conditionalium obiecta non in cauſa, ſed quatenus earum obiectiuam (quæ in ipſis eſt) veritatem intuetur, neque earum veritatem in vi illationis, aut nexu neceſſario conſequentis cum antecedenti conſiſtere;ſed in hoc ſolum quod effectus fuiſſet de facto cum illa cauſa, & conditionibus coniungendus,ſi extitiſſent. Sed nihilominus dicunt iſti Authores,& alij,qui ipſos in hac parte ſequuntur,vt ſaluent illam certam, & infallibilem cognitionem, quã Deo tribuunt de futuris contingentibus ſub conditione, hæc conditionata non ſummi in vi illationis,& conditionalium pure, ſed ſummi in vi promiſſoriarum,& coniunctionem,ſi,accipi in vi promiſſionis; vnde ſicut hæc promiſſoria, *ſi diſputabis dabo tibi librũ*, in ſui veritate non pendet ex illatione, ſed ex ſucceſſu adimpletæ promiſſionis, & ex euentu rerum ſignificatarum per vtramque propoſitionem,ita veritas huiuſmodi conditionalis Matthæi 11. *ſi in Tiro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes,quæ factæ ſunt in te olim in ciliccio, & cinere pœnitentiam egiſſenet*, & ſimilium, non ex illatione,aut neceſſaria, aut probabili opinione, ſed ipſarum rerum euentu & ſimultanea rei ſignificatæ per antecedens, atque rei ſignificatæ per conſequens poſitione deſumitur, ac menſuratur, & fauet huic parti Vazquez 1. p. diſput. 67. cap. 4. num. 24. & Curiel controuerſia de ſcientia Dei art.3. ad vltimum. Secunda ſententia nihilominus vera,& tenenda nullam in propoſitionibus conditionalibus (ſi tamen conditio in vi illationis ſumatur) eſſe veritatem contingentem; ſed qualemcunque earum veritatem debere eſſe neceſſariam illamque ex connexione conſequentis cum antecedenti deſummi, atteſtatur:& tandem conditionales propoſitiones, de quibus eſt controuerſia, an à Deo cognoſcantur?non niſi in vi conditionalium fundatam in præfata connexione poſſe habere veritatem,recte concludit prima & ſecunda pars huius ſententiæ, quam pro vera aſſertione ſtatuimus,eſt fere omnium Dialecticorum, qui minoris Dialecticæ commentaria ediderunt, præſertim illam late docet Soto lib.3. capit. 8. lectione 1. & probatur vtraque pars ſimul. Primo, nam ad veritatẽ conditionalis requiritur, quod conſequentia ſit bona, ideſt, vt antecedens non poſsit eſſe verum ſine conſequenti, quæ conditio ex bonæ cõſequẽtiæ exigẽtia prouenit, ſed omnis cõſequentia bona eſt neceſſaria:ergo veritas conditionalis fundatur in bonitate conſequentiæ,ac proinde in neceſſaria connexione antecedentis cum conſequenti, maior patet,quia in hoc diſcriminatur propoſitio cõditionalis à reliquis hypotheticis, quod illa ad ſui veritatem ſola bonitate conſequentiæ eſt contenta, ſecus autem aliæ. Vnde ſolum enunciat conſequens ſequi bene ex antecedenti. Confirmatur nam propria verum, & communiter receptum eſt illud axioma,quod conditionalis nihil ponit in eſſe,quia neque petit ad ſui veritatem quod ita eueniat res ſignificata per antecedens,aut per conſequens ſicut per ipſam ſignificatur, ſed ſolum exigit vnum ſequi ex alio,ſiue ita eueniat,ſiue non,vt quando enunciat,*ſi homo volat habet alas*, non ennunciat hominem volare,aut habere alas,ſed bene ſequi ex hoc, quod volet ipſum habere alas:ergo omnis veritas conditionalis ſummitur,& regulatur ex bonitate conſequentiæ,quam enunciat. Secundo nam ſi veritas conditionalis ex merõ rerũ ſucceſſu ſumeretur ennunciatio conditionalis,cuius antecedens eſt impoſsibile, eſſet falſa, conſequens eſt falſum: ergo,ſequela patet, quia impoſsibilis eſſet euetus rei ſignificatæ per antecedens,minor autem oſtenditur inductione in omnibus conditionalibus,quæ conſtant antecedenti impoſsibili; & tamen ſunt veræ,verbi gratia, *ſi homo volat haberet alas, ſi Deus vellet peccare, peccaret*, in quo ſenſu dixit Ariſtotel. 4. Topic. cap. 2. *poſſe Deum prauè agere*,ſub intellecta cõditione impoſsibili.

Opinio Thomiſtarum.

sibili, ideſt, ſi vellet vt explicat D. Thom. 1. p. quæſt. 25. art. 3. ad ſecundum, qui hac de cauſa, ibidem, & lib. 1. contra gent. cap. 13. quodlibeto 9. ar. 4. & alibi ſepe docet propoſitionem conditionalem poſſe eſſe veram, nõ obſtante impoſsibilitate ſui antecedẽtis.

21 Tertia pars probatur primo, nam ſẽcluſa ab huiuſmodi conditionalibus, bonitate conſequentiæ, aut veritas prouenit ex eo quod ſummuntur in vi cathegoricarum, vt hæc, *ſi Petrus eſſet Romæ videret Pontificem*, æquiualet huic, *Petrus exiſtens Romæ videret Pontificem*, vt aliquibus placet, vel in vi temporalium, & quaſi promiſſoriarum, vt volunt Fonſeca, & Curiel, atque Suarez vbi ſupra, ita vt ſenſus huius, v. g. ſi *equitauero craſtina die, tonabit*, ſi iſte craſtina die, quãdo equitauero, tonabit, vel ſolum in vi conſequentiæ materialis, in qua veluti materialiter ſimul ponitur veritas conſequentis, & antecedentis non ex connexione illius cum iſto, ſed ex ſubordinatione ad Dei præſcientiam infallibilẽ, vt vult Vazquez loco citato, ſed nullo ex his modis poteſt ſaluari veritas in his conditionalibus præter illam, quæ ex formali, & neceſſaria ſumitur illatione. Non quidem primo modo, quia tales conditionales ſunt hypotheticæ compoſitæ ex duabus cathegoricis, ac per conſequens ſpecie diſtinctæ â cathegoricis: ergo earum obiecta, & ſignificata formaliter differunt à ſignificatis, & obiectis cathegoricarum ſingularũ. Et quia etiam ſumptæ in vi cathegoricarum ſunt falſæ eo, quod ſunt affirmatiuæ de ſubiecto nõ ſupponente: ergo adhuc vt ſic non ſciuntur à Deo. Neque ſecundo modo tum quia, & ſi aliquæ illarum habeant formam promiſſoriarum, quam plurimæ tamen talem formam non habet, v. g. illa Geneſis 3. *Ne forte mittat manum, & comedat de ligno vitæ, & viuat, &c.* Et illa Deuteronomij 33. *Propter iram inimicorum diſtulit, ne forte ſuperbirent, &c.* Rurſus Sapientiæ 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret ſenſum illius*, quibus ſimilis eſt illa 1. Regũ 23. *Quod ſi Dauid maneret apud Zeilam traderetur inimicis*, in his namque nulla eſt forma promiſſiuæ propoſitionis nihil enim Deus promittit, alias promitteret ſuperbiam, & mutationem in malum, quod eſt abſurdum: ergo. Tum etiam quia ad veritatem promiſſiuæ ſequitur, quod poſita conditione, impleatur promiſſio, ſed conditio harum, & ſimilium nunquam fuit poſita, neque erat ponenda in eſſe: ergo ſemper fuerunt falſæ, ac proinde Deus futura illa nunquam ſciuit. Tum denique, quia promiſſio, vt dictum eſt, eſt actus ordinatiuus intellectus practici, ideſt, moti à voluntate in ordine ad alterum, ad aliquid faciendum vel non faciendum, ſed tales propoſitiones non proceſerunt ex actu ordinatiuo diuini intellectus moti à voluntate: ergo. Minor quia actus ſic ordinatiuus, ſiue promiſſiuus præſupponit propoſitum in voluntate, de faciendo aliquid, ſed Deus nullum propoſitum habuit circa obiecta dictarum conditionalium, non enim habuit propoſitum ad faciendum, quod Adamus ſumeret de ligno vitæ, aut quod malitia mutaret ſenſum Enoc, aut quod Dauid traderetur, &c. Neque tertio poteſt ſaluari modo veritas dictarum propoſitionum conditionaliũ, nam in conſequentia materiali cum veritate antecedentis poteſt ſtare conſequens falſum in ſimili forma, variata materia propoſitionum, quia formaliter non ſequitur: ergo conditionalis, quæ ſolum inititur conſequentiæ materiali bonæ, falſa eſt, ac per conſequens non ſcitur â Deo. Quod ſi dicat prædictus Author huiuſmodi dicendi ſumi veritatem ex concommitantia, & ſimultanea poſitione rerum ſignificatarum per antecedẽs, & per conſequens. Iam ad ſucceſſum, & euentum rerum recurrit, & cum Authoribus ſecundi modi dicendi conicidit. Præterea inquiro, vel talis euentus rei ſignificatæ per conſequens ponitur ſimul cum euentu antecedentis, quia veritas antecedentis poſita in eſſe exigit poni veritatem conſequentis, & hîc eſt euentus illationis, & bonitatis conſequentiæ, quem tales propoſitiones in noſtra ſententia deſiderant ad ſui veritatẽ, vel ponendus eſt ſimul ex mera concommitantia conditionis antecedentis, & ſic nequit certo cognoſci futurum illud conditionatum ſignificatum per conſequens, quia nulla, aut contingens dumtaxat eſt connexio inter tale futurum cum conditione, ac proinde conditio adhuc poſita in eſſe indifferens eſt ad vtramque, ſcilicet ad fore, & non fore talis obiecti: ſed ex vi cauſæ vel conditionis indifferentis nequit certo cognoſci futurum: ergo vel non cognoſcitur certo à Deo vel ſi cognoſcitur, hoc erit ex vi decreti conditionati, quo illud decreuit facere, poſita tali cõditione, hæc enim ſola poteſt eſſe cauſa ſuæ determinatæ futuritionis. De hac tamen materia fuſe dicendum nobis eſt dum Theologica commentaria euulgemus, quæ iã propero diuino fauente numine euulgare. Hic enim ex profeſſo hæc agere eſſet extra chorum cantare, ſicut re vera Fonſeca in ſuo tertio tomo Metaphiſicæ per totum fere hunc librum ſextum extra chorum cantauit. Quorſum enim hic diſputat an præſcientia Dei imponat rebus omnibus neceſsitatẽ? An res omnes, quæ ſunt, fuerunt, ac erunt, cognoſcantur

cantur à Deo intuitiue in æternitate, ſecundum earum reales exiſtentias? An futura cõtingentia cognoſcantur etiam abſtractiue in actu diuinæ voluntatis aprobatiuo, vel permiſſiuo tantum, vel etiam voluntatum creaturarũ determinatiuo? Quorũ omnia futura prius noſtro modo intelligendi veſtiri duplici ſtatu conditionato, ſcilicet & abſoluto, & prius à Deo noſtro modo intelligendi cognoſci in ſtatu conditionato, quàm in abſoluto, dicit? Quorſum etiam ſcientiam mediam futurorum conditionatorum contingentium hìc intermiſcet? Et de diuinâ prouidentia omnes quæſtiones, quæ 1. p. q. 22. diſputari ſolent, interſerit? Quæ ratio fuit hìc diſputandi de diuinis prædiffinitionibus; nũ actus noſtri liberi arbitrij ſint abæterno prædiffinito? Nũ omnia Chriſti opera fuerint ante eorum præſcientiã quoad omnes circunſtantias prædeffinita? Ipſe viderit, mea non intereſt, niſi commentatoris Philoſophi, & Metaphiſici Doctoris partes gerere, atque ab hijs, vt pote extraneis, à Metaphiſicæ conſideratione, Methaphiſicam ipſam vindicare? Qua propter ijs libenter omiſis, & in ſuum locum reſeruatis, ad argumenta quædam ſecundæ ſententiæ placet deuenire.

22 Primo arguitur nam ſecũda pars huius copulatiuæ, *aliquod animal eſt, & ſi tu eſt illud tu eſt equus*, eſt conditionalis, & eſt contingens: ergo datur conditionalis, contingẽs minor patet, quia rebus, vt nunc, eſt vera, bene enim ſequitur hoc animal eſt ſcilicet Brunellus, & ſi tu eſt illud tu eſt equus, *vel hoc animal eſt*, ſcilicet Fabellus, & ſi tu eſt illud, &c. Ergo aliquod animal eſt, &c. Et antecedens eſt verum, quia facit hunc ſenſum Brunellus eſt, vel fauellus, & ſi tu eſt hoc animal, nempe Brunellus, vel Fabellus tu eſt equus: ergo etiam cõſequens eſt verum eſſet autem falſa, ſi nullus equus eſſet in mundo, quia tunc nullus equus poſſet demonſtrari ſub ly animal.

Ad hoc argumentum recte reſpondet Soto vbi ſupra dicens, quod propoſitio hæc eſt falſa, & impoſsibilis, eo quod eſt mala conſequentia, ſi tu eſt animal, tu eſt equus, neque in dicto aſcenſu reſoluitur relatiuum, illud, ad reſolutionem ſui antecedentis, nempe animal. Sed adhuc facto illo aſcenſu manet relatiuum ſupponens cõmuniter, ſicut ſupponebat ſuum antecedens, in ipſa propoſitione reſolubili, antequam fieret ſub illo reſolutio, ſolius namque relatiui reciproci eſt ſupponere ſigillatim, ſicut ſuum antecedẽs, ac proinde reſolui ad eius reſolutionẽ, ſed quia non habet locum in altera cathegorica, ideo in illa ſecunda propoſitione conditionali poni nequijt relatiuum reciprocum, non reciprocum autem, non reſoluitur ad reſolutionem ſui antecedẽtis vt dictum eſt: Vnde facit prædicta conditionalis hunc ſenſum, poſt factam reſolutionem antecedentis relatiui; Brunellus eſt, & ſi eſt illud, ſcilicet animal, tu eſt equus. Secundo arguitur; nam teſte D. Thom. quæſt. 58. art. 4. ſicut in intellectu ratiocinante comparatur concluſio ad principium: ita in intellectu componente comparatur prædicatum ad ſubiectũ: ſed habitudo prædicati ad ſubiectum eſt triplex, neceſſaria, remota, ſiue diſparata: & cõtingens. Vnde triplex eſt, propoſitionum materia naturalis remota, & contingens: ergo etiam habitudo conſequentis ad antecedens poteſt eſſe triplex neceſſaria, diſparata, & contingens, ac proinde dabitur neceſſaria, & mala, & probabilis conſequẽtia, â qua menſurari debeat veritas conditionalis contingentis. Reſpondetur maiorem teneré quoad aliquid, ſed non quoad totum, aſſimilatur autem habitudo conſequentis ad antecedens, habitudini prædicati ad ſubiectum, quod ſicut illa petit compoſitionem in intellectu ratiocinante, ita iſta petit compoſitionem in intellectu componente, & vtraque compoſitio, tam diſcurſus quam ennunciationis prouenit ex imperfectione luminis, & ſpeciei, & in hoc ſenſu, maior eſt D. Thom. in loco allegato. Secus vero quoadmodum, & multiplicitatem habitudinis, quinimo ſicut ſunt quædam propoſitiones, in quibus duplex tantum habitudo prædicati ad ſubiectũ poteſt eſſe, ſcilicet neceſſaria, aũt remota ſiue impoſsibilis cuiuſmodi ſunt modales cum enim earum veritas, & falſitas ex præiacentibus, & ſuis de ineſſe reguletur ſi præiacens eſt poſsibile vel contingẽs ſicut per modalem ſignificatur ipſa modalis de poſsibile vel de contingenter eſt neceſſaria: ſi autem præiacens non eſt poſsibilis vel contingens ſicut per modalem horum modorum ſignificatur ipſa modalis eſt impoſsibilis, ita conditionalis propoſitio eſt huius generis; vt non niſi neceſſaria, aut impoſsibilis poſſit eſſe, quia regulatur ab illatione conſequẽtiæ, quæ aut eſt bona, & neceſſaria, aut mala ſimpliciter, & tunc conditionalis eſt impoſsibilis. Tertio arguitur conditionalis menſeratur ab illatione, ſiue ab habitudine conſequentis ad antecedens vt dictum eſt, ſed habitudo illationis eſt triplex neceſſaria, ſcilicet qualis eſt formalis conſequentiæ, mala ſimpliciter qualis eſt conſequentiæ malæ, & probabilis, qualis eſt conſequentiæ Topicæ, vt eſt inductio, v. g. hìc ignis calefacit, & ſic de ſin-

de singulis, quos experimur: ergo omnis ignis calefacit, rursus hæc mater diligit filium suum, & sic de singulis, quos experimur: ergo omnis mater, &c. Hoc genus inferendi est consequentiarum topicarum, in quibus consequens infertur probabiliter ex antecedenti: ita vt quandoque fiet cum veritate antecedentis falsitas consequentis, tamen probabiliter inferatur: ergo similiter dabitur triplex genus conditionalium, vltra enim conditionales necessarias, & impossibiles erunt conditionales probabiles, & contingentes, ab huiusmodi scilicet consequentis topicis regulatæ, cuiusmodi erunt istæ, si hic ignis calefacit, & sic de singulis, omnis ignis calefacit, si hæc mater diligit filium suum, & similes. Quod si dicas has conditionales esse necessarias, quia earum veritas desumitur ex illatione topica, quæ in suo genere est bona, eo quod sicut in consequentia formali cõsequens necessario sequitur ex antecedenti, in topica sequitur probabiliter, & sicut necessarium est consequens sequi ex antecedẽti infallibiliter in consequentia formali? Ita necessariũ est sequi probabiliter in topica. Contra arguitur, nam, vel quando infertur consequens in consequentia topica, infertur in actu signato modus probabilitatis, ita vt sensus sit hic ignis calefacit, &c. Ergo probabile est omnes ignes calefacere, vel solum in actu exercito, si primum consequentia topica erit necessaria, sicut formalis, & omnino indefectibilis, si secundum iam consequens infertur absolute, absque vlla modificatione & sic manet falsificabile, stante veritate antecedentis, ac proinde consequentia topica simpliciter erit mala, & conditionalis ab illa regulata erit impossibilis, vel contingens. Respondetur sustinendam esse solutionem assignatam, ad cuius impugnationem dico, quod sicut in propositionibus necessarijs, & scibilibus est latitudo, aliæ enim sunt necessariæ, quia per nullam potentiam possunt defficere, vt hominem esse rationalem, aliæ vero sunt necessariæ, quia per potentiã Dei ordinariam non possunt falsificari, bene tamen de potentia absoluta, vt hominem esse risibilem, vel mortuum resurgere, aliæ tandem sunt necessariæ, quia vt in plurimum non falsificãtur, vt in vere esse tonitrua, cuius veritas demonstratur à Philosopho naturali, non quidem inferendo in actu signato in vere esse tonitrua, vt in plurimum; sed absolute in vere esse tonitrua, subintellecta illa modificatione, *vt in plurimum*, in actu exercito; ita in genere bonæ consequentiæ sunt aliæ formales, ideſt, nunquam defectibiles; aliæ topicæ, ideſt, probabiliter inferentes cõclusiones, subintellecto modo probabilitatis in actu exercito, & huius generis sunt prę fatæ inductiones. Ex dictis patet solutio ad secundum argumentum, cuius occasione excitatum fuit hoc dubium, neganda enim est minor. Neque illa probabilitas insinuata in dictis propositionibus tenet se ex parte Dei, sed ex parte ipsorum futurorũ, sic enim certo, & euidenter illa futura iuxta merita suæ cognoscibilitatis, & quia nõ sunt ex suis meritis cognoscibilia, nisi vt probabiliter, & forte futura Deus illa cognouit, vt probabiliter, & forte futura. Quod si dicas illa habere suum determinatum fore, medium inter fore absolutum contingentium absolute futurorum, & inter mere possibile, quod nulla gaudet futuritione, scilicet fore sub conditione, si talis opponeretur conditio, ac proinde certũ, & determinatũ esse habere, quod certo, & infallibiliter ex parte obiecti possit cognosci. Respondetur esse futura conditionata, ac proinde propositiones conditionales illa ennunciantes in triplici differentia, alia, quæ cum conditione habet necessariam connexionem, *vt si homo currit mouetur*, alia vero esse, quæ nullam connexionem habent cum conditione suppositа, *vt si Petrus esset rex occideret Pontificem*, & alia denique, quæ habent probabilem connexionem cum conditione, in quibus adhuc est latitudo iuxta diuersos gradus maioris, ac minoris probabilitatis, vt si ego essem Romæ, viderem Pontificem, si Adamus manfisset in Paradiso, sumeret de ligno vitæ, si Christus Sodomitis prædicaret, aut Niniuitis conuerterentur, &c. Conditionata igitur primi generis sunt necessaria, & cognoscuntur â Deo scientia simplicis intelligentiæ: conditionata vero secundi generis sunt impossibilia, & nullum fore habent, vnde non cognoscuntur, à Deo, nisi vt falsa, & impossibilia, iuxta modum enunciandi. Conditionata tamen tertij generis habent esse futurum contingẽter, & probabiliter, & sic probabiliter, vt futura cognoscuntur absque imperfectione diuinæ scientiæ, sicut hominem esse equum non posse fieri à Deo, non ex Dei impotentia, aut imperfectione, sed ex obiecti prouenit impossibilitate. Vnde ad hæc conditionata cognoscenda sufficit eadem scientia simplicis intelligentiæ. Quando autẽ Deus de facto aliquem effectum producit illum efficaciter, & inimpedibiliter ponit in esse & ideo in eius concursu nulla admiscetur contingentia, etiam obiectiua, sicut admiscetur in obiecto eius scientiæ.

PRIMVM

PRIMVM ARGVMENTVM LIBRI SEPTIMI.

LIBER hîc diuiditur â Philoſopho in 17. capita, & â Doctore Angelico congruenter intotidem lectiones. Hoc ordine autem totus verſatur in explicanda natura potiſsimæ partis ſubiectiuæ entis, videlicet, ſubſtantiæ, de qua teſtatur ipſe Philoſophus ad calcem capitis primi ſe maxime, præcipue ac plene ſolum in hoc opere tractaturum. Sub his verbis; cõcludens. *Qua propter & nobis, tum maxime: tũ etiam ſolum (pene dicam) de eo, quod hoc pacto eſt ens, quid nam ſit ſpeculandum eſt.* Quia igitur ens dupliciter diuiditur. Primo in decẽ prædicamenta, veluti in partes ſubiectiuas, quarum potiſsima eſt ſubſtantia, ex cuius cognitione accidentium genera, vt pote illius affectiones ſatis innoteſcunt. Secundo diuiditur in actum, & potentiam, veluti in quoſdam modos; remiſſa conſideratione entis quoad hanc ſecundam diuiſionem in librum nonum de ente, vt ſubeſt primæ diuiſioni: proponit Philoſophus his duobus libris ſeptimo, ſcilicet & octauo diſputare. Vnde cum libris ſuperioribus videlicet 4. & 5. entis in decem prædicamenta diuiſionem oſtendiſſet; & lib. 6. entis rationis, & per accidens â conſideratione huius ſcientiæ reiecíſſet; in hoc ſtatuit ſe tractaturus de entibus per ſe realibus; & ex hijs vocat ſubſtantiam ad huius ſcientiæ conſiderationẽ. Non quidem ſolam vt illam ſolam contempletur, ſed accidentibus aſſociatam: vt ex illius cum his comparatione, horum quoque naturæ, & proprietates obiter patefiant. Quoniam autem ſubſtantia creata eſt duplex: ſenſibilis, & materialis ac ſenſibus per vna altera: & altera materiæ expers, ac nobis ignota. Hanc in libros vltimos ſcilicet decimum, vndecimum & duodecimum relinquit contemplandam. Et illam in præſentiarum agreditur contemplari. Quod vt ex actus exequatur: primo comparat illam cũ accidentibus, oſtendens eſſe illis excellentiorem, priorem tempore & cognitione, in hoc verſatur per primum & ſecundum caput. Quod quidem ſit ſubſtantia prior dignitate, probat capite primo duabus rationibus. Prima habetur ab illis verbis. *Nam quando dicimus, quale quid hoc, authorum dicimus, &c.* Quæ reducitur ad hanc formam, quod eſt per ſe & ſimpliciter in vnoquoque genere eſt prius eo, quod eſt per aliud & ſecundum quid: ſed ſubſtantia eſt ens ſimpliciter & per ſe ipſam: accidentia vero ſunt entia ſecundum quid: & per ſubſtantiam: & ſola ſubſtantia eſt per quam ſatisfacimus quæſtioni, in qua quæritur quid eſt hoc, ac proinde eſt prior. Secunda quam ſubdit ibidem Philoſophus, ſic habet: illud eſt prius quod eſt ens ratione ſui: ſed ſola ſubſtantia eſt ens ratione ſui: accidentia autem ſunt entia in quantum ſunt modi & affectiones ſubſtantiæ: ac per conſequens ſubſtantia eſt dignitate prior. Quod autem ſit prior tempore, ratione, ſeu diffinitione & cognitione: oſtendit ab illis verbis eiuſdem capitis primi. *Multis igitur modis primum dicitur & attamen ſubſtãtia & ratione, & cognitione & tempore, &c.* Hac ratione prius tempore eſt illud quod eſt â reliquis ſeparabile, reliqua autem non ſunt ab illo ſeparabilia: & prius diffinitione eſt illud quod in aliorũ diffinitiones ingreditur. Rurſus id eſt prius cognitione quod nobis magis notum, & magis rei naturâ manifeſtat. Sed ſubſtantia eſt ſeparabilis ab omnibus accidentibus: Nullum autem accidẽs eſt ſeparabile à ſubſtantia, quia vt explicat D. Thom. nullum accidens inuenitur abſq; ſubſtantia, aliqua autem ſubſtantia inuenitur ſine vllo accidente. Rurſus ſubſtantia eſt de diffinitione cuiuslibet accidentis, & eſt magis nota eo quod per illam magis innoteſcit eſſentia cuiuslibet rei: etenim vnaquæque res, (Ideſt ſuppoſitũ) quãdo ſcitur eius ſubſtantia: quam quando ſcitur eius quantitas vel qualitas, &c. Deinde ex his concludit potiſsime agendum eſſe de ſubſtantia in hoc opere. Rurſus diuiſa ſubſtantia in materialem & materiæ expertem capite 2. & 3. ſtatim incipit agere de ſubſtantia materiali more Logicali ſeu Metaphyſicali: primo comparando illam ad ſua membra ab illis verbis, *dicitur autem ſubſtantia ſi non pluribus ſaltem quatuor modis, &c* Hos autem modos recenſens ſecundum vulgares ſui temporis opiniones, ait eſſe primum quo ſubſtantia dicitur quiditas, & eſſentia rei. Secundum eſſe vniuerſalia iuxta opinionem ponentiũ ideas eſſe rerum ſubſtantias, & ſpecies, quæ de ſingularibus prædicantur. Tertium eſſe primum genus, quatenus vnum & ens ponebantur ab antiquis rerum ſubſtantiæ. Quartum vero modũ ſubſtantiæ ſaluari in primo ſubie-

subiecto. Hoc est in prima substantia, quæ alijs substat siue essentialibus, siue accidentalibus prædicatis. Deinde cap. 3. statuit agere de substantijs sensibilibus in ordine ad earum Logicas seu communes rationes, & prædicata superiora dicens. *At primo dicemus quædam de eo Logice, quod est quod quid erat esse, &c.* Ab hoc capite vsque ad quintū inclusiue comparat substantiam sensibilem ad essentialia prædicata ostendens tria. Primo quid sit quod quid est rei. Idest essentia substantiæ. Secundo quorum sit huiusmodi quod quid est, idest in quibus compositis inueniatur. Tertio quomodo se habeat quod quid est ad illud cuius est quiditas, determinat, concludens in dictis secundum se idest in substantialibus concretis idem esse quod quid est cum eo cuius est: secus autem in accidentalibus. Postea à capite 6. vsque ad octauum inclusiue comparat substātiam sensibilem ad principia extrinseca à quibus generatur: vbi excludit ideas Platonicas à ratione principij generationis substantiarum sensibilium. Multaque de illarum generatione congerit Philosophus: dicens generationem simpliciter solum esse substantiæ: accidentis autem non nisi secundum quid. Triaque ad cuiusvis rei generationem concurrere: Agens, materiam, & generationis terminum ad quem: tradit cap. 6. in illis verbis. *Id autem ex quo fit res, materia dicitur, &c.* Omittitque terminum à quo, qui est priuatio. Nō vt illum excludat: sed vt indicet non esse intrinsecum rei in facto esse. Iam paulo infrà sub illis verbis, *vniuersè autem id ex quo, & id quo res fit, natura est, &c.* Ostendit quo pacto sola materia, & forma sunt naturæ: Agens autem & id quod fit, scilicet genitum sunt habentia naturam. Postea à capite 9. vsque ad duodecimum comparat substantiam sensibilem ad suas partes: ostendens quo pacto partes habeat formales & materiales, diffinitiuas, & veluti Methaphisicas, absque læsione suæ veritatis. Denique à capite 13. vsque ad vltimum agit de substantia in secūda acceptione, nempe quatenus vniuersalia dicebantur rerum substantiæ: ostendens vniuersalia non esse substantias à materia separatas aut â singularibus. (Vniuersalia in quam quæ de rebus sensibilibus prædicantur,) neque si dētur posse diffiniri: neque esse actu sed potentia tantū substantias. Igitur omnium quæ in hoc libro Philosophus agit, verba colligendo, quatuor sunt comparationes quas Philosophus de substantia considerat ac meditatur. Primo namque comparat illam cū accidentibus. Secūdo cōparat eam in ordine ad id cuius quiditas est. Tertio in ordine ad generationem & principia generationis naturalis. Quarto in ordine ad partes, ex quibus constat; hoc est ad ea quæ actu vel potētia in ea continētur. Quæ quatuor cōparationes, vt pro dignitate declarētur omnes. Quæstionibus quinque sunt examinandæ. Quarum prima prioritatem ac præstantiam substantiæ respectu accidentium examinabit. Secūda autem distinctionem quiditatis à supposito & ab existentia. Tertia quoque & quarta generationis naturalis principia, ac conditionem creationis ostendent. Quarta tandem, de partibus actu, vel potentia inclusis in substantia tractabit, & quo pacto totum ad suas partes simul sumptas comparetur; declarabit. Sicque tractatus de substantia sensibili more Logico, siue Methaphisico perficietur; vt ingressus ad tractatum de eadem; more Phisico agrediendum in sequenti libro relinquatur patefactus.

Explicit libri septimi argumentum.

QVÆSTIO I.

De prioritate, & præstantia, qua substantia præcedit accidentia, in quatuor articulos diuisa.

SVbstantiam creatam esse accidentibus dignitate, tempore, & cognitione priorem testatur Aristoteles cap. 1. vt præmissum est. Ad quas prioritates examinandas hæc quæstio in quatuor articulos à nobis congruenter diuiditur. In quorū primo de temporis, diffinitionis, atque cognitionis antecessione dicendum est. In secundo de accidentium inhærentia, atque separabilitate à substantia. In tertio vero de antecessione substantiæ secundū dignitatē facta ad accidentia naturalis ordinis cōparatione. In quarto denique de eiusdem substantiæ, ad accidentia diuini, ac supernaturalis ordinis comparatæ præstantia, erit disputandū. Vt sic cognitis extremis veritas comparationis à Philosopho factæ prorsus innotescat.

ARTICVLVS I.

An substantia tempore, diffinitione, & cognitione sit Prior accidentibus?

TRIA in hoc articulo videnda sunt. Nempe temporis, diffinitionis, atq; cognitionis antecessio. Et quoniam

omnes

omnes Methaphiſici concluſionem Philoſophi de hac triplici anteceſione amplectũtur quoad ſubſtantiam: quoadmodum autẽ illã explicandi, diſcriminantur. Ideo circa vnumquodque ex tribus quæſitis. Melior dicendi modus inueſtigandus eſt, atque elligendus, quod fieri non poteſt niſi omnes recenſeantur, & examinentur. Circa temporis anteceſsionem quatuor verſantur modi dicendi. Quorum primus eſt commentatoris hic commento. 4. Aſſerentis propoſitionem Philoſophi intelligi de ſubſtantia corruptibili, & eius accidentibus, verificatique de illa ratione ſolius materiæ primæ, quæ, cũ ſubſtantia partialis ſit, ſemper eadem perſeuerat, ſuccedentibus in ea alijs, atque alijs accidentibus quemadmodũ alijs atque alijs formis ſubſtantialibus. Eundem modum, vt verum, ſequitur Iandunus hic quæſt. 5. & vt probabilem approbant Flandrenſis quæſt. 2. art. 10. Ægidius quæſt. 1. & Soncinas quæſt. 1. & Soncinas quæſt. 10. Secundus eſt Alexandri Alenſis hic quæſt. 4. aſſerentis propoſitionem Philoſophi intelligi de omni ſubſtantia creata, quæ eſt accidentiũ capax, & de omnibus accidentibus tam inſeparabilibus, quam ſeparabilibus, & ab extrinſeco ſubſtantiæ iam præexiſtenti aduenientibus diuerſimode tamen verificari. Nam reſpectu accidẽtiũ ſecundi generis quælibet ſubſtantia, etiam particularis vt ſic, eſt prior tẽpore poſitiue; reſpectu autem accidentium primi generis quælibet ſubſtantia creata eſt prior tempore, aut per non repugnantiam, aut ſolum ſub concepto Analogo ſubſtantiæ: quia nulli ſubſtantiæ capaci accidentiũ, quatenus ſubſtantia eſt, repugnat ſine omni accidente exiſtere: ſiquidem aliqua ſcilicet diuina ſine omni exiſtit accidente. Hunc modum ſequuntur vt probabilem, & conformẽ menti Diui Thomæ Ferrarienſis 2. contra gen. cap. 18. & 19. Sõcinas vbi ſupra quæſt. 10. vt uerum autem ſequitur ex profeſſo Fõſeca hoc libro capit. 1. quæſt. 2. ſectione 1. Tertius eſt Scoti hic quæſt. 2. Antonij Andreas, & aliorum eiuſdẽ Scholæ ſectatorũ, qui aſſerũt, quod prius tempore ſtat dupliciter. Vno modo pro hoc, quod præcedit aliud tempore, ſecũdo ratione, quæ eſt accidens illud diffinitum ab Ariſtotele quarto Phiſico. ſcilicet numerus motus, &c. Alio modo pro hoc quod eſt vnum poſſe eſſe ſinẽ alio: & non aliud ſine illo; & quando Philoſophus hic ſubſtantiam priorem tempore accidentibus eſſe teſtatur, non loquitur in primo ſenſu. Nam cum tempus illud ſit accidens, etiam ſubſtantia præcederet illud tempore & ſic daretur proceſſus infinitus, omnino â Philoſopho alienus. ſed loquitur inſecundo ſenſu. Quia illud dicitur ſic prius, tẽpore, alio, quod poteſt habere exiſtentiam ſine illo, eo quod non repugnat ſibi eſſe ſine illo, à quo non dependet, & quia ſubſtantia non dependet ab accidentibus, etiam inſeparabilibus non repugnat ei eſſe ſine illis. Et ideo dicitur eſſe prior illis tempore, ideſt, natura, & cauſalitate, vt explicat ipſe Antonius Andreas. Quartus & vltimus modus eſt quorumdam Methaphiſicorum quos ſuperſo nomine refert Flandria vbi ſupra aſſerentium. Accidens in dicta propoſitione Ariſtotelis aut ſupponere indeffinite. Aut ſolũ diſtribui pro generibus ſingulorum. Ita vt ſenſus ſit, quælibet ſubſtantia creata præcedit tempore aliquod accidens, vel præcedit accidens aliquod cuiuslibet prædicamenti, & in hoc ſenſu dicunt iſti Philoſophi propoſitionem eſſe veram, quia quælibet ſubſtantia creata, v. g. ſortes præcedit aliquam quantitatem ſcilicet perfectam. Et aliquam qualitatem videlicet albedinem. Et aliquam relationẽ nempe paternitatẽ & ſic dealijs.

Sententia Authoris.

2 Reſpondeo dicendum primo omnes hos modos dicendi deficere à veritate. Hæc concluſio non aliter probatur, quam ſingulos modos labefactando. Primus nãque deficit à veritate. Et menti Ariſtotelis & ſui Authoris, non eſt conformis. A veritate quidẽ deficit, quia materia ſecundum ſe, & ſeclusa forma ſubſtantiali non ſubeſt tempori, cũ ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, vt docemus; primo Phiſicorum cap. 8. & hæc propoſitio materia prima eſt prior tempore omnibus accidentibus. Petit has exponentes, materia prima eſt in tempore, & omne accidens eſt in tempore, & materia prima eſt prius producta in tempore, quã omne accidens. Ita enim docent Petrus Hiſpanus, & Soto lib. 4. Minoris Dialecticæ cap. 6. exponendas eſſe propoſitiones comparatiuas copulæ affirmatæ. Sed materia ſecundum ſe ſiue ſolitarie non fuit producta prius tempore, quam omne accidens. Quia fuit producta ſub forma ſubſtantiali, vel concreata ad productionem totius compoſiti, quod fatetur Auerrois nom præceſsiſſe tempore omne accidẽs. Igitur, neque de materia debuit hoc ipſum admittere. Confirmatur nam materia prima corporum cœleſtium nulla præceſsit accidentia. Non ergo verum eſt omnem ſubſtantiam capacem accidentium ratione ſuæ materiæ accidentia tempore præceſsiſſe. Antecedens patet. Nam cum corpus cœleſte ſit incorruptibile, & materia eius ſatiata ſit ſua forma nunquam materia prima illius fuit ſub alia forma, aut ſub alijs

acciden-

accidentibus ſub quibus corpus ipſum cœleſte non fuerit. Quod autem ſit hic modus dicendi alienus à mente Philoſophi, probatur hac vnica ratione. Nam Philoſophus de eadem ſubſtantia probat temporis prioritatem, de qua probat anteceſsionem diffinitionis & cognitionis & dignitatis, vt patet ex contextu. Sed hanc probat de ſubſtantia compoſita & non de materia: ergo & illam. Minor patet, quia materia prima non cadit in diffinitione accidentis. Neque eſt cognoſcibilis per ſe, ſed per analogiam ad formam, vt conſtat ex dictis lib. 2. Neque eſt primum ens, quod dicatur ſimpliciter, quid aut reſpectu cuius cætera dicantur entia, ſi quidē accidentia non dicuntur entia, quia ſint entia ipſius materiæ, in qua nequeunt ſubiectari: ergo. Denique quod hæc poſitio ſit contra mentem ſui authoris. Probatur argumento ad hominem. Nam illa ſubſtantia, cui coæuū eſt aliquod accidens, nequit eſſe tempore prior omni accidente. Hæc enim eſt manifeſta implicatio: ſed materiæ primæ eſt coæuum aliquod accidens ſecundum ſententiā ipſius cōmentatoris. Nempe quantitas interminata, quam ipſe ſtatuit libro de ſubſtantia orbis cap. 1. & 1. Phyſicorum cōmento 63. coæuam materiæ primæ, & ab illa inſeparabilem adeo, vt neget fieri in corruptione cō poſiti reſolutionem vſque in nudam, & ſolam materiam primam: ergo poſitio hæc mēti ſui authoris eſt contraria. Secundus modus Alexandri, & Fonſecæ deficit: tum à mēte Philoſophi, tum etiam à veritate. Ab illa quidem, quia de eadem ſubſtantia probat Philoſophus, quod ſit primum ens ſecundū dignitatem; & quod ſit prior diffinitione, de qua probat temporis prioritatem; ſed de qualibet ſubſtantia creata verificat Philoſophus nedum ſub conceptu ſubſtantiæ; ſed etiam ſub conceptu talis, v. g. viuentis, aut ſenſibilis, quod ſit poſitiue primū ens inter cætera prædicamentalia. Et quod ponatur in diffinitione accidentium ipſi propriorum: igitur de eadem ſubſtantia ſub cōcepta particulari, & poſitiue debet verificari, quod ſit prior tempore accidentibus iuxta mentem Ariſtotelis. Rurſus deficit à veritate. Nam quod alicui ſubſtantiæ repugnat ſecundum genus, & differentiam eius, abſolute illi repugnat, & ideo abſolute repugnat ſubſtantiæ creatæ eſſe accidens: quia ex propria ratione generica, & ſpecifica repugnat ei, & licet in tota latitudine analogæ ſubſtantiæ ſit aliqua independens, ſcilicet Deus, tamen quia intra genus ſubſtantiæ nulla datur independens, ideò abſolute repugnat ſubſtantiæ creatæ eſſe independens; ſed etiam intra genus ſubſtantiæ creatæ nulla datur tempore præcedens omnia ſua accidentia. Niſi ſolus Deus, qui extra genus ſubſtantiæ eſt, vt prædicti authores fatentur, ac proinde de omni ſubſtantiæ creatæ ex proprio genere, & differentia repugnat hæc temporis anteceſsio: ergo abſolute illi repugnat, ac per conſequens non poteſt ei conuenire per non repugnantiam. Tertius deficit, quia confundit prioritatem temporis cum prioritate naturæ, aſſerit enim ſubſtantiam eſſe priorem tempore, quatenus eſt prior natura, vt ipſe Antonius Andræas fatetur; ſed hoc eſt inconueniens, cum iſtæ ſint diuerſæ prioritates, vt lib. 5. quæſt. vltima dictum eſt: ergo. Et quoniam pugnare videtur cum ſententia ſui authoris: ſi enim non repugnat ſubſtantiam eſſe independentem ab omni accidente, poterit exiſtere ſine omni accidente, ac proinde ſine proprijs paſsionibus; poſsibili enim poſito in eſſe, nullum ſequitur inconueniens, ſed talem ſeparationem ſubſtantiæ à proprijs paſsionibus Scotus non admittit: ergo. Præſertim quia nulla ſubſtantia creata eſt, quæ abſque relatione creaturæ ad Creatorem exiſtere poſsit. Denique quartus deficit; quia non eſt ad mentem Philoſophi. Cuius propoſitio eſt vniuerſalis, & abſolute, in diſcriminatimque de ſubſtantia omni capaci accidentium, & de omni accidenti loquitur, & ſicut vbi lex nō diſtinguit neque nos diſtinguere debemus: ita, vbi Philoſophus, (cuius propoſitiones apud Methaphyſicos pro legibus habetur) non diſtinguit, neque vlli diſtinguere licet.

3 Dico ſecūdo ſubſtātia creata eatenus dicitur prior tēpore, accidentibus, quatenus præcedit illa generatione; ideſt, quia generatur per ſe, & accidentia ad eius generationem producuntur. Hæc concluſio eſt Doctoris Angelici in hoc infra lectione 13. & Flandrenſis art. iam citato, vbi hunc dicēdi modum poſt alios plures recenſitos, vt veritati, & Authori Sancto amplectitur, magis conſentaneum. Pro cuius declaratione aduertit, dupliciter poſſe vnum eſſe altero prius tempore, vno modo accipiendo tempus proprie, ſcilicet accipiendo tempus pro aliqua duratione, & ſic nulla ſubſtantia creata præcedit tempore quodlibet accidens, ſed ſolū illa accidētia, quæ ſubiecto ab extrinſeco aduenīūt poſt eius generationē, alio modo dicitur aliquid prius tēpore improprie, ideſt, generatione, & hoc adhuc poteſt dupliciter intelligi, vel quia generatio illius, quod dicitur prius, fuit prius in alio tempore, quàm generatio alterius, vt Pater

Socratis eſt prius generatione Socrate filio ſuo. Et hoc modo nulla ſubſtantia eſt prior quolibet accidente generatione, aut tempore. Quia ſubiectum, & propria paſſio in eodem tempore generantur, & corrumpuntur, vel quia vnum generatur per ſe, & non ad generationem alterius. E contra alterum generatur non per ſe, ſed ad illius generationem, & ſic vnum dicitur altero prius tempore, ideſt generatione. Et hac parte aſſerimus in concluſione ſubſtantiam eſſe priorem omnibus accidentibus, etiam proprius tempore ideſt generatione. Quo ſuppoſito probatur concluſio. Nam ſubſtantiam præcedere tempore omnia accidentia, eſt illam eſſe priorem his generatione ſecundo modo, vt exponit Diuus Thomas, ſed hæc prioritas conſiſtit in eo, quod ſola ſubſtantia per ſe primo generetur, accidens vero quodlibet ſecundario, & dependenter à ſubſtantia: ergo hoc pacto verificatur ſubſtantiam eſſe tempore priorem accidentibus.

Dico tertio ſubſtantiam eſſe priorem accidentibus diffinitione nihil eſt aliud, quàm ſubſtantiam ingredi quiditatiuam cuiuſcunque diffinitionem accidentis. In hac concluſione nullus diſentit, quia eſt expreſſa Philoſophi mens in hac parte. Vnde illam ſic probat Doctor Sanctus rationem Philoſophi expendens. Illud eſt prius altero diffinitione, quod in alterius diffinitione ponitur, & non è conuerſo, quo pacto animal eſt prius homine diffinitione, quia ponitur in diffinitione illius: ſed non è conuerſo: ſed ſubſtantia ponitur in diffinitione eſſentiali cuiuslibet accidentis; ſicut enim in diffinitione ſimi imponitur naſus, ſic in diffinitione cuiuſuis accidentis oportet poni proprium ſubiectum: ergo hac lege, & ratione ſubſtantia præcedit quodlibet accidens diffinitione. Confirmatur nam teſte Doctore Sancto quæſt. 8. de potentia articulo vltimo ad quintũ, in hoc diſcriminatur quiditatiua diffinitio ſubſtantiæ ab accidentis quiditatiua diffinitione, quod illa eſt adeo perfecta, vt ſolum detur per principia ſui generis. Et ideo illud quod primo loco ponitur in ea eſt genus ipſum: hæc vero eſt quiditatiua imperfecta admiſcens vltra principia eſſentialia ſui generis aliquod alterius generis, quod eſt extra eſſentiam diffiniti, à quo tamen ſecundum eſſe, & cognoſci dependet. Vnde illud, quod ponitur primo loco non eſt genus, ſed ſubiectum poſitum loco generis, quod eſt intelligendum, ſi accidens concretiue diffiniatur: ſi autem abſtratiuè, tunc ſubiectum ponitur in obliquo loco differentiæ, & vtroque modo diffinitio non abſolute quiditatiua, & formalis, ſed per additamentum nuncupatur. Ex qno ſic argumentor. Eſſe aliquid poſterius altero diffinitione eſt dependere ab illo in ſui diffinitione, & non è conuerſo: ſed omne accidens dependet à ſubiecto, ideſt, à ſubſtantia in ſui diffinitione quiditatiua, quæ debet eſſe per additamentum, & non è conuerſo: ergo quodlibet accidens eſt poſterius diffinitione reſpectu ſubſtantiæ. Dico quarto ſubſtantia, eatenus dicitur à Philoſopho prior accidentibus cognitione, qua tenus & ſecundum ſe, & nobis eſt prius cognoſcibilis cognitione intellectiua. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos modos dicendi quorum alter fuit Antonij Andræ in hoc 7. quæſt. 4. & Scoti in 1. diſtinct. 3. quæſt. 1. aſſerentium accidens prius à noſtro intellectu cognoſci, quia imperfectius, & ſenſibus notius: ſubſtantiam vero eſſe in ſe, & prioritate perfectionis prius cognoſcibilem, ſed non nobis, & ideo dici à Philoſopho priorem accidentibus cognitione. Huic modo dicendi ſubſcribit Fonſeca hîc quæſt. 2. ſect. 2. §. *dicendum igitur*. Alter autem aſſerit ſubſtantiam dici priorem accidentibus cognitione, quatenus perfectior eſt cognitio, qua vnaquæque res cognoſcitur per ſuam eſſentiam, quam illa, qua cognoſcitur per accidentalia prædicata, ita vt nomine ſubſtantiæ eſſentiam, & nomine prioris, perfectius accipiat Philoſophus. Sed noſtra concluſio eſt Flandrenſis vbi ſupra art. 3. Soncinatis hic quæſt. 13. & Iaueli quæſt. 3. & probatur primo nam ratio Philoſophi non procedit ex ſola prioritate ſecundum ſe, ſed etiam de prioritate cognoſcibilitatis ſubſtantiæ quoad nos, imo de hac potiſsime procedit, & verificatur. Etenim ratio eius hæc eſt, illud eſt primum ſecundum cognitionem intellectiuam, quod eſt magis notum, magiſque ſé, ideſt, primam ſubſtantiam manifeſtat: ſed ſubſtantia eſt huiuſmodi reſpectu accidentis; quia tunc quæuis prima ſubſtantia magis cognoſcitur, quando ſcitur eius eſſentia, ideſt, ſubſtantialia prædicata, quam quando ſcitur eius quantitas, aut qualitas, igitur ſubſtantia maxime manifeſtat rem, ideſt, primam ſubſtantiam, ac proinde eſt notius prædicatum de genere ſubſtantiæ, quàm prædicatum de genere accidentis. Vnde rationem aliam ſubdit Diuus Thomas, quæ id ipſum ſuadet in hunc modum.

Sicut

ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci: ſed accidentia non habent eſſe niſi per ordinem ad ſubſtantiam, & dependenter ab illa: igitur non cognoſcuntur, niſi per ordinem ad ſubſtantiam, & dependenter ab illa, quod eſt ſubſtantiam eſſe accidentibus priorem cognitione.

Secundo probatur, nam illud cognoſcitur primo à potentia, quod eſt eius obiectum proportionatum, & motiuum: ſed obiectum proportionatum, & motiuum humani intellectus pro iſto ſtatu eſt quiditas ſubſtantiæ materialis: ergo hæc eſt, quæ primo cognoſcitur ab humano intellectu. Ac proinde abſolute dicendum eſt ſubſtantiæ genus eo, quod ſubſe claudit materialis ac ſenſibilis ſubſtantiæ quiditatem eſſe priorem cognitione, quàm genus accidentis, in quo nullius ſubſtantiæ quiditas comprehenditur. Et cum hæc ratio rationis Philoſophi declaratiua ſit: Idem eſt vtriuſque intentum.

Tertio nam ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt notiores ordine naturæ, & ſecundum ſe, quàm accidentia naturalia eo, quod vnumquodque graduatur in ordine cognoſcibilitatis ſecundum gradum actualitatis, ac perfectionis, cum actualitas, & perfectio ſit radix aut ratio cognoſcibilitatis, actualitas autem, & perfectio viget in ſubſtantijs ſeparatis præcæteris ſubſtantijs, & accidentibus. Qua ratione docuit Philoſophus primo phyſico. capit. primo, non eſſe eadem nobis, & naturæ ſiue in ſe notiora; quando quidem ſubſtantiæ perfectiores ſecundum ſe, tam diſtincta, quam confuſa cognitione ſunt notiores, & tamen intellectui coniuncto ſunt minus notæ. Quo ſuppoſito, ſic arguitur, ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt ſecundum ſe prius notæ, quàm accidentia, & tamen non verificatur de illis hæc prioritas ſecundum cognitionem, de qua hic loquitur Philoſophus: ergo potius loquitur de prioritate cognitionis quoad nos. Minor probatur, quia Philoſophus loquitur de prioritate cognitionis, ſicut de prioritate diffinitionis, vtramque enim parificat eodem modo, ſed prioritas diffinitionis, de qua loquitur, non ſolum eſt illa, ſecundum quam ſubſtantia eſt in ſe prius diffinibilis, ſed etiam illa, ſecundum quam prius quoad nos diffinitur, quia de illa prius intellectus aſſequitur diffinitiuam cognitionem: ergo eodem modo accipit prioritatem cognitionis.

Quarto nam licet ſubſtantiæ materiales veniant in cognitionem noſtram medijs accidentibus, quia ex accidentibus immittuntur ſpecies ſenſibiles ad ſenſus, medijs quibus intellectus agens elicit ſpeciem ſubſtantiæ: tamen intellectus poſsibilis prius informatur per ſpeciem quiditatis ſubſtantiæ, & prius reducitur ad actum illius, quàm informetur per ſpeciem accidentis, & reducatur ad actum illius: ſed ordo cognitionis eſt ſecundum ordinem informationis & repreſentationis ſpecierum: ergo ſubſtantia eſt prior, &cætera. Maior licet reijciatur, & parui pendatur à Fonſeca, eſt Thomiſtarum: quos ſupra retulimus pro noſtra concluſione: illam ex ſuo Authore colligentium: apud quem verisſima eſt maior: nam apud Doctorem Sanctum illa ſpecies prius actuat intellectum, quæ repreſentat illius obiectum proportionatum, quod eſt primo cognitum inter obiecta particularia. Proportionatum autem noſtri intellectus obiectum eſt quiditas ſubſtantiæ materialis. Minor autem patet. Nam ideo ex gradibus quiditatis in prima ſubſtantia repertis prius cognoſcitur gradus entis: deinde gradus ſubſtantiæ, & ſic vſque ad ſpeciem ſpecialiſsimam: quia hic ordo ſeruatur in repreſentatione ſpeciei intelligibilis, & phantaſmatis reſpectu ſingularium. Cui ordo cognitionis debet proportionari: ergo. Confirmatur: nam ſubſtantia ordine cognitionis confuſæ eſt prior accidente; ſi quidem prius via originis repræſentatur, & etiam ordine cognitionis diſtinctæ. Si quidem prius diffinitur, & independenter ab illo: è contra autem accidens intrinſece dependet à ſubſtantia in ſui diffinitione. Et hoc eſt eſſe ſubſtantiam abſolute priorem accidente, cognitione: ergo.

Quinto nam ſi eſſet aliqua ſubſtantia, ad cuius cognitionem propriam poſſet humanus intellectus pro iſto ſtatu peruenire: illa eſſet, & ſecundum ſe, & quoad nos per prius cognoſcibilis: ſed ad ſubſtantiæ materialis poteſt noſter intellectus pro hoc ſtatu propriam cognitionem peruenire: ergo intentum. Maior admittitur expreſſe ab Scoto vbi ſupra, & ab Antonio Andrea, & minor relinquitur probata ex dictis tom. primo, lib. 2. conſequentia autem eſt formalis. Ex his facile refutantur duo modi dicendi oppoſiti: Primus namque deficit; quia de ſola prioritate naturæ intelligit propoſitionem Philoſophi: cum tamen de vtraque, & potiſsime de prioritate quoad nos loquatur, vt probatum relinquitur. Secundus deficit, tum

quia Philoſophus de eadem ſubſtantia probat eſſe priorem accidentibus cognitione, de qua probauerat eſſe priorem accidentibus tempore, & diffinitione. Illam autem conſtat eſſe ſubſtantiam prædicamentalem, & non quiditatem ſolam, quæ etiam reperitur in accidentibus. Tum etiã, quia extrema harum comparationum apud Philoſophum ſunt ſubſtantia, & accidens primo diuerſa, & res diuerſorum prædicamentorum. Subſtantia autem ſumpta pro quiditate neque eſt primo diuerſa, neque diuerſi prædicamenti ab accidente, qui nimo eſt prædicatum ſuperius ad illud: ergo non eſt extremum comparationis factæ ab Ariſtotele.

4 Sed contra prædictas concluſiones arguitur primo. Nam ſubſtantia nullatenus poteſt eſſe prior tempore poſitiue omnibus accidentibus: igitur per ſolam non repugnantiam iuxta ſecundum dicendi modum debet hæc prioritas verificari. Antecedens probatur. Nam vel loquitur Philoſophus de ſubſtantia, quæ ſubditur tempori, aut de vniuerſa ſubſtantiarum collectione. Neutro modo verificatur prioritas poſitiua iuxta Philoſophi mentem. Nam ſi primo modo. Tunc ſubſtantia eſt poſterior ipſo tempore, quod eſt accidens; ac proinde non eſt prior omni accidente. Si autem ſecundo modo, cum iuxta Philoſophum tota ſubſtantiarum ſeries ab æterno fuerit ſimul cum accidentibus, nequit ſtare quod ſubſtantiæ genus duratione præceſſerit accidentia.

Confirmatur nam vel in hac comparatione comparatur ſubſtantia ad accidentia ſibi inhærentia, aut ad accidentia alteri ſubſtantiæ inhærentia; non primum; quia nulla ſubſtantia præcedit tempore omnia ſua accidentia. Neque ſecundum, quia reſpectu accidentium alterius poteſt eſſe aliqua ſubſtantia poſterior, & prior tempore: ergo nequit eſſe vera Philoſophi propoſitio.

Reſpondetur ad argumentum, quod Ariſtoteles de ſubſtantia abſolute loquitur finita, & accidentium capaci. Neque tamen ſibi eſt contrarius. Vt falſo putat Fonſeca dicens Ariſtotelem ſi ei lumen fidei affulſiſſet, nullo modo hac in re ſibi repugnaſſe. Quinimo abſque fidei lumine hac in re ſibi non repugnabit, quia licet ſubſtantiæ, & accidentia earum coæternæ ſint in eius ſententia: nihilominus ſumpto ordine temporis pro ordine generationis poteſt verificari ſubſtantiam accidentia tempore præcedere: quatenus hæc ad illius generationem conſequuntur, & non è conuerſo. Ex coæbis enim alterum poteſt per ſe generari, & alterum dependenter abillo comproduci. Vnde conceſſa maiori pro ſecunda parte, neganda eſt minor. Præterquam quod etiam prima pars minoris defficit in eo, quod reſpectu accidentis, quod eſt tempus, non admittit præcedentiam. Nam etiam tempus, quod eſt duratio motus cœli ad ipſius ſubſtantiæ cœleſtis generationem conſequutum, atque ab illa dependenter fuit productus, quod ſi inquiras ſi Deus aliquam ſubſtantiam, verbi gratia, cœli empyrei, vel Angelicam ante tempus creauit: Quo pacto illa foret poſitiue, & proprie prior tempore ſecundum durationem, cum prius, & poſterius in ſolo tempore reperiantur: Reſpondet Fonſeca ſectione prima ad ſecundam, quod talis ſubſtantia eſſet prior tempore prioritate temporis imaginarij, quod inter æternitatem, & tempus reale fluxit, ſed quia hic fluxus temporis imaginarij ficticius eſt, vt ſuo loco oſtenditur: Ideo aliter dicendum eſt, quod nomine temporis non accipitur hic (adhuc ſumpto tempore pro duratione) pro duratione conditincta ab æternitate, & æuiternitate: ſed communiter prout ſe extendit ad omnem realem durationem. Vnde ſicut diuina ſubſtantia præceſſit tempus ipſum æternitate: Ita ſubſtantia cœli empyrei, & ſi quæ fuit alia creata ante tempus ſucceſſiuum concreatum cum primo mobili, fuit prior illo prioritate durationis realis: nempe ſui æui. Ad confirmationem conceſſa maiori, pro prima parte nego minorem, qui aut dictum eſt, quælibet ſubſtantia accidentium capax eſt prior ſuis accidentibus tempore. Ideſt generatione, quorum aliqua etiam quandoque ſecundum proprij tẽporis durationem præcedit.

Secundo arguitur: ſubſtantiam eſſe priorem diffinitione accidente; vel eſt ſubſtantiam poni in diffinitione accidentis, & hoc non, quia etiam accidentia ponuntur in diffinitione ſubſtantiæ, cum per accidentia innoteſcant nobis ſubſtantiæ, ſicut cauſæ per effectus, vel eſt ſubſtantiam eſſe cauſam eſſentiæ, & diffinitionis accidentis, & hoc non, quia aliqua accidentia nõ cauſantur ex principijs ſubſtantiæ, aut ſubiecti: ſed ab extrinſeco, ſicut lumẽ in aere à ſole: ergo. Reſpõdetur vtroq; modo, & vtraq; de cauſa verificari ſubſtantiam eſſe priorem deffinitione accidentibus. Ad primam improbationem dicendum eſt, diffinitionem eſſe duplicem. Aliam quiditatiuam, quæ datur per priora diffinito, & poni in tali diffinitio

ne,

ne, arguit esse aliquid prius diffinitione, aliam vero descriptiuam vel circunloquutiuam, in qua essentialia prædicata diffiniti per accidentia à posteriori, & quoad nos declarantur, & in tali diffinitione vnius, vel alterius substantiæ sæpe sæpius ponuntur accidentia: sed poni in huiusmodi diffinitione non arguit illa esse priora diffinito.

Ad secundam dico cum Doctore Sancto 1. part. quæst. 77. art. 7. quod licet sola accidentia propria, quæ dimanant ex principijs subiecti, habeant causam actiuam in subiecto. Tamen omnia habent causam passiuam, siue susceptiuam. Omnium namque accidentium causa passiua, & materialis est ipsum eorum subiectum. Vnde quodlibet accidens dependet à subiecto in suo esse & in sua diffinitione.

Tertio arguitur: Nam ex dictis sequitur idem esse, quod substantia sit prior accidentibus diffinitione; atque cognitione: ac proinde confundi secundam cum tertia comparatione: esseque inanem & superfluam repetitionem eiusdem prioritatis. Consequens derogat authoritati Philosophi, & communi interpretum calculo: ergo quarta conclusio defficit. Sequela patet: Nam vel in tertia comparatione cognitio accipitur pro cognitione perfecta, qualis est cognitio distincta, ac diffinitiua, quæ habetur per diffinitionem quidditatiuam: & tunc idem esset substantiam esse priorem cognitione atque esse priorem diffinitione: vel accipitur cognitio pro confusa cognitione, quæ est prior ordine generationis, & secundum hanc priora sunt accidentia; per illa enim inuestigamus, & describimus essentiales substantiarum differentias, & in hoc sensu falsa erit quarta conclusio. Hoc argumento conuictus Fonseca vbi supra recedit à nostra conclusione, sed debili quidem innititur fundamento. Respondetur namque, quod Philosophus in secunda comparatione loquitur de prioritate in ordine cognitionis diffinitiuæ, & potius de ordine cognoscibilitatis ex parte rerum ipsarum quam de ordine cognitionis ex parte nostri eatenus enim substantia est prior diffinitione, quatenus per se, & independenter ab accidentibus est diffinibilis. Attamen in tertia loquitur de ordine cognitionis, tam confusæ, quàm distinctæ, & potius de ordine vtriusque cognitionis ex parte cognoscentis, quàm ex parte rerum cognitarum. Vtroque enim modo substantia prius à nobis cognoscitur, & cognitione confusa. Et distincta, ac diffinitiua: quia prius per illius speciem informatur intellectus, loquendo de substantia materiali. Substantia autem immaterialis, licet respectu intellectus coniuncti non sit prius cognoscibilis, tamen respectu intellectus separati, cuius est obiectum proportionatum, etiam est prius cognoscibilis, quàm accidentia. Prius enim intellectus Angelicus suum obiectum primarium, quod est substantiæ Angelicæ quiditas, quàm accidentia cognoscit. Vnde ad formam argumenti nego sequelam; ad probationem, concessa maiori pro vtraque parte, nego minorem: etenim secundum vtramque ordinem substantia creata est prius cognoscibilis respectu intellectus sibi proportionati.

ARTICVLVS II.

An inhærentia sit de essentia accidentis?

5 IN hoc articulo, vt accidentis dependentiam à substantia, & naturalem ad existendum sine illa impossibilitatem, ex qua dependentia in cognitione sui, & posterioritas eius respectu substantiæ, oritur; explicemus. Examinandum proponimus, quo pacto inhærentia ad ipsum accidens cõparetur; & quoniam hæc duplex est, Metaphisicis lumine fidei suffultis: altera actualis, qua accidens actu in est subiecto: altera, aptitudinalis, qua accidens aptum, & propensum est ad inhærendum subiecto: de vtraque intelligitur articuli titulus; cuius sensus est; an accidens ita dependeat in suo esse à subiecto, vt vtraque inhærentia, vel sola aptitudinalis sit de illius essentia. In quo tres fuere sententiæ; duæ extremæ, & alia media. Prima fuit omnium etnicorum Philosophorum, qui lumine fidei destituti existimarunt nullatenus accidens posse sine subiecto existere, ac proinde vtranque inhærentiam esse de essentia accidentis, quinimo actualem ab aptitudinali; haut quaquam distinguebant. Vnde & Philosophus in hac persistens sententia sæpius diffinit accidens esse illud, cuius esse, ideſt cuius natura est in esse: vt videre est apud ipsum in hoc 7. capit. 1. dicentem accidentia esse entia, quia entis entia.

Secunda asserit neutram inhærentiam esse de essentia accidentis. Hanc sequuntur aduersus & in eos Catholici Metaphisici, de quorum numero fuere Scotus in 4. d. 12. q. 1. & in hoc 7. quæst. 1. quem sequitur Antonius Andreas ibidẽ quæst. 1. & Zimara Theo-

rica tertia Flandrenſis hic quæſt. 1. art. 2. & Soncinas quæſt. 1. Qui tamen diuerſimode procedunt. Scotus enim & ſequaces volunt aptitudinalē inhærentiam eſſe quandam relationem conſequutam ad naturam accidentis ad inſtar proprietatis illius. Flandrenſis vero, & Soncinas contendunt eſſe modum quendam abſolutum, qui eſt de eſſentia accidentis, non vt prædicatum quidditatiuum: ſed vt modus intrinſecus, & completiuus, ſicut ſubſiſtentia, & eſſe perſe eſt de eſſentia ſubſtantiæ, vt modus illius completiuus. Ita enim ſe explicant verbis expreſis. Vnde eorum ſententia non eſt prorſus eadem cum ſententia Scoti; ſed potius ab illa ſatis diuerſa; vt falſo putauit Fonſeca vbi ſupra ſectio. 3. Dum ſic ait. *Scotum ſequūtur non modo, eius doctrinæ alumni, ſed etiam alij quidam nullius diſciplinæ addicti, atque adeo ex Schola Diui Thomæ Paulus Soncinas credens ſe Sancti Doctoris opinionem ſequi, &c.* Et in margine poſt Zimaram refertur Flandrenſis: ſed nullatenus negandum eſt hos Diui Thomæ diſcipulos re, & verbis ab Scoto differre; neque licet illos addictos diſciplinæ ſui Authoris cum alijs nullius diſciplinæ addictis annumerare pro ſententia Scoti abſque vlla diſtinctione. Licet verum ſit quod ſuū Authorem in hac parte minus bene interpretentur, vt iam videbimus.

Vera ſententia D. Tho. & Authoris.

Tertia ſententia, mediauia procedens, ait inhærentiam actualem non eſſe de eſſentia accidentis, bene tamen aptitudinalem. Ita D. Thom. in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. Capreolus in 1. diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 3. Ad primum contra 5. & 6. Caietano 7. de ente quæſt. 15. Herueus quodlib. 4. q. 9. Ægidius in hoc libro quæſt. 2. Iauellus quæſt. 1. Iandunus quæſt. 9. & Gabriel ſuper Canon lectione 44. Quos ſequitur Fonſeca quæſt. 1. ſectione 3.

6 Reſpondeo dicendum primo inhærentiam actualem non eſſe de eſſentia accidentis, ſed eſſe quemdam illius modum accidentalem. Hæc concluſio quoad primam partem eſt certa eadem certitudine, qua certum eſt quantitatē in Euchariſtia ſine actuali inhærentia conſeruari. Et probatur primo. Nam quidquid poteſt deeſſe alteri, illo in rerum naturarum emanente, non eſt de eſſentia illius, ſi quidem nihil ſine ſua eſſentia poteſt remanere: ſed accidenti in rerum natura emanenti poteſt deeſſe actualis inhærentia; & de facto de eſt quantitati in Sacramento altaris; ergo non eſt de illius eſſentia. Secundo ſic comparatur actualis inhærentia ad accidens, ſicut exiſtentia ad ens, & ſicut actualis vnio cum corpore ad animam, verbi gratia, rationalem, & ſicut actualis informatio ad formam ſubſtantialem, cū ipſa hæſio actualis ſit quidam modus eſſendi in alio, & quidam modus vnionis, atque informationis: ſed neque exiſtentia eſt de eſſentia entis creati, neque vnio animæ, neque informatio formæ eſſentiam ingreditur: ergo. Ex hac ratione colligitur ſecundæ partis fundamentum. Nam exiſtentia, ad ens creatum, vnio ad animam, & informatio actualis ad formam comparantur, vt modi accidentales: ſed pariformiter actualis inhærentia ad accidens comparatur: ergo etiam eſt modus quidam ipſius accidentalis. Vnde ſicut exiſtentia de ente creato, & actualis vnio, atque informatio de forma prædicantur prædicatione quinti prædicabilis, ita actualis inhærentia de accidente eodem genere prædicationis prædicatur. Et ſi verum fatear, actualem inhærentiam ad proprium reductiue pertinere: quia conuenit omni, & ſoli accidenti: ſed non ſemper, ac proinde eſſe proprium tertio modo, ſicut caneſcere, & ridere ſe habent reſpectu hominis: hoc tamen non obſtat quominus ſimpliciter, & abſolute ad quintum prædicabile pertineat. Sicque prima ſententia, & minorum funditus labefactata relinquitur. Dico ſecundo aptitudinalis inhærentia eſt de intrinſeca ratione accidentis, tanquam prædicatum eſſentiale. Hæc concluſio ſtatuitur ad vtrumque modum defendendi ſecundam ſententiam. Et probatur primo, nam ſic ſe habet aptitudinalis inhærentia ad accidens, ſicut ad ſubſtantialem entitatem ſe habet eſſe per ſe, ideſt, modus eſſendi talis vt non egeat ſubiecto: ſed hic modus eſt ipſa natura ſubſtantiæ, quæ ratione ſui eſt incapax in hærendi alteri: ergo, & aptitudinalis in hærētia eſt de natura accidentis, quæ eſt *eſſe in* aptitudinale: ſicut ſubſtantiæ, eſſe per ſe. Secundo modus ille, per quem accidens contrahit noſtro modo intelligendi ens ad naturam accidentis, & per quem per ſe primo diſtinguitur à ſubſtantia, eſt illi eſſentialis, & cum illo identificatus formaliter: ſed hic modus eſt aptitudinalis in hærentia, ergo. Maior patet, quia eiuſdem eſt conſtituere, atque diſtinguere eſſentialiter, & contrahere rationem ſuperiorem. Et quia modus ille eſt ens reale, & non ſubſtantiale: ergo accidentale, & non eſt modus diſtinctus, & ſuperueniens entitati accidentis, de illo enim rediret eadem quæſtio, per quem modum contrahit ens vt ſic. Et daretur proceſſus infinitus, quod non eſt admittendum: igitur dicendum eſt, eſſe idē cū entitate accidentis, in qua ſola ratione

tione diſtinguimus id, quod eſt accidens, & id, quo eſt tale, ad inſtar differentiæ. Minor probatur: quia modus proprius, & diſtinctiuus accidentis eſt *in*, & non actuale: igitur aptitudinale. Secundo aptitudinalis inhærentia eſt id, per quod accidens, v. g. albedo proxime poteſt inhærere, eſt enim id, quo eſt proxime apta nata inhærere: ſed albedo per ſuam ſimplicem entitatẽ abſque alterius mediatione eſt apta inhærere: ergo ipſa eſt ſua aptitudinalis inhærentia. Maior eſt diffinitio, & patet minor, quia inter albẽdinem, & actualem inhærentiam nihil mediat: ſed ipſa entitas albedinis eſt per ſe ipſam reducibilis ad actum inhærendi. Quod patet, tum quia aliàs, ſi inter calorem, v. g. & actualem inhærẽtiam mediaret aptitudo diſtincta, ſicut inter ſubſtantiam ignis, & calefactionem mediat potentia actiua, ſcilicet calor ipſe: ſicut ſubſtantia ignis non eſt per ſe operatiua, ſed medio calore: Ita calor nõ eſſet per ſe inhæſiuus, ſed media aptitudine illa: & conſequenter per ſe ipſum non eſſet accidens: quod eſt abſurdũ. Tum quia actualis in hærentia eſt veluti actus primus, ſicut exiſtentia; ad operationem accidentis operatiui, præ requiſitus: vnde ſicut exiſtentia immediate vnitur eſſentiæ: ita & actualis inhærentia immediate poteſt, & debet conuenire entitati accidentis: ideſt abſque aliqua media potentia, aut aptitudine, per quam indigeat reduci ad actum inhærendi. Tertio nam ſequitur quod poſsit ipſum accidens cõpleta diffinitione abſque ordine ad ſubſtantiam, ac proinde abſque additamento poſſet diffiniri. cuius oppoſitum ſupra docuimus; ergo & falſum eſt id, ex quo ſequitur. Sequela patet: quia ſi aptitudinalis inhærentia, quæ eſt ordo tranſcendentalis ad ſubiectũ eſt extra eſſentiam accidentis, ſicut poteſt diffiniri aut concipi eſſentia accidentis abſque actuali inhærentia, ita poterit concipi diffinite abſque aptitudinali: & conſequenter abſque ordine ad ſubiectum.

7 Dico tertio aptitudinalis inhærentia non eſt ordo relationis prædicamentalis, niſi in ſolo genere ad aliquid prout cum ipſo, ad, identificatur. Hæc concluſio eſt Scotiſtarum modo dicendi contraria. Et probatur primo, nam aptitudinalis inhærentia conſtituit accidens vt ſic, & eſt de eſſentia illius, vt dictum eſt: ſed ratio accidentis vt ſic non eſt relatiua: ſed abſtrahens à relatiuo, & abſoluto; & in ſolo genere ad aliquid eſt relatiua per identitatem: quia idem eſt in paternitate *in* atque ipſum *ad*: ergo. Quod autem aptitudinalis inhærentia vt ſic non ſit relatiua, patet: Secundo, nam forma relatiua de genere ad aliquid eſt illa, quæ reſpicit terminum vt ſic præciſſe ſub ratione termini: ſed aptitudinalis in hærentia licèt reſpiciat ſubiectum inhæſionis: reſpicit illud non ſub ratione præciſſa termini; ſed ſub ratione ſubiecti, & cauſæ materialis atque ſuſtentantis: igitur erit ratio abſoluta: reſpectiua quidem tranſcendentali ordine, qui eſt abſolutus à termino: licet non à ſubiecto, vel à cauſa materiali. Tertio, nam omnis relatio prædicamentalis corrumpitur corrupto ſuo termino: quia intrinſece petit termini exiſtentiã, ad ſui realem exiſtentiam, neque oppoſitum poteſt per Dei potentiam fieri, vt ſuo loco oſtenſum eſt: ſed aptitudinalis inhærentia non corrumpitur in quantitate Euchariſtiæ: etiam ſi ſubiectum, quod eſt terminus eius habitudinis, corrumpatur: ergo ſignum eſt manifeſtum non eſſe relationem prædicamẽtalem. Confirmatur, nam aptitudinalis inhærentia in accidente habet, ſe ſicut aptitudo receptiua in materia, & ſicut ordo aptitudinalis ad vnionem in anima: ſed iſti ordines licet reſpectiui ſecundum dici ſint, quia penuria nominum appellamus illos reſpectus, eo quod abſque ordine ad aliud non valemus eos diffinire: tamen reuera ſunt abſoluti à termino, & non de genere ad aliquid: ergo idem de aptitudinali inhærentia dicẽdum eſt. Maior patet à paritate ſæpius facta. Minor autem probatur: quia materia, & anima ſunt res abſolutæ, de genere ſubſtantiæ: & quod eſt de eſſentia alicuius, vt prædicatum eſſentiale, nequit eſſe alterius generis ab illo: igitur cũ prædictæ habitudines ſint prædicata eſſentialia materiæ, & animæ, nequeunt eſſe de genere ad aliquid. Poſſunt tamen eſſe reſpectus tranſcendentales: quia huiuſmodi reſpectus non obſtat quo minus ſit de eſſentia abſoluti.

Sed contradicta. Arguitur primo. Relatio eſt accidens, de cuius eſſentia eſt in hærentia actualis: ergo fuit prima concluſio. Antecedens patet, nam ex eo colligimus actualem in hærentiam non eſſe de eſſentia accidentis quia poteſt accidẽs ſine illa ſaluari: ſed hæc ratio deficit in relatione, v. g. in paternitate: quia nequit paternitas, aut alia relatio ſaluari à parte rei, quin habeat ſuum exercit. ũ eſſentiale, hoc eſt, quin referat actualiter ſubiectum, & ei communicet, ſuum effectũ formalem, quod debet fieri media actuali in hærentia: ergo. Confirmatur primo modus eſſendi per ſe actualiter eſt de eſſentia ſubſtantiæ, imo eſt ipſa entitas ſubſtantiæ: non enim ponit in numero cum entitate ſubſtantiæ, eſſe ens per ſe, ideſt, ſubeſſe carentiæ actualis in hærentiæ: ergo cum contrariorũ

Satis ſit argumentis.

sit eadem ratio, de essentia accidentis debet esse actualis inhærentia. Antecedens declaratur: quælibet substantia, etiam partialis, seclusa subsistentia, & existentia, est ens per se primo diuersum ab accidēte, per hoc quod est incapax actualis inhærentiæ, quæ incapacitas exclusiua inhærentiæ est modus essendi per se actualiter: & hæc incapacitas est eadem entitas rei substantialis, quæ per se ipsam est incapax inhærentiæ actualis. Etenim incapacitas excludens actualem inhærentiam: actualis debet esse, sicut illa, quæ excludit aptitudinalem inhærentiam, aptitudinalis est: cum vnumquodque contrariū per sibi proportionatum contrarium excludi oporteat. Confirmatur secundo si accidens absque actuali inhærentia posset reperiri: subindueret modum essendi propriū per se substantialis naturæ non subsistentis, qui in eo solum consistit, quod existat independenter â subiecto inhæsionis: Consequens est falsum: ergo. Minor patet tum, quia proprius modus vnius generis entis, ne quit alteri conuenire: tum etiam quia substantiæ nequit modus accidentis conuenire: igitur neque accidenti potest modus substantiæ conuenire, cum eadem sit ratio repugnantiæ. Ad argumentum respondetur negando antecedens; ad cuius probationem nego minorem: posset enim Deus paternitatem, aut similitudinem, sicut, & quātitatem absque subiecto conseruare, maxime absque substantia seu subiecto *quod*. Rursus respondetur, quod licet relationes huiusmodi absque vllo subiecto præsertim absque fundamento, in quo immediate suscipiuntur, nequeant conseruari, propter realem identitatem, quam habent cum suis fundamentis, & debilem ipsarum entitatem: tamen ex quo aliquod accidens cuiusmodi est quantitas, vel qualitas, inuenitur separatum à subiecto, & aliàs omne accidens etiā relatiuum potest in abstracto concipi sine actuali inhærentia: optime infertur hanc de nullius accidentis ratione reperiri. Ad primam confirmationem duplex est modus dicendi. Primus est Caietani 3. part. quæst. 4. art. 2. §. *simpliciter autem*, asserentis, quod sicut substantia accipitur dupliciter, scilicet pro essentia, aut entitate substantiali: vel pro prima substantia subsistente: ita duplex est modus essendi per se distinctus à substantia: alter est esse per se, hoc est, non in alio, sicut accidens in subiecto, & alter quē circūloquimur per esse per se, ideſt non esse in alio, vt in supposito, atque vt pars in toto. Vnde sicut substantia sumpta pro essentia non ex modo primo essendi per se constituitur, sed ex intrinseca realitate cui debetur talis modus: ita substantia sumpta pro hypostasi, non ac in essendi secundo modo: sed ex realitate intrinseca videbatur actu esse tali modo, constituitur. Secundus modus dicendi & mihi verior asserit, quod modus essendi per se prout accipitur primo modo, ideſt quatenus exclusiuus modi essendi in alio vt in suiecto inhæsionis: est de essentia substantiæ sumptæ pro essentia, aut entitate substantiali, non ponens in numero cum illa, licet hypostasis ipsa, siue subsistentia, quæ constituit modum essendi secundum ac perfectissimum, distinguatur realiter ab essentia substātiæ, cuius est modus. Ratio autem discriminis inter actualem modum essendi in alio, & actualem modum essendi per se ea est, quod actualis inhærentia dicit actualem rationem cum subiecto, & inexistentiam accidentis in illo. Vnde sicut neque actualis vnio, neque existentia sunt de essentia accidentis. Ita neque actualis inhærentia. At modus essendi per se conueniens essentiæ substantiæ est perfectio illa, per quam substantialis entitas est incapax inhærentiæ, & hæc non ponit in numero cum ipsa entitate substantiæ, neque concernit actualem existentiam: sed præuenit illam, sicut ipsa entitas, qui â substantia per suam entitatem est incapax inhærentiæ, & dependentiæ â subiecto inhæsionis. Atque adeo modus essendi per se aptitudinali inhærentiæ accidentis, actualiter autem existere per se actuali inhærentiæ est parificandum. Ad secundam duplex est solutio prima concedit sequelam. Ad probationes minoris respondet accidenti per potentiam obedientialem posse communicari modum essendi substantiæ licet non è contra. Cuius rationem assignat Capreolus in 4. distinct. 10. quæst. 2. ad septimum Durandi contra secundam, & distinct. 12. quæst. 1. ad secundum Scoti secundo loco contra primam dicens minus repugnare imperfecto trahi ad modū perfecti, quam è contra. Vnde cum accidens sit minus perfectum quam substantia: Nam repugnabit illi ascendere ad modum substantiæ, licet substantiæ repugnet ad modū accidentis descendere. Et adhuc huius fundamentum potest esse: quia accidens dependet à substātia in genere causæ materialis sustentantis, quam Deus potest supplere, & de facto suplet in accidentibus Sacramenti altaris: substantia autem si inhæreret, efficeretur forma intrinseca subiecti, & cum hoc non habeat ex natura sua, haberet illud munus informandi ex virtute Dei suplentis vicem causæ formalis, quod est impossibile. Sed reuera hæc solutio deficit:

ficit: Nam cum essentiæ sint sicut numeri: non minus repugnat rei inferiori modus essentiæ superioris, quam ê cõtra, & quia accidentibus separatis à subiecto non conuenit esse per se absque habitudine ad subiectum, qui est proprius modus substantiæ. Imo si iste eis conueniret etiam supleret Deus causam formalem: esset enim accidens ratio formalis essendi per se, & talis modi susceptiuum: & cum hoc non haberet ex natura sua, haberet illud ex virtute diuina suplente causam formalem. Vnde vera solutio est altera eiusdem Capreoli ibidem: quod accidens nũquam habet proprium modum essendi substantiæ, qui consistit in independẽtia excludente non solum actualẽ sed eius aptitudinalem inhæsionem: sicut neque substantia potest accipere proprium modũ accidentis. Sed sicut accidens participare potest quendam modum similem modo substãtiæ, scilicet quantum ad independentiam actualis inhæsionis: vt de facto careat subiecto actu sustẽtante, sicut substantia actu etiã caret subiecto inhæsionis. Ita substantia potest participare quendam modum, similem ad modũ proprium essendi accidentiũ, quãtum ad hoc, quod sicut accidens actu dependet à subiecto sustentante illud, sic natura substantialis potest dependere ab alieno supposito sustentante illam; quod probat Capreolus in humanitate Christi, quæ, licet sit substantia; tamen dependet à supposito diuino, in quo aliquo modo assimilatur accidenti pendenti à substantia extrinseca: non tamen habet proprium modum accidẽtis, qui cõsistit in dependentia à subiecto per inhæsionem. Secundo arguitur, nam ita se habet *esse in alio*, ad accidens, sicut *esse per se* ad substantiam, ideſt, non in subiecto, sed esse per se est modus inseparabilis à substantia, & intrinsecus illi: ergo similiter esse in alio, siue actualis inhærentia erit modus intrinsecus accidẽtis, ac per cõsequẽs de essentia illius. Confirmatur, nam propterea Philosophus in hoc libro cap. 1. diffiniens accidens, ait, esse illud, cuius esse est inhæse, vnde & illius essentia nequit indefinitione explicari absq; substãtia: ideoque subdit mox Philosophus tex. 4. *Necesse est enim in cuiusq;* (scilicet accidentis) *ratione esse rationem substantiæ*. Rursus idem sentit Philosophus dum lib. 1. cap. 7. ait, quod si accidentia vniuersalia iuxta Platonis sententiam essent separata à subiectis, iam non essent accidentia, sed substantiæ. Et similiter dum primo Physicorũ cap. 4. inquit, quod intellectus nitens reparare passiones, siue affectiones à subiectis, impossibilia conatur. Non autem hæc separatio destrueret naturam accidentis, neque esset intellectui impossibilis, nisi actualis inhæsio esset de essentia accidentis: ergo. Ad hoc argumentum respondetur iuxta iam supertus dicta distinguendo, vel negando maiorem. Ad confirmationem quoad primam partem dicendum est, per verbum illud inhæse, intelligi à Philosopho aptitudinalem inhærentiam; verba enim in definitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem: Et hæc aptitudinalis inhærentia, quia est ordo, & habitudo ad subiectum sufficit, vt accidens nequeat definiri absque substantia, quæ cũ sit terminus illius habitudinis debet ingredi illius definitionem, de cuius essentia est talis habitudo. Quoad secundam vero partem respondetur Philosophũ in illis locis loquutum fuisse iuxta suam, & aliorum sententiã, qui lumine fidei destituti existimabant aptitudinalem inhærentiam ab actuali nõ distingui: sic enim consequenter concludebant fore, vt si accidentia separarentur à substantijs, amissa natura accidentium, in naturam substantiæ transirent: Ac proinde impossibilẽ esse separationem accidentis à substantia, etiam factam ab intellectu.

8 Tertio arguitur rationibus, quibus Scotus vbi supra nititur probare aptitudinalem inhærentiam esse relationem, quæ omnes possunt reduci ad hanc formam. Nulla relatio est de essentia absoluti, alias omnia accidentia essent formaliter de prædicamento ad aliquid, quod pro inconuenienti concludit Philosophus lib. 4. huius capit. 8. sed vtraque inhærentia est relatio: ergo non est de essentia accidentis, quod est absolutum, vel saltem abstrahit, vt sic, ab absoluto, & respectiuo. Minor probatur ab Scoto. Primo quia inhærentia accidentis est habitudo illius ad subiectum, & versatur inter duo extrema realia, quorum vnum depẽdet ab altero: sed talis habitudo est relatio: ergo. Secundo, quia inhærentia, etiam aptitudinalis fundatur in accidente, & nihil fundatur in se ipso: igitur inhærentia distinguitur realiter ab accidente, tanquam respectus fundatus à suo fundamento. Tertio nam aptitudinalis inhærentia est eiusdem rationis in quantitate, & qualitate, cum ab illis abstrahibilis sit vnicus conceptus inhærentiæ: sed nihil absolutum potest essentialiter, & vniuoce dici de quantitate, & qualitate; alias quantitas, & qualitas neque generalissima, neque primo diuersa essent: igitur dicendũ est huiusmodi inhærentiam relationem esse, & extra essentias dictorum accidentium. Confirmari potest hoc argumentum Scoti; ex eo, quod aliqua sunt accidentia, quæ sine

vllo

vllo ordine ad ſubiectum concipiuntur, vt ſunt Mathematicalia, quæ ſine ordine ad ſubiecta concipiunt Geometræ, & Aritmethici, qui lineas, numeros, & ſuperficies abſque ſubiectis imaginantur. Rurſus alia ſunt accidentia, quibus repugnat inhærere ſubiecto, v. g. pũctus, & linea in quãtitate, hæc enim actu nequeunt eſſe in ſubiecto: ſed ſolum in potentia quadã, quæ nequit reduci ad actũ. Similiter ipſa actualis inhærentia, prout diſtincta ab accidente, nequit inhærere ſubiecto, vel enim inhæreret per ſe ipſam, & hoc nõ quia eſt accidẽs, de cuius eſſentia diximus non eſſe actualem inhærentiam: vel per aliã, & tunc daretur proceſſus in infinitum: igitur de horum accidentium conceptu, & definitione, non eſt aptitudinalis inhærentia. Sed nihilominus facile Reſpondetur ad argumentum Scoti diſtinguendo maior. nam peccat ſecundum fallaciam æquiuocationis, quæ latet in verbo, relatio ſiue reſpectus. Vnde, ſi maior intelligatur de relatione tranſcendentali, eſt falſa. Hæc enim bene poteſt eſſe de eſſentia alicuius abſoluti: vera autem eſt, ſi loquatur de relatione prædicamentali: ſed in hoc ſenſu falſa eſt minor, quia aptitudinalis inhærentia eſt tranſcendentalis ordo ad ſubiectum, & non prædicamentalis relatio. Et ex hoc patet ſolutio, ad primam probationem minoris. Ad ſecundam neganda eſt maior, cum enim aptitudinalis inhærentia ſit idem formaliter cum accidente, nequit fundari in illo, quia nihil fundatur in ſe ipſo. Ad tertiã reſpondetur dupliciter primo, ſecũdum eius doctrinam, negando minorem, & inconueniens deductum; nam ſecundum ipſum Scotũ ens vnius rationis eſt in omnibus prædicamentis, de quibus vniuoce, & in quid prædicatur, vt lib. 4. vidimus, & tamen hoc non obſtat, quo minus ipſe fateatur prædicamenta eſſe generaliſsima, & primo diuerſa. Secundo reſpondetur negando maiorem ſicut enim accidens non eſt eiuſdem rationis in omnibus nouem generibus accidentium; ita neque aptitudinalis inhærentia, quæ eſt de eſſentia illius, imo neque actualis, quæ ad aptitudinalem ſequitur, & illi proportionatur. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedẽs quo ad omnes partes. Ad probationem primæ dico, quod Mathematicalia, non concipiuntur omnino abſque ordine ad ſubiectũ, ſed concipiuntur cum ordine implicito, à quo etiam in conceptu imperfecto non poſſunt præſcindere, vt falſo putauit Fonſeca vbi ſupra ſectione 4. Ad primum exiſtimans conceptum illum quantitatis, quem format Geometra eſſe præciſſum omnino ab ordine ad ſubiectum, quia imperfectus eſt. Cum tamen implicatorium ſit conceptum quemcunque accidentis ſubterfugere ordinem, id eſt, aptitudinalis inhærentiæ. Ad ſecundã dicendum eſt puncta, lineas, & ſuperficies, dicere ordinem ad ſubiectum eo modo, quo ſunt accidentia atque capacia actuare ſubſtãtiam, & illi inhærere, & quia per ſe ipſa ſeparata â molle corporea non poſſunt inhærere ſubſtantiæ, non dicunt ordinem ad ſic inhærendum: quia tamen ſunt apta inhærere ſubiecto tanquam modi, & termini quantitatis, ideo vt ſic dicunt ordinem ad inhærendum ſubſtantiæ media quantitate, aut ſimul cum illa tanquam modi, & termini illius. Poteſt etiam dici, quod licet per cauſas naturales punctus, linea, aut ſuperficies, non poſſit ſecundum ſe inhærere ſubſtantiæ, poteſt tamen per potentiam Dei abſolutã, ac proinde quia hæc inhæſio actualis eſt abſolute poſsibilis in ordine ad illam, datur in huiuſmodi accidentibus aptitudinalis inhærentia, & immediatus ordo ad ſubſtantiam. Ad tertiam reſpondetur modum illum actualis inhæſionis ſe ipſo inhærere ſubiecto, quia eſt ratio formalis inhærendi accidenti, & ſibi, & ideo non indiget alio modo inhærentiæ: ſed ipſe ſibi eſt ſufficiens ad inhærendũ vt quo vel vt modus. Quarto & vltimo arguitur ſi aptitudinalis inhærẽtia eſſet de eſſentia accidentis non poſſet accidens immediate aſſumi à Verbo diuino: conſequẽs eſt falſum: ergo & antecedens: ſequela patet, quia forma dependens eſſentialiter à ſubiecto inhæſionis eſt incapax ſubſiſtentiæ perſonalis, & modi perfectiſsimi eſſendi per ſe: minor vero patet: quia in perſona Verbi eſt infinita perfectio ſimpliciter in ratione terminandi: ergo poterit terminare omnẽ naturam etiam accidentalem ſeclusis imperfectionibus, v. g. ſeclusa imperfectione ſubiecti inhæſionis quod informatur ab accidente. Propter hoc argumentum negant aliqui accidentia ſiue vnita ſubiecto ſiue abſtracta poſſe immediate aſſumi à Verbo, quia putant actualem ſubſiſtentiam alienam cum aptitudinali inhærentia pugnare, de quorũ numero eſt Suarez primo tom. 3. partis diſputatione 14. ſectione 4. & tom. 3. diſputatione 47. ſectione 3. ſequutus ſententiã Vaſquis in 3. diſtinctione 2. quæſt. 1. art. 2. & Palacios ibidem quæſt. 1. ſed oppoſita ſententia eſt vera & proculdubio à nobis tenenda, quam ſequuntur Medina 3. parte, quæſt. 4. art. 1. Valencia ibidem puncto 1. & ex antiquis Almain in 3. diſtinct. 2. quæſt. 2. Maior Marſil. & Gabriel ibidẽ diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 2. & probatur primo argumento facto

pro

pro minoris probatione. Secundo quia ſuſtẽtare accidens immediate per modum ſuppoſiti, nullam ponit imperfectionem in verbo diuino: ergo. Tertio; quia accidens ſeparatũ habet modum exiſtendi ſimilem modo exiſtendi ſubſtãtiæ, vt iam docuimus: ergo etiã poterit ſubſiſtere per ſubſiſtẽtiã verbi. Cõſequẽtia probatur quia licet accidẽs ex natura ſua non poſcat illum modum exiſtendi per ſe, tamen per potentiam obedientialem poteſt illum recipere: ergo ſimiliter, licet ex natura ſua non poſcat modum ſubſiſtendi, poterit tamen per Dei omnipotentiam illum recipere â perſonalitate verbi ſibi communicata in ratione ſubſiſtentiæ. Deinde accidens vnitum ſubiecto etiam poteſt aſſumi à verbo: eo quod actualis vnio ſiue inhæſio eſt diſtincta ab eius exiſtentia: ergo poteſt dependere quoad eſſentiam vnitam à ſubiecto & non quoad exiſtentiam, ac per conſequens poterit exiſtere indepẽdenter ab illo, & ſubſiſtere per ſubſiſtentiam, ac per conſequens poterit exiſtere indepẽdẽter ab illo, & ſubſiſtere per ſubſiſtentiam verbi. Confirmatur hoc: nam anima equi vnita materiæ licet ſecundum eſſentiam dependeat ab illa, poteſt tamen de potentia Dei abſoluta exiſtere per exiſtentiam diuinam ſibi communicatam, ita vt annihilata materia remaneret anima illa ex vi talis exiſtẽtiæ: ergo ſimiliter licet accidens ſit vnitum ſubiecto, & dependens ab illo ſecundum eſſentiam & naturalem exiſtentiam; tamen poterit ſecundum exiſtentiam ſibi ſupernaturaliter communicatam eſſe indepẽdẽs à ſubiecto. Vnde iuxta hanc ſententiam reſpondetur ad formã argumenti negando ſequelam: quia cum aptitudinali inhærentia, imo neque cum actuali pugnat indepẽdentia & modus ille eſſendi, quẽ tribuẽret accidẽti ſubſiſtentia verbi.

ARTICVLVS III.

An ſubſtantia in tota ſua latitudine ſit omni accidente prior ordine dignitatis?

9 IN hoc articulo ſex poſſunt fieri comparationes, inter hæc quatuor extrema, hoc eſt, ſubſtantiam completam, & incompletam & accidens completum atque incompletum ad ſe inuicem comparata. Nimirum ſubſtantiæ completæ ad accidens completum prima eſt comparatio: ſecunda eſt ſubſtantiæ incompletæ ad accidẽs incompletum: tertia fit inter ſubſtantiam completam ad accidens incompletum: quarta vero inter ſubſtantiam incompletam & accidens completum: quinta autem comparatio fit inter ſubſtantiam completam & incompletam, ac tandem ſexta inter accidens completum & incompletum. Ex his autem ſex comparationibus, omittenda eſt ſexta, & quinta; hæc quidem quia infra explicanda eſt, cum totum ſubſtantiale ad ſuas partes comparemus. Et præterea quia indubitatum eſt ſubſtantiam completam eſſe incompleta ſui ordinis perfectiorem, & eadem ratione omittitur ſexta comparatio. De alijs vero communis ſententia aſſerit ſubſtantiã completam atque incompletam actualem, nempe formam eſſe omni accidente naturalis ordinis perfectiorem: ſimiliter autem loquitur de materia prima, quæ eſt ſubſtantia incompleta potentialis: aſſerit enim illam eſſe accidentibus completis imperfectiorẽ ſimpliciter, ita docet Soto 1. Phyſicorum quæſt. 6. dub. 6. & idem inſinuat Fonſeca in hoc 7. quæſt. 2. ſect. 2. & ſupponit atque ex parte probat hoc ipſum Flandrenſis quæſt. citata art. 3. & 4.

Sententia Authoris.

Reſpondeo dicendum primo ſubſtantiã completam eſſe accidente completo perfectiorem, & hoc ipſum ſentiendum eſſe de ſubſtantia incompleta actuali. Hæc concluſio probatur, quia maior perfectio deſumitur ex maiori entis actualitate: ſed maior eſt actualitas ſubſtantiæ completæ, & formæ ſubſtantialis, quàm formæ accidentalis, illa enim eſt ens ſimpliciter, & primum analogatum in ratione communi entis; hæc vero, eſt ens ſecundum quid, & ſecundarium analogatum ab alio, nempe à ſubſtantia dependens; & exemplatũ: ergo illa eſt perfectior. Dico ſecundo ſubſtantia incompleta potentialis eſt perfectior quàm accidens incompletum eiuſdem ordinis probatur, quia incõpletio entis generis perfectioris minus imperfecta eſt, quàm incompletio entis generis imperfectioris, ſed materia prima, & quęcunque alia ſubſtantia incompleta potentialis, ſiue actualis, ſiue modalis eſt generis perfectioris, quàm ſit genus accidẽtis incompleti: ergo minor patet, quia genus ſubſtantiæ, perfectius eſt de ſe, quàm genus accidentis; maior vero declaratur, nam inter entia incõpleta diuerſorum generum ex parte incompletioris eſt qualitas, & ex parte generis perfectioris eſt exceſſus: ergo illud erit perfectius, quod fuerit generis perfectioris. Confirmatur, nam ab accidente, & â ſubſtantia completis abſtrahitur quandoque vnica ratio analoga entis completi: ſed in hac prima rium analogatum eſt ſubſtantia completa: ergo & in illa principalius analogatum debet

eſſe

eſſe ſubſtantia incompleta. Dico tertio iuxta quartam comparationem accidens eſt perfectius ſimpliciter, quàm ſubſtantia incompleta potentialis, cuiuſmodi eſt materia prima. Hæc concluſio probatur primo quia D. Auguſt. lib. 12. confeſsionum cap. 7. aſſerit materiam primam eſſe infimam omnium entium, vtpote ad ipſum nihil magis apropinquantẽ, ait, enim. *Duo cœlum, & terram feciſti Domine, vnum propete, quo ſuperior tu eſſes, aliud prope nihil, quo inferius nihil eſſet*, in quo teſtimonio nomine cœli intellexit cœleſtes ſpiritus, nomine vero terræ materiam primam, vt ipſe ſe explicat ſuper Geneſ. ad litteram cap. 1. eo quod teſte D. Thoma 1. p. quæſt. 66. art. 1. ſicut terra omnibus elementis ſubſidet, ita materia prima eſt primum ſubiectum, quod omnibus formis ſubſternitur: ergo materia eſt omnium entium imperfectiſsima, qua nullum ens etiam de genere accidentis, ſaltem completi, eſt imperfectius. Secundo probatur: nam illud eſt perfectius ens, quod magis participat de actualitate, & in quo participatio, & ſimilitudo diuini actus magis relucet; ſed quælibet forma accidentalis eſt huiuſmodi; eo quod eſt actus dans ſubiecto aliquod eſſe actuale, materia autem prima cum ſit pura potentia, eſt expers totius Phyſice actualitatis: ergo.

10 Sed contra arguitur primo, nam illud eſt perfectius, per quod vnumquodque ſubiectum habet bonitatem ſimpliciter, facta comparatione ad illud, per quod habet bonitatem ſecundum quid; ſed ab accidentibus habet ſubſtantia bonitatem ſimpliciter, ab entitate autem ſubſtantiali ſeorſum ſumpta habet bonitatem ſecundum quid teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 1. ad primum: ergo falſa eſt prima concluſio. Ad hoc argumentum reſpondetur cùm D. Tho. in loco allegato negando maiorem, cuius rationem aſignat dicens, quod licèt bonum & ens ſint idem ſecundum rem, quia tamen differunt ſecundum rationem, non eodem modo dicitur aliquod ens ſimpliciter, & bonum ſimpliciter: nam cum ens dicat aliquid conſtitutum in actu, & actus habeat ordinẽ ad potentiam, ſecundum hoc dicitur aliquid ens ſimpliciter, ſecundum quod primo diſtinguitur ab ente in potentia: hoc autem eſt eſſe ſubſtantiale vniuſcuiuſque rei, vnde vnumquodque per ſuum eſſe ſubſtantiale dicitur ens ſimpliciter: per accidentia vero, & actus ſuperadditos dicitur eſſe ſecundũ quid ſcilicet eſſe album, ſignificat eſſe ſecundum quid, eo quod aduenit enti iam conſtituto in actu, & non aufert eius potentialitatem ſimpliciter, bonum dicit rationẽ perfecti, quod eſt appetibile, & per conſequens dicit rationem vltimi. Vnde id, quod, eſt vltimo perfectum dicitur bonum ſimpliciter, ideſt, quod habet vltimam perfectionem. Et ideo ſecundum eſſe primum quod eſt ſubſtantiale, dicitur aliquid ens ſimpliciter, & bonũ ſecundũ quid, ideſt, in quantum eſt ens: ſecundum vero vltimum actum dicitur aliquid ens ſecundum quid, & bonũ ſimpliciter, & ex his colligit D. Thom. propterea dixiſſe Boetiũ in lib. de Hebdomadibus, quod in rebus aliud eſt quod ſunt bonæ, & aliud quod ſunt, ideſt, quod ſunt entia ſimpliciter. Secundo arguitur ex illo ſæpius repetito teſtimonio Philoſophi lib. 2: de cœlo cap. 5. aſſerentis vnamquamque rem eſſe propter ſuam operationẽ: ſed ſubſtantiæ operatio eſt accidens: ergo ſi ſubſtantia eſt propter ſuam operationem, tãquam propter finem, perfectior erit actus accidentalis, quàm ſubſtãtia ſiquidem finis, propter quem perfectior eſt, quàm res, quæ eſt propter ipſum, non enim natura ordinat id, quod eſt perfectius ad minus perfectum. Reſpondetur teſtimonium Philoſophi ſic eſſe intelligendum, vt vnaquæque res creata ſit propter operationem, non in abſtracto ſumptam, ſic enim operatio potius ordinatur ad perficiendam ſubſtantiam, cuius eſt operatio, tanquam ad finem: ſed eſt propter operationem in concreto, ideſt, propter ſe ipſam operantem, ſic enim vnaquæque ſubſtantia creata eſt in ſtatu perfectiori, quàm cum caret operatione, quia includit non ſolum ſuam entitatem ſubſtantialem: ſed etiã actualem operationem. Tertio arguitur aduerſus tertiam concluſionem, nam diſpoſitiones naturales, quæ diſponunt materiam ad introductionem formæ ſubſtantialis ſunt accidentia, & ordinantur à natura ad materiam diſponendam, tanquam ad finem: igitur materia eſt illorum finis, ac proinde illis perfectior. Ad hoc argumentum reſpõdetur dupliciter primo diſtinguendo minorem de fine proximo, & *cui*, vel de fine vltimo, & *propter quem*, materia igitur eſt finis proximus, & *cui* diſpoſitionum, forma autem ſubſtantialis eſt finis vltimus, & *propter quem*, & ideo hæc, & non illa debet eſſe perfectior diſpoſitionibus, ſolus enim finis propter quem debet eſſe perfectior his, quæ ſunt ad finem, vt tomo primo lib. 5. quæſt. 5. docuimus. Reſpondetur ſecundo diſtinguẽdo cõſequens: vel enim materia diſpoſita accipitur materialiter, & pro ſubſtracto diſpoſitionum ſeorſum ſumpto, & ſic non eſt perfectior diſpoſitionibus, neque finis illarum; & ideo negãda eſt, quia vel ſummitur materia vt includens ipſas diſpoſitiones, & effectum

illa-

illarum, & vt sic est perfectior dispositionibus seorsum sumptis, & potest esse finis illarum sicut diximus de substantia operante respectu solius operationis. Vnde in hoc sensu cõcedenda est, consequẽtia absque læsione veritatis nostræ tertiæ conclusionis.

ARTICVLVS IIII.

An facta comparatione ad accidentia ordinis supernaturalis, substantia creata sit illis perfectior?

11 *Sententia Capreoli. Cõradi, & aliorum Iuniorum.*

IN hoc articulo tres versantur sententiæ, duæ extremæ, & alia media via procedens. Prima asserit gratiam, & quamcunque formam accidentalem, siue habitum, siue actum supernaturalis ordinis esse simpliciter imperfectiorem substantia naturali, secundum quid vero esse illa nobiliorem, ideſt, quatenus comparatur ad illam, vt perfectio ad perfectibile, & quateus est supra naturam illius. Hanc sententiam sequuti sunt Capreolus in secunda distinctione 26. quæstione vnica ad 6. Aureoli contra primam & Conradus 12. quæst. 110. articulo secundo, quibus nouissime subscribit Fonseca in hoc 7. quæst. 2. sectione quarta. Secunda ex diametro huic opposita, asserit ne dum gratiam, sed etiam omne accidens supernaturale excedere simpliciter substantiam naturalem, excedi tamen ab illa, secundum quid, ideſt, quoadmodum essendi per actualem inhærentiam in alio. Hanc tuentur quidam ex Neotericis discipulis D. Thom. Tertia est Caietani asserentis duo, nempe ex accidentibus supernaturalibus gratiam iustificantem esse simpliciter perfectiorem omni substantia naturali: imo omni bono naturæ totius vniuersi: reliqua vero accidentia supernaturalia esse simpliciter imperfectiora substantia. Horum primum dictum habet 1. 2. quæstione 113. articulo nono: Secundum vero habet 1. parte quæstione 12. articulo quinto in principio & 2. 2. quæstione 23. articulo tertio, & tertia parte quæstione 7. articulo 12. ad secundum.

Vera sententia Caietani & Autho.

Respondeo dicendum primo gratiam iustificantem esse simpliciter perfectiorem omni substantia creata. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores primæ sententiæ, & probatur primo: nam tunc aliqua forma est nobilior simpliciter alia, quando secundum specificam, & essentialem rationem, est perfectior illa; sed gratia secundum suam specificam, & essentialem rationem est nobilior omni substantia creata: ergo: minor probatur, quia gratia secundum suam specificam rationem est formalis similitudo, & participatio naturæ diuinæ præstans nobis diuinam filiationem, & similitudinem cum Deo, qualem nulla substantia naturalis potest præstare: sed maior perfectio essentialis sumitur ex maiori assimilatione ad Deum, & maiori participatione naturæ ipsius: ergo. Secundo probatur: nam propterea appellatur gratia in scriptura melior, & præticsior coeteris rebus, etenim Iob 28. dicitur, *nescit homo prætium eius, non dabitur aurum obrizum pro ea*, & Sapientiæ 7. *præposui illam regnis, & sedibus, &c.* Et Sapientia 8. de eadem sub nomine Sapientiæ dicitur, *melior est sapientia cunctis opibus prætiosis, &c.* Ergo cum in his locis absque addito appelletur gratia perfectior: absolute, & simpliciter censenda est perfectior omnibus rebus ordinis naturalis, verba enim absoluta Sacræ Scripturæ in sensu absoluto debent explicari. Tertio probatur testimonijs Diui Thom. nam in 1. 2. quæst. 113. articulo nono, ad secundum asserit quod bonum gratiæ vnius hominis est maius, quam bonum naturæ totius vniuersi, & ideo opus iustificationis esse perfectissimum omnium operum Dei simpliciter, & ex parte termini, licet secundum quid, & ex parte modi excedatur à creatione, & 1. parte quæst. 25. art. 3. ad 3. ait omnipotentiam Dei maxime manifestari in remissione peccatorum, quæ fit per gratiam, & quæst. 27. de veritate articulo primo, ad sextum ait, postquam obiter dixerat gratiam esse nobiliorem anima secundum quid, quod gratia, licet, vt creatura, ideſt, quo ad modum essendi accidentis non sit nobilior anima Christi, tamen est nobilior illa in quantum est similitudo bonitatis diuinæ multo expressior, quam similitudo naturalis, quæ est in anima, & idem habet 1. 2. quæstione 110. articulo secundo, ad secundum in quibus testimonijs expresse Diuus Thomas attribuit gratiæ supra substantiam maiorem perfectionem essentialem: sed hæc est maior perfectio simpliciter: ergo. Tertio probatur: nam totus ordo naturæ ordinatur, tãquam ad finem, ad ordinem gratiæ ergo ordo gratiæ est perfectior simpliciter ordine naturæ: nisi

cedens patet, quia vel Deus produxit ordinem naturæ propter ordinem gratiæ, vel poſt decretum illum producendi per ſuperueniens decretum veluti accidentale ipſum ordinauit: at dona gratiæ, quem admodum, & ordinem gratiæ ordinauit ad ordinem hypoſtaticum: vnde omnes partes vniuerſi dicuntur effectus prædeſtinationis electorum, non conſtituti, & quoad ſubſtantantiam, ſed ſolum quoad ordinationem; & propterea omnia dicuntur facta propter electos, & diligentibus Deum omnia cooperari inbonum, vt explicat Diuus Thomas Roman. 8. lectione 6. ſed imperfectiora ſemper ordinantur ad perfectiora: ergo. Confirmatur quia actio productiua gratiæ eſt ſimpliciter præſtantior, quàm actio productiua ſubſtantiæ naturalis, quæ vel eſt generatio, vel creatio naturalis, illa autem eſt ſupernaturalis quædam generatio: ſed maior perfectio ſimpliciter actionis, & motus ſummitur à termino formali: ergo gratia, quæ eſt terminus formalis illius actionis eſt perfectior ſimpliciter ſubſtantia naturali. Vnde eius præſtantia ſignificatur ſecūdæ Petri cap. 2. ab Apoſtolo in illis verbis. *Maxima, & prætioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Ad hanc rationem cum ſua confirmatione conatur reſpondere Fonſeca vbi ſupra ſectione quarta, dicens ordinem naturæ, & ipſam productionem gratiæ non ordinari, aut terminari ad ſolam gratiam, ſed ad naturam perfectam, & eleuatam per gratiam, ordo autem naturæ perfectus per gratiam excellentior eſt, quàm ſola natura, & quam ſola gratia. Sed contra arguitur; quia licet verum ſit naturam eſſe propter gratiam in dicto ſenſu, imo & gratiam eſſe propter compoſitum ex ipſa, & natura ſicut partes ſunt propter compoſitum, hoc tamen non obſtat, quominus natura ſit propter ipſam gratiam, tanquam propter finem, & formam excellentiorem, ſicut ordinatio materiæ primæ & formæ ſubſtantialis non tollit, quominus ipſa materia ordinetur ad formam, ſicut ad finem, & partem excellentiorem. Deinde quia totus ordo gratiæ ordinatur tanquam ad finem, non ſolum ad humanitatem aſſumptam: ſed etiam ad ipſam vnionem hypoſtaticam: ergo ſimiliter ordo naturæ ad ipſam gratiam, tanquam ad finem ordinatur, eadem namque eſt ratio proportionabiliter in vtroque ordine reſpectu ſui ſuperioris. Denique quia nulla ſubſtantia poteſt producere gratiam tanquam cauſa efficiens principalis, cuius ratio nequit eſſe niſi maior excellentia ſimpliciter ipſius gratiæ ſupra ſubſtantiam: ergo. Maior, eſt Doctoris Angelici Prima ſecundæ, quæſt. 12. artic. 1. Minor autem probatur; quia exceſſus ſecundum quid non obſtat cauſabilitati huiuſmodi. Antecedens: intellectio, & volitio ſunt quoad actualitatem, & ſecundum quid nobiliores ſubſtantia hominis, & habitibus ſcientiarum, ac virtutum. Et tamen ab illis effectiue principaliter eliciuntur. Confirmatur. Nam ex gratia veluti ex radice, & natura dimanant proprietates, & actus nobiliores omnibus proprietatibus, & actionibus omnium ſubſtantiarum naturalium: ſcilicet lumen gloriæ, & viſio beata, charitas, & dilectio: ſed maior excellentia proprietatum, & actionum, maiorem excellentiam radicis, & naturæ, quæ eſt dimanationis principium arguit: ergo.

12 Dico ſecundo charitas, & quæcumque ſupernaturalis forma, ſiue habitualis, ſiue actualis eſt ſimpliciter perfectior ſubſtantia naturali. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus tertiam ſententiam, quæ Caietano attribuitur, & probatur prima pars: nam teſte Diuo Thom. Secunda ſecūdæ, quæſt. 23. ad 3. licet charitas quantum ad modum eſſendi ſit imperfectior, ſubſtantia tamen quatenus eſt participatio naturæ ſuperioris, eſt nobilior: ſed charitas ſecundum ſuam ſpecificam, & eſſentialem rationem, eſt participatio naturæ ſuperioris, ſcilicet diuinæ bonitatis ſecundum gradus ſupernaturalitatis: ergo eſt eſſentialiter, ac proinde ſimpliciter nobilior, quam ſubſtantia. Deinde probatur primo quoad vtramque partem, quia id ipſum dicit Diuus Thom. ibi de quocumque accidente ſupernaturali: & quia omne accidens eſſentialiter, & ſecundum ſuam eſſentialem, atque ſpecificam rationem eſt perfectius toto ordine naturæ, & hoc eſt illud eſſe perfectius ſimpliciter iſto: ergo: maior probatur: nam omne accidens ſupernaturale eſſentialiter pertinet ad genus perfectius ordine naturæ, ſcilicet ad genus formæ ſupernaturalis: ergo debet participare eius eſſentialem perfectionem, quia omne inferius participat eſſentialem perfectionem ſui generis. Tertio, quia quodcumque accidens ſupernaturale eſt participatio formalis alicuius perfectionis diuinæ, ſecundum gradum perfectiorem, ſcilicet ſecundum gradū ſupernaturalitatis & per illud aſſimilamur Deo ſecundum id, quod eſt ipſi magis proprium, atque nequit effectiue principaliter cauſari ab aliqua

qua ſubſtantia naturali aut eſſe illi cōnatura lis, ſed propter has rationes gratia eſt nobilior ſimpliciter omni ſubſtantia naturali: ergo idem de quolibet accidente ſupernaturali dicendum eſt, cum hoc tamen ſtat, quod non ſunt dicēda omnia accidētia ſupernaturalia entia perfectiora, eo quod aliqua ſunt in ſuo genere imperfectiſsima vt ſunt motus attritionis timoris ſeruilis, Spei, & Fidei informis, ſed iudiciū de vnaque re debet ſummi, penes ſibi intrinſeca, & non penes comparationem ad extrinſeca ſicut embryo licet comparatiue ſit viuens imperfectum, tamē abſolute, & eſſentialiter propter gradum vitæ eſt perfectior cœleſti corpore. Confirmatur: nam vnio hypoſtatica licet ſit modus, & ens imperfectum in ſuo genere, tamen quia eſt eſſentialiter ordinis ſuperioris ad gratiā, eſt ſimpliciter perfectior, quām totus ordo gratiæ: ergo licet aliquod accidens ſupernaturale ſit in ſuo genere reſpectu aliorum imperfectum; tamen, quia eſſentialiter eſt ordinis ſuperioris ad naturam, debet eſſe ſimpliciter perfectius toto ordine naturæ. Dico 3. gratia, & quod vis accidens ſupernaturale ſecundum quid, & quoadmodum eſſendi exceditur à ſubſtantia naturali. Hæc concluſio ſtatuitur pro Authoribus, ſecūdæ ſententiæ & probatur primo: nam D. Thom. 2. 2. qu. 23. art. 3. ad 3. & 3. p. quæſt. 11. art. 5. ad 3. ait, omne accidens (& ipſam gratiam) ſecundum ſuū eſſe, vel modū exiſtendi eſſe imperfectius, quām ſubſtantiā naturalem: eo quod ſubſtantia ſubſiſtit, & habet eſſe per ſe, & independens à ſubiecto inhæſionis, accidens autem etiam ordinis ſupernaturalis eſt in alio per inhæſionem, nobilior autem modus eſſendi eſt ſubſiſtere in ſe, quām in alio exiſtere. Vnde Deus, qui habet omnem maiorem perfectionem, habet modum eſſendi rei ſubſiſtentis. Secundo nam eſſe aliquid alio imperfectius ſecundum quid, & quoadmodum eſſendi, eſt habere imperfectionem in aliquo modo accidentali extra eſſentiam, & ſolum pertinente ad modum eſſendi actu extra cauſas, ſicut eſſe perfectius aliquid alio ſimpliciter eſt habere maiorem perfectionem eſſentialem, ſed modus eſſendi accidentis ſupernaturalis eſt extra eſſentiam illius: ergo cum ſecundum iſtum modum accidēs ſupernaturale ſit imperfectius, maior hæc imperfectio erit tantum ſecundum quid.

Satisfit argumentis.

Sed contra argumentor primo: nam D. Thom. 3. p. quæſt. 11. art. 5. ad 3. loquens de ſcientia infuſa animæ Chriſti ait, illam eſſe perfectiorem tantum ſecundum quid animā Chriſti, & abſolute eſſe imperfectiorem, & idem habet in 3. diſtinct. 4. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & quæſt. 3. ad 3. & de verit. quæſt. 20. art. 1. ad 1. & eandem perfectionē maiorem ſecundum quid tantum tribuit gratiæ de veritate quæſt. 27. art. 1. ad 6. & in 2. diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 2. ad 6. ergo iuxta mentem D. Thom. gratia non eſt perfectior ſimpliciter, quām ſubſtantia naturalis. Confirmatur: nam illud ens eſt perfectius ſimpliciter, quod habet perfectiorem exiſtentiam: ſed ſubſtantia habet perfectiorem exiſtentiam, quia dat illi eſſe ſimpliciter, exiſtentia autem accidentis dat illi eſſe ſecundū quid: ergo: maior patet, quia cum exiſtentia ſit vltima rei actualitas, debet eſſentiæ proportionari, teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 4. art. 1. ad 3. Reſpondetur ad hoc argumentū negando antecedens. Nam D. Thom. in illis locis, in quibus loquitur de ſcientia Chriſti ſolū aſſerit animam Chriſti quoadmodum eſſendi eſſe perfectiorem: non tamen negat ſcientiam infuſam eſſe ſubſtantia animæ nobiliorem eſſentialiter, ſimiliter in alijs teſtimonijs, in quibus verba fecit de gratia, vtramque ſolutionem adhibet, & illam, quæ ſolum tribuit gratiæ maiorem perfectionem ſecundum quid: & illam, quæ tribuit gratiæ maiorem perfectionem eſſentialem; & ſic alicubi primam ponit ſolutionem: non tamen ſecundam poſitiue excluſit: Ad confirmationē reſpondetur negando minorem, licet enim modus eſſendi in alio per inhæſionem ſit imperfectior, quām ſubſiſtere, tamen ipſa actualis exiſtentia accidentis ſupernaturalis, eſt perfectior ſimpliciter, quām exiſtentia ſubſtantiæ creatæ, & ſic ſaluata proportione eſſentiæ accidentis ſupernaturalis perfectior eſt eſſentia ſubſtantiæ. Secundo arguitur, gratia eſſentialiter eſt qualitas eiuſdem generis, & prædicamenti cum alijs qualitatibus naturalibus: ſed totum genus qualitatis eſt imperfectius eſſentialiter quām genus ſubſtantiæ: ergo gratia eſſentialiter, ac perconſequens: ſimpliciter eſt ignobilior, quām ſubſtantia: minor patet; quia omnis qualitas eſt accidens, ac proinde modus ſubſtantiæ: modus autem eſt imperfectior re, cuius eſt modus: maior probatur, quia ab omnibus qualitatibus ſupernaturalibus & naturalibus abſtrahibilis eſt vnica ratio qualitatis, in qua vniuoce, & eſſentialiter conueniunt: ergo. Propter hoc argumē. ſum cōincitur Fōſeca vbi ſupra, ſed nos facile reſpondemus iuxta dicta lib. 5. cum de prædicamento qualitatis ageremus, ibi namq; oſtendimus qualitates ſupernaturales ad aliud prædicamentum pertinere, vel ſaltem ad aliam ſeriem, quæ in prædicamento qualitatis naturalis locum habere nequit. Vn-

de neganda eſt maior, ad cuius probationem patet illum conceptum abſtractum, nõ vniuocum, ſed analogum debere eſſe: licet ergo genus ſubſtantiæ ſit eſſentialiter perfectius, quàm genus qualitatis naturalis; tamen non ſequitur debere eſſe perfectius illo genere qualitatum ſupernaturalium, quod eſt ordinis ſuperioris. Tertio nam ens ſimpliciter tale, eſt eſſentialiter perfectius ente ſecundum quid, ſed ſubſtantia eſt ens ſimpliciter, & accidens ſupernaturale eſt ens ſecundum quid: ergo: maior probatur, quia bonum, & ens ſunt idem realiter: ſed bonum ſimpliciter eſt melius bono ſecundum quid: ergo ens ſimpliciter eſt nobilius ente ſecundum quid. Confirmatur hac ratione, ſubſtantia eſt nobilior accidente naturali, quia accidens naturale ab illa dependet, & non è contra, & eadem ratione cauſa vniuerſalis eſt nobilior particulari, etenim ideſt altero eſſentialiter perfectius, quod ab illo minus dependet; ſed gratia magis dependet à ſubſtantia animæ, quàm è contra, quia ſuſtentatur in illa, & educitur de potentia illius: ergo. Reſpondetur diſtinguendo maiorem. quando ens, & bonum ſimpliciter eſt eiuſdem ordinis cum ente, & bono ſecundum quid, concedo maiorem; nego tamen illam, quando ens, & bonum ſecundum quid eſt ſuperioris ordinis ad ens, & bonum ſimpliciter, cuiuſmodi eſt accidens ſupernaturale. quod quidem eſt imperfectius ente, & bono ſimpliciter eiuſdem ordinis, ſcilicet Deo, qui eſt ſubſtantia ſupernaturalis: debet autem eſſe perfectius ente, & bono ſimpliciter ordinis inferioris cuiuſmodi eſt ſubſtantia creata. Ad confirmationem nego maiorem; quia multoties maior dependentia, non arguit maiorem imperfectionem in re, quæ dependet, nam homo dependet à cœleſti corpore, & non è contra & ſcientiæ omnes humanæ dependent in fieri, & conſeruari à Logica vtente, & non è conuerſo, & tamen neque homo eſt imperfectior cœlo, neque ſcientiæ reales ſunt imperfectiores Logica: ſed è cõtra. Reſpõdetur 2. negando minorem, quia licet gratia dependeat à ſubſtantia animæ quoadmodum eſſendi, vt probat argumentum: tamen quoad eſſentiam, & ſimpliciter magis dependet anima à gratia, quàm è contra: nam dependet ab illa quantum ad participium, & conſortium naturæ diuinæ, & eſſe principium connaturale operationum ſupernaturalium, quos effectus à gratia, & non ab alia forma poteſt anima habere. Quarto arguitur: exiſtentia ſubſtantiæ eſt nobilior ſimpliciter, quàm gratia: ergo etiam ſubſtantia ipſa, quæ debet ſuæ exiſtentiæ proportionari, & ſi gratia exiſtentiam ſubſtantiæ non excedit, neque ipſam ſubſtantiam excedet, cum vtraque ſit eiuſdem ordinis, & rationis quantum ad hoc. Antecedens probatur, quia exiſtentia ſubſtantialis eſt vltima actualitas expers totius potentialitatis, cuius non eſt expers gratia, quæ eſt in potentia ad ſuam exiſtentiam: ſed actus expers totius potentialitatis eſt nobilior eſſentialiter, quàm forma admiſcens aliquid de potentialitate: ergo: minor patet, quia triplex eſt ordo rerũ: primus rerum purè actualium, ſecundus pure potentialium, tertius vtrumque admiſcens, & aliquid actus, & aliquid potentiæ: inter hos autẽ primus excedit ſecundũ, & tertium, & tertius excedit ſecũdũ: ergo. Reſpondetur negãdo antecedens. Ad probationem conceſſa maiori diſtinguenda eſt minor: ſi actus expers potentiæ ſit eiuſdem ordinis cum forma permixta potentiæ, vera eſt minor, falſa autem, ſi actus expers potentiæ fuerit ordinis inferioris, quam ſit forma permixta potentiæ, vt contingit in præſentiarum. Quinto arguitur, nõ implicat dari, aut fieri à Deo ſubſtantiã creatam, cui connaturalis ſit gratia: ſed illa erit perfectior ſimpliciter, quàm gratia: ergo iã gratia nõn excedit ſimpliciter totum ordinem ſubſtantiæ creatæ, & creabilis. Maior probatur, quia neque implicat ex natura ſubſtantiæ, quæ creabilis eſt, neque ex ratione ſupernaturalitatis, quæ etiã participatur ab accidentibus, neque ex vtroque ſimul, cum hoc non conſtet: ergo ex nullo capite proue nit huiuſmodi repugnantia. Propter hoc argumentũ duo dubia brebiter ſunt examinanda: primũ quidẽ eo tendet, vt radicẽ ſupernaturalitatis in formis creatis declaret. Secũ dũ vero hac radice inueſtigata, planã faciet repugnantiam creabilitatis ſubſtantiæ ſupernaturalis.

Dubium Appendix primum An radix ſupernaturalitatis quæ creaturis poteſt cõmunicari ſit Deitas vt præintellecta perſonis?

14 IN hoc dubio duplex verſatur ſentẽtia. Prima negãs, eo quod putat primã ſupernaturalitatis radicẽ eſſe ipſam diuinarũ perſonarũ Trinitatẽ, vel Deitatẽ, vt cõmunicatã perſonis. Hanc ſequuntur quidam ex nobioribus Thomiſtis noſtri tẽporis, qui primam ranicem, rationẽq; formalem conſtitutiuam ſupernaturalitatis diuinæ eſſe Trinitatem perſonarum in vnitate eſſentiæ indiuiſæ in perſonis, ac proindeprimã eſſe radicem in ordine, ad quam ſupernaturalitas gratiæ *Sentẽtia negans.*

gratiæ habituum, & aliorum accidentium ſupernaturalium deſumatur, exiſtimarunt, quos refutat, & impugnat Vincentius relectione de gratia Chriſti, ſtatim à principio. Secunda ſententia eſt affirmans, quã ſequitur Caietan. 1. p. quæſt. 12. artic. 5. & ſentaculo 2. quæſt. 2. & idem Magiſter Vincent. loco citato, & Scotus, quæſt. 1. prologi & in 4. diſtinct. 10. quæſt. 8. cum quo conſentit Abulenſ. 2. Reg. 24. quæſt. 28. Authores tamen huius ſententiæ diuidũtur in duos modos dicendi. Scotus enim, & Abulenſis conueniunt quidem cum reliquis in hoc, quod prima radix ſupernaturalitatis in Deo eſt ratio, & perfectio quædam abſoluta præintellecta perſonis: ſed dicunt illam eſſe rationem Authoris ſupernaturalis, ideſt, agentis præter regulas debitæ productionis rerum, ex quo inferunt ſupernaturalitatem creatam eſſe modum, & conditionem accidentalem entis creati, & nullam eſſe differentiam eſſentialem entis creati, quia viſus cœco reſtitutus eſt effectus ſupernaturalis, & entitatiue eſt res naturalis. Reliqui vero primam radicem ſupernaturalitatis conſtituunt in primordiali Dei abſoluta perfectione, quæ eſt ipſum eſſe independens viuens vita intellectuali â ſe ſubſiſtens, & habens omnem eſſendi plenitudinem: in ordine, quam ad rationem deſumendam fore accidentium ſupernaturalitatẽ, & ex hoc principio inferunt hij Authores ſupernaturalitatem eſſe intrinſecam, & eſſentialem rebus ſupernaturalibus, & quia hæc proculdubio ſententia ſic explicata eſt vera; ideo eam ſtatuo pro infallibili concluſione à nobis tenenda. Quæ probatur quoad primam partem primo authoritate Auguſt. & Angelici Doctoris; quorum alter â lib. 8, vſque ad quintum de Trinitate: Alter vero 1. p. quæſt. 27. art. 3. ſupremam Dei excellentiam in gradu intellectualitatis conſtituunt, ſecundum quem dicunt præceſsiones ad intra diuinarum perſonarum Deo cõuenire, ex eo ſcilicet, quod eſt in ſummo intellectualitatis; ſed ſupernaturalitas Dei in ſumma eius excellentia, quę noſtro modo concipiendi eſt radix attributorum, atque præceſsionum debet conſiſtere: ergo non in Trinitate ipſa, ſed in ipſa ſumma intellectualitate, & eſſendi plenitudine ponenda eſt Dei ſupernaturalitas. Secundo nam illa eſt radix ſupernaturalitatis, quæ primordialiter conſtituit Deum in ſupremo eſſe, quod habet, per quod excedit ordinem naturæ, & cognitionem naturalem; ſed hæc eſt ratio ſummæ intellectualitatis, & eſſendi â ſe ipſo, hæc enim eſt eſſentialis ratio Dei, radix omnium relationum, & attributorum diuinorum noſtro modo intelligendi: ergo: maior patet, quia ſupernaturalitas creata debet eſſe participatio illius ſupremæ increatæ ſupernaturalitatis, quæ conſtituit Deũ in eſſe ſupernaturalis entis per eſſentiã, quod ordinẽ, & cognitionẽ ſupernaturalẽ ſupperat. Tertio accidẽtia ſupernaturalia nõ aſsimilãtur Deo vt trino: ergo Dei ſupernaturalitas non conſiſtit in ipſa Trinitate conſequentia patet, quia omnis ſupernaturalitas creata debet eſſe ſimilitudo, & participatio primæ & increatæ: antecedens autem probatur, quia Deus vt trinus nullum effectum operatur ad extra, & effectus ſolum aſsimilatur ſuæ cauſæ, ſiue rationi agendi: ergo nullum accidẽs ſupernaturale aſsimiliatur Deo vt trino. Reſpondent Authores contrariæ ſententiæ omnia accidẽtia ſupernaturalia aſsimilari Deo vt trino, & terminari ad illum vt trinum; quia actus fidei, quo credimus Trinitatem, terminatur ad Deum vt trinum, & aliàs cũ cognitio fiat per aſsimilationem eum aſsimilari ſuo obiecto, ſcilicet Deo vt trino, & conſequenter habitus fidei producens talem actum, & ſimiliter dicendum eſſe putant de actu, & habitu charitatis, & cœteris accidentibus ſupernaturalibus, ſed contra, nam in Angelo, & in anima rationali eſt aliqua imago, & ſimilitudo Trinitatis, vt ex Sanctis Patribus oſtendit D. Thom. 1. p. quæſt. 93. artic. 5. & tamen non ideo ſunt res ſupernaturales: ergo. Confirmatur nam ſi cogniti õ fit per aſsimilationem, ſequitur cognitionem, quam Hæreticus habet de Trinitate, eſſe ſupernaturalem, quia eſt ſimilis Trinitati, & terminatur ad illam, vt obiectum, conſequens eſt falſum: ergo talis ſimilitudo non ſufficit ad ſupernaturalitatem, imo non requiritur; quoniam amor Dei elicitus à charitate eſt ſupernaturalis, & tamen non fit per aſsimilationem, quia non terminatur ad obiectum, prout ad intra; ſed prout eſt ad extra. Rurſus actus fidei, quo catholicus credit Deum eſſe vnum, & eſſe incorporeum, eſt ſupernaturalis, & tamen neque habet pro obiecto Deum, vt trinum, neque eſt illius ſimilitudo: ergo. Quarto probatur principaliter prima pars concluſionis deſtruendo modum illum Scoti, & Abulenſis, ex illo namque ſequitur iuſtificationem peccatoris, quæ fit per ſacramentum, & contritionem, actus Fidei, & Charitatis non eſſe entia ſupernaturalia; quia non fiunt à Deo operante præter regulas communes; & ordinarias operandi formas ſupernaturales in le-

Verior ſententia Authoris.

ge gratiæ; conſequens derogat ſanæ doctrinæ, licet illud non formidet concedere Scotus de actu fidei: ergo & antecedens. Rurſus ſi Deus modo crearet hominẽ, ille produceretur à ſolo Deo, & præter regulas cõmunes producendi homines, & tamen eſſet ens naturale, & eiuſdem ſpeciei cum cæteris: ergo hæc non eſt ſufficiens ratio ſupernaturalitalitatis. Denique quia radix ſupernaturalitatis debet eſſe illa, per quam primo Deus in ſe conſtituitur in eſſe primi entis ſupernaturalis, à quo cætera ſupernaturalia debẽt exẽplari: ſed hæc non eſt ratio Authoris operantis iſto, aut illo modo; quia ratio Authoris eſt conſequta ad rationem entis per eſſentiã ſumme intellectualis: ergo per hanc, & non per illam conſtituitur Deus in eſſe primi entis ſupernaturalis, & primi exemplaris aliorum ſupernaturalium entium, ac per conſequens, non in ratione Authoris: ſed in alia priori ratione, ſcilicet entis à ſe ſubſiſtentis, & ſumme intellectualis debet poni prima radix ſupernaturalitatis. Secunda pars concluſionis probatur: nam ens ſupernaturale eſſentialiter, & entitatiue diſtinguitur ab ente naturali, vt late oſtendunt Capreolus in 4. diſtinct. 10. quæſt. 4. ad 3. contra quartam & Caiet. 1. p. vbi ſupra: ergo ſupernaturalitas differentia eſt eſſentialis entis. Confirmatur quia vt dictum eſt, conſonat ſanæ doctrinæ actum fidei, actum charitatis, & ſpei, Theologicaſque virtutes eſſe entitates ſupernaturales: quod tamen negat illa ſentẽtia: ergo falſa eſt, & nullatenus tenẽda. Quod ſi ſupernaturalitas viſus cæco reſtituti tantum eſt modalis, & accidentalis, hoc eſt quia viſus ſic reſtitutus eſt opus miraculoſum, & ſupernaturale non quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat quoadmodum: ſunt tamen alia entia ſupernaturalia quo ad entitatem & ſubſtantiam, eiuſmodi ſunt gratia, virtutes infuſæ, & actus illarum.

Satisfit argumẽtis.

15 Sed illa prior ſententia validiſsima, pro ſe habet argumenta, quorum primum ex parte noſtri intellectus deſumitur, qui cum poſsit ex naturalibus effectibus Deum quoad abſoluta, vt vnum, vt ens per eſſentiã à ſemetipſo ſubſiſtens, independenterque viuens vita intellectuali demonſtrare, ſolam perſonarum Trinitatem in vnitate eſſentiæ inueſtigare non valet: hoc autem nõ niſi ex ipſius triadis excellentiſsima ratione poteſt prouenire: ergo in illa ratio ſupernaturalitatis debet eſſe ſita: cõſequẽtia vtpote ſyllogiſtica, & minore certa omiſſa, accedo ad probationẽ maioris, quã tamẽ oracula fidei, Sacra Concilia, & Sancti Patres paſsim probant, ac proclamant fides Eſai. 24. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*, quaſi hoc myſterium reconditum ſibi ſoli Deus vellet reſeruare, quia nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius? & cui voluerit Filius reuelare? Matth. 11. Ex Patribus Sacri Concilij Niceni. Alexander Alexandriæ Epiſcopus inquit ſuo iudicio, ne in pijs hominibus numerandos eſſe, qui in iſtarum rerum inquiſitionẽ, quas, vt magnus ille præfatur Paulus ex Eſaiæ vaticinio, *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt*, proprijs viribus ingrediũtur. Hoc enim Trinitatis Sacramẽtũ (ait Alex.) eſſe Stellas, quas Geneſ. 15. Deus denegauit Abrahæ cœlum ſuſpicienti poſſe numerari, nec non, & illa tria, de quibus Eccleſ. 1. ſapientia ſic alloquitur. *Arenas maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerabit?* & D. Thom. de potentia quæſt. 9. art. 5. & 1. p. quæſt. 32. art. 1. Reſpondet impoſſibile eſſe rationem naturalem ad agnitionẽ Trinitatis diuinarum perſonarum peruenire, nec Philoſophos antiquos, etſi naturali lumine præditos, ac munitos, vllam leuem ſuſpitionem, nedum probabilem opinionẽ fuiſſe de proprijs perſonarum conſequutos: ergo intentum. Confirmatur: illi ſunt effectus quoad ſubſtãtiam ſupernaturales, qui Deum attingunt ſecundum illam rationem, ſecũdũ quam ex creaturis nullatenus eſt cognoſcibilis: ſed peſpicuũ eſt huiuſmodi effectus ideo ſupernaturales eſſe, quia ſupræmã ſubſtantiæ increatæ ſupernaturalitatem reſpiciunt: ergo hæc diuinæ ſubſtantiæ ſupernaturalitas præcipue in eo, quod per creaturam non eſt cognoſcibile, à nobis conſideratur: at hoc, ſane eſt Trinitas perſonarum omnium diuinarum perfectionum abditiſsima: ergo in illa Dei ſupernaturalitas eſt potiſsime collocanda. Secundum argumentum deſumitur ex ſupernaturalibus effectibus ad extra productis, nam ratio Authoris ſupernaturalis in Deo noſtro modo intelligendi eſt illa formaliter, per quã ſe explicãt in effectus ſupernaturales ordinis diuini, totam latitudinem ordinis naturalis excedentes: ſed hæc nõ eſt alia à ratione Trinitatis: ergo per hanc conſtituitur Deus in eſſe Authoris, & ſubſtantiæ ſupernaturalis: maiorẽ relinquo, vtpote nulla indigentem probatione, ſicut enim effectus naturalis ordinis prodeunt à Deo vt ab Authore naturali, ita effectus ordinis diuini ab eodem ſub ratione Authoris ſupernaturalis dimanant, eiuſque ſupernaturalitatem participant, & declarant. Minorem primo ſic oſtendo: Deus producit effectus ſupernaturales, vt trinus, & vt trinus participatur ab illis: viſio etenim beatifica immẽ-

immediate ad Deum vt trinum terminatur in beatis, & fides in viatoribus: ſuntque participationes quædam formales ipſius Dei, vt trini in tribus exiſtentis perſonis, alias quo pacto ordinem effectuum naturalium procedentium à Deo, vt vnus eſt in eſſentia dumtaxat, excederent, aut ſuperarent. Quod amplius confirmatur: nam ex his, quæ Deus maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, gratiæ ſcilicet habitualis ſupremum, & excellentius donum diuinæ nobis tribuens cõſortiũ naturæ, eſt formalis participatio per ſe primo diuinæ intellectualitatis ſecundũ illam perfectionem, quæ eſt Deo magis intima, & propria, & ſecundum gradum ſupremum, & perfectiſſimum omnium eorum, quæ in illo poſſunt inueniri: ſed liquido cõſtat huiuſmodi gratiam eſſe formalem quandam participationem per ſe primo Trinitatis: ergo hæc eſt omnium præcipua radicalior, & ſublimior ſupernaturalitatis creatæ ratio. Maiorẽ ſuppono ex cõmuni Theologorum doctrina 1. 2. quæſt. 110. art. 2. minor probatur, gratia deriuatur à Dei eſſentia, quatenus eſt actu in tribus communicata perſonis, in ipſumque Deum clare videndum, vt in ſuum finem cõnaturalem naturaliter inclinat, & terminatur, in hoc namque differt productio Angeli à gratiæ productione, quod illa infinitã in Deo perfectionẽ ordinis naturalis ſolũ poſtulat, hæc autem ex ſuis meritis infinitam perfectionem ordinis ſupernaturalis in Deo proculdubio prærequirit. Accedat tertiũ argumentum ex ipſius Deitatis, vt exiſtentis in tribus perſonis excellentia acceptum. Deitas, vt præintellecta tribus perſonis non intelligitur ſubſtantia ſupernaturalis: ergo prima radix ſupernaturalitatis erit ipſa Deitas, vt in tribus perſonis intellecta. Antecedens probatur Deitas, vt præintellecta tribus perſonis nullum gradum eſſendi ſortitur præter illos tres entis, vitæ, & intellectualitatis, quorũ nullus eſt ratio præcipua, aut Deo magis propria cum omnes de facto ſint cõmunicati vniuerſo: ergo, cõſeq. probatur, quia eminentiſſima ratio ſupernaturalitatis, & prima Deitatis excellentia conſiſtere debet in aliquo gradu, quem nec de facto cõmunicauerit, imo nec communicare creatæ ſubſtantiæ de potentia abſoluta Deus potuerit, ſed hunc non eſſe alium ab vna eſſentia in tribus communicata perſonis ſatis conſtat: ergo eadem ratione hanc eſſe radicem ſupernaturalitatis increatæ ſubſtantiæ plane relinquitur manifeſtum. Hæc ſunt potiſſima argumenta, quibus conducti Authores illius ſententiæ primam radicem ſupernaturalitatis in perſona rum Trinitate conſtituebant, in quam opinationem eos induxit Trinitatis myſterij conſtitutio, ſublimitas, & profunditas. Ad primũ ramẽ patet ex dictis ſolutio, negãdo cõſequentiã. Ad confirmationẽ autẽ neganda eſt maior. Ad ſecundum negatur minorem, primarium enim obiectum fidei, & viſionis beatæ, & quod à gratia primo participatur, eſt id, quod in Deo habet rationem naturæ præintellectæ perſonis, quia tamen Trinitas perſonalitatum prouenit ex fœcunditate ipſius naturæ, obiectum ſecundario viſum, creditum, & participatum eſt Trinitas, & eius ratio ſecundaria ſupernaturalitatis, non tamẽ prima illius radix, & hoc probat ſecundum argumentum. Ad tertiũ vero negatur antecedens. Ad cuius probationem neganda eſt minor: neque enim eſt contra rationem ſupernaturalitatis increatæ eſſe communicabilem per participationem; quinimo nullus gradus incommunicabilis, latet in theſauris diuini eſſe per eſſentiam.

Dubium ſecundum Appendix. An creabilis ſit aliqua ſubſtantia cui accidentia diuini ordinis connaturalia ſint?

Opinio Gabrielis affirmans.

16 INueſtigata radice ſupernaturalitatis, videndum eſt an poſsit ſubſtantiæ cõmunicari extra Deũ, vt ſit aliqua ſubſtantia nobilior eſſentialiter accedentibus ſupernaturalibus; in quo dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt affirmans, quæ profeſſi cũ dũtaxat habet G. Briẽ, qui dũtaxat in ſecũdo diſt. 29. quæſt. vnica poſſe dari de potẽtia abſoluta ſubſtantiam creatam impeccabilem, conſequẽter affirmat huiuſmodi ſubſtantiam ſupernaturalem, ad diuini ordinis, debere eſſe, cui gratia ſanctificans connaturalis ſit. Secunda ſententia, quæ negat talem ſubſtantiam creatam etiam de abſoluta Dei potentia dari poſſe, eſt ab omnibus Theologis receptiſsima quã præſertim ſequuntur D. Tho. 1. p. quæſt. 65. art. 1. & in 2. diſtinct. 23. quæſt. 1. art. 1. de verit. quæſt. 24. art. 1. & 3. contra gent. cap. 109. Scotus in 2. diſt. 23. quæſt. vnica Capreolus ibidem diſtinct. 27. quæſt. vnica art. 1. Ricardus & Durand. ibidem, dum omnes vnanimiter defendunt ſolum Deum eſſe ſuapte natura impeccabilem, ita vt nulla ſubſtantia intellectualis ſuapte natura impeccabilis creari poſsit, eandem ſententiam amplificant, & exornãt aliis rationibus Ledeſma de diuina perfectione, quæſt. 4. art. 7. Suarez tom. 2. Metaph.

diſput. 35. ſect. 1. §. *atque idem*, & tractatu primo de eſſentia Dei lib. 2. cap. 9. num. 14. Vazquez, tom. 1. primæ partis diſput. 44. cap. 1. num. 3. & 4. & Fonſeca hic quæſt. citata ſect. 3. §. *communis vero Schola*. Qui omnes conueniunt in hoc, quod exiſtimant in productione ſupernaturalis ſubſtantiæ involui ex parte facti repugnantiam; vt autem hanc repugnantiã oſtendãt, nõ eadẽ ratione vtuntur, ſed diuerſis alij enim nullã rationẽ à priori inuenientes vtuntur rationibus ab inconuenienti, & à poſteriori petitis: Suarez namque in loco citato Metaph. aſſignat hanc repugnantiam ex eo, quod de facto nõ datur, ſi enim eſſet poſsibilis, pertineret ad perfectionem, atque complementum totius vniuerſi, ac proinde de facto daretur, ſicut recte probat D. Thom. 1. p. quæſt. 50. art. 1. & 2. contra gent. cap. 46. dari de facto in vniuerſo ſubſtantias intellectuales, quia pertinent ad illius perfectionem, cũ igitur hæc ſubſtantia de facto non detur, ſignum eſt non eſſe poſsibile; Vazquez vero potiſsimum ſumit argumentum ex peccabilitate, quia futurũ eſſet, vt talis ſubſtantia eſſet peccabilis, quia eſſet rationalis. Ledeſma vero plures alias, non magni momenti congerit rationes quia ſcilicet eſſet illi ſubſtantiæ gratia connaturalis, & quia eſſet trina in perſonis, ſicut Deus; eo, quod de ratione ſubſtantiæ ſupernaturalis eſt, quod ſit increata, & quod ſit Deus, ac proinde eſſet creata, & increata, quod eſt implicatorium. Tandem Suarez in loco citato primæ partis ſuper art. 4. quæſt. 12. & Fonſeca, eo videntur reducere repugnantiam quod talis ſubſtantia per eſſentiam ſuam eſſet apta videre Deum, & viſio beatifica eſſet illi proportionata, ita vt eã ex propriis meritis, & innata virtute elicere poſſet, ex quo amplius fieret ipſam eſſe ſuapte natura impeccabilem; quia à ſumma bonitate vitia, & poſſeſſa ad bonum commutabile deflectere non poſſet. Vt autem quod in hac parte ſentio, patefaciam, duas ſtatuo concluſiones.

Opinio negans Thomiſtarum & Authoris.

17 Reſpondeo dicendum primo nullam ex his rationibus, à priori oſtendere repugnantiam, quæ in productione ſubſtantiæ ſupernaturalis reperitur, & aliquas illarũ eſſe ineficaces ad illam oſtendendas. Prima pars probatur, quia omnes ſupponunt aliquod probandum, & eo ſuppoſito inconueniens aliquod deducunt. Rurſus repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis non debet probari à priori, niſi ex prima ſupernaturalitatis radice, ac natura ipſius ſubſtantiæ: ſed prædictæ rationes non procedunt ex hoc duplici capite, ſed ex impeccabilitate Dei, vel ex perſonarum diuinarum Trinitate, aut ex gratiæ, ac donorum ſupernaturalium excellentia, aut ex vniuerſi complemento, & perfectione: at radix ſupernaturalitatis, neque in Dei impeccabilitate, Trinitate, aut gratiæ excellentia, neque in vniuerſi integritate conſiſtit, vt dictum eſt, neque in aliquo ex his natura ſubſtantiæ explicatur: ergo nulla ex inſinuatis rationibus procedit à priori. Secunda pars oſtenditur in hunc modum; nam etſi, aliquæ eorum à poſteriori, & ab inconuenienti recte oſtendant repugnantiam, quam involuit ſubſtantiæ ſupernaturalis productio, vt ſunt illæ, quæ aut ex impeccabilitate, aut ex connaturalitate donorum gratiæ impoſsibili communicari ſubſtantiæ creatæ, procedunt: etſi huiuſmodi impeccabilitatis, & cõnaturalitatis gratiæ in creatura impoſsibilitatem non obſtendant, aliæ tamen reuera ineficaces ſunt, nã ratio illa, qua Suarez vtitur in Metaph. claudicat in maiori, & in eius probatione, nempe quod ſi eſſet poſsibilis, daretur de facto talis ſubſtantia, quia pertinet ad integritatem vniuerſi, nam maior eſt falſa, eo, quod omne, quod pertinet ad integritatem vniuerſi detur de facto, vt ſunt elementa, cœleſtia corpora, & naturæ intellectuales, tamen ſubſtantia ſupernaturalis, etiamſi eſſet poſsibilis, non pertineret ad integritatem vniuerſi, quia nullum ens ſupernaturale pertinet ad illius integritatem, & cum perfectio vniuerſi ſit duplex, altera debita, & connaturalis, & altera accidentaliter ei ſuperueniens, ſcilicet ſupernaturalis, aut præter illius naturam; quid quid autem pertinet ad primam perfectionem debet dari de facto, ſecus autem id, quod pertinet ad ſecundam; entia autem ſupernaturalia tantũ pertinent ad ſecundam, & ideo non ſequitur debere dari de facto, quia pertinent ad vniuerſi perfectionem. Rurſus illa ratio, qua vtitur Ledeſma, de ratione ſcilicet ſubſtantiæ ſupernaturalis eſſe, quod ſit infimta, ac increata, manifeſtam principij petitionem committit, ſi enim velit in conceptu ſubſtantiæ ſupernaturalis inbibi conceptum infiniti, & in creati falſum dicit, nam conceptus ſupernaturalis ſubſtantiæ alius eſt à conceptu infiniti, & increati, vnde Author contrariæ ſentẽtiæ cum ſequacibus optime concipit ſubſtãtiam ſupernaturalem creatam abſque conceptu infiniti, aut increati, & patet quia adhuc ſi talis ſubſtantia crearetur, per locum ab intrinſeco non eſſet infinita, non enim eius ſatisfactio pro peccatis alienis eſſet adæquata, & de toto rigore iuſtitiæ, non enim à pura creatura, aut à quocumque ſuppoſito inferiori ad Deum, qualis eſſet ſubſtantia illa

illa, poteſt elici ſatisfactio æqualis offenſæ, quæ habet infinitam grauitatem ex obiecto offenſo, quod eſt Deus, vel tantum per identitatem, de ratione talis ſubſtantiæ eſt eſſe infinitam, & increatam, quia debet eſſe Deus, & ens per eſſentiam, in quo ſupernaturalitas infinitatem ſibi identificat, & tunc ratio petit principium, nam oppoſita ſententia aſſerit ſubſtantiam ſupernaturalem poſſe reperiri extra Deum in pura creatura, & huius repugnantiam non deſtruit dicta ratio. Denique illa ratio Vazquez videlicet quod talis ſubſtãtia eſſet peccabilis eo, quod gauderet natura rationali, male infert: vnde neganda eſt illius ſequela; quinimo eſſet ſubſtantia impecabilis, vt vice verſa inferunt reliqui Theologi, eo quod connaturalis eſſet ei gratia iuſtificans, etiam conſumata, ac proinde inamiſsibilis gratia, & viſio beata ipſam in bono confirmatam redderet, & ſuapte natura impeccabilem, neque rationalitas eſt capax peccati, niſi vbi cum ſupernaturalitate eſſentiali non eſt coniuncta. Dico ſecũdo à priori demonſtrari poteſt repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturaljs creatæ. Hæc concluſio non aliter probatur, quam adducẽdo hanc rationem demonſtratiuam, & à priori, hoc eſt, ex natura ſubſtantiæ, & radice ſupernaturalitatis prõcedentem, quæ ad hanc formam reducitur; cum radix prima ſupernaturalitatis Deum in eſſe primi entis ſupernaturalis conſtituens primordialiter, à qua proinde omnis alia ſupernaturalitas deriuari, & deſumi debet, ſit ipſum eſſe independens, ac viuens vita intellectuali habens à ſeipſo omnem eſſendi plenitudinem, vt dubio præcedenti demonſtratum eſt: omne ens ſupernaturale aut debet eſſe ipſum ens à ſemetipſo ſubſiſtens, & ab omni alio independens, aut debet eſſe ens dicens ordinem ad illud, tanquam ad primam radicem ſupernaturalitatis; ſed ſubſtantia creata neutro modo poteſt eſſe ſupernaturale ens: ergo nullo modo eſt factibilis, maior patet, tum à ſufficienti diuiſione, tum etiam ex natura ſupernaturalitatis radicalis, per quam aut debet formaliter, aut ſaltem radicaliter conſtitui omne ens ſupernaturale, minor vero probatur, nam de ratione ſubſtantiæ completæ eſt ſpecificari à ſe, & abſolui ab omni termino, & ſpecificatiuo extrinſeco in ſua eſſentia: ergo nequit dicere ordinem, & habitudinem ad extrinſecam Dei ſupernaturalitatem, aliàs ab ordine ad illam ſpecificaretur eſſentialiter, quod eſt contra rationem ſubſtantiæ completæ; vnde quia accidens ſalua ſua eſſentia poteſt ſpecificari ab extrinſeco, vtpote quia poteſt eſſentiali habitudine reſpicere aliquid extrinſecum, vt terminum, ſiue vt obiectum, cauſam, vel principium ſui, ideo in accidentibus poteſt ſaluari ſupernaturalitas, quatenus poſſunt dicere ordinem ad primam radicem ſupernaturalitatis. Hæc ratio optime confirmatur, alijs à poſteriori procedẽtibus præſertim illa, quæ ex impeccabilitate procedit, & alia, quæ ex connaturalitate viſionis beatæ deſumitur, quæ poteſt ex 1. p. q. 12. art. 4. in hunc modum fundari, habere Deũ clare viſum pro obiecto proportionato eſt proprium ſolius Dei, qui eſt purus actus in ſummo immaterialitatis conſiſtens; ſed ſi daretur ſubſtantia ſupernaturalis, Deus clare viſus eſſet obiectum illius proportionatum, ita vt proprijs viribus poſſet Deum intueri, quod tamen ibi negat D. Thom. Ergo impoſsibilis eſt talis ſubſtantia.

Satisfit argumentis.

18 Sed primo arguitur: nam Deus poteſt facere voluntatem impeccabilem: ſed hæc voluntas eſſet ſubſtantiæ intellectualis ſupernaturalis: ergo: maior probatur à Gabriele dupliciter, primo, quia poteſt Deus facere, vt aliqua voluntas ſequatur ductum intellectus voluntati diuinæ conformis, ſicut appetitus ſenſitiuus ſequitur ſenſum; ſed illa voluntas eſſet impeccabilis: ergo ſecundo quoniam nihil repugnat fieri à Deo intellectũ, qui ſolum iudicare poſsit de vtilibus, & iucundis, ita vt nihil de iuſtis ſiue honeſtis iudicare poſſet, at voluntas quæ illum ſequeretur, peccare non poſſet: ergo: minor patet, quia nihil contra honeſtatem faceret, cõtra quam tamen debet eſſe omne peccatum. Reſpondetur nihilominus negando maiorẽ, Ad primam probationem iterum neganda eſt maior, quia cum de ratione voluntatis ſit ferri in obiectum, quod nec eſt ſummum bonum, neque habet cum illo neceſſariam cõnexionem, indifferẽter, & libere, non eſſet voluntas illa, quæ ita ſequeretur in omnibus intellectus propoſitionem, ſicut appetitus ſenſitiuus ſequitur ſenſum, nam eſſet voluntas expers omnis indifferentiæ, & libertatis quod repugnat naturæ voluntatis. Ad ſecundam nego maiorem, nam intellectus, qui de ratione boni, & honeſti non iudicaret, non eſſet intellectus, eo quod de ratione intellectus eſt eſſe potentiam tranſcendentem, & attingentẽ rationes vniuerſales præſertim rationes conformitatis, ac diformitatis ad regulam rationis; & rationes conuenientiæ, ſiue diſconuenientiæ, ac proportionis mediorum ad finem: vnde nequit eum ſubterfugere iudicium honeſtatis, quæ in conformitate ad rationis regulam conſiſtit. Secundo arguitur: nam poteſt Deus creare intellectũ, qui ſuis viribus, ſine aliquo ſuperaddito lumine

mine Deum videret: ſed hic eſſet proprius ſubſtantiæ intellectualis ſupernaturalis: ergo maior probatur dupliciter primo, quia, quacumque virtute finita data, poteſt Dei omnipotentia aliam creare perfectiorem, eo quod in nullius virtutis finitæ creatione exhauritur; ſed coniunctum illud, ſiue conflatum ex intellectu beati, & lumine gloriæ, ſcilicet, intellectus Michaelis, vt eleuatus lumine gloriæ, eſt quædam virtus finita ad videndum Deum ordinis ſupernaturalis: ergo poterit Deus aliam virtutem perfectiorem creare, quæ poſsit ſeipſa videre Deum, ac per conſequens poterit creare intellectum, qui ſimplex cum ſit, & totus intra ordinem ſupernaturalem poſsit per ſuas vires videre Deum, & præhabere virtutem illius coniũcti, quod eſt virtus, qua modo beati Deum intuentur. Secundo quia omnis forma accidentalis, quæ reſpectu vnius ſubiecti eſt ſupernaturalis, vel præternaturalis, reſpectu alterius debet eſſe naturalis; ſed gratia conſummata, ſiue lumen gloriæ eſt forma accidentalis, & ſupernaturalis reſpectu intellectus naturalis: ergo debet eſſe naturalis reſpectu alterius intellectus, ac per conſequens creabilis eſt intellectus ſupernaturalis, cui talis forma ſit connaturalis, & in quo veluti in cõnaturali ſuſceptiuo recipiatur. Maior patet inductiue, lux enim, quæ eſt præternaturam aeris, eſt ſoli connaturalis, & motus diurnus ab oriente in occidens, qui eſt præter naturam, vel ſupra naturam cœlorum inferiorũ, eſt cõnaturalis primo mobili. Et ratione ſuffragatur, eo quod omnis forma accidentalis debet dicere determinatum ordinem, & habitudinem tranſcendentalem ad determinatum ſubiectum inhæſsionis: ſed hoc eſt habere ſubiectum connaturale: ergo. Confirmatur: nam poteſt creari ſubſtantia, cui connaturalis ſit viſio beata: ergo etiam ſupernaturalis ſubſtantia creabilis eſt. Antecedens patet: nam viſio beata eſt actus connaturalis lumini gloriæ, & intellectui per illud eleuato: ergo iam poteſt viſio beata creaturæ eſſe connaturalis, ac proinde nulla erit repugnantia, quod illa creatura ſit ſubſtantia. Reſpondetur ad argumentum negando maiorem. Ad primam probationem concedo maiorem, ad hunc ſenſum, quod dato quocumque intellectu, & lumine gloriæ poteſt Deus producere aliud coniunctum perfectius, ideſt, ex intellectu perfectiori, & lumine gloriæ intenſiori, nego tamen quoad ſenſum arguentis, quia talis intellectus, qui ſuis viribus habet videre Deum repugnantiam inuoluit ex parte facti, vt iam explicauimus. Ad ſecundam nego maiorem, licet enim vera ſit in formis accidẽtalibus naturalibus, quia omnes aut dimanant à proprijs ſubiectis, aut ad illorum conſeruationem, ſiue productionem neceſſariæ ſunt, in quo ratio connaturalitatis conſiſtit, tamen in ſupernaturalibus formis non eſt vera, quia neque ab vllo ſubiecto dimanant, neque ad eius cõſeruationem, aut productionem ſunt neceſſariæ, vnde ſolum dicunt ordinem ad ſubiectum inhæſsionis, in quo poſſunt, ac debent ſuſtentari, & ſine quo nequeunt (niſi miraculoſe) exiſtere. Poteſt dici ſecundo quod omnis forma accidentalis dicit ordinẽ ad ſubiectum, vel principium connaturale, & eiuſdem ordinis, & ideo accidentia ſupernaturalia dicunt ordinem ad Deum, non vt ad ſubiectum connaturale inhæſsionis, ſed vt ad principium connaturale dimanationis: quia ab illo connaturaliter oriuntur, & dimanãt, ſcilicet, tanquam à principio proportionato, & eiuſdẽ ordinis. Ad confirmationẽ nego antecedens propter rationem aſsignatã.

18 Tertio arguitur: nam habitudo ad radicẽ ſupernaturalitatis, nẽpe ad ſupernaturalitatem increatam conſtituit accidentia ordinis diuini, ſed etiam ſubſtantia poteſt habere huiuſmodi habitudinem ad extrinſecã ſupernaturalitatem: ergo poteſt in illa ſaluari ſupernaturalitas, maior cõſtat ex noſtra demonſtratione, minor vero probatur, quia ſubſtantia eſſentialiter eſt ens creatum, & creatura, ſed hæc prædicata dicunt ordinem tranſcendentalem ad Deum, vt primũ ens, & increatũ, cũ quo ens creatum analogatur: ergo. Confirmatur primo: nam licet gratia non dicat ordinem ad Deum ſecundum gradum qualitatis, quia vt ſic tantum reſpicit ſubiectum, tamen quia ſecundum gradum ſpecificum dicit hunc ordinem, eo quod eſt participatio diuinæ naturæ, hoc ſufficit, vt ſit ſupernaturalis: ergo ſimiliter, licet ſubſtãtia ſecundum gradum ſpecificum non diceret ordinem ad Deum, quia tamen illam diceret ſecundum concẽptum entis creati, & participati, eſſet ſupernaturalis propter illũ ordinem. Confirmatur ſecundo, multa ſunt accidentia ſupernaturalia, quæ tamen non dicunt ordinem eſſentialem ad extrinſecam Dei ſupernaturalitatem, huiuſmodi ſunt virtutes morales infuſæ, temperantia, iuſtitia, & ſimiles, quæ neque in eſſe qualitatis, neque in eſſe talis qualitatis reſpiciunt Deũ, ergo licet ſubſtantiæ deficiat ordo ad Dei ſupernaturalitatem, nihilominus poterit cõuenire participata ſupernaturalitas. Confirmatur tertio, ſubſtantia naturalis eſt eſſentialiter participatio diuinæ ſubſtantiæ, & tamẽ non dicit ordinem ad illam, cum ſit ens abſo-

lutum

lutum â nullo extrinſeco ſpecificatum: ergo ſimiliter poſſet ſupernaturalis ſubſtantia participare diuinam ſubſtantiam abſque eo, quod ab extrinſeco ſpecificaretur termino. Ad argumentum reſpondetur negando minorem. Ad probationem nego maiorẽ, quia formalis ratio entis creati, & creaturæ dicũt ordinem, & relationem ſuperadditam entitati ſubſtantiæ, qua dependet â Deo, & refertur ad illum, eſſentia autem ſubſtantiæ in ſe, vt præuenit illum modum, eſt omnino abſoluta ſecundum omnia prædicata ſibi eſſentialia, vnde generaliſsimum ſubſtantiæ prædicamentalis non eſt ſubſtantia creata, aliàs Chriſtus, qui eſt indiuiduum ſubſtantiæ eſſet ſubſtantia creata, cuius oppoſitum lib. 5. docuimus, & teſte D. Thom. in 3. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 1. ad 6. creatum, & creatura dicunt modum ſuperadditum eſſentiæ entis creati, qui modus, licet ſit illi annexus, & ab eo inſeparabilis, eſt tamen extra eſſentiam illius. Ad primam confirmationem nego vltimam partem conſequentis, quia ſubſtantia ſecundum nullum prædicatum ſibi eſſentiale poteſt dicere ordinem ad extrinſecum, cum ſecundum omnia eſſentialia prædicata ſit ens ſubſtantiale, & abſolutum. Ad ſecundam nego minorem. Ad probationem dico, quod virtutes infuſæ morales, licet ſecundũ gradum ſpecificum non reſpiciant Deum, tamen reſpiciunt illum dupliciter. Primo in ſua radice, quæ eſt gratia à qua dimanant, & cuius naturam ſequuntur, quia acceſſorium ſui principalis naturam ſequitur. Secundo in ratione accidentis ſupernaturalis, quæ ratio eſt prædicatum eſſentiale ad omnia accidentia ſupernaturalia, vel in ratione doni ſupernaturalis, quæ etiam eſt eſſentialis ratio omnium accidentium ſupernaturalium, & hoc ſufficit, vt cuiuſlibet accidentis ſupernaturalitas ſumatur per ordinem ad diuinam, & radicalem ſupernaturalitatem. Ad tertiũ nego maiorem, nam ſubſtantia naturalis nõ eſt eſſentialiter participatio ſubſtantiæ increatæ, ſicut neque eſt eſſentialiter creata, aut creatura, quia modus creati, & creaturæ, & participati entis formaliter ſumptus non eſt de eſſentia entis, quod eſt participatum, eſſentia enim huius eſt entitas illa, quæ præintelligitur tali modo, & cum qua modus ille eſt annexus. Vnde ſubſtantia naturalis per ſuam eſſentiam abſolutam conſtituitur in eſſe talis, ſubſtantia autem ſupernaturalis deberet conſtitui per eſſentiam reſpectiuam ad primam radicem ſupernaturalitatis exiſtentem in Deo, cuius propria eſt ſupernaturalitas, & eminentia ſupra ordinem naturæ. Quarto arguitur principaliter: repugnantia hæc aut proueniret ex parte ſupernaturalitatis, aut ex parte ſubſtantiæ, non primum, quia ſupernaturalitati, vt ſic, non repugnat creari, & reperiri extra Deum, aliàs neque in accidentibus reperiretur; non ſecũdum, quia neque ſubſtantiæ, vt ſic, repugnat produci, & eſſe extra Deum, aliàs non darentur ſubſtantiæ naturales: ergo ex nullo capite repugnat produci ſubſtantiam ſupernaturalem. Dices repugnantiam prouenire ex vtroque ſimul, ſcilicet ex ſubſtantia ſupernaturali. Sed contra, nam vnio hypoſtatica eſt modus ſubſtantialis, & ſimul ſupernaturalis, & eſt aliquid productum à Deo: ergo neque ex illo coniuncto ſubſtantiæ ſupernaturalis prouenit dicta repugnantia. Quod ſi dicas repugnantiam prouenire ex coniuncto ſubſtantiæ completæ ſupernaturalis, non autem ex coniuncto ſubſtantiæ modalis, & incompletæ, qualis eſt vnio hypoſtatica. Contra arguitur, nam vel repugnantia prouenit ex ratione ſubſtantiæ completæ, & illius perfectione, & hoc non, quia aliàs ſubſtantia naturalis ordinis non poſſet eſſe completa, & quia modus ille vnionis hypoſtaticæ perfectior eſt omni ſubſtantia completa, & quia aliàs poſſet produci à Deo forma ſubſtantialis ſupernaturalis, & materia prima, quia ſubſtantiæ incompletæ ſunt, ex quo rurſus ſequeretur poſſe fieri compoſitum ſupernaturale ex illis reſultans, ſiquidem, & modus vnionis ſubſtãtialis producibilis eſt. Vel ſolum prouenit illa repugnantia ex ſupernaturalitate, & hoc iam excluſum eſt: ergo ex nullo capite prouenit. Reſpondetur ad hoc argumentum iuxta ſolutionem inter arguendum aſsignatam. Ad cuius improbationem recte dictum eſt. Ad cuius ſolutionis impugnationem dico repugnantiã prouenire ex coniuncto ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſubſtantiæ, in quam, non cuiuſcunque, ſed ſubſtantiæ completæ, non vt diſtinguitur contra partialem, ſed vt diſtinguitur contra modalem. Vnde non ſequitur ex noſtra ſolutione materiam, aut formam ſubſtantialem produci poſſe in ordine ſupernaturali, eo quod materia debet dicere eſſentialem ordinem ad formam, & è contra forma ad materiam, & ſic neutra reſpiceret eſſentiali ordine radicem ſupernaturalitatis exiſtentem in Deo, ex ſubſtantia igitur ſiue totali, ſiue partiali, vt diſtinguitur contra modalem ordinis ſupernaturalis, ſiue hęc illis perfectior, ſiue imperfectior foret, prouenit repugnantia, quia illæ carere debent eſſentiali ordine ad Deum, hæc vero, quæ modalis eſt, talem ordinem habere poteſt, ac debet, cum vnio ad extrema vnita habitudinem eſſentialem

ſemper

ſemper habeat, alterũ autẽ extremorũ vnionis hypoſtaticæ eſt Deus, à quo proinde talis vnio ſpecificatur. Quinto arguitur ſubſtantia ordinis ſupernaturalis poſſet conſtitui habitudine oppoſita habitudini accidentis, nam poſſet conſtitui non per habitudinem ſui ad ſubiectum, ſicut accidens, ſed per habitudinem accidentis ad illam, tanquam ad ſubiectum connaturale, & principium dimanationis, ideſt, per hoc, quod terminaret talem accidentis habitudinem: ergo non repugnat ipſam dari ex defectu ordinis ad Deum, cum hic ordo non ſit neceſſarius. Secundo probatur idem antecedens, quia poſſet talis ſubſtantia conſtitui per modum operandi, quatenus ſcilicet, participaret per ſe ipſam modum attingendi Deũ clare viſum, quem de facto participat ſubſtantia intellectualis naturalis, mediante lumine gloriæ. Confirmatur nam adhuc talis ſubſtantia ſi daretur, non eſſet trina, ac per conſequens non eſſet Deus: ergo nihil obſtat, quo minus dabilis ſit, antecedens patet, quia produceretur à Deo, vt vnus, & non vt trinus: ergo tãtum aſſimilaretur Deo, vt eſt vnus in eſſentia, & non vt trinus. Ad hoc argumentum nego antecedens. Ad cuius primam probationem dico, quod accidens ſupernaturale nequit eſſe connaturale alicui ſubſtãtiæ creatæ; ſed de ratione eius eſt, quod ſit ſupra naturam omnis entis creati, & non ſolum ſupra naturam alicuius, aliàs accidentia Angeli eſſent ſupranaturalia, quia ſunt ſupra naturam hominis, v. g. ſicut enim miraculum eſt ſupra omnem virtutem naturalem, & ſolius Dei proprius effectus, ita acidens ſupernaturale eſſe debet ſupra omnem creatam ſubſtantiam, & ſoli Deo proprium, & connaturale cognatione diuina, vt dictum eſt. Ad ſecundam nego antecedens, quod enim tribuit modo lumen gloriæ, nequit tribui à ſubſtantia creata, quæ per ſe ipſam (vt oſtendimus) nequit eſſe ſupernaturalis, ſicut nulla entitas creata poteſt per ſe ipſam tribuere effectum formalem, quem tribuit exiſtentia, quæ ſibi, & ſubiecto eſt ratio exiſtendi, nulla quoque ſubſtantia poteſt per ſe ipſam eſſe operatiua proxime, quia hic eſt effectus virtutis naturalis ſupraddictæ, quæ eſt proxima ratio operãdi. Ad cõfirmationẽ cõceſſo antecedenti, nego cõſequentiã licet enim nõ eſſet Deus neq; trina, ex alio capite habet repugnãtiam, nempe ex defectu ordinis eſſentialis ad radicem ſupernaturalitatis. Poteſt etiam dici, quod radicaliter eſſet trina quatenus eſſet naturæ talis, ex qua nata eſſet ſet profluere Trinitas quia produceretur à Deo, vt vno formaliter, & vt trino, radicaliter, radix enim ſupernaturalitatis, quæ eſſet ratio producendi illam ſubſtantiam eſt natura diuina, vt radix Trinitatis, & vt illam eminenter præhabet, & hoc ipſum in illa ſubſtantia reperiretur, quod tamen inuoluit repugnantiam.

QVÆSTIO II.

De cõparatione ſubſtantiæ ad ſuppoſitum in tres Articulos diuiſa.

QVadruplicem ſubſtantiæ comparationem Philoſophus in hoc libro declarat, in quarum prima (vt vidimus) comparat ſubſtãtiam ad accidentia, in ſecunda comparat ſubſtantiam ad ſuppoſitum, ſiue quidditatem ad id cuius eſt quidditas, in tertio comparat ſubſtantiam ad cauſas extrinſecas, & in quarto ad partes, ex quibus intrinſece cõponitur, & licet in hoc ordine has fecerit comparationes, etenim cap. 2. & 3. prius quartam quam ſecũdam videtur attigiſſe, & quarto, & quinto ſecundam adducit: tertiam vero à cap. 7. vſque in finem per tractauit, tamẽ nobis eas libet hoc ordine examinare, qui & doctrinæ modo procedendi conformior, & tyronibus vtilior eſt, dum illos à facilioribus ad difficiliora deducimus; vnde explicata prima comparatione, opus eſt in hac quæſtione, ad ſecundam procedere, in qua tria tribus articulis ſunt examinanda. Primum quo pacto, aut in quo ſenſu ſit accipienda propoſitio Philoſophi aſſerentis hic textu ſecundo in entibus per ſe, idem eſſe quidditatem, & id, cuius eſt quidditas; ſecus vero in entibus per accidens. Secundum: an ſuppoſitum, vel ſubſiſtentia à natura realiter diſtinguatur, & tertium, quo pacto exiſtentia à ſubſiſtentia, & à natura diſtinguatur?

ARTICVLVS I.

An in omni ſubſtantia quod quid eſt, ſit idem, cum eo, cuius eſt?

Status quæſtionis.

IN hoc dubio tres verſantur modi dicendi iuxta triplicem modũ explicandi hos terminos, *quod quid eſt, & cuius eſt*, quibus in præfata propoſitione vſus fuit Philoſophus. Primus eſt Fonſecæ hic cap. 6. quæſt. vnica ſect. 2. ſecundum dictum Philoſophi abſolute verum eſſe, quia abſolute eſſentia entis

entis per accidens, ideſt, accidentis in concreto, vt albi, nigri, &c. Diſtinguitur realiter à ſubiecto, pro quo ſupponit, quod ſcilicet, eſt corpus, vel ſubſtractum formæ accidentalis. Primum vero dictum in ſolo Deo quo ad realem ſubſiſtentiam, & in ſubſtantijs vniuerſalibus quoad obiectiuam, eſſe verum, in alijs vero ſubſtantijs ſeparatis, v. g. Michaelis, & Gabrielis falſum eſſe, non ſolum quia in eis natura ſpecifica, & ſuppoſitum diſtinguuntur realiter, ſed etiam quia natura ſpecifica non eſt idem omnino cum natura indiuiduali: putat itaque prædictus opinator, nomine *quod quid eſt*, à Philoſopho in primo dicto accipi, quidditatem ſubſtantiarum ſeparatarum ſecundum rationẽ, ideſt, vniuerſalium, & ſecundum rem, à natura indiuiduali, ideſt, ſingularium Angelicæ naturæ, & nomine cuius eſt, accipi ipſum concretum naturæ, ſiue ſuppoſitum habens naturam, & ideo defectu luminis fidei Philoſophus abſolute docuiſſe identificari naturam, & ſuppoſitum in omnibus ſubſtantijs vniuerſalibus, & ſeparatis, cum in ſolo Deo, & vniuerſalibus id verum ſit. Secundus modus dicendi eſt Soncinatis hic quæſt. 20. (quem etiam refert, & ex parte approbat Flandrenſis quæſt. 10. art. 1.) aſſerentis, nomine quidditatis, accipi à Philopho deffinitionem ſubſtantiæ in concreto, & nomine cuius eſt accipi deffinitum, & ita ſenſum eius eſſe in entibus perſe idem eſſe deffinitionẽ, atque deffinitum. Tertius eſt eiuſdem Flandrenſis ibidem aſſerentis nomine quidditatis accipi à Philoſopho naturam ſpecificam, & nomine cuius eſt, accipi indiuiduũ, nõ Phyſice ſumptum, ideſt, cum omnibus conditionibus indiuiduantibus, cum quibus à parte rei inuenitur, ſed Logice, ideſt, conſideratũ ſecundum ſe, & quo ad ſibi eſſentialia, & ita ſenſum dictæ propoſitionis eſſe, in omnibus entibus perſe naturam ſpecificam, ſiue deffinitio in concreto eſt idem cum ſuo indiuiduo Logice conſiderato, eundem modum ſequitur Bañeſius 1. p. q. 3. art. 3. dub. 2. §. *quo circa*.

Vera ſententia ſtatuitur.

2 Reſpondeo dicendum primo falſum eſſe primum modum dicendi quo ad ſecundam partem. Hæc cõcluſio probatur primo, nam in 2. parte aſſerit modus ille dicendi, dictum illud Philoſophi, quod in ſubſtantijs, & entibus perſe quidditas eſt idem cum eo cuius eſt, eſſe falſum in ſubſtantijs ſingularibus, & non extendi ad ſubſtantias materiales ſingulares, quia nõ ſunt entia perſe, ideſt, ſeparata à materia ſingulari; ſed hoc eſt falſum: ergo minor patet; quia propoſitio illa Philoſophi approbatur à D. Thom. hic lectione 5. & lectione 11. & 1. p. quæſt. 3. art. 3. vt vera in omnibus, & per omnia. Rurſus nam etiam ſubſtantiæ ſingulares materiales, vt Petrus, & Paulus, ſunt entia perſe, & in eis quidditas eſt idem cum ipſo indiuiduo quo ad eſſentialia conſiderato: hæc enim eſt formalis, & vera, *Petrus eſt homo, Paulus eſt animal rationale*, & eſt quidditatiua prædicatio: ergo quod quid eſt vere affirmatur de eo cuius eſt. Secundo nam Philoſophus hic ca. 11. tex. 41. dicit in ſubſtantijs materialibus diſtingui realiter quidditatem a ſuppoſito, ſecus vero in ſeperatis à materia, vbi ſæpe D. Thom. comparauit naturam in abſtracto ad ſuppoſitum ipſum, quod habet naturam: ergo hic in diſtincte loquitur de omnibus ſubſtantijs, quando ait quidditatem eſſe idem cũ eo cuius eſt, & nomine cuius eſt, indiuiduũ, & nomine quidditatis, naturam in concreto accepit proculdubio. Tertio, nam prædictus opinator ait, quod in ſubſtantijs vniuerſalibus vt homo, animal, viuens: &c. Quæ tantum habent obiectiuam ſubſiſtentiam idem eſſe quidditatem in abſtracto cum ipſo concreto habente naturam, & ſolum differre ſecundum modum ſignificandi, ſicut in Deo, Deus, & Deitas differunt penes ſolum modum ſignandi, ſed hoc dictũ eſt pluſquam falſum, nam hæc eſt falſa, *homo eſt humanitas*, & hæc *animal eſt animalitas*, ſicut hæc eſt falſa, *hic homo eſt humanitas*, quia ſicut hic homo includit ſupra humanitatem hanc ſubſiſtentiam, ita homo ſupra humanitatem includit ſubſiſtentiam communiter ſumptã: ergo nequit Philoſophus hic accipere nomine quidditatis, naturam in abſtracto, & nomine cuius eſt, ſuppoſitum habens naturam.

Dico ſecundo, neque dictum Philoſophi accipi in ſenſu, quem aſsignat, ſecundus modus dicendi. Probatur primo, quia aliàs nullum eſſet diſcrimen inter entia per accidens, & entia perſe, nam etiam in cõcretis accidentalibus deſinitio eſt idem cum definito, hæc enim eſt vera, & eſſentialis. Album eſt quale diſgregatiuum viſus: conſequens autem eſt contra mentem Philoſophi, qui diſcrimen manifeſtum aſsignat: ergo. Secundo nam Philoſophus hic intendebat deſtruere ſententiam Platonis; ſed Plato non ponebat definitiones ſeparatas à definitis; ſed eſſentias ſeparabat ab indiuiduis: ergo vt Philoſophus hanc poſitionem deſtrueret, ſolũ debuit adſtruere eſſentias eſſe idem cum indiuiduis.

Dico tertio Philoſophi propoſitionem in tertio ſenſu accipiendam eſſe, & ſic acceptam veram eſſe, quo ad vtramque partem; probatur hæc concluſio, pro Authoribus

tertij modi dicendi. Primo à ſufficienti diuiſione, & excluſione aliorum modorum. Secundo rationibus Philoſophi quatuor, quibus vtitur, quarum prima hæc eſt, ſingulum, ideſt, vnumquodque eſt idem cum ſua ſubſtantia, ſed *quod quid eſt*, eſt ſubſtantia rei ſubſtantialis: ergo vnumquodque eſt idem cum ſua quidditate. Secunda addit etiam contra Platonẽ, ſequeretur ipſam ſubſtantiam idealem, quæ eſt per ſe exiſtens etiam diſtingui à ſua quidditate, quod eſt contra ipſum Platonem. Tertia, & quarta, procedunt ab inconuenienti, nam *ſi ipſum quod quid eſt*, v. g. eſſet alia res ab eo, cuius eſt, daretur proceſſus in infinitum, nam ipſum *quod quid eſt*, haberet aliud *quod quid eſt* à ſe diſtinctum, &c. Sed in his rebus non procedit Philoſophus ad probandum identitatem definitionis cum definito; ſed eſſentiæ cum indiuiduo, cuius eſt eſſentia, & hoc ſignificat, per ly *ſingulum, & vnumquodque*: ergo. Denique, quia hac admiſſa explicatione, abſq; difficultate ſaluatur veritas vtriuſque dicti Philoſophi, primi quidem ratione iam dicta, ſecundi autem, quia eſſentia albi, & cuiuslibet concreti accidentalis ſumitur à ſola forma, quia vt Philoſophus ait in prædicamentis album ſolam qualitatem ſignificat, & ſubiectum concernit quidem: ſed non ſignificat, ac proinde eſſentia albi non claudit ſubiectum, indiuiduum autem albi materialiter ſumptum includit ſubiectum, quod eſt extra eſſentiam albi, & ſic verificatur, quod aliud eſt eſſentia albi, ab indiuiduo materiali, ſicut albedo etiam in concreto eſt aliud à corpore albo: ergo in hoc ſenſu eſt ſaluanda, & accipienda dicta propoſitio. Confirmatur, nam teſte Flandrenſi quæſt. citata art. 4. dupliciter accipitur ens per accidens hic à Philoſopho: primo pro ipſo accidenti ſolo concretiue ſumpto, quod dicitur ens per accidens, id eſt, accidentale, quia non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed ens in alio, & de hoc verum eſt eſſentiam diſtingui ab indiuiduo, ſeu ſuppoſito, vt dictum eſt. Secundo poteſt accipi pro aggregato ex ſubiecto, & accidenti, vt eſt homo albus, & de hoc etiam verificatur dictum Philoſophi, vt docet D. Thom. lectione 5. quia ſcilicet eſſentia accidentis, v. g. albi, non eſt idem cum toto aggregato, nempe cum homine albo, & in hoc etiã defuit Fonſeca, qui nomine entis per accidens ſolum concretum accidentis dicit à Philoſopho fuiſſe intellectum.

Sed contra arguitur, nam Philoſophus lib. 3. de anima c. 4. teſtatur expreſſe, aliud eſſe carnem, & aliud carnis eſſe, ideſt, aliud eſſe quidditatem ſubſtantiæ carnis ab eo, cuius eſt, & in hoc libro 7. cap. 11. dicit in ſolis ſubſtantijs immaterialibus eſſe *quod quid eſt* idem cum eo, *cuius eſt*, in alijs vero compoſitis ex materia, & forma minime, & cap. 10. ait quidditatem eſſe formam; ſed forma non eſt idem cum toto compoſito: ergo neque quidditas eſt idem cum toto cõpoſito. Confirmatur, nam etiam in accidentalibus formis in abſtracto ſumptis quidditas eſt idem cum indiuiduo, eſſentia enim albedinis eſt idem cum hac albedine, & hæc eſt eſſentialis prædicatio, *hæc albedo eſt albedo*: ergo etiam in entibus per accidens, *quod quid eſt*, eſt idem cum eo *cuius eſt*. Ad hoc argumentum reſpondetur ſupponendo quod indiuiduum ſubſtantiæ poteſt accipi dupliciter. Primo Phyſice prout eſt à parte rei aſſociatum conditionibus indiuiduantibus, quæ ſunt illæ ſeptem, hoc contentæ verſiculo, *forma, figura, locus, tempus, cum nomine ſanguis, Patria, &c.* Et ſic ſumptum indiuiduum diſtinguitur à quidditate, quia addit aliquas conditiones reales ſupra illam. Secundo modo poteſt accipi ſecundum eſſentialia ſibi, ideſt, prout dicit naturam ſpecificam contractam per tales differentias indiuiduales, & ſic idem eſt *quod quid eſt* cum indiuiduo. Vnde Philoſophus in primo teſtimonio accipit carnem pro carne in diuiduali includente conditiones indiuiduantes, & ſic illam diſtinguit à quidditate carnis, ſimiliter in ſecundo teſtimonio, loquitur de indiuiduis Phyſice ſumptis, prout includunt materiales conditiones de ſumptas à materia, & quia in Angelis indiuidua nihil habent à materia, ſed totum habent à forma, ideo in illis dixit *quod quid eſt*, eſſe idem cum quidditate, etiam Phyſice conſideratis indiuiduis, quia nullas extrinſecas conditiones materiales includunt, at vero in hoc loco loquutus eſt Philoſophus de indiuiduis Logice, ideſt quoad ſubſtantiam conſideratis, & ideo affirmauit in omnibus ſubſtantijs *quod quid eſt* idem eſſe cum eo *cuius eſt*. In tertio denique teſtimonio nomine formæ, non partialem, ſed totalem intellexit Philoſophus, hęc autem eſt quidditas. Ad cõfirmationẽ conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia nomine entis per accidens non accipitur accidens abſtractiue, ſed concretiue, aut pro aggregato ſumptum.

ART.

ARTICVLVS II.

An suppositum siue subsistentia à natura realiter distinguatur?

Varia Theologorũ placita.

DE huius articuli argumento, & materia non semel, aut iterũ, sed sæpius egit D. Thom. vt videre est apud ipsum, quodlib. 2. quæst. 2. art. 4. & quodlib. 9. quæst. 10. art. 1. in 2. distinct. 3. quæst. 1. & in 3. d. 5. q. 3. 1. p. q. 3. art. 3. cap. 5. de ente, & essentia 3. p. q. 12. art. 1. & quæst. 4. art. 2. & 3. & in hoc 7. lectione 5. & 11. & 4. contra gent. cap. 43. in quibus locis eius discipuli Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Flandria, & Banesius de eodem argumento disputarunt, in variasque opinationes de mente sui Authoris inciderunt, ex quibus, vt verã sententiam eligamus, & fallas confutemus, Authorum placita in hac parte more solito recensebimus, præmissaque terminorum diuersorum, quibus suppositum nuncupari solet, explicatione ad assertiones, quibus vera sententia pandetur, progressum faciemus. Tres igitur versantur sententiæ, duæ extremæ, & alia media, quarum prima complectitur septem sententias, à Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. §. *simpliciter autem* recensitas, eo quod omnes illæ conueniunt in hoc, quod suppositum siue subsistentia nihil positiuum intrinsecum addit supra naturam singularem, differunt tamen in assignando connotatũ extrinsecum reale, vel intrinsecum modum rationis, quo fiat distinctio suppositi à natura in septem modos dicendi. Alij enim dicunt distingui naturam à supposito in rebus naturalibus, sicut partem à toto, quia putant formam esse totam naturam, materiam vero esse extra compositi naturalis essentiam, horum modum dicendi impugnat D. Thom. quodlib. 2. quæst. 2. art. 2. Alij autem suppositum esse compositum ex natura, & existentia, existimantes naturam ipsam à suppositante existentiæ inclusæ realiter distingue bant. Alij vero de quorum numero fuere Dur. in 1. distinct. 34. quæst. 1. & Gandabo quodlibet. 4. quæst. 3. solum penes modum significandi illa distinguentes, naturam asserunt esse essentiam in abstracto, & vt *quo*, suppositum vero esse ipsam in concreto vt *quod* & per modum habentis significatam, Scotus his non assentiens ait in 3. distinct. 1. quæst. 1. suppositum à natura distingui penes modũ intrinsecum rationis, & negatiuum naturæ superadditum, scilicet negationem aptitudinaliter existendi in persona Diuina, quod in assumptibilitas, seu incapacitas ad esse assumptam à Diuina persona possumus appellare. Ioannes de Neapoli quodlib 9 art, esse incapacitatem existendi in alieno supposito, seu negationem essendi in alio tanquam in supposito, & ad hos facile alij modi reducuntur, ita vt his confutatis cæteri eisdem fundamentis labefactentur, inter quos recensendus est modus dicendi Capreoli in 3. distin. 5. quæst. 3. asserentis, suppositum distingui à natura per actum existendi extrinsece connotatum, qui non clauditur in ratione naturæ, connotatur tamen per suppositum, quia existentia est proprius actus suppositi, quem ex parte, nempe quoad substantias immateriales sequutus fuit Caietanus 1. p. quæst. 3. art. 3. & cap. 5. de ente, & essentia, quæst. 8. licet postea seipso doctior, & sui Authoris fidelior factus interpres, hanc sententiam retractauit, & tertiam elegit. Secunda asserit, distingui suppositum à natura realiter penes aliquem modum realem, & intrinsecum, quem addit suppositum supra naturam in substantijs compositis ex materia, & forma, secus vero in substantijs separatis, in quibus solũ distinguitur suppositum à natura secundum rationem tantum intrinsece, extrinsece vero distinguitur realiter penes hoc, quod suppositum connotat existentiam, & accidentia, quæ nec sunt de ratione naturæ, neque ab illa connotantur: hanc sententiam sequuti fuere aliqui ex non contemnendis discipulis D. Thom. quibusdam eius (vt statim videbimus) testimonijs prima facie inspectis dumtaxat, de quorum numero fuere Caietanus vbi supra, & Flandrens. in hoc 7. quæst. 23. art. 2. & 3. qui, sicut tres ordines substantiarum distinguebant, ita vnumquemque illorum peculiari titulo distinguebant: in substantijs quidem materialibus versatur (aiebant isti Authores) distinctio realis inter naturam, & suppositum penes inclusionem cuiusdam modi realis intrinsece inclusi in supposito naturæ completiui, & penes extrinsece connotatam existentiam: in substantia vero diuina, & increata, quia est omnium simplicissima, sola distinctio rationis saluatur penes modum significandi concretiue, & abstractiue: in substantijs denique separatis creatis, quæ medium inter materiales compositas, & diuinam simplicissimam tenent, media quoque distinctio versari debet, nempe rationis distinctio, ac penes modum significandi, & realis extrinseca penes extrinsece connotatum.

Vera sententia D. Th. Caiet. Soti, &c.

Tertia sententia, quæ primæ ex diametro opponitur, asserit in omni substantia creata distingui suppositum à natura, ne dum reali-

ter extrinſecè, ſed realiter intrinſecè penes modum realem, quem ſuppoſitum addit ſupra naturã, qui cum ſit naturæ terminus, atque complementum, eſt ſimul ipſius ſuppoſiti cõſtitutiuus, & ſolã diuinam naturam à ſuppoſitis ſuis reali diſtinctione non gaudere propter ſummam eius ſimplicitatem, quæ omnem ab ea excludit compoſitionẽ. Hæc eſt proculdubio ſententia D. Thom. in locis adductis, quam etiam ſequuntur Caiet. 3. p. quæſt. 4. art. 2. Soto in lib. prædicabilium quæſt. 3. art. 2. Vaneſius 1. p. q. 3. art. 3. Fonſeca tom. 2. Metaphyſicæ cap. 8. quæſt. 6. ſectione 4. & tom. 3. in hoc 7. quæſt. vnica, ſectione 2. & alij Neotherici, quos omitto recenſere, interquos duplex eſt modus defendendi hanc ſententiam, primus Fonſecæ, & aliorum eiuſdem contubernij aſſerẽtium hoc intrinſecum ſuppoſiti à natura diſtinctiuum eſſe modum quendam realem latentem ſub exiſtentia, diſtinctum modaliter, & formaliter dumtaxat à natura ipſa. Secundus communiter receptus inter diſcipulos Angelici Doctoris, aſſerit hoc intrinſecum, & reale eſſe modum entitatiuum ſubſtantialem, qui realiter entitatiue entitate modali à natura diſtinguatur. Circa terminos autem tituli quæſtionis aduertere opus eſt neothericis Metaphyſicæ auſcultoribus, quod docet D. Thom. 1. p. quæſt. 29. articulo 2. quatuor ſcilicet nominibus ſignificari ſuppoſitum ex quatuor modis ſubſtandi, ſeu ex quatuor munijs, quæ exequitur ſuppoſitum deſumptis, quatenus enim ſuppoſitum perſe exiſtit independenter ab alio, dicitur ſubſiſtentia, & quatenus ſubſtat accidentibus, dicitur hypoſtaſis, vel prima ſubſtantia, quatenus vero ſubſtat naturæ cõmuni, ac prædicatis ſuperioribus dicitur res naturæ, & licet id, à quo nomen hypoſtaſis, & primæ ſubſtantiæ fuerit ſuppoſitũ ſubſtans accidentibus, nempe creatum (ſicut & alia nomina à creaturis deſumpta fuere) tamen quoad rem ſignificatam de Diuinis perſonis dicitur, quod ſint ſuppoſita hypoſtaſes, & ſubſiſtentiæ. Vnde in Deo dari vnam tantum vſiam, ideſt, eſſentiam, & tres hypoſtaſes, eſt adeo certum, vt oppoſitum ſit manifeſtus error in fide: qua propter diminutum fuiſſe exiſtimo Cardinalem Bellarminum dum tom. 1. lib. 2. de Chriſto cap. 4 de certitudine huius propoſitionis, quæ de Deo tres hypoſtaſes prædicat, verba faciens, ait eſſe partem affirmantẽ tutiorẽ; neque noſtræ cẽſuræ obſtat dictũ Pauli ad Hebræos 1. appellantis Chriſtũ figurã ſubſtantiæ Patris, ſcilicet hypoſtaſis, quod tamẽ obſtare prima facie videtur, nã ſi ſubſtãtia, eſt idẽ quod hypoſtaſis, ſicut ſubſtãtia eſt vna, ita hypoſtaſis videtur eſſe vna; ſed occurrendũ eſt, quod Paulus ibi nomine ſubſtãtiæ nõ ſignificat vſiã, ſeu eſſentiã, quæ tãtũ eſt vna, ſed ſubſiſtẽtiã, ſiue perſonã cõpletã, quæ eſt Chriſtus, & ideo non obſtat locus Pauli, ſed potius cõfirmat noſtrã doctrinã, & Catholicã veritatẽ quæ tres relatiuas ſubſiſtentias fatetur in diuinis, vtrũ autẽ præter has, ſit aſſignanda alia cõmunis, & abſoluta ſubſiſtentia cõueniens Deo, vt præintellecto perſonis poſtea determinandum eſt, & quia omne ſuppoſitũ eſt ſingulare ſubſtantiæ, & quod in alijs naturis ſubſtantialibus eſt ſuppoſitũ, in natura rationali. ſiue intellectuali eſt perſona, ideo hæc tria, ſingulare, ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſis, & perſona, habent ſe ſicut ſuperius, & inferius, nã omne ſuppoſitum eſt ſingulare; ſed non è contra, neque omne ſuppoſitũ, ſiue hypoſtaſis eſt perſona, bene tamẽ è contra, omnis perſona eſt ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſis, quia eſt rationalis naturæ in diuidua ſubſtãtia, ideſt, incõmunicabilis ſubſiſtẽtia. Habes ergo, ex hoc notabili, tria, nẽpe ſubſiſtentiæ nomine ſignificari modum illũ qui latet ſub exiſtẽtia, vel vt melius dicã quod eſt ſuſceptiuũ exiſtẽtiæ, ex quo natura, hoc eſt eſſẽtia cõpletur, & cõſtituitur prima ſubſtãtia, ſiue ſuppoſitũ, ſiue res naturæ, aut hypoſtaſis. Rurſus nomine naturæ vſiã, ſiue eſſentiã per prædictũ modũ cõpletibilem, quæ quidditas dici ſolet, denotari, denique modũ illũ ſubſiſtẽtiæ, ſiue hypoſtaſis conſtituere ſingulare cõpletũ in genere ſubſtãtiæ, vt ſic, in ſubſtãtia vero rationali cõſtituere perſonã, ac proinde in diuinis, ſicut tres perſonalitates, ita tres ſubſiſtẽtias relatiuas, atq; hypoſtaſes ſecũdũ fidẽ fore cõcedendas. Vnde titulũ articuli facile intelliges, talis enim eius eſt ſenſus. An modus ille, qui in genere ſubſtãtiæ ſuppoſitũ cõſtituit, & in natura rationali perſonã, ſit ab ipſa eſſentia ſiue natura, tã in ſubſtãtijs materialibus, quã in ſeparatis, realiter diſtinctus, & ipſum ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſis habẽs naturã ratione huius incluſi modi, à natura ſeorſum ſumpta, vt includens ab incluſo realiter diſtinguatur.

4 Reſpõdeo dicẽdũ primo ſuppoſitũ, ſiue hypoſtaſim conſtitui in eſſe talis per aliquid intrinſecum, & reale: Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſentẽtiæ, & probatur primo, nã ſicut eſſe perſe cõmuniter ſumptũ pro eo, quód eſt indepẽdẽter ab alio, vt à ſubiecto inhæſionis, ſe habet ad ſubſtantiã communiter acceptam, ita eſſe perſe vt excludit dependentiam partis à toto, & totius naturæ ab alio, vt à ſuppoſito, ſe habet ad ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſim, aut primam

Expenditur vera ſentẽtia.

primã ſubſtãtiã;ſed modus ille primus eſſendi perſe eſt intrinſecus,& poſitiuus ſubſtantiæ primo modo ſumptæ:ergo & modus iſte ſecundus eſſendi perſe debet eſſe intrinſecus,& poſitiuus reſpectu ſubſtantiæ hoc ſecundo modo conſideratæ. Confirmatur, & explicatur vis huius argumenti: modus eſſendi perſe eſt modus realis, & intrinſecus ſubſtantiæ circunſcriptus per negationem eſſendi in alio inhæſiue per modum accidentis,eſtque perfectio realis,ſicut eſſe ſubſtantiam: ergo etiam,imo à fortiori eſſe per ſe,ideſt, non eſſe in alio, vt pars in toto, vel vt totalis natura in ſuppoſito, eſt perfectio realis per negationem eſſendi in alio, vt in toto,vel vt in ſuppoſito circunſcripta,ſiquidem modus iſte eſſendi perſe nobilior eſt, quàm primus, vtpote qui ſolis ſubſtantijs completis competit, ille reperitur in ſubſtantijs incompletis.Secundo nam negatio illa eſſendi in alio, vt in ſuppoſito, in qua Scotus,& ſequaces conſtituunt modum ſubſiſtentiæ, vel hypoſtaſis habet fundamentum aliquod,in quo fundatur in ipſa prima ſubſtantia, aut hypoſtaſi; ſed in tali fundamẽto præintellecto huic negationi,& veluti latẽti ſub illa cõſiſtit modus hypoſtaticus: ergo maior patet,quia nulla negatio abſque fundamento, aut ſubiecto capaci poteſt dari,præſertim ſi negatio ſapiat naturam priuationis, vt re vera ſapit negatio eſſendi in alio, vt in ſuppoſito, quæ excludit à ſuppoſito modum illum,qui conuenit ſubſtantijs incompletis, quæ ſunt eiuſdem ordinis cum ſubſtantijs completis, minor vero probatur:nam modus ille conſiſtit in eo, quod cognoſcitur per talem negationem:ſed hoc eſt aliquid aliud à negatione. Propterea enim ſimplicia conſueuerunt deffiniri per negationem, quia melius per negationem, quam ſeipſis cognoſcũtur,vt ex Boetio tradit.D. Thom. 1. p. quæſt. 10. art. 1. ad primum;at,ſi modus hypoſtaſis non diſtingueretur à negatione,ſeipſo cognoſceretur, & non melius per negationem, quam ſeipſo, quod eſt contra modum, quo noſter intellectus cognoſcit ſimplicia pro hoc ſtatu:ergo. Tertio, quia ſequeretur Verbum diuinum aſſumpſiſſe hominem; conſequens eſt pluſquam falſum:ergo & antecedens,ſequela probatur:nam homo ſecluſa omni negatione,& reſpectu rationis eſt homo;ſed Verbum diuinum aſſumpſit totum poſitiuum,& intrinſecum ſecundum aduerſæ ſententiæ Authores,quod reperitur in homine: ergo aſſumpſiſſet hominem. Quarto perſonalitas in homine eſt modus intrinſecus, & realis.ergo & ſubſiſtentia incommunicabilis, ſiue hypoſtaſis inquauis natura ſubſtantiali eſſe debet quid intrinſecũ,& reale,cõſeq.patet ex notabili,in quo docuimus perſonalitatem eſſe ad hypoſtaſim quid eſſentialiter inferius;antecedens autẽ probatur tripliciter,primo:nã quod amittitur per realẽ mutationẽ,ſiue corruptionẽ eſt quid reale, & intrinſecũ rei corruptæ;ſed ſi humanitas Petri, v. g. amitteret propriam perſonalitatem,& conſeruaretur ſine illa ſaltem in Verbo illã aſſummente,corrũperetur propria Petri perſonalitas per realẽ mutationẽ,imo & ille homo qui antea erat Petrus realiter deſineret eſſe & tranſiret de non eſſe talis hominis ad eſſe alterius hominis:ergo. Secũdo, nã tunc Verbũ ſupleret vicẽ perſonalitatis Petri,& non ſupleret vicem alicuius negationis,aut modi rationis:ergo ſupleret vicẽ, & munus alicuius modi realis,ſicut modo de facto ſuplet,dũ exequitur munus, quod eſt propriũ creatæ perſonalitatis, qua terminanda eſſet humanitas aſſumpta,niſi à perſonalitate verbi fuiſſe præuenta. Tertio probatur idẽ antecedẽs,nã ſi natura humana, quã modo habet Verbũ ab ipſo dimitteretur, & conſeruaretur in rerũ natura,eſſent duæ perſonæ,altera verbi,& altera terminans humanitatẽ dimiſſam,& ambæ per reales differentias cõſtitutæ:ergo:antecedẽs pro ſecũda parte probatur,quia binarius harũ duarũ perſonarum eſſet realis, ſiquidẽ à parte rei inuenirentur duæ perſonæ realiter diſtinctæ; ſed quæcumque ponunt realiter in numero,gaudent diſtinctiuis realibus,quia realis differentia eſt, quæ cauſat numerũ:ergo.Confirmatur,nam effectus perſonalitatis,atque ſubſtantiæ creatæ ſunt reales,& intrinſeci, ſubſtantiæ completæ:ergo à forma reali,& intrinſeca debẽt prouenire,antecedens probatur, nã effectus formales hypoſtaſis ſunt terminare, cõplere naturã,reddere illã capacẽ exiſtentiæ,& potens operari,aut pati,vt *quod*,eo quod ſubſiſtẽtia,ſiue hypoſtaſis eſt proximũ ſuſceptiuum exiſtẽtiæ,& operationes, atque paſſiones nõ ſunt niſi ſuppoſitorũ.Rurſus reddere ſubſtãtiã in aſſumptibilẽ ab infinita perſona,& in depẽdẽte ab alio,vt à ſuppoſito,eſt effectus hypoſtaſis, omnes autẽ effectus eſſe reales,quis non videat? cęcus profecto erit, qui illorũ realitatẽ,atq; perfectionẽ nõ perſpiciat.Ex his manẽt omnes modi defendendi primã ſententiã labefactati, & ſufficienter, ne dũ vt falſi,verũ vt periculoſi cõfutati,primus nãq; deficit, quia materiã ſupponit nõ eſſe de cõceptu naturæ materialis, quod eſt falſum,& cõtra veram Philoſophiã,vt D. Th. in loco allegato ſatis oſtẽdit.Rurſus ſequitur ex eo verbũ ſolam animã aſſumpſiſſe, cũ verbum

dum caro ſit factum. Secundus deficit, quia ponit exiſtentiam eſſe partem eſſentialem naturæ creatæ, quod tamen eſt falſum, quia exiſtentia de eſſentia illius dumtaxat eſt, qui potuit dicere, *ego ſum qui ſum*, quia ſolus ille eſt ens per eſſentiã. Rurſus ſequitur ex illo exiſtentiam nõ diſtingui à ſubſiſtentia, quod eſſe falſum articulo ſequenti oſtenditur, & tandem ſequitur Verbum Diuinum aſumpſiſſe humanam exiſtentiam; ſiquidem aſumpſit partes eſſentiales humanæ naturæ, quod tamen vera Theologia nõ admittit. Tertius vero, quartus, & quintus deficiunt, nõ enim ſubterfugiũt, quin Verbũ aſumpſerit vtrũq; cũ nõ diſtinguãt antecedenter admodum rationis, ſiue negationem, hominem ab humanitate. 6. Capreoli deficit, quia non diſtinguit per aliquid intrinſecum hominem ab humanitate, & ſi fateatur illud eſſe poſitiuũ, deficit rurſus, quoniam illud diſtinctiuum dicit eſſe exiſtentiam, cum tamen ſubſiſtentia ab illa diſtinguatur, eo quod ſubſiſtentia eſt ſuſceptiuum proximum exiſtentiæ, vnde eſt de fide, quod humanitas aſumpta non retinet creatam ſubſiſtentiam, non tamen eſt de fide, quod non retineat creatam exiſtentiam, licet ſit certum, vt docet D. Thom. 3. p. quæſt. 17. art. 2. Denique impugnatur idẽ modus dicendi, nam effectus formales ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis, ſicut ſunt poſitiui, ita etiam ſunt intrinſeci; ergo à forma intrinſeca debent prouenire, antecedẽs probatur, quia effectus illi recenſiti, v. g. reddere ſubſtantiam capacem exiſtentiæ operandi, aut patiendi *vt quod*, & ſuſcipiendi relationem filiationis, qui eſt etiam effectus ſubſiſtentiæ, teſte D. Thom. 3. p. quæſt. 35. art. 5. ſunt intrinſeci, cum ab intrinſeco ſuppoſitum ſit capax exiſtentiæ operandi, vel patiendi, *vt quod*, & recipiendi filiationem, & defectu creatæ ſubſiſtentiæ docet. D. Thom. in locis proxime adductis, humanitati Chriſti, tum propriam exiſtentiam, tum realem ad Virginem matrem defeciſſe filiationem.

5 Dico ſecũdo in omnibus ſubſtãtijs (excepta increata) tã ſpiritualibus quã materialibus, modus iſte intrinſecus, & poſitiuus ſubſiſtentiæ, ſiue ſuppoſiti eſt à natura realiter diſtinctus, ſaltem diſtinctione formali ex natura rei. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſentẽtiæ, & probatur prima eius pars primo: nam in omnibus ſubſtantijs creatis, ſubſiſtẽtiæ ſiue ſuppoſiti modus eſt, quid intrinſecum, & reale, vt probatum eſt, & aliàs habet ſe ex additione ad naturã: ergo realiter diſtinguitur ab illa, minor probatur, quia poteſt corrumpi, & deſtrui manente natura, vt patet in caſu, quo Deus naturã Petri, vel Gabrielis aſummeret, & quia ſicut Verbum aſumpſit humanitatem, & nõ hominem, ita ſi aliquam Angelicam naturã aſummeret, non aſummeret ſuppoſitum Angelicum: ergo ſignum eſt, in omnibus ſubſtãtijs creatis naturã à ſuppoſito diſtingui. Confirmatur: nam quoties aliqua duo ita ſe habent, quod ad vnum poſsit terminari realis, & phyſica actio productiua, quin terminetur ad aliud: illa duo gaudent reali actuali diſtinctione; ſed natura, & ſubſiſtentia ita ſe habent, nam in homine ad naturam termina ta fuit actio aſumptiua, & non ad ſuppoſitũ, ſimiliter poteſt in quacunque ſubſtãtia creata terminari ad naturam, & non ad ſuppoſitum, imo ſi Deus Angeli, aut alterius ſubſtãtiæ vellet naturam aſummere, ſic deberet eã aſummere, vt nullatenus ſuppoſitũ aſummeret, quod non eſt aſumptibile: ergo. Neque valet dicere multoties ex his, quæ realiter identificãtur, actionem realem ad vnum, & nõ ad alterum terminari, quod patet in duobus exemplis, v. g. in eſſentia diuina, prout eſt in Filio identificata, quæ non fuit producta à Patre, & tamen Filius fuit productus ab illo per actionem realem generatiuam, qua Pater diuinus fœcundo ſuo intellectu Verbum ab æterno genuit. Rurſus actio generatiua hominis terminatur ad Petrum ſub ratione huius hominis, & non terminatur ad rationem entis, cum tamen in Petro realiter ratio entis, & huius hominis identificentur. Non inquam valet hæc ſolutio, neq; adducitur inſtantia contra nos. Primum enim exemplum deficit, quia inter eſſentiam diuinam, & filiationem, licet ſit identitas actualis, eſt tamen diſtinctio eminens, quæ equiualet diſtinctioni actuali rationum creatarum, vnde propter tantæ eminentiam diſtinctionis poteſt Filius, & non eſſentia produci; quinimo etiam eſſentia terminat dictam generationẽ, non vt terminus *qui*, ſed vt terminus *quo*, & formalis, ſicut enim eſſentia prout Patri aſſociata eſt principium formale generandi, ita eadem prout aſſociata filiationi eſt ratio formalis terminandi generationem. Secundum autem exemplum eſt pro nobis; quoniam licet ad rationem entis, vt perſe primo intentam, terminetur creatio, tamen ad illam ſecundario producendam ſufficit eadem actio productiua rationis particularis, cũ qua illa identificatur, vnde in productione hominis, etiam ratio entis cum illo identificata, producitur; ſed tamen generatio, quæ perſe primo ad hunc hominem, ſecundario ad gradus ſuperiores in illo contractos, terminatur, cum igitur in aſumptione ſubſtãtiæ creatæ, taliter ad naturam, quod nullatenus ad

per-

perſonalitatem creatam, aut ſuppoſitū actio aſumptiua terminetur, conſequēs eſt, vt illa interſe realiter actualiter diſtinguantur propter quod eminentialis diſtinctio in eis locum habere non poſsit, ac proinde argumētum factum non infringitur. Secundo probatur, nam effectus ſubſiſtentiæ ſunt reales, & realiter ſuperadditi naturæ ſeorſum conſideratæ: ergo proueniunt à forma reali, & realiter ſuperaddita, antecedens patet, quia nulla natura creata ſecundum ſe eſt ſubſiſtens, independens ab alio, vt à ſuppoſito, in aſumptibilis, & immediate capax exiſtentiæ, vel operandi, *vt quod*, aut ſuſcipiendi relationem filiationis; ſed omnia hæc ſe habēt ad illam ex additione: ergo. Tertio probatur ratione qua vtitur Doctor Sanctus quodlib. 2. quæſt. 2. art. 2. & 3. p. quæſt. 3. art. 1. quæ ad hanc formam eſt reducenda. Vbicumque recipiuntur aliqua accidentia præter eſſentialia prædicata naturæ, vrget neceſsitas diſtinguendi realiter ſuppoſitum à natura, ſed in qualibet ſubſtantia creata, etiam Angelica, inueniuntur aliqua extra prædicata eſſentialia: ergo diſtinguendum eſt in illa ſuppoſitum à natura, minorem probat D. Thom. quia etiam in Angelo inueniuntur exiſtentia, & operationes intellectus, ac voluntatis, quæ ſunt extra eius eſſentiam, in ſubſtantijs corporeis inueniuntur, ſaltem conditiones indiuiduantes, quæ non ſunt de earum eſſentia, maiorem vero ex eo deducit, quod natura, ſiue eſſentia ſolum dicit *quod quid eſt*, & principia eſſentialia, quibus res conſtituitur in ſpecie, & genere, ex vi autem *quod quid eſt* non eſt habens aliqua accidentia, neque poteſt eis ſubſtare, alias, ſi ex vi ſolius quidditatis ſecundum ſe conſideratæ ſubſtaret accidentibus, eſſentiale eſſet ei ſubſtare accidentibus, atque habere illa, ac per conſequens accidentia eſſent de eſſentia illius, cui acciderent, quod manifeſtam inuoluit contradictionem; vt igitur in natura Gabrielis, aut alterius ſubſtantiæ creatæ, detur aptum ſubiectum accidentium ſubſtans eis, de quo illa poſsint, ac debeant prædicari, requiritur modus aliquis realis ſubſiſtendi, ex quo cum natura ipſa fiat ſuppoſitum habens, atque ſuſtentans accidentia, cum munus hoc ſubſtandi, nō quidditatis, aut naturæ, ſed primæ ſubſtantiæ, atque ſuppoſiti eſt proprium, & quātus idem argumentum poſſet D. Thom. cōfirmare proportionabiliter ex muneribus alijs tribus ſubſtantiæ proprijs, in notabili recenſitis: eſſe enim rem naturæ: ſubſtare, vt quod, & vt ſubſtantia completa prædicatis eſſentialibus ſuperioribus, & ſubijci in propoſitionibus, tanquam ſubiectum, de quo operationes exiſtētia, filiatio, & ſimilia accidentia prædicantur, & eſſe perſe independēter ab alio, vt à ſuppoſito, ſunt propria munia ſubſtantiæ & hypoſtaſis, quæ proinde naturæ ſecundum ſe nequeunt conuenire, tamen ex effectu, & munere primæ ſubſtantiæ in ſubſtando accidentibus extraneis naturæ voluit argumentum Angelicus Doctor deſummere, quia euidentius erat naturam per ſe ipſam hoc munus præſtare non poſſe, ſicut, & clarius eſt accidentia eſſe extra quidditatem, ac naturam. Secunda autem pars cōcluſionis, nempe quod ab hac vniuerſali regula, diuina, atque increata Dei ſubſtantia ſit excipienda, probatur, tum ex eius ſumma ſimplicitate, quæ nullam compoſitionē realem admittit; ſed, ſi ſuppoſitum à natura realiter diſtingueretur, in Deo eſſet compoſitū ex natura, & ſuppoſitis relatiuis compoſitione reali cum his, hæc enim fit ex ſuppoſito, & natura, vt late probat Caiet. in ſimili de compoſitione ex eſſentia, & exiſtentia cap. 5. de ente, & eſſentia, quæſt. 9. Vnde D. Tho. 1. p. quæ. 3. art. 3. excludit huiuſmodi cōpoſitionem à Deo, ſicut & compoſitionem ex eſſentia, & exiſtentia, quia ſicut Deus per ſuam eſſentiam eſt exiſtens, ita per eſſentiā eſt ſubſiſtens: ergo. Secūdo probatur ex eius infinitate, ex qua prouenit, vt concretum de abſtracto prædicetur, & Deitas ſit Deus, atque natura ipſa ſit idem cum habente naturam, & ſolo differant modo ſignificandi, qui non obſtat veritati propoſitionis, in qua vnū de alio affirmatur. Tertio cōuincitur ex eius ſumma actualitate, quæ in ipſo nulla accidētia extra eſſentiam patitur ſuſtinere, ac proinde defficit munus ſubſtandi, propter quod potiſsime additur diſtinctia ſubſiſtentiæ: ergo ſufficit ſubſiſtentia, quæ cum ipſa natura identificetur, quia ad ſola prædicata quidditatiua ſufficit natura per ſe ipſam ſubſiſtens. Dico tertio modus hic realis, ac intrinſecus ſubſiſtentiæ, ſiue hypoſtaſis eſt realiter entitatiue à natura ſubſtantiali creata diſtinctus. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Fonſecam, & alios, qui primum modum defendēdi tertiam ſententiam ſequūtur, & probatur primo, nam poteſt natura ſubſtantialis reperiri ſine propria ſubſiſtentia, & de facto fides fatetur humanitatem Chriſti propria carere ſubſiſtentia: ergo ſignum eſt, quod nedū formaliter; ſed realiter entitatiue diſtinguatur ſubſiſtentia à natura, eo quod licet ex hac ſeparatione non mutua non inferatur diſtinctio entitatiua, tamen ex mutua ſeparatione optime colligitur entitatiua diſtinctio, quādo enim duo ita ſe habent, vt vnum ſine altero conſeruari poſsit, & è conuerſo debent

gaudere reali entitatiua diſtinctione; ſed humanitas, & hypoſtaſis ita ſe habent, ſicut enim ipſa humanitas potuit manere ſine propria ſubſiſtentia, & perſonalitate, à qua tamen dependet, vt à termino, atque complemento; poterit ipſa ſubſiſtentia exiſtere ſine humanitate, cum ab illa minus dependeat, vnde fides dum primam ſeparationem factã oſtendit, ſecundam factibilem demonſtrat. Secundo probatur: nam verbum ſuplet vicẽ creatæ perſonalitatis; ſed ſi perſonalitas eſſet formalitas humanitatis cum eius entitate identificata, non poſſet ſuppleri à verbo, eſſet enim de ratione perſonalitatis, ac proinde ſubſiſtentiæ, eſſe entitatiue naturam ſubſtantialem, ac proinde hæc identitas non poſſet ſuppleri à verbo, quod alterius eſt entitatis ab entitate naturæ aſſumptæ: ergo. Tertio ab inconueniẽti: nam ſequitur, quod hæc ſit vera, *homo eſt res quæ eſt humanitas*, ſicut hæc, propter entitatiuam, identitatem *motus eſt res, quæ eſt actio*, eſt vera, conſequẽs eſt falſum: ergo & antecedens, minor patet, quia tunc ſequeretur Verbum diuinum aſſumpſiſſe totam entitatem, quæ eſt in homine, quod tamen non eſt admittendum, nam ſi tota entitas hominis eſt in Chriſto, & in Petro, quare in Chriſto illa entitas hominis non eſt ſuppoſitum, & in Petro eſt ſuppoſitum? Ex dictis quoque colligitur ſuppoſitũ integrum à ſola natura diſtingui realiter, ſicut includens ab incluſo, quia vltra naturã includit modum ſubſiſtentiæ.

6 Sed contra arguitur primo: nam modus ille realis ſubſiſtentiæ, neque eſt accidens, ſiquidem eſt ſubſtantiæ completiuus, neque eſt ſubſtantia totalis, vel compoſitũ, neque materia, aut forma, neque exiſtentia, quia conſtituit naturam ſuſceptiuam exiſtentiæ, & nullum aliud ens debet admitti in natura ſubſtantiali: ergo non eſt quid poſitiuũ. Confirmatur primo ex authoritate Philoſophi hic cap. 5. & 11. qui hanc quæſtionem verſans, ait, quod in his, quæ ſunt perſe, idẽ eſt *quod quid eſt*, & id, *cuius eſt*, ſcilicet natura, & ſuppoſitum, de genere autem entium perſe ſunt ſubſtantiæ: ergo. Confirmatur ſecundo: nã ipſa natura perſe poteſt immediate dicere tranſcendentalem ordinem ad exiſtentiam, & per illam actuari: ſed per hunc ordinem conſtituitur ſuppoſitum: ergo nihil reale addit ſupra naturam. Confirmatur tertio: nam homo, & humanitas, ſolum differunt penes modum ſignificandi, & non penes rem ſignificatã: ergo intẽtum. Antecedẽs probatur tum quia D. Tho. art. 4. quodlibeti adducti circa finem ait, ſolũ differre in modo ſignificandi, cius autẽ hæc ſunt verba. *Natura dicitur conſtituere ſuppoſitum, etiam in compoſitis ex materia, & forma, non quia natura ſit vna res, & ſuppoſitum alia, hoc enim eſſet ſecundum opinionem dicentium, quod natura ſpeciei ſit forma conſtituens ſuppoſitum, ſicut pars totũ; ſed quia ſecundum modum ſignificandi natura, ſignificatur, vt pars, ſuppoſitũ vero, vt totũ, ideo natura ſignificatur, vt pars conſtituens, ſuppoſitum vero, vt conſtitutum.* Hæc ille, tum etiam quia in prædicamentis accidentium, vbi eſt minor vnitas inter abſtractum, & concretũ, nihilominus idem ſignificatur per vtrũque, ſicut enim albedo, ita & album ſolam qualitatem ſignificat: ergo etiam in prædicamento ſubſtantiæ abſtractum, & concretum, eandem rem ſignificant, licet modus ſignificandi ſit diuerſus, ac per conſequens hic homo, & hæc humanitas ſolum differunt in modo ſignificãdi. Ad hoc argumentũ reſpondetur negãdo cõſequẽtiã quia eſt modus ſubſtãtialis reductiue pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ, vt modus, & terminus illius completiuus. Ad primam confirmationem quæ eſt potiſsimum primæ ſententiæ fundamentum, patet ex articulo præcedenti, quod nomine illius, cuius eſt quidditas, non ſuppoſitum, ſed indiuiduum intellexit. Sed dices; tũ ſequi nullam aſsignaſſe differentiam inter ſubſtantias materiales, & immateriales, quia in vtriſque quod quid eſt, eſt idem cum indiuiduo, vt homo cum Petro, & Angelus cum Gabriele, conſequens eſt contra Philoſophi contextum: ergo. Reſpondetur negando ſequelam, nam in ſubſtantijs materialibus ſunt conditiones accidentales indiuiduãtes, quæ cum ipſo ſuppoſito, ſiue indiuiduo, quod illis ſubſternitur, faciunt vnum per accidẽs concernens res diuerſorum prædicamentorum, in Angelis vero defficiunt huiuſmodi conditiones, & ab eiſdem principijs indiuiduatur, à quibus ſpecificatur, vnde in illis quod quid eſt, non eſt omnino idem cum eo cuius eſt, ſumpto Phiſice & prout eſt, à parte rei, bene autem in iſtis, & hoc diſcrimem voluit Philoſophus aſsignare inter materiales & ſeparatas ſubſtantias, cum quo ſtat in hoc conuenire quod tam in illis quàm in his ſuppoſitum à natura diſtinguatur realiter. Ad ſecundam nego maiorem, quia non niſi mẽdia ſubſiſtentia eſt apta nata ſuſcipere exiſtentiam quod ſi admittamus naturam antecedenter ad exiſtentiam dicere ordinem ad illam, iam præintelligitur conſtitutum ſuppoſitum antecedenter ad exiſtentiam & non per ipſam exiſtentiam extrinſece connotatam vt quidam ex Authoribus primæ ſententiæ intendebant. Ad tertium reſpondetur negando antecedẽs. Ad primã proba-

probationem reſpondent Flandrenſ. vbi ſupra quæſt. 23. art. 2. & Caiet. 1. p. quæſt. 3. art. 3. & 3. p. quæſt. 2. art. 10. quod D. Tho. non negat inter ſuppoſitum, & naturam, diſtinctionem realem includentis ab incluſo per incluſionem modi in ſuppoſito, quem non includit natura, ſed ſolum negat inter illa diſtinctionem realem entitatiuam duarum rerum exæquo, & adæquate à ſe inuicē diſtinctarum, & adæquate ſe excludentium. Ad ſecundam negatur conſequentia, nam ex maiori vnitate concreti ſubſtantialis ſequitur fieri vnum ens perſe ex natura cum ſubſiſtentia, quod nomine concreto, & nō abſtracto ſignificatur, & ex minori vnitate concreti accidentalis, ſequitur ſolam formam, quæ eſt de genere accidentis, & non materiale, quod eſt alterius prædicamēti, nomine concreto ſignificari; vnde nomē concreti accidentalis plus connotat, quàm ſignificat, quia connotat ſubſtractum, ſed non plus ſignificat, quàm nomen abſtracti, at nomen concreti ſubſtantialis idem ſignificat, quòd connotat, & plus ſignificat, quàm nomen abſtracti, quod eſt nomē ſolius naturæ. Secundo arguitur, in ſubſtantijs ſeparatis ſuppoſitum, & natura ſunt omnino idem ſecundum rem: ergo falſa eſt ſecunda aſſertio, antecedens probatur, tum teſtimonio Philoſophi, cap. 11. & lib. 3. de anima c. 9. tum authoritate Sancti Doctoris, qui in 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 1. & quodlib. 9. quæſt. 10. art. 1. aſſerit, quod quidditas ſimplex, quæ ex partibus nec depēdet, nec reſultat, ſubſiſtit in eſſe, & eſt id, quod ſubſiſtit in ſuo eſſe, quod eſt extra eius quidditatem. Rurſus quodlib. 2. quæſt. 2. art. 4. ex accidentibus, quæ nō ſunt in ſuppoſito intulit diſtinctionē, ſuppoſiti à natura, quæ diſtinctio penes aliquid extrinſecum eſt dū taxat. Deinde cap. 5. de ente, & eſſentia §. *in hoc ergo differt*: aſſignat tres differentias inter ſubſtantias materiales, & ſeparatas, prima earum, quod materialis ſubſtantia, neque eſt forma, neque eſt materia compoſitum ex vtraque, at ſubſtātia ſeparata eſt ſola forma: ſecunda quod illa poteſt ſignificari, vt totū, & vt pars; ſed hæc cum ſit ſimplex forma, nequit ſignificari vt totum, cum nihil ſit ibi præter formam, quaſi formam recipiens. Tertia eſt, quod de ſubſtantia materiali ſignificata per modum totius, ideſt, in concreto, non prædicatur eſſentia ſumpta, vt pars, ideſt, in abſtracto, at de ſubſtantia ſpirituali quomodocumque conſiderata eius eſſentia vere prędicatur. Denique 1. p. quæſt. 3. art. 3. colligit diſtinctiouem inter naturam, & ſuppoſitum ex conditionibus indiuiduantibus indiuidui materialis, cùm igitur indiuidua ſubſtantiarum immaterialium, nullis conditionibus materialibus afficiantur, in eis non diſtinguetur ſuppoſitum à natura. Ex quibus teſtimonijs tale deducitur argumentum, vbi nulla eſt ratio, aut radix realis diſtinctionis, non eſt aſsignanda talis diſtinctio, ſed in ſubſtantijs Angelicis non eſt ratio aut radix diſtinctionis realis inter ſuppoſitum & naturā: ergo neque talis diſtinctio poteſt aſsignari, minor patet, nam radix huiuſmodi diſtinctionis eſt compoſitio ex materia, & forma, ratio totius, & partis, & additio conditionum indiuidualiū ſupra naturam, ad primā enim radicem reducit D. Thom. hanc diſtinctionem in quodlibetis, ad ſecūdam in cap. 5. de ente & eſſentia, & ad tertiam in 1. p. q. 3. vbi ex defectu harum conditionum materialium negat in Deo realem diſtinctionem inter naturam & ſuppoſitum: ergo. Confirmatur, nā ſicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio eſt cauſa affirmationis, quod axioma verum habet potiſsime in cauſis & rationibus adæquatis, ſed affirmatio harum conditionum infert in ſubſtātijs materialibus, ſuppoſiti à natura realem diſtinctionem: ergo illarum negatio inferet in Angelis negationem talis diſtinctionis. Ad hoc argumentum dicenda ſunt duo: primum eſt, quod reuera Sanctus Doctor fuit in hac ſententia, vt ſuppoſitum à natura in ſolis ſubſtantijs materialibus diſtingui realiter, exiſtimaret, in quam opinationem potuit eum inducere teſtimonium Philoſophi aſſerentis in ſeparatis ſubſtantijs, idem quod quid eſt & id cuius eſt, vbi ſuo videri indiſtincte de indiuiduo & de ſuppoſito loquebatur, neque mirum ſi viſum fuit Ariſtotelem hanc diſtinctionem in ſolis ſubſtantijs materialibus agnouiſſe cum ex myſterijs Incarnationis & Trinitatis quæ ipſe ignorauit, inuitiſsimus ad indagandam diſtinctionem ſuppoſiti à natura maxime in ſeparatis à materia, atque ad illam cognoſcēdam intellectus humanus fidei lumine fuerit adiutus, ſed poſtea, re melius à D. Thom. in ſpecta, ſententiam mutauit 3. p. quæſt. 2. art. 1. vbi videns radicem adæquatam diſtinctionis huiuſmodi, non eſſe ſolam compoſitionē ex materia & forma, aut incluſionem conditionum indiuiduantium, ſed incluſionem aliquorum accidentium aduenientium naturæ extra eſſentiam illius, collegit in omni ſubſtantia creata ex accidentium ſuſtentatione debere diſtingui ſuppoſitum ſubſtans, à natura, quæ munus ſubſtandi accidentibus exequi minime poteſt. Secundū & mihi probabilius eſt D. Thom. ſemper in eadem permanſiſſe ſententia, videns enim radicem diſtinctionis realis inter ſuppoſitum eſſe duplicem

plicem, tum, accidentium ſuſtentationem, tum, compoſitionem ex materia, & forma cum aſſociatione conditionum indiuiduantium ex hac radice proceedens in illis locis intulit identitatem inter ſuppoſitum & naturam Angeli non abſolute, ſed ſecundum quid & reſpectiue, ideſt, quantum eſt ex vi talis radicis, reliquit tamen examinandum an ex ſecunda radice ſcilicet accidentium ſuſtentatione, eſſet in eis diſtinguendũ ſuppoſitum à natura: & tandem 3. p. quæſt. 2. ar. 1. videns naturam Angelicam multis accidentibus ſubeſſe, & actuari proprio actu eſſendi ei extra eſſentiam conuenienti, intulit ex hac radice diſtinctum eſſe ſuppoſitũ ſubſtans actui eſſendi & alijs accidentibus à natura ipſa: itaque non affirmat ibi, quod negauerat antea, ſed affirmat abſolute quod negauerat quantum eſt ex vi vnius radicis, hæc enim optime compatiuntur, ſicut qui de homine negauerit eſſe album ſecundum ſe aut ex parte animæ poterit affirmare de eodem homine eſſe album abſolute, vel ex parte corporis, vnde in locis adductis non ſolum ponit D. Thom. identitatem inter quod quid eſt Angeli & eius naturam indiuiduam quaſi hoc diſcrimen tantum vellet aſsignare, quod in ſpiritualibus ſubſtantijs eſſentia & ſingularis eſſentia à parte rei idem ſunt, ſecus vero in ſubſtantijs materialibus, in quibus indiuidua natura addit ſupra principia ſpecifica conditiones indiuiduantes à quibus ſumit indiuiduationem vt aliqui ex diſcipulis Doctoris Sancti interpretantur, licet enim hoc diſcrimẽ verũ ſit & ab Ariſtotele intentum vt vidimus, tamen aliquid amplius D. Thom. conceſiſſe ex contextu eorum locorum patet, vbi pariter infert identitatem concreti & abſtracti in Deo atque in Angelis ex defectu materiæ indiuidualis, cõcretum autem non eſt hæc natura, ſed ſuppoſitum naturæ, dicendum igitur eſt conceſſiſe non abſolute ſed ex vi illius radicis huiuſmodi identitatem: quoniam ex vi alterius præuidit negandam & ſuo loco negauit; neque quod iſti addunt nempe Sanctum Doctorem conceſsiſſe expreſſe diſtingui realiter ſuppoſitum à natura in Angelis in 1. p. q. 50. art. 2. ad 3. & quæſt. 75. art. 5. ad 4. & 2. contra Gentes cap. 52. ita conſtans res eſt, quia in his locis ſolum docet Angelum compoſitum eſſe, ex quo eſt, & quod eſt, hoc eſt, ex eſſentia & exiſtentia, compoſitionem autem ex eſſentia & ſubſiſtentia, neque concedit, neque negat vſque ad præfatum tertiæ partis articulum. Hoc ſuppoſito ad formam argumẽti negãda eſt minor, licet enim in Angelis non ſit duplex radix dictæ diſtinctionis, eſt tamen vnica, ſcilicet, accidentiũ ſubſtentatio, quæ ſufficit talem fundare diſtinctionem. Ad confirmationem diſtinguenda eſt minor, affirmatio harum conditionũ ſola infert diſtinctionem ſuppoſiti à natura, nego: affirmatio harum conditionum non excluſa accidentium ſuſtentatione, trãſeat, & licet aliæ radices deficiant in Angelis, hæc tamen manet: propter quam diſtinctio prædicta eſt conſtituenda. Tertio arguitur, nam inter ſuppoſitum & naturam ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei: ergo non eſt ponenda maior diſtinctio, ſcilicet, realis entitatiua, antecedens patet, quia formalis diſtinctio ſufficit ad ſaluandum ea, quæ de natura & ſuppoſito fides & Theologia docent, nempe Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam & non aſſumpſiſſe perſonam creatam, & quod ſuppoſitum eſt ſuſceptiuũ exiſtentiæ & relationis Filij, quia hæc diſtinctio ex natura rei ſufficit, vt dicamus ſecundas ſubſtantias, ſcilicet, ſpecies & genera non eſſe ſubiecta primo ſubſtantia, ſed ſolas primas ſubſtantias: ergo. Confirmatur, nã hæc eſt vera: humanitas eſt res quæ eſt homo; ſed ab eo quod eſt vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa: ergo ita eſt à parte rei quod humanitas & ſuppoſitum ſunt eadem entitas. Maior patet, ex illo ſymboli Athanaſij, ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo; anima autem, & caro ſimul ſumptæ ſolam naturam conſtituunt. Ad hoc argumentum, quo Fonſeca conuincitur, reſpondetur illam diſtinctionem ſufficere quidem, ſed non ita ſufficere neque ita facilẽ reddere intelligentiam myſterij Incarnationis, atque ex conditione ipſius perſonalitatis deduximus debere in aliquo modo entitatiue diſtincto à natura conſtitui. Neque verũ eſt quod addit Fonſeca, diſtinctionem ex natura rei dari inter genera, & ſpecies, cui aſsimilat diſtinctionẽ ſuppoſiti à natura, quia illa tantum eſt diſtinctio rationis, niſi ratione modi primo ſubſtantis incluſi in primis, & non in ſecundis ſubſtantijs, vt ſuo loco docuimus. Ad confirmationem; Soto vbi ſupra concedit maiorem, & ſimul negat diſtinctionem inter ſuppoſitum, & naturam eſſe formalem ex natura rei; in quo non videtur ſibi conſtans eſſe niſi ſolam formalem diſtinctionem concedat inter ſuppoſitum, & naturam, & neget illam, quam ponebat Scotus, ſed vera ſolutio eſt, quod maior eſt falſa, & ideo neganda, neque Athanaſius vult oppoſitum, vt enim explicat D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. ad 2. ſolum intendit, quod ſicut vnitas perſonæ conſtituitur ex anima, & carne in quantum eſt vnus aliquis ſubſiſtens in carne & ani-

& anima, ita vnus Christus subsistit in diuina natura, & humana, vnde subdidit statim, *ita Deus, & homo vnus est Christus.*

ARTICVLVS III.

An actus essentiæ ab essentia in creaturis realiter distinguatur?

7 IN hoc articulo tres versantur sententiæ, duæ extremæ, & alia media, prima asserit nullatenus distingui ex natura rei existentiã ab essentia sed esse omnino idẽ cum illa ante operationem intellectus, solamque rationis distinctionem inter vtramque versari, huius sententiæ principes fuere Durandus in 1. dist. 3. quæst. 2. & in 2. dist. 1. q. 1. quamque in 3. d. 6. q. 1. dubius manserit, & Gabriel in eodem 3. d. 6. q. 2. & Gandabo quodlibeto 9. & 10. quos sequitur Vazquius 3. part. disp. 27. cap. 2. Suarez 2. tomo Metaph. disp. 31. sectio. 10. & 11. & tomo 1. 3. part, disp. 8. sectio. 1. & 4. & disp. 36. sect. 1. & quia in vnoquoque composito sunt plures partiales entitates, & quælibet entitas identificat sibi existentiam infert hic author vestigijs antiquorum inherens tot partiales existentias esse in vno quoque composito quot in eo inueniuntur partiales entitates. Secunda asserit distingui essentiam ab existentia formaliter ex natura rei sicut distinguitur modus intrinsecus à re, cuius est modus; ita docuere Scotus tertio physicorũ q. 2. & in 4 dist. 10. quæst. 2. & Herueus quodlibeto 7. quæst. 9. quibus subscribit Fonseca lib. 4. huius cap. 2. quæst. 4. sectio. 2. & 4. fatetur que se contrariari Angelico Doctori, & doctrinæ ipsius sectatoribus, in qua confessione magis placet mihi Fonseca quã si propria figmenta, & a mente Sancti Doctoris alienas sententias ipsi imponeret. Tertia sententia quæ est Angelici Doctoris asserit existentiam esse modum siue actũ entitatiuum realiter entitatiue ab vnius cuiusq; rei creatæ essentia distinctum ac per consequens in vno quoque composito vnicam dumtaxat existentiam esse per quam totum ipsum, & omnes eius partes actuentur, & sint extra causas. Hanc docet D. Thom. lib. 2. contra gentes c. 53. & c. 54. de ente, & essentia, & in 2. d. 12. q. 1. art. 4. & 5. huius lectione 1. & lib. 1. physic. lect. 14. quodlibeto 3. ar. 1. & de potentia q. 4. art. 1. Eamdẽ sententiam sequuntur, & pluribus rationibus exornant Caietanus 1. part. quæst. 66. art. 1. & dicto cap. 5. de ente & essentia quæst. 9. & 11. Ferrariensis dicto capite 54. Capreolus in 4. dist. 8. q. 1. Egidius ibidem dist. 2. quæst. 4. art. 1. Soncinas lib. 4. huius quæst. 12. & Flandrensis lib. 8. huius quæst. 1. art. 2. Vincentius in relect. 6ne de gratia Christi quæst. 7. & Cabrera tomo 1. 3. part. quæst. 2. art. 8. & q. 17. disp. 1.

Opinio Vazqui. Suar. & Rominalium.

Sententia Thomistarum.

Veritas expenditur.

Respondeo dicendum primo existentiam non identificari realiter formaliter cum essentia entis creati. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & probatur, primo quia Philosophus lib. 8. Methaphisicæ c. 1. & Comentator ibidẽ, & quodlibeto 2. cap. 3. & 2. Phisicorum comẽto 12. expresse docent existentiam distingui ab essentia. Secundo quia teste D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. (cui in hac parte melior schola Theologorum suffragatur) humanitas Christi non habet propriã, & connaturalem existentiam, sed existit per existentiam diuini Verbi: iam ergo essentia humanitatis inuenitur sine propria, & connaturali existentia: quod absque distinctione reali fieri non potest. Tertio probatur nam existentia est vltima actualitas entis superueniens enti creato & habens se ex additione reali saltem formali, ad illud; sed quidquid se habet ex additione reali ad alterum distinguitur ex natura rei ab illo: ergo; maior patet nam vltima actualitas entis creati est extra eius essentia, soli enim Deo conuenit essentialiter existere, eo quod solus ille est ens per essentiam; sed quid quid est extra essentiam alicuius rei singularis habet se ex additione ad illam, licet enim de essentia animalis non sit rationale, non sequitur rationale distingui realiter ab animali, quia animal est prædicatum cõmune extra cuius essentiam sunt inferiora quæ tamen cum illo identificatur; at quid quid est extra essentiam Petri v.g. necessario debet esse quid distinctum realiter ab illo, quia Petrus includit essentialiter omnia prædicata, quæ cum ipso identificatur. Confirmatur primo: nam alias de essentia entis creati esset existentia, & tunc homo ab æterno existeret, quia homini ab æterno conuenit omnia prædicata essentialia: consequens est falsum, & videri contrarium: ergo falsum est asserere existentia identificari formaliter cum essentia entis creati: & cum ex hoc sequatur vlterius quod sit de essentia illius, non erit satis consona fidei sententia asserens existentiam rerum creatarum identificari cuilibet earum essentijs. Confirmatur secundo materia est quædam entitas partialis existens in rerum natura, & tamen non est idem ens, & sua existentia, quia existit per existentiam formæ vt infra docemus ex professo: ergo. Vltimo probatur, nã existentia est actus vltimo receptus in essentia substantiæ non inadæ-

te,

te, ſed mediante ſubſiſtentia: Sicut enim operari, ita & eſſe eſt actus ſuppoſiti: exiſtentia enim accidentis eſt in eſſe alteri potius, quã eſſe abſolute: ſed ſubſiſtentia eſt modus ſiue terminus diſtinctus à natura, & eſſentia creata realiter: ergo & exiſtentia, quæ mediante illa ſuſcipitur.

8 Dico ſecundo in vnoquoque compoſito vnica dumtaxat datur exiſtentia. Hæc ſententia ſtatuitur aduerſus eoſdem authores primæ ſententiæ, & probatur primo: nam fundamentũ oppoſitæ ſententiæ erat identitas formalis inter eſſentiam: & exeſtentiã: ſed hoc fundamentum manet iam labe facta tum: ergo ruit etiam poſitio plurium exiſtentiarum partialium. Secundo nam exiſtentia eſt actus ſuppoſiti: ſed in vno quoque compoſito non datur niſi vnica ſubſiſtantia, & vnicum ſuppoſitum: ergo, & vnica exiſtentia: vnde quia adeo ſubſiſtentia, & exiſtentia proportionantur vt connaturalis exiſtentia connaturalem petat ſubſiſtentiam tanquam ſui debitum ſuſceptiuum, & hæc defecit in Chriſto Domino, ideo in illo defecit connaturalis humanitatis exiſtentia. Hanc rationem conantur aduerſarij infringere ex quodam Doctoris ſancti teſtimonio quod habetur 1. p. q. 75. art. 2. vbi docet animam rationalem eſſe ſubſiſtentẽ non obſtante quod ſit pars: & in ſolutione ad primũ diſtinguit ſubſiſtens completum à ſubſiſtente incompleto in hæc verba. *Ad primum dicendũ quod hoc aliquid poteſt accipi dupliciter, vno modo pro quocumque ſubſiſtente, alio modo pro ſubſiſtente completo in natura alicuius ſpeciei: primo modo excludit inherentiam accidentis, & formæ materialis: ſecundo modo excludit imperfectionem partis*, &c. Ex quibus verbis tale poteſt deduci argumentum; ſubſiſtens ſtat dupliciter: vno modo pro quocumque ſubſiſtente, & alio modo pro ſubſiſtente completo: ergo latius patet ſubſiſtens vt ſic, quam ſubſiſtens completum, ac per conſequens datur ſubſiſtens incompletum. Rurſus ſubſiſtens primo modo tantum excludit inherentiam accidentis, & formæ materialis: ergo materia prima, & quælibet pars integralis eſt ſubſiſtens incompletum, quia neque inheret, vt accidens, neque vt forma materialis. Sed hoc argumentum nõ obſtat: nam ibi D. Tho. nomen ſubſiſtentis accipit non pro ſuppoſito ſeu pro concreto ſuppoſitalitatis ſiue hypoſtaſis, ſed tantum pro exiſtente per ſe, & independenter à materia; vnde intulit in fine corporis articuli animam humanam eſſe aliquid incorporeum, & ſubſiſtens; denotans ſe pro eodem accipere in articulo incorporeum, & ſubſiſtens, quod prædicatur de anima rationali, aut ex primo ſequi ſecũdum. Declaratur hoc amplius nam articulo ſequenti ad ſecũdum ait D. Tho. in hæc verba. *Ad ſecundum dicendum quod non quælibet ſubſtantia particularis eſt hypoſtaſis vel perſona, ſed quæ habet completam naturam ſpeciei, vnde manus vel pes non poteſt dici hypoſtaſis vel perſona; & ſimiliter nec anima, cum ſit pars ſpeciei humanæ.* Ex quibus verbis habemus partes integrales nõ eſſe hypoſtaſes, & aliàs ex q. 29. conſtat hypoſtaſis, & ſubſiſtentia ſunt idem, & quod ſubſiſtens in natura rationali creata eſt perſona: ſentit ergo D. Tho. animam rationalem eſſe ſubſiſtentem ſecundum quid, id eſt quoad effectum independentiæ â materia, quia ſeparata à corpore poteſt eſſe, & operari: ſed non eſſe ſubſiſtentem proprie id eſt terminatam propria, & connaturali ſubſiſtẽtia diſtincta à ſubſiſtentia totius compoſiti: vnde manet noſtrum argumentum in concuſum. Tertio probatur quia materia prima eſt entitas partialis, & non habet partialẽ exiſtentiam vt infra probatur: ergo nõ ſunt multiplicandæ exiſtentiæ iuxta numerum partialium entitatum. Denique poteſt oſtendi concluſio ex incompoſibilitate exiſtentiarum plurium in eodem compoſito: nam implicat ex pluribus entibus in actu partialibus effici vnum per ſe: ſed ex entitatibus partialibus materiæ, & formæ, & partium integralium fit vnum per ſe: ergo nequeunt huiuſmodi partes eſſe entia actualia proprijs gaudentia exiſtentijs. Maior probatur quia ens per ſe petit ad ſui conſtitutionem (ſi cõpoſitum ſit) plura quorum vnum ſe habeat vt materia ſiue vt potentia aut determinabile, & alterum ſe habeat vt forma, & actus ſiue determinans: ſed ens actuale etiam partiale ſiue ſit ipſe actus exiſtendi ſiue concretum illius, vt ſic nequit ſubire rationem materiæ, potentiæ, aut determinabilis, quia cũ exiſtentia ſit vltimus actus, & actualitas omnium actualitatum teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 3. art. 4. nequit ſubire rationem potentiæ aut determinabilis reſpectu alterius; aliàs poſſet ſubire rationem nõ vltimæ actualitatis, ſiquidem eſſet actuabilis, & determinabilis per aliam vlteriorem, quod implicat; ſicut enim vltima vnitas ternarij in eo quod vltima licet partialis nequit ſubire rationẽ determinabilis reſpectu alterius, quia hoc eſſet ipſam eſſe non vltimam, & vltimam: ita repugnat exiſtentiam etiam partialem, & exiſtens per illam vt ſic, eſſe actuabile, & determinabile per aliam exiſtentiam, quia hoc eſſet illam, quæ eſt vltima actualitas non eſſe vltimam; & id quod eſt vltimo actuatum non eſſe vltimo actuatum. Dico

tertio

tertio existentia est actus realiter entitatiue distinctus ab essentia entis creati. Hæc statuitur pro D. Thom. & eius sectatoribus, & probatur primo à suficienti diuisione: nam omnis distinctio ad distinctionem rationis, aut formalem, aut realem entitatiuam est reducenda: cum igitur distinctio quæ inter essentiam creatam, & existentiam non sit rationis solum, neque formalis ex natura rei, erit realis entitatiua. Secundo nam existentia substantiæ conuenit essentiæ media subsistentia, quæ entitas modalis est distincta realiter entitatiue: ergo à fortiori existentia debet distingui realiter entitatiue ab essentia: aliàs quo pacto identificari posset, & cum essentia id: quod conuenit illi mediante subsistentia, quæ cum essentia nõ identificatur: aut quomodo extrema sunt idem, si medium cum illis non est idem? Confirmatur: ex essentia, & existentia fit realis compositio veluti ex actu, & potentia, vt late probat Caietanus vbi supra q. 9. sed compositio realis proprie petit extrema realiter entitatiue distincta: ex extremis nãque realiter identificatis cum distinctione formali licet aliqualis fiat compositio, tamen est potius identitas quam compositio: ergo. Tertio quia existentia materiæ primæ nequit cum illa identificari cum sit communicata à forma, quæ est distincta entitatiue à materia; verbi etiam diuini existentia communicata humanitati assumptæ vicem alicuius entitatis supleuit: ergo intentum. Denique probatur ex eius effectibus formalibus: nam existentia est actus quo res ponitur extra causas, & cõstituitur in actu secũdo essendi, atq; ratione cuius teminat generationẽ siue productionẽ sui, & fit potẽs operari aut pati, siue alterius operationẽ terminare, licet enim existentia nõ sit ratio formalis agendi aut terminandi agẽtis productionẽ siue aliã operationem, est tamen conditio intrinseca, & complementum in suplebile sine quo neq; agere neq; terminare operationẽ aut productionẽ potest vnũ quodq; ens; at isti effectus formales sunt distincti ab effectu formali essentiæ ne dũ formaliter sed etiã entitatiue, quia aduenĩũt illi accidẽtaliter, & sunt extra essentiã rei cõstitutę iã in suo esse essentiali, & cõueniũt illi mediãte subsistẽtia, quę est entitas ab esse tia substãtiæ distincta: ergo fatẽdũ est cũ D. Tho. existentiã entitatiue ab essentia distingui: & eisdem argumentis conuincitur subsistentiam ab existentia pari modo distingui in creaturis realiter entitatiue.

Satisfit argumenti. 9 Sed hæc sequuntur aduersariorum argumenta. Primũ desumitur ex philosopho secũdo posteriorũ ca. 1. asserenti quæstionẽ *an est*, & *quid est* non continere plura sicut cõtinet quæstio propter quid, & quia est? sentit; ergo philosophus existẽtiã, & quiditatẽ siue essentiã nõ esse plura seu nõ ponere in numero ac proinde non distingui ex natura rei, vbi enim nõ est pluralitas neq; distinctio realis potest reperiri. Respõdetur quod in quæst. an est, non quæritur existẽtia actualis rei scitæ, quia scientiæ, ad quas hæc quæstio pertinet, abstrahũt ab existẽtia, sed quæritur posibilitas existẽtiæ, & quia hæc potẽtia seu posibilitas nõ distinguitur ab essẽtia rei creabilis distinctione reali, præsertim si potentia hæc sumatur radicaliter, ideo dixit philosophus in quæstione an est, & quid est, non cõtineri plura, quia continetur idẽ sub diuersis respectibus; nã in quæstione an est continetur essentia vt potens existere ideſt cum conotatione existẽtiæ; in quæstione autẽ quid est, continetur essentia vt constituẽs rẽ in tali specie ex tali genere, & differẽtia, secluſa omni conotatione existentiæ. Secũdo arguitur: Homo v. g. quando existit, supra prædicata essentialia nihil addit positiuũ realiter distinctum, & tamen habet existentiam vt supponimus: ergo existentia nõ distinguitur ab essentia, maior probatur nã quãdo homo existit solũ additur quod illa prædicata essentialia, quæ antea non erant extra suas causas modo sint extra illas: sed hoc quod est extra causas, nõ est aliquid reale distinctũ à prædicatis essentialibus; aut illis superadditũ; quia per eadẽ met prædicata per quæ erat antea in causis, & in potentia, modo est extra causas, & in actu: ergo. Dices quod aliud est id quod est extra causas, & aliud id per quod homo est extra causas, nam homo etiam suis prædicatis essentialibus est id, quod existit extra causas, tamen id per quod existit nõ sunt prædicata essentialia, sed quædam actualitas realiter superaddita, quæ dicitur existentia. Sed contra nam essentia hominis quæ erat ante hominis productionem in potẽtia post quam homo producitur est in actu, & est essentia actualis, verumque est hominem de potẽtia ad actum trãsisse, quia habet essentiã iam actualẽ: ergo nedũ essentia hominis est id quod existit, sed est id per quod homo existit. Respondetur iuxta solutionẽ assignatã. Ad cuius impugnationẽ dico essẽtiam actualẽ dicere duo, alterũ de materiali scilicet essentiã, quæ est actualis, & alterũ de formali scilicet actualitatem qua fit actualis, sicut homo albus vel album, quia conotatiuũ est duo dicit, corpus, & albidinem: vnde sicut homo albus non est albus per humanitatem, sed per albedinem aduenientem humanitati, ita homo existens non existit per

eſſentiam hominis, ſed per actualitatem aduenientem eſſentiæ : hæc autem actualitas eſt exiſtentia, ad quam omnis natura, & forma ſiue eſſentia habet ſe in potentia. Tertio arguit Fonſeca : nam ſequitur Deum poſſe ſeparare eſſentiam ab exiſtentia, & ê contra, atque alteram ſine altera conſeruare; hæc enim mutua ſeparabilitas eſt debita extremis diſtinctionis realis entitatiuæ: conſequens eſt falſum, quia implicat exiſtentiam ſine aliqua eſſentia aut natura, cuius eſt actus conſeruari, ergo, & antecedens. confirmat hoc argumentum tripliciter: primo, ex eo quod fruſtranea eſt diſtinctio entitatiua, vbi modalis ſeu formalis ſufficit : ſed hæc ſufficit ad ſaluandum omnia quæ de eſſentia, & exiſtentia prædicari ſolent : propter ſimilem enim diſtinctionem qualitas dicitur perfici per modum intenſionis atque intenſio non eſt illi eſſentialis, & ſubſtantia dicitur referri per relationem ſimilitudinis aut identitatis ſpecificæ vel per relationem creationis paſsiuæ, & quod huiuſmodi relationes ſint extra eſſentias illius: ergo. Secundo quia ſequitur exiſtentiam eſſe naturã completam ac ponibilem in recta linea prædicamentali. Tertio authoritate philoſophi eſſerentis in quæſtione an eſt, & quid eſt, nõ contineri plura. Reſpondetur ad argumentum negando ſequelam: neq; enim adæquata ratio mutuæ ſeparabilitatis duorum extremorum eſt entitatiua diſtinctio: poteſt namque eorum ſeparatio impediri, & de facto ex multiplici capite impeditur : vnde materia nequit ſine forma ſubſtantiali conſeruari, eo quod eſt pura potentia, quæ nequit actualitatem exiſtentiæ ſuſcipere niſi media forma ſubſtantiali, & relatio filij abſque parentis relatione nequit ſaluari â parte rei propter mutuam dependentiam aut connexionem vtriuſque relatiui; ſic ſimiliter neque eſſentia ſine exiſtentia poteſt exiſtere, quia exiſtere eſt effectus formalis exiſtentiæ, neque exiſtentia ſine eſſentia cõſiſtere poteſt, quia eſt actus, & modus intrinſece ſupponens eſſentiam vt ſubiectum, principium formale atque fundamentum. Ad primam confirmationem nego minorem, nam licet eadem entitas ſecundum diuerſas formalitates, & abſoluta, & relatiua poſsit eſſe, tamen nequit eadem entitas potentiæ, & vltimæ actualitatis munia exequi: neque cõueniens eſt ens creatum per ſuam entitatem exiſtere, & eſſe vltimo actuatum. Ad ſecundam neganda eſt ſequela. Ad tertiam ſufficientem iam adhibuimus ſolutionem. Vltimo arguitur: in Deo cuius eſſentia eſt ſimpliciſsima, dantur plures exiſtentiæ: ergo in eodẽ compoſito creato, cuius eſſentia non eſt ſimplex, ſed ex pluribus partialibus entitatibus compoſita, plures etiam exiſtentiæ poſſunt, & debent inueniri, antecedẽs probatur, nam non obſtante quod ſubſiſtentia ſit vltimus terminus, præter ſubſiſtentiam abſolutam, quæ conuenit Deo vt præintellecto perſonis, dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, quibus tres perſonæ conſtituuntur: ergo non obſtante quod exiſtentia ſit vltima actualitas poterunt dari præter exiſtentiam abſolutam tres aliæ relatiuæ, imò cum exiſtentiæ ſuſcepituum proximum ſit ſubſiſtentia, & hæc in Deo ſit quadruplex quadruplicem videtur exigere exiſtentiam ſibi proportionatam. Propter hoc argumentum componenda nobis eſt vnitas exiſtentiæ diuinæ cum pluralitate ſubſiſtentiarum, quod in duobus dubijs ſequentibus exacte præſtatur.

Dubium primum appendix, an dentur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & alia abſoluta, & cõmunis?

10 IN hoc dubio circa primam eius partem de ſubſiſtentijs relatiuis, duæ verſantur ſententiæ. Prima Durãdi Palud. & Capreo. in 3. d. 1. q. 1. & Ferrarienſis 4. contragẽtes c. 26. negãtiũ dari in Deo tres ſubſiſtẽtias relatiuas vltra illã cõmunẽ, & abſolutã, quã dicũt cõſtituere tres perſonas diuinas pro vt tribus earũ relationibus aſſotiatur, & in eis modificatur. Secũda aſſerens dari tres ſubſiſtẽtias relatiuas præter illã cõmunẽ, & abſolutã: ſiue hæc admitẽda ſit ſiue negãda in Deo: eſt Caiet. 1. p. q. 39. ar. 4. & q. 3. ar. 3. & 3. p. q. 2. ar. Medin. ibi. Bañeſij 1. p. q. 40. ar. 4. dubio 2. Valent. diſp. 2. punto 3. Becani c. 3. de Perſonis diuinis q. 9. & aliorum recẽtiorum: pro cuius ſententiæ vt pote veriorís declaratione. Reſpondo dicendum primo relationes diuinas conſtituere perſonas ſecundum ſibi proprias rationes id eſt ſecundum quod ratione diſtinguuntur ab eſſentia, & non ſecundum quod identificantur cum illa: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſentẽtiæ, & probatur primo, nã ſi conſtituereẽt perſonas ſecundũ quod identificãtur cũ eſſẽtia, ipſa eſſentia eſſet ratio cõſtituendi illas in eſſe ſubſiſtẽtis: at hoc eſt falſum: ergo: maior admititur ab aduerſarijs, & probatur minor quia tres perſonæ diuinæ vt ſubſiſtentes, ſunt realiter diſtinctæ : ergo nequeunt conſtitui, & diſtingui per id quod eſt ipſis commune. Secundo nam cum perſona duo dicat, & eſſe ſubſiſtens, & eſſe incommunicabile vel ſubſiſtentia abſo

luta

luta, & essentialis cõstituit personas quoad primum scilicet quoad subsistere vel quoad secundum scilicet quoad incommunicabilitatem: non secundum, quia quod est communicabile tribus personis, quo pacto potest reddere personam incommunicabilem? neque primum vt volunt aduersarij quia diuinæ relationes sunt in se ipsis subsistentes licet radix modi subsistendi ipsarum sit subsistentia essentialis: ergo se ipsis poterunt cõstituere personas in ratione subsistentium. Confirmatur, quia personæ non solũ quoad referri, & quoad modum incõmunicabilitatis distinguuntur, & opponuuntur sed etiam quoad subsistere: sed in eo in quo opponuntur debent constitui relationibus: argo relationes ipsas constituunt in ratione subsistentium ac proinde sunt tres subsistentiæ relatiuæ. Tertio nam forma constituens adæquate personam est ratio incommunicabiliter subsistendi quia persona est incommunicabile subsistens, sed forma adæquate cõstituens nostro more intelligendi diuinam personã est relatio secundum propria relationis vt tenet communis Scola Theologorum 1. p. q. 40. art. 4. ergo relatio diuina secũdum propria relationis diuinæ id est quatenus ab essentiali subsistentia distinguitur est ratio incommunicabiliter subsistendi ac proinde non solum triuit personæ diuinæ incõmunicabilitatem sed etiam ipsum subsistendi modum non essentialem sed relatiuam.

Dico secundo præter subsistentiam absolutam dantur in diuinis tres rationes subsistendi relatiuæ, hæc statuitur aduersus eosdem authores, & infertur ex prima: nam si relatio secundum propria relationis constituit personam in ratione subsistentis, ipsa relatio secundum se est ratio subsistendi, & non solum quatenus includit subsistentiam absolutam. Deinde probatur conclusio nam dantur tres formæ personales id est tres personalitates, sed personalitas est subsistentia incommunicabilis: ergo dantur tres subsistentiæ incommunicabiles ac proinde tres subsistẽtiæ relatiuæ. Rursus nam concilia determinant dari in diuinis tres subsistentias iuxta numerum personarum loquuntur autem de relatiuis, ergo hic subsistentiarum ternarius non est negandus: maior patet quia ita determinatur in quinta Synodo actione vndecima, & in septima actione tertia, & in Concilio Lateranensi sub Martino V. celebrato. Ad hoc argumentum triplex solutio adhiberi solet ab aduersarijs prima est quod concilia nomine subsistentiæ accipiunt concretum subsistentiæ ita vt sensus sit dari tres subsistentes. Secunda est quod eadem subsistentia absoluta dicitur triplex non in se sed vt modificata tribus relationibus. Sed neutra solutio sustineri potest non quidem prima, quia sicut tres personæ sunt tres subsistentes, ita gaudent tribus subsistentijs quinimo nomen numerale insubstantiuis numerat formas vnde cum nomen subsistentis substantiuum sit numerando tres subsistentes, numerantur etiam formæ subsistententes. Neq; secunda quia sic etiã existentia vt modificata tribus relationibus diceretur triplex, & similiter posset dici in diuinis dari tres intellectiones, quia intellectio est triplex ex eo quod associatur tribus personalibus proprietatibus, consequens autem est falsum, & nullatenus admittendum: ergo antecedens. Quare tertia solutio probabilior est quod nomine subsistẽtiæ accipitur proprietas personalis ita vt sensus sit dari tres subsistẽtias id est tres proprietates personales. Sed neque hæc satisfacit, nam verba Conciliorum in proprio sensu atque rigore accipi debent: ergo nomen subsistentiæ pro subsistendi ratione supponit neque ad grauitatem Concilij pertinet vt nomina in trãslatitia significatione, & impropria accipiant suppositione. Deinde quia in actione vndecima Synodi 5. definitur Trinitatem esse numerabilem tribus subsistentijs vbi subsistentia accipitur pro personalitate, quia personalitas nihil est aliud nisi subsistentia incommunicabilis rationalis naturæ: ergo. Denique nam admisso quod nomine subsistentiæ accipiatur proprietas personalis hoc nõ tollit quominus eodem nomine accipiatur subsistentia: ergo intentum: antecedens probatur, nam proprietas personalis in diuinis est ratio subsistendi, quod patet eo quod est infinita interminando, & potens supplere vicẽ personalitatis, & subsistẽtiæ creatæ, & quia secundum se, & prout distinguitur ratione ab essentia est diuina ac proinde ens diuinum, & non dependens ab alio: ergo independens, & subsistens. Dico 3. persona in diuinis importat aliquid positiuum formaliter, in recto quidem relationem vt subsistentem siue hypostasim, & in obliquo naturam. Hæc cõclusio statuitur pro prima parte aduersus Scotum in 1. dist. 38. quæst. vnica, Enricum quodlibeto 5. & in summa art. 57. q. 1. Torres super quæstionẽ 29. 1. p. ar. 4. & Molinam, q. 29. art. 1. disp. 3. asserentes personam importari de formali modum rationis siue secundam intentionem individui vt vult Enricus siue negationem communicabilitatis vt alijs placet, statuitur etiam contra Laurentium Vallam asserentem lib. 6. elegantiarum capitul. 34. personam dice

re de formali qualitatem etiam in diuinis & probatur, tum quia ex dictis conſtat perſonam diuinam formaliter conſtitui per poſſitiuam perſonalitatem, & nomen ſubſiſtendi ſignificare relationem diuinam vt ſubſiſtentem, ſed hæc ratio poſitiua, & realis: ergo. Tum ex diffinitionibus perſonæ traditis à Boetio, & Ricardo: Boetius enim lib. de duabus naturis capit. 23. diffinit perſonam eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam, id eſt vt diffinierunt Ricardus de Sancto Victore libro quarto de Trinitate capitulo. 22. & 23. & Concilium Florentinum ſeſsione 19. rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia: & idem Boetius vbi ſupra capite 22. perſonam diuinam diffinierat dicens eſſe naturæ diuinæ incommunicabilem exiſtentiam, in quibus diffinitionibus explicatur perfectio poſitiua perſonæ per negationem cõmunicabilitatis, & nomen indiuidui ſumitur primo intentionaliter pro ſingulari naturæ rationalis ſiue intellectualis: ergo. Deinde quia perſona eſt quid inferius ad hypoſtaſim, & primam ſubſtantiam vt ſupra docuimus, ſed hypoſtaſis, & prima ſubſtantia non dicunt qualitatem, ſed rem ſubſiſtentem neque hæc ſunt nomina qualitatis ſed ſubſtantiæ: ergo. Denique quia aliàs, propoſitio illa pater diuinus eſt perſona, eſſet accidentalis, ſiquidem prædicaret de patre diuino ſecundam intentionem aut negationem rationis aut qualitatem quandam accidentalem, conſequens eſt pluſquam falſum: ergo, & antecedens: vnde ſententia illorum Theologorum non eſt ſatis Catholicæ doctrinæ conſentanea: Laurentij autem Valæ opinio vt erronea iam eſt à libris ſuis expurgata, & à numero elegantiarum exploſa, & promaiore huius primæ partis confirmatione videantur Bellarminius tomo 1. lib. 2. de Chriſto cap. 5. Suarez lib. 1. de Trinitate ca. 1. n. 2. & 1. tom. methaphiſicæ diſp. 34. ſect. 1. & Fonſeca 5. methaphiſicæ, c. 8. q. 5. lectione 10. qui diffinitionem perſonæ à Boetio aſsignatam defendunt, & explicant in illa nihil rationis, aut qualitatis importari: ſecunda pars cõcluſionis ſcilicet quod perſona diuina importet in recto ſubſiſtens in concreto, & naturam inobliquo probatur primo nam perſona Diuina eſt inferior directe ad perſonam vt ſic ſed perſona vt ſic dicit in recto indiuiduam ſubſtantiam, & naturam inobliquo vt patet ex præfacta diffinitione Boetij eſt enim rationalis naturæ indiuidua ſubſtatia: ergo. Secundo quia perſona idem eſt quod habens naturam rationalem ſiue ſubſiſtens in communicabile in natura rationali: ergo ſimiliter perſona Diuina eſt habens naturam Diuinam ſiue ſubſiſtens incommunicabile in natura Diuina ac proinde natura Diuina importatur inobliquo, ſic enim ſe habet natura Diuina ad perſonam diuinam ſicut natura rationalis ad perſonam vt, ſic. Tertio perſonalitas diuina ſignificat formaliter, & directe diuinam ſubſiſtentiam ſed in diuinis concretum, & abſtractum idem ſignificant: ergo perſona diuina importabit ſubſiſtens diuinum incommunicabile, quod eſt concretum perſonalitatis, & quia hoc ſubſiſtens diuinum incommunicabile non ſaluatur niſi in relatione concretiue ſumpta: ſola enim relatio ſignificata in concreto eſt perſona in diuinis, ideo hoc nomen perſona diuina ſignificat in recto relationem ſeu relatiuum materialiter, & identice, formaliter autem ſignificat ipſam relationem vt ſubſiſtentem, & ita docet Diuus Thomas 1. part. quæſt. 29. articulo 4. & in 1. diſtinctione 23. articulo 3. & quæſt. 9. de potentia articulo 4. ex his facile ad concordiam duæ opiniones Thologorum facie tenus ſibi inuicem aduerſantes reducuntur: altera Capreoli in primo diſtinctione 25. articulo primo concluſione 3. & articulo 3. ad argumenta Aureoli, ſilueſtri in conflato quæſtion. 29. articulo 5. & Vazquez 1. part. diſputatione 17. capit. 2. aſſerentium nomen diuinæ perſonæ directê non relationem ſed hypoſtaſim importare: altera Caiet. 1. p. q. 29. art. 4. & Suarez lib. 7. de Trinitate c. 8. aſſerentium nomine Diuinæ perſonæ directè, & formaliter relationem, naturam vero in obliquo ſignificare. Eò quod diuina relatio vtrumque munus exequitur ſcilicet relationis, & ſubſiſtentiæ ſiuê referendi, & ſubſiſtendi: nomineque diuinæ perſonæ importatur formaliter, & directê relatio non quoad primum ſed tantũ quoad ſecundum munus: quod quidem auctores prioris ſententiæ nomine hypoſtaſis: auctores vero poſterioris, nomine relationis diuinæ intellexerunt.

11 Circa ſecundam partem dubij pariter diſcriminantur Theologi in duas ſententias quarum prima admittens huius modi abſolutam ſubſiſtentiam in Deo fuit nominalium in 3. diſtinctione 1. communiterque recipitur à Thomiſtis, vt videre eſt in Capreolo in 1. diſtinctione 26. ad argumenta contra tertiam, & in 3. diſtinctione 1. quæſtion. 4. Caietano 1. part. quæſtion. 3. articulo 3. & quæſt. 39. articulo 4. & 3. part. quæſt. 2. articulo 2. & quæſt. 3. articulo 3. ac Medina ibidem.

quam

Quam ſibi perſuadere videntur ex pluribus locis Angelici Doctoris, in quibus fatetur Deum vt præintellectum perſonis eſſe ſubſiſtentem, vt in dictis locis primæ partis, & quæſt. 8. de potentia articulo 3. ad 7. & quæſt. 9. articulo 5. ad 15. Rurſus in eadem prima parte quæſt. 40. articulo 2. ad. 2. ait diuinas perſonas non diſtingui in eſſe, in quo ſubſiſtunt: & 3. part. quæſt. 3. articulo 3. ſubdit deitatem abſtractis perſonalitatibus poſſe aſſumere naturam humanam: quod tamen non poſſet, niſi vt ſic eſſet ſubſiſtens, vt pote potens ſupplere vicem ſubſiſtentiæ creatæ, deinde quia Deus vt præintellectus relationibus concipitur vt ſingularis ſcilicet vt hic Deus; ſic enim concipitur â Iudæis: & vt prima ſubſtantia, & exiſtens vt quod, & operans ad extra: & infinitè perfectus: quæ omnia verificari non poſſent de Deo, niſi vt ſic eſſet ſubſiſtens: eo quod eſſe ſingularem, & primam ſubſtantiam, & hoc aliquid, exiſtentia, & operatio ſunt propria ſuppoſiti vel ſubſiſtentis: & ſubſiſtere eſt perfectio ſimpliciter, vt pote quia eſt melius quàm non ſubſiſtere: ergo.

Sententia verior negans ſubſiſtentiã communem.

Secunda nihilominus, & vera ſententia ac indubitatè tenenda, negans eſt Bonauenturæ in 3. diſtinctione 1. articulo 1. quæſt. 3. & diſtinctione 5. artic. 1. quæſt. 4. Enrrici quodlibeto 5. quæſt. 8. Alenſis 3. part. quæſt. 2. membro 3. & quæſt. 7. membro 1. Valentiæ, & Becani vbi ſupra, quæ ſuadetur primo quia Deus vt præintellectus perſonis nequit eſſe ſubſiſtens: ergo falſo innititur fundamento contraria ſententia: antecedens oſtenditur triplicitèr, tum quia Theodoretus relatus in 2. tomo Conciliorũ poſt quintam Synodum generalem in additionibus ad breuiarium liberati, ait in Deo nullam eſſe communem ſubſiſtentiam. Tum etiam quia conceptus ille ſubſiſtentis, Deitati vt præintellectæ perſonis nec tribuit eſſe per ſe independenter à ſubiecto, quia hoc habet deitas â ſe ipſa, cum ſit natura ſubſtantialis, nec tribuit eſſe incommunicabile, quia vt ſic eſt communis tribus perſonis: & nihil aliud poteſt ei tribuere: ergo eſt fictitius. Tum denique quia de ratione ſubſiſtentiæ vt ſic eſt quod ſit vltimus terminus naturæ reddens illam vltimo terminatam, ſicut de ratione exiſtentiæ eſt, quod ſit vltimus actus: ſed deitas vt ſic præintellecta, eſt vlterius terminabilis per relatiuas perſonalitates: ergo vt ſic non intelligitur ſubſiſtens, niſi prout concipitur in perſonis, quæ fuit ſententia Athanaſij dialogo de Trinitate contra Anomeos dicentis, deitatem non niſi vt expectatur in diuiduis hoc eſt in ſuppoſitis, ſubſiſtere: ergo. Secũdo probatur ex triplici incõuenienti quod ſequitur ex contraria ſententia, in doctrina Diui Thomæ: primum eſt quod Deus, & deitas diſtinguerentur ratione ratiocinata, & cum fundamento in re ſicut diſtinguitur perſona diuina, & relatio: & non ſolum ex modo ſignificandi aut ratione ratiocinante: cuius oppoſitum docet D. Thomas 1. part. quæſt. 3. art. 3. & quæſt. 40. art. 1. dicens hanc propoſitionem, *Deus eſt deitas*, eſſe veram in ſenſu formali, ſoloque modo ſignificandi diferre prædicatum â ſubiecto: ſequela patet: quia tunc Deus ſupra deitatem adderet aliquem conceptum obiectiuum ſcilicet ſubſiſtentiæ eſſentialis eſſetque concretum naturæ, & huiuſmodi ſubſiſtentiæ. Secundum, eſt dari quaternitatem diuinarum perſonarum: eo quod vltra tres perſonas relatiuas daretur ſubſiſtens eſſentiale in natura intellectuali quod non poteſt non eſſe perſona ſecundum Diui Thomam 3. part. q. 3. ar. 3. ad primum, & ad 2. & quæſt. 9. de potentia art. 3. ad 5. alio quin ſubſiſtentia ſingularis non eſſet idem formaliter in ſubſtantijs cum ſuppoſito, & re naturæ: & in rationalibus cum perſona: Cuius oppoſitum docet D. Thomas 1. part. quæſt. 29. art. 2. dicens his quatuor nominibus: ſubſiſtentia, ſuppoſitum, res naturæ, & perſona eamdem rem ſignificari ſecundum diuerſa munia: quod tamen inconueniens derogat fidei. Tertium eſt, quod operationes Dei ad extra vt creatio, & iuſtificatio poſſent attribui huic Deo vt præintellecto perſonis: ſiquidem vt ſic eſt ſubſiſtens ac proinde aptum operari vt quod: hoc autem aduertatur Diuo Thomæ in eadem 1. part. quæſt. 33. art. 3. ad primum dicenti prædicata communia quæ important reſpectus ad creaturas, per poſterius dici de Deo quã notionalia, quia proceſiones ad intra ſunt principia emanationũ adextra. Vltimo probatur ſupponendo nomen ſubſiſtentiæ ſolere accipi triplicitèr, nimirum vel pro ratione exiſtendi per ſe, id eſt independenter à ſubiecto in hæſionis, quo pacto conuenit ſubſiſtere omnibus partibus ſubſtantiæ: vel pro ratione exiſtendi per ſe hoc eſt independenter à ſubiecto, & à ſuppoſito: & ſic conuenit animæ rationali ſeparatæ à corpore: vel pro ratione exiſtendi per ſe hoc eſt, independenter à ſuppoſito, & à ſubiecto, & incommunicabiliter: & ſic conuenit ſolis ſuppoſitis; ex quibus acceptionibus ſola tertia eſt

propria ſubſiſtentia pro vt diſtinguitur ab exiſtentia ſubſtantiali; cum qua confundi tur in duabus prioribus: ergo de ratione ſubſiſtentiæ propie eſt, quod ſit incommunicabilis, & conſtitutiua ſuppoſiti: ergo repugnat in Deo ſubſiſtentia abſoluta, & communis tribus perſonis. Ex hijs patet ad fundamenta prioris ſententiæ. Nam D. Thomas in locciſ præallegatis accipit ſubſiſtentiam in prima aut ſecunda acceptione iuxta quã parens Auguſtinus lib. 7. de Trinitate dixerat: omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus. Et iſte modus ſubſiſtendi ſufficit vt Deus præintellectus perſonis concipiatur à Iudæis conceptu negatiuo, & à Catholicis conceptu præciſiuo id eſt, præſcindenti à perſonis: vt ſingularis, & exiſtens, *vt quod*, & operans ad extra, atque infinitè perfectus. Reſtat expendere quædam argumenta, quæ aduerſus tres priores concluſiones militant. Vnde ad verſus primam.

Satis ſit argumentis.

12 Arguitur primo. Relatio prout includit eſſentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam eſt ſubſiſtens, & non prout ratione diſtinguitur ab illa, ergo tota ratio ſubſiſtendi in Deo ſaluatur in eſſentia atque abſoluta ſubſiſtentia, antecedens probatur, tum quia relatio non conſtituet perſonam quantum ad ſubſiſtere niſi prout includit *in* ſed non dicit *in* niſi vt includit eſſentiam: ergo: tum etiam quoniam teſte D. Thom. quæſt. 9. de potentia art. 5. ad 15. relationes diuinæ à ſe non habent ſubſiſtere, ſed ab eſſentia: tum denique quia aliàs daretur cõpoſitio in Deo, ſi enim relatio à ſe prout diſtinguitur ab eſſentia, eſt ſubſiſtens, faceret compoſitionẽ cum alijs, hac enim ratione probat D. Thom. 1. part. quæſt. 30. art. 1. ad 3. non facere compoſitionem diuinas relationes: quia ſolum dicunt *ad*: igitur ſi eſſent ſubſiſtentes dicerent eſſe *in*, & conſequenter facerẽt compoſitionem quod non eſt admittendum. Confirmatur nam ſubſiſtere eſt perfectio infinita in Deo ſed relatio vt ratione diſtinguitur ab eſſentia nec eſt perfectio neque etiam infinita, aliàs daretur triplex perfectio, & triplex infinitas relatiue in Deo contra communem ſententiam Theologorum: ergo. Reſpondetur ad argumentum negando antecedens pro ſecunda parte. Ad primam probationẽ nego maiorem. Ad ſecundam quod relationes diuinæ ab eſſentia habent radicaliter ſubſiſtere ſed ex ſeipſis, & ex proprijs meritis habent ſubſiſtere proxime, & formaliter. Vel poteſt dici quod ab eſſentia habent ſubſiſtere primaria ſubſiſtentia, ſcilicet eſſentiali, quæ eſt primarium ſuſceptiuum exiſtentiæ: Sed à ſe ipſis formaliter habent ſubſiſtere ſubſiſtentia ſecundaria, ſcilicet relatiua, quæ eſt ſecundarium ſubſceptium exiſtentiæ, vnde ſenſus illius teſtimonij Angelici Doctoris poteſt eſſe duplex, primus quod relationes diuinæ ab eſſentia vt à radice habent ſubſiſtere: ſecundus quod ab eſſentia, & non a ſe ipſis habent ſubſiſtere primaria ſubſiſtentia. Ad tertiã nego ſequelam quia licet relationes diuinæ ſint ſubſiſtentes; gaudent ſubſiſtẽtijs relatiuis, quarum totum eſt ſe eſt ad alterũ, & ideo ſicut triplex *ad* cõſtituit numerum perſonarum abſque compoſitione ita triplex ſubſiſtere relatiuum propter oppoſitionem relatiuam conſtituit numerum ſiue pluralitatem perſonarum abſque compoſitione. Ad confirmationem cõceſa maiori nego minorem, nam ſicut relatio prout ratione diſtincta ab eſſentia ad huc includit eſſentiam, ita includit eſſentiæ perfectionem, & eſt perfectio: ſed quia perfectio eſt quid eſſentiale; ſicut eſſentia non multiplicatur in perſonis ita neque perfectio, & eodẽ modo poteſt dici infinita quælibet relatio infinitatione eſſentiæ incluſæ: ſed quia infinitas in terminando eſt modus propriùs cuiuslibet perſonalitatis diuinæ ideo poteſt dici quod quælibet perſonalitas relatiua eſt infinita formaliter in terminando, & ſicut relatiua ſubſiſtentia eſt triplex ita præter infinitatem eſſentialem datur triplex infinitas in terminando, neque enim infinitas eſt modus ſolius eſſentiæ ſicut perfectio. Secundo arguitur contra ſecundam concluſionem, nam ſubſiſtentia communis, & abſoluta vt adiuncta ſingulis perſonis eſt ſufficiens ratio conſtituendi illas in eſſe ſubſiſtentium: ergo ſuperflua eſt multiplicatio ſubſiſtẽtiarum relatiuarum: antecedens probatur tripliciter. Primo quia ſicut omne eſſe eſt ad ſe ſeu abſolutũ ita omne ſubſiſtere eſt ad ſe, ac proinde abſolutum, quia dicit modum perfectiſsimum eſſendi, qui abſolutus debet eſſe, neque aliquid ſubſiſtit ad aliud ſed ad ſe. Secundo nam paternitas eſt communicabilis, & ſubſiſtentia abſoluta eſt ratio ſubſiſtendi: ergo adiuncta paternitati erit ratio ſubſiſtendi in communicabiliter, ac perconſequens tribuet patri integrum effectum perſonalitatis qui eſt ſubſiſtere in cõmunicabiliter, conſequentia patet, nam perſonalitas diuina eſt ratio conſtituendi diuinã perſonam ſubſiſtentem cum modo incommunicabilitatis, ſed vtrumque præſtat ſubſiſtẽtia abſoluta aſſociata Paternitati aut filiationi: ergo ipſa ſubſiſtentia abſoluta, vt ſic aſſociata erit perſonalitas. Tertio, nã ad præſtandum alios effectus formales perſonales ſufficit forma, ſiue perfectio abſoluta vt modifica-

dificata per relationem: ergo ſimiliter ad præſtandum hunc, qui eſt ſubſiſtere incommunicabiliter ſufficit ſubſiſtentia abſoluta modificata per relationem, antecedens patet in diuinis: nam vt Pater exiſtat incommunicabiliter, & ſimiliter, vt Filius exiſtat ſufficit exiſtentia abſoluta aſſociata relationi Patris aut Filij, & vt Pater ſit potens generare ſufficit intellectus communis, & eſſentialis, vt modificatus per paternitatem, ita vt potentia generatiua, quæ eſt proprietas Patris ſit intellectus communis, vt apropriatus Patri, & aſſociatus paternitati: igitur etiam ſubſtãtia cõmunis vt aſociata Paternitati erit perſonalitas ſeu proprietas perſonalis Patris conſtituens illum in ratione ſubſiſtentis incommunicabiliter. Reſpondetur negando antecedens, ad eius primam probationem nego antecedens, nam ſubſiſtentia eſt quid ſuperius ad abſolutum, & relatiuum ſubſiſtere. Vnde ſicut præter ſubſiſtentiam abſolutam datur in diuinis triplex relatio perſonalis; ita datur triplex ſubſiſtentia relatiua, dicitur tamen omne ſubſiſtere eſſe ad ſe, quia ſub conceptu ſubſiſtentis non exercet relatio munus referendi, neque ſub nomine ſubſiſtentis importatur explicite relatio, vt ratio referendi bene tamen implicite, & ex parte rei ſignificatæ. Ad ſecundam nego cõſequentiam: quia ſubſiſtere incommunicabile eſt effectus formalis vnius, & eiuſdem formæ perſonalis, ſiue hypoſtaticæ, nempe perſonalitatis quæ eſt ſpecies ſubſiſtentiæ, perſonalitas enim per poſitiuum modum differentialem incommunicabilitatis contrahet rationem communem ſubſiſtentiæ ad conſtitutionẽ huiuſmodi formæ, quæ dicitur perſonalitas vnde paternitas, v.g. ſicut eſt in cõmunicabilis ità per eandem formalem rationem eſt ſubſiſtens, quia gradus veluti differentialis abſque communi, & ſuperiori contracto ſubſiſtentiæ nequit illi conuenire, ac proinde non additur incommunicabilitas ſola ſubſiſtentiæ abſolutæ; ſed additur ſubſiſtentia incommunicabilis ſubſiſtentiæ communi, quæ ſunt veluti duæ ſpecies, vel quaſi ſpecies aut membra condiſtincta ſubſiſtentiæ, & ideo nequit ex eis vnica ratio perſonalitatis conſtitui. Ad tertiam conceſo antecedenti nego cõſequẽtiã. Ratio diſcriminis eſt duplex. Prima quod illi effectus non ſunt pure relatiui, ſed admiſcent aliquid abſolutum, vt exiſtere incommunicabiliter, quid abſolutum ex ea parte, qua dicit exiſtere, & ideo poteſt præſtari ab exiſtentia abſoluta, vt modificata per relationem. Secunda eſt quod modificatio illa qua relatio modificat exiſtentiam, aut intellectum ſiue voluntatẽ in ratione exiſtentiæ incommunicabilis, potentiæ generatiuæ, vel ſpiratiuæ, non diuerſificat realiter exiſtentiam, ſiue potentiam, ſed ſolum ſecundum rationem: ſicut enim eadem eſſentia, vt ſubeſt diuerſis reſpectibus idealibus eſt multiplex idea; ita eadem res quæ in Patre eſt exiſtentia Patris, in Filio eſt exiſtentia Filij: & eadem res quæ in Patre eſt potentia generatiua, in Filio, & Patre eſt potentia ſpiratiua, quia realis diſtinctio in diuinis ſolum datur vbi eſt relatiua oppoſitio: at modificatio qua relationes modificãt ſubſiſtentiam abſolutam, ponit realẽ diſtinctionem, & oppoſitionem diuinarum perſonarum, & ideo oportet, vt modi ipſi ſint in ſeipſis diuerſi in ratione ſubſiſtendi, vt diſtinctas perſonas conſtituant oppoſitis relationibus ſubſiſtentibus. Quarto arguitur contra tertiam concluſionem, nam vel hoc nomen *perſona* ſignificat directe, & formaliter illud ſubſiſtens reale, cui conuenit eſſe perſonam, vel aliquid aliud: ſi primum ſequitur quod ſignificet conſtitutum ex eſſentia, & proprietate perſonali ac proinde non eſſe tres perſonas: quia concretum ſubſtantiale non multiplicatur niſi multiplicata forma ſiue natura. Si ſecundum habemus intentum, quia illud aliud nequit eſſe quid reale ſed neceſſario debet eſſe reſpectus ſiue negatio rationis ergo. Cõfirmatur nã vltima cõſtitutiua, & diſtinctiua nequeunt conuenire in aliquo prædicato reali quod ſit formale ſignificatum huius nominis *perſona Diuina* ſed ſubſiſtentiæ relatiuæ ſeu relationes vt ſubſiſtentes ſunt vltima conſtitutiua, & diſtinctiua diuinarum perſonarũ: ergo nequeunt conuenire in aliquo reali ac proinde conueniunt in aliquo reſpectu rationis, vel ſecunda intentione, vel negatione communicabilitatis quæ importatur nomine indiuiduæ atque incommunicabilis ſubſtantiæ. Ad argumentum reſpondetur conceſſa maiori pro prima parte negando minorem: ad probationem dicendum eſt quod ſignificatur hoc nomine concretum ſubſiſtentiæ, & naturæ non ſicut hoc nomine hic Deus quod eſt nomen naturæ; ſed magis ſignificatur hypoſtaſis quam naturæ, hæc enim importatur in obliquo, & illa in recto, vnde tale nomen ſuſcipit multiplicationem in ſuo ſignificato ex ſolã multiplicatione perſonalitatis quia eius formale ſignificatum eſt perſonalitas. Ad confirm. eſt triplex ſolutio prima Gabrielis Vazq. tom. 2. 1. part. diſput. 148. cap. 2. & 158. cap. 7. §. vltimo aſſerit quod nomine Diuinæ perſonæ ſignificari nequit aliqua ratio realis cõmunis quæ de illis eſſentialiter prædicetur; ſed ſolum modus ſubſi-

ſtendi incommunicabiliter, qui eſt modus naturæ diuinæ, & prædicatū denominatiuū, & veluti ſecundæ intentionis pertinens ad quartum prædicabile, vnde hæc prædicatio Pater eſt perſona, Filius eſt perſona eſt quarti prædicabilis, & denominatiua ſiue accidē talis, ſicut hæc Petrus eſt riſibilis. Secunda ſolutio eſt Caietani 1. p. quæſt. 29. art. 4. aſſerentis nomine diuinæ perſonæ ſignificari aliquid reale, & vniuocum eſſentialiter conueniens tribus perſonis, quod eſt relatio ſubſiſtens ſeu realis modus incommunicabiliter ſubſiſtendi: cui ſubſcribit Suarez lib. 1. de Trinit. 1. 3. num. 8. & cap. 9. ſed vtraque ſolutio deficit à veritate. Prima quidem propter rationes quibus contra Scotum, & Molinam demonſtrauimus tertiam concluſionē: illa etenim in horum incidit ſententiam. Deinde, quia prædicationes quarti prædicabilis prædicant de ſubiecto id quod illi accidit, & eſt extra illius eſſentiam, atque nō eſt idem realiter cum illa, ſed Patri & Filio diuino non accidit eſſe perſonam, imo hoc eſt illis eſſentiale: ergo non eſt prædicatum quarti prædicabilis. Denique quia in creaturis nomen perſonæ eſſentialiter de ſuis inferioribus prædicatur: ergo à fortiori in diuinis: antecedens declaratur, hæc enim eſt eſſentialis prædicatio, & ſecundi prædicabilis, vel primi: perſona Petri eſt perſona: quinimo hæc: Petrus eſt perſona humana, eſt reductiue, ſecundi prædicabilis ſicut hæc Petrus eſt aliquis homo, & licet illa Petrus eſt perſona ſit accidentalis, & quarti prædicabilis, quia modus perſonalitatis eſt veluti conſequutus ad naturam humanam, & ab illa realiter diſtinctus, tamen aliter ſe habet reſpectu Dei, & relationum diuinarum, quia cum illis identificatur formaliter, vnde prædicatur eſſētialiter de Patre & Filio & Spiritu Sāto ratio perſonæ. Secunda etiā deficit, quia diuinis perſonis nihil reale vniuocum poteſt conuenire aliàs rationi perſonæ ſi vniuoca eſſet, nihil obſtaret quominus ſpecies eſſet: daretur que compoſitio Metaphyſica in perſonis diuinis ex ratione ſuperiori perſonæ, & tali perſonæ, ſiquidem ratio communis perſonæ preſcindibilis eſſet ab vltimis modis diſtinctiuis, quæ omnia falſa ſunt: ergo & antecedens. Deinde quia modi perſonalitatum diuinarum ſunt ſe totis diſtincti, quia ſunt primo diuerſi: ergo dum taxat conuenient proportionali conuenientia. Conſequentia patet, nam à modis ſe totis diſtinctis, & primo diuerſis ſolum hæc ratio conuenientiæ poteſt abſtrahi. Denique quia ab vltimis diſtinctiuis non ſolum Phyſice, & ſecundum rem, ſed etiam Metaphyſice, & ſecundum rationem nihil vniuocum poteſt abſtrahi, vt etiam fatetur Caiet. ſed diuinæ perſonalitates ſunt vtroque modo vltima diſtinctiua, nam in diuina perſona aſsignabilis eſt per intellectum proprius modus perſonalitatis, & particularis diſtinctus à communi ratione perſonæ diuinæ, ſed ille modus qui eſt veluti differentialis, eſt perſonalitas, eſt enim ens diuinū, & nō aliud niſi perſonalitas: ergo perſonalitates ipſæ ſunt vltima diſtinctua. Vnde quo ad hāc partē magis placēt Scotus in 1. d. 23. q. vnica, & Molina 1. p. quæſt. 28. art. 4. aſſerentes relationis diuinæ rationem communem non eſſe vniuocā, ſed analogam, ac proinde nequerationem perſonæ diuinæ eſſentialiter dictam de diuinis perſonis vniuocam eſſe, diſplicent tamen in eo, quod inferius dixerunt, vt vidimus nempe formale ſignificatum perſonæ diuinæ vniuocum eſſe, accidentaliter dictum de illis. Vera igitur ſolutio eſt quod tā relationis quàm diuinæ perſonæ communis ratio hiſce nominibus ſignificata non vniuoca, ſed analoga eſt ad tres diuinas perſonas, de quibus eſſentialiter prædicatur. Vnde ad formā cōfirmationis diſtinguo maiorem, vltima diſtinctiua nequeunt conuenire in aliquo prædicato reali, & eſſentiali vniuoco concedo, ſecus vero ſi analogum ſit & conceſſa minori diſtinguo cōſequens ſub eadem diſtinctione.

Dubium ſecundum appendix, an iuxta numerum ſubſiſtentiarum relatiuarum in Deo multiplicetur exiſtentia relatiua.

13 RAtio dubitandi deſumitur ex dubio præcedenti in hunc modum, nam ſicut de ratione ſubſiſtentiæ eſt vltimo terminare naturam, ita de ratione exiſtentiæ eſt vltimo actuare, ſed non obſtante ratione vltimi eſſentia terminata per ſubſiſtentiam abſolutam adhuc eſt terminabilis per tres relatiuas: ergo non obſtante ratione vltimi Deitas actuata per exiſtentiam abſolutā exiſtit adhuc actuabilis per tres exiſtentias relatiuas. Vrgetur hæc ratio ex aſsignata diffinitione perſonæ à Ricardo de Sancto Victore vbi ſupra, aſſerenti perſonam eſſe realis naturæ incommunicabilem exiſtētiam: ergo ſicut dantur tres perſonalitates, ita debent dari tres incommunicabiles exiſtentiæ. Quod ſi dicas nomine exiſtentiæ nō accipi à Ricardo actum eſſendi, ſed ſubſiſtentiam, quæ eſt ſuſceptiua exiſtentiæ. Contra

Validius insurgit argumentum, nam subsistentia saltem dicit ordinem ad existentiam vt susceptiuum ad formam subsceptibilem, ac proinde debent proportionari: ergo nequit multiplicari vnum sine alio, ac per consequens cum detur triplex susceptiuum existentiæ: debet dari triplex existentia, vt congrua sit illius multiplicatio. Vrgetur secundo prædicta ratio dubitandi, nam existentia debet proportionari susceptiuo cuius est actualitas, vt illud possit actuare iuxta eius naturam, sed relatio est ad aliud, quia totum esse quidditatiuum relationis est ad terminum: ergo existentia illius nequit esse ad se: quomodo enim Paternitas quæ est ad Filiũ, actuari posset per existentiam quæ non est ad Filium. Actuatur ergo per existentiam relatiuam, & sic præter existentiam absolutã datur triplex relatiua. Vrgetur tertio, quia sicut diffinitio relatiuorũ petit, quod totũ esse essentiæ sit ad aliud, ita petit quod etiam esse existentiæ sit ad aliud: hoc enim significatur in diffinitione dum dicitur, cuius totũ esse, id est tam essentiæ quam existẽtiæ sit ad aliud, alias non totum esse relatiue esset ad aliud, sed solum secundum partem, scilicet quo ad esse essentiæ: quod tamen ostenditur falsum ex eo quod falsum est Patrem existere ad se, & solum essentiam Paternitatis habere ad Filium, quinimo hæc propositio *Pater diuinus existit ad se* videtur plusquam falsa, quæ tamen necessario admittenda est si non gaudeat existentia relatiua. Rursus prædicta propositio est contra Augustinum quilib. 5. de Trinitate cap. 6. & lib. 7. cap. 4. ait aliud esse Deum esse, & aliud Patrem esse, denotans aliam Dei vt sic, & aliam Patis vt sic esse existentiam. Vrgetur quarto, nam in conceptu entitatis actualis claditur existẽtia, sed multiplicatur in tribus personis entitas actualis, sunt enim in tribus personis tres entitates, siue tres relationes actuales interse realiter, & ratione ab essentia distinctæ: ergo debent gaudere tribus existentijs relatiuis; consequentia patet, quia implicat quod multiplicetur aliquid, quin multiplicetur id, quod est de cõceptu illius, & in eius essentia inclusum. Qua de causa nequit multiplicari homo, quin multiplicetur animal, & rationale, & quantum non potest multiplicari nisi multiplicata quãtitate, quæ est de essentia quanti: maior autem probatur: nam sicut de essentia quanti est quantitas ita de essentia realitatis actualis est existentia, formale enim constitutiuum rei actualis, vt actualis, est actualitas, siue existentia: formale autem constitutiuum intrinsece claditur in constituto: ergo.

14 Propter hæc argumẽta sequũtur pars tẽ affirmatiuam Scotus in 1. d. 1. q. 2. Suarez tom. 1. tertiæ partis disp. 11. sect. 1. & 1. p. lib. 3. de Trinit. cap. 5. qui pro eadẽ sententia adducit Augustinum vbi supra, & Ricardũ de Sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. 17. eidem parti suffragatur Medina, qui confundens subsistentiæ, & existentiæ nomina, 3. p. quæst. 3. art. 2. ait in diuinis dari triplex esse respectiuum. Sed negatiuam partem tenent testes omni acceptione maiores, quorũ Princeps est D. Thom. qui in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 1. ad primum docet omnẽ existentiam etiam relationis esse absolutã: huic testimonio attestãtur Caietanus 1. p. quæst. 28. art. 2. Capreolus in 1. distinct. 26. quæst. 1. ad quartum Aureoli contra tertiam, & in 3. d. 1. quæst. 1. art. 3. ad secundum contra secundam. Bañesius 1. p. quæst. 40. art. 4. dub. 2. Vazquez ibidem disput. 126. Fonseca 5. Methaphys. cap. 8. quæst. 5. sect. 9. *§. existentia*, & Ledesma de diuina perfectione q. 3. art. 1. Et quia hæc pars negatiua habet pro se tot testes non contemnendos, & rationes maioris penderis, & maioris efficaciæ: ideo à nobis iudicatur, ut vera defensanda, & opposita, vt falsa prorsus explodenda. Itaque primo probo ex testimonijs Angelici Doctoris, nam præterquam quod in loco allegato ait omnem existentiam etiam formæ relatiuæ esse absolutam, eo quod actus essendi respicit subiectum, quod actuat: expresse asserit 1. p. quæst. 28. art. 2. & quæst. 40. art. 2. ad secundum, & 3. p. quæst. 17. art. 2. ad tertium Diuinas personas non distingui in esse in quo subsistunt & quæst. 39. art. 3. subdit quod existens substantiue dicitur singulariter in diuinis. Denique in eadem 1. p. q. 3. art. 4. & quæst. 2. de potentia, art. 6. q. 8. art. 2. ad 11. & 9. art. 5. ad 19. dicit essentiã diuinam identificare sibi suum esse, & ideo, sicut essentia est simplex & vnica; ita existentiam vnicam & simplicem esse. Ex his testimonijs tale deducitur argumentum: vbi essentia est vnã siue supposita sint plura, siue vnum dumtaxat, & vbi essentia vnica est suũ esse, identificata cum ipsis suppositis ipsum esse necessario est vnicum, sed diuina essentia existens in tribus suppositis est vna, & est suum esse, & aliàs identificatur cum suis suppositis: ergo vnica dumtaxat est eius existentia. Secundo nam omnis existentia est absoluta, sed absoluta in Deo non multiplicantur: ergo: maior patet, quia existentia in suo conceptu nullum respectum in uoluit ad alterum, nam solum constitit in hoc quod sit actus suppositi, siue actualitas per quã res est extra causas, in quo nullũ *ad* includitur, sed

Opinio negans Thomistarum.

ſed ſolum *in* ſiue ordo tranſcendentalis ad ſubiectum cuius eſt actualitas, ordo autem iſte, qui in accidentibus atque exiſtētijs creaturarum dicitur, *in*, in Deo eſt ipſa ſubſtantia ſiue eſſentia Dei, vt prænenit omnem expreſſum conceptum relationis. Tertio nam exiſtentiæ ſufficit proportionari dumtaxat cum immediato & primario ſuſceptiuo quātum ad conuenientiam in eſſe abſoluto, ſed immediatum, & primarium ſuſceptiuum diuinæ exiſtentiæ noſtro modo intelligendi non ſunt relationes, ſed hic Deus vt ſubſiſtens per abſolutam ſubſiſtentiam relationibus præintellectus, ſuſceptiua ſecundaria ſunt relationes ſubſiſtentes relatiuis ſubſiſtētijs, cui non debet proportionari, aut ſaltim licet proportionetur quodammodo, non tamen hæc proportio conſiſtere debet in hoc quod ſicut ſubſiſtentiæ ſint relatiuæ, ita exiſtentia illarum ſit relatiua; ſed in hoc quod exiſtentia actuet ipſas relationes ſicut proportio inter habitum fidei exiſtentem in intellectu, & eius exiſtentiam non ſtat in hoc quod ſicut fides ordine tranſcendentali reſpicit Deum vt obiectum: ita eius exiſtentia ordine tranſcendentali reſpiciat Deum vt obiectum. Hoc enim falſum eſt, & impertinens ad neceſſariam proportionem conſtituendā: ſed ſtat proportio in hoc quod exiſtētia reſpiciat ſubiectū habitus fidei, & ipſum actu &, ac ponat extra cauſas in ſubiecto, nempe in intellectu; totus enim ille habitus qui eſt ordo tranſcendentalis ad Deū nō exiſtit ad Deum, ſed exiſtit in intellectu. Quarto ab inconuenienti oſtenditur noſtra ſententia, nam ſi datur exiſtentia relatiua eadem ratione daretur omnipotentia, & ſapiētia relatiua, immutabilitas, & æternitas relatiua, ac perconſequens ex eo perſonæ eſſent tres Omnipotentes, tres Sapientes, tres immutabiles, & æternitas relatiua, ac perconſequens tres perſonæ eſſent tres Omnipotēs, tres Sapiētes, tres Immutabiles, & tres Æterni ſubſtantiue, & non ſolum adiectiue, conſequens eſt contra fidem, quam in ſymbolo Athanaſij Eccleſia profitetur: ergo & antecedens: ſequela probatur, nam exiſtentia non eſt magis intrinſeca diuinis perſonis quam Omnipotentia, Sapientia, aut Immutabilitas, ac proinde ſicut illa multiplicatur in perſonis, ita hæc attributa multiplicanda ſunt. Quod autem æternitas ſit multiplicanda probatur ſpeciali ratione: æternitas nihil aliud eſt in ſententia Suarez qui dicit durationem eſſe exiſtentiam vniuſcuiuſque rei vt continuatam: quam exiſtentia vt permanens abſque principio & fine, & abſque ſucceſsione, vel eſt ipſius exiſtentiæ permanentia, ſed dantur tres exiſtentiæ relatiuæ: ergo tres exiſtentiæ vt permanentes ſiue tres permanentiæ relatiuæ, ac proinde tres durationes æternitatis, ſiue tres æternitates. Hoc argumento preſus Suarez reſpondet æternitatem non ſupponere pro quauis duratione æterna, ſed ſolum pro duratione abſoluta & hæc tantum eſt vna. Sed contra vrgeo argumentum factum, nam præterquā quod hæc ſolutio manifeſtam committit principij petitionem eo quod voluntarie dicitur in illa non omnem durationem æternam eſſe æternitatem, cū de ratione æternitatis nihil aliud ſit quam eſſe durationem æternam abſque vlla ſucceſsione. Confirmatur Primo quia Paternitatis diuinæ relatiua exiſtentia vt permanens ſiue ipſa exiſtentiæ permanentia eſt in aliqua ſpecie ſeu modo durationis, & non eſt tempus, neque æuum, neque æternitas participata: ergo eſt æternitas per eſſentiam, quando quidem non ſunt aliæ ſpecies aut modi durationis hucuſque inuentæ. Secundo, quia duratio exiſtentiæ relatiuæ, v.g. Paternitatis, neq; diſtinguitur â duratione exiſtentiæ abſolutæ, quæ conuenit Deitati, vt præintellectæ perſonis, niſi quia illa eſt duratio entitatis relatiuæ: hæc vero entitatis abſolutæ quæ diſtinctio materialis eſt, & ex ſubiectis deſumpta, at durationes non diſtinguuntur ſpecifice ex ſubiectis, ſed ex differentijs immutabilitatis: ergo cum duratio exiſtentiæ diuinæ relatiuæ ſit in ſumo immutabilitatis vtpote in ſuprema diuinæ eſſentiæ immutabilitate fundata, erit etiam ſuprema duratio, ac per conſequens æternitas. Confirmatur: nam eodem argumento poteſt probari tres perſonas Diuinas eſſe tres increatos, nedum adiectiue propter multiplicationem ſuppoſitorum, ſed etiam ſubſtantiue propter multiplicationem entitatis increatæ, conſequens eſt contra eandē fidem Athanaſij: ergo & antecedens. Sequela patet, nam tres relationes, vt condiſtinctę ratione ab eſſentia ſunt tria entia, quæ habēt eſſe ad ſe independenter ab alio, vt à cauſa efficienti: ergo ſunt tria entia increata, conſequentia probatur, quia diffinitio entis increati nihil aliud petit, quam quod ſit habēs eſſe â ſe independenter ab alio, vt â cauſa, ſi ergo tres perſonæ diuinæ habent tres exiſtētias à ſe independenter ab alio vt à cauſa habebunt tres realitates increatas, ac perconſequens erunt tres increati ſubſtantiue. Vltimo probatur, nam exiſtētia eſt actualitas omnium formarum in ordine ad quam omnis forma, & actus eſt in potentia, vt docet. D. Thom. 1. p. quæſt. 4. art. 2. Ergo eſt vltima actualitas in vnoquoque ente, ſed vltima actuali-

actualitas simpliciter nequit compati cum alia in eadem natura, quia altera illarum nõ esset vltima cum esset per aliam actuabilis: in quo valde differt subsistentia ab existentia, quod subsistentia nõ semper est vltimus terminus simpliciter nisi quando est subsistentia incommunicabilis seu constitutiua suppositi: existentia vero siue completa siue incompleta, semper est vltima actualitas, quia omne, aliud ab existentia est per illam actuabile. Vnde infertur aliud discrimen quod subsistentiæ possunt in diuinis multiplicari secus vero existentiæ. Ex hac doctrina soluitur prima ratio dubitandi, negãda est enim maior iuxta assignatum duplex inter subsistentiam, & existentiam discrimen.

Satisfit argumentis.

15 Ad secundam vero respondetur. Primo quod Ricardus nomine abstracto existentiæ accipere concretum, vel existens, ita vt sensus assignatæ diffinitionis ab ipso sit; persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia, hoc est *incommunicabile existens*. Respondetur secundo iuxta solutionem inter arguendum insinuatam, videlicet, nomine existentiæ accepisse subsistentiam trãslaticie propterea quod subsistẽtia est susceptiua existentiæ, & dicit ordinẽ ad illam. Ad primam huius solutionis improbationem neganda est consequentia. Ad secundam solutionis improbationem patet ex dictis, in quo seruanda est proportio inter existentiam, & eius susceptiuum. Ad tertiã rationem dubitandi negandum est antecedens, neque enim existentiã relationis oportet esse ad aliud, neque id in eius diffinitione exigitur, vbi sola quidditas explicatur. Quod autem Pater diuinus existat ad se sicut de omni relatione fatetur D. Thom. nõ est inconueniens, imo est necessariũ. Ne tamen prædicta propositio scrupulum ingerat, distinguenda est, si enim eius sensus sit existentiam Patris esse ad se, vera est, & absque vlla formidine concedenda; si autem eius sensus sit Patrem quoad existentiam, & quoad paternitatem esse ad se, falsa est, & perconsequens neganda. Augustin. quoque asserens, aliud esse Patrem esse, & aliud, Deum esse de alietate rationis, & de esse essentiæ est intelligendus, ita vt mens eius sit, Paternitatis quidditatem aliam esse, secundum rationem à quidditate essentiæ. Illa enim est relatiua, & hæc est absoluta; vel præhabens absolutum, & relatiuum. Ad quartum nego consequentiam, vel distinguo minorem, multiplicantur in tribus personis realitates actuales quoad actualitatem nego, quoad realitates concedo, & nego consequentiam. Nam sicut posita eadem quantitate in duobus suppositis essent duo quanta non dualitate quãtitatum, sed dualitate suppositorum, quæ miraculose subsisternerentur eidem quantitati: ita tres personæ diuinæ sunt tres realitates actuales non pluralitate actualitatum, sed pluralitate relationũ, quę eidẽ actualitati nostro modo intelligendi subsunt, & â qua per identitatem actuantur. Neque oportet ad multiplicationem includentis, aut constituti multiplicari formam, aut partem inclusam siue constitutiuam ipsius, nisi quando multiplicatur, secundum quod includit talem formam, aut partem, quod non contingit in nostro casu, in quo multiplicatio realitatis actualis non fit secundum rationem actualis siue vt actualis est; sed quoad realitatem ipsam, quæ est veluti subtractum realitatis. Vnde sicut sunt tres personæ, & vna tantum Deitas, quæ est de essentia cuiuslibet personæ; ita sunt tres realitates actuales, & vna tantum actualitas, quæ cum singulis earum identificatur essentialiter: eo quod vtrobique fit multiplicatio quoad relationes, in quibus saluatur oppositio, & non quoad absolutam perfectionem, in qua non obuiat relationum oppositio.

QVÆSTIO III.

De comparatione substantiæ ad principia extrinseca suæ productionis in octo Articulos diuisa.

A Capite 6. vsque ad 12. pergũt Philosophus, & D. Thom. comparare substantiam sensibilem ad principia generationis ipsius extrinseca, nempe ad agentia, ex quorum concursu substantiæ sensibiles producuntur, vbi concursus ipse siue actio, ratio formalis agendi conditiones tam ex parte agentium, quam ex parte rerũ productarum, requisitæ apprimè declarantur, præmissa vnica diuisione, quæ est omnium dicendorũ solidum fundamentum. Nempe eorum quæ in rerum natura producũtur, alia fiũt a natura, alia ab arte, & alia à casu, & omnia hæc siue â natura, siue ab arte, siue à casu producantur, fiunt ex aliquo præsuppoſito subiecto scilicet ex materia: rationem primi dicti assignat Philosophus, quia quidquid producitur, aut à causa perse, aut à causa per accidens producitur, vt dictum est, si primo modo, vel talis causa est principium motus eius, in quo est, & sic est natura, vel est extra ipsum, cuius est principium, & sic est

ars,

ars, ſi ſecundo modo eſt caſus. Rationem vero ſecundi dicti aſsignat ex eo quod, quidquid fit naturaliter fit per aliquam generationem, ſed in omni generatione fit aliquid in actu, quod prius erat in potentia, & cum nihil poſsit tranſire de potentia in actum, niſi per ens in actu, quod eſt agẽs, & ex potẽtia quæ eſt materia, ex qua fit aliquid in actu quod eſt terminus generationis, ſequitur, quod in omni generatione debet interuenire agens à quo eſt generatio, & materia ex qua, & forma ſiue actus, qui ex materia educitur, & terminat generationem. Ex hoc vnico fundamento plures quæſtiones ſoluuntur apud Philoſophum, & eius interpretem D. Thom. Augel. Doctorem. Circa deffinitionem generationis naturalis, eductionis formarum de potentia materiæ, rationem agendi, & conditiones ad agendum, ex vtraque parte requiſitas; quas omnes ad ſex articulos reducemus, in quorum primo generationis deffinitio examinabitur in communi, in ſecundo de generatione viuentium, & in tertio de corruptione agendum eſt, in quarto, & quinto, an deficiente cauſa proxima aliquorum animalium productio fiat immediate per virtutem cœleſtem? & an animalia ſic producta ſint eiuſdem ſpeciei cum illis? quæ à virtute cœleſti mediis cauſis proximis cauſantur? in ſexto an ſaltem inſtrumentaliter accidens poſsit ſubſtantialis formæ eductionem attingere? declarabitur.

ARTICVLVS I.

An generatio naturalis ſit mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter?

IN hoc articulo aduertẽdum ante omnia eſt quod de generatione poſſumus loqui. Tripliciter primo ſecũdũ cõmunem acceptionem prout eſt productio cuiuſlibet rei ex præſuppoſito ſubiecto ſiue res illa ſit ſubſtantia ſiue accidens, vel naturale, vel artificiale. Secundo proprie, ſcilicet, ſecundum propriam acceptionẽ, prout eſt productio ſubſtantiæ ſeu entis perſe. Tertio ſtrictè, ideſt ſecundum ſpecialiſsimam acceptionem, & nimis riguroſam prout eſt productio viuentis. Et ſecundum has omnes acceptiones inuenitur diffinita à Philoſopho, nam in prima acceptione egit Philoſophus de generatione in hoc 7. cap. 6. & lib. 5. Phyſicorum cap. 1. dicens generationem eſſe mutationem de non ſubiecto in ſubiectum, ideſt productionem alicuius ex præſuppoſito ſubiecto, ſiue id quod producitur ſit concretum ſubſtantiale ſiue accidentale. De illa vero in ſecunda acceptione egit lib. 1. de ortu, & interitu cap. 3. & 4. vbi diſtinguens generationem ab alteratione definiuit illam dicens eſſe mutationem de non eſſe ad eſſe, ideſt, ad eſſe ſimpliciter: quod tãtum ſupponit pro eſſe ſubſtantiali, quam diffinitionem alijs verbis explicuit dicens generationem eſſe mutationem totius nullo ſenſibili ſubiecto manente eo, quod in ſola generatione ſubſtantiæ nullum ſubiectum quod ſit ens actu, & completum manet ſub vtroque termino mutationis. Sed de ea, in tertia acceptione nempe prout eſt propria viuentibus egit Philoſophus in hoc 7. c. 8. tx. 28. & 8. Ethicorũ, c. 12. lib. 1. de generatione animalium c. 1. & lib. de vita, & morte, cap. 1. ex quibus locis illa diffinitio vulgaris colligitur videlicet, *generatio eſt origo viuentis à viuente cõiuncto in ſimilitudine naturæ*, quam diffinitionẽ approbat D. Th. 1. p. q. 27. art. 2. & 4. contra gent. cap. 11. habemus igitur tres diffinitiones generationis, iuxta triplicẽ eius acceptionẽ, etenim generatio prout cõmunis ſubſtãtiæ, & accidentis productioni, eſt mutatio de nõ eſſe ad eſſe in ſubiecto, ſiue mutatio de ſubiecto in ſubiectum: prout vero eſt communis ſolis ſubſtantijs generabilibus, eſt mutatio totius in totũ nullo ſubiecto ſenſibili manente, & tandem prout eſt propria viuentibus, dicitur origo viuentis à viuente in ſimilitudine naturæ. Quo ſuppoſito pro veritatis declaratione ſequentes conſtituo concluſiones.

Reſpondeo dicendum, primo generationem naturalem (prout hic agũt Methaphyſici) eſſe mutationem de non eſſe ad eſſe ſimpliciter. Probatur, nã hic agit Philoſophus de generatione ſubſtantiæ ſenſibilis, vt ex argumento totius libri, & ex præambulo ad quæſtionem ſecundam conſtat, ſed huiuſmodi generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter: ergo. Confirmatur primo, nam mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter ſolũ reperitur in productione ſubſtantiæ vbi ex præſuppoſito ſubiecto fit aliquod ens perſe, & ſimpliciter, quale eſt ſubſtantia, & Methaphyſici hic agũt de generatione, quæ eſt productio entis perſe ſiue ſubſtantialis: ergo de illa, quæ eſt mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter. Cõfirmatur ſecũdo, nam ex cap. 6. conſtat Philoſophum diuidere generationẽ in tres modos, ſcilicet in generationẽ eorũ, quæ fiunt à natura, & in generationem eorũ quæ fiũt ab arte, & in generationem eorum, quæ fiunt à caſu, vbi de generatione in communi verba faciebat, vt generationem, quæ terminatur ad eſſe ſimpliciter radicitus explica-

plica-

plicatur, & ita proposuit cap. 3. se tractaturum principaliter in hoc libro de substantijs sensibilibus per rationes Logicas, & cõmunes, & in sequenti libro de eisdem per propria principia Physica, vt etiam aduertit D. Thom. lect. 2. & 3. atque supponit Flandrens. quæst. 5. artic. 2. & quæst. 6. in præambulo quæstionis. Cõfirmatur tertio, nam in prædicta definitione explicatur genus, & differentia generationis substantialis: ergo est exacta. Antecedens patet, quia nomine mutationis, exprimitur genus, in quo substantialis generatio conuenit cum omni alia generatione, siue à natura, siue â casu, siue ab arte fiat, in eo autem quod subditur ad esse, simpliciter, explicatur proprium substantialis generationis distinctiuũ quod est terminari non ad formam accidentalem, sed ad substantialẽ quæ dat esse simpliciter.

Legitima generationis definitio

Dico secũdo generatio prout est mutatio communiter dicta, est duplex, altera est generatio simpliciter, & altera secundum quid. Hanc conclusionem docent D. Tho. lect. 6. Flandrens. quæst. 11. art. 2. & Bañes. lib. 1. de generatione cap. 3. in expositione textus, & cap. 4. quæst. 1. & Conimbricenses ibidẽ, quæst. 8. art. 1. illãque probant primo ex testimonijs Philosophi asserentis in eisdem locis, generationem triplicem esse, vt vidimus aliam ab arte, & aliã à natura, &c. Ex quibus prima terminatur semper ad formã accidẽtalẽ, scilicet artificiosam figurã: hæc vero secũda aliquãdo terminatur ad accidẽs, sed generatio, quæ terminatur ad accidẽtalẽ formã est generatio secundũ quid & illa quæ terminatur ad formã substãtialẽ est talis simpliciter: ergo. Secũdo natura eiusdẽ est fieri cuius est esse, & fieri determinatur ad esse rei productæ, sed rerũ quæ fiunt, aliæ habent esse secũdũ quid, scilicet, accidẽtia, & aliæ habent esse simpliciter, scilicet, substãtiæ: ergo illarũ fieri est fieri secũdũ quid & harũ fieri est fieri simpliciter. Tertio, nã generatio specificatur à termino ad quem, sed terminus ad quem generationis est duplex, alius est esse substantiale siue forma substantialis, & alius est forma accidentalis siue esse accidentale, illa dat esse simpliciter, & hæc dat esse simpliciter: ergo & generatio est duplex, altera simpliciter quæ terminatur ad esse simpliciter, & altera secundum quid quæ terminatur ad esse secundũ quid. Quod si dicas generationem quæ terminatur ad esse partis substantialis siue substantiæ partialis (qualis est nutritio siue generatio) esse generationem secundum quid & tamen neque terminatur ad formam accidentalem, neque ad formam substantialem completam: ergo diuisio, non est recte assignata, aut non est adæquata. Duplex est solutio, Bañesius enim vbi supra q. 1. concluf. 2. respondet generationẽ secundũ quid subdiuidendã esse in mutationẽ quæ est generatio accidentis, & in mutationem quæ est generatio substantiæ partialis. Flandrens. vero in articulo secundo, paulo ante allegato, ait dupliceme esse diuisionem generationis, alterã in generationem simpliciter, & secundum quid: eius membra sunt generatio ad formã substantialem completam, & generatio ad accidens terminata, alteram vero diuisionem esse generationis in illam quæ est generatio perse, ideſt, totius cõpositi substantialis, & in generationem per accidens, ideſt, quæ est ad partem, vel ad accidens compositi terminatur, sed vtraque potest conciliari si dicamus duas esse diuisiones, quoadmodum, hoc est, diuersimode ex eisdem membris coordinatas, sed secundum rem, eandem esse, eo quod primum membrum vnius cum primo alterius, & secundum cum secundo coincidunt, generatio enim simpliciter eadem est cum generatione perse diuersis nominibus explicata, ex diuersis nominibus termini ad quem desumptis, qui & ens perse, & ens simpliciter appellatur, similiter generatio secundum quid vtramque, & partialis substantiæ, & accidẽtis generationem complectitur.

Error antiquorũ Philosophorum circa generationem.

2 Dico tertio generatio simpliciter dicta possibilis est in rerũ natura. Hæc conclusio ostenditur à Philosopho lib. 1. de ortu, & interitu c. 1. & 3. aduersus Empedoclem, & alios antiquos Philosophos, qui in omni generatione manere idẽ subiectũ cõpletum sub vtroque termino existimãtes, omnẽ generationẽ esse dũtaxat alterationem iudicabãt. Et ratio Philosophi hæc; nã si nulla esset generatio simpliciter nulla esset alteratio: cõsequẽs est cõtra experientiã etiã ab aduersarijs admissam: ergo & antecedens, sequela probatur: nam cessante fine cessare debent media ad illum ordinata; sed alteratio ordinatur ad generationem substantialem, vt medium ad finem; quod quidem de alteratione quæ fit cum expulsione contrarij, debet intelligi; nam illuminatio quæ fit absque expulsione contrarij, & similiter productio specierum intentionalium ad nullius substantiæ generationem ordinantur; bene tamen omnis alia alteratio, eo quod vel fit inter qualitates immediate actiuas, vt sunt caliditas, & frigiditas, & aliæ primæ qualitates: & tunc ordinatur ad disponendum materiam, & illam â contrarijs dispositionibus expoliandũ ne forma substan-

tialis in materiam indispositam introducatur, vel fit inter secundas qualitates, quæ per se non sunt actiuæ, & tunc licet non ordinetur ad tribuendum materiæ dispositiones ad formæ introductionem necessarias, ordinatur tamen ad introducendum dispositiones, quibus forma substantialis exornetur, & debito modo conseruetur, quo pacto productio coloris, & saporis ad generationem substantialem ordinatur. Confirmatur prædicta ratio, nam generationem substantialem semper præcedit aliqua alteratio, illamque semper hæc concomitatur, sed natura non agit à casu, sed propter finem, vt docemur lib. 2. Physicorum cap. 5. & omnes mutationes naturales sunt inter se ordinatæ, vt docet Philosophus lib. 2. de ortu, & interitu textu 56. & 57. ergo cum generatio, & alteratio semper se concomitentur, & vna aliam præcedat, aut illa ordinatur ad hanc, aut hæc ad illam: & cum primum non sit, admittendum: secundum est rursus tunc media sunt impossibilia quando finis, vbi, quando, & in quo debuerat assequi est impossibilis, vt eleganter explicat Caiet. 3. p. quæst. 9. ar. 4. & Bañesius vbi supra cap. 3. dub. 1. in solutione ad secundum: qua ratione non est frustranea grauitas in grauibus, licet existētia in concreto nequeat omnibus simul conuenire, quia hic finis non est debitus eis simul, sed singulis seorsum, neque intellectus habet frustraneum appetitum ad scire, licet adeptio omnium scientiarum simul sit ei impossibilis, quia non datur illi huiusmodi appetitus ad omnes simul, sed ad singulas seorsum scientias acquirendas, at si existente alteratione in illo gradu in quo esset vltima dispositio ad formæ substantialis introductionem non esset possibilis illius generatio, esset finis alterationis impossibilis quando vbi, & in quo debebat consequi & poni in esse, ac perconsequens alteratio deberet esse impossibilis alioquin frustraneū medium omnino esset. Secundo principaliter probatur conclusio; nam datur in rebus generabilibus, & corruptibilibus appetitus naturalis ad sui esse conseruationem, & cum illud non possent perpetuo conseruare in seipsis, quia corruptibiles appetunt illud cō seruare in productione sibi similium indiuiduorum, sed appetitus naturalis non est factus à natura frustra, vt docet Philosophus tertio de anima tex. 60. & esset frustraneus si generatio substantialis quādo & vbi oportet, non esset possibilis, vt dictū est. Neque terminatur ad impossibile, vt docemur primo de cœlo tex. 31. ergo possibilis est substantialis generatio. Maior probatur, nam propterea omne agens appetit generare sibi simile, vt in sibi consimili indiuiduo conseruetur, vt habet Aristotel. 2. de Anima tex. 34. & propterea ignis alterat per dispositiones præuias lignum teste eodem Aristotel. 1. de ortu, & interitu tex. 51. vt assimilet sibi passum producendo in illo alterum ignem sibi similem, quod de omni agente naturali habet verum. Rursus nam hac ratione docet D. Thom. in 4. distinctione 26. quæst. prima, art. 1. matrimoniū esse naturale homini tanquam terminum appetitus naturalis, quo homo appetit suum esse, & eius perpetuam conseruationem, quia ordinatur ad debitam filiorum procreationem per quam species humana conseruatur, & generans etsi non secundum proprium indiuiduum, saltem secundum speciem conseruat suum esse: ergo. Tertio nam omnipotentiæ passiuæ correspondet actiua eiusdem ordinis, quæ illam possit reducere de potentia ad actum, ne illa sit frustranea in natura; Sed datur potentia passiua ad recipiendam vnam formam substantialem, & aliam amittendam: ergo datur actiua, quæ ad vnius introductionem, & alterius expulsionem valeat concurrere, & consequenter tam generatio, quam substantialis corruptio sunt possibiles. Minor patet, nam in his sublunaribus datur materia prima, quæ est pura potentia omnium formarum receptiua, & quia nulla inamissibiliter recipitur in ea, quandoque vnam, quandoque alteram recipit, vnde vnius corruptionem, & alterius substantiæ generationem quotidie experimur. Confirmatur, nam in morte hominis, materia ammittit formam substantialem, scilicet animam rationalem, & nequit manere sine aliqua forma substantiali vt infra docemus: ergo alia forma substantialis de nouo introducitur, cuius introductio erit noua substantialis compositi generatio. Vltimo probatur conclusio hac ratione quæ ex dictis colligitur, generatio simpliciter est illa quam diffiniimus esse mutationem de non esse ad esse simpliciter, siue productionem entis substantialis ex præsupposito subiecto: sed hæc est possibilis, vt ex alteratione ad ipsam ordinata, ex appetitu naturali ad sui esse conseruationem, & ex conditione materiæ primæ, quæ omnes formas appetit, & illas amissibiliter recipit, constat: ergo.

Satisfit quibusdā argumētis.

3 Sed arguitur contra primā: nam generatio de qua Philosophus, hic agit est actio per quā producitur aliquid cuiuscūque prædicamēti, siue substantiæ, siue qalitatis, siue quan-

quantitatis: ergo non eſt mutatio de nō eſſe ad eſſe ſubſtantiale. Antecedens probatur ex eo, quod habet Philoſophus hic cap. 6. dicēs in hæc verba; *omnia vero quæ fiunt ab aliquo fiunt, & ex aliquo, aliquid, hoc autem aliquid dico ſecundum quamlibet cathegoriam, aut enim hoc aliquid, aut quantum, aut quale, aut quando.* Reſpondetur quod Philoſophus prius verba facit de generatione in tota ſua latitudine, illamque diuidit, vt iam diximus, vt magis generationem ſimpliciter patefaciat ex operatione ad alias generationes ſecundum quid. Confirmatur Methaphyſicæ conſideratio perſe primo de ſubſtantia, & de accidentibus ſecundario, atque in ordine ad ſubſtantiam contemplatur, ita de generatione ſubſtantiali perſe primo, & propter ſe tractat hic liber de generatione vero accidētali ſecundario, obiter dumtaxat, & propter ſubſtantialis generationis naturam declarandam. Secundo arguitur aduerſus ſecundam concluſionem: alteratio nullatenus eſt generatio cum ſit motus prorſus à generatione condiſtinctus, quæ ſolum mutatio eſt, ſed ſi generatio ad qualitatem terminata eſſet generatio ſecundum quid, iam alteratio eſſet inferior ad generationem, vt ſic: ergo non eſt, dicendum dari generationem ſecundum quid, quæ ad formam accidentalem terminatur. Minor patet, quia alteratio nihil aliud eſt quam productio qualitatis, eſt enim motus ad qualitatē terminatus. Propter hoc argumentum duplex eſt modus dicendi: primus fuit quorundam aſſerentium generationem ſimpliciter diſtingui ab alteratione: generationem vero ſecundum quid eo incidere poſſe cum illa, v. g. in productione qualitatis. Hunc ſequuti fuere Maſil. lib. 1. de generatione, & corruptione quæſt. 3. & Albertus de Saxonia ibidem quæſt. 2. Secundus aſſerit omnem generationem diſtingui eſſētialiter ab alteratione proprie dicta: quē tuentur D. Thom. quæſt. 28. de veritate art. 1. Capreolus in 2. diſtinct. 17. quæſt. 3. ad argumenta contra ſecundam & Bañes vbi ſupra capit. 4. quæſt. 1. concluſione 2. quibus ſubſcribunt Conimbricenſ. ibidem quæſt. 1. art. 2. & horum ſententia nobis probanda eſt: tum quia pro ſe habet Angelicum Doctorem; tum quia rationibus fulcitur. Prima eſt, nam generatio albedinis, v. g. eſt inter terminos diuerſos ab illis inter quos eſt motus ad albedinem quod eſt alteratio: ſed ex diuerſitate horum ſumitur diſtinctio mutationum: ergo. Maior patet, quia generatio eſt à non albo ad album, motus vero eſt à nigro ad album, illa inter terminos priuatiue oppoſitos, & hac inter terminos contrarios. Quod ſi dicas vtriuſque terminum ad quem eſſe eūdem, ſiquidem eſt albedo, à termino autem ad quem, ſumitur vnitas mutationis. Contra hoc eſt ſecunda ratio: nā vbi terminus à quo, & modus tendendi eſt diuerſus etiam terminus ad quem formaliter eſt diuerſus licet materialiter, & entitati ue ſit idem, eo quod modus ipſe tendendi diuerſus, & habitudo ad terminum à quo refunditur in terminū ad quem, & illū diuerſificat; ſed in noſtro caſu terminus à quo generationis, & alterationis, habitudo ad illū, & modus tendendi ſunt diuerſa: ergo & terminus ad quē formaliter, & in ratione terminandi eſt diuerſus, quia eſt eadem albedo, vt ſubeſt diuerſo modo terminandi ſui productionē. Confirmatur, nam ex hac differentia primordiali oriuntur aliæ duæ, ſcilicet, quod generatio eſt inſtantanea, & alteratio eſt ſucceſſiua, eo quod illa eſt mutatio; hæc vero eſt motus. Rurſus illa fit in fine alterationis quando eſt verū dicere, nunc eſt albedo producta, alteratio vero incipit extrinſece per vltimum ſui non eſſe; vnde omnem generationem præcedit alteratio, non vero alterationē debet præcedere alia alteratio: ergo quo ad entitates, & modos tendendi eſſencialiter diſtinguuntur. Tertio arguitur cōtra tertiā, nam implicat dari vnū, & idē ſubiectum manens ſub vtroque termino generationis ſubſtantialis: ergo impoſsibilis eſt talis generatio, antecedens probatur, quia ſola materia manet ſub vtroque termino: ſed hæc [illegible] eſſe ſubiectū generationis, eo quod generatio eſt accidens de prædicamēto actionis; hac proinde petit ſubiectum in actu, & quia eſt actus ſecūdus: ſupponit actum primū ſubſtātialem, per quem res eſt ens in actu; & quia ſubiectū quod tranſmutatur ab vna in alterā formam, debet contingi ab agente vt docet Ariſtotel. 7. Phyſicorum tex. 8. quod agens debet cōtactu virtutis tāgere mobile: igitur debet eſſe ens actu: conſequētia vero prima probatur, quia omnis tranſmutatio debet habere vnum ſubiectum, qua ratione Philoſophus primo de generatione cap. primo, confutat antiquos, qui ponebant plura principia naturalia inferendo contra eos quod non eſſet poſsibilis generatio ex defectu vnius ſubiecti. Circa materiam huius argumenti eſt triplex modus dicendi. Primus Abicembron. in lib. Fontiſuitæ, & Auicenæ in libro ſuæ ſufficientiæ, & Alberti Magni lib. 1. de generatione tractatu ſecundo cap. ſexto, atque illorum omnium qui ponunt formam corporeitatis coæuam materiæ, aſſerentium ſubiectum proximum, cui inhæret generatio, & corruptio

eſſe compoſitum ex materia prima, & huiuſmodi forma corporeitatis, quod quidem licet non ſit materia primo prima, hæc enim eſt prima per carentiam omnis formæ, eſt materia ſecundo prima, per carentiam formæ ſpecificæ introducendæ.

4 Secũdus modus eſt Coimbricenſ. lib. 1. de generatione cap. 4. q. 1. artic. 2. & quæſt. 4. artic. 2. & Suarez tom. 1. Methaphyſicæ diſputatione 14. ſect. 3. aſſerentium ſubiectum proximum ſiue *quo*, inhæſionis, omnium accidentium materialium, & præſertim generationis, atque corruptionis eſſe materiam primam ſe ſola; ſubiectum vero *quod* ſiue denominationis eſſe ipſum ſuppoſitum: quia ſuppoſitum eſt, quod denominatur genitum, ac corruptum, ac proinde quod mediante materia recipit in ſe generationem, atque corruptionem. Huic ſententiæ fauet Caietan. in 3. p. quæſt. 35. art. 1. quinimo illum in hac fuiſſe ſententia teſtatur Bañeſius cap. 4. de generatione, q. 11. ſed reuera Caiet. meo videri, neque ex propria ſentẽtia, neque aſſertiue loquitur: nam explicans ibi ſubiectum natiuitatis eſſe duplex, alterum denominationis, & alterum proximum ſiue inhæſionis. Vtrumque diſtinctionis mẽbrũ exẽplis manifeſtaturus, pro manifeſtatione huius ſecundi, ait, ſicut motus ſiue mutatio eſt in mobili, & generatio in materia prima, ecce Caietanum obiter, & exempli gratia aſſerentem generationem ſubiectari in materia prima, ac proinde non aſſertiue id aſſerentem, qui enim vtitur exẽplis, non tenetur vti exemplis certis, & indubitatis apud omnes Authores, ſed ei licet falſa aliquando exempla intermiſcere veris ſeu cadentia ſub dubio, eo quod exemplorum non requiritur veritas. Vnde licet admittam Caietan. huic fauere ſententiæ, numquam tamen admittam, ipſum illam aſſeruiſſe. Tertius tandem modus dicendi aſſerit materiam primam non eſſe ſubiectum inhęſionis, in quo ſubiectatur generatio, ſed huiuſmodi ſubiectum eſſe compoſitum ex materia, & forma quod generatur, aut corrumpitur, materiam vero eſſe ſubiectum veluti radicale, & remotum, atque in quo exercetur generatio. Hunc ſequuntur communiter diſcipuli Doctoris Angelici, inter quos videndi ſunt *Bañeſius*, quæſt. citata, & Flandrenſis in hoc 7. quæſt. 12. art. 1. in corpore, & in ſolutione, ad ſecũdum. Et hic à nobis, vt verus approbatur, ſupponendo duo. Primum eſt ſubiectum generationis, atque corruptionis eſſe triplex, aliud *quod* ſiue denominationis, quia genitum vel corruptũ denominatur, aliud eſſe ſubiectum inhæſionis, cui ſcilicet, inhæret generatio & corruptio, & aliud eſſe ſubiectum, quod mutatur ex vi generationis, & corruptionis, & tranſit ab vno ad alterũ terminum mutationis, hoc poſſumus appellare ſubiectum in quo exercetur generatio, atque corruptio. Secundũ eſt materiam primam nullam quantitatem, aut formam corporeitatis coæuam habere, ſed in corruptione ſubſtantiali fieri reſolutionem vſque ad ipſam materiam primo primam, hoc eſt, vſque ad illam nude ſumptam, & expertem totius Phyſicæ actualitatis; hoc ex dicendis vt certum ſupponimus. His ſuppoſitis, dico materiam primam non eſſe ſubiectum generationis, & corruptionis primo, aut ſecundo modo, bene tamen tertio modo. Prima pars probatur, quia ſubiectum denominationis eſt illud quod dicitur genitum, aut corruptum, ſed neque materia dicitur genita, neque dicitur corrupta, ſed ipſum compoſitum eſt quod generatur, & corrumpitur: ergo ſuppoſitum, & non materia eſt ſubiectum denominationis. Secunda pars probatur primo: nam nullum accidens ſubiectatur immediate in materia, præſertim ſi ſit realiter entitatiue diſtinctum ab illa, ſed generatio, & corruptio ſunt accidentia, & aliàs realiter diſtinguuntur à materia prima, quia identificantur cum ſuo termino, ſcilicet generatio cum genito, & corruptio cum compoſito corrupto, quod à materia diſtinguitur realiter entitatiue ratione formæ: ergo neque generatio neque corruptio immediate ſubiectantur in materia prima. Tertio vel generatio ſubiectaretur in ſola materia nude ſumpta, vel in materia aſociata alicui formæ ſubſtãtiali, neutrũ dici poteſt, nõ primũ, quia materia nude ſumpta eſt pura potẽtia, & ideo incapax ad recipiendũ actũ accidentalẽ abſque actu formæ ſubſtãtialis: non ſecundũ: nã in generatione vnius, & corruptione alterius fit reſolutio vſque ad materiã ipſam nude ſumptã, & ideo nulla forma manet ſub vtroque termino, vt in ſecundo notabili ſuppoſuimus: ergo. Quarto, quia ſi generatio inhæreret materiæ primæ, reuera illã denominaret genitã, cõſequẽs autẽ eſt falſum, & cõtra primã partẽ huius noſtræ aſſertionis ſatis demõſtratã: ergo & antecedens, ſequela probatur, nã ſubiectũ motus, ſiue mutationis eſt id quod ſuſcipit eius denominationẽ, ſicut ſubiectũ alterationis eſt id, quod perſe alteratur, & ſubiectũ motus localis eſt locatum: ergo etiam ſubiectum generationis dicetur generatum. Tertia pars probatur, nam ſubiectum in quo exercetur generatio, ſiue corruptio formæ ſubſtãtialis eſt illud, quod manet ſub

vtro-

vtroque termino, sed materia prima est quæ manet sub vtroque termino generationis, & corruptionis: ergo ipsa est subiectum in quo huiusmodi mutationes exercentur, maior patet, quia illud est subiectum hoc tertio modo, quod mutatur de vna forma in aliam, & hoc est quod manet sub vtroque termino, aliter, & aliter se habes. Minor vero probatur, nam cum in corruptione substãtiali fiat resolutio vsque ad materiam primã, sola hæc manet sub vtroque termino. Confirmatur primo, nã teste Philosopho 5. Physicorum tex. 8. & lib 1. de ortu, & interitu cap. 3. cui D. Thom. super eisdem locis subscribit, hoc versatur discrimen inter generationem, & alios motus quod illius subiectum debet esse ens in potentia, vel materia prima, horum autem subiectum debet esse ens in actu, ideſt, compositum ex materia, & forma, quod sic debet intelligi, quod alij motus fiunt in subiecto includente formam: generatio vero fit in subiecto nullam formam includenti, quod est materia prima, vel ratione terminorũ debet verificari, illius enim terminis immediate subsłat materia, secus vero terminis aliorum motuum. Confirmatur secundo quoniã apud Philosophũ multoties appellatur prima subiectum generationis substantialis, vt videri potest apud illum primo Methaphysicorum tex. 71. & 1. de ortu, & interitu cap. 3. & 4. sed nequit verificari de subiecto primo, & secũdo modo: ergo debet verificari de subiecto generationis, in hac tertia acceptione ad eum sensum, quo asserit 5. Physicorum cap. 1. subiectum motus esse id, quod mouetur, ideſt, in quo fit motus, nam materia est, quæ mutatur, & in qua fit generationis siue corruptionis mutatio. Quod si dicas pariter posse dici propter hanc rationem, materiam primam subiectum alterationis, augmentationis, & aliorum motuum, quia omnes fiunt in mobili, secundum quod est in potentia, & in omnibus etiam materia mutatur de vno termino in alium, ac perconsequens non esse speciali iure subiectum generationis, & corruptionis. Neganda est sequela. Nam materia prima est maxime, & specialissime subiectum generationis, & corruptionis, eo quod immediate subsłat formis substantialibus, quæ aduenium, & recedunt per generationem, atque corruptionem substantialẽ, & cum quibus identificatur entitatiue. Alij autem motus terminantur ad formas accidentales, quibus materia prima subsłat mediate, & radicaliter, quatenus est radix potentialitatis compositi, quod subsłat mediate illis. Vnde quia materia prima est subiectum immediatum formarum substantialiũ ad quas terminatur generatio, & corruptio, & formarũ accidentalium, ad quas sunt alij motus, non est immediatum, sed mediatum subiectum ideo speciali ratione, materia prima subiectum generationis, & corruptionis nuncupatur, quæ nequit dici subiectum aliorum motuum nisi minus proprie, & cum addito, nempe subiectum mediatum, aut remotum, absolute tamen, & simpliciter dicitur subiectum generationis, & corruptionis substantialis, siquidem harũ termini immediate in materia subiectantur, imo nullum aliud subiectum præsupponunt, vnde, & trã situs ab vno in alterum, qui est mutatio substantialis mediate exercetur in materia prima, quæ priuationi antiquæ, & informationi nouæ subest immediate.

5 Ex hucusque dictis, manent sufficienter alij duo modi dicendi confutati, & solutum tertium argumentum: nam eius antecedens esse falsum constat ex dictis, sufficit, enim ad saluandã generationis, & corruptionis mutationem manere sub vtroque termino, vnum & idem subiectum non inhæsionis, sed in quo fiat exercitium mutationis, & quod denominatur mutatum, & hoc est materia prima. Ad primam, & secundam probationem dico quod solum conuincunt materiam non esse subiectum inhæsionis quod nos ingenue fatemur. Ad tertium fateor subiectum, ad quod terminatur contactus agentis, ens debere esse in actu, & ideo ad materiam nude sumptam non posse terminari contactum agentis naturalis, sed ad compositum ex materia, & forma, quod iam exitit in instanti generationis substantialis, cuius terminus incipit per primum sui esse, si autem de contactu qui fit per alterationem præuiam ad generationẽ substantialem fiat termo: dico quod terminatur ad corruptum, quod toto illo tempore adhuc exitebat. Dices, generatio denominat materiam primam mutatam licet non genitam: ergo, vt mutatio inhæret illi, quia nequit tribuere, vt sic denominationem, nisi subiecto, cui inhæret, vt mutatio, sicut nequit tribuere denominationem geniti nisi subiecto, cui intrinsece inhæret, vt generatio. Sed facile respondetur, quod denominatio mutati duplex est. Alia prouenies à formali mutatione, & hoc in generatione, est denominatio geniti. Alia prouenies à formã adueniente permutationem, & hæc denominatur materia prima mutata, quia ex vi formæ, cui de nouo subest, mutatur. Vnde falso Coimbricenses vbi supra quæst. 9. artic. primo, & 2.

dicunt materiam denominari mutatam formaliter à generatione, ſecundum gradum genericum, nam generatio eſt mutatio talis in tali ſpecie conſtituta, & gradus genericus mutationis eſt in illa conſtitutus: ergo nequit ſecundum illum tribuere denominationem cum præciſione gradus ſpecifici. Rurſus ſubiectum denominatum ab albedine eſt album, quia cum albedo ſit forma indiuiſibilis, aut totam eius eſſentiã, aut nihil illius participatur à ſubiecto: ergo eadem ratione ſubiectum denominatum à generatione erit genitum, & ſic materia prima erit genita. Denique, vel illa denominatio mutationis quam generatio tribuit materiæ eſt communis abſtracta ab omni ſpecifica differentia mutationis, & hæc eſſet chimæra Platonis, vel eſt ſpecifica ratio mutationis, ſeu mutati eſſe contrahens gradum genericum, & tunc aſsignanda eſt hæc ſpecies, & nulla alia inuenietur niſi genitum eſſe: ergo materia prima erit genita quod ipſi negant. Dicẽdum igitur eſt quod ſicut generatio formaliter, nõ denominat materiam primam quoad ſpecificum gradum, ita neque quo ad genericum, quia quo ad neutrum illi inhæret. Quarto arguitur aduerſus definitionem generationis à nobis aſsignatam, nam ex illa ſequuntur duo ſcilicet, verſari in terminos priuatiue oppoſitos, eſſe, & non eſſe, & eius terminum formalem ad quem, eſſe exiſtentiam, quæ ambo ſunt falſa: ergo & definitio non eſt exacta, minor oſtenditur, nam generatio ignis ex ligno verſatur inter formam ligni, quam excludit, & formam ignis quam introducit, qui ſunt termini poſitiui, quod adhuc manifeſtatur, nam omnis generatio eſt conuerſio formarum, ſed termini conuerſionis ſunt poſitiui: ergo. Deinde terminus formalis ad quẽ eſt forma, dicente Philoſopho lib. 2. Phiſicorum cap. 8. quod forma eſt finis generationis, ideſt, terminus ad quem: ergo non eſt actus eſſendi. Propter hoc argumentum Coimbricenſes fatentur duo quæ mihi falſa videntur. Primum ſcilicet in omni generatione admiſceri concomitanter rationem conuerſionis formarum, quæ vt ſic petit terminos poſitiuos, & terminum formalem generationis eſſe exiſtentiam. Primum dictum habent vbi ſupra quæſt. 11. art. 2. Secundum autem quæſt. 8. art. 2. horum falſitas probatur, nam aliàs in omni generatione includerentur duæ actiones productiuæ formaliter diſtinctæ. Altera generatiua, & altera conuerſiua vnius formæ in alteram, conſequens autem eſt falſum, non enim requiruntur duæ actiones, vbi vna ſufficit ſe ſola producere formam: ergo & quia aliàs inſufficienter Philoſophus 5. Phyſicorum, & 11. huius numeraſſet ſpecies motus ſiquidem numerans ſex ſpecies nullam mentionem fecit naturalis conuerſionis, quod tamen dicendum non eſt. Quod autem dicunt Coimbricenſes in omni generatione reperiri conditiones quinque conſtitutiuas conuerſionis, ſcilicet deſitionem rei conuerſæ, & nouitatem ſaltem quoadmodum illius, in quod fit conuerſio, & terminos poſitiuos, connexionem, & dependentiam inter deſitionem vnius, & alterius ſucceſsionem, ac idem ſubiectum manens ſub vtroque termino. Reſpondetur has conditiones non conſtituere conuerſionem proprie, ſed large, quæ eſt generatio. Nam conuerſio, ſiue totius, ſiue formarum vltra has conditiones requirit, quod ex vi eiuſdem mutationis ſiue actionis, vterque terminus attingatur, ita vt deſtructio vnius, & poſitio alterius ex vi eiuſdem actionis fiat, ſicut ex vi eiuſdem transſubſtantiationis fit deſtructio panis, & poſitio corporis Chriſti ſub ſacramentalibus ſpeciebus, & ex vi eiuſdem actionis fuit facta à Chriſto Domino in Nuptijs Galileæ deſtructio aquæ, & productio vini, at in generatione ignis, ex ligno, & ſimilibus, excluſio formæ ligni fit ex vi corruptionis, productio autem formæ ignis fit ex vi generationis quæ diuerſæ mutationes, & actiones ſunt. Aliud quoque inuenitur diſcrimen quod conuerſio nullas exigit diſpoſitiones ex ſua natura, quas tamen petit naturalis generatio, vt ſuauiter antiquam formam excludat, & nouam introducat, vnde exiſtimo conuerſionem proprie dictam ab agẽte naturali de lege ordinaria fieri nõ poſſe, & ſi omnis generatio abuſiue cõuerſio formarum nuncupatur. Deinde quo ad alterum dictum probatur falſitas duplici ter: primo abſolute, quia terminus formalis ad quem, generationis eſt forma conſtituens terminum totalem, *qui*, & quo genitum aſſimilatur in natura generati, & qui eſt finis generationis, ſed huiuſmodi terminus eſt forma ſubſtantialis: ergo. Secundo ad hominem: nam ipſi Coimbricenſes quæſt. 13. artic. 2. fatentur cum Cajetan. 1. p. quæſt. 18. articul. 2. generationem eſſe actionem vnitiuam attingentem vnionem animæ, ſiue formæ ſubſtantialis ad corpus, ex quo ſic argumentor: terminus formalis actionis vnitiuæ eſt id, quod vnit, ſeu quod attingit vt vnitiua, ſed generatio attingit primo, & perſe formam ſubſtantialem vt vnitam: ergo hæc eſt eius terminus formalis, exiſtentia vero erit termini formalis conditio,

tio, & complementum, vt ex infra dicendis constabit lib. 8. quæstione prima. Ad formam igitur argumenti concedo sequelæ primam partem, sed nego eius secundam partem, nam per esse, quando generatio dicitur mutatio de non esse, intelligitur esse radicale, quod est forma substantialis, siue intelligitur esse formale essentiæ quod est idem cum forma substantiali.

ARTICVLVS II.

An in viuentibus generatio sit origo viuentis à viuente cõiuncto in similitudine naturæ.

Quid alij senserint circa diffinitionem generationis viuentiũ

6 IN hoc art. tres versantur sententiæ prima negat hanc esse legitimam generationis viuentium deffinitionem, hanc tuentur Durandus in 1. dist. 4. quæst. 1. & d. 6. quæst. 2. & maior ibidem dist. 15. quæst. vnica, quorum alter sic diffinit generationem viuentium. Generatio est accipere esse, & naturam ab alio modo naturali. Alter vero sic. Generatio est productio, non de nihilo alicuius viuentis cognoscentis ab aliquo eiusdem naturæ, numero, vel specie. Huic deffinitioni Maioris ex parte consentiunt Coimbricenses vbi supra quæst. 10. art. 1. Molina 1. part. quæst. 3. art. 2. §. *aduerterim*, & Bazquez ibidem disp. 113. cap. 1. num. 6. quatenus asserunt positam deffinitionem in titulo articuli propositam esse communissimam viuentium omnium generationis, & ineptam, ad explicandam diuini Verbi æternam generationem: propriam autem, & specialem generationis vitalis deffinitionem quæ generationi diuini verbi conuenit, & adaptatur, esse hanc asignatam à Maiore, & ab Almaino in 3. dist. 8. quæst. 1. in qua genus non est origo viuentis vt sic, sed origo viuentis cognoscentis, &c. Secunda sententia est aliorum asserentium prædictam deffinitionem à nobis asignatam exactam esse, cum illa particula, *ex vi talis processionis*, secus verò sine illa. Hanc tribuit Vazquez vbi supra cap. 6. Caietano, sed falsum illi imponit testimonium à quo manifestissime Caietanus potest vindicari: nam in tribus locis in quibus de generationis deffinitione verba fecit, hoc est, in quæst. 27. art. 2. & art. 4. & quæst. 35. artic. 2. eorum in nullo docet talem particulam, *ex vi talis processionis*, esse deffinitioni generationis adijciendam, sed solum excludit processionem Spiritus Sancti à ratione generationis, quia non terminatur ad simile ex propria, & intranea differentia sicut processio verbi ex proprijs habet terminari ad simile, falsa igitur est Gabrielis Vazquez impositio, communiter tamen hæc sententia sustineri solet à neotericis Theologis qui de effectu huius particulæ solum excludunt processionem Spiritus Sancti à ratione generationis, illamque tenent Coimbricenses quæst. 10. art. 2.

Quid D. Thom. ac eius discipuli.

Tertia sententia asserit prædictam diffinitionem vt iacet absque aliquo alio addito exactam esse, & per eam congruenter propriam viuentium generationem explicari, quæ non cognoscentibus, & cognoscentibus communis est, & in diuini Verbi processione saluatur secundum analogam quandam conuenientiam, ita docent quicumque prædictam deffinitionem vt exactam admittunt, ad diuinam generationem declarandam quorum Princeps fuit D. Tho. 1. part. quæst. 27. art. 2. & 4. contra gentes, cap. 11. & in hoc 7. lect. 8. cui consentiunt Gabriel in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 1. Caietanus, & Bañesius ibidem Ferrariens. cap. 11. iam citato §. *considerandum secundo*, Torres in commentario dict. art. 2. quæst. 27. Aureolus in 1. dist. 9. art. 2. §. vltimo, & Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 1. num. 4. in explicatione tamen illius variant prædicti authores, vt ex argumentorum solutionibus constabit.

7 Respondeo dicendum primo deffinitiones asignatas à Durando, & Maiore insufficientes esse ad generationem propriam viuentium declarandam. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & probatur, nam per illas non sufficienter excluduntur alia à deffinito: ergo insufficientes sunt, antecedens patet de prima, quia conuenit omni generationi naturali etiam non viuentium, ignis enim quando ab alio igne producitur, accipit ab illo esse, & naturam modo naturali. Rursus quando vermis generatur ex carne equi accipit ab illo esse, & naturam modo naturali: ergo per nullam particulam excluditur, quæ tamen productio excludenda erat, eo quod defficit illi similitudo in natura ad veram viuentis generationem requisita. De secunda vero probatur, nam per nullam illius particulam excluditur processio Spiritus Sancti quæ tamen nullatenus est dicenda generatio, etenim est productio personæ viuentis, & cognoscentis ab alia persona siue ab aliquo producente eiusdem naturæ numero. Rursus per illã excluditur aliqua generatio, non excludenda, scilicet, generatio muli ex equo, & asina, quia non est productio viuentis eiusdẽ naturæ numero aut specie,

& tamen vera generatio eſt: ergo etiam ex hoc capite redditur diffinitio maioris inſufficiens. Dico ſecundo abſque illa particula *ex vi talis proceſsionis*, declaratur ſufficienter propria viuẽtiũ generatio. Hæc cõcluſio probatur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ primo, nam prædicta deſſinitio quoad ſuas neceſſarias particulas colligitur ex teſtimonijs philoſophi relatis articulo præcedenti, & nullibi philoſophus talem particulam inſinuauit. Rurſus, D. Thom. qui noſtrã deſſinitionem approbat, & ea vtitur in locis citatis, ad diuinam generationem declarandam talis particulæ non meminit, meminiſſet autem ſi illam ad declarandam generationem diuini Verbi neceſſariam iudicaret, ſignum igitur euidens eſt neque Ariſtotelem, neque Angelicum Doctorem dictã particulam neceſſariam iudicaſſe. Secundo oſtẽditur nam hæc particula *ex vi talis proceſsionis*, nihil addit ſupra alias, niſi quod ex ſua eſſentia generatio producat ſimile, aut quod ex ſua efficacia, aut quod ſecundum ſuam formalem rationem, & in ordine ad ſuum terminum, ſed hoc ſatis in alijs particulis declaratur, nam cum in deſſinitione ponantur eſſentialia deſſiniti, dum dicitur in deſſinitione generationis quod eſt productio ſimilis, hoc denotatur quod eſſentialiter, & formaliter, ſiue ex ſua efficacia, & ratione formali terminetur ad ſimile, neque oportet ponere in deſſinitionibus in actu ſignato eſſe eſſentiale, aut formaliter conueniens diffinito id, per quod deſſinitur: ergo abſque tali particula ſufficienter relinquitur explicata eſſentia generationis. Tertio nam per illam particulam nihil de nouo excluditur quod ex vi aliarum non ſit excluſum, & ſi aliqua productio excluderetur, eſſet ſola productio Spiritus Sancti ad quam excludendam nouiores Theologi hanc particulam addiderunt. Sed hæc ſuffitienter excluditur per illam inſimilitudine naturæ: ergo omnino eſt ſuperflua dicta particula, *ex vi talis proceſsionis*, minor patet, nam dum dicitur quod generatio eſt productio ſimilis in natura denotatur quod debat terminari ad naturam hoc eſt ad id, quod habet rationem naturæ communicandum producto per quod ſatis ſuperque manet excluſſa productio Spiritus Sancti, eo quod illa non communicat id quod habet rationem naturæ ſed id quod habet rationem attributi, & proprietatis, veluti ad naturã diuinã conſequutæ ſcilicet ratione volitiui, & amoris, hoc eſt põderis, & inclinationis in rẽ amatã: ergo. Dico tertio propria generatio viuentium adæquatè ſalnatur in productione viuentis à viuente cõiuncto in ſimilitudine naturæ. Hæc aſſertio ſtatuitur pro authoribus tertiæ ſententiæ, & probatur primo, nam quidquid aliud additur huic deſſinitioni ſuperfluè additur, & contra mentes Ariſtotelis ac Doctoris Angelici, vt dictum eſt in prima, & ſecunda cõcluſione: ergo adæquate tota ratio generationis in illa ſaluatur. Secundo nam conſtat genere, & differẽtia, genere quidem quia dicitur productio ſiue origo, in quo cum productione in animatorum conuenit, differẽtia vero quia per cæteras particulas explicatur eius à reliquis diſtinctiuum, nam per illã *viuentis* excluditur generatio partium, & capillorum atque humorum in animali quæ non ſunt viuentia cõpleta, denotatur, enim quod debet generatio verſari inter duo ſuppoſita viuentia dum dicitur origo viuentis à viuẽte. Per hoc quod dicitur à *viuente coniuncto*, denotatur quod debet eſſe à principio actiuo ſimul, & paſsiuo coniuncto ſaltem in principio generationis, deffectu cuius excluduntur productio animalium ex putrefactione virtute cœli facta, & productio plantæ à terra, virtute ſolis, & formatio Euæ ex coſta Adami, productio quidem animalium, & plantarum ex terræ putrefactione quia licet ſit à principio effectiuo viuente ſcilicet ab intelligentia motrice mediante corpore cœleſti, non tamen eſt à principio proximo, & coniuncto, productio autem Euæ ex coſta Adami quia licet fuerit à principio coniuncto actiuo: Adamus tamen in tali formatione, non præbuit cõcurſum actiuũ, denique per hoc quod dicitur in ſimilitudinem naturæ excluditur productio vermis ex carne animalis, quia licet ſit viuentis à viuente coniuncto actiue, & paſsiue concurrente non tamen eſt productio ſimilis in natura ſpecifica, excluditur etiam proceſsio Spiritus Sancti, quia licet ſit viuentis à viuente coniuncto actiuo, non tamen eſt primaria communicatio naturæ vt dictum eſt.

Satisfit argumentis.

§ Sed ad maiorem huius concluſionis elucidationem, arguitur primo contra illam, nam philoſophus lib. de vita, & morte cap. 1. deffinit generationem viuentis eſſe deriuationem animæ vegetatricis in calore, quæ deffinitio lõge diuerſa eſt ab aſsignata, falſo igitur dicimus prædictam deſſinitionem colligi ex ipſo Ariſtotele. Rurſus hæc noſtra deffinitio non conuenit plantis in quibus tamen vera datur generatio, ſiquidem viuentia ſunt: ergo ſuſtinenda potius eſt illa deffinitio quæ per communicationem vitæ vegetatricis omnibus viuentibus cõmunis aſsignatur, maior patet, nam generatio, cui conuenit noſtra deffinitio eſt illa,

quæ

quæ fundat relationem patris, & filij hæc autem, est generatio cognoscentium, in hijs enim dumtaxat saluatur nomen Patris, & Filij teste D. Thom. 3. part. quæst. 32. art. 3. & cap. 3. ad Ephesios lect. quarta, & quia sola cognoscentium generatio est quæ analogatur cum diuina generatione, estque apta ad illam explicandam: ergo. Ad primam partem huius argumenti respondetur philosophum ibi tantum descripsisse generationem viuentium ex communissimo, & magis noto gradu vitæ, quod non abstat quominus in alijs locis quidditatiuam deffinitionem assignauerit. Respõdetur secundo, quod illa deffinitio cũ nostra facile potest conciliari, & ad illam reduci vt minus perfectam ad magis perfectam, nam per deriuationem animæ vegetatricis idem denotatur atque per originem viuentis à viuente, *in calore*, id est, mediante calore vitali qui est generationis instrumentum, ac proinde subintelligitur quod debet à viuente actiuo principali, & producente sibi simile quoad animam prouenire, sed quia hæc descriptio explicat imperfectionem generationis creatorum viuentium propriam à qua abstrahit nostra deffinitio, ideo hac vtuntur Theologi cum Doctore Sancto ad diuini verbi generationem declarandam. Ad secundam partem nego maiorem, nam generatio qua vna planta medio semine aliam generat, vere est origo viuentis à viuente coniuncto saltem in principio generationis, & similis in natura specifica, etenim semen plantæ generanti fuit coniunctum, & ab illo postea decisum ad generationem alterius plantæ eiusdem speciei concurrit. Ad probationem dico nostram deffinitionem conuenire generationi cuiuslibet viuentis siue in creati siue creati, vegetatiuæ tantum vel etiam sensitiuæ gradu vitæ gaudentis, quia explicat gradum vitæ vt sic omnibus communem. Ad id autem quod subditur in probatione quod in solis cognoscentibus saluatur paternitas, & filiatio. Respõdetur id verum esse quia vt D. Thom. in locis ibi allegatis aduertit filiatio, & paternitas non sequuntur ad quamcumque generationem viuentium, sed solum ad illam quæ est viuentium perfectorum, connotant enim istæ relationes ex parte subiecti cognitionem, & amorem generantis ad genitum, & ecõtra: amor autem, & cognitio in solis cognoscentibus reperiuntur, sed ex hoc non recte inferunt Conimbricenses Molina, & Vazquez cum suo Maiore, & Almaino vbi supra, quod sola generatio cognoscentium debuit deffiniri, & quod huius generationis deffinitio fuit intenta à D. Thom. ac tandem quod aptior esset hæc deffinitio, *est origo viuentis cognoscentis, &c.* ad generationem diuinam declarandam, nam cum omnium viuentium creatorum generationes conueniant vniuoce in ratione generationis, & analogentur cum generatione diuina, deffinitio debuit explicare id quod commune est generationibus omnium viuẽtium creatorum, & quod analogice conuenit generationi diuini verbi, hoc autem explicatur per originem viuentis cognoscentis, quia sic, non explicatur ratio generationis conuenientis his quæ sola vegetatiua vita gaudent. Rursus generatio illa cognoscẽtium quæ apta est fundare relationes Patris, & Filij non innotescit nobis quoad suum gradum differentialem nisi â posteriori per subiectum, aut relationes consequutas, & cõnotatas vnde si definiretur per nomen cognoscentis, amoris aut filij vt prædicti authores contendunt, deffinitio, non esset quidditatiua, sed descriptiua, nam ratio cognoscẽtis, & amantis paternitas, & filiatio non sunt differentiæ per se generationis neque ad illam concurrunt vt principium, virtus, aut ratio agẽdi, aut vt terminus specificatiuus, sed dumtaxat sunt accidentales rationes ex parte subiecti requisitæ, & connotatæ, neq; virtus generatiua in homine est cognitio aut intellectiua potentia, neque anima vt cognoscitiua est principium generandi sed vt vegetatiua, ad quã vt sic consequitur potentia generatiua, neque nomina patris, & filij significant præcisse accidentia, & relationes proprias generantis, & geniti, sed potius significant accidentia quædam communia, vt amorem, Prælaturam, curam, dominium, & prouidentiam, quandoque Dominus, Prælatus, Prouisor, & habens curã siue tutelam de alijs cum amore patres nuncupantur, apropiantur tamen hæc nomina generanti, & genito in cognoscentibus, sicut nomen imaginis apropriatum est genito in cognoscentibus intellectualibus quod tamen latiorem habet significationem, cum ergo generatio propria cognoscentium non ita quidditatiue possit deffiniri, per additionem particulæ *cognoscentis aut amantis*, sicut generatio communis omnibus viuentibus congruum fuit vt D. Thom. illam ommitteret, & hanc deffiniret. Secundo arguitur, nam sequuntur ex nostra deffinitione fere omnia inconuenientia, quæ ex aliorum deffinitionibus sequi videbantur, sequitur namque primo generationem non esse, muli productionem, siquidem non est in similitune naturæ, est enim mulus effectus causæ equiuocæ, quæ nõ producit simile in natura dũ non

produ-

producit ſimile in ſpecie. Sequitur ſecundo formationem Euæ eſſe generationem, ſiquidem fuit origo viuentis â viuente in ſimilitudine naturæ, igitur neque noſtra deſſinitio ſubſtinenda eſt. Quod ſi dicas primum inconueniens non ſequi, quia ſufficit ſimilitudo in genere proximo. Cõtra, nam. D. Tho. in locis citatis ex 1. part. quæſt. 27. & ex 3. part. quæſt. 32. requirit ad generationẽ ſimilitudinem ſecundum gradum ſpecificũ. Rurſus ſi dicas ſecundũ inconueniens nõ ſequi, eo quod Eua, non fuit formata ex Adamo tanquam ex principio coniuncto actiue communicantem ſuam ſubſtantiam. Contra hoc eſt, nam ſequeretur quod productio qua Beata Virgo Chriſtum Dominum genuit ſecundum carnem, non fuiſſet vera generatio, quia concurſus maternus ſolus eſt paſſiuus vt docet D. Thom. 3. part. quæſt. 31. art. 5. ad 3. & quæſt. 32. art. 4. eſtque ſententia Ariſtotelis lib. 1. de generatione animalium ca. 20. conſequens autem eſt contra Catholicam fidem: ergo, & antecedens. Ad hoc argumentum reſpõdetur negando antecedens. Ad primum in conueniens Conimbricenſes loco proxime citato dicũt productionem muli ex aſina, & equo, vel ex equa, & aſino, non eſſe proprie generationem, quia non eſt ſimilis in ſpecie Athoma, vel eſſe imperfectam quandam generationem quia tendebat quantum ex parte generantis ad cauſandam ſpecificam ſimilitudinem, & propter impedimentum diuerſi ſeminis per accidens reſultauit tertia ſpecies diſtincta ab vtroque generante, adducuntque pro ſe Doctorem Angelicum aſſerentem generationem muli eſſe de ſecundaria intentione naturæ, id eſt, intentam â natura vniuerſali, præter intentionem naturæ particularis, equi ſcilicet atque aſinæ generantis. Fateor equidem Doctorem Sanctum id aſſeruiſſe multis in locis potiſsime in hoc 7. lectione 7. quæſt. 3. de veritate art. 8. ad vltimum, & quæſt. 3. de potentia art. 8. ad 16. ſed D. Thom. in his locis, non reddit pro ratione hanc ſecundariam intentionem ad aſſerendam illam muli productionem non eſſe generationem, neque aſſerit illam ideo eſſe generationem, quia deſficit ſimilitudo ſpecifica intenta tamen â natura particulari, vnde melius dicit Bañeſ. 1. de generatione cap. 1. in ſolutione ad ſecundum quod ſimilitudo in natura ſpecifica, non requiritur in omnibus generationibus viuentium intrinſece, ſed ponitur in deſſinitione vt neceſſaria in generationibus, nõ monſtruoſis quæ fiunt ex intentione naturæ particularis, & vniuerſalis. Vel ſecundo ſubdit Bañeſius quod per ſimilitudinem in natura debet accipi ſimilitudo ſiue in natura ſpecifica, ſiue in genere proximo, in quo cõueniunt mulus, aſinus, & equus. Alio quin generatio muli ex eis, non ſequeretur, dicendum, itaque eſt veram, & perfectam eſſe muli generationem, & ſi ſimilitudo, nõ ſit adeo perfecta, eſt tamen ſufficiens ad ſaluandam deſſinitionem generationis rigoroſe, quod mihi probatur, nam tam philoſophus in hoc 7. tex. 28. quam D. Thom. lectione 7. nobis atteſtantur, dũ dicunt dari genus quoddam inferius ad animal, & proxime ſuperius ad prædictas tres ſpecies ſcilicet muli, equi, & aſini, & hoc non alia ratione niſi vt ſaluentur productionem muli, vere eſſe viuentis generationem. Deinde quia mulus vere, & proprie eſt filius aſinæ, & equi, ſed generatio quæ fundat filiationem, eſt perfecta vt pote in ſolis cognoſcentibus habens locũ teſtante D. Tho. 3. part. quæſt. 32. ar. 3. quod etiam ipſi Conimbricenſes admittũt, ergo non ſibi conſtant dum hoc admiſſo negant mulum eſſe genitum vera, & rigoroſa generatione, quod autem nec ſufficiat intentio ſimilitudinis ſpecificæ, vt ex hoc capite dicatur generatio: patet, nam generatio non ſumit ſpeciem à ſimilitudine intenta ſed â ſimilitudine retenta, & poſita à parte rei, eo quod generatio à ſuo termino genito, & cui dat eſſe, & formam ſpecificatur, alias quando naſcitur ex fœmina monſtrũ omnis gradus vitæ ex pers eſſet generatio ſua, quia tale monſtrum ex intentione naturæ particularis futurum erat ſimile in natura ſpecifica, hoc autem eſt falſum: ergo, & falſum id eo productionem muli habere rationem generationis, quia egreditur mulus ſimilis in natura ſpecifica, non à parte rei ſed quantum eſt ex intentione naturæ particularis. Ad ſecundum inconueniens neganda eſt ſequela, nam productio Euæ nullatenus fuit generatio, vnde infert D. Thom. 1. part. quæſt. 92. art. 2. ad 3. & in 4. diſt. 40. quæſt. vnica ar. 3. non fuiſſe ex illa contractum inter Adamum, & Euam impedimentum conſanguinitatis diremptiuum matrimonij quod ex ſola vera generatione contrahitur inter parentes, & filios atque conſanguineos. In aſſignanda autem ratione propter quam excludatur â deſſinitione generationis, duo ſunt modi dicendi, primus eſt Conimbricenſiũ vbi ſupra excludentium illam ex deffectu principij coniuncti actiui, eo quod exiſtimant abſque huius modi actiui, & paſſiui principij cõiunctione, non poſſe ſaluari veram rationẽ generationis. Secundus eſt Bañeſij loco proxime citato aſſerentis ideo excludi â ratione generationis, quia Eua ex vi ſuæ proceſsionis,

nis, non habuit similitudinem in natura humana cum Adamo, quod confirmat testimonio Doctoris Angelici in quarto contra gentes cap. 23. asserentis quod si Deus tribueret homini virtutem producendi alterum hominem per artem sicut conficit artificiata, ille homo productus non esset filius neque genitus, quia ex vi talis productionis, non producitur similis in natura, & vterque modus defendi potest, primus quidem quia ad generationem requiritur concursus actiuus vt dictum est. Secundus vero quia concursus actiuus quomodo cumque, non sufficit nisi adsit vitalis, & primaria naturæ communicatio, dummodo tamen illius author non velit in definitionem generis ingredi debere atque in ea exprimi quod procedat simile ex vi talis processionis, hoc enim excluſum ex dictis relinquitur. Sed tunc restat soluere sub inductam replicâ de generatione Christi secundum carnem ex Beatissima Virgine quam facillime soluunt illi qui putant concursum fœminæ in conceptione esse nedum passiuum, sed etiam actiuum cui sententiæ suffragantur omnes medicinæ artis professores, quorum principes fuere Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 5. & lib. 2. de semine cap. 4. & Hipocrates lib. de genitura quos sequuntur Fernelius lib. 7. Phisiologiæ, cap. 6. Vallesius lib. 2. controuersiarum medicalium, & ex Theologis Scotus in 3. distin. 4. quæst. 1. Lichetus Maior, & Alij, quos ommitto recensere in re à meo instituto aliena, ac proinde obiter ac breui, compendioso tamen calamo pertractanda, eandem sententiam assertiue tuentur Conimbricenses primo de generatione, cap. 4. quæst. 27. art. 2. & Fonseca vt probabiliorem in 5. huius cap. 15. quæst. 5. lectione 3. hi omnes pro certo habent, fœminarum seminationem per se requiri ad generationem eo quod est emissio veri seminis, quod nedum remote sed proxime actiue concurrit ad prolis conceptionem, rationes potissimæ pro hac sententia sunt tres. Prima desumitur ex natura seminis, quod teste philosopho. 5. metaphisicæ, & secundo phyticorum cap. de causis secundum sui generis rationem, est in genere causæ effectiuę vt patet in seminibus vegetetabilium in quibus virtus actiua continetur, igitur si dedit natura fœminis semen licet imperfectum, ipsum ad generationem vt instrumentum actiuum ordinauit. Secunda ratio Galeni, & ipsius sectatorum, hæc est. Proles quandoque patri, quandoque matri assimilatur, ac proinde vna debet esse in vtroque parente assimilationis ratio, sed ratio assimilationis ad patrem, est semen concurrens actiue, ergo ratio assimilationis ad matrem debet esse semẽ concurrens actiue. Confirmat Scotus ex eo quod agentis, & non causæ materialis, est propriũ assimilare sibi effectum. Tertia ratio est Theologica quam late prosequitur, & exornat multis Caiet. 22. quæst. 164. articulo 12. §. *in eodem* 12. *art.* 1. quæ sic habet, seminatio mulieris extra debitum concubitũ est peccatum molitiei ac proinde vnum ex his quæ D. Thom. ibi ad 4. recenset inter peccat contra naturam, sed non posset esse peccatum contra naturam talis molities in mulieribus nisi propter effusionem seminis actiui, & per se ad prolis generationem ordinati, ergo, minor patet quia peccatũ cõtra naturam, est contra bonũ humanæ generationis quia scilicet tollit debitum finẽ humanæ seminationis, hoc est, hominis generationem quem tollit molities viri, & propterea est contra naturam, sed molities fœminea nisi effunderet semen per se requisitum, & ordinatum ad humanam generationem, non tolleret debitum finem naturæ, deffectu enim eorum quæ sunt per accidens non impeditur finis consequutio; ergo. Sed his non obstantibus, pro aduersa acie militant aperto Marte Aristot. primo de generatione animalium cap. 20. Auicena 9. de generatione animalium cap. 3. & Albertus Magnus ibidem lib. 15. cap. vltimo, quibus subscribunt D. Thom. in duobus locis 3. partis iam adductis, & 1. topicorum capit. 13. Caiet. in dicto art. 12. quæst. 154. & alij ex recentioribus discipulis Agelici Doctoris, hi omnes in altero conueniunt, & discriminantur in altero. Conueniunt quidem in hoc, quod materia quæ à fœmina fit, disponitur, & ministratur effectiue, est expers cõcursus effectiui respectu actualis prolis conceptionis, id est, quod materia hæc à fœmina submininistrata siue verum semen, siue sanguis menstruus dumtaxat sit, non coefficit semini virili. Discriminantur tamen in hoc quod Auicena, & Albertus putãt seminationem fœminarum esse veri seminis emissionem, & per se ad generationem vt materiam requisiti. Aristot. autem quem sequitur D. Thom. putat semen fœminarum, nõ esse materiam ad generationem necessariã, eo quod, non est verus humor seminalis sed sanguis impurus, & superfluus à quo vterus repurgatur, quod probat, quia semini viri nequit correspondere duplex proportionale in fœmina, sed semini viri correspondet in fœmina sanguis mestruus: ergo non semen; minorẽ probat ex sensibilibus quia scilicet proportionabiliter incipiunt, & desinunt semen viri, & menstruum mulieris, nempe in

Varij circumcuntur sententiæ fœminæ, mediorũ philosophorum dicẽdi modi.

puber-

pubertate, & ſenectute. Sed D. Thom. licet conſentiat philoſopho in hoc quod ſemen non ſit materia neceſſaria generationi, admittit tamen præter menſtruum dari ſemē imperfectum, quod propter ſui imperfectionem non eſt perſe ad generationem requiſitum, non quidem vt principium effectiuū, quia non peruenit ad tantam perfectionem vt habeat virtutem effectiuam, neque vt materia, quia natura non eget illo, ſed potius vt ſuperfluum emmittit, & dumtaxat ſanguinem puriorem ab illo, & à menſtruo repurgatum, in materiā proximam, & perſe requiſitam ad generationem reſeruat, & in uterum adducit. Caiet. autem vbi ſupra poſt omnes prædictos modos dicendi recenſitos, debita reuerentia ait in hæc verba. *Ego autē, & ſi inter tot illuſtres viros ſilere debe rē proferā tamen ſermonem rationabilem. Puto ego ſeminationem mulieris eſſe emiſsionem naturaliter tantum ad generationem neceſſario requiſiti, & proterea abuſus muliebris ſeminationis eſſe peccatum mortale, &c.* Sed remiſſa huius articuli, de veritate fœminei ſeminis reſolutione ad phyſicorum, & medicorum ſcholas, alterius articuli de concurſu illius ad generationem prolis reſolutione noſtro tribunali reſeruata, aduerſus Galenum, & medicorum agmen defendimus eſſe tantum concurſum materialem, & paſsiuum: quod probatur hac vnica ratione; nam ſemen, eſt in potentia totum animatum ſicut ſemen arboris eſt arbor in potentia, ſed animatum componitur ex anima, & corpore: ergo proportionabiliter ſemen quod eſt integrum principium proximum generationis debet componi ex virtute actiua, & formatiua atque ex potentia paſsiua, veluti ex forma, & primo ſubiecto, ex anima, & corpore, ſed virtutem actiuam adducit ſemen viri: ergo ſemen ſiue ſanguis fœminæ prebet tantum potentiam paſsiuam. Confirmatur nam in ſeminibus vegetabilium, vbi indiſcretus eſt ſexus continetur principium actiuum, & paſsiuum ex quibus conficitur vnicum proximum integrum generationis principium: ergo in ſemine animalium, vbi diſcretus eſt ſexus debet eſſe ſemen quod ſit actiuum, & ſemen quod ſit paſsiuum tantum principiū, alioquin ſicut ex duplici actu vnicum ens perſe non conficitur, ita ex duplici ſemine actiuo, aut ex duplici paſsiuo, vnicum integrum generationis principium non confice retur. Deinde probatur hæc noſtra reſolutio ſoluēdo rationes aduerſariorum. Ad primam enim reſpōdetur primo quod ſemen ex parte debet eſſe actiuum, non tamen ſecundum ſe totum, & quoad omnes partes vbi diſcretus eſt ſexus. Reſpondetur ſecundo iuxta mētem Doctoris Angelici quod licet ſemē mulieris ſecundū ſpeciē ſuā ordinetur ad recipiendam virtutem actiuā, tamē ex individuali imperfectione ſexus muliebris ad illam non peruenit, ſicut ſemen viri frigidæ cōplexionis cui deficit virtus actiua per accidens ex defectu naturæ non ſufficiētis ita perfecte decoquere ſanguinem vt perducat ipſum ad ſtatum ſeminis perfectū, hæc enim actiua virtus non debetur ſemini in quocumque ſtatu, aut in quocunque ſubiecto ſed dumtaxat in maſculo, & in ſtatu perfecto, ſicut euidentia quæ eſt propria perfectio omnis ſcientiæ, ac proinde debita ſubalternatæ: non debetur illi pro omni ſtatu, aut in omni ſubiecto, ſed ſolum in ſtatu perfecto, & in ſubiecto habente ſub alternātem, vt lib. 1. docuimus. Ad ſecundā Galeni neganda eſt ſecunda cōſequētia ratio aſſimilationis filij ad matrem, non eſt quia materia quæ à matre fit, coeficiat virili ſemini, ſed eſt efficientia matris circa materiam prolis, & ita ſaluatur in vtroque parente ratio vnica aſſimilationis, ſcilicet communis efficientia, licet reſpectu diuerſorum, altera circa prolem, & altera circa materiam prolis. Ex quo patet ſolutio ad confirmationem Scoticam, concedimus enim omnem aſſimilationem effectus ad cauſam conſequi aliquam actionē talis cauſæ, ſed negamus, actionem matris eſſe proxime circa prolem. Ad tertiam plures refert Caiet. ſolutiones in loco ſupra cōmemorato, ſed pro nunc duplex ſuffitiat. Prima ſit ad mentē Sancti Doctoris, quod ideo ſeminatio muliebris, eſt peccatū cōtra naturā, quādo ſit extra cōcubitū, quia eſt abuſus ſeminis imperfecti, licet non neceſſarij ſimpliciter, vtilis tamen, & neceſſarij admodum eſſe, ad naturalem generationem, vel quia eſt abuſus ſeminis quod ſecundum ſuam ſpecificam rationem ordinabatur ad naturalem generationem licet per accidens, & in tali individuo illam non attingat, ſicut hac de cauſa ſeminatio viri frigidæ complexionis, ſi fiat extra concubitum peccatum eſt molitiei, & contra naturam. Secunda ſolutio eſt Caietan. aſſerentis ideo eſſe talem ſeminationem peccaminoſam, quia eſt abuſus ſeminis per modum principij paſsiui ad generationem naturaliter neceſſario requiſiti. His ſuppoſitis vt ad argumentum factum propter quod hæc nobis cum medicis orta eſt tempeſtas, reſpondeamus; tria dicenda ſunt, primum eſt quod Beatæ Virgini in Chriſti Domini puriſsima Conceptione defuit hæc, ſiue perfecti, ſiue imperfecti ſe-

minis

minis emiſsio, eo quod, vel non eſt neceſſario requiſita, vel ſola neceſsitate naturali requiritur, quæ virtute Spiritus Sancti potuit ſuppleri, illamque decuit ſuppleri vt docet D. Thom. vbi ſupra. Dicendum eſt ſecundo materiam ad prolis conceptionem ſubminiſtratam non præſtaſſe effectiuum concurſum circa ipſius prolis conceptionem, quod patet ex dictis in vltima reſolutione, quam aduerſus Galeni Scholam ſtatuimus. Dicendum eſt tertio ipſam Beatam Virginem habuiſſe erga materiam prolis concurſum effectiuum, dum illam effectiue conuertit ex nutrimento in ſubſtantiam aliti, eandem diſpoſuit atque præparauit, ſupplente virtute Spiritus Sancti circa prolem concurſum effectiuum ſeminis virilis; vnde talis productio fuit generatio non naturalis, ſed miraculoſa: quod autem generatio fiat â principio viuente effectiuo coniuncto: licet ſit naturaliter requiſitum ad generationem, non tamen eſt adeo intrinſecum vt non poſsit â Deo ſuppleri. Tertio arguitur principaliter, nam origo viuentis à viuente eſt vitalis, ac proinde inſuplebilis â Deo concurſus principij viuentis, ſed generatio non eſt huiuſmodi: ergo non conuenit illi diffinitio: minor probatur, nam generatio hominis poteſt fieri à Deo eadem numero, quæ fit ab homine generante: ſiquidem de facto concurſum viri ſuppleuit in Chriſti generatione ſecundum carnem: ergo. Reſpondetur prænotando, quod actionis vitalis dupliciter poteſt intelligi ſuppletio: primo modo quod eius effectus fiat à cauſa ſuperiori idem ſpecie, & numero. Secundo modo, quod non ſolum effectus idem fiat ſine cauſa proxima vitali, ſed etiam idem modus, & actus exerceatur: in primo ſenſu verum eſt poſſe generationem hominis ſuppleri â Deo, quia poteſt fieri à ſolo Deo idem homo, qui generatur ab altero homine. Secundum nequit fieri à Deo niſi Deus poſsit ellicere actionem vitalem generãdi abſque concurſu cauſæ proximæ vitalis, quod tamen eſſe impoſsibile articulo 4. oſtenditur. Quarto arguitur, ſequitur productionem diuini verbi, non eſſe generationem, cuius ratio, & eſſentia in noſtra diffinitione declaratur, conſequens eſt inconueniens, ſiquidem diffinitio generationis viuentium, debet generationi diuini Verbi conuenire: ergo, & antecedens, ſequela multis oſtenditur, primo quia generatio prout hic à nobis definitur eſt intrinſece mutatio, ſed mutatio non conuenit generationi diuinæ: ergo, maior patet, quia eſt mutatio de non eſſe ad eſſe: hæc enim eſt ratio communis generationis ſubſtantialis quæ eſt genus ad generationem viuentium creatorum. Et quia aut mutatio de non eſſe ad eſſe comparatur ad generationem viuentium vt ratio communis, & ſuperior, aut vt ratio ſpecialis: ſi primum habetur intentum, ſi ſecundum ſequitur in viuentibus dari duplicem ſpeciem generationis, alteram quæ ſit intrinſece mutatio, & alteram quæ abſtrahat à motu, & mutatione: quod tamen eſt falſum. Tertio nam Diuus Thomas 1. part. quæſtion. 27. articulo ſecundo fatetur generationem viuentium procedentium de potentia ad actũ, eſſe intrinſece mutationem: at generatio â nobis definita eſt viuentium creatorum, ac per conſequens de potentia ad actum procedentium: ergo. Quarto nam generatio vt eſt propria viuentium eſt perfectio, quia generare eſt perfectorum, ſed diuina non eſt perfectio, eo quod non eſt melior ipſa, quam non ipſa in filio, & Spiritu Sancto, & quia alias aliqua perfectio eſſet in patre quæ non eſſet in filio, nam bene ſequitur generatio eſt perfectio, & conuenit Patri, & Filio: ergo aliqua perfectio Patris non eſt in Filio. Confirmatur nam ad generationem hic definitam requiritur, quod ſit à viuente actiuo, & paſsiuo coniuncto, ſed Filius diuinus non eſt à principio paſsiuo, nam quando dicitur Filius naſci de Patre diuino, illa dictio, *de* teſte Diuo Thoma 1. part. quæſt. 41. articulo 3. non dicit habitudinem materiæ aut principij paſſiui quia hæc inuoluit imperfectionem, ſed principij actiui conſubſtantialis: ergo. Ad hoc argumentum negatur ſequela. Ad primam probationem reſpondetur prænotando vtramque rationem generationis ſcilicet non viuentium, & viuentium poſſe dupliciter accipi primo modo vt contracta ad tales ſpecies, & ſic generatio non viuentium accepta vt contracta ad ſpeciem generationis propriæ, non viuentibus dicit imperfectionem ſcilicet excluſionem vitæ, generatio vero viuentium vt contracta ad modum, quem habet in viuẽtibus creatis etiam claudit imperfectionem mutationis ratione gradus generici adiuncti differentiali prouteſt in tali ſubiecto, vnde neutra ſecundum hanc acceptionem reperitur in Deo, aut analogatur cũ diuina generatione. Secundo modo poſſunt accipi vt abſtractæ: & ſecundum ſuas rationes formales: & ſic generatio non viuentium aut accipitur pro gradu generationis vt ſic qui abſtrahit

à generatione viuentium, & non viuentium, & dicitur negatiue non viuentium, vt ſic vitalitatem non includit actu, aut pro gradu diferentiali generationis determinatæ non viuentium, qui contrahit genericum gradū generationis ad talem ſpeciem. Si primo modo accipiatur, dicit mutationem in genere proximo quod eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, ſecundum quod nequit annalogari cum diuina generatione, non vero dicit illam in ratione communiſsima productionis, & ſecundum hanc annalogatur cum generatione diuina: ab hac enim, & ab omni creata generatione poteſt abſtrahi analoga ratio productionis ſubſtantialis, ſed huius deffinitio non explicaret propriam perfectionem generationis viuentium, ſed communem Deo, & omnibus tã viuentibus quãm non viuentibus creatis, ſi vero accipiatur ſecundo, etiam dicit imperfectionem, ſicut enim ſpecies generationis non viuentium dicit vitæ excluſionem, ita eius diferentia eſſentialis, vnde talis diferentia nequit cum diuina generatione annalogari. Generatio autem viuentium propria vt abſtracta, dupliciter poteſt accipi vel abſtracta ab indiuiduis, & ſic etiam dicit imperfectionem ſui generis, ſicut homo abſtractus ab indiuiduis includit animal, quod eſt ſuum genus, à quo non abſtrahit ex vi talis abſtractionis: vel abſtracta eius propria, & diferentialis ratio abſtractione præciſsiua â ſuo genere, quod eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, & ſic abſtrahit à mutatione, & eius imperfectione, ſicut rationale quod eſt propria ratio hominis ſumptum præciſsiue abſtrahit ab animali, & ſicut rationale hoc modo ſumptum annalogatur cum Deo, & Angelis in gradu intellectualitatis, ita propria ratio generationis viuentium creatorum iſto modo ſumpta annalogatur cum generatione viuentis increati: ab illa enim diferentiali ratione, & ab hac poteſt abſtrahi vnica ratio generationis omnium viuentium non vniuoca ſed annaloga, quandoq; à gradibus diferentialibus rationes annalogæ abſtrahi ſolent, & hæc ratio eſt quæ deffinitur in noſtra deffinitione; ac proinde illam oportet conuenire creatæ generationi viuentium, & diuini Verbi generationi ſecundum proportionem. Hoc ſuppoſito ad primam probationem negatur maior. Ad ſecundam diſtinguenda eſt maior iuxtà aſignatam diſtinctionem, ad generationem quidem propriam viuentium ſumptam contracte comparatur mutatio vt genus incluſum. Ad illam vero ſumptam cum præciſsione comparatur vt gradus genericus præciſſus, qui vt ſic non obſtat quominus gradus diferentialis annalogetur cum diuina generatione in ratione annaloga propria tamen omnibus viuentibus, & condiſtincta à ratione generationis non viuentium. Ad tertiam quod Diuus Thomas loquebatur de generatione viuentium creatorum vt contracta. Ad quartam nego minorem; ad cuius probationem dico, quod non generatio filio, & Spiritui Sancto ſi excludat perfectionem generationis paternæ, excludit eſſentiam, & ſic non eſt melior, ſi autem non generatio ſolum excludat relationem patris generantis, non eſt oppoſitum generationis vt generatio eſt perfectio; conſequentia autem illa peccat defectu appellationis variatæ, ſeu variationis ad aliquid in quid, quia à negatione relationis infertur negatio abſoluti. Ad confirmationem reſpondetur dupliciter, primo quod licet generatio viuentium in annalogatis minus principalibus petat conuenientionem ad principium paſsiuum, ſecus vero in annalogato principaliori ſcilicet in Deo, cui conuenit generatio ſeclusis omnibus imperfectionibus. Secundo reſpondetur etiam diuini Patris ſubſtantiam gerere vices, & munia principij actiui, & quoddammodo paſsiui ſeclusis imperfectionibus, in quo ſenſu vera eſt ſententia Durandi in primo diſtinctione 5. quæſtion. 2. dicentis eſſentiam diuinam exequi munus principij paſsiui ſeclusis imperfectionibus, quod etiam affirmat Diuus Thomas in primo diſtinctione 5. quæſt. 2. articulo primo neque oppoſitum docuit poſtea in quæſt. 41. citata, ſed ibi tantum voluit excludere à diuina eſſentia munus principij paſsiui prout increatis viuentibus reperitur. Vnde, & diuinus Pater in Sacra Scriptura vtrumque munus ſibi attribuit: propterea enim ait Pſalm. ſecundo ad filium loquens, *ego hodie genui te*: & Pſalm. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*: quem locum Hebræi legunt ſic, *de matrice*, ſiue, *de vulua auroræ*, &c. huic conſonat illud Eſaiæ 49. *& nunc dicit Dominus formans me ex vtero ſeruum ſibi*, & 66. *nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus: ſi ego per generationem ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus*. Quinto arguitur per nullam particulam excluditur à noſtra deffinitione proceſsio Spiritus Sancti à ratione generationis, ergo eſt non exacta deffinitio: antecedens probatur, ſi per aliquam eſſet per illã

infimi-

inſimilitudine naturæ : ſed per hanc non; quia etiam proceſsio Spiritus Sancti communicat illi diuinam naturam : ergo. Quod ſi dicas, communicare naturam diuinam ſecundario, & non primario. Contra nam implicat communicari per aliquam actionem alicui ſuppoſito proprietatem naturæ prius quam naturam, quia ſicut ſe habet proprietas ad eſſe, ita ad communicari, ſed ratio volitiui, ponderis, & amoris eſt proprietas veluti conſequuta ad naturam diuinam : ergo nequit communicari prima xio ex vi proceſsionis Spiritus Sancti, quin per prius communicetur natura diuina. Ad hoc argumentum triplex eſt ſolutio eorum, qui non requirunt additionem illius particulæ in actu ſignato, *ex vi talis proceſsionis* : prima eſt Aureoli in primo diſtinctione 9. art. 2. & Torres 1. part. quæſt. 27. art. 4. aſſerentium requiri ad rationem viuentis geniti quod procedat ſimilis in natura vt imago, defectu cuius licet Spiritus Sanctus procedat ſimilis in natura, quia tamen non vt imago repræſentans, excluditur eius productio à ratione generationis, quos ſequuntur Bañeſ. quæſt. 27. art. 4. Bazquez diſputatione 113. cap. 6. Secunda eſt Caietani, & Ferrarienſis vbi ſupra quod Spiritus Sanctus non procedit ſimilis in natura per intranea ſuæ proceſſionis ſed veluti per accidens, & ratione ſubiecti, & hæc perfectas ſubintelligitur in ipſa deffinitione. Tertia eſt, quod ad rationem generationis denotatur in illa particula *ſimilis in natura*, requiri primariam communicationem naturæ, per quam natura formaliter vt natura, & non vt proprietas communicetur : per proceſſionem autem Spiritus Sancti communicatur proprietas diuinæ naturæ iam communicatæ filio per intellectus actum, quæ eſt primaria naturæ intellectualis operatio, communicatur enim Spiritui Sancto, formaliter ratio volitiui quæ eſt attributum naturæ intellectualis, cuius eſſentialis, & primordialis ratio eſt intellectiuum teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 80. art. 1. ex his ſolutionibus ſola prima diſplicet propter duo: primo quia in Verbo diuino, ratio imaginis, & ratio filij ſunt idem, vt docet D. Thom. q. 35. art. 2. igitur dicere quod Spiritus Sanctus non eſt genitus, quia non procedit vt imago : eſt dicere, quod ideo non eſt genitus, quia non procedit vt filius, & vt genitus, in quo vitioſa nugatio committitur. Secundo quia in deffinitione generationis nihil aliud deſideratur niſi proceſsio ſimilis in natura, ſiue procedens ſit imago, ſiue non, ſiue ſit filius, ſiue ſit genitus abſque filiatione; aliàs non comprehenderet vegetabilium generationem, in qua neque filiatio, neque imago reperitur: igitur ſi proceſſio Spiritus Sancti eſt ſimilis in natura, habet quidquid ad generationem deſideratur; quinimo etiam procederet vt imago, eo quod imago nihil aliud eſt quam ſimile originatum ab altero : reiecta ergo hac ſolutione iuxta ſecundam, & tertiam reſpondetur ad formam argumenti negando antecedés; Ad replicam ſubinductam, dicendum eſt quod licet in natura finita quæ vnico dumtaxat modo communicari poteſt, nequeat dari communicatio ad proprietatem eius perſe primo terminata, tamen in natura infinita, quæ pluribus communicationibus poteſt communicari, altera nempe prima ad naturam perſe primo terminatur, altera vero nẽpe ſecunda bene poteſt ac debet ad proprietatem, & attributũ per ſe primo terminari.

ARTICVLVS III.

Depoſsibilitate, & eſſentia corruptionis.

9 QVONIAM contrariorum eadem eſt ſcientia, & diſciplina. Explicata poſsibilitate & deffinitione naturali generationis communiter acceptæ, & viuẽtium propriæ operepretium eſt poſsibilitatem ac deffinitionem corruptionis ipſi cõtrariam explanare. In quo tria videda ſunt, primum an corruptio ſubſtantialis ſit poſsibilis. Secundum, an ſit naturalis, hoc eſt de intentione naturæ. Tertium an ſit mutatio, & actio realis, à generatione realiter diſtincta? circa primum ſolum antiqui Philoſophi negantes generationẽ ſubſtantialem, poſsibilitatem ſubſtantialis corruptionis, negauerunt. Circa ſecundum duplex eſt modus dicendi: primus eſt Conimbricenſium vbi ſupra quæſt. 16. art. 3. & 5. aſſerentium corruptionem eſſe naturalem quatenus naturale opponitur artificioſo, & vt opponitur ſupernaturali, & tertio vt terminus naturalis appetitus, & inclinationis materiæ primæ. Quarto vt conſequens naturam compoſiti naturalis, & corruptibilis : non tamen eſſe naturalem id eſt, per ſe intentam à natura. Secundus modus aſſerit corruptionem nedum eſſe naturalem illis quatuor modis, ſed etiam quinto modo quia eſt de intentione naturæ vniuerſalis. Circa tertium duplex eſt modus dicendi.

primus eſt Suarez tomo primo metaphyſicæ diſputatione 18. ſectione 11. aſſerentis ſubſtantialem corruptionem, eſſe realem, & veram mutationem priuatiuam, ſed non veram aut realem actionem diſtinctam ab actione generatiua, ſauetque Bañeſius capit. 3. de generatione pagina 41. concluſione prima dicens generationem vnius identice eſſe corruptionem alterius in ratione actionis. Secundus aſſerit, quod tam in ratione actionis, quàm in ratione mutationis diſtinguantur realiter generatio, & corruptio, & ſolum per concomitantiam verificari illud Philoſophi axioma, *generatio vnius eſt corruptio alterius.*

Quid de corruptione ſentiendũ.

10 Sed pro veritatis explicatione ſequentes ſtatuo aſſertiones. Reſpondeo dicendum primo corruptionem ſubſtantialem nedum poſsibilem eſſe, ſed de facto reperiri: hæc aſſertio probatur primo: nam poſsibilis eſt generatio, & de facto reperitur in vniuerſo: ergo poſsibilis eſt corruptio, atque de facto reperitur. Antecedens oſtenſum eſt art. 1. & 2. conſeq. autem probatur: tum, quia quorum eſt generatio, eſt etiam corruptio, generabilia enim ſunt corruptibilia: quia conſtant ex materia, non ſatiata vnica forma, ſed quæ pluribus ſuccedit, & quia teſte Philoſopho. cap. 3. de generatione, & corruptione tex. 17. generatio vnius eſt corruptio alterius; quod axioma debet intelligi per concomitantiam, & in ſenſu cauſali, quia ſemper ad vnius compoſiti naturalis generationem ſequitur, & comitatur corruptio alterius, ne materia duas ſimul ſubſtantiales formas incompoſsibiles ſuſtineat. Secundo nam pulchritudo, ordo, & diſtinctio vniuerſi, atque eius complementum petit nedum incorruptibilia corpora ſed etiam corruptibilia, & ipſam actualem corruptionem teſte, D. Tho. in 1. diſtinctione 46. artic. 3. & 1. part. quæſt. 47. & 48. articulo 2. 3. contra gentes cap. 4. & in 2. diſtinctione 24. quæſt. vnica art. 1. Tertio id conteſtatur fides Catholica, per quam ſcimus ſtatutum eſſe hominibus ſemel mori, quod etiam experientia, & ratio naturalis docet in alijs ſublunaribus; nam materia horum ſublunarium appetit omnes formas nõ ſimul ſed ſucceſsiue habere, eo quod per nullam ſatiatur, & per nullam in defecti biliter actuatur, ſed appetitus naturalis non eſt fruſtraneus: ergo huiuſmodi materiæ appetitus reducendus eſt ad actum, & cum nequeat reduci ad actum niſi in receptione vnius formæ, & alterius amiſsione, ex quo generatio vnius, & corruptio alterius cauſantur, ſequitur in rebus corruptio ſicut, & generatio. Dico ſecundo corruptio non eſt naturalis, vt terminus naturalis appetitus materiæ, neque vt conſequens naturam formæ, aut compoſiti ratione formæ, ſed eſt naturalis vt terminus intentionis naturæ vniuerſalis, & vt conſequens naturam ſeu naturalem conditionem materiæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Conimbricenſes, qui plures modos quàm parerat, naturalitatis attribuentes, modum debitum illi denegarunt, probatur prima pars, nam nullum ens particulare appetit malum ſuum vt ſic formaliter, ſed corruptio vt ſic, eſt malum materiæ, quia eſt amiſſio formæ eam actuantis: ergo materia non appetit formaliter corrumptionem. Rurſus materiæ appetitus terminus adæquatus eſt forma, ſed corruptio non eſt forma, ſed eſt amiſsio formæ: ergo corruptio non ingreditur terminum formalem appetitus materiæ, ac proinde non eſt naturalis vt terminus appetitus materiæ, dum tamen materia appetit formam, ſeu formæ alicuius introductionem: ſecundario, & per accidens appetit alterius formæ amiſsionem, nõ ratione ſui, ſed ratione formæ aduenientis, vnde formaliter non corruptio, ſed bonitas nouæ formæ atque generationis eſt quæ terminat materiæ appetitũ naturalem. Confirmatur nam materiæ Primi hominis, idem fuit appetitus ante peccatum, & poſt peccatum, ſed ante peccatum, non appetebat corruptionẽ ſiue mortẽ, quia erat ei pro illo ſtatu impoſsibilis: ergo neque poſtea illam appetijt. Secunda pars; nam corruptio ſequitur principia corruptibilitatis, ſed potẽtia proxima corruptibilitatis ſequitur ſolam materiã, & non formã: ergo non eſt naturalis pro vt conſequens formam: minor patet, nã radix corruptibilitatis eſt materia non ſatiata ſua forma, & propterea corruptibile, & incorruptibile dicuntur differre genere, quia differunt ex parte materiæ, ex qua ſumitur gradus generícus, & potentialis radicaliter. Confirmatur: nam nequit mors dici naturalis reſpectu illius, reſpectu cuius, eſt violenta, ſed mors eſt violenta reſpectu formæ, quia eſt cõtra naturalem eius appetitũ, quo appetit conſeruationem, & perpetuitatẽ ſui eſſe: ergo: maior patet: quia violentum, & naturale opponuntur, ſed oppoſita nequeunt eidem reſpectu eiuſdem conuenire: ergo. Tertia pars probatur primo ex teſtimonijs Doctoris Angelici, qui docet multis in locis corruptionem eſſe de intentione naturæ vniuerſalis, ſecus autem reſpectu naturæ particularis, quæ patitur corruptionem;

nem; ita habet, 1. part. quæst. 22. 2. ad 2, 12. quæst. 94. ar. 5. & 22. quæst. 65. ar. 1. Secundo probatur nã quod est omnino per accidens, & præter intentionem causarũ vniuersalium contingit vt in pauctioribus, vt lib. 6. docuimus, sed mors, & corruptio contingunt vt in pluribus: ergo non subtes fugiunt causarum vniuersalium intentionem. Tertio nam hoc est discrimen inter prouisorem vniuersalem, & particularem, quod huius prouidentia non intendit mala particularis naturæ, illius autem prouidentia bona, & mala particularia intendit, quia intendit bonum commune totius vniuersi ad quod pertinent mala naturæ, vt defectus atque corruptiones. Quod si dicas D. Thomas appellare in 3. contra gentes capit. 4. & 5. & 1. part. quæst. 19. artic. 9. & 49. articulo primo corruptionem, & alios defectus per accidens, ac per consequens non esse intentos à natura vniuersali. Respõdetur quod D. Thom. comparatione facta ad naturam particularem concedit illos defectus esse per accidens, vel etiam facta comparatione ad primariam intentionem agentis vniuersalis possunt corruptiones, & mala naturæ dici effectus per accidens, vel per aliud, & non perse primo intenti; eo quod non intenduntur propter se primo, sed propter bonum totius vniuersi, & propter bonum aliarum partium vniuersi, quod absque aliarum defectu nequit consequi. Sed obijcies ad huc, nullum esse discrimen inter mortẽ consequutã ex defectu caloris naturalis vel ex humorum intemperantia, & mortẽ causatam ab extrinseco per violentiam qualis est mors hominis, suspendio, aut gladio occisi: consequens est contra communem, & vulgarem hominum omnium sententiam, illam naturalem, & hanc violentam appellantium. ergo. Sequela patet, nam vtraque comparata ad materiã est naturalis, & comparata ad formam, vtraque est violenta. Rursus, obijcies in hunc modum: quælibet natura particularis cum sit pars vniuersi, magis debet appetere bonum totius quàm proprium; qua ratione lapis oblitus suæ particularis inclinationis, ne detur vacuum ascendit sursum; sed corruptio pertinet ad bonum, & decorem, atque complementum vniuersi: ergo quælibet natura particularis saltim vt pars vniuersi debet magis corruptionem appetere, quam sui esse conseruationem, ac per cõsequens corruptio erit naturalis nedum vt terminus appetitus materiæ, sed etiam vt terminus appetitus formæ, & compositi naturalis. Sed primæ obiectioni, occurrendũ est; quod discrimen inter illas mortes tantum est penes naturale respectu formæ, & compositi, secundum quid, & violentum secundum magis aut minus; mors enim ex defectu caloris proueniens, quia ab intrinseco quoddãmodo prouenit, dicitur naturalis animali: omnis autem alia mors ab extrinseco proueniens siue ex causis naturalibus, siue ex causa libera, dicitur, & est violenta simpliciter; illa quidem minus, & hæc magis violenta, quia passum in illa magis confert vim: eõ quod ægritudo ipsa licet ab extrinseco causata violenter fuerit, tamen post quam semel producta est ex ipsius animalis humoribus vires, & rõbur accipit, sunt enim humores veluti cibus infirmitatis, & hæc secunda mors ex percussione, aut alio læsiuo causata est omnino ab extrinseco, & sic quantum ad hunc modum magis de violentia habet. Rursus est aliud discrimen quod mors causata ab intrinseco caloris defectu est perse conueniens animali, quia est actus ad compositum corruptibile ratione materiæ necessario pro aliquo tempore consequutus: at mors ab extrinseco proueniens est omnino per accidẽs, & casualis respectu obeuntis (nisi se ipsum quis ê consulto occidat) ac proinde magis violenta est hæc, quam illa: & hoc probatur solum, ex vulgari modo loquendi. Secundæ vero occurendum est, per distinctionem maioris, de bono totius vniuersi positiuo, & pertinenti ad primariam intentionem authoris naturæ, & causarum vniuersalium, ac de bono totius vniuersi priuatiuo, & pertinenti ad intentionem secundariam vniuersalis prouidentiæ, & naturæ: ad illud quidem magis inclinat quælibet pars vniuersi, quam ad proprium, & sic vera est maior: falsa tamen, si de bono vniuersi secundo modo accipiatur: nam inclinatio ad huiusmodi bonum non debet reperiri in partibus singulis, sed in sola causa vniuersali, sicut, & illius prouidentia soli authori competit vniuersali.

11 Dico tertio corruptio substantialis est mutatio, & actio realiter distincta à generatione. Hæc conclusio statuitur contra Suariũ: & probatur prima pars: nam, corruptio est mutatio, de esse ad non esse, generatio autẽ est mutatio de non esse ad esse: ergo habent diuersos terminos ad quos, & à quibus: ac proinde distinguuntur: quod autem hæc distinctio sit realis entitatiua patet, nam termini cum quibus identificantur, sunt distincti entitatiue, verbi gratia corruptio hominis, & generatio cada-

veris illa quidem cum homine corrupto, hæc vero cum cadauere generato identificatur; homo autem, & cadauer realiter entitatiue diſtinguuntur: ergo, & ipſæ mutationes cum illis identificatæ materialiter. Neque propterea ſequitur corruptionem hominis identificari cum termino à quo, ſiquidem identificatur cum homine deſinente qui eſt terminus à quo: eſt enim corruptio hæc mutatio de eſſe hominis ad non eſſe, illius, nam homo vt exiſtens eſt terminus à quo, homo vero vt tendens ad non eſſe, & vt ſubeſt negationi eſſendi eſt terminus ad quem, & cum illo vt ſic identificatur. Sed aduerſus hanc concluſionem inſurges dupliciter. Primo nam ſequitur corrumptionem non eſſe mutationem realem ſiquidem nunquam verificatur ipſam exiſtere, nam cum inſtantanea ſit non eſt verum dicere, quod ſit corruptio hominis niſi in inſtanti quo eſt generatio cadaueris, ſed tunc non eſt homo, cum quo identificatur: ergo neque erit corruptio. Secundo quia D. Thom. quæſt. 28. de veritate art. 6. ait generationem albi, & corruptionem non albi eſſe idem, quia termini harum mutationum eſſe albi, & non eſſe non albi, ſunt realiter idem licet diuerſimode ſignificentur. Propter primum argumentum Bañeſius non ſatis ſibi conſtans eſt, nam loco citato, in ſolutione ad primum §. *his tamen, non obſtatibus*. conuincitur aſſerere, generationem, & corruptionem eſſe idem negatiue, quia corruptio eſt priuatio quædam ac remotio formæ alicuius in fieri, & ideo non habet aliud eſſe, quam ad modum cæcitatis, de qua decimus quod tunc exiſtit in aliquo ſubiecto quando, non eſt forma quam tollit, ſic corruptio eſt, quando non eſt forma quam remouet, poſtea vero dubio ſequenti pagina 42. §. *Secunda concluſio* ait generationem vt mutationem, & corruptionem vt mutationem eſſe duas entitates reales realiter diſtinctas, quia illa cum forma introducta, hæc vero cum forma expulſa, identificatur, ac per conſequens reliquit argumentum factum in ſolidũ: reſtabat enim illi reſpondere vbi, & quando exiſtit mutatio illa realis, quæ dicitur corruptio vltra contradictionem quam in dictis videtur implicare. Quare Ægidius ibidem quæſtion. 20. ait rem corruptam cum qua corruptio identificatur deſinere intrinſece per vltimum ſui eſſe, & genitum ſimul incipere per primum ſui eſſe, non quia in tẽpore cõtinuo dẽtur duo inſtantia immediata, ſed quia duabus durationibus intrinſecis duarum rerum correſpondet vnicum inſtans extrinſecum temporis, ſicut duobus punctis duarum linearum continuarũ correſpondet vnum tantum extrinſecum in loco continenti, & iuxta hanc ſolutionem datur inſtans in quo ſit verum dicere corruptionem hominis exiſtere realiter. Sed hæc ſolutio ſuſtineri nequit, quia ex illa ſequitur duas formas ſubſtantiales in eadem materia pro eodem inſtanti compati ac proinde etiã earũ vltimas diſpoſitiones quæ naturaliter incompatibiles ſunt. Quare aliter mihi dicendum occurrit, quod corruptio licet realis ſit, conſummatur tamen, & completur per priuationem, ſeu formæ ſubſtantialis remotionem formaliter ſumptam in ratione entis, ſicut entia ſucceſſiua licet realia ſint aliquo rationis indigent vt intrinſeco complemento; vnde ſicut motus, qui eſt ens ſucceſſiuum, tunc exiſtit complete quando non eſt, nempe in vltimo, mutato eſſe, & hoc minimo modo exiſtendi contentus eſt, ita corruptio hominis eſt inchoatiue, & incomplete toto tempore antecedenti inſtans generationis cadaueris, & exiſtit complete quando non eſt homo, & hoc minimo modo exiſtentiæ realis contenta eſt, propter ſui impertectionem, quia eſt mutatio priuatiua, ſeu deperditiua, & licet in ſe non habeat partium ſucceſsionem ſicut motus aut tempus, habet diſtinctionem rationis formalis, & complementi ratione cuius imitatur modum exiſtendi entis ſucceſsiui, vt ſicut hoc tunc accipit complementũ quando eius entitas præterijt, ita illa non accipit complementum, niſi quando eius entitas præterijt: cum hoc tamen diſcrimine; quod entitas ſucceſsiui entis non fuit tota ſimul nec præterijt tota ſimul, entitas tamen corruptionis tota ſimul fuit, & tota ſimul præterijt, eſt enim corruptio entitas formæ aut compoſiti vt coniuncta ſiue aſſociata cum ſuo non eſſe: vnde ad argumentum reſpondetur negando ſequelam: nam tunc exiſtit complete quando terminus cum quo identificatur exiſtit in ratione non entis, id eſt quando ſubiectum non eſt, quæ negatio eſt ipſius corruptionis complementum ex cuius aduentu entitas ſubiecti præexiſtens ſubinduit rationem corruptionis. Ad ſecundum reſpondetur prænotando ex Conrado 1. 2. quæſt. 113. artic. 6. circa ſolutionem ad ſecundum. Quod oppoſitio terminorum mutationis alicuius duplex eſt, altera eſt extremorum realiũ, vt inter albũ, &

Satisfit quibuſdã obiectionibus.

& nigrum, inter hominem, & cadauer, & inter gratiam & culpam, & altera eſt inter terminos quorum vnus eſt realis, & alter eſt rationis, vt inter album, & non album formaliter ſumptum, & inter lucidum, & tenebroſum. Inter extrema igitur primi generis generatio, & corruptio diſtinguũtur, quia alia mutatio eſt poſitio vnius, & alia eſt expulſio alterius, in extremis autem ſecundi generis generatio eſt realis, ſed corruptio non eſt realis extrinſece, ideſt, non eſt deſtructio rei realis, ſed eſt quædam negatio rationis, & ideo ſecundum rem idem generatio albi, & corruptio non albi: ſimiliter idem eſt generatio lucis, & corruptio tenebrarum ſeu nõ lucis, & ſimiliter idem eſt creatio hominis, & deſtructio nihil ſeu non hominis, quia huiuſmodi termini non album, tenebræ, & nõ homo, formaliter non ſunt entia realia, ſed ſolum ſunt entia rationis: vnde D. Thom. in loco allegato, in hoc ſecundo ſenſu loquutus fuit, hoc eſt de generatione albi, & corruptione non albi, formaliter, vt negatio eſt, nõ vero de corruptione non albi quod eſt contrarium poſitiue albo, cuius diſtinctionis etiam meminit Bañeſius vbi ſupra, in quarta concluſione, quamuis præcedentem contradictionem, ac dificultatem, de exiſtentia reali corruptionis deſtructiuæ entis poſitiui, non enodauerit. Secunda pars probatur primo, nam actio tranſiens nihil aliud eſt quàm motus ſeu mutatio, vt ab alio, ſed corruptio ſubſtãtiæ eſt mutatio ab alio, & aliâs eſt diſtincta realiter à generatione: ergo eſt diſtincta actio, cõſeq. patet, quia nequit eſſe diſtinctio in ratione mutationis ab alio egredientis, quin ſit diſtinctio in ratione actionis tranſeuntis, niſi negemus identificari actionem tranſeuntem cum motu, aut affirmemus illam ſubiectari in agente, quod falſum ſuo loco oſtendimus. Secundo, nam ſicut datur duplex mutatio, altera acquiſitiua, & altera deperditiua, ita datur duplex actio, altera acquiſitiuâ, & hæc erit productiua, & alia deperditiua, & hæc erit deſtructiua entis realis, ac proinde ſicut corruptio eſt mutatio deperditiua, ita eſt actio deſtructiua. Confirmatur, nam in moralibus datur actiones deſtructiuæ, actus enim pœnitentiæ ſunt deſtructiui, eo quod ex ſua ratione formali tendunt ad deſtructionem ofenſæ, quæ eſt malum morale, quod cauſat peccatum ſiue illud deſtruãt pœnitẽtiæ actus effectiue Phyſice, ſiue effectiue moraliter, vt peritioribus Thomiſtis placet; quocumque modo id fiat verum eſt actus pœnitentiæ eſſe deſtructiuas actiones, quibus facta cõpenſatione deſtruitur ofenſa: ergo etiam in Phyſicis poſſunt eſſe actiones deſtructiuæ, vt ſaluetur proportio quoadmodum agendi in vtroque ordine. Contra hoc obijcit Suarez, quia agere eſt producere ſeu efficere aliquid, ſed corrũpere non eſt efficere, aut producere: ergo nõ eſt agere. Sed Reſpondetur per aſsignatam diſtinctionem actionis deperditiuæ, & adquiſitiuæ, quod agere actione adquiſitiua eſt producere, agere autem actione deperditiua non eſt producere ſed deſtruere. Poteſt etiã dici quod agere corrumpendo eſt efficere, non quidem ens reale, ſed non ens; ex vi enim corruptionis hominis efficitur, quod id quod erat homo iam non ſit homo, ſed hæc eſt abuſiua, & metaphorica loquutio, & ideo formalior eſt prima ſolutio. Secundo obijcit, quia nullum agens intendit malum, aut non eſſe ſua operatione; ſed corruptionis finis eſt non eſſe: ergo. Sed huic occurritur eadem facilitate, quod probat nullum agens naturale primo & perſe corrumpere, ac perconſequens non poſſe ſolam corruptionem exercere. Sed non probat quod agẽs idem, generationem primo, & perſe, & concomitanter, & ſecundario, actionem corrũpendi nõ exerceat, quia hoc nõ eſt inconueniens, imo eſt neceſſarium, quia ſicut eſt immutans dupliciter, ita eſt agens dupliciter, acquiſitiua ac deſtructiua actione, & mutatione. Tertio obijcit Bañeſius teſtimoniũ Doctoris Angelici 1. 2. quæſt. 113. art. 6. ad ſecundum aſſerentis, quod gratiæ infuſio, & culpæ remiſsio in ratione mutationis diſtinguuntur, non vero in ratione actus ſiue actionis, quia eodem actu Deus, & largitur gratiam, & remittit culpam. Cui obiectioni ſic occurrendum eſt, quod motus ſiue mutatio egrediens â Deo immediate non eſt actio eius, quia Deus non operatur per actiones tranſeuntes formaliter, ſed tantum habet reſpectu illius rationem effectus cauſati, & ita verum dixit D. Thom. gratiæ infuſionem, & culpæ remiſsionem in eſſe actus nõ diſtingui, quia actus quo Deus has mutationes cauſat eſt formaliter immanens, ac perconſequens tantum vnus. Hoc tamen non obſtat quo minus generatio, & corruptio reſpectu agentis per motum ſint duæ actiones tranſeuntes, ſicut ſunt duæ mutationes, præſertim cum actio tranſiens recipiatur in paſſo vbi recipitur mutatio, implicat multiplicari mutationem in genito, & corrupto, quin actio in generatione, & corruptione multiplicetur.

ARTICVLVS IIII.

An eadem animalia secundum speciem, ex semine, & putri materia, queant generari?

IN hoc articulo tres versantur sententiæ, duæ extremæ, & alia media via procedens. Prima asserit, omnia animalia ex semine genita posse ex putri materia generari, huius sententiæ Princeps fuit Auicena in libro de diluuio, quem Albertus Magnus relatus à Soncinate hic quæst. 21. fuit sequutus.

Varia Philosophorum placita.

Secunda huic ex diametro opponitur dicens nulla animalia posse ex putri materia generari ex his, quæ ex semine producuntur, sed illa quæ vtroque modo nasci videtur eadem secundum speciem, diuersarum reuera specierum esse: huius sententiæ primus Author fuit Auerrois 8. Phisicorum cõmento 46. & 1. de generatione cap. 10. quem sequuti fuere D. Thom. in 1. distinct. 10. quæst. vnica art. 5. vbi ait quod unius rei est tantum vnicus modus, quo oritur ex alia. *Non enim est idem in specie à natura, & ab arte, nec etiã per putrefactionem, & per seminationem.* Idem habet quæst. 10. de potentia artic. 2. ad 12. & quæst. 9. art. 9. ad 23. Iandunus hic quæst. 15. & Ægidius Romanus 2. Hexam. cap. 28. Tertia media procedens via asserit aliqua esse animalia, quæ ex semine dumtaxat possunt generari, scilicet, perfectiora. Alia vero esse, nempe imperfectiora, quæ eadem secundum speciem ex semine, & ex putri materia non modõ generari possunt, sed etiam generentur. Cuius sententiæ fuere Arist. in hoc lib. cap. 7. & 9. atque in Problematibus cap. 10. D. Thom. hic lect. 7. Paulus Soncinas, quæst. 21. Flandrens. quæst. 13. art. 3. & 4. Niphus disputatione 8. Antonius Andreas quæst. 8. & Fonseca cap. 7. quæst. 1. lect. 2. eandem tuentur Scotus in 1. distinct. 2. q. 7. Ocham. in 2. quæst. 23. & Ricardus distinct. 17. quæst. 2. quam ex Sanctis Patribus Augustin. de Trinit. cap. 4. & 1. & Ambrosio lib. de Incarnatione Verbi videntur deprõpsisse. Alij de quorũ numero est Flãdrens. vbi supra art. 4. dicunt eadem animalia produci ex semine, & putri materia non quidem eadem secundum speciem athomam, sed eadẽ secundum speciem proximã subalternam, & hanc esse mentem Aristotelis atque Sancti Doctoris, sicque conciliat adducta testimonia D. Thom. sibi quoad apparentiam aduersantia, vt in primo sententiarum, vbi dicit, animalia producta ex semine differre specie à illis, quæ fiunt ex putrefactione, loquatur de distinctione speciei specialissimæ & athomæ, in hoc autem libro quando fatetur esse eiusdem speciei loquatur de speciei subalternæ proximæ identitate. Alij vero de quorum numero fuit Soncinas, Ferrarius tertio contra gent. cap. 69. & Fonseca de identitate speciei athomæ dicunt intelligendos esse Aristotelem, & Sanctissimum Doctorẽ, quoties præmissa illa distinctione animalium tantum ex semine, & non tantum ex semine productorum affirmant aliqua animalia vtroque modo generari, atque in hoc sensu existimo veram ac tenendam esse Aristotelis, & Angelici Doctoris sententiã: pro cuius declaratione sequentes statuo assertiones.

Expeditur sentẽtia legitima Arist. ac D. Tho.

13 Respondeo dicendum primo, quam plurima esse naturalia quæ ex putri materia nequeunt generari, hæc conclusio statuitur aduersus Authores primæ sententiæ, & probatur primo, sic accidit rerum productio in naturalibus sicut in artificialibus quantum ad hoc, quia ars imitatur naturam, sed quædam artificiata ita fiunt per artem, vt sine arte non possint effici (licet quædam per artẽ, & sine arte apta sint effici) vt domus, statua, & similia: ergo similiter aliqua sunt animalia quæ semine, & nõ absq; illo generari possint vt homo, Equus, & Leo. cõsequẽs patet nã sicut in artificialibus sunt quædã vnico tãtum modo productionis sui contenta, ad illũque determinata, ita in natura debent esse aliqua vnico modo productionis seu emanationis ab agente contenta ad illumque determinata. Illa enim artificialia debent habere in natura suum proportionale cui proportionentur, huiusmodi autem proportionale sunt animalia ex semine, & non alias generabilia: ergo. Secundo, nam aliqua sunt animalia adeo perfecta, vt ad eorum productionem non sufficiat virtus cœlestis absque seminis virtute: ergo: antecedens probatur, quia quanto aliquid est perfectius tanto plura ad eius completionem requiruntur, sed dantur animalia imperfecta quæ sunt vicina plantis, ac proinde ex sola putrefactione quandoque generabilia propter sui imperfectionem: ergo oportet dari alia quæ propter sui perfectionẽ ex semine, & non aliis queãt generari. Tertio, nam opposita sententia nõ potest absque hominis iniuria defensari cũ sit maxime in humanum genus iniuriosa, iniuriosum namque valde est humanæ naturæ, asserere aut iudicare in sola virtute cœlesti esse sufficientem causam effectricem hominis quem Deus omnium corporum Dominum

minum conſtituit, & propter quem cœleſtẽ & elementalem ſphæram creauit; ergo eſt prorſus reijcienda. Dico ſecundo, aliqua ſunt animalia, quæ nedũ ex ſemine, ſed etiã ex putri materia poſſunt generari, & quandoque generantur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus, ſecundæ ſententiæ Authores, & probatur primo, nam naturalibus aſsimilantur, & proportionantur artificialia, vt dictũ eſt, ſed in artificialibus aliqua ſunt ſolũ per artem factibilia, alia vero quæ per artem, & ſine arte fiunt vt circulus, triangulus, & ſimilia: ergo ſimiliter in naturalibus ſunt aliqua animalia quæ ſine ſpermate, ideſt, modo nõ regulari generantur. Confirmatur, nam in artificialibus quædam fiunt ex intentione & iuxta regulas artis, & quædam à caſu, & præter artis intentionem: ergo ſimiliter in naturalibus quædam fiunt ex intentione, & vt in plurimum, cuiuſmodi ſunt animalia ex ſpermate producta, quædam autem erunt veluti a caſu producta. A caſu autẽ dicuntur fieri in genere animalium illa, quæ ſine ſpermate producuntur. Secundo, nam quando virtus ſuperior continet virtutem totam inferioris poteſt præſtare effectum quem illa præſtaret, ſed tota virtus aliquorum viuentium etiam ſenſitiuorum continetur in virtute corporum cœleſtium, & intelligentiæ motricis: ergo quidquid poteſt producere talis virtus ſeminalis poterit à virtute cœleſti, quæ eſt ex corporalibus omnium ſuprema, generari. Minor patet, tum ex eorum imperfectione quæ ſicut plantis vicina ſunt, ita eorum virtus generatiua præhabetur in virtute cœleſti, ſicut præhabetur virtus generatiua plãtarum, in quibus experimur aliquas produci ſine ſemine, ex ſolo germine alterius, aut ex putri materia dumtaxat, quæ cũ altera producta ex ſemine ſunt eiuſdem ſpeciei. Tum quia omnis diſpoſitio materiæ ad formam alicuius animalis requiſita poteſt in virtute cœleſti contineri, quia adeo imperfecta poteſt eſſe, & aliàs in ſola primarum qualitatum temperie conſiſtens, atque cõmixtione quæ cœlo ſubiecta eſt, ſed eiuſdem virtutis eſt in naturalibus, materiæ tribuere vltimam diſpoſitionem, & formam ſubſtantialem introducere: ergo introductio formæ animalis ad quam talis diſpoſitio exigitur, ac proinde eius generatio à ſola cœleſti virtute poterit præſtari.

14 Dico tertio eadem animalia ſecundum athomam ſpeciem, vtroque modo, ex ſemine, ſcilicet, & ſine illo generari poſsũt, & quandoque generantur. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus primum modum explicãdi. Tertiã ſententiam, & probatur primo, nam in hoc ſenſu intelligitur diuiſio, quam Theofraſtus fecit initio librorum de plantis, nempe, plantarum, & animalium ſimilem eſſe originis modum, quo ad hoc quod in vtroque genere quædam ſolo ſemine, & quædam ſponte tantum naturæ, quædam vero vtroque modo gigni reperiantur, eandem diuiſionem approbant Ariſt. & D. Tho. in hoc libro dum fatentur ſe, mediam viam tenere inter Auicenam, & Auerroim. Ex quo ſic argumentor, ſi non eſſet idem animal ſecundũ ſpeciem, quod ex ſemine, & ex putri materia generatur, non ſequerentur viam mediã, ſed inciderent in vnum ex extremis, præſertim in ſententiam Commentatoris, à qua tamen proteſtantur deuiare: ergo, antecedens patet, nam ſententia Cõmẽtatoris, nõ negabat aliqua animalia non generari ex ſemine, cum experientia irrefragabilis, Mures, & Ranas abſque ſpermate genitas eſſe oſtenderet, ſed tantum negabat aliqua animalia ex ſpermate poſſe ex putri materia generari eiuſdem ſpeciei cum illis, & in hoc ſenſu aſſerebat nulla animalia genita ex ſemine poſſe ex putri materia produci, v. g. ex Muribus, aiebat, aliquos generari ex putri materia, illos tamen non eſſe eiuſdem ſpeciei cũ illis, qui per ſeminalem virtutem generantur, igitur ſi Ariſt. & D. Thom. negent animalia genita ex putri materia eſſe eiuſdem cum illis, quæ per ſeminalem virtutem fiũt, non declinant à ſententia Commentatoris, ſed potius illam reijciendo, retinent, & impugnando amplectuntur. Secũdo: nam mures geniti ex putri materia, & ex virtute ſeminali habent eandem formam ſenſitiuam: ſed forma dat ſpeciem: ergo ſunt eiuſdem ſpeciei. Reſpõdet Flandrenſis quod licet eadem ſit anima in illis, quo ad ſubſtantiam, tamen gradus ſecundum quos participatur ſunt diuerſi, & diuerſitas ſpecifica aliquando ex formarum diuerſitate, vt in homine & equo, in Angelo, & homine, aliquando tamen ex ſola graduum diuerſitate cauſatur, vt patet in Angelis, in quibus eadem eſt natura intellectualis, ſed propter diuerſos gradus ſpecie differunt ſinguli Angeli, & in Aſina, & Mulo, in quibus eadem forma eſt, & eadem ſpecies ſubalterna proxima, aliàs productio muli ex Aſina generatio non eſſet, & tamen differunt ſpecie propter graduũ diuerſitatem, quibus eadem anima diuerſimode participatur. Sed contra vrget præcedẽs argumentum: nam figura eſt vnum ex potiſſimis ſignis, quæ tam in plantis quam in animalibus, ne dum formam, ſed etiam gradum ſpecificum atteſtantur. Rurſus organicatio eadem, eſt eiuſdem gradus ſpecifici euidens

ſignum,

ſignũ, & omniũ manifeſtiſsimũ eſt operatio cum enim operationes ex principijs ſpecificẽtur, & vnaquæq; natura ſit propter ſuũ motũ, veloperationem, vt eſt vulgare Axioma Philoſophi ſecũdo de cœlo c. 3. idẽtitas operationis ſiue motus, oſtendit & arguit, nedũ à poſteriori, ſed etiã à priori prioritate cauſæ finalis, naturæ & gradus ſpecifici identitatem, ſed in huiuſmodi animalibus imperfectis, v.g. Muribus, Ranis, Piſcibus, & Serpẽtibus ſiue ex ſemine genitis, ſiue ex putri materia, eadem figura, eadem organicatio, atque eædem operationes reperiuntur, illorum enim fœminæ ex putri materia genitæ grauidæ efficiuntur, & ſimiles ſibi in ſpecie generant, eandem generationem exercendo, quam exercent fœminæ quæ ex virtute ſeminali ſunt productæ, vt alias operationes notiores omitam recenſere: ergo. Tertio ſi huiuſmodi animalia, ex putri materia, & ex ſemine producta different ſpecie, vel hoc eſſet propter agentiũ, vel propter productiõnum diuerſitatem, vel propter ſpecificam animarum diſtinctionem, ſaltẽ gradualem, nullum ex his poteſt ſuſtineri: ergo ex nullo capite prouenit in eis ſpecifica diſtinctio. Minor probatur oſtendendo ſingulas partes, & quod non poſsit tertia ſuſtineri iã oſtenſum eſt, quod autem nec prima, patet, nam alias primus homo productus â Deo ex limo terræ, & alij homines producti per maris ac fœminæ cõmixtionem eſſent diuerſi ſecundum ſpeciem, & conſequenter nos non deſcenderemus ex illo primo homine de limo terræ formato quod abſque fidei iniuria affirmare quis poterit? Rurſus, calor productus à ſole eſſet alterius ſpeciei à calore quem producit ignis, & ignis productus ab altero igne eſſet alterius ſpeciei ab illo, qui ex ſilicis percuſsione, aut ex duorum lapidum colliſione generatur, ſiquidem agẽtia diuerſa ſunt, quod tamen experientiæ repugnat. Et eodem argumento excluditur ſecunda pars, nam etiam in huiuſmodi productionibus, diuerſæ interueniunt operationes, præſertim in hominis ex limo terræ, & ex ſemine, productione, hæc diuerſitas comperta eſt, hæc enim fuit vere, & proprie viuentis generatio, ſecus autem illa. Confirmatur, nam homo productus per generationẽ, & homo productus per creationem, atque alter productus per conuerſionem lapidis in hominem eſſent eiuſdem ſpeciei non obſtante diuerſitate actionũ: ergo non obſtante actionũ aut agentium diuerſitate animalia ex ſemine, & ex putrefactione genita erunt eiuſdem athomæ ſpeciei.

Satisfit aduerſariorũ fundamentis.

Sed in contrarium hæc militant argumenta, primum eſt fundamentum primæ ſententiæ, quod procedit in hunc modum: nã quidquid poteſt virtus inferior, poteſt etiam virtus ſuperior in cuius virtute inferior cõtinetur, ſed virtus generatiua agentium inferiorum ſiue perfectorum, ſiue imperfectorum continetur in virtute cœleſti, vt mota & applicata â motrice intelligentia: ergo quidquid virtus ſeminalis, poterit virtus cœleſtis vt intelligentiæ inſtrumentum. Maior admittitur à nobis in productione plantarum, & animalium imperfectorum ex putri materia, & probatur minor tripliciter, primo teſte D. Thom. in ſecundo diſtinctione 15. quæſt. 1. art. 2. cœlum ex virtute intelligentiæ habet vim mouendi materiam ad formã ſubſtantialem recipiendam vbi indiſtincte loquitur de quauis forma ſubſtantiali per cuiuſlibet, ſiue viuentis, ſiue non viuentis generationem introducta. Secundo quia in cœlo vt ſic aſſociato intelligentiæ & illi vnito eſt eminenter vita animalis perfecti ſicut & vita animalis imperfecti, ac proinde pariter vtriuſque vita & generatio continetur, eo quod vita intelligentiæ perfectior eſt quacũque animalis vita, & corpus cœleſte perfectius eſt quouis corpore inferiori abſolute ſumpto, ſed continentia eminentialis animalis imperfecti eſt ratio quare poſsit ſine virtute ſeminali generari: ergo ſimilis effectus ratio, erit continentia animalis perfectioris. Tertio, quia eiuſdem virtutis, & agentis eſt præhabere vltimam diſpoſitionem, & illam inducere in materiam, cuius eſt præhabere formam ſubſtantialem, & illam inducere in materiam; ſed vltima diſpoſitio ad quamque animam quamtumuis perfectam præhabetur in virtute cœleſti, eo quod in primarum cõmixtione qualitatum conſiſtit, quæ cœli cauſalitatem, ac continentiam, nequit ſubterfugere: ergo in eadem productio ſubſtantialis formæ, aut eius in materiam introductio continebitur. Confirmatur experientia à perfectis animalibus ducta, conſtat enim in remotiſsimis Inſulis animalia perfecta fuiſſe inuenta, ad quas antequam homines illuc nauigarent, neque aliter potuerunt illuc cõfugere á noſtro Oriçonte: ſimiliter (ſubdit Auicena) viſus eſt aliquando vitulus, ex nubibus in terram, cum imbribus cecidiſſe, quod non contingeret niſi ibi ex putri materia fuiſſet genitus; deinde Phenicẽ quæ animal perfectum eſt ex cineribus de mortui parentis, & non ex ouo renaſci, teſtantur Tertullianus, lib. de reſurrectione. Ambroſ. Exameron. cap. 23. Clemens in conſtitut. Apoſtoli: Cyrillus Catech. 18. & Alij Sancti Patres, ad hominum futuram reſurrectionem per-

persuadendam: igitur talis viuentium perfectorum generatio sine virtute seminali non est deneganda. Respondetur ad argumentū negando minorem. Ad primam probationē, quod D. Thom. loquatur indefinite, ad veritatem autem propositionis indefinitæ non requiritur vt omnes singulares sint veræ, loquitur etiam de virtute cœli mediis causis secundis proximis continenti omnium inferiorum generationes atque corruptiones, quod nos non negamus, sed tantum negamus proxime, & immediate in virtute cœlesti contineri formas animalium perfectorū, eorumque generationes. Ad secundam, nego maiorem, nam licet vita intelligentiæ in se sit perfectior quām vita animalis, tamen vita intelligentiæ prout vnitæ cœlo non est perfectior, reduplicando ipsum vnionis modum, eo quod animal est compositum ex anima, & corpore, compositione & vnione substantiali, media qua corpus ipsum viuificatur: at vnio intelligentiæ ad cœleste corpus, non est substantialis, sed vnio in motione quadam consistens, media qua cœleste corpus non viuificatur, vnde licut supra lib. 6. circa finem docuimus multos esse effectus corporeos à casu respectu corporis cœlestis, & omnium causarum secundarum quantumcunque vniuersalium, ita nunc esse quædam animalia adeo perfecta vt cœlestis corporis atque motricis intelligentiæ proximam causalitatem, & continentiam subterfugiant, protestamur. Ad tertiū nego minorem, quia sicut forma animalis perfecti ita dispositio vltima ad illam requisita in ratione vltimæ, & quatenus est eiusdem ordinis cum ipsa anima, causalitatem, & continentiam proximam cœlestis corporis subterfugit. Ad confirmationem dico experientiam illam non obstare, primo quia in quamplurimis insulis putredinis materia abundantibus propter copiam humiditatis cum calore coniunctæ multa ex animalibus perfectis hucusque desunt, vt Lepores, cuniculi, aut Capræ, vnde signum est quod in talibus iste deffectus, ex deffectu maris & fœminæ, & virtutis seminalis prouenit, & in alijs vbi perfecta animalia reperiūtur ex nostris similia credendū est, ad illas, aut ad natando, aut hominum cura, & adminiculo fuisse aliqua horum animalium translata. Secundo quia fidei humanæ innititur, cui potest subesse falsum, multis enim ab hinc annis adeo viguit humana fides, qua antiqui Philosophi sibi, & alijs persuaserunt torridam zonam esse inhabitabilem propter calorem, tum ex solis vicinitate radiorumque ictu perpendiculariter incolarum capita lædentium, tum etiam propter velocitatem motus quo ibi cœlestis globus voluitur exorbitantem, vt nullus oppositum dicere auderet, nisi dementiæ notā inire vellet, donec ipsa euidens experientia illam regionem omnium temperatissimam ostendit, vnde nec maiori fide digna est experientia Auicenæ circa vitulum nubibus descendentem, quod si illam gratis admittamus, existimandum est illorum ventorum flatu, & tempestate aliqua, auulsum à terra fuisse, & in aera eleuatum, postea vero cum imbribus ad terram descendisse. Ad illud autem quod Sancti Patres de alite Phenice tradunt, ex cineribus demortui resurgente credendum esset omnino ita esse, si Patres hoc ex propria sententia affirmarent, sed nō asseuerant hanc historiam ex propria sententia, sed illo exemplo, ex hypotesi, quod ita sit vt traditur, vtuntur ad rēsurrectionem hominum ex puluere declarādam. Rursus, nec eodem modo illam tradunt Sancti Patres, sed alij ortum Phenicis exurgentis referunt ex antiquo Phenice in sanguinē redacto, & non in cineres conuerso. Alij autem dicunt fieri ex vermiculo de sanguine demortui putrefacto geniti, ac proinde negandum est fieri absque virtute seminali, & sic Sanctis Patribus non adeo increduli existemus, sicut illi qui hoc argumento conuicti, ex propria mente, & propria authoritate affirmāt Fenicem alitem cōparem in sua specie habere, & ex ouo generari: de quorum numero sunt Conimbricenses lib. 2. de generatione cap. 11. quæst. 1. art. 4. & 2. de cœlo quæst. 6. art. 2. sed maneat fides apud Authores. Secūdum argumentum ex fundamentis secundæ sententiæ sic procedit, nam vnius naturæ vnicus est modus generationis, & communicationis, sed animalium productio ex semine est diuersa à productione eorundem ex putri materia: ergo non sunt eiusdem naturæ, quo argumento vtitur D. Thom. in 1. dist. 10. vbi supra ad probādā personam filij distingui veluti specifice à persona Spiritus Sancti, quia vnica res tantum habet vnicum modum, quo dimanat ab altera.

15 Propter hoc argumētum est quadruplex modus dicendi: primus Cōmentatoris, & sequacium asserentium axioma illud esse adeo verum, vt propterea animalia genita ex semine, & ex putri materia, nequeant esse eiusdem speciei. Secundus asserit, axioma illud esse falsum, quia bene potest eadem natura pluribus modis communicari. Tertius est Ferrariensis 4. contra gent. cap. 23. §. *aduertendum*, asserentis quod in perfectis (excepta natura Diuina) habet verum prædictum axioma, secus autem in naturis imperfe-

perfectis. Quartus eſt eiuſdem Ferrarienſis ibidē, quod eſt verū reſpectu ſuppoſiti habē tis talem naturam, ſecus autem reſpectu alterius, & ſic etiam nullum ex animalibus imperfectis poterit ſuam naturam duobus modis: cōmunicare. Sed omnes iſti modi ſunt deficientes. Primus quidem quia iam oſtenſum eſt falſum eſſe eius fundamentum. Secūdus quia non omnis natura poteſt pluribus modis cōmunicari, nam animalium perfectorum naturam oſtendimus non niſi vnico modo, ſcilicet, ſeminali virtute naturaliter cōmunicari poſſe, & quia nec diuina natura per modum naturæ poteſt pluribus modis cōmunicari, ſed tantum vnico modo, nempe per actum intellectus Verbo Diuino per modum naturæ cōmunicatur, cum igitur modus ille ſecundus dicendi non diſtinguat inter cōmuuicationēm per modum naturæ, & non per modum naturæ, nec inter naturam perfectam, & imperfectam inſufficiens eſt. Tertius deficit propter eandem rationem, quia non diſtinguit inter cōmunicationem per modum naturæ, & non per modum naturæ, & ideo infert axioma illud tenere in naturis perfectis excepta diuina, cum tamen etiam in diuina natura vnica tantum ſit cōmunicatio per modum naturæ. Quartus ſuſtineri poſſet, ſi adderet, quod vnius naturæ, vna tantum eſt cōmunicatio à ſuppoſito habente illam per modum naturæ, alioquin diminutus eſt. Vnde aliter dicendum eſt, nempe axioma illud verificari in omnibus naturis ſiue perfectis, ſiue imperfectis ad hūc ſenſum, quod ab habente naturam vnico modo dumtaxat poteſt cōmunicari illa natura per modum naturæ, & ſic eſt notum lumine naturali, cuius veritati non obſtat duplex naturæ diuinæ cōmunicatio, quia Spiritui Sancto non communicatur diuina natura per modum naturæ, ſed per modum amoris, qui tamen identice eſt Deus, eo quod quidquid eſt in Deo, eſt Deus, & ita explicat prædictū axioma D. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 3. ad 3. Vnde quando videtur excipere diuinam naturam, ab hac vniuerſali regula, vt in q. 10. de potentia art. 2. ad 17. non debet ſic intelligi, vt in diuina natura regula veritatem non habeat, ſed ſic, quod regula, non prout eſt nota lumine naturali, ſed vniuerſaliter intellecta de qualicumque communicatione naturæ ab habente illam, non habeat verum in diuina natura, quæ dupliciter communicatur, verbo quidem per modum naturæ iuxta axiomatis notam veritatem, & Spiritui Sancto per modum diuini amoris. Iuxta hunc dicendi modum reſpondetur ad formam argumenti, diſtinguendo maiorem, & negando cōſequētiā, nā Rana, v. g. producta ex putri materia per virtutem cœleſtem non procedit à ſuppoſito habente formaliter eandē naturam, vt ſic enim per ſeminalem virtutem eſt tantum producibilis. Tertio arguitur, termini actionum diuerſarum ſecundū ſpeciem debent eſſe diuerſi ſecundum ſpeciem, ſed productio Muris ex ſemine eſt vera generatio viuentis, quia eſt origo viuentis à viuente coniuncto, productio autem Muris ex putri materia, non eſt vera generatio, quia non eſt viuentis à viuente coniuncto, ſed remoto, ſcilicet intelligēti, ac proinde differunt ſpecie: ergo Mures geniti differūt ſpecie. Si dicas terminos quidem differre, non tamen in eſſe animalis, ſed in eſſe termini, ſicut homo genitus, & homo creatus in ratione terminandi differunt, ſed non realiter entitatiue. Contra, nam ſequitur actiones ipſas etiam quo ad modum tantum differre, & non quo ad ſubſtantiam, ac per conſequens productionem ſine virtute ſeminali eſſe generationem quo ad ſubſtantiam, etc. eim qualis diſtinctio eſt in terminis, talis ad actiones ſpecificatas redundat: conſequens eſt falſum: ergo, minor patet, quia non eſt à viuente coniuncto, nec in ſimilitudine naturæ. Confirmatur, nam generatio Muris per virtutem ſeminalem eſt in ſuplebilis à cauſa ſuperiori eſt enim actio vitalis, quæ tam quo ad modū quàm quoad ſubſtantiam eſt in ſuplebilis à cauſa ſuperiori abſque proximo eius principio: ergo non poteſt fieri generatio Muris abſq; virtute ſeminali ſiquidē nequit virtus cœleſtis ſuplere concurſum cauſæ vitalis, quem tamen ſupleret ſi quidquid ipſa efficit, cœlum efficeret ſe ſolo. Cōfirmatur ſecundo, nam formæ eiuſdem ſpeciei eandem materiam habere debent, ſed anima animalis geniti per virtutem ſeminalem habet diuerſam materiam ab ea, quam habet anima alterius producti ex putrefactione, vt patet: illius enim materia eſt ſemē, ſecus autem huius: ergo & ipſæ animæ diuerſæ ſunt ſecundum ſpeciem. Maior patet primo quia teſte Philoſopho 2. de anima text. 24. actus actiuorum ſuſcipitur in patiente recte diſpoſito, ac proinde vbi eſt diuerſum patiens ac diuerſa diſpoſitio diuerſa forma introducitur: illorum enim diuerſitas huius atteſtatur diuerſitatē. Secundo, quia pro varia diſpoſitione materiæ variæ formæ introducuntur: ergo eadem forma petit eandē materiam ſub eadem proxima diſpoſitione. Tertio, quia quæ gaudent diuerſis materijs, differūt genere Phyſico, eo quod materia eſt principium genericæ diſtinctionis & genus à materia exordium ſumit. Reſpondetur iuxta ſolutio-

lutionē aſsignatā. Ad cuius improbationem prænotādū eſt, aliud eſſe ſupleri à cauſa cœleſti effectū animalis generātis quoad ſubſtātiā, & aliud eſſe ſupleri effectū quoad ſubſtātiam, & modum ipſius productionis: ad primum ſat eſt, quod producat animal eiuſdem ſpeciei in eſſe animalis licet actione diuerſa quæ nec vitalis, neque proprie generatio eſt & ſic producit quidquid generans inferius, cathegorematice, ideſt quoad rem productam: ad ſecundum autem requirebatur quod produceret animal eiuſdē ſpeciei, & per actionē eiuſdē ſpeciei, & ſic produceret quidquid generās inferius ſincathegorematice, ideſt quoad rē & quoadmodū ſiue taliter. Primū eſt verū, ſecūdū autē nō ſolū à cauſa cœleſti nequit fieri, ſed neque à Deo poſſe fieri credo, quia ſicut Deus in effectibus aliorū corporū inanimatorū nequit ſuplere modum cauſæ ſecundæ ita vt illos producat vniuoce, vt cauſa ſecunda ita in productione viuētis nō poteſt modū ſuplere ita vt poſsit actione propria generatiua, & vitali illud producere. Ex tribus namque modis dicendi ſupra recenſitis circa actiones vitales ſecundus mihi euidens videtur, quem ſequuntur Caietanus, & Soto; eo quod vitalitas & modus ille dependentiæ à principio proxime elliciēte eſt eſſentialis ipſi actui vitali, & non ponens in numero cum illo, ſicut defectibilitas, & ordo ad cauſam ſecundā impedibilem eſt eſſentialis effectui contingenti, vt contingenti: Vnde ſicut implicat fieri à Deo effectum contingētia affectum abſque cauſa impedibili, ita implicat fieri à Deo actionem vitalitate affectā abſque proximo principio elliciente. Rurſus concurſus principij vitalis circa actum, nedū eſt effectiuus, ſed formalis ex vtroque mixtus, ſicut concurſus ſpeciei, & obiecti circa cognitionem: concurſus autem formalis à Deo nequit ſupleri. Ex qua ratione labefactatur opinio Capreoli, & aliorum, quos ibidem pro primo dicendi adduxi, aſſerentium actum vitalem à ſolo Deo poſſe fieri. Quod autē quoad ſubſtantiam aut ſolam entitatem nequeat fieri, vt ſibi perſuadent Conimbricenſes: patet quia vitalitas (vt iam dixi) non eſt modus aduenies entitati viſionis aut intellectionis, ſed earum entitatem, & ſubſtantiam ingreditur, eſtque illis eſſentialis. Deinde quia aliàs poſſet Deus ponere in lapide actū viſionis quoad eius entitatem ſecluſo modo vitalitatis, quod tamen eſſe falſum exiſtimo, eo quod ibi eſſet ſolus gradus genericus qualitatis, & hæc poſitio chimerica eſſet, vel gradus ſpecificus talis qualitatis ibi eſſet, ſed nequit condiſtingui gradus ſpecificus talis qualitatis niſi in eius eſſentiale diſtinctiuum ingrediatur ordo ad tale obiectum, v. g. coloratum, & ordo ad tale principium, atque dependentia ab illo actiue, & paſsiue ad viſionem concurrente, in quo cōſiſtit vitalitas illius actionis: ergo nequit per aliquam potentiam vitalitas à qualitate viſionis ſeparari ſicut neque rationale ab animali quod eſt homo: vnde falſo Conimbricenſes putant non magis dependere actū vitalē à potentia quā potentiā ab eſſentia ſubiecti, hæc enim tantū pendet naturāliter, & ideo poteſt Deus illā ſeparatam ab eſſentia cōſeruare ſicut de facto in Euchariſtiæ Sacramento naturalia accidentia panis conſeruat ſeparata ab eſſentia panis, ille vero pendet à principio proximo eſſentialiter, & ideo abſque illo nequit, aut fieri, aut conſeruari. Ad formam igitur dictæ improbationis nego ſequelā: generatio enim vitalis neque quoadmodum neque quoad entitatem poteſt à Deo elliciabſque principio proximo, nedum à cauſa cœleſti; neque tanta in terminis requiritur diſtinctio, quanta in actionibus ab illis ſpecificatis: quia ex terminis ſola ratione diſtinctis diuerſi actus realiterque diſtincti poſſunt ſpecificari, ſicut ex obiectis ſola ratione diſtinctis diuerſæ potentiæ realiter ſpecificantur, vt voluntas, & intellectus. eo quod obiecta, & termini præhabent virtualiter, & per modum cauſæ exemplaris, & æquiuocæ ea, quæ ab illis ſpecificantur: ac proinde opus non eſt vt ipſis formaliter conueniat quidquid in illis reperitur. Ad confirmationem primam concedo conſequentiam, quia non eſt contra noſtram doctrinam. Ad ſecundam reſpondetur prænotando materiam eſſe duplicem aliam proximam, & aliam remotam ſcilicet materiam primam, & hæc eadem debet eſſe informis nedum eiuſdem ſpeciei, ſed etiam eiuſdem generis, quia huius diuerſitas cauſat diuerſitatem formarum in genere Phyſico: proxima verò materia eſt duplex, alia eſt tranſiens, vt nutritionis materia tranſiens, eſt ſanguis; generationis verò eſt ſemen; & vtraque tranſit & aduenit; materia immanens, nempe illa diſpoſitio cum qua forma ſubſtantialis introducitur & conſeruatur; & hæc debet eſſe eadem, vbi materia diſponitur ad formam eiuſdem ſpeciei, non illa quæ poteſt eſſe diuerſa: vnde tranſacta putrimateria, & ſeminali; materia ſuſcipiens animam muris ſiue illo, ſiue illo modo eadem eſt; & eiſdem diſpoſitionibus terminata, quo ſuppoſito concedenda eſt maior ſecundæ confirmationis de materia

proxima permanẽte: negãda tamẽ de proxima materia trãſeunte, & eodẽ modo reſpondetur ad primã, & ſecundã eius probationẽ. Ad tertiã quæ procedit de diuerſitate materiæ primæ ſiue remotæ, non militat in noſtro caſu, vbi materia prima, eiuſdẽ rationis eſt.

Tertio arguitur: cœleſte corpus neque vt cauſa principalis, neque vt inſtrumentalis poteſt cõcurrere ad animalis ex putrefactione geniti productionẽ: ergo nullatenus poteſt talis generatio per virtutem cœleſtem fieri: antecedens probatur, quod nõ vt cauſa principalis, quia hæc debet eſſe vel nobilior vel ſaltim æque nobilis cum ſuo effectu, cœlum autem cum inanimatum ſit, ignobilius eſt quouis corpore animato, quod non vt inſtrumentum patet, quia inſtrumentum debet agere in virtute cauſæ principalis: at intelligentia motrix, cuius inſtrumentum deberet eſſe cœlum nequit cauſare principaliter corpora ſublunaria, imo neque poteſt rebus corporeis aliquam qualitatem imprimere, vt cœleſte corpus per illam in actu primo conſtituatur, ſed ſolum poteſt per motum localem actiua paſſiuis applicare; vt communis opinio Theologorum ſentit, quam latè proſequitur D. Tho. 1. p. q. 110. art. 2. & in 2. diſtinct. 7. quæſt. 3. art. 1. de malo quæſt. 16. art. 9. & 3. cõtra gent. cap. 103. Alenſis 2. p. quæſt. 43. memb. 2. & Bonauentura in 2. diſtinct. 7. quæſt. 2. illamque ex Auguſt. lib. 12. de Ciuitate cap. 24. & 3. de Trinitate cap. 8. videntur deſumpſiſſe: ſolũ igitur concurret Angelus ad huiuſmodi viuentis productionem actiuam, cœli virtutem applicando: vnde ſi hæc non eſt principalis, nullibi aparet virtus cauſæ principalis. Propter hoc argumentum ſequentem articulum inſtituimus diſcutiendum.

ARTICVLVS V.

An cœlum in animalium ex putrefactione, generatione, ſit agens principale?

Varia Philoſophorum placita.

16 IN hoc articulo quatuor verſantur ſententiæ, quarum prima fuit Auicenæ lib. 1. ſufficientiæ, & in Methaphyſica tractu 9. cap. 4. aſſerentis omnes formas ſubſtãtiales rerum corruptibilium introduci in materiam à quadam intelligentia, quam agẽtem nuncupabat: agentia vero corporea ſolum introducere diſpoſitiones accidentales ad ſubſtantiales formas requiſitas, ac proinde corpus cœleſte neque in generatione animalis ex ſemine, neque in generatione eiuſdem vel alterius ex putrimateria, ipſam ſubſtantialem generationẽ attingere, ſed ſolum accidentalis formæ diſponẽtis productionem, & ſolam intelligentiam agentem, eſſe illius cauſam adæquatam. Secunda aſſerit cœleſte corpus ſecundum ſuam propriam virtutem eſſe prædictæ generationis ex putrimateria cauſam principalem proximam: quam ſequuntur Marſilius in 1. q. 1. art. 2. & Gabriel lect. 41. ſuper Canon. cuius fundamentum eſt, quia aut corpus non viuẽs poteſt eſſe perfectius viuente, aut non requiritur cauſam principalẽ eſſe ſuo effectu nobiliorẽ. Tertia aſſerit cœlũ eſſe cauſam principalem prædictæ generationis, non ſecundum ſe aut cum ſola intelligentia motrice creata conſideratum, ſed coniunctũ cum diuina, & increata intelligentia. Hanc ſententiam ſequuntur Fonſeca in hoc lib. cap. 1ã citato q. 2. ſect. 3. & Conimbricenſes 2. de cœlo q. 6. art. 2. quam reuera coincidere cũ ſententia Durandi in 2. d. 14. parte 2. q. 1. (fatentur Conimbricenſes) aſſerentis cœleſte corpus in prima ſui creatione accepiſſe veluti quãdam ſeminariam virtutẽ per quã ad omnia nedum animalia, ſed generabilia concurrit, & licet hanc Durandi opinionẽ reijciat prædictus Fonſeca, tamen nomine tenus declinat ab illa, eo quod ſeminalis virtus cœli accepta in prima ſui conditione, à Deo debuit eſſe accepta: vnde ſicut ſemen coniunctum viuenti particulari à quo deciſſum fuit, eſt cauſa, cui generatio viuẽtis attribuitur, ita cœleſte corpus (putat Durandus) coniunctum Deo media hac veluti ſeminali virtute eſſe cauſam, cui generationes omnium generabilium ſunt attribuendæ ſiue proxime, & immediate, ſiue mediis cauſis inferioribus ad illas concurrat. Et hoc ipſum exiſtimat Fonſeca: quare immerito reijcit Durandum, in cuius incidit opinionem, & in eãdem incidit Suarez tom. 3. Metaphyſicæ diſp. 18. ſect. 2. Quarta ſententia aſſerit cœleſte corpus eſſe inſtrumentum intelligentiæ motricis creatæ reſpectu talis generationis animalis ex putrimateria producti, & ſimul cum intelligentia coniunctum eſſe vnicam cauſam proximam, & immediatam, ac principalem, cui talis generatio eſt attribuenda. Hæc proculdubio eſt ſententia Angelici Doctoris in tertia, diſtinctione 8. quæſt. 1. art. 1. ad 7. & hic lect. 6. & 1. p. quæſt. 45. art. 8. ad tertium, & quæſt. 91. art. 2. & quæſt. 70. artic. 3. ad tertium, & q. 6. de potentia art. 4. quam latius proſequũtur Capreolus in ſecundo diſtinct. 14. quæſt. vnica art. 3. Soncinas lib. 12. huius q. 13. Flãdrenſis ibidẽ quæſt. 7. art. 6. ad 2. & Baneſius

primo

primo de generatione cap. 1. dub. 1. in solutione ad primum. Pro cuius declaratione, & aliarum opinionum confutatione, sequentes propono conclusiones.

Expendi tur sentẽtia D. Thom.

Respondeo dicendũ primo solam intelligentiam creatam nõ posse in effectuũ corporaliũ productionẽ. Hæc assertio statuitur aduersus Auicennã vnicũ primæ opinionis defensorẽ; & probatur primo, nã causæ secũdæ inferiores etiã cõcurrũt ad formarũ substantialiũ, & accidentaliũ introductionẽ in materiã atque productionẽ, cũ illas in sua virtute cõtineant: nõ igitur sola intelligentia est causa huiusmodi effectuũ; alias tolleretur à causis secundis vera causalitas, & actiuitas, quã in sibi similibus effectibus producendis exercent, quod est absurdum. Secundo, nam substantiæ immateriales creatæ nullam formam corpoream producere, aut introducere in materiam possunt, nisi quatenus vtuntur causis secundis corporeis, illarum virtutes passiuis applicando: eo quod nihil Physicũ producere possunt nisi motũ localem: quo mediãte possunt applicare actiua passiuis, & sic effectus producere, & nõ perse ipsas immediate, sed mediãtibus agentibus secũdis applicatis: ergo falsum est solam intelligentiã absque corporeo agente posse aliquẽ effectum corporeum causare: antecedens est Doctoris Sancti 1. part. quæst. 65. artic. 4. & quæst. 110. artic. 2. de potentia quæst. 6. art. 3. & lib. 3. contra gentes cap. 69. & 103. vbi illud probat hac vnica ratione, in qua constans, & perpetuus est Sanctus Doctor: nam omne agens producere sibi simile semper nititur, sed id quod fit in his corporalibus est compositum, cuius etiam est esse vt dicit Philosophus in hoc 7. capit. 8. ergo causa productiua compositi, aut formaliter debet esse quid compositum ex materia & forma, aut virtualiter debet præhabere ipsum cõpositum producendum, non tantum quoad formam, sed etiam quoad materiam: sed substãtiæ immateriales creatæ, nec formaliter sunt compositæ, nec virtualiter continent totum compositum; eo quod materiam saltim vtpote à solo Deo creabilem continere non possunt: ergo nullum compositum siue substantiale, siue accidentale virtute sua generare valent, nisi interuentu alicuius substantiæ materialis, quæ licet non habeat virtutem producendi materiam primã, est tamen composita formaliter ex materia, & forma, ac per consequens est potens aliud compositum sibi simile generare. Huic rationi obijcit Durandus in secundo dist. 7. quæst. 4. satis esse vt effectus assimiletur agẽti secundum formam, & non requiri vt assimiletur quoad materiam, ac proinde substãtias immateriales non reddi impotentes ad producenda composita defectu materiæ aut virtutis illam continentis. Vade subdit aliam rationem huius impotentiæ, nempe quia talem virtutem à suo conditore, non acceperunt; eo quod sufficiens virtus ad producenda huiusmodi composita materialia sit in substantijs materialibus. Sed neque obiectio, neque ratio Durandi eneruant rationem Angelici Doctoris: obiectioni enim satisfit, si dicamus quod omnis effectus quantum ad id, quod fit perse debet assimilari, vel formaliter, vel virtualiter suo adæquato agenti immediato, hoc est debet vel formaliter, vel virtualiter in illo contineri: cum igitur totum compositum ex materia, & forma fiat perse, siquidem eius est esse ac fieri perse, quoad vtrumque debet in agente immediato contineri. Contra rationem autem eius arguitur; nam multoties eiusdem rei virtus productiua pluribus causis confertur à Deo, sicut multoties contingit eandem multis modis, & à diuersis causis fieri: artificiata enim ab homine, & Angelo possunt confici, & vt nuper docebamus animalia imperfecta à sibi similibus ex semine, & à causis superioribus absque virtute seminali produci possunt: ergo inefficax est ratio Durandi ad impotentiam substantiarum immaterialiũ circa compositi naturalis productionem eomprobandam.

17 Dico secundo, neque solum corpus cœleste innata virtute potest esse principalis causa animalium ex putrimateria genitorum. Hæc statuitur aduersus Authores secundæ sententiæ: & probatur labefactando eius fundamentum: nam si corpus cœleste esset causa principalis huiusmodi animalium, vel hoc esset, quia corpus non viuens esset perfectius viuente essentialiter, vel quia causa principalis posset esse imperfectior suo effectu: sed vtrumque est falsum; primum quidem quia omne viuens est particeps essentialiter gradus perfectioris, scilicet vitæ, quàm gradus solius entis, cuius est particeps non viuens. Rursus illius forma est anima, huius autem non est anima, sed forma imperfectior anima: ergo & constitutum per illam est perfectius quam constitutum per istam. Secundum vero: quoniam agens principale debet agere per propriam virtutem, & nititur producere sibi simile, quod non posset, nisi esset naturæ saltem æque perfectæ cum effectu producendo. Rursus aut debet esse vniuocum, aut æquiuocũ: si primum

erit eiuſdē ſpeciei formaliter, ſi ſecūdū, erit ſpeciei perfectioris quā effectus: ergo licet poſsit cœleſte corpus innata ſibi virtute, vt cauſa principalis ſiue proxima ſiue mediata corpora non viuētia producere, minime tamen viuētia. Dico tertio corpus cœleſte, vt inſtrumētū creatæ intelligentiæ motricis eſt ſufficiens producere huiuſmodi animalia ex putri materia. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus tertiæ ſentētiæ Authores, & pro Authoribus 4. & probatur 1. nā D. Thom. in locis adductis pro 4. ſent. aſſerit. *Quod in animalibus generatis ex putrefactione virtus ſolis, & aliorū cœleſtiū ſuplet vicē virtutis formatiuæ exiſtētis in ſemine, & quia huiuſmodi virtutes corporū cœleſtiū ſunt per omnia corpora inferiora diffuſæ, ideo fatetur Philoſophus 17. de generatione animaliū omnia eſſe plena virtutibus animæ, & ideo ſicut animalia genita ex ſemine ſe habent ad fœminā, ita ſe habent ad terrā quæ ſine ſemine generantur, & ſicut illa ſe habent ad Patrē, ita iſta ſe habēt ad corpora cœleſtia: propter quod quidā Philoſophus relatus ab Ariſtotele 1. de partibus animaliū cap. 2. dixit ſolē eſſe plantarū Patrem, terrā vero matrē. Vnde patet quod huiuſmodi quæ ſine ſemine generantur ſiue ſint plātæ ſiue animalia proprie dicuntur naſci, gigni & oriri:* Hæc habet S. Doctor in 3. diſt. 8. q. 1. art. 1. ad 7. & eadē in alijs locis citatis confirmat, & aprobat: ex quibus tale deducimus argumentū. Solis & corporū cœleſtiū virtus ſuplet vicē virtutis formatiuæ ſeminis in huiuſmodi animalium productione: ergo ſicut ex ſemine, & viuente efficitur vnū principiū totale cui tribuitur productio animaliū ex ſemine; ita ex virtute cœleſtis corporis & intelligētia motrice efficitur vnū principiū totale cui attribuenda ſit produtio animalis ex putrimateria. Cōfirmatur dupliciter, primo, nā huiuſmodi animaliū productio dicitur D. Th. proprie generatio viuētiū quātū ad aliquid licet nō quantū ad omnes cōditiones requiſitas in definitione ſuperius aſsignata: non enim eſt in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ, aut genericæ proximæ: ſed quantū ad coniunctionem geniti cum ſuo generante, ſicut enim planta naſcens coniungitur cū ſuo principio mediante ſemine quod à principio fuit cum planta generante coniunctū, ita animal genitum ex putrimateria coniungitur cū intelligentia mediāte virtute cœleſti intelligentiæ coniuncta, ſed intelligentia immediate, & proxime mouens non eſt diuina, ſed Angelica: ergo principium proximū talis generationis non eſt virtus cœleſtis vt Deo, ſed vt Angelo coniuncta. Cōfirmatur ſecundo, nā D. Tho. in 2. d. 15. q. 1. art. 2. tribuit virtutē producendi formas ſubſtantiales cœleſti corpori vt coniuncto intelligentiæ motrici creatæ; vbi vniuerſaliter loquitur de quacūque ſubſtantiali forma: ergo eidem tribuit virtutem inducendi in materiam animā ſenſitiuā animalis producti ex putrimateria. Secūdo probatur, nā hic ſect. 6. §. 2. *dubitatio* ait quod generatio animalis, ex perfectione relata ad cauſas particulares hic inferius agētes eſt per accidēs, & caſualis, eo quod calor qui cauſat perfectionē, non intendit naturali appetitu generationē huius vel illius animalis, quæ ex putrefactione ſequitur, ſicut virtus ſeminis intēdit animalis talis ſpeciei productionē: relata vero ad virtutē cœleſtē vniuerſalē gēnerationē, & corruptionem in his inferioribus regitiuam eſt perſe intenta, quia de eius intētione eſt vt educātur in actu omnes formæ, quæ ſunt in potentia materiæ, & in hoc ſenſu aſsimilauit Ariſtoteles ea quę fiunt ab arte his, quæ à natura: ſed virtus proxima ſuplens vicē virtutis ſeminalis, & perſe intendens productionem animalis ex putrefactione non eſt virtus cœleſtis vt aſsociata Deo, ſed vt cōiuncta intelligentiæ creatæ motrici: ergo cœleſte corpus, vt inſtrumentum creatæ intelligentiæ eſt ſufficiens principium talis generationis, quam ſententiam teſtatur hic D. Tho. fuiſſe Commentatoris in lib. 11. huius commento 18. Tertio arguitur, nam vel cœlum vt ſubordinatū Deo Authori naturæ eſt cauſa animalis ex putrefactione geniti tanquam cauſa ſecunda principalis, & hoc non quia eſt minus perfectū animali, vel tanquam inſtrumentū, & ſi hoc detur, cum à principio ſuæ creationis ſit Deo ſic ſubordinatum, ex tūc habuit ſe vt inſtrumentum Dei, & ad inſtar ſeminariæ virtutis, ac per conſequens coincidet hæc ſententia Fonſecæ cum ſententia Durandi, quā tamen ipſe reijcit: ergo vel immerito ſententiam Durandi reijcit, vel dicere tenetur cœleſte corpus non vt inſtrumentum increatæ intelligentiæ huiuſmodi animalia cauſare. Quarto, nam ſequitur ex hac Fonſecæ poſitione, quod nedum imperfecta, ſed etiā perfecta animalia ex putrimateria per virtutem cœleſtem poſsint ac debeant produci proxime: cōſequēs eſt falſum, & cōtra eiuſdē Fonſecæ ſententiam, quam quæſtione præcedenti docuerat: ergo & antecedens, ſequela patet, nam cœleſte corpus coniunctum cum Deo, vel Deus ſubordinans ſibi cœleſte corpus præhabet, & cōtinet in virtute non ſolū imperfecta verū etiā perfecta animalia, & ad cuiuſcumque productionē poteſt vti cœleſti corpore, vt inſtrumēto, præſertim quia maior dignitas illorū hoc eſt viuentiū perfectorū erit habere Deum pro cauſa proxima, & parti-

particulari efficiente ſui, magna etenim in anima rationali, & Angelo eſt dignitas quod à ſolo Deo producatur. Confirmatur, nã aut Deus ad taliũ animaliũ productionẽ cõcurrit cõcurſu generali, aut cõcurſu particulari; ſi generali: igitur nõ tollit quominus cęleſte corp⁹ cõcurrat vt cauſa ſecũda principalis ſiquidẽ cõcurſus Dei generalis eſt cauſæ primæ vniuerſalis mouẽtis cauſas ſecũdas principales earũq; virtutes innatas applicãtis: ſi particulari vel hic cõcurſus eſt ſupra ordinẽ naturæ, aut extra legẽ ordinariam, & hoc nõ quia effectus hic miraculoſus nõ eſt, vel eſt cõcurſus particularis debitus tamẽ naturæ cœli ad talẽ effectũ producendũ; & hoc improbatur, nam nulla eſt ratio quare Deus præbeat hũc cõcurſum particularẽ potius tã quã cauſa proxima principalis ad animal imperfectũ producendũ cũ cœlo, quã ad ad animal perfectũ generandum: eo quod Deus vt cauſa proxima, & particularis operans nõ ſolũ cõtinet virtute cõpoſitum ex corpore, & anima imperfecta, ſed etiã quod vis cõpoſitũ ex corpore, & anima quãtũcumq; perfecta. Rurſus virtus cœlo cõmunicata ſeminaria ſiue quaſi ſeminaria ad huiuſmodi animalis productionẽ eſt permanẽs, & ipſi cõnaturalis, vt fatetur Fõſeca, ſect. 4. ad 2. & aliàs eſt inſtrumentũ Dei vt proximi agẽtis principalis, & ſeminalis virtus eſt permanens naturalis ſemini & inſtrumentalis reſpectu viuentis à quo deciſſum fuit ſemẽ: ſed non eſt ratio, quare non extendatur talis virtus ad animalis perfecti productionem, ſiquidem eſt inſtrumentum viuentis perfectiſsimi nẽpe Dei authoris naturæ, ſicut virtus ſeminalis hac ratione poteſt in animalis perfecti productionem, quia eſt inſtrumentum animalis perfecti continẽtis perfectionem animalis generandi: ergo dicendũ eſt non Deũ, ſed creatam intelligentiam eſſe proximam cauſam principalem animalis ex putri materia geniti, cœlum vero eſſe inſtrumentũ, & ex vtroque integrã cauſam proximã cõflari.

Satisfit argumento.

18 Sed cõtra arguitur primo, nã illud eſt agens principale alicuius effectus cui talis effectus productio attribuitur, ſed animalis ex putri materia productio attribuitur cœlo ſecũdũ ſe: ergo ipſum eſt agens principale in tali productione. Minor probatur tripliciter: primo quia inter cœlũ & tale animal nullũ aliud agẽs mediat, cui poſsit generatio illius attribui. Secũdo quia animaliũ perfectorum generatio attribuitur cœlo ſaltem tanquam cauſæ vniuerſali, & mediatæ, principali tamen: etenim teſte Philoſopho ſecundo Phyſicorum cap. 2. Sol & homo generãt hominem: ergo defficientibus cauſis ſecundis inferioribus in productione alicuius animalis, illa debet cœlo vt agenti principali proximo attribui. Tertio quia cœlum ex tua virtute poteſt diſpoſitionẽ inducere ad huiuſmodi animalium formas ſubſtantiales introducendas in materiam, vt videtur docere D. Tho. in 2. diſt. 15. q. 1. art. 2. ſed eiuſdem agentis eſt vltimam diſpoſitionem, & formã introducere: ergo. Ad hoc argumentũ quod eſt ſecundæ ſententiæ fundamentum, reſpõdetur negando minorem: ad primam probationem negatur conſequentia, licet enim nullum agens inter cœlum mediet & animal productum, non ſequitur cœlum eſſe cauſam proximam principalem, ſed tantum ſequitur quod cœlum ſit proxima cauſa ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis, ſicut ex defectu agentis medij inter ſemen, & animal genitũ ex ſemine nõ ſequitur ſemẽ eſſe agẽs proximũ principale, ſed tantũ eſſe proximũ inſtrumentũ. Ad ſecundã reſpõdetur, quod Soli, cœlo ve, nõ attribuitur generatio perfectorũ animaliũ ſecundũ ſe ſumpto, ſed vt includẽti motricẽ intelligentiã, & eodẽ modo poteſt ei tribui generatio viuẽtiũ ex putrefactione genitorũ; cum hoc tamen diſcrimine quod illorũ generatio attribuitur ei vt agẽti mediato; horũ vero productio vt agenti proximo, & immediato immediatione ſuppoſiti. Ad tertiã nego maiorẽ, ſicut enim nequit vt cauſa principalis animã, ita neq; vltimã diſpoſitionẽ poteſt inducere: vtrũque tamẽ poteſt inducere, vt inſtrumentũ cũ intelligẽtia coniunctũ, & quamuis cũ illa vnũ veluti agens cõſtituat. Ipſi cœlo vt ſic intelligentiã includẽti poteſt tã formæ ſubſtãtialis quã diſpoſitionis productio, v principaliter agenti tribui; cũ hoc tamẽ diſcrimine, quod per quãdã apropriationem productio diſpoſitionis accidẽtalis cœlo, productio vero formæ ſubſtãtialis intelligẽtiæ motrici attribuatur, & ſecũdũ hãc apropriationẽ loquitur D. Tho. in loco allegato, quãdo cœleſti corpori diſpoſitionũ, intelligẽtiæ vero formarũ ſubſtãtialiũ tribuit productionẽ. Secũdo arguit Fõſeca, nã productio huiuſmodi animalium ex putri materia nequit tribui cœlo, quia nõ eſt viuẽs neq; intelligẽtijs creatis, quia nullã virtutẽ Phyſicã poſſunt imprimere corpori cœleſti: ergo debet tribui illi vt cõiũcto cũ diuina, & increata intelligẽtia. Cõfirmatur primo, nã huiuſmodi animaliũ productio appellatur hic à Philoſopho effectus per accidens & caſualis reſpectu cauſarũ inferiorũ; ſed effect⁹ per accidẽs naturales attribuũtur cœlo, vt cõiũcto cũ intelligẽtia vniuerſali, & increata: null⁹ enim vt ſic ſubterfugit ei⁹ intẽtionẽ, qui tamẽ poſſunt eſſe per accidẽs

reſpectu cœli, & intelligentiæ particularis: ergo. Confirmatur ſecundo, nam cœlum eatenus eſt cauſa huiuſmodi animalium, qua tenus ab illo dependent in fieri, & conſeruari, quod eſt proprium cauſæ æquiuocæ; ſed non dependent ab illo in fieri, & conſeruari niſi vt coniuncto cum Deo, ab intelligentia enim creata non dependent huiuſmodi viuẽtia ex putri materia genita in conſeruari: ergo. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens pro ſecunda parte, ad eius probationem negandum eſt quod ab intelligentia creata, nequeat aliqua virtus ad cœleſtia corpora deriuari, præſertim ſi virtus illa inſtrumentaria, & ad inſtar formæ intentionalis ſit cum motu locali communicata: nam licet Angeli immediate nequeant aliquam formam Phyſicam producere quæ ſit generis Phyſici condiſtincta omnino, & ſeparata à motu locali, vt conuincit ratio ſuperius adducta Angelici Doctoris, poſſunt tamen motum localem immediate cauſare, & etiam cõquenter cauſare poſſunt localem ſitũ & poſitionem in corporibus, & formas artificiales, v. g. Domus & pontis & ſimilium, quæ ſolius motus localis interuentu fiunt, ſimiliter impulſum in corpora proiecta impreſſum (fatetur Fonſeca ſect. 2. §. *quod ſiquis*) poſſe ab Angelis immediate cauſari. Deinde aliquas formas intentionales, vt lumẽ, ſpecierũ difuſsionem per medium, & ſimiles poſſe cauſari ab Angelo immediate, & abſque motu certum eſt, cum pro huiuſmodi formarum productione ſint locati in cœlo Empireo, & quod huiuſmodi formæ à cœlo Empireo immoto manente, & à corporibus inferioribus ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarũ cauſentur, docet D. Tho. de potentia q. 5. art. 8. & in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. quam doctrinam latius ſequuntur Capreolus vbi ſupra, & *Bañeſius* 1. de generatione in q. procemiali in ſolutione ad 2. principale pag. 6. Cum igitur virtus illa inſtrumentalis, qua cœlum agit ad viuentium productionem ſiue concurrat mediate ſiue abſque alia media cauſa ſecunda, ſit, vel ipſe motus localis, vel cum illo identificata, vt ibi notat Bañeſius, vel meo videri eſt virtus ad inſtar impulſus impreſi, vt quædam forma intentionalis licet permanens, tamẽ ad inſtar lucis, ſiue ſpeciei intentionalis ſe habens per motum localem corpori cœleſti impreſſum delata: ideo poteſt ab Angelo talis virtus corporibus cœleſtibus communicari; neque hoc debuit Fonſeca negare, qui paulo ante ſimiles formas immediate poſſe produci ab Angelo affirmauerat. De quo infra reddit ſermo, dũ ex profeſſo dependentiam inferiorum corporum à motu cœli declaramus. Ad primam cõfirmationem nego conſequentiam, iam enim diximus, ex D. Thom. huiuſmodi animalia dici effectus per accidens reſpectu cauſarum inferiorum, qualis eſt virtus cauſans putredinẽ. Ad ſecundam nego minorem: nam ſicut à cœleſtibus corporibus dependent corpora inferiora inanimata in fieri, & conſeruari, ita dependent animata: cum hoc diſcrimine quod reſpectu illorũ ſunt cœleſtia corpora cauſæ æquiuocæ principales, at reſpectu horũ ſunt cauſæ æquiuocæ inſtrumẽtales: ſi autem cœlum ſimul cum intelligentia ſumatur in vi vnius cauſæ, erit cauſa æquiuoca principalis, à qua viuens, & quodcũque aliud corpus corruptibile dependet in fieri, & conſeruari: etenim Author naturæ concurrit ad fieri, & ad eſſe horum inferiorum mediis corporibus cœleſtibus, ad quorum virtutem vniuerſalem pertinet, vt eorum cauſalitas non ſolũ ad fieri, ſed etiam ad eſſe rerum ſibi ſubiecta tum extendatur, in quo cauſam æquiuocam ab vniuoca lib. 8. diſtinguimus. Ex quo patet falſo Fonſecã hic q. 3. ſect. 1. aſſerere aliqua agentia vniuoca eſſe cauſas ſuorũ effectuum quoad fieri & quoad eſſe; nempe illa, quæ licet formam eiuſdem rationis communicare poſsint ſuis effectibus, nequeunt tamen communicare eis eundem modum connaturalitatis, ſicut Sol reſpectu luminoſi aeris: quia in his (ait ille) non procedit ratio D. Tho. qua vtitur in tertio contra gent. cap. 65. & 1. p. q. 104. art. 1. quod alias producerent ſe ipſa, ſed profecto decipitur, nam ſi Sol eſſet agens vniuocum, etiam militaret ratio Doctoris Sancti: & ideo non militat, quia agens vniuocum, nõ eſt proprie defectu vnitatis in modo participandi formam lucis: & patet quia ignis poteſt communicare aeri lumen quoad ſubſtantiam, & modum cõnaturalitatis, poteſt enim producere alium ignem cui connaturale ſit lumẽ illud; & tamen eſt cauſa luminis producti quoad fieri, & eſſe: ergo poſſe communicare formæ connaturalitatẽ non tollit dependentiam in fieri, & conſeruari: ſed ratio huius dependentiæ eſt, quod lumen nullatenus eſt diſpoſitio ad formam ignis, neque illius inchoatio, bene autem calor, qui inchoatiue, & diſpoſitiue eſt forma ignis: vnde calor ab igne productus in aere abſque connaturalitate ſicut lumen dependet tantum in fieri, quia cum ſit ignis inchoatiue, & inchoatiue effectus vniuocus, lumen vero quod neque inchoatiue eſt ignis, eſt effectus pure æquiuocus, ac proinde dependet in fieri & conſeruati.

ART.

ARTICVLVS VI.

An accidens in virtute substantiæ possit attingere formæ substantialis productionem, at eius vnionem cum materia?

16 HVNC articulum iure optimo proprium hic locum ac sedem sibi vendicare multis de causis perspicuum peritioribus est: propter nouio res vero Metaphysicę auditores, quibus sem indulgendum est, aliquas non grauabor recensere; quarum prima est, quæ sese statim offert, quod hic comparationē tertiam examinamus Metaphysici, in qua philosophus comparat substantiam ad eius principia productiua: & quia aliquæ substantiæ producuntur medijs accidentibus, ideo vt exacte substantiarum principia efficientia declarentur, oportet accidentium efficientiam instrumentalem inuestigare. Secunda quoniā hic agit philosophus de productione viuētium imperfectorum ex putri materia per virtutem cœlestem, quam constat esse formam quandam accidentalem cœlo impressam. Tertia quia viuētiū generatio ex semine fit à viuente in genere causæ principalis, & à seminali virtute instrumentaliter: vnde opus est declarare hic quo pacto accidentalis virtus seminis possit substantialem viuentis generationem attingere, vt sic, tum ipsa generationis definitio; tum eius adæquatum principium proximum magis pateſiat. Quarta nam illi qui cœlesti corpori vt causæ principali generationem viuentium exputrefactione attribuebant, ideo hanc sententiam sibi persuadebant, quod putarent rem minus perfectam posse esse causam principalē alterius perfectioris: vt igitur hoc fundamentum labefactetur, opere precium fuit hic a Methaphysicis hanc disputationem discuti, quibus, & nos morē gerentes noluimus eam in alium locū remittere. Quatuor itaque sunt sententiæ in hoc articulo, duæ extremæ, & aliæ duæ media via procedentes. Prima asserit accidens propria virtute, & in genere causæ principalis attingere substantiæ productionem, ita Maior in 4. d. 12. quæst. 1. quam etiam sequuntur illi, qui propterea tribuebant cœlo secundum se causalitatem principalem circa viuentia ex putri materia genita, quia rem minus perfectam alterius perfectioris causam principalem esse posse putarent; & alij, quos refert Soncinas in hoc 7. q. 7. Secunda huic e diametro opposita est Scoti in 4. distinct. 12. quæst. 3. Durandi ibidem quæst. 2. Ochami in 2. quæst. 2; negantium omnem causalitatem accidenti circa ipsam formalem substantiæ productionem: eo quod existimant omnem efficientiam accidentis sistere in dispositionum accidentalium introductione. Tertia ex medijs ait, accidens sua actiuitate instrumentaliter attingere nedum dispositionum accidentalium, verum etiam formæ substantialis introductionem: ita tamen vt proxima ratio agendi nunquam sit sola virtus accidenti communicata, sed etiam ipsa substantia causæ principalis, ex qua simul, & accidenti: v.g. ex igne generante, & calore ipsius conflatur integra, & adæquata ratio proxima agendi ignis circa alterius ignis productionem, ita Suarez 1. tom. Metaphys. disput. 18. sect. 2. & 3. & 3. part. tom. 1. disp. 57. sect. 1. Quarta ait accidens in virtute substantiæ attingere instrumentaliter substantiæ productionem, in ipsoque totam rationem proximam agendi a causa principali deriuatam saluari. Hæc procul dubio est sententia Doctoris Sancti 1. part. quæst. 77. art. 1. quem sequuntur Caietanus ibidem, & q. 45. art. 8. quæst. 115. art. 1. in solutione ad 5. philosophi ex primo de generatione cap. 7. & quæst. 54. art. 3. ac tandem 3. part. quæst. 77. art. 3. Capreolus, & Paludanus distinctione citata 4. quæst. 1. Ferrariensis 4. contra gētes cap. 66. Soncinas vbi supra, & Flandria quæst. 17. art. 7. & Soto Physicorum quæst. 4. §. *est autem hoc sub iudice.* Quibus subscribunt Fonseca 5. huius cap. 8. quæst. 6. sectio. 3. & Conimbricenses 2. Physicorum cap. 7. quæst. 18. art. 3. & 4. & alij Neoterici.

Varia philosophor. placita.

20 Respondeo dicendum primo nullū accidens est agens principale respectu substantiæ productionis. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ sententiæ; & primo probatur ex actę rationibus Scoti, quæ licet nō destruāt omnē efficientiā accidētis circa substantiæ productionem, satis tamen clare destruunt efficientiam causæ principalis: quarum summa ad hanc formam reducitur. Nullum agens potest agere principaliter vltra perfectionem suæ speciei, aut aliquem effectum se ipso perfectiorem: sed substantia est perfectior accidente, & vltra eius speciem, vt pote cum sit alterius generis aç nobilioris: ergo nullū accidens potest principaliter substantiam producere. Confirmatur, nam hac ratione negauimus paulo ante, cœleste corpus secundum se posse principaliter viuentia causare, quia non est æque nobile cum viuentibus: ergo si accidens quod non est æque nobile cum substantia, non po-

Expenditur vera sententia Thomistarum.

terit eſſe reſpectu illius agens principale. Dico ſecundo accidentis cauſalitas in virtute ſubſtantiæ non ſolum ad diſpoſitionum, ſed etiam ad formæ ſubſtantialis productionem extenditur. Hæc ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ: & probatur primo, quia natura quæ omnia operatur propter finem, nihil fruſtra agit: ſed natura dedit ſubſtantijs accidentia vt eis in productionē ſibi ſimilium eſſent adiunctæ: ad hūc enim finem dedit igni calorem, & viuenti virtutem ſeminalem ac potentiam generatiuam: ergo re vera huiuſmodi accidentia ſubſtantiæ productionem attingunt. Secudo nam calor v.g. ignis poteſt etiam apud prædictos authores in vltimam diſpoſitionem, quæ eſt calor ipſi ſimilis: ſed agens attingens vltimam diſpoſitionem ſemper attingit formæ ſubſtantialis introductionem: ergo, minor patet, quia cum vltima diſpoſitio ſit neceſſario connexa formæ ſubſtantiali, & paſsio illius, nequit in aliquo agente contineri niſi in ſua virtute habeat formam ad quam neceſſario conſequitur, & comitatur, aut formæ vnionem. Tertio nam aliàs accidens nihil poſſet amplius in virtute ſubſtantiæ, quàm poteſt ex ſe ipſo, & ſua innata virtute, ſi quidem ex ſe ipſo poteſt alterare, & ſimile ſibi producere, & hoc ipſum dumtaxat poteſt in virtute ſubſtātiæ: hoc autem eſt a ratione alienum, cum omnis natura inferior ex coniunctione ad ſupperiorem perficiatur, & in aliquod poſsit, in quod ſecluſa tali coniunctione neutiquam poſſet, ſic cogitatiua poteſt ex coniunctione ad intellectum diſcurrere circa ſingularia, quæ tamen vt probabilis habet Philoſophorum opinio, in quam inclinat D. Thom. 1. part. quæſt. 78. art. 4. ad 5. eiuſdem ſpeciei eſſentialiter eſt cum brutorum æſtimatiua, & calor naturalis in animali poteſt generare carnem, nutrire, & lac producere, quæ ſecundum ſe non poteſt producere: ergo. Vltimo probatur experientia, quæ in ſemine, in ſpecièbus euchariſtiæ, & in calore naturali teſtatur accidentia attingere ſubſtantiæ totalis ſiue partialis productionem: etenim virtus ſeminalis ex qua animalia producuntur, accidens eſt ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinens, ſimiliter accidentia euchariſtiæ à ſubſtantia deſtituta de facto nutriunt, & calor naturalis, carnis, oſsis, & aliarū partiū a generatione attingit: ergo hæc efficientia non eſt accidentibus contra rationem naturalem, & manifeſtam experientiam deneganda.

21 Dico tertio, quando ſubſtantia mediante aliquo accidente producit ſibi ſimilem ſubſtantiam, tota ratio agendi proxime eſt in ipſo accidente. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Suarez tertiæ ſententiæ ſectatorem: & probatur primo, nam ſubſtantia nequit eſſe proxime operatiua, quia actus, & potentia proxime ad illum ordinata debent eſſe eiuſdem generis: igitur ſicut actus ſecundus potentiæ operatiuæ eſt accidens, ita ipſa potentia proxime ad illum ordinata debet eſſe accidens. Secundo nam in productione ignis v.g. forma ſubſtantialis ignis generantis non agit immediate: ergo tota ratio agendi immediate eſt calor. Antecedens probatur, nam vel ille influxus transfunditur a forma ſubſtantiali ignis medio calore in paſſum, vel immediate a forma ſubſtantiali transfunditur ad paſſum, & non mediante calore; ſi primum habeo intentum; ſi ſecundum, ſequitur calorem eſſe ſuperfluum, ſiquidem ignis ex vi illius influxus immediate ab ipſo dimanantis poteſt producere alium ignem ſibi ſimilem: conſequens autem eſt falſum, & minime admiſum a Suarez: ergo, ſequela probatur, quia eſt influxus immediatus, & a cauſa principali, & æque nobili cū ſuo effectu, & operante ſecundum vltimum potentiæ, dimanans: ergo reuera ex vi illius poterit alius ignis produci. Tertio probatur ab inconuenienti: nam plura ſequuntur ex ſententia Suarez inconuenientia; ſequitur namque in primis, quod homo genitus ex ſemine parentis defuncti non ſit genitus a ſolo parente proxime, ſed etiam à Deo authore naturæ, proxime ſuplente concurſum illum, quem generans immediate præſtare debebat, quod licet admittat Suarez, pātet eſſe falſum; nam homo vita functus generans filium mediante virtute ſeminali relicta, generat illum iuxta ordinem ſibi inſtitutum, & præſtitutum a natura, hoc eſt per ſemen deciſſum, & virtutem ſeminalem in illo relictam; & quia aliàs non modo ſolum in viuentibus ex putri materia productis, ſed etiam ſæpius in his, quæ generātur ex ſemine, Deus vel cauſa ſuperior proxime, & immediate concurreret: quod eſt falſum, & contra dicta articulo præcedenti: ſequitur etiam, quod Deus in eodem caſu gerat vicem parentis, & quod mater ſe habeat paſſiue reſpectu influxus Dei, & non reſpectu influxus hominis generantis iam defuncti. Rurſus ſequitur naturam fuiſſe diminutam, ſiquidem rebus imperfectis vt elementis dedit virtutem totalem productiuam effectuū ſibi ſimilium, & non dedit illam viuentibus perfectis, ſiquidem per ſolam virtutem deciſi ſeminis nequeunt ſibi ſimilia generare, eo quod nequeunt immediatum influxum exercere. Quinimo nedum quando mortuo generan-

generante producitur filius, verum etiam quando adhuc illo superstite nascitur, non produceretur concursu solius seminalis virtutis, sed indigeret diuerso concursu proximo suplente illum mediatum generantis, quia totus influxus a patris substantia dimanans est mediante seminali virtute; vnde si hic non est sufficiens, alius esset a Deo suplendus. Rursus supletio concursus agentis inferioris est per accidens, & raro contingens, fit, enim in cõcursu duarum causarum particularium, ex quo generatur effectus præter illarum intentionem, quo pacto generationem viuentis imperfecti ex putri materia diximus fieri per accidens id est præter causarum particularium intentionem: suplet io autem concursus viuentium perfectorũ esset perse, & regulariter contingens, si quidem perse; & regulariter contingit immo necessario euenit vt huiusmodi viuentia ex semine decisso generetur. Deniq; aut huiusmodi concursum substantiæ viuentis suplet Deus immediate, aut intelligentia, aut cœlum; non cœlum, quia respectu viuentis nequit esse cœlum agens principale, non intelligentia, quia ipse Suarez putat intelligentiam creatam nihil posse immediate producere nisi solum motum localem etiam si operetur mediante cœlo vt instrumento; Denique neque Deus, quia Deus vt author naturæ non suplet nisi concursum illum, in quo deffecit causa secunda, sed generans emittendo semen non defficit ad filij generationem consumandam, sed potius præstat totũ concursum, quem iuxta naturæ ordinem tenetur præstare. Verum est Deum concurrere ad omnes effectus causarum secundarum concursu simultaneo (vltra concursum præuium quo illas efficaciter mouet, & applicat) immediato, quo illos immediatione virtutis ac suppositi attingit, vt lib. 8. explicamus, sed huiusmodi concursus est proprius Dei vt causæ primæ non vero vt causæ suplentis deffectum concursus proxime a substantijs causarum secundarum promanãtes, quia non sunt aptæ vt talis proximus concursus ab eis dimanet.

Satisfit aduersarij argumẽtis.

Sed contra has assertiones hæc militant argumenta. Primo nam accidens v. g. calor ignis, neque propria neque virtute ab igne deriuata potest attingere alterius ignis productionem: ergo nullo modo sed tota eius actiuitas in termino alterationis sistet: antecedens probatur, nam quod non virtute propria, ex eo liquet quod virtus propria caloris est imperfectior igne genito ac proinde illi improportionata; & quia si virtute propria illum attingeret non instrumentalis sed principalis causa eius esset. Quod autem neque virtute derivata, patet, nam vel hæc virtus ponit in numero cum calore & est illi superaddita, vel est idem cum illo: si secundum, iam propria virtute, & per suam entitatem ageret calor ad substantiæ productionem, quod iam relinquitur excluſum: si detur primum, sequuntur plura inconuenientia. Nam sequitur primo quod illa virtus immediate debet dimanare a forma substantiali ignis, cum inter vtramque nihil possit mediare, ac proinde forma substantialis erit immediate operatiua illius virtutis, & cum non sit maior ratio quare illam qualitatem, & non alterum ignem possit immediate producere, posset per consequens alterum ignẽ immediate perse ipsam causare, ac per consequens non indigebit concursu caloris immediate illius substantiæ productionem attingente. Sequitur secundo illam virtutem esse intentionalem, & transeuntem ad instar motionis se habentem, quia omnis virtus instrumento ab agente principali communicata, est vel motio vel ad instar motionis se habens: quod tamen est falsum, quia semini virtus generatiua animalis, & calori vt octo virtus productiua ignis permanenter inest. Sequitur tertio illam virtutem non esse accidens sed substantialem formam, siquidem est eiusdem ordinis cum effectu substantiali, aliâs si inferioris ordinis esset indigeret eleuari per aliam virtutem: consequens autem esse inconueniens ex eo probatur, quia inest calori, accidenti autem nequit in esse aliqua forma aut modus substantialis. Confirmatur primo nam quando dicitur calorem in virtute ignis generare alterum ignem, aut per illam præpositionẽ denotatur ipsum calorem quod est virtus substantiæ aut calorem cum virtute super addita ignis generare alterum ignem: neutrum potest dici: ergo, minor probatur quoad primam partem, quia tunc calor se ipso esset virtus substantiæ sine aliqua virtute superaddita, & intrinsece in illo recepta ac per consequens ex sola coniunctione, & subordinatione ad substantiam ignis fieret instrumentum aptum ad alterius ignis productionẽ; quod tamen esse falsum patet, nam nullum instrumentum ex sola subordinatione ad agens principale eleuatur aut constituitur in actu primo ad attingendum effectum illius, quo pacto neque sacramenta nouæ legis possunt ex sola Dei assistentia absque aliqua virtute intrinsece eis superaddita gratiæ productionem attingere, neque humanitas assumpta, quæ est organum, & instrumentum Verbi diuini coniunctum, nostram gratiam phy-

sice

fice instrumentaliter poterit producere per solam verbi assistentiam atque virtutem nisi ei aliqua physica virtus communicetur, sicut neque serra absque motione in se recepta ab artifice proueniente artis opus posset conficere, quia instrumentum esse potens, & constitutum in actu primo ad operandū est formalis effectus, & positiuus qui absque forma intrinseca reali fieri non potest: igitur neque accidens ex sola coniunctione ad substantiam potest reddi potens ad productionem effectus substantialis, quem de se non poterat producere. Quoad secundam autem partem patet eadem minor, quia aliquando accidentia sunt destituta, & separata a substantia agentis, vt semen a viuente, & accidentia eucharistiæ a substantia panis, & vini: ergo, tunc nequit eis talis superaddita virtus a principali agente communicari; cum tamē eosdem effectus tunc atque quando sunt coniuncta sortiātur. Confirmatur secundo, nam tota actiuitas accidentis sistit in alteratione ac proinde in productione dispositionum: ergo, non attingit substantiæ formalem productionem, antecedens probatur: nā totus influxus caloris v.g. sistit in termino alterationis qui est vltima dispositio ad formam ignis: ergo: antecedens probatur, nam sistere debet in contrarietate, sed contrarietas solum saluatur inter formas accidētales quales sunt frigiditas, & caliditas: ergo. Dices duplicem esse terminū alterationis v.g. calefactionis alterum intrinsecū, & veluti homogeneum qui est calor in summo gradu vltimate ad formam ignis disponens, & alterum extrinsecum, & veluti etereo geneum qui est generatio substantialis ignis, quæ incipit per primum sui esse in primo non esse alterationis, id est quando primo est verum dicere non esse motum alterationis, & quod vtrumque terminum attingit influxus caloris, diuersimode tamen nā terminum homogeneum propria virtute, etereo geneum vero virtute substantiæ. Cōtra hoc argumentor sic vrgendo præcedens argumentum; nam actio caloris tantum est calefactio, generatio vero, quæ sequitur in fine calefactionis non est calefactio sed est substentialis generatio atque ignis productio: ergo, illam nō attingit calor per suam actionem. Confirmatur tertio nam vel talis generatio est actio distincta ab alteratione præcedenti quam extrinsece terminat, vel non est actio distincta, sed mutatum esse duntaxat, & resultantia præcedentis alterationis: si primum; sequitur manifeste non posse attingi a calore, quia erit actio substantialis, & ordinis diuersi ac superioris ad alteratio nem vltra quam non progreditur accidens. Secundum tamen licet expresse admittatur a Fonseca vbi supra sect. 4. & insinuetur a Caietano 1. part. quæst. 54. art. 3. §. *ad id tamen*, & Soto 3. physic. quæst. 1. tamen nequit sustineri. Tum quia D. Thom. de potentia quæst. 3. art. 3. testatur generationem substantialem esse aliam actionem ab alteratione: tum quia cum generatio sit mutatio vere, & realiter, a motu alterationis condistincta, & aliàs sit ab alio scilicet ab agente necesse est ipsam esse mutationem ab agente; in quo consistit formalitas actionis transeuntis. Tum denique quia illuminatio solis est actio condistincta à motu, & tamen est terminus extrinsecus motus localis antecedētis, quo sol ad hemisferiū apropinquat expāsurus in eo sui luminis radios: ergo, quod generatio sit terminus præcedētis, nō obstat quo minus sit actio ab illa condistincta. Neque aliud videtur obstare.

22 Consulto latius, & fusius more solito hoc argumentum prosequuti sumus pluribus illud confirmationibus exornando, & vrgendo, vt sic Scoticæ sententiæ fundamentum pluribus, quàm ab eius authore excogitatis, rationibus vrgeremus; omnēque ad vnum redactæ eo validius conficiant argumentum, quo virtus vnita fortior est se ipsa dispersa. Vt igitur huic argumento, & eius confirmationibus exactam solutionem adhibeamus, opere precium duxi aliqua prænotare primo quidem prænotanda est duplex solutio Caiet. in illo §. citato, quæ sit virtus illa per quam accidens substantiam instrumentaliter producit? Prima est, quod talis virtus est quædam forma intentionalis eo modo, quo intentio siue species coloris dicitur esse in aere, & licet sit accidēs subiectiue, & secundum esse, tamen causaliter, & terminatiue est substantia, non vt causa principalis sed vt vis quodammodo instrumentalis, quam constat posse esse effectu imperfectiorem, vt patet in formis seminum, & aprobatur 12. Metaphys. text. 4. Secūda est quod accidens ipsum vt est connectum substantiæ tali, est eius organum coniunctum, & ipsius virtus, nec oportet aliam superaddere virtutem in his quæ non sunt vera instrumenta, sed ipsum, & substantia sunt concausa. Et quia hæc secunda solutio magis placet, ex illa colligo accidens v.g. calorem esse instrumentum ad productionem ignis per suam entitatem vt coniunctum igni generanti, quia non est proprie instrumentum constitutum in actu primo per motionem agentis principalis cuiusmodi sunt instrumenta artis, aut alia separata omnino ab agē

tibus

bus principalibus quibus,ſubordinatur, & quod ipſa coniũctio naturalis paſsionis aut proprietatis cum ſua radice ſuplet omnem motionem in huiuſmodi inſtrumentis coniunctis,qua indigent alia ſeparata ad ſui eleuationem. Deinde iuxta hanc ſolutionem notanda eſt diſtinctio circa ſenſum illius præpoſitionis, *in*: cum dicitur accidens in virtute ſubſtantiæ producere ſimilem ſubſtantiam: poteſt namque ſumi tranſitiue, hoc eſt, denotando tranſitionem virtutis in ſubiectum, & tunc denotatur virtutem eſſe ſuperadditam accidenti,& ſenſus erit, accidẽs per ſuper additã virtutẽ poſſe ſubſtantiã producere: & poteſt ſumi intranſitiue, hoc eſt nullam denotando tranſitionem aut diſtinctionem virtutis ab accidente,cui attribuitur,& tunc ſenſus erit,accidens in virtute ſubſtantiæ,id eſt,quod eſt virtus ſubſtantiæ, poſſe ſimilem ſubſtantiam producere, & hic ſenſus eſt verus,& iuxta illum prædicta propoſitio eſt admitenda. Denique notanda ſunt verba,quæ §. citato habet Caietanus,in quibus prima facie videtur negare ſubſtantialem generationem eſſe actionem ab alteratione diſtinctam,ait,enim ſic: *ad id tamen quod tangitur de proximo principio ellicitiuo generationis ſubſtantialis,dicitur, quod tantũ generatio ſubſtantialis inſtantanea nõ eſt operatio aliqua ſed eſt terminus generationis tranſmutantis materiã, vſque ad hoc; vnde nõ oportet quærere aliud illius principium ſed illud idem quod in toto tempore præcedenti generabat,in inſtanti vltimo illius temporis generat terminando actionem ſuam, &c.* quibus verbis moti Suarez vbi ſupra ſectione 2. & Conimbricenſes primo de generatione cap. 4. quæſt. 12. art. 2. alique haud pauci neoterici Caietanum negaſſe generationem ſubſtantialem eſſe actionem diſtinctam ab antecedenti alteratione exiſtimarunt: ac proinde eius ſententiam reiecerunt; & cum Soto loco proxime citato Caietano conſentiat ab eiuſque verbis non recedat, ipſum hucuſque in eadem damnatione haud quaquam inuenerunt. Ex Caietani tamen verbis operoſius inſpectis hæc ſententia non colligitur, ſed quod reſpectu alterationis præcedentis inſtantanea generatio eſt terminus extrinſecus, & veluti etereogeneus, & qua ratione eſt eius terminus, & cenſetur aliquid illius ſicut mutatum eſſe aliquid motus eſt, tanquam eius cõpletiuum, ac proinde ſumpto motu alterationis ſecundum rem, vel ſecundum quod eſt a parte rei cum omnibus ſuis partibus, & vltimo complemento, generatio non eſt actio diſtincta,hoc eſt ſeparata ab illo, & ex æquo diuiſa,ſed eſt aliquid incluſum in eo, & veluti non ponens in numero cum illo, cum quo ſtat,quod ſi rationes formales alterationis,& inſtantaneæ mutationis conſideretur,generatio,& alteratio realiter ac formaliter diſtinguantur. Et propterea Caietanus non dixit quod ſecundum rationem formalem generatio ſubſtantialis non eſt operatio, ſed quod ſecundum rem non eſt operatio: ac ſi diceret reſpectu integræ alterationis ſecundum rem,hoc eſt, quoad omnia incluſa formaliter, & concomitanter a parte rei generatio ſubſtantialis non eſt actio diſtincta,ſed terminus illius, quod quidem veriſsimum eſt. His ſuppoſitis, & prænotatis ad formam principalis argumenti. Reſpondetur negando ſecundam partem antecedẽtis:ad cuius probationem dicendum eſt accidens non virtute propria ſed virtute ſubſtantiæ,quia virtus ſua eſt virtus ſubſtantiæ, producere ſubſtantiam inſtrumentaliter, licet imperfectior talis virtus ſit ſubſtantia producta.Ad primam confirmationem conceſſa maiori pro prima parte nego minorem: ad cuius probationem conceſſa ſequela neganda eſt minor iuxta dicta in primo notabili,inſtrumenta namque ſeparata,quæ motione indigent agentis principalis fateor nõ conſtitui in actu primo per ſolam coniunctionem,ſecus autem dicendum eſt de illis quæ per modum proprietatis aut actus connaturalis ſuo principio coniunguntur. Ad ſecundam nego antecedens,ad cuius probationes ſufficienter reſpondetur iuxta ſolutionem ibidem aſsignatam. Ad replicam autem reſpondetur diſtinguendo maiorem: actio caloris vt agentis principalis tantum eſt calefactio concedo:actio caloris vt agentis principalis, & vt agentis inſtrumentaliter in virtute ſubſtantiæ tantum eſt calefactio,nego maiorem,ſed eſt duplex actio,altera calefactio,& altera ſubſtantialis generatio. Ad tertiam concedimus contra Fonſecam generationem inſtantaneam eſſe actionem vere,& proprie,& diſtinctam à præcedenti alteratione,in qua poteſt accidens vt virtus ſubſtantiæ: vnde probationes ſunt pro nobis, neque contra Caietanum militant, qui ſi attente legatur id ipſum ſenſiſſe inuenietur vt explicuimus notabili tertio. Secundo principaliter arguitur: accidens propria virtute producit ſubſtantiam: ergo, vt agens pricipale:antecedens probatur tripliciter,primo in accidentibus ſeparatis, & deſtitutis a proprijs ſubiectis,v.g. in accidẽtibus euchariſtiæ quando concurrunt ad nutritionem, & in ſemine ex quo iam deciſſo a viuente generatur animal,& in calorẽ ferri candentis,ex quo iuxta probabilem opinionem

nem in materia minus denſa producitur ignis; in his enim, & ſimilibus accidentia agũt ad productionem ſubſtantiæ ſecundum id quod habent in actu, ſed ſunt in actu per ſuas propias formas & virtutes: ergo. Secũdo quia in caſu poſito ſubſtantia non exiſtit: ergo, non agunt in virtute ſubſtantiæ, ſed in virtute propria, & ipſis accidentibus connaturali. Tertio quia accidẽs poteſt virtute propria, & vt agens principale attingere ſubſtantiæ corruptionem: ergo, & eius productionem: antecedens patet quia calor v. g. poteſt alterare lignum vſque ad eius corruptionem: ergo, attingit illius corruptionem. Confirmatur primo nam agens quod principaliter producit vltimam diſpoſitionem etiam principaliter producere vel introducere poteſt formã ſubſtãtialem: ſed calor vt octo v.g. propria virtute, & per modum agentis principalis producit vltimam diſpoſitionem ad formam ignis requiſitam: ergo, & ipſam formam ignis poteſt, & debet propria virtute, & per modum agẽtis principalis producere: minor patet quia calor ignis generantis eſt eiuſdem ſpeciei cum calore qui eſt vltima diſpoſitio ad ignem generandum, & eiuſdem gradus, & perfectionis, ſed agens æqualis virtutis ac perfectionis poteſt producere effectum ſibi ſimilem: ergo. Confirmatur ſecundo, nam calor qui eſt vltima diſpoſitio ad ignem generandum poteſt accipi ſecundum triplicem formalitatem ſecundum quod eſt in triplici ſpecie qualitatis, ſcilicet ſecundum formalitatem diſpoſitionis, vel paſsibilis qualitatis vel naturalis potentiæ ignis: ſed ſecundum omnem hanc formalitatem producitur a calore ignis generantis per propriam eius virtutem; eo quod ſecundum has formalitates eſt illi ſimilis, & non excedit illum, etenim calor generantis etiam ſubeſt formalitati, vltimæ diſpoſitionis, paſsibilis qualitatis, & naturalis potentiæ: ergo, poterit ſimiles formalitates communicare calori genito; res namque operatiua, propria virtute poteſt communicare alteri perfectionem quam in ſe habet: ergo, & calor generantis perfectionem quam in ſe habet, poterit alteri principaliter cõmunicare. Confirmatur 3. nam calor vt quatuor propria virtute, & per modum agentis principalis producit alterum calorem vt quatuor: ergo, calor vt octo propria virtute, & per modum agentis principalis poteſt producere alium calorem vt octo, quod eſt producere illum in ratione vltimæ diſpoſitionis: antecedens patet, tum quia eſt illi æqualis, tum quia alias nullum accidens poſſet alterũ eiuſdem ſpeciei producere, principaliter: quod tamen videtur alienum a veritate. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedẽs ad primã, & approbationem dicitur in ſolutione ad tertiũ. Ad tertiam nego antecedens, quia vltra alterationem ſequitur corruptio, quæ eſt inſtantanea mutatio de eſſe ad non eſſe ſubſtantiale, ad quam non poteſt accidens niſi in virtute ſubſtantiæ: etenim cum corruptio vnius ſequatur ad alterius generationem, & excluſio vnius formæ conſequatur ad alterius introductionem, ad idem agens pertinet cauſare corruptionem vnius quod cauſat generationem alterius. Ex quo colligo deceptum fuiſſe Durandum vbi ſupra, dum aſſerit accidens poſſe attingere compoſiti ſubſtantialis corruptionem non autem generationem, quando quidem abſque hac non eſt intelligibilis, præſertim cum agens naturale nunquam intendens ad malum operetur, neque corruptionem operetur niſi quatenus ex generatione per ſe primo intẽta conſequutã. Ad primam confirmationem duplex eſt ſolutio: prima negat maiorem, eo quod non ſemper agens cauſans principaliter diſpoſitionem vltimam poteſt cauſare principaliter formam aut eius introductionem: homo, enim principaliter, & vitaliter cauſat cõtritionẽ, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, tamen non poteſt ipſam gratiam principaliter ſuis actibus cauſare: vnde licet verum ſit quod ſe diſponit ad gratiam, nequit tamen concedi quod homo ſe iuſtificet: ſimiliter licet calor vt octo ponat vt cauſa principalis vltimam diſpoſitionem ad formam ignis, nõ ſequitur quod ponat vt cauſa principalis ipſam formam ignis, quia ſicut liberum hominis arbitrium virtutibus ſuper naturalibus affectum præhabet virtualiter perfectionem contritionis, & non gratiæ, quia eſt formalis deitatis participatio, ita calor vt octo præhabet perfectionem alterius caloris vt octo, ſed non præhabet perfectionem formæ ignis niſi vt inſtrumẽtum ignis generantis. Secunda ſolutio, quia in agentibus naturalibus vniuerſaliter debere docet, ab eodem agente principali poni ac contineri vltimam diſpoſitionem atque formam principalem, ideo admiſſa maiori negat minorem, eo quod calor vt octo in ratione vltimæ diſpoſitionis ad formam ignis ingreditur reductiue ordinem formæ ſubſtantialis, & eſt perfectior ſe ipſo vt eſt naturalis potentia, & vt eſt paſsibilis qualitas, & ſic idem agens principale ponens formam ignis ponit principaliter calorem in ratione vltimæ diſpoſitionis. Ad ſecundam confirmationem negatur minor; nam calor generantis

rantis licet ſubſit illi triplici formalitati ſcilicet, naturalis potentiæ, paſsibilis qualitatis, & naturalis diſpoſitionis, non eſt actiuus niſi ſub ratione naturalis potentiæ, & ſic non poteſt communicare principaliter calori genito rationem vltimæ diſpoſitionis niſi vt inſtrumentum ignis, bene tamen poteſt illi principaliter rationem naturalis potentiæ ſecundum quam eſt actiuus, & rationem paſsibilis qualitatis (ſecundum quam licet non ſit actiuus eſt tamen minus nobilis ſe ipſo ſecundum quod eſt naturalis potentia) communicare; niſi velimus etiam admittere quod vt paſsibilis qualitas eſt principium tranſmutandi, & alterandi aliud per qualitatis ſibi ſimilis productionẽ: quod ſatis conuenienter dicitur: qualitates namq; primæ de ſe actiuæ ſunt etiã ſi ratio potẽtiæ naturalis ab eis adimeretur: vnde experiẽtia docet illas agere, & trãſmutandi eſſe principia dum in ſubiectis extraneis cõſeruãtur, in quibus aut rationẽ, aut exercitiũ naturalis potentiæ eis deficere opus eſt. Ad tertiã reſpondetur dupliciter primo cõcedendo conſequentiã in ſenſu explicato, conceſsimus namque quod calor vt octo producit alium principaliter quoad rationẽ naturalis potentiæ, & paſsibilis qualitatis, nõ vero quoad rationẽ vltimæ diſpoſitionis ſecundũ quam ingreditur ordinẽ formæ ſubſtantialis. Neque obſtat eandem rẽ ſub diuerſis rationibus a diuerſis agẽtibus produci, ab altero principaliter, & ab altero inſtrumentaliter concurrente; Nã homo ſub ratione hominis ab alio homine producitur principaliter, ſub ratione autem exiſtentis, & ſub ratione vniuerſaliſsima entis a ſolo Deo principaliter, & ab homine inſtrumentaliter cauſatur. Secundo reſpondetur negando antecedens, pro cuius declaratione opere precium duxi duos modos dicendi recenſere, qui in hac parte verſantur. Suarez namque aliorum veſtigijs inhærens vbi ſupra ſectione quinta ait vnum accidens reſpectu alterius ſibi ſimilis eſſe agẽs principale neque indigere actuali influxu proximi formæ ſubſtantialis ſicut indiget ad productionem ſubſtantiæ. Secundus eſt aliorum qui dicunt nullum accidens etiam reſpectu alterius ſibi ſimilis eſſe agens principale, quia nihil operatur niſi vt entis ens, & virtus ſubſtantiæ, atque dependenter ab illa vt a ſubiecto, & vt a cauſa principali, propter quas rationes diximus illud concurrere inſtrumentaliter ad ſubſtantiæ productionem. Habetque hæc ſententia fundamentum in D. Thoma qui in 1. diſtin. 3. quæſt. 4. art. 3. ad 2. aſſerit nullum accidens ex ſe habere virtutem ad producendum aliud, ſed omne accidens productum a ſubſtantia mediante alio accidente produci, ſicut nullum accidens in altero ſecundum propriam eius virtutem ſubiectatur, ſed ſubiectatur in ſubſtantia quæ ordine quodam ſubſtat omnibus ſuis accidentibus, alijs quidem immediate, alijs vero mediate, id eſt mediãtibus alijs: ex quo teſtimonio tale deducitur argumentũ: ſicut ſubſtãtiæ propriũ eſt ſubſtare accidentibus, ita propriũ eſt agere, hoc eſt, eſſe ſubiectũ operans vel patiens, operationes enim, & paſsiones ſunt ſuppoſitorũ quorum eſt ſubſtare: ſed modus ſubſtandi quia eſt proprius ſubſtantiæ, nequit alicui accidenti conuenire, niſi ſecundum quid, & dependẽter a ſubſtantia: ergo, neq; eſſe principiũ operandi poteſt alicui accidenti conuenire, niſi ſecundũ quid, & dependenter a ſubſtãtia atque in virtute illius, quod eſt ipſum accidens non poſſe operari niſi in virtute ſubſtantiæ, ac proinde vt illius inſtrumentum. Inter hos duos modos dicendi poteſt tertius veluti medius excogitari a nobis, quem fortaſis intendit D. Tho. in loco allegato, nempe quod ſemper accidens agit vt virtus ſubſtãtiæ, & vt totalis proxima ratio agendi illius, diuerſi modẽ tamen, nã reſpectu alterius accidentis ſibi ſimilis agit vt virtus, & proxima ratio agendi principalis ſubordinata tamen ſubſtantiæ vt agenti quod, & radicali: in qua ipſa ſubſtantia, intendit ſibi aſsimilare effectum: reſpectu vero ſubſtantiæ productionis agit vt virtus miniſterialis, & inſtrumentalis ſubordinata ſubſtantiæ non ſolum vt agenti quod, & vt principio radicali, ſed vt agenti principali, quod non in accidentali ſed in ſua ſubſtantiali forma intendit aſsimilare ſibi talem effectum. Neque eſt inconueniens eandem formam quæ reſpectu vnius effectus eſt ratio agendi principalis eſſe reſpectu alterius rationem agendi inſtrumentalem: formæ enim cauſarum ſecundarum v.g. hominis, ignis, & ſimilium quæ ſunt rationes agendi principaliter reſpectu effectuum ſibi ſimilium, reſpectu actus eſſendi ſunt rationes agendi inſtrumentales, ignis enim, & homo licet concurrant ad hominem genitum, & ignem principaliter; ad exiſtentiam tamen non niſi inſtrumentaliter concurrũt; eſt enim exiſtentia proprius effectus Dei teſte D. Thom. 1. part. q. 8. art. 1. & q. 45. art. 5. & 2. contra gentes cap. 21. & lib. 3. cap. 66. ac proinde ſolus Deus eſt cauſa principalis exiſtentiæ, cauſæ vero ſecũdæ producũt illam, vt inſtrumenta Dei, in quam ſententiam inclinant Caietanus, & Ferrarienſis in locis citatis ex 1. part. & libris contra gentes

licet Bañeſius 1. part. quæſt. 3. artic. 4. dub. 4. cum tanto rigore teſtimonia Sancti Doctoris interpretetur, vt ſoli Deo productionem exiſtentiæ reſeruet, & cauſis ſecundis ſolum tribuat communicationem ipſius exiſtentiæ, & illius determinationem, ſed nobis probabilior apparet Cajet. & Ferrarienſis ſententia. Rurſus eſſentia ignis eadem ratione formali ſub qua eſt agens principale reſpectu calefactionis eſt inſtrumentum reſpectu motus localis ſurſum: aſcenſus enim leuium tribuitur generanti, & ipſi leui tantum conuenit vt inſtrumento generantis, & pari ratione eſſentia lapidis quæ reſpectu alicuius actionis circa extrinſecum paſum eſt cauſa principalis, reſpectu ſui deſcenſus eſt inſtrumentum generantis. Haud diſimiliter calor poteſt eſſe reſpectu alterius caloris ratio proxima agendi principalis, & reſpectu ignis geniti ratio proxima agendi inſtrumentalis: eo vel maxime quod ratio inſtrumenti in illo inuenitur diminuta vt dictum eſt, & ratio agendi principalis inuenitur etiam ex parte diminuta quatenus eſt ratio agendi ſubordinata agenti radicali, & vt quod, ab illoque dependens in ſuo eſſe, & ſicut in eſſendo accidens eſt entis ens, ita in agendo eſt virtus ſeu forma operatiua alterius.

23 Tertio arguitur principaliter. Nam ſequitur nullum eſſe diſcrimen inter modum quo influit ſubſtantia ignis in calorem, & inter modum quo influit in alterius ignis productionem, ac inter modum quo hominis verbi gratia ſubſtantia influit in operationes ſuas vitales: conſequens eſt falſum: ergo, ſequela patet, quia reſpectu horum trium ſubſtantialis forma eſt ratio agendi remota, & potentia accidentalis eſt totalis ratio influendi proxima: ergo, eodem modo ſe habet forma ignis circa productionem caloris, & ignis producti atque anima hominis circa actus vitales quos media vitali potentia producit. Reſpondetur prænotando quod magnum diſcrimen eſt in modo quo ſubſtantia ad accidens, ad aliam ſubſtantiam, & ad actionem vitalem producendam concurrit, licet in hoc conueniant huiuſmodi effectus, quod media aliqua virtute accidentali proxime, & a ſubſtantiali forma remote, & radicaliter efficiantur. In explicatione autem huius diſcriminis duplex eſt modus dicendi; Suarez namque vbi ſupra ſectione ſexta aſerit quod reſpectu accidentis non vitalis proxima, & totalis ratio agendi eſt accidens generantis abſque aliquo proximo influxu a ſubſtantiali forma generantis proxime dimanante, reſpectu vero actionis vitalis requiritur duplex influxus proximus, alter potentiæ, & alter animæ quæ eſt forma ſubſtantialis viuentis, & reſpectu ſubſtantiæ producendæ etiam duplex influxus requiritur, alter ab accidentali potentia, & alter a forma ſubſtantiali immediate proueniens: ſicque diſtinguit modos influendi ſubſtantiæ in prædictos effectus medijs accidentalibus potentijs. Sed quia oſtendimus ſatis ſubſtantiam non eſſe immediate operatiuam ac per conſequens fictitium eſſe iſtum influxum immediatum, quem Suarez tribuit formis ſubſtantialibus, ideo aliter dicendum occurrit. Nempe quod reſpectu accidentis verbi gratia caloris geniti calor ignis calefacientis ſe habet vt ratio proxima, & totalis agendi principalis ſecundum quam aſimilare ſibi intendit effectum, & reſpectu cuius ſubſtantia ignis ſolum ſe habet vt ſubſtentans; ſolum enim; calefacit in quantum eſt calidus: vnde ſubiectum quod tantum ſubſtentat calorem etiam ſi extraneum ſubiectum caloris ſit, quia tamen calidum eſt, aliud calidum ſibi ſimilem poteſt producere vt lignum calidum, & aqua calida calorem alteri ſubiecto imprimere poſſunt, idque de facto contingere experientia quotidiana teſtatur, & conſequenter ad caloris productionem non requirit per ſe calor ignis actualem coniunctionem cum forma ſubſtantiali ignis, neque influxum dimanationis ab illa, ſiquidem hac deficiente quando eſt in ſubiecto extraneo calefacit. Reſpectu vero alterius ignis productionis calor eſt ratio agendi proxima, & totalis, ſed non principalis in qua effectus aſimilari debet, ſed vt inſtrumentalis, & veluti vicaria ipſius formæ ſubſtantialis ignis aqua dimanauit, agit enim tunc ignis non vt calidus aut vt proxime calefactiuus ſed potius vt ignis, & in quantum radicaliter calefactiuus, agit tamen medio calore, qui ad munus inſtrumentariæ virtutis exequendum requirit actualem coniunctionem cum ſubſtantia a qua dimanant, & cuius eſt virtus: vnde exiſtimo calorem ſeparatum omnino a ſubſtantia ignis non poſſe alterum ignem producere vt ignis inſtrumentum. Neq; exẽpla quæ adduci ſolent, & nos diſputationis gratia ſuperius admiſimus de calore ferri candentis, accidentibus euchariſtiæ, & ſemine deciſſo oppoſitũ conuincunt: Nã calor ferri can-

ri candentis non eſt abſque forma ignis, accidentia vero eucharistiæ tantum paſsiue concurrunt ad nutrionem, anima enim medio calore animali, & potentia nutritiua vt inſtrumento coniuncto ex accidentibus panis, & vini paſsiue, & materialiter ſe habentibus nutrit, nouam partem carnis aut oſsis agenerando. Virtus autem ſeminalis non eſt omnino a viuente ſeparata dum manet in ipſo ſemine, vt ſtatim dicam. Denique reſpectu actuum vitalium licet non requiratur proximus influxus animæ cum influxu potentiæ, requiritur tamen actualis coniunctio animæ cum potentia per quam anima actu ſubſtentet vitalem potentiam, & in illam influxu actualis dimanationis influat radicaliter: vnde potentia ab anima ſeparata vitales actus non elliciet deffectu principij radicalis quod intrinſece præſupponunt actus vitales a principio proximo procedentes. Fatemur igitur, aliquando ſubſtantiam concurrere ſpecialius quàm ad accidentis productionem, quando ſcilicet eius radicalis influxus, & cum principio proximo eius actualis coniunctio requiritur: dicimus autem requiri ad actiones vitales, & ſubſtantiæ productionem. Quarto arguitur virtus ſeminis deciſi nequit attingere inſtrumentaliter ſubſtantialem generationem viuentis: ergo nullum accidens inuirtute ſubſtantiæ poteſt ſubſtantiam producere, antecedens probatur primo, quia eſt accidentalis virtus ſeparata a principio radicali generationis nempe a viuente, ſemen enim viuens non eſt. Secundo quia generatio ſubſtantialis eſt actio vitalis quæ proinde requirit principium proximum coniunctum actu cum radicali. Tertio nam id, quod non exiſtit in inſtanti generationis ſubſtantialis nequit eſſe productiuum illius, ſed ſemen non exiſtit in inſtanti ſubſtantialis generationis, quia generatio viuentis eſt corruptio ſeminis. Quod ſi dicas ſemen tunc exiſtere quando generatur viuens, & conſequenter illud actiue cauſare. Contra arguitur, & probatur quarto primum antecedens, nam ſemen eſt proxime conuertibile in illud, quod debet generari ſicut alimentum eſt proxime conuertibile in partem quæ debet agenerari, ſed quidquid concurrit vt ſic proxime conuertibile deſinit eſſe quando aliud generatur, & tantum paſsiue concurrit ad illud, propterea enim alimentum diximus paſsiue tantum concurrere ad nutritionem, quia agenerata parte carnis, vel oſsis deſinit eſſe, & tantum ſe habet vt præbens materiam actiuo principio a generationis: ergo. Rurſus vel principium actiuum exiſtens in ſemine manet generato animali, vel non manet; neutrum poteſt dici: ergo nullum ei in eſt principium actiuum: minor patet pro prima parte, nam ſi maneret in animali generato eſſet duplex principium formale, ac proinde duplex forma ſiue duplex anima in eodem animali, quod eſt impoſsibile: pro ſecunda vero parte probatur, quia ſi producto animali deſtrueretur virtus ſeminis, idem ageret ad ſui deſtructionem, nam ſemen agendo ad productionem animalis ageret ad ſui deſtructionem: quod eſt impoſsibile: ergo. Confirmatur: nam quod agit vt inſtrumentum ſiue in virtute alterius, agit vt motum ab illo: ſed mouens, & motum debent eſſe ſimul teſte Philoſopho 7. Phiſic. cap. 9. igitur cum virtus ſeminis non ſit coniuncta animali generanti nequit agere vt eius inſtrumentum. Dices quod quandiu inſtrumentum retinet virtutem impreſsam abagente principali intelligitur moueri ab illo ſicut ſagita tandiu mouetur a proijciente quandiu manet virtus impulſus proijcientis, & ſic ſemen tandiu cenſetur moueri a generante, quandiu retinet virtutem impreſsam ab illo licet ſit corporaliter ſeparatum: mouens autem, & motum debent eſſe ſimul quantum ad principium motus non tamen quantum ad totum motum, vt apparet in proiectis. Sed contra arguitur, nam inſtrumentum ſe habet ad agens principale ſicut virtus mota, & imperata ad virtutem motiuam, & imperantem, quæ eſt vis appetitiua: ſed virtus mota, & imperata non mouet ſi ſeparetur a motiua, & imperante, vt patet in motibus partis animalis deciſi: ergo, neq; virtus quæ eſt in ſemine deciſſo poterit operari in virtute generantis poſt eius corruptionem.

24 Ad argumentum principale prænotanda ſunt tria. Primum eſt contra Suarez aſerentem vbi ſupra quod ſemen deciſſum fortaſſe eſt actu viuens, pro quo citat D. Thomam 1. p. q. 118. art. primo ad quartũ: ex quo infert quod ſemen nõ ſit imperfectius genito præſertim in plantis, quæ ſolũ anima gaudẽt vegetabili. Sed reuera ſemen deciſſum non eſſe actu ſed in potentia ſiue virtualiter viuẽs, docet D. Tho. de potẽtia q. 3. art. 9. ad 11. & in loco citato 1. p. ad 4. vbi diſtinguens ſemẽ maris a ſemine fœminæ ait, in illo eſſe virtutẽ actiuã, in hoc vero eſſe materiã fœtus, in qua materia ſtatim a principio eſt anima vegetabilis, nõ quidẽ ſecundum actũ 2. ſed ſecũdũ actũ 1. ſicut anima ſenſitiua eſt in

dormientibus: ex quibus verbis patet quod in ſemine fœminæ eſt anima vegetatibilis prout diſtinguitur a ſemine maris, ſingularis autem exceptio affirmat negationem in contrarium: deinde ratio id ſuadet quia ſemen maris quando erat ipſi animali vnitum erat informatum eadem anima qua animal, & omnes eius partes atque humores animantur, per eandem enim animam omnes partes, & humores cuiuſuis animalis informãtur vt ex profeſſo oſtendemus infra quæſt. 5. ſed quando ſeparatur ab animali ſemen ſtatim amittit illius animæ informationem, ſicut capilli quando reſecantur, & ſanguis vbi primum foras emittitur antiquam animæ informationem amittunt, & nouas formas in animatas adquirunt: ergo ſemen deciſſum inanimatum eſt, quia tantum ſemen fœminæ in apto ad generationem receptaculo manens, ſtatim à principio animam vegetabilem accipit, quæ per aduentum perfectioris ſcilicet ſenſitiuæ deperditur; & hæc in brutis permanet, in homine vero per aduentum rationalis animæ excluditur, & hæc vtriuſque munia exequitur. Secundum eſt quod licet accidens omnino ſeparatum a ſuo connaturali principio radicali, & ſubiecto nequeat productionem ſubſtantiæ attingere inſtrumentaliter propter ſpecialem dependentiam, quam habet a ſubſtantia quoad hunc effectum, quam diximus in aliqua coniunctione actuali cum illo conſiſtere, quod adeo verum reputo, vt ſi aliquando accidens omnino ſubſtantiali principio deſtitutum inuenitur ſubſtantiam producere, crediderim cœleſte corpus vicem agentis immediati ſuplere, vt quando calor ferri parum candentis abſque formali igne applicatus ſtupæ ignem in illa producit, & calor ex ſolis radijs per criſtalinum ſpeculum tranſeuntibus in materia minus denſa ignem generat: in his enim, & ſimilibus caſibus productio ſubſtantiæ cœleſti corpori eſt inmediate tribuenda vt cauſæ principali, ſicut tribuitur ei generatio viuentis ſine ſemine, licet diuerſimode: hæc enim tribuitur illi vt inſtrumento intelligentiæ, illa vero quæ eſt corporis inanimati productio, tribuitur vt agenti principali, at viuentis productio ex virtute ſeminali tribui debet animali aut plantæ â quo ſemen fuit deciſſum vt proximo agenti principali, neque cauſa ſuperior aliquem concurſum ibi præter generalem debet exibere vt dictum eſt: eo quod generatio eſt a principio coniuncto: licet enim ſemen ab altero ex principijs generationis deciſſum ſit, ab altero tamen non eſt ſeparatum, ſed potius eſt cum illo coniunctum, vel cum alio principio ſuplente vicem illius: qua ratione ſemen plantæ, terræ coniunctum ſuplente vicem matris, hoc eſt principij paſsiui poteſt in alterius plantæ productionem. Deinde quia licet virtus ſeminalis accidens ſit, tamen totum ſemen non eſt accidens, ſed eſt corpus quoddam ſubſtantiale deciſſum a ſubſtantia ipſius viuentis, cuius fuit pars quoad materiam quam continet eandem numero, & ideo virtus ſeminalis etiam indeciſſo ſemine non eſt omnino ſeparata a ſubſtantia ſui radicalis principij. Denique quia licet inſtrumentum quod eſt pure accidens indigeat ad productionem effectus ſubſtantialis actuali coniunctione ad principium radicale deffectu cuius ſeparatum nequeat illum producere, tamen inſtrumentum quod eſt corpus ſubſtantiale retinens virtutem impreſam ab agente principali non indiget actuali coniunctione ad illud: ſiquidem eſt ens per ſe quod ſine illo actualiter ſibi coniuncto poteſt eſſe connaturaliter, & operari, & huiuſmodi inſtrumentum eſt ſemen deciſſum a viuente. Tertium tandem eſt, quod in doctrina Angelici Doctoris non ſatis conſtat, an virtus actiua ſeminalis permaneat poſt animalis generationem vel an deficiat in ipſa animæ receptione animalis generati, etenim quæſt. 3. de potentia artic. 9. ad 16. & artic. 11. ad 8. videtur primam partem affirmare: ait enim in ſemine duo eſſe ſcilicet ſpiritum ſpumoſum in quo virtus actiua generantis ſubiectatur, & corpulenta materia, quæ in fœtum conuertitur: corrumpitur autem in proceſſu generationis ſemen quantum ad corpulentam materiam, ex qua fœtus formatur vt Auicena dicit, quia aliam formam recipit, non autem corrumpitur quantum ad ſpiritum ſpumoſum in quo ſubiectatur prædicta virtus per quam tranſmutatur materia vt generetur fœtus: vnde colligit Sanctus Doctor, quod ſicut manet generato animali ſpiritus ſpumoſus ſeminis, quia eſt ſubiectum prædictæ virtutis, ita manet talis virtus actiua, licet quoad diuerſum munus; nam illa quæ erat ante generationem animalis formatiua, poſtea eſt corporis regitiua, & in hoc ſenſu ſequitur Doctorem Sanctum Flandronſis in hoc 7. quæſtione 17. articulo 7. ad primum. At in loco citato 1. part. hoc eſt in quæſt. 118. art. 1. ad 4. videtur idem D. Tho. 2. part. ſferere: ait enim, in hæc verba. *Huiuſ*

modi

modi igitur materia tranſmutatur a virtute quæ eſt in ſemine maris quouſque producatur in actum animæ ſenſitiuæ, non ita quod ipſamet vis quæ erat in ſemine, eſſet anima ſenſitiua quia ſic idem eſſet generans, & generatum, & hoc magis eſſet ſimile nutritioni, & augmento quam generationi vt Philoſophus dicit. Poſt quam autem per virtutem principij actiui quod erat in ſemine producta eſt anima ſenſitiua in generato quantum ad aliquam partem principalem, tunc iam illa anima ſenſitiua prolis incipit operari ad complementum proprij corporis per modum nutritionis, & augmenti, virtus autem actiua quæ erat in ſemine, eſſe deſinit diſſoluto ſemine, & euaneſcente ſpiritu qui inerat, nec hoc eſt inconueniens, quia vis iſta non eſt principale agens, ſed inſtrumentale: motio autem inſtrumenti ceſſat effectu iam producto, &c. In his verbis haud obſcurè Diuus Thomas fatetur generato animali ſpiritum ſpumoſum, & virtutem ſeminalem actiuam in ipſo receptam euaneſcere, quæ duo teſtimonia ſibi prima facie aduerſantia Caietanus ibidem circa finem conciliat dicens, quod virtus illa actiua ſeminis remanet in animali generato, formaliter, id eſt ſecundum ſpeciem, deſinit autem materialiter id eſt ſecundum numerum, & hac de cauſa putat Caietanus ſanctum Doctorem diuerſimode fuiſſe loquutum, dum in quæſtione de potentia fatetur illam virtutem remanere, & in quæſtion. 118. ait eam corrumpi, quoniam virtus regitiua, & formatiua corporis exiſtens in parte primo producta ſcilicet in corde eſt quaſi eiuſdem rationis cum virtute ſeminis, & propterea virtus ſeminis excellentius ſaluata in illa parte, quam in ipſo ſemine dicitur manere, quia per accidens corrumpitur, ſicut diſpoſitiones inductæ pro forma generanda dicuntur manere, & non corrumpi niſi per accidens, quatenus in meliori eſſe adueniunt; & iuxta hanc concordiam Caietani congruenter prædicta teſtimonia conciliantur. Nec inconueniens eſt Sanctum Doctorem mutaſſe ſententiam primam, & ſecundam in loco citato primæ partis elegiſſe; & quia hæc ſecunda eſt vltima voluntas Angelici Doctoris a nobis eſt admittenda: ex qua nullum ſequitur inconueniens in eo quod virtus ſeminalis non exiſtat in inſtanti, quo eſt generatio animalis: nam inſtans cauſalitatis actiuæ inſtrumentalis bene poteſt eſſe extrinſecum exiſtentiæ inſtrumenti, & primum non eſſe illius, vt patet in ſacramentis nouæ legis, quæ gratiam dant effectiui inſtrumentaliter in inſtante vltimo totius actionis ſiue motus quod eſt primum non eſſe illorum, quia licet extrinſecum ſit eorum exiſtentiæ, eſt tamen intrinſecum eorum cauſalitati inſtrumentali ad quam ſufficit exiſtentia inſtrumenti in tempore proxime præcedenti, & quod illud inſtans ad inſtrumentum quodammodo pertineat ſaltim vt conſumatiuum, & vltimum illius. His ſuppoſitis reſpondetur ad formam principalis argumenti negando antecedens: ad primam eius probationem dictum eſt in ſecundo notabili virtutem ſeminalem non eſſe omnino ſeparatam, vel non officere ei talem ſeſeparationem, eo quod eſt recepta in corpore ſubſtantiali, quod potentialiter eſt viuens. Ad ſecundam dico generationem eſſe actionem vitalem ab anima ad animam eandem ſecundum ſpeciem terminatam, in quo differt a nutritione, & augmento, quæ ab anima ad eandem animam numero terminantur: quod diſcrimen inſinuat Diuus Thomas ad illa verba recenſita, *quia ſic idem eſſet generans, & generatum, & hoc magis eſſet ſimile nutritioni, & augmento, &c.* & notat eleganter Caietanus 1. part. quæſt. 51. artic. 3. §. *circa dicta.* Ex hoc autem diſcrimine ſequitur aliud, ſcilicet generationem magis actionibus non vitalibus pure tranſeuntibus aſſimilari, quam nutritionem, augmentum, & alias quæ ſunt pure immanentes operationes, & proterea non requirere tantam coniunctionem cum ſuo principio radicali quantam requirunt aliæ actiones, ſufficientem tamen coniunctionem habet ad ſuam vitalitatem requiſitam, dum eſt a viuente coniuncto ſaltim paſſiuo vel gerente vicem illius, & dum eſt ex ſemine quod a principio ante deciſionem fuit coniunctum, & poſtea retinet aliquam partem ſuſtantiæ ipſius principalis generantis. Ad tertiam neganda eſt maior, ſi de principio actiuo inſtrumentali accipiatur: hoc enim docuimus in tertio notabili poſſe ſuam cauſalitatem in primo ſui non eſſe exercere. Ad quartam quod eſt pro nobis fatemur primum eſſe animalis generati, eſſe primum non eſſe ſeminis, & virtutis ſeminalis; neque propterea alimento efficientiam circa nutritionem denegauimus, quia vt cumque deſinat eſſe ſed quia eſt omnino inanimatum, & nullatenus ab animali deciſſum, vt ab eo virtutem accipiat actiuam; neque ad cauſandam nutritionem in qua nutritiens & nutritum eſt idem animal, vt ait D. Thom.

ſed ad præbendam materiam nutritionis ordinatur, & ad hoc ipſum munus aſſumitur, & in huiuſmodi corporibus inanimatis euidens ſignum eſt non habere efficientiam circa actiones ſubſtantiales vitales ſi pro inſtanti quo tales actiones ſunt, ipſa non exiſtunt. Ad improbationem ſubinductam conceſſa maiori pro ſecunda parte negatur minor: neque ſequitur ſemen agere directe ad ſui deſtructionem ſed ſolum agere directe ad animalis productionem ad quam ſequitur per accidens deſitio ipſius ſeminis, quod nullū eſt inconueniens. Ad confirmationem ſuſtinenda eſt ſolutio ibidem aſſignata: ad cuius impugnationem dicendum eſt, verum eſſe non moueri ab anima per imperium corpus ſeparatum, quia vis appetitiua animæ non habet imperium niſi ſupra corpus ſibi vnitum ac proinde pars deciſa non obedit animæ ad motum, poteſt tamen moueri ab anima corpus deciſſum per cuiuſdam virtutis tranſitionem: quo pacto ſemen mouetur ab anima generātis. Solutio eſt Angelici Doctoris articulo citato de potentia ad ſextum argumentum.

QVÆSTIO IIII.

De actione creatiua, eius principio & termino, atque illius ab actione formarum de potentia ſubiecti eductiua, diſtinctione, in 6. articulos diuiſa.

PRINCIPIA rerum ſunt in duplici differentia, alia enim per generationem naturalem ſcilicet educendo formas de potentia ſubiecti inueniuntur cōpoſita naturalia producere, aliud autem eſt principium agens per creationem quod totam entitatem ex nihilo, hoc eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto producit: ſunt enim entia multa, quæ aliter effici nequeunt propter ipſorum aut ſimplicitatem, aut immaterialitatē, aut incorruptibilitatē; Vnde non potuit exacte a nobis comparatio compoſitorum naturalium ad earum actiua principia tradi niſi creationis principium explicaremus: neque generatio naturalis poteſt ſatis cognoſci niſi conditio creationis cui opponitur, quodammodo patefieret, contraria enim ad inuicem comparata magis eluceſcunt, dum eorum conditiones, & naturæ melius, & exactius declarantur. Sex autem in hac parte ſe offerunt enodanda, nempe creatio, eiuſque terminus, & conditio, quæ propria eius cauſa? & quæ inſtrumentalis cauſa illius poſsit eſſe? aut etiam anihilationis ipſi contrariæ? quid ſit educi formas de potentia materiæ? & ad quas pertineat ſic educi? quæ ſex articulis ſunt pertractanda.

ARTICVLVS I.

An creatio ſit poſsibilis, & in quo conſiſtat?

1 CREATIONEM poſsibilē eſſe de factoq; multas creaturas a Deo per actionem creatiuam emanaſſe nedum fidei, ſed naturæ lumine eſt notum. Probatur primo ex illo Geneſi 1. in principio creauit Deus Cœlum, & terram, & ſecundi Machabeorum: *peto a te nate vt ad ſpicias ad Cœlum, & terrā, &c. & inteligas quia ex nihilo fecit illa Deus*: Philoſophus etiā Auerroes, & alij Gentiles poſsibilitem creationis lumine naturæ cognouerunt, & de facto fuiſſe intelligentias a Deo productas per creationem ſiue ex nihilo fuit illis notum, vt ex pluribus eorum teſtimonijs oſtendit Caietanus cap. 5. de ente, & eſſentia quæſt. 10. & quæſt. de infinitate Dei, vbi multis probat Ariſtotelem nedum cognouiſſe actionē, quæ habet adiunctam mutationem, ſed etiam ſimplicem rerum a Deo emanationem: hæc eadem veritas ſuadetur rationibus naturalibus. Tum ex materiæ primæ, & animæ rationalis productione, quæ non poteſt eſſe alia quām creatio, etenim materia prima ex nullo alio ſubiecto poteſt produci cum ipſa ſit primū ſubiectū nullū aliud præſuponens: ſimiliter rationalis anima nequit de potentia materiæ educi: cum a materia in ſuo eſſe non dependeat ac proinde vtriuſque productio debet eſſe ex nihilo: ideſt independenter a ſubiecto in quo, creationis conſiſtit ratio. Denique ex natura accidentis oſtenditer. Nam ſicut accidēs poteſt eſſe ſine ſubiecto vt in euchariſtiæ ſacramento fides tenet: ita, & fieri poteſt independēter a ſubiecto ſeu ab huiuſmodi ſubiecto ſeparatum, quæ productio eſſet, ex nihilo, ac per conſequēs creatio. Hoc ſuppoſito videdum eſt an propria ratio creationis ſit productio ex nihilo? hoc eſt an creatio, ſit inter nihil, & eſſe rei tanquam inter terminos, *a quo*, & ad quem? Cui quæſtioni ſolum Durandus quem viderin, reſpondet negatiue in 2. diſtinct. 1. q. 1. exiſtimans creationem non eſſe ex nihilo vt ex termino *a quo*, ita vt ordo creationis ad nihil maneat affirmatus? ſed D. Thom. 1. part. quæſt. 45. art. 1. quē omnes Theo-

Theologi,& Metaphysici sequuntur,asserit creationem esse productionem ex nihilo, & creare idem esse quod ex nihilo producere, ita vt non solum ad creationem requiratur ordo ad nihil negatus, ideſt esse productionem non ex aliquo subiecto; sed ordo affirmatus:ideſt,esse productionem ex nullo præ supposito subiecto. Et quia hæc sententia est vera pro explicatione illius sequentes statuo conclusiones.

Veritas de existẽtia creationis pãditur.

Respondeo dicendũ primo creationẽ,esse productionẽ ex nihilo,ideſt ex nullo præsupposito subiecto:probatur hæc conclusio, nã creatio est productio totius entitatis rei creatæ:sed productio totius entitatis debet habere pro termino à quo negationem omnimodam entitatis,quæ est nihil: ergo creatio habet pro termino à quo ipsum nihil, ac percõ sequẽs est ex nihilo. Minor, quia terminus à quo debet esse opositus termino ad quem, enti autem oponitur non ens siue negatio entis,quæ est nihil. Maior probatur, nã creatio est actio propria Dei cuius proprius effectus est ens, & ideo ipsa creatio terminatur ad ens sub gradu entis. Secundo probatur, nã omnis actio productiua debet inter duos terminos versari quos positiue respicere debet vtpote cum abeis speciem sumat,& licet à termino ad quem actio & motus specificẽtur:hoc tamen non obstat quominus dicant ordinem ad terminum à quo:quia specificãtur â termino ad quem,cum ordine & habitudine ad terminum à quo:sed terminus, à quo, creationis est nihil siue non esse: ergo est productio ex nihilo cum ordine affirmato per dictionẽ illam causalitatis notam *ex*. Cõfirmatur & declaratur hæc ratio dupliciter primo,nam hic respectus creationis similiter denotatur in Sacra Scriptura, quæ nec fallere neque falli potuit Author illius: sed secundi Machabeorum 7. dicitur Deum fecisse cœlum & terram ex nihilo, vt constat ex adducto testimonio: vbi ordo manet affirmatus;ergo. Confirmatur secundo, nam reuera creatio,sicut & omnis alia actio productiua,saltem quoad effectum productum,& relationem dependentiæ,quam supra docuimus esse passiuam creationem receptam in creaturis,dicit ordinem ad terminum à quo, licet minus principaliter,quam ad terminũ ad quem: & ab illo aliquo modo dependet: sed hic ordo & dependentia perdictionem *ex* affirmatam,hoc est,præcedentem ad li,*nihil*,& non aliàs congruenter explicatur: ergo dicendum est creationem esse productionem ex nihilo:& non solum illam esse productionem non de aliquo.

2 Dico secundo, creatio potest accipi accipi actiue & passiue; & actiue quidem accepta est ipsa Dei essentia cum adiuncta relatione rationis ad creaturam: passiue autem,est realis relatio dependentiæ creaturæ ad creatorem. Hæc conclusio est Doctoris Angelici quæst.45. art.3. & prima eius pars probatur:nam creatio constituit distincta cõ creta,quibus & distinctas tribuit denominationes, scilicet creantis actiue, quam denominationem tribuit Deo, & creati passiue,qua denominatione creatura denominatur: vnde Deum fatemur creare, creaturas vero creari, quod fieri non posset nisi creatio actiue,& passiue posset accipi:ergo. Secunda pars declaratur, sola enim declaratione eget. Nam creatio actiua est actio immanens Dei;transeuntes enim actiones formaliter,quæ vere transeant in passum prorsus Deo denegamus,vt alibi ostendimus ex professo: sed quidquid est in Deo est essentia Dei: ergo creatio actiue est essentia Dei:nõ quidem absolute, & sine alicuius respectus adiunctione, aliàs sicut Deus abæterno fuit Deus per suam essentiã, abæterno quoque fuisse creans:& sic abæterno fuisset mundialis machina creata,contra fidei articulum de mundi in principio tẽporis inceptione. Requiritur ergo adiunctio alicuius respectus rationis aduenientis ex tempore Deo, vt eius essentia siue immanẽs actio,quæ est eius velle,& intelligere sortiatur rationem creationis: & hic nequit esse alius nisi respectus ad effectum positũ ex nihilo à parte rei: & quia per coexistentiam termini producti in tempore aduenit Deo:ideo ex tempore Deus dicitur creans, & eius actio exequitur munus creationis actualis,quæ ante illius respectus aduentum, non creationis actualis, sed potius creationis virtualis,seu potentiæ creatiuæ munus exequebatur in Deo, & ipsum in ratione creatoris,hoc est, potentis creare cõstituebat. Tertia deniq; pars probatur à Doctore Angelico ibidem in solutione ad tertium:quia in omni actione secluso motu, & mutatione solum remanet relatio;quia nulla actio ponit in passo præter motum nisi solã relationem: sed creatio est actio Dei expers motus,& mutationis, & in passo, hoc est in rebus ad extra ponit aliquid formaliter:igitur cum non ponat motum, ponet solam relationem dependentiæ:& sic creatio passiua suponit pro huiusmodi relatione. Dico tertio vt creatio sit productio entis ex nihilo non requiritur,quod habeat subiectum commune vtrique termino, nisi secundum modũ significandi, neque requiritur nouitas essendi ipsius entis creati. Hæc conclusio statuitur aduersus Durandum; qui propterea

negabat creationem eſſe productionem ex nihilo ſecundum ordinem ad nihil affirmatum, quod putaret hinc ſequi dari ſubiectũ commune vtrique termino, & creationem debere eſſe poſt non eſſe præcedens rei creatæ, ac proinde requiri ad creationem nouitatem eſſendi. Et probatur labefactando hæc Durandi fundamenta. Nam vt aliqua actio verſetur poſitiue inter duos terminos non requiritur quod gaudeat ſubiecto vtrique termino communi: etenim transſubſtantiatio vera actio eſt per quam panis in verum Chriſti corpus cõuertitur: & tamẽ nõ gaudet ſubiecto vtrique termino communi; neque enim panis ſubſtantiæ, & corpori Chriſti datur commune ſubiectum: igitur ſi hoc non obſtat quominus transſubſtantiatio dicatur, & ſit inter duos terminos: ita defectus huiuſmodi ſubiecti communis non obſtabit quominus creatio dicatur, & reuera ſit inter duos terminos, ſcilicet inter ens, & nihil ſiue entis negationem; præſertim cum creatio ſit actio diuina, quæ non indiget ſubiecto, in quo recipiatur, neque eius terminus aliquod ſubiectum præſuponat: indigentia autem illa ſubiecti communis vtrique termino, in ſolis actionibus habet locum, quæ habent admixtum motum ſiue mutationem, cuius terminis præſuponere debet aliquod commune ſubiectum. Rurſus in actionibus à motu, & mutatione vindicatis ſat eſt, quod ſecundũ modum ſignandi ſaluetur commune ſubiectum, eo quod ad modũ motus aut mutationis ſignificãtur, ſed ad modum mutationis, etiam ſecundum modum ſignandi importatur creatura per modum ſubiecti communis de nõ eſſe ad eſſe tranſeuntis, licet ſecundum rem tale ſubiectum commune non detur, ſicut neque ſecundum rem in creatione, vera mutatio ſaluatur. Denique neque requiritur nouitas eſſendi, quia dictio, *Ex* habitudinem termini à quo dumtaxat denotat & non aliquam prioritatem aut temporis præcedentiam; ad habitudinem autem termini à quo, ſufficit prioritas originis ſeu ratio prioris à quo, ſiue etiam prioritas rationis, quæ cum temporis ac durationis ſimultate compatitur, & ſecundum hanc ſufficit quod nihil ſiue entis negatio præcedat ens quod creatur, ac perconſequens creatio non petit in rebus creatis eſſendi nouitatem: vnde & mundus potuit abæterno fieri à Deo vt in ſequentibus demonſtratur.

3 Sed contra argumentor primo, nam impoſsibilis videtur creatio: igitur falſum eſt quod ſuponimus circa creationis poſsibilitatem. Antecedens probatur dupliciter, primo, quia impoſsibile eſt Deum mutari ſiue acquirere de nouo aliquam perfectionem ex tempore, quæ ei abæterno non conuenerit: ſed ſi creatio eſſet poſsibilis aliqua perfectio, & actualitas Deo ex tempore aduenire. Nam actualitas creationis eſt actu creare: ſed Deus ex tempore fuit actu creans: ergo Deo ex tẽpore actualitas creationis aduenire. Secundo nam implicat dari potentiam actiuam creantis vbi potentia paſsiuæ creabilitatis non eſt dabilis, cum omnipotentiæ actiuæ, aliqua paſsiua eiuſdem ordinis, & ipſi proporcionata debeat correſpondere; ſed nõ eſt aliqua potetia paſsiua creabilitatis ex parte creaturarum: ergo. Minor probatur, quia res denominantur creabiles ab ipſa potentia actiua creatoris, & nõ ab aliqua potentia ipſis intrinſeca: ſicut enim res ante quam fiant, dicuntur poſsibiles nõ ab aliqua Phyſica potentia poſsibilitatis, ſed à ſola potentia Dei, quæ omnia poteſt: ita dicuntur creabiles à potentia creatoris: ergo. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem, nego minorẽ. Neque enim actualitas, & perfectio creationis conſiſtit in hoc quod eſt actu creare; ſed conſiſtit in ipſa potentia creatiua à qua Deus dicitur creator eo quod atributa illa quibus Deus reſpicit creaturas ad extra conſiſtunt in actualitate actus primi, & non in actualitate actus ſecũdi, verbi gratia, atributum omnipotentiæ, quia reſpicit creaturas ad extra vt factibiles conſiſtit in actualitate non facientis, ſed potentis facere aliquid ad extra: & eadem eſt actualitas operationis actualis atque omnipotentiæ, quia eadem forma quæ exequitur munus actus primi, & potentiæ ante productionẽ effectus, poſtea poſsito effectu à parte rei exequitur munus actus ſecundi: ita eadem forma, quæ ante creaturarum exiſtentiã exequebatur in Deo munus potentiæ creatiuæ à qua Deus conſtituitur in ratione creatoris per modum actus primi, & poſtea poſita coexiſtentia creaturarum exequitur munus actualis creationis à qua Deus conſtituitur in eſſe actu creantis per modum actus ſecundi, non quia actualitas creationis aduenit de nouo: hæc enim eſt actualitas potentis creare conueniens ab æterno, cui nihil realitatis aut perfectionis aduenit per hoc quod fit actualis creatio. Ad ſecundam reſponde cum Caietano prima parte quæſtione 41. art. 3. Negando maiorem: nam licet potentiæ phyſicæ actiuæ aliqua paſsiua eiuſdem ordinis debeat correſpondere, tamen potentiæ actiuæ ſimplicium, ideſt, terminorum producendorum abſque mutatione, nõ oportet paſsiuam potentiam correſpondere. Vnde potẽtiæ generatiuæ Patris Diuini

nulla

nulla potentia passiua in Filio correspondet, hæc enim inuoluit imperfectionẽ Deo repugnantem. Similiter neque potẽtiæ creatiuæ oportet passiuam respondere potentiam, sed sufficit obiectiua illa ratio creabilitatis cum respectu ad potentiam actiuam ad modum potentiæ passiuæ significata. Secundo argumentor, neque omnis productio ex nihilo est creatio, neque omnis creatio est productio ex nihilo: ergo diffinitio assignata creationis non est conueniens. Atecedẽs pro prima parte probatur: Nam Christus quantũ ad animam est productus de nihilo, quia fuit anima Christi producta à Deo solo quantum ad totam suam entitatem; & tamen non fuit creatus, etenim Christus non est creatura: erg. Dices Christum non esse creaturam, quia non est productus quo ad totam suam entitatem, supositi, scilicet, & naturæ quam inclucit, bene tamen eius animã esse creatam sicut, & est producta ex nihilo. Sed cõtra argumẽtor. Nam etiã anima Christi includit suppositum, & existentiam diuinã secundum quam non fuit producta: ergo, neque fuit creata. Pro secunda parte probatur idem antecedens, primo nam hac ratione, homo quando generatur non fit ex nihilo, quia fit ex ente impotentia, scilicet, ex materia prima: sed etiam res producta per creationem, v. g. entitas Angeli fuit producta ex ente potentiali, scilicet ex potentia obiectiua secundum quam erat possibilis produci: ergo. Secundo sicut nulla actio potest esse sine termino, quia dicit intrinsecum ordinem ad terminum, ita nequit esse sine subiecto, quia etiam dicit intrinsecũ ordinem ad subiectum, imo magis videtur dependere à subiecto quam à termino: teste enim Authore sex priorum actio non tam postulat quid agat, quam in quid agat: ac proinde nulla actio erit ex nihilo. Tertio si Deus ex aliqua anima rationali præexistenti conderet hominem, hæc productio esset creatio, quia non esset cum dependentia à materia; neque eductio alicuius formæ de potẽtia materiæ: & tamen non esset ex nihilo: nam homo ille vere de aliquo scilicet de anima præexistẽti produceretur: ergo. Adhoc argumẽtum respondetur negando antecedens quo ad vtramque partem. Ad probationem primæ, quod legitima est solutio inter arguendum assignata. Ad replicam dicendum est. Christum suponere pro diuino supposito, & quia suppositum non est creatum, ideo neque Christus absolute est creatus, neque productus quoad totam suam entitatem. Anima vero Christi solum suponit pro entitate à supposito, & ab existentia abstracta: & ideo sicut fuit producta quoad totam entitatem, ita producta fuit ex nihilo, & absolute à Deo creata: licet suppositum; & existentia nõ fuerint creata. Quemadmodum enim albedo si produceretur independenter à subiecto, reuera crearetur, quia tota eius entitas fieret ex nihilo licet subiecto vniretur per aliam actionem, ita anima rationalis absolute dicẽda est creata: quia quoad totam suam entitatem fuit independenter à subiecto producta. Ad probationem primam secundæ partis antecedentis respondetur negando minorẽ: quia potentia obiectiua præcedens actualem rei existentiam non est reale subiectum aut Physica potentia: sed dum taxat Logica, denominatioque à potentia actiua desumpta, vt dictum est: & ideo productio rerum ex tali potentia non est proprie ex subiecto, sed ex nihilo. Ad secundam negatur primo, ratio discriminis est quod actio specificatur à termino ad quem, non autem à termino à quo, neque à subiecto: vnde ordo actionis ad terminum est insuplebilis, ordo vero actualis dependentiæ ad subiectum est suplebilis à Deo, ac proinde potest dari actio independẽs à subiecto cuiusmodi est creatio. Ad tertiam respondet Caietanus prima parte quæstione 41. art. 5. quod fieri de aliquo prout condistinguitur contra fieri ex nihilo, stat dupliciter; primo pro hoc quod est fieri ex aliquo præsupposito subiecto, de cuius potentia forma aliqua educitur, aut saltem illi vnitur per generationem. Secundo modo pro hoc quod est fieri de aliquo præexistenti, siue subiecto, siue forma aut aliquo actu, vt in casu argumenti, quod Deus hominem produceret introducendo præexistentem animam rationalem in materiam, sed hæc solutio infirma videtur, nã ex illa sequitur quod si Deus nouã materiam cõderet & illi infunderet animam præexistentem, talis productio materiæ non esset creatio: siquidem esset de aliquo facta, scilicet, dependenter ab aliquo præexistenti, scilicet ab anima rationali præexistenti; quod tamen est falsum, cũ materia prima nequeat aliter produci, quã per creationem. Sed nihilominus vera est solutio Caietani: nam reuera inter productionem ex præsupposito subiecto, quæ est generatio, & inter creationem datur genus medium aliarum actionum quæ nec generationis, nec creationis rationem inducunt; cuiusmodi sunt conuersio panis in corpus Christi, & quæcunque alia actio vnius creaturæ in aliam conuersiua; quæ nec generatio est, cũ non fit ex præsupposito subiecto, nec creatio cum non fit ex nihilo. Et similiter actio illa hominis productiua ex anima præexistenti

ſtēti, nec generatio eſſet; neq; creatio propter rationem aſsignatā, ſed ſpecialis actio, nec ex nihilo, nec ex præſupoſito ſubiecto, ſed de aliquo: quæ ſicut noua eſſet, noue etiam, & peculiari nomine gauderet. Neque inconueniens illud opoſitum contra Caietanum ſequitur ex eo quod materia in illo caſu fieret ex nihilo: non enim ab anima, vt à ſubiecto, aut à parte intrinſeca dependeret ſicut dependeret homo: ſed dependeret ab anima præexiſtenti vt â forma dante ei exiſtentiam, & complente eius creationem: vnde, quia homo in caſu poſsito produceretur ex anima præexiſtenti, vt â parte intrinſeca, ex qua compoſitus homo reſultat, ideo actio productiua hominis non eſſet creatio, ſed vnitiua partium, ſcilicet materiæ, & animæ rationalis creatarum: materia vero, quia ſimplex compars eſt, ab anima non vt â componente ſed vt ab actuante dependeret, reuera crearetur, ſicut de facto materia primi hominis fuit creata non obſtante dependentia ipſius à forma per quam fuit facta capax exiſtentiæ. Tertio argumentor, nam creatio nequit habere pro termino à quo negationem entis: ergo non eſt productio ex nihilo per ordinem ad ipſum nihil, affirmatum. Antecedens probatur, nam actio reſpiciens duos terminos, ſcilicet, à quo, & ad quem, debet habere ſubiectum commune vtrique, rurſus petit quod terminus à quo præcedat terminū ad quē: & tandem debet attingere vtrumque terminū, ſcilicet, terminū â quo, vt deſtruendum, & terminum ad quem, vt producendum; ſed niſi habeat ſubiectum, nequit attingi ipſa pura negatio ſecundum ſe: ergo, &c. Ad hoc argumentum quo Durandus conuictus doctrinæ Angelici Doctoris non aquieſcit: Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem dictum eſt iam, non omnem actionem poſtulare ſubiectum commune vtrique termino. Ad ſecundā, dico ſufficere quod terminus â quo creationis præcedat terminum ad quem priorita te rationis, & ſic præcederet negatio entis ipſam producti exiſtentiam, ſi mundus fuiſſet ab æterno: de facto tamen verū eſt quod negatio entis præceſsit æternitate, quatenus tota illa æternitatis duratione ante mundi creationem fuiſſe intelligitur negatio entis. Ad tertiam negatur minor, quia etiam ipſa entis negatio attingitur ſuo modo per creationem vt terminus deſtruibilis: ad huiuſmodi etiam attingentiam non requiritur, ſubiectum aliquod in quo actio recipiatur: ſed ſolum productio termini oppoſiti, per quem terminus à quo excluditur ſeu deſtruitur, præterquam quod, vbi actio fit abſque mutatione per modum ſimplicis emanationis cuiuſmodi eſt creatio, non requiritur exacta attingentia termini â quo, ſicut requiritur in actione quæ fit cum motu: eo quod per hanc, & non per illam abiicitur, & excluditur priuatio formæ à ſubiecto apto nato illam habere.

ARTICVLVS II.

An ad rationem creationis requiratur nouitas eſſendi?

4 IN hoc articulo, vt explicemus conditionem, ac rationem creationis, inquirimus an ſic terminetur ad ens ex nihilo, vt producat eſſe poſt non eſſe. Sic enim erit nouitas eſſendi de ratione creationis, & non aliâs. In quo communis ſententia eſt omnium Metaphyſicorum tam antiquorum, quam neotericorum nouitatem eſſendi nō eſſe de ratione creationis: eo quod omnes illi exiſtimant potuiſſe mundum, vel quoad omnes, vel quoad aliquas ſaltem creaturas creari abæterno: quod tamen impoſsibile eſſet, ſi deratione creaturæ ſiue termini creationis vt ſic, eſt nouitas eſſendi. In explicatione tamen huius communis ſententiæ duo fuere modi dicendi. Alij namque de quorū numero fuerunt Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 2. & 12. huius cap. 5. & Auerrois ibidē exiſtimarunt non ſolum nō eſſe de ratione creationis nouitatem eſſendi, ſed illi repugnare, neceſſariumque fuiſſe atque demonſtrabile res creatas abæterno fuiſſe creatas, ac debuiſſe creari. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe illi qui rerum creatarum exiſtentias nullatenus ab eſſentijs earum diſtinguunt, & ſimul dicunt eas abæterno fuiſſe productas. Verum circa mentem, & ſententiam Ariſtotelis aduertit D. Thom. 12. huius lect. 5. & 1. p. q. 46. art. 1. rationes Ariſtotelis non fuiſſe ab eo vt demonſtratiuas, ſed ſolum vt topicas propoſitas: ac proinde non fuiſſe eius intellectus conuictus ad aſſerendum firma adhæſione creaturas debuiſſe abæterno produci, quæ moderatio ſententiæ Ariſtotelis non placet Conimbricenſibus, vnde 8. Phyſicorum cap. 2. quæſt. 3. art. 1. audent affirmare Philoſophum certo, & firmiter ſuis rationibus vt demonſtratiuis adhæſiſſe: ſed cū quæſtio hæc potius ſit de mente, & cogitatione Philoſophi, quam de re, parum refert ſcire quid ſenſerit Philoſophus, aut qua firmitate vſus fuerit ſuis rationibus: vel quā fidem eis adhibuerit, quia tamen D. Thom. dixit ipſum vt topicis argumentis, ſuis rationibus fidem

fidem dumtaxat adhibuiſſe, hoc credendum putamus, donec oppoſitum à prima veritate non fuerit reuelatum. Cæterum alij dicũt nouitatem eſſendi non eſſe de ratione creationis, non tamen illi repugnare; quia de facto creaturæ productæ fuerunt in principio temporis poſt non eſſe ipſarum, quod ipſas duratione, æternitatis ſuo modo, præceſſit, hoc eſt, eo modo, quo pura negatio eſt capax prioritatis, atque præcedentiæ. Et hæc ſententia eſt quam docet Fides Catholica, de qua videndi D. Thom. 1. p. quæſt. 46. art. 2. Caietanus, Bañeſius ibidem, Durãdus vbi ſupra. Conimbricenſes in loco allegato art. 2. & alij Neoterici in Commentario ad præ dictum cap. 2. 8. Phyſicorum, & ad art. 2. quæſt. 46. citatæ. Vt ad aſſertiones deueniã, quibus ſententiam fidei ac Philoſophiæ conſentaneam Tironibus Metaphyſicis patefaciam. Ante omnia aduertendum duxi creationem poſſe accipi dupliciter: vno modo, pro creatione illa, quę eſt productio totius entitatis ex nihilo; quam articulo præcedenti diffiniuimus. Alio modo pro ſimplici emanatione alicuius rei quo ad totam eius entitatem, non ex nihilo poſitiue, ſed negatiue: ideſt non ex aliquo ſubiecto: quo genere actionis fieret mundus à Deo, ſi ab æterno Deus illum produceret. Et quidem huiuſmodi actio eſſet creatio proprie, ſicut prima, licet emanatio aut ſimplex productio communiter dicatur, Philoſophi tamen indifferenter nomine creationis vſi fuere & non ita præſe nomen creationis accipientes aſſerebant ex eis; alij nouitatem eſſendi repugnare creationi. Alij autem contingẽtur, & accidentaliter illi conuenire. Reſpondeo dicendum primo creationi prout abſtrahit à productione totius entitatis à Deo: ſiue ex nihilo poſitiue, ſiue non ex aliquo; neque repugnare, neque perſe conuenire nouitatẽ eſſendi. Hæc concluſio probatur quoad primam partem aduerſus Philoſophos antiquos primi modi defendendi communem ſententiã ſectatores. Primo nam de facto creatio fuit in principio temporis vt fides docet ac proinde fuit cum nouitate eſſendi: ergo non repugnat creationi vt ſic nouitas eſſẽdi cõſeq. patet: nam quod alicui repugnat, nequit vnquam, aut alicubi illi conuenire. Quo ad ſecundam partem probatur primo: nam quod conuenit alicui ſecundum ſe, ſemper, vbicũque, & omni eius indiuiduo debet conuenire: ſed nouitas eſſendi non conueniret illi productioni qua Deus creaſſet mundum ab æterno, ſi illum creare voluiſſet: ergo. Minor patet, quia talis actio eſſet ab æterno, ac proinde abſque nouitate. Secundo illud quod poteſt conuenire, & non conuenire alicui, non conuenit illi perſe, neque repugnat: ſicut hac ratione albedo neque perſe conuenit homini, neque ei repugnat, quia poteſt ei conuenire, & non conuenire: ſed nouitas eſſendi poteſt conuenire, & non conuenire creationi generaliter dictæ, vt probatum eſt: ergo. Tertio oppoſitum illius quod conuenit perſe alicui rei, nequit illi conuenire: ſed oppoſitum nouitatis eſſendi potuit conuenire creationi generaliter dictæ, quia potuit eſſe ab æterno: ergo. Confirmatur, nã aliàs poſſet demonſtrari inceptio mũdi: etenim eſſet propoſitio, perſe, ac proinde demõſtrabilis, hæc: *mundus eſt in tempore*, ſeu hæc. *Creatura incipit eſſe poſt non eſſe*: quod tamen negat D. Thom. quæſt. citata art. 2. & patet quia eſt propoſitio fidei perſe loquendo Deum creaſſe mundum, in tempore: propoſitiones autem perſe ad fidem pertinentes nequeunt eſſe demonſtrabiles per ſcientiam naturalem. Vltimo probatur concluſio: nam D. Thom. in alegato art. 1. ad tertium ſic ait. *Ad tertium dicendum quod cum dicitur aliquid ex nihilo fieri: hæc præpoſitio, ex, non deſignat cauſam materialem, ſed ordinem tantum, ſicut cum dicitur ex mane fit meridies, ideſt poſt mane fit meridies*, & paucis præmiſſis in quibus adnotat dictionem, *ex* poſſe aut manere negatam, aut affirmatam in propoſitione, in qua anunciatur aliquid fieri ex nihilo, ſubdit D. Thom. *Et vtroque modo verificatur, cũ dicitur ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo hæc præpoſitio* ex *importat ordinem (vt dictum eſt) ſecundo modo importat habitudinem cauſæ materialis, quæ negatur.* Quorum verborum ſenſus planus eſt, ſiue id quod producitur ex nihilo accipiat eſſe poſt non eſſe, ſi fiat ex nihilo ordine affirmato ſiue non fiat ex aliquo ſubiecto, ſecundum quod negatur præſupoſitio materiæ, etiam ſi non ſit ordo affirmatus; ideſt, etiam ſi non eſſe, non præcedat ipſum eſſe: verificatur quod fit ex nihilo, vtroque enim modo ſaluatur productio, & emanatio vniuerſalis totius entis à cauſa vniuerſali, in quo conſiſtit ratio creationis: ergo ſentit D. Thom. quod creatio abſtrahit ſimplici emanatione qua res poteſt produci ab æterno ex non ſubiecto, & ab illa productione, qua mundus fuit productus poſt ſui non eſſe. Antecedens patet: nam dicit D. Thom. quod vtroque modo verificatur productio ex nihilo: ſed productio entis ex nihilo eſt creatio: ergo: vtroque modo ſaluatur creatio. Quod ſi dicas ſenſum illorum verborum eſſe: quod vtroque modo verificatur de ente quod accipit eſſe poſt non eſſe; quod fit ex nihilo: quia verificatur primus modus,

ſecun-

ſecundum quem manet ordo affirmatus, etenim accipit eſſe poſt non eſſe: & verificatur ſecundus modus, nam fit ex non ſubiecto, quia nullum ſubiectum eius creationē præceſsit. Reſpondeo etiam hunc ſenſum admittere verba Sancti Doctoris: at verbum illud *verificatur* non neceſſariam ſed ſimplicem denotat verificationem: vel vt melius dicam, non neceſsitatem ſed permiſsionem denotat; quia non vult Doctor Sanctus creationem factam in tempore de neceſsitate præcedere quod fiat ex nō ſubiecto, & quod præſupponat non eſſe rei productæ: ſed tantum vult quod vtrūque permiſsiue, & veluti per accidens includit. Si tamen fiat creatio primo vel ſecundo modo, erit nihilominus productio ex nihilo: quia vtroque modo fieret per illam res ex nihilo. Dico ſecundo creatio prout facta eſt in tempore, includit eſſendi nouitatem. Probatur: nam creatio prout facta in tempore *ly prout*, reduplicant; conditionem ac temporis circunſtantiam, includit quandam conditionem, & modum cui perſe anectitur nouitas eſſendi: includit enim fieri in initio temporis poſt non eſſe creaturarum præcedens per totam æternitatem: ergo vt ſic includit nouitatem eſſendi. Confirmatur primo, nam actio quæ communicat effectui eſſe poſt non eſſe, vt ſic includit nouitatem: ſed creatio prout facta eſt, communicauit modo, eſſe poſt non eſſe, eo quod fuit facta in principio temporis: ergo. Confirmatur ſecundo, creatio prout facta fuit; eſt ratione naturali in demonſtrabilis: & non niſi ratione nouitatis eſſendi: ergo vt ſic includit nouitatem eſſendi. Maior patet, quia ſola fide tenendum eſſe mundum incepiſſe atque fuiſſe factum in temporis initio docet D. Thom. 1. p. quæſt. 46. art. 2. quinimo hoc eſſe, quod creditur in articulo 5. de ſeptem pertinentibus ad diuinitatem: dū credendum omnibus fidelibus Catholicis proponitur Deum eſſe creatorem: ſolamque nouitatem eſſendi eſſe, quæ ſpecialem difficultatem adducit huic veritati, ratione cuius fit obſcura, & indemonſtrabilis: alioquin Deum habere virtutem creatiuam, veritas clara, & demonſtrabilis eſt. Minor autem probatur: nam creatio mundi duo habet: nempe quod ſit emanatio creaturarum à prima cauſa, & quod ſit in tempore cum nouitate eſſendi: ratione primi eſt demonſtrabilis: etenim omne ens per participationem dimanare ab ente per eſſentiam eſt neceſſarium, & notum: & hanc eandem neceſſariam veritatem demonſtrat ac notificat D. Thom. in eadem prima parte quæſtione 44. artic. 1. ergo relinquitur poſitio creationis factæ obſcura, & credibilis ratione ſolius nouitatis eſſendi. Quod ſi dicas etiam ratione emanationis ipſius prout ex nihilo eſſe ignotam, & obſcuram mundi creationem, & ſola fide tenendam, quia licet demonſtrabile ſit quod omne ens per participationem dimanet à prima cauſa, tamen quod dimanat tali modo, ſcilicet ex nihilo; hoc non eſt demonſtrabile, ſed perſe obſcurum, & pertinens ad fidem. Contra hoc eſt, quod non ſolum ratio emanationis in communi prout abſtrahit ab emanatione generatiua, quæ eſt productio entis ex præſupoſito ſubiecto, & ab emanatione ſimplici, quæ eſt productio entis ex nihilo eſt nota lumine naturali: verum etiam determinate emanatio creationis, quæ eſt productio ex nihilo eſt demonſtrabilis. Vnde & diffinitio creationis eſt lumine naturali nota ſeclu ſo lumine fidei. Et antiqui Philoſophi ſolo naturali lumine ſufulti productionem entis ex nihilo cognouerunt. Nam vt refert Iuſtinus Martyr in admonitorio contra gentes, Plato diſtinxit inter creatorem, & opificē quod opifex operatur ex materia ſubiecta, creator vero ex nihilo. Rurſus, Deum eſſe creatorem, ideſt potentem creare, eſt demonſtrabile lumine ſcientiæ naturalis: ſed hæc veritas nequit demonſtrari niſi ſimul, & ex vi eiuſdem luminis manifeſtetur poſsibilitas creationis, & natura illius, ſcilicet quod eſt productio ex nihilo: Deum enim poſſe creare eſt Deum poſſe producere ex nihilo. Denique D. Thom in allegato articulo 1. quæſtionis 44. demonſtrat emanationem totius entis participati à prima cauſa, & ex hac emanatione totius entis à prima cauſa infert quæſtione ſequenti articulo 1. naturam ac diffinitionem creationis, quod ſcilicet ſit productio ex nihilo: ergo ſicut eſt demonſtrabilis emanatio totius entis à prima cauſa, ita eſt demonſtrabilis productio ex nihilo, quia non ponit in numero hæc cum illa.

Veritas creationis quæritur.

Dico tertio: creatio ſecundum eſſentialem, & ſpecificam rationem creationis, non includit nouitatem eſſendi. Hæc concluſio probata manet ex prima, nam ibi dictum eſt creationem accipi poſſe dupliciter, ſcilicet pro ſimplici emanatione rerum à prima cauſa, quæ ſolum ſit productio rerum non ex alio ſubiecto, ideſt ſine præſuppoſitione, & pro illa productione, quæ licet fiat ſine præſuppoſitione ſubiecti de quo, aut ex quo, non tamen fit ſine præſuppoſitione negationis eſſendi: & vtroque modo ſaluari diximus creationem: ſed creatio ſecundum ſuam ſpecificam rationem

non

non includit modos inferiores, & particulares à quibus abstrahit: ergo si abstrahit, secundum specificam rationem à modo nouitatis essendi non includit illum in sua ratione essentiali. Minor patet, nam sicut ratio specifica hominis abstrahit à conditionibus sexus virilis, ac fœminei: & propterea neutrũ sexũ includit: aliàs omnis homo esset, aut vir, aut fœmina: ita ratio formalis & specifica creationis abstrahit à productione totius entis à prima causa sine nouitate, seu æterna, hoc est ab æterno, & à productione totius entis in principio temporis, seu includente nouitatem essendi: ac propterea neutrum ex his modis includit in suo conceptu. Aliàs actionis creatio essentialiter esset, in temporis initio: aut hæc esset impossibilis: & solum esset possibilis creatio quæ esset ab æterno. Confirmatur: nam creatio includens nouitatem essendi nõ est creatio absolute sumpta, sed prout facta est in temporis initio: vt diximus in secunda conclusione: at dictio prout non reduplicat essentiam creationis, sed cõditionem accidentalem: etenim accidit creationi mundi fuisse in initio temporis: potuit namque mundus salua ratione creationis, fuisse ab æterno, & absque essendi nouitate: ergo nouitas solum est modus accidentalis creationis, ac proinde nõ est de ratione specifica creationis.

5 Sed pro maiori harum assertionũ elucidatione arguitur contra primam, nã productio siue emanatio rerum à prima causa, si ab æterno esset non haberet veram rationẽ creationis: ergo creatio vere & proprie dicta non abstrahit à productione entis post non esse, & à simplici productione totius entis de non subiecto. Antecedens probatur: nam creatio essentialiter distinguitur à productione, qua Pater diuinum Filiũ ab æterno genuit, sed illa simplex, & æterna rerum emanatio non distingueretur à productione Filij Diuini per hoc quod est producere de non subiecto: tenim etiam producitur Filius diuinus de non subiecto: ergo per nihil proprium creationis distingueretur, nisi solum per hoc quod communicaret rebus esse finitum: & distinctum ab esse infinito Dei: quod est commune omni productiuæ operationi, qua Deus operatur ad extra etiã si creatio nõ sit. Cõfirmatur nã D. Tho. in quæstione alegata 49. agit de creatione secundum se, vt patet ex titulo, & argumento quæstionis: & tamen illi tribuit vtrũque modum, in solutione citata ad tertium dicẽs quod vtroque modo creatio est productio ex nihilo scilicet, & ex non subiecto, ideſt sine præsupositione subiecti, & post non esse, ideſt, cum præsupositione termini à quo, qui est negatio entis præcedens ipsum esse: sauet Caietanus fidelis interpres Diui Thomæ, qui incalce eiusdem articuli primi, ait quod creari est post nihil fuisse, & propterea anima intelectiua creatur licet semper fiat in subiecto, quia post nihil fuit sit per se: ergo creatio non abstrahit à nouitate essendi, sicut neque abstrahit ab altero modo emanationis, qui importat negationem præsupositionis subiecti, siquidem vtrumque modum partificat D. Thomas, & attribuit creationi, vterque igitur, aut est essentialis illi, aut accidentalis: & cum hoc secundum non detur, dicendum est primum. Respondetur negando antecedens. Ad probationem nego minorem: nam productio Diuini Filij est de essentia eiusdem Patris: & propterea dicitur Filius consubstantialis Patri, qua productus de eius substantia. Rursus Filio Diuino perse conuenit esse: & ideo eius productio est productio habentis esse per essentiam; creaturæ autem ab æterno productæ à Deo neque essent productæ de substantia Dei neque eis de se conuenit esse, sed potius non esse: ac per consequens emanatio earum esset ex nihilo: secus autem generatio Filij diuini, qui est Patris consubstantialis, & ens per essentiam sicut Pater. Vnde illa creaturarum emanatio ex proprijs creationis à processione Filij distingueretur, & eadem ratione à processione Spiritus Sancti. Ad confirmationem patet, ex prima conclusione. Ad testimonium autem Caietani dico ipsum locutum fuisse de creatione prout de facto contingit cum nouitate essendi: non autem secundum eius specificam rationem; sic enim abstrahit à productione entis post non esse illius, & à productione entis ex non subiecto absque præsupositione termini à quo. Secundo arguitur contra secundam: illa quæ faciunt differre specie essentiali, sunt essentialia, & non solum modi accidentales: sed nouitas essendi facit differre creationem temporalem ab æterna rerum emanatione à prima causa, in genere productionis siue emanationis: ergo nouitas nõ est modus accidentalis creationis quæ de facto contigit. Minor patet: nam ratione huiusmodi nouitatis creatio facta in temporis initio habet distinctam diffinitionem formaliter: est enim productio entis ex nihilo, ideſt post non esse illius: & habet terminum à quo distinctum, scilicet negationem entis præcedentem ipsum esse termini producti, & non solum negationem

ſubiecti: ſed actio cuius terminus, à quo, eſt diuerſus, ex diffinitione ſua diuerſa eſt, ac proinde ratio ſpecifica eſt diuerſa: ergo. Reſpondetur negando minorem, ad probationem dico, quod creatio facta in initio temporis poteſt accipi dupliciter: vno modo ſecundum ſe, & ſic eſt eiuſdē rationis cū omni alia creatione, & eiuſdē diffinitionis, atque habet terminū aquo eiuſdē rationis, qui ſcilicet, eſt negatio ſubiecti: hoc enim eſt de eſſentia creationis, vt non fiat ex præſupoſito ſubiecto. Poteſt ſecūdo modo accipi formaliter, & prout vltra hoc habet adiūctam nouitatem, & præſupoſitionem negationis entis: & quia hic eſt modus accidentalis creationis: ideo vt ſubeſt illi conſtituitur creatio in quadam ſpecie diſtincta modali ſiue accidentali creationis, & ſic non inconuenit quod habeat diſtinctam diffinitionem, & diſtinctum terminum à quo, à creatione æterna: & ſimiliter creatio æterna ſi ſumatur vt ſubeſt æternæ durationi cum excluſione principij durationis, & nouitatis ſubinduit aliam ſpeciem accidentalem, & modalem creationis: ſicut homo ſingularis, & abſtractus à ſingularitate in intellectu, licet ſit idem ſecundum eſſentiam: tamen accidentaliter eſt diuerſus, & ſubinduit duos modos atque ſtatus diuerſos ſecundum quos aliam & aliam habet diſtinctionem atque diuerſas conditiones: prout ſingularis enim includit conditiones indiuiduantes; & prout vniuerſalis excludit illas, & habet indifferentiam poſitiuam ad plura indiuidua: quia tamen accidit illi ſecundum eſſentialia eſſe ſic contractum, aut ſic abſtractum: ideo manet in variata ratio hominis quoad eſſentialia in vtroque ſtatu. Tertio arguitur, nam de eſſentia creationis eſt producere ens cū præſupoſitione non entis: ergo eſſentialiter habet communicare eſſe poſt non eſſe, ſiue cum nouitate eſſendi, cuius oppoſitum aſſeuerat tertia concluſio. Antecedens probatur primo, nam Geneſeos primo, ponitur in diffinitione creationis initium temporis: propterea enim teſte Hieronymo tomo tertio in quæſtionibus Hæbraicis ſuper Geneſim, non habetur in Hæbreo originali, *in Filio*, vt aliqui autumant: ſed *in principio*, vel *in capitulo*, ad denotandam creationis nouitatem, & Epiſtola ad Cyprianum in eodē tomo tertio, atque tomo 9. ſuper Epiſtolā ad Epheſios cap. 2. diffinit creationem, quod ſit eius, quod prius non erat cōditionis exordium, in hocque diſtinguit illam à poſſeſsione: quod poſſeſsio abſtrahit à nouitate & propterea Filius poteſt dici poſſideri à Patre in initio viarum ſuarum, vt dicitur Prouerbiorum 8. non tamen poteſt dici creari, quia creatio includit eſſendi nouitatem repugnantem Filij diuini æternitati. Secundo probatur idem antecedens: nam creatio eſt productio entis participati: ſed ens participatum prius debet eſſe ſub non eſſe ſui, quam ſubeſſe: ergo & creatio debet communicare eſſe poſt non eſſe. Minor probatur ex Doctoris Sācti opuſculo 27. Et in 2. d. 1. q. 1. art. 5. ad ſecūdū: in quibus locis aſſerit quod creatura de ſe nō eſt ens, ab alio autem habet quod ſit ens: ſed quod conuenit alicui ſecundū ſe prius cōuenit, quā id, quod cōuenit ei per accidēs: ergo ſentit D. Tho. quod de ratione creaturæ ſit præſupoſitio negationis ſui eſſe, quia hæc negatio cōuenit illi de ſe, ac proinde creatio intrinſece includit nouitatē. Tertio: nā ſicut anihilatio eſt de eſſe ad nō eſſe: ita creatio eſt de nō eſſe ad eſſe: ſed anihilatio eſſēſialiter includit nouitatē, quia neceſſario debet præcedi ab eſſe: ergo etiā creatio debet præcedi à nō eſſe, & conſequēter dicet intrinſece nouitatē. Confirmatur, nā emanatio rerū à Deo ſi ab æterno fuiſſet nō eſſet vera creatio: & non niſi defectu nouitatis: ergo nouitas eſt de eſſentia creationis. Maior patet, nā nō eſſet productio entis ex nihilo, alias ſimul & pro eadē duratione verificaretur de eadē re quod eſſet, & nō eſſet. Verificaretur enim, quod eſſet ex vi creationis, & etiā quod non eſſet: quia intelligitur, nō eſſe antecedēter ad creationē, & ſi eſſet ab æterno nō intelligeretur prius duratione nō eſſe, ſed ſolū prius naturā intelligeretur ipſum nihil quod eſt terminus, à quo creationis: prioritas autē naturæ nō obſtat ſimultati durationis, ac proinde ſimul duratione, & pro eodē inſtanti in quo verificarētur duo termini cōtradictorij de eadē re, ſcilicet eſſe & nō eſſe. Ad argumētū reſpōdetur negādo antecedēs. Ad primā probationē, quod ex illis teſtimonijs ſolū conuincitur creationē, prout de facto cōtigit, hoc eſt accidētaliter, & ſecundū quod ſubinduit accidentalē quādā ſpeciē, dicere nouitatem, de illa enim ſic accepta locutus fuit Moyſes, & loquutus fuit Hieronymus. Ad ſecundam nego maiorē: quia illud quod conuenit alicui de ſe, dupliciter poteſt ſe habere ſecūdū quod dictio *deſe*, poteſt capi dupliciter, ſcilicet reduplicatiue, & ſolitarie. Igitur illud quod cōuenit alicui de ſe reduplicatiue, prius cōuenit ſubiecto, quā illud, quod cōuenit ab extrinſeco: quia cōuenit illi poſitiue, & ſemper: at illud quod cōuenit rei de ſe id eſt ſolitarie nō oportet, quod cōueniat illi priꝰ, quia dū negatiue dicitur illi de ſe cōuenire, quatenus relicta ſuæ naturæ talis res nō excluditur illud

& quia

uenit ei non eſſe prioritate naturæ, & rationis: non autem prioritate durationis, & inſtantis in quo. Vtraque ſolutio habet fundamentum in D. Thom. vbi ſupra. Sic enim ait in alegato opuſculo 27. prope medium: *Prius ineſt vnicuique naturaliter quod conuenit ſibi in ſe, quam quod ſolum ex alio habet: eſſe autem non habet creatura niſi ab alio: ſibi autem relicta in ſe conſiderata nihil eſt, vnde prius naturaliter in eſt ſibi nihil quam eſſe. Nec oportet quod propter hoc ſit ſimul nihil & ens, quia dum eſt non præceſſit: non enim ponitur, ſi creatura ſemper fuit, vt in aliquo tempore nihil ſit: ſed ponitur, quod natura eius eſt talis quod eſſet nihil, ſi ſibi relinqueretur.* Et per hoc patet ad tertiam probationem: negamus enim quartam, nam anihilatio eſt eius quod in aliquo inſtanti fuit ſub eſſe: creatio autem poteſt eſſe illius quod ſemper fuit ſub eſſe, & in nullo inſtanti fuit ſub negatione eſſendi. Similiter ex eadem doctrina reſpondeo ad confirmationem, negando maiorem: neque enim ſequitur, quod res quæ ab æterno eſſet, ſi relinqueretur ſuæ naturæ eſſet nihil: in quo nulla inuoluitur contraditio, huius apertiſsimum exemplum adducit D. Thom. inquiens quod ſicut ſi ab æterno aer fuit illuminatus à ſole fuiſſet de non lucido factus lucidus, & tamen non ſequeretur ipſum aerem fuiſſe lucidum, & non lucidum, quia in nullo inſtanti fuit non lucidus. Ita ſi res ab æterno fuiſſet creata, non ſequitur ipſam aliquando eſſe & non eſſe. Sed ſolum ſequitur rem ſemper fuiſſe relictam ſuæ naturæ non eſſe, quia non à ſe ſed ab alio habet eſſe. Durandus nihilominus, in ſecũdo diſtinct. 1. quæſt. 2. huic doctrinæ Sancti Doctoris non aſſentiens, illam triplici modo impugnat. Primo quia illud quod alicui ineſt perſe non deſtruit eius naturam: ſed ſuponit vel ponit illam: ſed non ens deſtruit naturam entis: ergo impoſsibile eſt quod non ens ſine nihil conueniat alicui perſe. Secundo nam ex eo quod res de ſe non habet eſſe, non ſequitur, quod perſe habeat non eſſe: ergo male arguit D. Thom. dum ex hoc antecedenti creatura de ſe non habet eſſe; infert quod de ſe habet non eſſe: arguit enim ab vna negatiua ad affirmatiuam, variato prædicato definito in infinitum ſine conſtantia, & inſtatur in hac ſimilis formæ: natura humana ſecundum ſe non eſt vniuerſalis: ergo ſecundum ſe eſt non vniuerſalis. Tertio, quia oppoſitum illius quod conuenit alicui perſe, neque per accidens poteſt illi conuenire: ergo ſi non eſſe conuenit creaturæ perſe, eius oppoſitum quod eſt eſſe, non poſſet ei conuenire, ac ſic non poſſet creari à Deo, quod eſt abſurdum, & eiſdem fere argumentis Gregorius Ariminenſis modum loquendi Angelici Doctoris reiecit in ſecundo diſtinct. 1. quæſt. 3. articulo 2. dicens, quod ſi creaturæ ex ſe conueniret non eſſe, à nullo poſſet accipere eſſe, ſicut quia diameter eſt ex ſe incommenſurabilis coſtæ ſui quadrati, à nullo alio poteſt ipſi eſſe commenſurabilis. Et licet nulla creatura à ſe & ex ſe ſit ens, tamen ex talibus negatiuis non inferuntur huiuſmodi affirmatiuæ, ſcilicet, quod ex ſe ſit non ens, & quod prius conuenit creaturæ non eſſe, quàm eſſe. Vltimo confirmari poſſunt prædictæ obiectiones Durandi & Gregorij: nam ex noſtra doctrina, & modo loquendi ſequitur creaturam ſine miraculo poſſe verti in nihil: conſequens aduerſatur Diuo Thomæ 1. p. quæſt. 104. art. 4. ergo. Sequela probatur, quæ enim euenſunt creaturis iuxta naturam ipſarum ſecundam curſum naturalem, & ſine miraculo fiunt: ſi autem creaturis de ſe conueniret non eſſe, & prius natura quàm eſſe, verſio earum in nihil eſſet eis naturalis, ideſt naturæ ipſarum valde conſentanea ac proinde abſque vllo miraculo eueniret. Capreolus tamen accerrimus ſui Authoris defenſor his, & aliis pro doctrina, & modo loquendi illius ſe opponens, mirifice ſatisfacit: dicens, quod aliquid in eſſe alicui ex ſe, tripliciter poteſt intelligi. Primo modo, quia conuenit ei in primo modo dicendi perſe ſicut exiſtens de eſſentia illius. Secundo, quia conuenit ei in ſecundo modo perfectatis tanquam propria paſsio ad naturam conſequuta. Tertio, quia conuenit illi, quaſi in tertio modo perfectatis, ideſt ſolitarie conſiderato, ac remotis omnibus, quæ illi ex cauſis extrinſecis poſſunt cõuenire: quo ſupoſito ait quod non eſſe conuenit creaturæ non primo, aut ſecundo; Sed tertio modo. Quæ diſtinctio in eandem coincidit, quã paulo ante inſinuauimus, dum diximus aliquid conuenire alteri perſe dupliciter, ſcilicet, aut reduplicatiue ſiue poſitiue: aut ſolitarie ſiue negatiue, & hoc ſecundo modo, creaturis conuenire perſe non eſſe, quatenus ſolitarie acceptæ, & de ſe non habent eſſe, de hoc autem modo conuenientiæ perſe, loquutus fuit Diuus Thomas: obiectiones vero ex falſa hypotheſi procedunt: ſupponunt namque ipſum loqui de primo aut ſecundo modo conuenientiæ perſe, quod eſt falſum. Vnde ſublato hoc fundamento cui innitũtur, facile labefactãtur. Ad primã enim negatur maior illud namque quod cõuenit

alicui perſe. Tertio modo bene poteſt deſtruere naturam ſubiecti, quantum ad eſſe actualis exiſtentiæ: & alia accidentalia prædicata licet non quoad eſſentialem conuenientiam prædicatorum illi perſe conueniẽtium. Secus autem illud quod cõuenit ſubiecto perſe in primo, aut ſecũdo modo dicẽdi perſe. Ad ſecundã conceſſo antecedẽti negatur cõſequẽtia: neque enim D. Tho. ex illa negatiua, quod creatura de ſe non habeat eſſe, vt ex adæquata cauſa infert hãc affirmatiuam, quod de ſe habeat non eſſe: ſed ex eo quod creatura ſecundum ſe in tertio modo, ideſt, ſolitarie accepta conueniat ei non eſſe: infert quod perſe, ideſt ſolitarie ſit non ens: & quod proprius natura conuenit ei nõ eſſe, quam eſſe. Ad tertiam negatur antecedens, ſi de opoſito illius quod conuenit alicui perſe tertio modo perfeitatis fiat ſermo. Et ex eadem diſtinctione ſoluitur argumentum Gregorij: ad alterum, quod nos in cõfirmationem adduximus: Reſpõdetur cum D. Thom. ibidem. articul. 3. ad primum: quod quia rebus creatis conuenit de ſe non eſſe in quantum ſunt de nihilo, eſſe autem in quantum à Deo, & in primo earum imperfectio conſiſtat, in ſecundo autem natura & perfectio: primum quoque eſt eis naturale negatiue: ſecundum vero poſitiue: propterea curſus naturalis rerum creatarum debet atendi penes eſſe poſitiuum ſecundum quod ſunt à Deo, & non penes non eſſe quod habẽt à ſe ſolitarie conſideratæ, & negatiue eis conuenit perſe: vnde redactio earum ad nihil, quia deſtruit totaliter eſſe quod habent à Deo, eſt miraculoſa: eo quod adimit eſſe quod eſt naturale, & poſitiue perſe eis conueniens: & ſecundum quod naturalis rerum ordo ſtatutus fuit ab omnium conditore. Manet igitur modus loquendi Doctoris Sancti inconcuſus: & eius doctrina à prædictis calumnijs vindicata, & Neotericus Metaphyſ. incunctanter dicet emanationem creaturarum à Deo ab æterno potuiſſe fieri per veram creationẽ: cuius vera, ac propria ratio non deſtruitur per defectum nouitatis: in hoc enim (vt aduertit D. Thom. in præfato opuſculo 27.) quod dicitur, aliquid eſt factum ex nihilo à Deo, & ab æterno, ſiue quod illud factum ex nihilo nunquam non fuerit, nulla inuoluitur repugnantia. Si enim aliqua inuolueretur; *Mirum eſt quomodo Auguſtinus eam non viderit: quia hæc efficaciſsima via eſſet ad in probandam mundi æternitatem: cum tamen ipſe multis rationibus impugnet æternitatem mundi, in 11. & 12. de Ciuitate Dei: hanc autem rationem omnino prætermittit.*

ARTICVLVS III.

An ita proprium ſit ſolius Dei creare vt nulli alteri poſsit tanquam agenti principali, virtus creandi communicari?

6 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. Prima fuit Auicenę lib. 1. ſufficientiæ cap. 1. & 9. Methaphyſicæ cap. 4. & aliorũ antiquorũ quos D. Tho. refert in cõmuni 1. p. q. 45. art. 5. afferentium de facto iam intelligẽtiam fuiſſe creatam â Deo, à prima vero intelligentia fuiſſe ſecundam, & à ſecũda fuiſſe tertiã creatã, & ſic de alijs. Secũda eſt Durandi in 2. d. 1. q. 4. ad ſextum afferentis poſſe de potentia abſoluta virtutẽ creandi, vt agenti principaliter creaturæ cõmunicari, fauet Valentia 1. p. diſputa 3. pũto 2. ſuper præallegatã q. 45. dum aſſerit ſe in hoc nullam naturalem repugnantiam inuenire. Vnde nec rationibus naturalibus adductis à D. Tho. ductus, huic parti diſcredit. Sed ſolũ (vt ipſe fatetur) propter ſcripturæ, & Sanctorũ teſtimonia. Tertia communis & receptiſsima ſententia aſſerit talem virtutẽ per nullam potentiã poſſe creaturæ, cõmunicari. Quam docet D. Tho. in art. 5. allegato q. 45. in 2. contra gentes cap. 21. q. 3. de potentia art. 4. in 2. d. 1. q. 1. art. 3. quem ſequũtur Capreolus in eodem 2. q. 3. Caietanus 3. p. q. citata art. 5. Bañeſius ibidẽ, Ferrara in alegato cap. 21. Flandrenſis lib. 4. huius q. 1. art. 2. & 3. Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 2. q. 8. ſect. 2. Suarez tomo 1. tertiæ partis diſputatione 31.

Solius Dei eſſe creare.

Reſpondeo dicendum primo de facto nullam creaturam creaſſe alterã in genere cauſæ ſecundæ principalis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auicenam, & ſequaces primæ ſententiæ, quæ eſt adeo certa vt opoſitum abſque erroris nota defendi nequeat: eo quod tanquam concluſio Theologica ex ſcripturæ teſtimonijs, ex omnium Patrum ac Doctorum Scholaſticorũ cõmuni ſententia, & rationibus Theologicis aſſertio noſtra deducitur. Probatur igitur primo ex teſtimonijs art. 1. relatis, in quibus Deo opus creationis attribuitur tãquã propriũ: Geneſ. 1. 2. Machab. 7. & Eccleſia tanquã Dei propriũ attributũ profitetur in ſymbolo; *Creatorẽ cœli & terræ*; & in officio defunctorũ. *Creator omniũ rerũ Deus, qui me de limo terræ formaſti*: quãdo autẽ ſcriptura, atque Eccleſia ſic prædicant de Deo aliquod opus aut attributum, ſignum eſt illud attributum de facto

alteri

alteri non conuenire: neque opus illud ab alio agente de facto præcisisse: ergo. Minor patet, quia propterea opus redéptionis nulli alteri debet tribui: quia in scriptura soli Filio Dei tribuitur vt illius propriũ, dum Saluator propiciatio, ac Redéptio nostra nuncupatur. Et hæc est ratio sufficiens vt nullus absq; erroris nota audeat opus salutis ac humanæ redéptionis alteri attribuere, etiam si alia ratio aut fidei diffinitio nõ extaret. Secũdo probatur, nã aliàs anima rationalis esset imago naturalis nõ solius Dei sed etiã intelligẽtiæ creantis, & intelligentia secũda v. g. esset signaculum similitudinis intelligentiæ creantis ipsam: cõsequens est falsum & contra fidem: ergo, & antecedens. Consequentia patet: nã imago est similitudo deducta, & originata ab altero, ita vt sola origo superaddita similitudini constituat imaginem: sed si anima rationalis, & intelligentia aliqua ab altera crearentur, haberẽt illius similitudinẽ in natura intellectuali ab illa originatam, & productam: ergo nihil eis deesset, ad rationẽ imaginis, intelligentiæ creantis. Minor autẽ probatur: nã teste D. Tho. 1. p. q. 93. per totã, anima rationalis secundum gradum intellectualem est imago solius Dei, de quo dicetur Geneseos 1. *Et creauit Deus hominem ad imaginẽ & similitudinem suam*, & iterum cap. 2. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c.* Angelus vero propter excellentiorem gradus intellectualitatis participationem dicitur signaculum similitudinis solius Dei: cuius signum dicitur Ezechiel. 28. in persona Dei ad supremum Angelum: *Tu signaculum similitudinis*: quia scilicet teste Gregorio Magno homilia 34. in Euangelia, similitudo Diuinæ naturæ in Angelo magis inuenitur expressa. Confirmatur, nam aliàs non solus Deus diceretur Pater creaturarum per Analogiam, neque solum per ordinem ad Deum creaturæ fundarent analogicam quãdam Filationem: sed etiam per ordinem ad intelligentiam creantem illas, post Deum, & immediatius quam Deus: consequens tamen est falsum, & contra testimonia scripturæ, vt ostendit D. Thom. 1. part. quæst. 33. articulo 1. propterea enim dicitur, Iob. 38. *Quis est pluuiæ Pater, aut quis genuit stillas roris?* & Deuteronomio 32. *Nonne ipse est Pater tuus qui creauit te, &c.* Tertio probatur, nã aliàs Deus non ageret in mediatione virtutis, & suppositi, siquidẽ mediante vna intelligentia aliã crearet absque alio influxu ab ipso procedẽte, dum actualis eius operatio in prima intelligentia consumaretur non vltra progrediẽs: at hoc esse falsum, & contra sanã Theologiam ostendit D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. de potentia q. 3. art. 7. ergo & antecedens. Vltimo, nã actio requirens virtutem infinitã in agente principali, nulli creaturæ est concedenda: sed creatio est talis actio quæ in agente principali petit virtutem infinitam: cum enim nihil præsuponat ex parte effectus petit virtutem operatiuã liberam, & independentem ab omni præsupposito subiecto: atque ab omni adminiculo causæ materialis: quæ independentia solius est virtutis infinitæ: ergo nulli enti creato est concedenda talis actio. Dico secundo per nullam potentiam potest creatura ad opus creationis concurrere vt agens principale. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores 2. sententiæ, & probatur primo: nam creatoris attributum quod importat virtutem creandi per modum agẽtis principalis attribuitur Deo, & de illo vt proprium prædicatur tanquam propriæ excellentiæ Dei declaratiuum, vt patet ex testimonijs allegatis: at si alteri cõmunicari posset virtus creandi per modum causæ principalis, non sic Deo attribueretur aut vt ita proprium excellentiæ diuinæ prædicaretur: ergo. Secundo nam dupliciter potest intelligi aut fingi creaturam posse esse agens principale respectu creationis: vno modo tanquam primum agens nulli alteri subordinatum, & hoc modo, nullus vnquam dixit virtutem creatiuam principalem posse creaturæ communicari: eo enim ipso quod creatura est, debet esse causa secũda increatæ, ac primæ causæ creanti subordinata. Secũdo modo, quod tanquã causa secũda principalis Deo subordinata crearet, ad eũ modũ, quo respectu productionis corporũ sublunariũ, v. g. grandinis metalorũ, mineraliũ, & aliorũ nõ viuentiũ cœlũ est causa principalis, subordinata tamen Deo vt primæ causæ, & hoc modo Authores 2. sententiæ potuerũt existimare possibile esse quod creatura talẽ virtutẽ creãdi principaliter substantiã corpoream, aut etiã spiritualẽ acciperet à Deo; qualẽ ad generationẽ sublunarium corporũ accepit cœlum à Deo. Sed neque hoc modo esse possibile ostẽdũt rationes Sancti Doctoris. Quarũ prima & potissima ex vniuersalitate effectus creationis procedens ad hãc formã reducitur: effectus omnes debent attribui causis proportionatis, & ad illas sunt reducẽdi in quarũ virtute præhabẽtur: vnde particularis effectus ad particulare, & vniuersalis ad vniuersalem reducitur: sed effectus primarius, & formalis terminus creationis soli causæ primæ, & vniuersali proportionatur in cuius virtute solum præhabetur: ergo ad illam solam est reducendus. Minor probatur: nã primarius effectus & formalis

malis terminus creationis eſt ens ſub ratione entis, eſt enim creatio productio totius entis vt dictum eſt: ſed ratio entis, communi ſententia, vt præuenit omnem rationē particularem, ſoli primæ cauſæ proportionatur: quo enim effectus eſt vniuerſalior, eo petit cauſam vniuerſaliorem: & quo eſt prior petit priorem: igitur, cum ratio entis ſit prima & vniuerſaliſsima, ratio entis productibilis primo & vniuerſaliſsimæ cauſæ proportionatur: ac proinde in ſola illius virtute præhabetur: quia omnis alia virtus cauſæ particularis cum ſit particularis ratio entis, & ſolum in illa contineatur ratio entis vt contracta; nequit præhaberi ſecundum totam ſuam continentiam, & latitudinem: ergo. Secunda quæ eſt huius declaratiua, ſic habet: de ratione creantis principalis eſt, quod attingat formalem rationem termini creationis aſsimilando in illa ſibi effectum creatum: cauſa enim principalis eſt quæ aſsimilat ſibi effectum, & terminum formalem creationis in forma per quam agit: ſed formalis terminus creationis eſt ratio entis: & nulla cauſa creata ſecunda poteſt primo, & perſe agere in rationem entis aſsimilando illam ſibi in ratione agendi: tum quia aliàs ageret in ſeipſam, cum ipſa ſit eſſentialiter inferior ad ens. Tum etiam quia nulla cauſa ſecunda operatur per ſolam rationem entis, neque gradus entis aut exiſtentia eſt illi ratio operandi. Cum autem eſſentia Dei ſit ſuum eſſe infinitum, ipſa ratio entis eſſet ratio operandi, per quam poteſt ſibi analogice aſsimilare effectum creationis, ſcilicet rationem entis creati. Neque ex hoc ſequitur, quod Deus operetur in ſeipſum: quia non continetur ſub latitudine gradus entis creabilis ac dependentis, ad quem adæquate terminatur creatio. Tertia ſumitur ex diſtantia infinita quodammodo quæ inter ens, & nō ens verſatur, quo enim diſtantia à termino à quo ad terminum ad quem eſt maior, requiritur maior virtus in agente per cuius actionem effectus debet reduci de potentia in actum: aliquanta enim diſtantia petit aliquantam virtutem, & maior maiorem in eadem proportione, vt ſi fuerit diſtantia maior in duplo petet maiorem in duplo virtutem, & in quadruplo exiget virtutem in quadruplo maiorem, & ſic de de alijs: cuius ratio eſt, quia quo maior eſt diſtantia, eo reddit difficiliorem productionem effectus, & ſeparationem illius (vt ita loquar) à termino à quo vſque ad poſitionem extra cauſas: maior autem hæc difficultas per maiorem agentis virtutem eſt vincenda: ſed inter terminum à quo creationis, & eius effectum ſiue terminum ad quem, eſt diſtantia ſine proportione maior; entis enim ad non ens, non eſt proportio; neque diſtantia non entis ad ens eſt proportionabilis cum quacunque diſtantia entis ad ens: ergo petit virtutem ſine proportione maiorem in agente principali omni alia virtute, quæ de ente aliquo in potentia educit aliud ens. Et cum hæc virtus ſine proportione maior virtute generatiua non ſit dabilis extra Deum, cuius virtus eſt infinita & ſine proportione maior, in ſolo illo eſt admittenda virtus creatiua principalis. Simili argumento Ariſtoteles probat 8. Phyſicorum tex. 78. quod ad mouendum infinito tempore requiritur virtus infinita intenſiue; quod debet intelligi vt eleganter aduertit Caietanus, quæſtione de infinitate Dei circa medium, §. *his prælibatis*, de virtute continuatiua ſiue perpetuatiua motus perſe primo, ideſt, quæ perſe primo, & ex propria ratione habet cauſare infinitatem durationis in motu, & non ex conditione annexa, vt Angelus ſi ab æterno moueret cœlum, non ex propria ratione ſuæ virtutis, ſed ex annexa conditione ſuæ permanentiæ moueret tempore infinito, neque vt terminum perſe primo intentum cauſaret infinitam durationem motus; ſed perſe primo cauſaret motum, & concommitanter eius infinitam durationem: at de virtute perſe primo, & ex propria ratione cauſante infinitatem durationis, vera eſt ac demonſtrata aſſertio Philoſophi: quia ad continuandum aliquo tempore motum requiritur aliquanta virtus: ergo ad maius tempus, maior virtus: ergo ad infinitum, infinita; quare conſequentia tenet per illam regulam vniuerſaliter verā: ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter ita magis ad magis, & maximū ad maximū: & eidē regulæ innititur hæc cōcluſio, quæ ex maxima diſtantia entis ad non ens colligit maximā requiri virtutē productiuam ad huiuſmodi diſtantiā tranſeū dā: maxima autē virtus proculdubio eſt infinita. Ad hanc reducitur alia ratio qua vtitur D. Tho. in allegato art. 5. in ſolutione ad ſecūdū; nēpe, quod quāto potentia ſubiecti recepturi effectū producendū fuerit magis ligata, & cōtrarijs diſpoſitionibus impedita tā to maior virtus requiritur in agente: & hac de cauſa maior virtus requiritur cæteris paribus in agente quod producit effectum cum expulſione maioris contrarij, quam in illo quod producit effectum in ſubiectum aut minori, aut nullo contrario præocupatum: ſed defectus totalis ſubiecti, eſt maius impedimentū ſine proportione omni cōtrario:

poten-

potentiæ enim ligatæ ad non potentiam, & ſubiecti impediti ad non ſubiectum, nulla eſt proportio: ergo ad creationẽ quæ eſt eductio effectus ex nullo ſubiecto, requiritur virtus maior ſine proportione omni alia virtute eductrice effectuum de potentia ſubiecti: hæc autem citra infinitam nequit dari. Vltima deſumitur ex nobilitate actionis creatiuæ: eſt enim omnium actionum nobiliſſima quoad modum attingendi effectum: ita vt etiam ex hac parte excedat iuſtificationem teſte D. Thom. 2. quæſt. 113. art. 9. a qua tamen exceditur ex parte termini producti: hæc enim ad formam ſuper naturalem toto vniuerſo perfectiorem terminatur: illa vero ad eſſe naturalis ordinis, ſed nobiliſſima operatio nobiliſſimo agenti principali debet tribui vt actio creatiua, ita vt ſicut iuſtificatio propter excellentiam ſui termini, a ſolo Deo auctore ſuper naturali poteſt elici, ita creatio propter excellentiam ſui modi operandi, & attingendi effectus ex nihilo ſoli auctori naturæ principaliter poſsit cõuenire. Dico tertio nedum teſtimonijs ſanctorum patrum verum etiam rationibus naturalibus oſtenditur impoſsibilitas ponendi virtutem creatiuam principalẽ extra Deũ. Hæc aſsertio ſtatuitur aduerſus Neotericos relatos in ſecunda ſententia, qui rationes Sãcti Doctoris eneruare conantur: dum dicũt illis non conuinci ſatis intellectum ductum lumine naturali, ad aſseuerandum, ſolum Deum poſſe vt agens principale concurrere ad opus creationis, aut huiuſmodi opus in agente principali virtutem infinitam deſiderare. Noſtra autem concluſio non aliter probatur, quam ob oculos proponendo præ dictas rationes, quas ex præallegatis Sancti Doctoris locis de prõpſimus, & ad formã reduximus, vt illas perpendat, examinet, & attenta mente atque bene affecta voluntate conſideret: ſolo enim deffectu piæ affectionis voluntatis poteſt illas inefficatiæ redarguere; alioquin rationes demonſtratiuæ ſunt. Ex ipſius namque creationis ac termini creati vniuerſalitate infert prima ratio vniuerſaliſsimæ cauſæ virtutem ad creandum, ſecunda vero, ex dependentia omnis entis creati a creante probat virtutem creatiuam debere eſſe ſupra, & non infra latitudinem entis creabilis. Tertia, & quarta, ex maxima diſtantia non entis ad ens, atque ex maximo impedimento negatiue opoſiti ſeu contradictorij ad ens manifeſte conuincunt infinitam virtutem ad creandum in agente principali deſiderari. Quinta denique ex nobiliſsima actione quo ad modum nobiliſsimam petit virtutem quoadmodum operandi: nobiliſsima autem virtus quoadmodum operandi qua maior dari non poſsit, extra Deum dari non poteſt, ſicut, & virtutem vniuerſaliſsimam primam in creatam ac infinitam in ſolo Deo inueniri neceſſe eſt.

7 Sed contra noſtram ſecundam aſsertionem, & ſimiliter contra tertiam hæc militant argumenta. Primo arguitur; nam nulla eſt ratio repugnantiæ quare Angelus non poſsit alium ſibi ſimilem producere: ſed talis productio cum ſit ſubſtantiæ ſimplicis nequit eſſe alia a creatione: ergo nulla repugnantia eſt quominus vnus Angelus aliũ creare poſsit: maior patet: Angelus ſpeciei perfectioris poteſt agere in totam ſpeciem inferioris abſque eo quod operetur in ſe ipſum. Rurſus, Angelus eſt magis perfectus, & magis ſimilis Deo atque perfectius quam in homine eſt in illo imago Dei, & gradus intellectualitatis teſte D. Thom. 1. part. q. 93. art. 2. ſed perfectum eſt quod poteſt producere ſibi ſimile, & ſimilitudo hominis ad Deum attenditur penes hoc quod ſicut Deus de Deo procedit, ita homo de homine naſcitur, quinimo hæc eſt maxima creaturarum perfectio, eo operari Deo in productione conſimilium indiuiduorum: ergo hæc non debet creaturis perfectiſsimis denegari. Confirmatur nam ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt principia effectiua entis in quantum ens: ſed efficientia entis in quantum ens eſt creatio: ergo ſunt principia apta nata concurrere ad creationem: & cum non ſint inſtrumenta, erunt cauſæ ſecundæ principales. Maior probatur: nam teſte Philoſopho quarto Metaphiſicæ cap. 1. cui ſuffragatur ibidem D. Thom. Metaphiſica conſiderat ens vt obiectum, & ſubſtantias ſeparatas vt principia ſui obiecti. Rurſus, omnis ſubſtantia ſeparata eſt principium efficiens illius, cũius eſt finis teſte commentatore primo Metaphiſicæ commento 36. & 44. ſed ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt finis totius vniuerſi inferioris: creata namque ſunt inferiora entia propter ſuperiora: & hac ratione probat D. Thom. ibi. lect. 1. quod intellectus noſter appetit naturaliter ſcientiam de entibus ſeparatis ab omni materia: quia per illam coniungitur aliquo modo ſuo fini, & principio cui naturaliter appetit coniungi: ergo. Ad hoc argumentum negatur maior: ad primam probationem negatur antecedens pro prima parte: ad ſecundam negatur conſequentia: quorum rationem aſsignat D. Thom. q. 45. art. citato ad primum dicens, quod perfectum in aliqua natura producere poteſt ſibi ſimile non quidem producendo illam naturam, ſed aplicãdo eam ad aliquid; ſicut hic

homo non poteſt eſſe cauſa naturæ humanæ, quia ſic eſſet cauſa ſui ipſius: ſed eſt cauſa quod natura humana ſit in hoc homine generato: & ſic præſuponit in ſua actione deri batam materiam, per quam eſt hic homo: & eodem modo nullum ens creatum poteſt producere abſolute ens, niſi in quantum cauſat eſſe in iſto aut illo individuo, ac proinde debet præintelligi aliquid per quod ſit hoc, actioni qua producit ſimile, & quia in ſubſtantijs in materialibus non poteſt præintelligi materia ac principium aliquod individuationis: ſunt enim individuatæ per ſuas eſſentias cum ſint formæ ſimplices, & expertes materiæ, propterea, vna nequit alterã producere quantum ad eſſe ſubſtantiale: poteſt tamen in alteram agere quantum ad illuminationem, aut aliud accidens ſuper additum. Secundum quem modum ſaluatur quod etiam vna generet aliam ſibi ſimilem incognitione, aut accidentali perfectione. Secundum quem modum generationis, teſtatur Paulus ad Epheſios tertio ſaluari in cœleſtibus paternitatem, vnde quod vnus Angelus non producat alium, quo ad eſſe ſubſtantiale non prouenit ex imperfectione producentis: ſed ex defectu ſubiecti præſupoſiti ſine quo nulla creatura poteſt in alteram operari, & propter rationes aſsignatas, quibus conſtat requiri virtutem infinitam ad productionem entis ex nihilo: ſubſtantia autem ſimplex non niſi ex nihilo eſt producibilis. Ad tertiam probationem nego maiorem, ſimilitudo enim hominis ad Deum nõ in productione ſimilis conſiſtit per materialem generationem, ſed in productione intellectuali verbi mentalis, & amoris, v. g. in hoc quod ſicut diuinus Pater per intellectũ format verbum, & per verbum producit amorem: ita in homine fit intellectus ex quo producatur verbum mentale, & mediante verbo producatur amor in voluntate. Vel admiſſa maiori, & minori admitto etiam cõſequentiam, dum infertur hanc ſimilitudinem Angelis non eſſe denegandam: nam etiam illa ſimilitudo intellectualium proceſſionum verbi, ſcilicet mentalis, & amoris Angelis conuenit, nec non, & illa ſecundũ quam vna perſona producit aliam, quia vnus Angelus alium accidentaliter perficiendo fundat reſpectu illius relationem quandam paternitatis, vt dictum eſt. Ad cõfirmationem nego maiorem. Ad probationẽ dico ex illa ſolum conuinci ſubſtantias ſeparatas eſſe cauſas efectrices vniuerſi inferioris, & ſub lunaris concurrendo ad naturales generationes quæ in illo fiunt: non autem eſſe cauſas effectiuas entis in quantum ens creatum; alias ſe ipſas cauſarent: poteſt etiam admiti eſſe principia exemplaria omnium entium creatorum in genere ſubſtantiæ; ſecundum quod primum in vno quoque genere dicitur cauſa exemplaris, & mẽſura aliorum eiuſdem generis, quando alter nequit illa cauſare, vt libro ſecundo explicuimus quæſt. 1. & tandem dicendum eſt propterea ſubſtantias ſeparatas dici cauſas, & principia totius obiecti Metaphiſicæ, hoc eſt, entis ſecundum rationem entis, quia in ordine illarum includitur Deus, qui eſt prima ſubſtantia omnium ſeparatarum, & quod conuenit parti, dicitur de tota collectione. Secundo arguitur, nam creatio eſt actio omnium generationum in perfectiſsima: ergo ex actionis excellentia nequit ſumi repugnantia quominus creaturæ communicabilis ſit virtus creatiua. Antecedens probatur: tum quia eſt prima actio via generationis: primum autem via generationis eſt in perfectiſsimum. Tum etiam quia aliqua creatio eſt imperfectior aliqua generatione, vt patet in creatione animæ rationalis, quæ eſt productio entis partialis, ac proinde imperfectior eſt generatione totius hominis: ſed omnis creatio eſt eiuſdem rationis ſpecificæ: ergo omnis creatio de ſe eſt in perfectior generatione hominis, v. g. & conſequenter non repugnat dari virtutem creatam ad illam, ſicut datur ad iſtam: tum denique quoniam accipit ſpeciem, & nobilitatem a termino: ſed terminus creationis eſt gradus entis, qui ſicut eſt omnium primus, ita eſt omnium imperfectiſsimus ac potentialiſsimus, &c. Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem dupliciter dicitur primo negando conſequentiam, quia creatio eſt primum via generationis nõ in eodem ſubiecto tranſeunte de potentia ad actum: ſed in alio, ſcilicet in creante, in quo manet: tunc autem primum via generationis imperfectius eſt quando eſt in eodẽ ſubiecto quod de potentia tranſit ad actũ: ſecũdo diſtinguo minorem: primum via generationis eſt imperfectiſsimum ex parte termini producti, tranſeat: ex parte modi producendi nego minorem, & talis eſt creatio, quæ licet producat gradum entis omnium primum, & potentialiſsimum, ex parte tamen modi illum producendi eſt creatio omnium perfectiſsima. Ad ſecundam reſpondetur eodem modo, negando maiorem: licet enim creatio animæ aut materiæ ſit ex parte termini imperfectior quãm generatio cõpoſiti completi, tamen ex parte modi producendi eſt nobilior. Si autem inquiras vtra illarum abſolute ſit perfectior? dico iuxta duplicem

plicem ſententiam hac in parte probabilem. Si enim omnis creatio ſit eiuſdem athomæ ſpeciei, quia ſpecificatur ab eodem gradu entis, vt quidam aſtruunt: tunc ſimpliciter nobilior eſt creatio entis partialis, quàm naturalis generatio entis completi: ex eo quod modus operandi eſt nobilior, & in his actionib⁹ quæ nõ ſunt eiuſdẽ generis nobilitas ſimpliciter ex modo operandi debet deſumi, ſicut etiam in habitibus. Admito etiã ſub creatione vt ſic eſſe latitudinem ſpecierum, v. g. aliam quæ ſit creatio entis ſubſiſtentis, & aliam quæ creatio eſt vel concreatio entis partialis: totum genuſque creationis eſſe perfectius genere naturalis generationis: quia ad hoc ſatis eſt, quod ſuprema ſpecies illius excedat omnes ſpecies huius: ſpecies tamen minus perfecta, qualis eſt creatio partis bene poteſt eſſe ignobilior ſimpliciter, quam perfecta generatio; ſed quia illam excedit ex modo producendi rem ex nihilo, & non ex maiori nobilitate ſimpliciter, repugnet illici a creatura ex hoc ſpeciali modo: propterea nullatenus virtus ad creationem quantumcumque imperfectam poteſt cauſæ ſecundæ communicari. Ad tertiam probationẽm dico, quod inter actiones vnius generis, & quæ conueniunt in eodem modo operandi, maior, & minor perfectio deſumitur ex magis aut minus perfecto termino: ac ſic ex generationibus illa erit nobilior quæ ſit termini nobilioris productiua: & inter creationes (admiſſa diuerſitate illarum ſpecifica iuxta ſecundam ſententiam pro concluſione recenſitam) illa erit nobilior quæ entis nobilioris vt ſic formaliter fuerit productio: attamen inter actiones diuerſi generis, & in eodem modo operandi non communicantes, maior, & minor nobilitas non ex terminis, ſed ex modis operandi accipiuntur: & cum creatio ex parte modi excedat generationem, ſimpliciter illam excedit, licet ſecundum quid, hoc eſt ex parte termini producti excedatur ab illa. Tertio arguitur, ad creationem ſufficit virtus finita intenſiue: ſed virtus finita poteſt communicari cauſæ ſecundæ, quinimo poteſt ad illius ſubſtantialem conſequi formam: ergo ruit 3. ratio adducta pro 2. concluſione. Maior probatur, nam ad productionem leonis, v. g. ex nihilo, ſufficit virtus productiua totius entitatis leonis: ſed virtus ad productionem totius entitatis leonis ſufficiens eſt finita: tota enim eius entitas cum finita ſit nequit poſtulare virtutem infinitam ex quantitate intenſiua ipſius effectus, quod autem neque ex modo accipiendi eſſe, illam poſtulet; patet: nam modus ille eſt quod fiat ex nihilo: ſed fieri ex nihilo non addit aliquid ſupra totam entitatem effectus vt productam: ergo nullam maiorem virtutem poſtulat modus ex nihilo, quàm poſtulet effectus ratione ſuæ totius entitatis. Reſpondetur negando maiorem ad probationem dico, quod effectus ratione modi ſine vllo præſupoſito ſubiecto: & ex non ente, petit virtutem infinitam in cauſa principali: petit etiam illam ratione totius entitatis: tota enim entitas ſecundum omnes ſuas partes nequit produci niſi ex nihilo: nihil enim entitatis præintelligi poteſt toti entitati: & licet tota entitas ſit finita, tamen ratione modi productionis poteſt petere infinitatem in cauſa principali, ſicut entitas viſus reſtituti cæco, licet in ſe finita ſit, petit virtutem infinitam in cauſa principali ratione modi, quo in tali ſubiecto producitur, nempe per regreſſum de priuatione ad habitum: poteſt etiam dici quod licet tota entitas effectus creati ſit finita in eſſe rei, tamen in eſſe termini formaliter habet quandam infinitatem, nempe diſtantiam illam entis ad non ens, & vniuerſalitatem totius entitatis productæ, quæ vt ſic quandam infinitatem importat; vt circa tertiam rationem explicuimus.

ARTICVLVS. III.

An ſaltem inſtrumentalis virtus ad creandum poſsit creaturæ alicui communicari?

8 IN hoc articulo duæ verſantur ſententiæ prima aſſerit poſſe creaturã à Deo accipere virtutem inſtrumentalem, qua ipſi ad effectum creationis cooperetur. Hanc ſequuntur a fortiori illi qui nullam inueniunt repugnantiam in hoc quod vt cauſa ſecunda principalis creatura poſsit ad creandum concurrere. Præcipui huius ſententiæ auctores ſunt, Durandus, vbi ſupra in 2. diſt. 1. quæſt. 3. & Gabriel in 4. d. 1. quæſt. 2. ſequuti magiſtrũ in 4. diſt. 5. & his ſubſcribit Suarez in locis ſupra allegatis, fuitque eiuſdem ſententiæ, D. Thom. in 2. diſt. 18 quæſt. 1. art. 3. & in 4. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula ſecunda ad quartum. Sed poſtea re melius inſpecta, oppoſitam fuit ſequutus in ſecundo contra gentes cap. 21. & 1. part. quæſt. 45. art. 5. & de potentia, quæſt. 3. art. 4. cui ſuffragantur Capreolus, Ferrarienſis, Bañeſius, Flandrenſis, & Caietanus in locis præallegatis articulo præcedenti, Ioannes Vincentius de relectione gratiæ Chriſti quæſt. 6. Valentia 1. part. diſputa 3. punto 3.

Cabrera

Cabrera, ſuper tertiam partem, quæſt. 13. ar. 2. diſput. 1. & Fonſeca vbi ſupra quæſt. 8. ſect. 3. In cuius explicatione diuiduntur præ dicti auctores in quatuor modos dicendi, alij enim nolunt propterea repugnare creaturam inſtrumentaliter ad effectum creationis cooperari: quia ad actionem agentis principalis requiritur in inſtrumento actio præuia realiter, vel formaliter ſaltem diſtincta, per quam diſponat inſtrumentum ad actionem cauſæ principalis: hæc autem circa nihil, nulli cauſæ ſecundæ poteſt competere. Ita Caietanus 3. part. quæſt. 13. art. 2. & 1. p. quæſt. 45. art. 5. §. *ad euidentiam huius*. Ferrarienſis vbi ſupra, & Bañeſius in art. 5. dubio 2. alij autem dicunt ſufficere eandem actionem quæ ſecundum aliquam rationem ſit proportionata formæ inſtrumenti, & ſecundum aliam ipſi agenti principali proportionetur: & quia ſecundum primam rationem eſt minus principalis, & quaſi ordinata ad ſe ipſam vt productio effectus principalis agentis, propterea dicitur præuia ad actionem, & effectum agentis principalis. Alij Rurſus, dequorum numero ſunt Albertus Magnus in 2. diſt. 1. art. 7. & Sotus in 4. diſt. 1. quæſt. 14. volunt non ſemper requiri in inſtrumento actionem præuiam, & eius formæ proportionatam, & ad effectum cauſæ principalis diſponentem: ſed tunc tali actione inſtrumentum indigere, quando effectus producendus ex natura rei huiuſmodi exposcit diſpoſitionem: ſecus vero quando illam non exposcit ex natura rei: & quia effectus creationis qui eſt tota entitas rei producta ex nihilo talem diſpoſitionem non exposcit, propterea repugnantia quæ in volui tur in prima ſententia non ex deffectu actionis præuiæ, ſed ex deffectu virtutis infinitæ incommunicabilis creaturæ eſt deſumenda. Cum autem his obijcitur teſtimonium D. Thom. quæſt. 45. poſtulantis in omni inſtrumento actionem præuiam, & deffectu illius excludentis creaturam à concurſu inſtrumentali circa effectum creationis. Reſpondent ex hac ratione ſolum concludi a D. Thom. creaturam non poſſe con naturaliter aſumi a Deo vt creationis inſtrumentum, id eſt quod creatura vt inſtrumentum connaturale, & ſecundum legem ordinariam nequit creationi deſeruire: quia nequit habere actionem præuiam per quam antecedenter diſponatur ſubiectum ad talis effectus receptionem: non tamen conuinci, quod in ordine ad potentiam Dei abſolutam non poſſit abſque tali actione præuia diſponente, Deo ad opus creandi cooperari. Alij denique de quorum numero eſt Vincentius, dicunt, quod ad inſtrumenti munus ſat eſt, vel actio præuia formaliter diſtincta; per quam inſtrumentum faciat aliquid præuium ordine naturæ, ei quod facit actio agentis principalis: vel proportio ipſius inſtrumenti ad ſubiectum in quo aut circa quod operari debet, quæ proportio dicitur præuia actio ac præuia diſpoſitio a D. Thom. quia licet ſecundum rem actio aut diſpoſitio non ſit, habet tamen ſe ad inſtar actionis ſiue præuiæ diſpoſitionis, dum ratione illius nequit extrahi inſtrumentum a modo agendi circa proportionatum ſubiectum, vt agat aut agere poſsit circa aliud ſubiectum improportionatum, & in illa fundatur quodammodo actio, & concurſus inſtrumentalis, & quia entis realis ad non ens nulla eſt proportio: propterea deffectu huius proportionis ad inſtar præuiæ diſpoſitionis ſe habentis docet D. Tho. non poſſe creaturam aſſumi vt inſtrumentum ad creandum.

Elligitur ſententia negãs creaturis virtutem creãdi inſtrumentalem.

9 Sed pro veritatis declaratione duas ſtatuam concluſiones, in quibus & Sancti Doctoris mentem, & veram aperiam ſententiam. Reſpondeo dicendum primo, per nullam potentiam poteſt creatura elauari aut conſtitui in actu primo quoad effectum creationis poſsit cooperari. Hæc ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, & probatur primo rationibus quibus articulo præcedenti oſtendimus ex D. Thom. nullam creaturã poſſe vt cauſam ſecundam principalem concurrere ad creationem: illis enim vtrumque conuincitur, etenim vniuerſaliſsimus effectus qualis eſt eſſendi actus & ratio entis petit in ſua cauſa (qualis cumque ſit) virtutem vniuerſaliſsimam, quæ repugnat communicari inſtrumento: & diſtantia maxima ac ſine vlla proportione quæ eſt inter ens, & nõ ens exigit maximã virtutẽ in cauſa quouis modo illã ſua actione per tranſeunte: & modus ipſe producendi ex nihilo poſcit virtutem productiuam infinitam: ergo. Probatur ſecundo ſpeciali ratione, qua D. Thom. vtitur ad probandum repugnantiam quæ in concurſu inſtrumentali ad productionẽ entis ex nihilo reperitur, quæ ad hanc formam reducitur: omnis cauſa inſtrumentalis aliquam virtutem actiuã debet habere per quam poſsit aliquid præuium operari ad effectum agentis principalis, aliàs ſi talem virtutem non haberet fruſtra aſumeretur vt inſtrumentum, fruſtra adhiberetur ad agẽdũ, neq; oporteret determinata eſſe inſtrumenta ad determinatas actiones: id eſt, non eſſet cur ad vnam actionem aſumeretur potius vnum inſtrumẽtum quã aliud: ſed reſpectu non entis nulla creatura poteſt

poteſt aliquid præuium operari: neq; enim circa nihil poteſt ſuam actiuam virtutem exercere: ergo nequit aſſumi vt inſtrumentum ad producendum ens aliquod ex nihilo: maiorem probat D. Thom. ex adductis in conuenientibus, & rurſus illam exemplificat in artium inſtrumentis: ſecuris enim ſcindendo lignum, ex propria forma, & virtute producit ſcamni formam, quæ eſt effectus artificis qui eſt agens principale; & ſic in alijs: in quibus apparet quod omne inſtrumentū eatenus ſuſcipit virtutem ab agenti principali ad effectum illius, in quantum habet virtutem operatiuam, per quam aliquid præuium poſsit operari. Minorem vero probat: quia cum creatio ſit productio totius entis, & toti entitati nihil præintelligatur; circa quod non poteſt operari creatura; propterea nequid aliquid præuium effectui creationis operari. Et hæc ratio licet vniuerſaliter probat nullam creaturam poſſe inſtrumentalem concurſum habere reſpectu creationis, ſpecialiter tamen (vt ibidem ſubdit D. Tho.) conuincit hoc inōcueniens, id impoſſibile eſſe in creatura corporea, *quia nullum corpus agit niſi tangendo vel mouendo: & ſic requirit in ſua actione aliquid præexiſtēs quod poſſit tangi, & moueri, quod eſt contra rationem creationis.* Ex quibus verbis ad huc in omnibus creaturis vrgentius conuincitur impoſſibilitas concurſus inſtrumentarij ad creatiōnem, nam nulla creatura, nullumue inſtrumentum poteſt agere niſi præuio aliquo cōtactu atque a proximatione, aut locali aut virtutis: propterea enim nequit agere phiſice in illud quod eſt diſtans ſecundum tempus, quia cum non exiſtat nullatenus ei aliquo contactu poteſt coniungi: ſed reſpectu non entis nullus contactus, nulla aproximatio aut coniunctio poteſt dari in creatura: ergo nullatenus circa illud poteſt operari: operatur autem producendo totam rei entitatem ex non ente. Dico ſecundo de ratione inſtrumenti eſt quod habeat virtutem ex propria forma per quam ponat aut operetur aliquid præuium effectui agentis principalis: quod vel ſit vere operatio vel paſsio, vel contactus, vel aliquis alius effectus habens ſe ad inſtar operationis: hæc aſſertio ſtatuitur pro explicanda maiori aſſumpta in prædicto diſcurſu Angelici Doctoris, & aduerſus Albertum, & Scotum qui licet conueniant nobiſcum in prima concluſione, rationem tamen Sancti Doctoris non admittunt. Neque ad effectum actionis præuiæ inſtrumenti repugnantiam inſtrumentalis concurſus ad creandum reducunt. Rurſus ſtatuitur pro defenſione primi modi explicandi rationem ac ſententiam D. Thom. qui ſic moderatus vt nomine actionis effectum aliquē formalem, paſsionem aut contactum præuium intelligat, verus eſt, & a nobis ſubſtinendus. Et probatur primo nam inſtrumentum omne debet habere duplicem potentiam, alteram naturalem ad proprium actum ſiue effectum: & alteram quaſi obedientialem ad effectum agentis principalis: ſed duplici potentiæ neceſſario debet correſpondere duplex actio ſiue effectus: ergo. Maior probatur, nam agens principale duplicem habet reſpectum ad inſtrumentum: habet enim ſe ad illud vt vtens illo, & vt eleuans ipſum, quorum primus ſuponitur ad ſecundum prioritate naturæ, non enim eleuat niſi vtendo inſtrumento: & propterea dicitur præuius primus ad ſecundum: ſed vlus reſpicit potentiam ac virtutem naturalem inſtrumenti: eleuatio autem reſpicit potentiam veluti obedientialem ſecundum quam inſtrumentum recipiat virtutem participatā agentis principalis vt ad effectum illius proprium cooperetur: ergo. Secundo in effectu cuiuſcumque inſtrumenti duplex ratio termini producti debet reperiri: ergo, & ex parte inſtrumēti duplex actio, aut duplex formalitas eiuſdē actionis eſſe debet ex duplici termini ratione ſpecificata. Antecedens: probatur ſnā in effectu adequate, & cōplete ſumpto eſt aliquid principalius intentum quod eſt prius ordine intentionis, & eſt effectus agentis principalis. Rurſus eſt aliquid minus principaliter intentum, & prius via generationis, ſcilicet id per quod inſtrumentum deffert virtutem, & actionem agentis principalis ad effectum, & eſt aut actio aut contactus aut aliquis effectus ipſius inſtrumenti: ergo. Quod ſi dicas inſtrumentū per ſuam met entitatem ſine aliquo ſuperaddito poſſe eleuari a Deo, & deferre virtutem diuinam ad effectum. Contra hoc eſt, nam inſtrumentū aſumptum a Deo ad operandum non poteſt non recipere virtutem diuinam participatam in ſe, & illam deferre ad effectum: ac proinde aſſumitur vt delatiuum diuinæ virtutis: ſed nequit ſic aſſumi ſine aliquo præuio motu aut contactu: ergo. Patet minor, tum quia aliud eſt deferre virtutem diuinam, & aliud producere effectum diuinæ virtutis: primum enim ordinatur ad ſecundū, & illi eſt præuiū ordine naturæ: deinde primum competit inſtrumento ſecundum propriam formam; ſecundum vero a virtute participata a cauſa principali. Tum etiam quia deferre eſt operari aut pati aut aliquid horum ſaltem reductiue: ſed omne inſtrumentum præintelligitur deferens

per

per ſuam formam: ergo præintelligitur operans aut quaſi operans per ſuam formam ti denique quia licet Deus poſsit aſſumere pro inſtrumento iuſtificationis hominis aut alicuius miraculi aliquam creaturam quieſcentem a vera, & riguroſa actione: tamen implicat quod illam quieſcentem omnino ab omni tam opere, quam effectu, contactu, ac paſsione aſſumat: nihil enim tunc præuium operaretur diſponens ad effectum agentis principalis ac proinde neque deferret virtutem illius: Deferre enim vt dictum eſt non eſt quieſcere, ſed aliquid cauſare. Vltimo probatur improbando alios modos dicendi, & explicandi ſecundam ſententiam. Secundus enim deficit, quia ſecundum Doctorem Sanctum requiritur inquolibet inſtrumento eleuato, & moto ab agente principali duplex virtus, altera per quam operetur effectum cauſæ principalis miniſterialiter: altera per quam operetur aut exequatur aliquid præuium, vt patet ex maiori prædicti diſcurſus: ſed eadem operatio in diuiſibilis formaliter nequit correſpõdere duplici virtuti, alteri vt propria, & alteri vt præternaturalis: ergo. Deinde vbi eſt duplex potentia, & duplex ratio termini formalis, duplex quoque actio formaliter debet reperiri, quæ a principio, & termino ſpeciem accipit; ſed in inſtrumento exigit, D. Thom. duplicem potentiam, & in effectu adæquato iſtrumenti diſtinguit, duplex operatum: ergo actio hæc duplici potentiæ reſpondens, & ad hunc duplicem terminum tendens, duplex debet eſſe ſaltem formaliter. Denique implicat eandem actionem communicari ab eodem principaliter, & inſtrumentaliter: ſed D. Thom. atribuit inſtrumento quandã operationem propriam, ab illo principaliter procedentem; & quandam participatam, ab illo miniſterialiter productam: ergo ſentit eſſe duplicem ſaltim formaliter ac proinde non ſaluatur mens, & ratio Doctoris Sancti ſi vnicam ſimplicem actionem inſtrumento dumtaxat atribuamus. Quam tamen auctores illius ſecũdi modi ſaluare contendunt. Tertius deficit quia ſublato hoc fundamento non ſuper eſt ratio adeo conuincens creaturam non poſſe aſſumi vt inſtrumentum ad cooperandum creationi, nam aliæ rationes ex infinitate, & vniuerſalitate actus eſſendi, & ex nobilitate actionis creatiuæ quoadmodum operandi probant impoſsibilitatem cauſæ pricipalis creationis extra Deum: at impoſsibilitatem cauſæ inſtrumentalis non demonſtratiue ſed tantum probabiliter probant. Tum etiam quia non ex proprijs inſtrumentalis cauſæ procedunt. Denique nã auctores illius tertij modi ſuo fundamento deſtruunt hanc vnicam rationem Diui Thomæ, quæ ſola ex proprijs inſtrumenti procedens, ſuadet nullam cauſam ſecundam poſſe Deo ad creationem inſtrumentaliter cooperari; nos tamen qui non ſolum concluſionem Sancti Doctoris veram, ſed & eius rationem eſicacem iudicamus, neque auctoribus, neque fundamento illius tertij modi aſſentimus. Tandem quartus modus, licet ſatis communis inter recentiores Thomiſtas ſit, nullum alium exiſtimo magis a mente Angelici Doctoris deuiare, nam imprimis non ſaluat maiorem aſſumptam ab ipſo, quæ eſt hæc: de ratione inſtrumenti eſt participare virtutem cauſæ principalis, in quantũ per aliquid ſibi proprium ad effectum illius diſpoſitiue operatur: diſpoſitiue autem operari non eſt ſolum eſſe ens reale habens analogicam conuenientiam cum alio circa quod operari debet inſtrumentaliter. Rurſus contra hos procedit ratio qua D. Thom. præfatam probat maiorem dicens, quod ſi cauſa inſtrumentalis: *nihil ibi ageret ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberetur ad agendum, nec oporteret, & eſſe determinata inſtrumẽta determinatarũ actionũ, &c.* etenim analogica proportio inter quæcumque entia realia ſaluatur, videant igitur auctores huiuſmodi dicendi Doctorem Angelicum ipſis contrarium, & fateantur ſe mentem illius aſſequutos non fuiſſe, & eius ſententiam minime ſequi, denique ex eorum ſententia ſequitur, Deum poſſe aſſumere creaturam vt inſtrumentum ad creationem aut ſaltem non repugnare illam aſſumi ex hac ratione Diui Thomæ: cõſequens eſt contra eorum intentum, & eſt incidere in tertium modum dicendi eorum qui concluſioni Sancti Doctoris aſſentientes hoc fundamentum pro illa non admittunt: ergo. Sequela probatur. Nam ſi ſola proportio, & conuenientia analogica ſufficeret ad ſaluandũ munus inſtrumenti: nulla eſſet ratio quare ens creatũ non poſſet aſſumi ad operandum circa non ens; ſicut aſſumitur ad operandum circa aliud. Tota enim ratio quare inſtrumentum exigit aut exigere poteſt præſupoſitionem alicuius ſubiecti circa quod operatur, eſt quia circa illud debet aliquid præuium operari, aut aliquem contactum exercere: ſi enim, quieſcere omnino deberet, & nihil præuium operari, ex nullo capite nulloque iure præſupoſitum ſubiectum exigeret: ergo de ratione inſtrumenti eſt operari aliquid præuium circa præſupoſitũ ſubiectum in ſenſu a nobis explicato: aut poterit creatura inſtrumentaliter concurre-

re ad

re ad productionem ex non subiecto, exigentia enim præsupositi subiecti ex præuia operatione aut contactu oritur, & non ex entitate instrumenti omnino quiescente.

10 Sed contra arguitur primo nam ratio qua ex Diuo Thoma probamus repugnare quominus creatura possit instrumentaliter concurrere ad creationem est, quia de ratione instrumenti est operari aliquid præuium, & disponens ad effectum agentis principalis: sed hæc ratio supponit tria falsa, scilicet, quod requiratur operatio dimanans ab instrumento per propriam formam ipsius, & quod illa operatio sit præuia, & distincta ab operatione, qua operatur ad effectum agentis principalis, & quod disponat ad illum: hæc autem omnia probantur esse falsa tribus argumentis, quorum primum probat primam partem huius suppositionis esse falsam: nam multoties assumitur instrumentum ad effectus agentis principalis sine aliqua operatione quam eliciat propria virtute præsertim hoc habet verum in instrumentis diuinæ virtutis: ergo. Antecedens probatur: nam diuina virtus potest assumere ad opus miraculosum materiam primam hominis, quæ vt sic nullam de se potest habere operationem, potest etiam assumere formam substantialem prout præuenit omnia accidentia: quæ vt sic non est operatiua: & potest quamcumque creaturam quiescentem assumere: nulla enim creatura est ineptum instrumentum respectu Dei cui omnia ad nutum ob temperant. Secundo probatur idem antecedens: nam quando Christus dixit, *Lazare veni foras*, & similia miracula voce, volitione, imperio, aut imaginatione patrabat: intellectio, volitio imperium, imaginatio, & vox cum clamore fuerunt instrumenta, quibus mortuos suscitauit, & cæcos illuminauit: & tamen nullam operationem habuerunt ex proprijs circa cadauera aut animas defunctorum: sed deitas mediantibus illis actibus Christi Domini illa miracula operabatur: ergo. Respondetur, ad hoc argumentum, negando minorem, & ad probationem pro prima parte negatur antecedens, ad cuius primam probationem dico materiam primam se sola non posse assumi ad physice aliquem effectum operandum effectiue, sicut nec potest Deo aut Diuinæ personæ immediate vniri nisi mediante forma à qua habet esse, & posse accipere actum accidentalem, mediante autem forma substantiali assumptibilis est: sed tunc licet non habeat ex se operationem proprie dictam, habet tamen propriam causalitatē materializandi circa formam, quæ sufficit vt mediante illa disponat ad effectum agentis principalis: nomine enim operationis, quamcumque causalitatem, & contactum diximus accipi posse, præter quam quod sicut nequit assumi nisi mediante forma, satis est quod mediante forma habeat actum aliquem vel operationem: & forma substantialis vt præuenit omnia accidentia potest assumi, quia vt sic saltem radicaliter est operatiua, & potest habere contactum circa subiectum in quo operatura est effectum miraculosum: & licet nullum alium operetur aut operari possit quam contactum materiæ quam informat, & ipsam informationem, & effectum formalem quem causat, & communicat materiæ, hic sufficit, vt illo mediante assumatur a Deo: etenim secundum formalem causalitatem dicitur etiam forma operari, & agere in subiectum esse Diuo Thoma prima secundæ quæst. 110. art. 2. ad primum asserente quod gratia secundum quod est qualitas animæ dicitur agere in animam: non per modum causæ efficientis, sed per modum causæ formalis: sicut albedo facit album, & iustitia iustum, quam doctrinam repetit quæstione 111. articulo secundo ad primum dicens, propterea gratiam dici operantem, quia in genere causæ formalis suum effectum operatur in anima. Diximus quoque in quo sensu possit creaturam quiescentem assumere vt instrumentum ad physice cooperandum effectui diuinæ virtutis, potest enim illā assumere quiescentē ab operatione proprie dicta, non tamen quiescentem ab operatione cōmuniter dicta prout se extendit ad opera-

rationem, paſsionem, contactum, & effectum cauſæ materialis aut formalis. Ad ſecundam probationem ſuponimus humanitatem Chriſti Domini habuiſſe inſtrumentalem virtutem ad immutationes miraculoſas faciendas ad finem incarnationis ordinabiles. Vt docet Diuus Thomas tertia parte quæſtione 13. articulo ſecundo. Vnde in quocumque miraculo quod Chriſtus Dominus phyſice median te humanitate patrabat, humanitas erat immediatum, & præcipuum inſtrumentum diuinitatis, diuerſa tamen miracula di uerſis actibus præuijs operabatur: quia teſte eodem Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione 178. articulo 1. ad primum virtus miraculorum communicata creaturis non alligatur vni aut alteri actui creaturæ, ſed mediante quocumque actu illius ſuum operatur effectum, ait enim Diuus Thomas in hæc verba. *Ad primum dicendum quod ſicut profetia ſe extendit ad omnia quæ ſupernaturaliter cognoſci poſſunt, ita operatio virtutum ſe extendit ad omnia quæ ſupernaturaliter fieri poſſunt, quorum quidem cauſa eſt diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari poteſt, & ideo impoſſibile eſt quod principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed tamen hoc poteſt contingere quod ſicut mens Prophetæ mouetur ex inſpiratione diuina ad aliquid ſupernaturaliter cognoſcendum: ita etiam mens miracula facientis moueatur ad faciendum aliquid ad quod ſequitur effectus miraculi: quod Deus ſua virtute facit: quod quandoquidem ſit præcedente oratione, ſicut cum Petrus Tabitam mortuam ſuſcitauit, vt habetur actorum 9. quandoque etiam non præcedente manifeſta oratione, ſed Deo ad nutum hominis operante, ſicut Petrus Ananiam, & Saphiram mentientes morti in crepando tradidit, vt dicitur actorũ 5. vnde Gregorius dicit in ſecundo dialogorum, quod ſancti aliquando ex poteſtate miracula exhibent; aliquando ex poſtulatione: vtro libet que modo Deus principaliter operatur, qui vtitur inſtrumentaliter, vel interiori motu hominis vel eius loquutione, vel etiam aliquo exteriore actu ſeu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui; vnde Ioſue decimo cum Ioſue dixiſſet quaſi ex poteſtate, ſol contra Gabaon nemouearis: ſubditur poſtea, non fuit ante ac poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Ex quibus ver haud obſcure colligitur dupliciter homines miracula operari, aliquando abſque phyſico concurſu per ſolam orationem aut deprecationem vel meritum: quod pertinet ad genus cauſæ moralis, de quo in præſentiarum non eſt ſermo. Nam hoc modo etiã homo poteſt concurrere ad alicuius entis creationem, poſſet enim illam mereri, aut pro illa orare Deum, & Deus motus moraliter tali oratione aut merito poſſet illam ponere in eſſe. Aliquando vero ex poteſtate, & phyſico concurſu, mediante aliquo hominis actu interiori, vel exteriori, & hoc modo humanitas Chriſti mediante aliquo eius actu, aut contactu miracula phyſice inſtrumentaliter operabatur, & hoc ſupoſito diſtinguenda eſt maior: actus illi fuerunt inſtrumenta præcipua, & operantia vt quod ac præcipue eleuata, nego, ſic enim ſola humanitas fuit inſtrumentum quod miracula vt organum coniunctum, & vniuerſale diuini Verbi faciebat: fuerunt inſtrumenta ſecundum quid, & minus præcipua, id eſt per modum conditionis, vel actionis concurrentis, concedo maiorem, & admiſſa minori nego conſequentiam: licet enim actus illi alios actus non haberent, tamen principale inſtrumentum quod fuit humanitas, non operabatur miracula niſi vt coniunctum illis actibus, & eis aſſociatum, & ſatis eſt ad munus phyſici inſtrumenti, quod inſtrumentum operans vt quod, haberet præuiam operationem. Nec oportet, quod operationis illius propriæ ſit alia operatio: hoc enim eſſet dare proceſſum in infinitum, quod ſi Deus non corpus hominis aut animam ſed ipſam dumtaxat vocem, aut cogitationẽ aut volutionẽ eleuet ad miraculi productionem, quod poſsibile eſſe ex eodem Doctoris Sancti teſtimonio

nio

nio comprobari videtur: tunc dicendum est ad argumentum, ipsos humanos actus esse instrumenta diuinæ virtutis: sed quia sunt actus per se ipsos aliquid operantur prævium vt rationes operandi: volitio enim est tendentia volentis ad subiectum, & ipsum virtualiter tangit, præter quam quod est productio impulsus in voluntate, sicut intellectio simul est cognitio obiecti, & productio mentalis verbi: vox quoque audibilis in auditum operatur, ipsum tangendo, & immutando intentionaliter; & quæcumque actio, eo quod actio est a causa secunda proueniens dicitur operari aliquid prævium: quia ipsa est ratio operandi aut tangendi aliquid, & in subiecto operatur suum effectum formalem, sicut quæuis alia forma, & quando instrumentum est eleuatum de genere actionis, non oportet quod operatio prævia sit ab alio distincta. Secundo arguitur, & probatur non requiri actionem prævram, & distinctam ab operatione qua instumentum operatur ad effectum agentis principalis: nam multoties instrumentum eadem indiuisibili operatione concurrit ad effectum causæ mouentis, qua aplicatur ad illius productionem: ergo non est de ratione instrumenti operationem vel aliquid prævium ad instar operationis se habens exhibere. Antecedens probatur inductione, nam in sigilatione monetæ, informatione characterum quos scriba calamo scribit, & in picturis quas pictor penicillo depingit: in his enim eadem actio indiuisibilis reperitur, nam eadem actione qua sigillus aplicatur, & imprimit, signat, & facit formaliter monetam, & eadem est operatio qua calamus atramentum imprimit papiro, & format characterem, &c. ergo. Ad hoc respondetur, cum Caietano in allegato artic. 5. §. *ad euidentiam*: quod dupliciter potest intelligi causam instrumentalem exigere actionem propriam, & principalis agentis; vno modo sic, quod sint duæ actiones habentes diuersas res proterminis, sicut calor animæ, & calefacit, & generat carnem, & hoc non est necessarium: alio modo sic, quod vna operatio secundum rem sit, & distincta formaliter, aut virtualiter multiplex sit a propria forma instrumenti, & a virtute agentis principalis: & prout est a forma propria instrumenti faciat aliquid prævium ordine naturæ, ad quod facit prout est ex virtute agentis principalis: sicut situalis compositio trianguli ex virtute motiua simul potest tres virgas: ex ratione autem facit formam artificialem trianguli: & simile contingit in sculturæ, picturæ, ac characterum efformatione, vnde negandum est antecedens, & ad singulas probationes dicitur, quod in illis actionibus duplex ratio formalis scilicet est distinguenda, secundum quarum alteram sit illa actio a virtute motiua, & secundum alteram ab arte seu aratione. Illaque ad huius effectum prævium aliquid operatur. Tertio arguitur, ad probandum quod hæc operatio ex propria forma instrumenti dimanans nullatenus requiratur in vi dispositionis prævia ad effectum agentis principalis: nam instrumentis diuinæ virtutis talis dispositio non exigitur; ergo non est requisita in omnibus instrumentis. Antecedens probatur tripliciter: primo, quia diuina virtus suos effectus se sola, & medio quocumque instrumento potest operari; vt docet D. Thom. in prædicto testimonio q. 178. Secundo quia quando Christus per humanitatem assumptam miracula patrabat tali dispositione non indigebat: aliquando enim luto oculos liniebat, quod potius visus receptionem impediebat, quam parabat. Tactus vero manus quo vtebatur non erat necessarius omnino, sed conditio quædam localis a proximationis a Deo suplebilis: & propterea sine illo poterat eadem miracula patrare quæ cum illo faciebat: vnde, & socrus Simonis sine vllo contactu corporeo potuisset sanari: vt bene notauit Dionisius Carthusianus in commentario Mathæi capit. 8. & 9. dicens: Christum Dominum propterea illo contactu in patrandis miraculis vsum sepius fuisse, non quia sine illo miracula facere non posset, sed vt in ipso modo ægrotos sanandi mirabiter, hominem se esse ostenderet. Tertio nam dispositio præter quam quod requiritur ad effectum ad quem disponit, debet ipsum subiectum disponere in quo effectus est producendus: sed multoties actus prævij quos operantur ex propria forma instrumenta diuinæ virtutis nec requiruntur ad effectum diuinæ virtutis, neque subiectum in quo recipitur effectus, attigunt vt illud disponant: ergo. Minor patet, nam vox Christi nihil corpori Lazari impressit, in quo resurrectionem operatus fuit mediante illa voce, *Lazare veni foras*. Aqua quoq; baptismalis animæ in qua causat instrumentaliter gratiam nihil imprimit: sed teste Augustino

tractatu 81. in Ioannem corpus tangit, & cor obluit: ergo. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem patet ex dictis, quod diuina virtus etiã ſi medio quo cũque inſtrumento ſuos effectus miraculoſos operari poſsit, & etiam ſe ſola: quãdo tamen vtitur inſtrumento, eius virtus recipitur, modificatur in illo, & prout ſic recepta, & modificata indiget aliquo actu aut effectu proprio ipſius inſtrumenti vt illo mediante diuina virtus, & imperium ad ſubiectum effectus diuini ſuſceptiuum deferatur.

Ad ſecundam dicendum eſt eſt, quod licet in omni inſtrumento exigatur effectus, contactus aliquis aut præuia operatio diſponens ad effectum principalis cauſæ; diuerſimode tamen, nam inſtrumenta connaturalia, & ex natura rei requiſita ad effectum agentis principali, vt calor reſpectu ignis, indigent operatione præuia quæ vere diſponit cauſando aliquam diſpoſitionem ad effectum ex natura rei requiſitam, & propterea etiam debent operari illam præuiam diſpoſitionem in eodem ſubiecto effectus principalis ſuſceptiuo: at inſtrumenta diuinæ virtutis minorem exigunt determinationem: eo quod diuina virtus minus determinata eſt quam virtus agentis creati: & ideo neque eius effectus vt ab illa procedit indiget aliqua determinata diſpoſitione præuia ex natura rei requiſita, niſi illam aliàs ex ſua natura ex poſtularet, ſicut gratia iuſtificans virtutes petit infuſas, & in adulto actibus liberi arbitrij poſtulat in ſui prima infuſione aſſociari: tamen ex parte inſtrumenti petit actionem aut cauſalitatem aliquam præuiam, vt eius motionem ac virtutem ad effectum deferre poſsit: & hæc dicitur præuia diſpoſitio, non ex natura effectus diuini, neque ex indigentia diuinæ virtutis: ſed ex conditione inſtrumenti requiſita. Sicut enim hæc anima non niſi in his carnibus, & oſsibus poteſt recipi, ita motio, & virtus agentis principalis nequit recipi, niſi in ſubiecto quod de ſe aliquam operationem aut præuiam cauſalitatem exerceat. Sed quo hæc eſt minus determinata reſpectu diuinæ virtutis, eo habet minus de ratione diſpoſitionis, & propterea ſufficit, ſi in alio ſubiecto coniuncto eſſe in quo fit effectus diuinæ virtutis recipiatur. Hoc ſuppoſito negatur antecedens, licet enim humanitas Chriſti, quia inſtrumentum erat diuinitatis hunc aut illum actum determinate non poſtularet, tamen aliquem actum aut contactum debeat exercere, quia inſtrumentũ erat vt diuinam motionem ad effectus miraculoſos deferre poſſet.

Ad tertiam reſpondetur, quod licet maior ſit vera de diſpoſitione præuia quam effectus exigit ex ſua natura, non tamen eſt vera de diſpoſitione ex parte ipſius inſtrumenti requiſita: hæc poteſt in alio ſubiecto recipi præſertim quando eſt actio inſtrumenti diuini virtutis: vnde Diuus Thomas tertia parte quæſtione 62. articulo primo ad ſecundum. Ad huius ſolutionis confirmationem ſic ait: *Ad ſecundum dicendum quod inſtrumentum habet duas actiones, vnam inſtrumentalem ſecundum quam operatur non in virtute propria ſed in virtute principalis agentis: aliam propriam quæ competit ſibi ſecundum propriam formam: ſicut ſecuri competit ſcindere ratione ſuæ actiuitatis: facere autem lectum in quantum eſt inſtrumentum artis; non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam, &c. & ſimiliter ſacramenta corporalia per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute diuina circa animam: ſicut aqua baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem abluit animam in quantum eſt inſtrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima, & corpore vnum fit, & hoc eſt quod Auguſtinus dicit, quod corpus tangit, & cor abluit.* Ex quo teſtimonio patet ſecundum mentem Angelici Doctoris eatenus inſtrumenta diuinæ virturis operari diſpoſitiua ad effectum illius, quatenus aliquid præuium, & præ requiſitum operari debent, etiam ſi in alio ſubiecto recipiatur: licet diſpoſitio ex natura rei ad formam aliquam requiſita, & etiam illa quam inſtrumenta connaturalia operantur in eodem ſuſceptiuo formæ productæ ab agente principali, recipiatur, præter quam quod neque hoc vniuerſaliter eſt verum in præuijs diſpoſitionibus: calor enim præuius ad formam ignis generandi ex ligno, non in igne genito, ſed in ligno recipitur: & bonitas phantaſiæ quæ eſt diſpoſitio ad bonum intellectum, non in anima, quæ eſt ſubiectum intellectus, ſed in corpore recipitur: ac tandem actus liberi arbitrij ad gratiæ in anima ſuſceptionem diſponentes, impotentijs animæ ſubiectantur. Si igitur diſpoſitio proprie dicta aliud ſuſceptiuum a forma

ad

ad quam diſponit poteſt habere ; a fortiori illa quæ impropriè diſpoſitio eſt. Quarto arguitur : creatura poteſt concurrere inſtrumentaliter ad anihilationem : ſed eiuſdem eſt poſſe anihilare, cuius eſt poſſe creare : vtraque enim operatio verſatur circa ens vt ens ; hoc eſt circa proprium effectum diuinæ omnipotentiæ : ergo poterit etiam concurrere ad creationem. Maior probatur, tum quia in anihilatione præſuponitur ſubiectum circa quod creatura poteſt præuiam operationem ad rationem inſtrumenti requiſitam exercere, tum etiam quia teſte D. Thom. in teſtimonio præallegato ex quæſtione 178. ſecundæ ſecundæ virtus miraculorum extenditur ad omnia opera diuinæ virtutis, inter quæ computatur anihilatio, & hæc communicabilis eſt creaturæ per participationem, vt ibidem docet Diuus Thomas : ergo. Confirmatur primo ad anihilandum minor virtus requiritur quam ad creandum : ergo illa erit citra finitam, ac per conſequens poteſt communicari cauſæ ſecundæ. Antecedens patet, quia teſte Diuo Thoma prima parte quæſtion. 104. articulo quarto potentia, & bonitas Dei non ita reſplendent in anihilatione ſicut reſplendent in creatione : & non alia ratione, niſi, quia non eſt tantæ perfectionis, & virtutis anihilare ſicut creare. Sicut productio gratiæ iuſtificantis licet ſit proprium opus Dei, tamen deſtructio gratiæ etiam creaturæ rationali poteſt competere ; quia minus ad deſtruendum quam ad producendum aliquid requiritur ; vnde poteſt rationalis creatura principaliter gratiam diuinam deſtruere, quam nequit vt cauſa principalis cauſare, & licet peccatum quandam infinitatem in genere moris inuoluat, tamen quia hæc infinitas eſt in ratione mali, & defectus, non obſtat quominus a creatura rationali fieri poſsit : ergo ſimiliter licet anihilatio infinitatem quandam importet quatenus eſt deſtrectio totius entitatis : tamen quia eſt infinitas in genere mali, & defectus, non obſtabit quominus a creatura poſsit cauſari : licet creatio non poſsit, propterea quod infinitas creationis, eſt in genere boni, & perfectionis. Confirmatur ſecundo humanitas Chriſti potuit phyſice concurre ad anihilationem : ergo talis potentia non repugnat creaturæ. Antecedens probatur, tripliciter. Primo quia habuit virtutem phyſicam ad omnia opera ſupernaturalia, miraculoſa ordinata ad finem humanæ redemptionis, teſte Diuo Thoma 3. part. quæſtion. 13. articulo ſecundo : ſed Deus potuit ordinare ad hunc finem anihilationem Lazari, verbi gratia, ſicut ordinauit reſurrectionem illius, neque enim minus in Lazari anihilatione quam in eius reſurrectione, offenderetur Chriſti diuinitas : hic enim fuit finis reuocandi Lazarum ad vitam. Secundo quia poterat humanitas Chriſti producere accidens extra ſubiectum, & illud ſic ſeparatum deſtruere : hæc autem productio eſſet creatio, & ſimiliter deſtructio, eſſet anihilatio, quia eſſet definitio totius entis : ergo tmaior probatur, quia de facto in tranſubſtantiatione panis in ſuum corpus, ponit accidens extra ſubiectum : & ſignt poſt quam eſt in ſubiecto, poteſt Deus ſeparare illud mediante cauſa ſecunda : ita etiam poteſt illud ſeparare in prima eius productione cum enim accidens ſit ſeparabile a ſubiecto per ſe loquendo, in ordine ad diuinam omnipotentiam ſemper, & in quocumque ſtatu eſt ſeparabile : ac proinde tam infacto eſſe, quam infieri. Poteſt etiam accidens ſic ſeparatum deſtruere, ſiquidem per eaidem cauſas vnaquæque res diſolui poteſt per quas potuit poduci. Confirmatur tertio : agens naturale poteſt corrumpere accidentia euchariſtiæ ſeparata a ſubiecto, verbi gratia, ſi ignis conſumeret ſpecies ſacramentales, quantitas ſaltem extra ſubiectum deſineret : ſed talis deſtructio eſſet anihilatio quia nihil quantitatis relinqueretur in rerum natura. Rurſus, lux ad abſentiam ſolis ſic deſinit eſſe in Emiſphario, vt nihil entitatis illius remaneat. Nullaque alia forma ei ſuccedat niſi ſola priuatio : igitur non repugnat agenti creato concurrere ad totius entitatis deſtructionem, ac per conſequens ad anihilationem. Confirmatur quarto : nam poteſt cauſa ſecunda virtute diuina concurrere ad equi corruptionem, ſimulque impediendo ſucceſsionem alterius formæ in materia equi : poteſt etiam concurrere ad ſeparationem formæ cœli a materia cœleſti : ſed tunc ſequeretur anihilatio materiæ, quæ omni forma deſtituta verteretur in nihilum. Poteſt denique facere dos vt inſtrumentum diuinæ virtutis cocurrere ad tranſubſtantiationé panis in corpus Chriſti, quatũ ad totalé panis deſitionę abſque poſitione corporis Chriſti, loco illius : eo quod dificilius eſt operari vtrũque, & de

ſtructionem panis, & poſitionem corporis Chriſti, quam alterum illorum, nempe ſolam panis deſtructionem: ac per conſequens, ſi poteſt primum, a fortiori poſſet ſecundum virtute diuina. Tunc autem illa panis deſitio anihilatio eſſet: ergo. Antecedes in omnibus his caſibus probatur: quia in illis omnibus præſupponitur ſubiectum circa quod creatura operari, & exercere præuiam poſsit operationem, & per conſequens opus anihilationis neque ex parte termini neque ex modo petit virtutem infinitam.

reiicitur opinio ſin niorũ de virtute anihilan di poſsibili increa tura.

11 Propter hoc argumentum, eſt triplex modus dicendi. Primus aſſerit creaturã poſſe concurrere ad anihilationem vt inſtrumentum Dei, & de facto fuiſſe humanitati Chriſti virtutem creandi, & anihilandi cõmunicatam. Secundus Suarij, Valentiæ vbi ſupra, & aliorum iuniorum aſſerentium poſſe cõmunicari cauſæ 2. virtutem inſtrumentalem ad anihilandum. Tertius eſt communis inter diſcipulos Doctoris Angelici qui pariter negant communicari poſſe virtutẽ ad creandum, atque ad anihilandum etiam per modum inſtrumentalis cauſæ, de quo videndi ſunt Caietanus, Ferrarienſis, & Bañeſius in locis prælegatis, & quia horum ſententia eſt vera, & auctoritate Sancti Doctoris confirmata. Probatur primo: nam ſicut creatio eſt opus ſolius Dei, & eſt efficere totum eſſe creaturæ: ita ſolius Dei eſt totum eſſe creaturæ deſtruere: ſed propterea virtus ad creandum nequit alteri a Deo conuenire: ergo neque virtus ad anihilandum alteri a Deo poterit conuenire. Minor patet ex dictis, & maior probatur: nam hac ratione D. Thom. 3. part. quæſt. 13. art. 2. denegat humanitati Chriſti pariformiter virtutem immutandi creaturas per creationem, ſine per anihilationem, cuius hæc ſunt verba: *immutationes creaturarum ſecundum quod ſunt vertibiles in nihil correſpondent creatori rerum pro vt ſcilicet producuntur ex nihilo: & ideo ſicut ſolus Deus poteſt creare: ita ſolus Deus poteſt creaturas in nihil redigere: qui etiam ſolus eas in eſſe conſeruat ne in nihilum decidant: ſic ergo dicendum eſt, quod anima Chriſti non habet omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.* Secundo probatur: nam propterea virtus creatiua debet eſſe infinita, quia diſtantia per trãſibilis de non eſſe ad eſſe eſt maxima, & omni alteri diſtantiæ improportionata: & quia terminus creationis, eſt totalis entitas rei ſecundum gradum vniuerſaliſſimum entis, qui petit a cauſa infinita, & vniuerſaliſſima produci: ſed etiam in termino anihilationis eſt maxima diſtantia, ſcilicet de eſſe ad nullum eſſe, quæ eſt eadem atque de non eſſe ad eſſe, ſicut eadem eſt via de Thebis ad Athenas, & ẽ contra de Athenis ad Thebas: eſt etiam vniuerſalitas, & plenitudo in ratione non eſſendi, nempe deſtructio totius entitatis: ergo petit virtutem maximam ac vniuerſaliſſimam, quæ in ſolo Deo poteſt reperiri. Tertio nam aliàs creatura ageret phyſice in diuinam actionem impediendo illam, & cõſequẽter in Dei ſubſtantiam, & eſſentiam phyſice ageret, quia hæc a ſua actione non diſtinguitur: conſequens eſt omnibus modis impoſsibile: ergo, & antecedes, & conſequẽtia probatur, nam eſſe creaturæ prout eſt terminus creationis a ſolo Deo dependet infieri, & conſeruari: ergo creatura nitens ad anihilationem alterius, actionem diuinam phyſice impediret: ſicut calefaciẽs ſua actione impedit actionem agentis frigiditatem conſeruantis. Quarto nam omne inſtrumentum diuinæ virtutis conſtituitur in actu primo per hoc quod in ſe ſuſcipit diuinam motionem: ſed ad anihilandum nequit diuinam recipere motionem: ergo: maior patet, ex conditione communi inſtrumenti vt ſic, minor vero probatur. Quia anihilatio fit per ſolã diuini cõcurſus conſeruantis eſſe, ſuſpenſionem: Deo autem ſuſpendente ſuum concurſum, nulla cauſa ſecunda poteſt moueri: ergo. Vnde exiſtimo quod etiam ſi humanitas Chriſti (admiſſo hoc diſputationis gratia) haberet virtutem inſtrumentalem ad creandũ, illã non haberet ex conſequẽti ad anihilandum, in quo deceptum inuenio Suarez qui putat pariformiter loquendum eſſe de vtraque virtute: & quod adeo ſit conexa, vt ad miſſa vna neceſſario altera ſit admittenda. Ratio quæ me mouet, eſt hæc vltima: implicat enim reſpectu anihilationis creaturam moueri aut Deum phyſice influere: cum potius anihilatio petat diuini concurſus ſuſpenſionem: vnde reſpectu nullius miraculi in ſola diuini concurſus ſuſpenſione conſiſtentis (quale putant aliqui fuiſſe ſolis obſcurationem quæ in ipſo mortis Chriſti tempore contigit) potuit humanitas Chriſti inſtrumentaliter phyſice concurrere: ſed ad tale miraculum, & ſimilia ſi quæ fuerunt, moraliter dũtaxat cõcurrebat: neque enim alius modus erat ei reſpectu huiuſmodi immutationum poſsibilis. Ex quo magis patet ad hoc lapſos fuiſſe Valentiam, & alios, qui negantes poſsibilem eſſe virtutem extra Deum ad creandum, illam ad anihilandum phyſice inſtrumentaliter admiſerunt. Ad argumentum autem eorum reſpondetur, negando maiorem, ad primam probationem

quod

quod ex alio capite repugnat virtus ad anihilandum, vt dictum eſt: licet ex defectu præſupoſiti ſubiecti, in quod cauſa ſecunda poteſt operari, non repugnet. Ad ſecundā probationem patet, ex altero teſtimonio adducto ex tertia parte, quod gratia miraculorum eſt communicabilis, reſpectu omnium quæ non inuoluunt immutationem creationis, aut anihilationis. Neque alia eſt intentio Doctoris Sancti, ſed eadem in utroque loco. Ad primā confirmationem nego antecedens. Ad probationem dico, quod in operibus proprijs diuinæ virtutis eſt latitudo, in alijs enim magis reſplendet bonitas, & omnipotentia, quā in alijs: cū quo tamē ſtat, quod ad omnia neceſſaria ſit virtus infinita. Neque etiam eſt ſimile in peccato, & deſtructione gratiæ, atque anihilatione: nā peccatū eſt malū infinitum morale quod fundatur in entitate Phiſica actus finita, & ſic ſufficit ad illud virtus finita creaturæ rationalis: deſtructio autem gratiæ, habet modum corruptionis, ſicut productio gratiæ eſt quædam generatio, & ſicut creatio ex parte modi excedit productionem gratiæ ita deſtructio totius entitatis, quæ eſt anihilatio excedit ex parte modi gratiæ deſtructionem licet ex parte termini ab illa excedatur. Vnde nō ſequitur, quod creatura rationalis poſsit anihilare ex eo quod poteſt peccare, & gratiam deſtruere. Ad ſecundam nego antecedens, ad primam probationem dicendum eſt humanitatem Chriſti habuiſſe virtutem Phyſicam ad omnia miracula de facto ordinata in finem redemptionis: non tamen ad omnia ordinabilia, ac proinde neque illam habuit ad anihilationem quæ de facto non fuit in hunc finem ordinata. Rurſus admiſſo quod habuerit virtutem ad omnia miracula in finem redemptionis ordinabilia: dicendum eſt illam habuiſſe diuerſimode, ac diformiter: nam reſpectu miraculorum ordinis gratiæ, habuit virtutem Phyſicam. At reſpectu aliarū immutationum creaturarum ſecundū quod ſunt vertibiles in nihil Phyſica virtus eſt illi deneganda iuxta præallegatum Sancti Doctoris teſtimonium, & ſolum cauſalitas moralis per meritum, & orationem eſt in ea admittenda. Ad ſecundam confirmationem ſuponendum eſt quod creari ſolum eſt ſubſiſtentium, quibus competit proprie habere eſſe: vt docet D. Thom. 1. p. quæſt. 45. art. 4. vnde quia materia prima, & accidentia non habēt eſſe perſe: ita neque poſſunt perſe creari: ſed debent concreari ad concreationem totius ſupoſiti in quo, vel cum quo producū tur: vt latius oſtendit Flandrenſis 1. Methaphiſicæ quæſt. 5. art. 2. & in hoc 7. quæſt. 12. art. 1. & 5. vbi explicat illud vulgare axioma, actiones ſunt ſupoſitorum, tam actiue, quatenus agere ſolum eſt ſubſiſtentium, quā paſsiue, quatenus terminare actionem productiuam ſolum eſt habentium eſſe: habere autem eſſe, eſt ſupoſitorum, de quo axiomate videndus eſt D. Thom. in loco proxime allegato, & 1. Metaphiſicæ lect. 2. atque in primo diſtinct. 5. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 3. art. 1. Vbi probat, naturaliter neque materiā neque vllam formam partialem aut accidentalem (excepta rationali quæ eſt à ſubiecto ſecundū ſe indepēdēs & capax ſubſiſtēdi) poſſe perſe aut generari aut creari. Sed debere ad totius productionē comproduci ſiue per creationem, ſiue per generationem. His addendum eſt quod accidens ſeparatū à ſubiecto, non naturaliter, ſed ſupernaturaliter ſeparatur, & ſeparatum conſeruatur à Deo ſupplente vicem ſubiecti ſubſiſtentis. Et ſicut ſolius Dei eſt illud ſic conſeruare, ita ſolius Dei erit ipſum totaliter deſtruere: poteſt tamen licet ſeparatum à ſubſtantia ſit, non totaliter deſtrui: ſicut contingeret ſi loco illius aliud ens ſuccederet: vt ſtatim declarabo. Quibus ſupoſitis reſpondetur dupliciter primo negando maiorem ſi fiat ſermo de totali ſeparatione, & deſtructione. Reſpondetur ſecundo admiſſa maiori negando minorem: nam cum accidens etiam ſeparatum, ſit aliquid ſubiecti ad quod dicit intrinſecum ordinem aptitudinalis inhærentiæ, neque talis ſeparatio eſſet creatio, quia non eſſet productio totius entitatis, neque deſtructio illius accidētis eſſet anihilatio: quia nō eſſet deſtructio entis ſubſiſtētis cuius ſolius eſt creari: neque eſſet deſitio totius entitatis ad tale accidens pertinentis: pertinet enim ad illud accidens eius cōnaturale ſubiectū, cuius entitas neutiquam poteſt ab humanitate Chriſti aut ab alia creatura totaliter deſtrui. Ad tertiam reſpondetur negando minorem pro prima parte; nam in illo caſu antecedenter ad productionem formæ ignis crearetur à Deo materia prima ſuſceptiua formæ ignis, v. g. in qua ſuccederet alia quantitas ſimilis ei quæ ſacramentales ſpecies ſuſtinebat; vnde non eſſet anihilatio, ſed generatio ignis, ad quam ſequeretur corruptio quantitatis, & accidentium: actio autem quæ ex vi ſua formaliter aut ex vi alterius actionis ſibi neceſſario annexæ relinquit aliquod ſubiectum in rerum natura non eſt deſtructio totalis: & ſic non eſt anihilatio. Ad ſecundam partem dico defectum lucis non eſſe anihilationem, aut omnimodam deſtructionem, quia ex vi illius manet aer priuatus luce, & delucido non lucidus priuatiue. Actiones enim vt dixi, non ad

formas, ſed ad compoſita terminantur. Dices namquid lux ipſa non eſt anihilabilis à Deo: fateor ingenue anihilabilem eſſe ſed nõ ex vi huiuſmodi deſinendi, deſitio enim illa ſi verteretur in nihil, ſolo lucis ſubiecto remanẽte, deberet in pura negatione lucis terminari: ita vt aer maneret non priuatiue, ſed negatiue non lucidus: anihilatio enim eſt de eſſe ad non eſſe totale prout dicit omnimodam entis negationem. Ad quartam Bañeſius loco citato in ſolutione ad quintum ait probabile eſſe poſſe creaturam illis modis concurrere inſtrumentaliter ad anihilationẽ materiæ: quo circa ſententiam noſtram aſſerentem creaturam non poſſe inſtrumentaliter ad anihilationem concurrere poſſe limitari ad res ſimplices, quæ non conſtãt ex materia, & forma quarum eſſe à ſolo Deo dependet. Sed hæc ſolutio nullatenus eſt admittenda: quia implicat creaturam ſuo Phyſico concurſu attingere anihilationem vt dictũ eſt, & omnibus modis D. Thom. denegat humanitati Chriſti virtutem ad immutationem creaturarum ſecundum quod ſunt vertibiles in nihil. Vnde ſecunda ſolutio ſit quã idem Author ſtatim inſinuat; quod poteſt creatura inſtrumentaliter virtute diuina concurrere ad equi & cœli corruptionem, & admiſſo quod nulla alia forma in materiam introduceretur; ſequeretur materiam redigi in nihil. Cæterum actio creaturæ non attingeret materiæ anihilationem, ſed ſiſteret in ſola formæ à materia ſeparatione: Deus autem ſolum per ſuſpenſionem ſui concurſus alterius ſucceſsionem impediret, & materiã anihilaret. Et per hoc patet ad tertium exẽplum: dicendum eſt enim quod Sacerdos ſolum poteſt concurrere ad actionem illam tranſubſtantiationis per quam ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus & deſinit panis, quæ anihilatio, panis ſcilicet, non eſt: quia eius terminus ad quẽ nõ eſt nõ eſſe panis: ſed eſſe tale ſub ſpeciebus corporis Chriſti, at ſi corpus non ſucederet loco panis, anihilaretur reuera ſubſtantia panis, ſed tunc non Sacerdos, ſed ſolus Deus illam anihilaret per ſuſpenſionem conſeruatiui concurſus. Vltimo arguitur: eſſe creaturæ non eſt effectus ita proprius Dei, vt non cauſetur effectiue ſaltem inſtrumentaliter â cauſa ſecunda: ſed eiuſdem eſt poſſe effectiue dare eſſe, atque creare: terminus enim creationis eſt eſſe, & propterea D. Thom. hac ratione potiſsime probat ſolum Deũ poſſe creare; quia ſolus ille poteſt effectiue dare eſſe, cũ enim eſſe ſit effectus vniuerſaliſsimus, in cauſam vniuerſaliſsimam eſt reducibilis: ergo ſi cauſa ſecunda effectiue inſtrumentaliter dat eſſe effectui, etiam poterit inſtrumentaliter ad illius creationem concurrere; iam ruit ratio potiſsima Angelici Doctoris. Hoc argumentum poſtulat, vt prædictam rationẽ Doctoris Sancti examinemus: & in quo ſenſu verum ſit quod eſſe, eſt effectus ſolius Dei, videamus, pro cuius declaratione ſequens dubium aducimus in controuerſiam.

Dubium appendix, an ſolus Deus effectiue producat creaturarum exiſtentias?

12 IN quo tres verſantur ſententiæ: duæ omnino extremæ; & alia eſt veluti media. Illarum prima aſſerit non ſolum Deum effectiue producere rerum exiſtentias, ſed etiam cauſas ſecundas, ita principaliter illas effectiue producere, licet cũ hoc diſcrimine quod Deus cauſat exiſtentiæ actũ abſolute, & ſine addito: cauſæ vero ſecundæ cauſant illum determinate, & vt proprium huius aut illius ſubiecti. Ita Capreolus in 1. d. 8. quæſt. 1. ad tertium, Henrici, & ad tertium Gerardi, Scotus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. Ferrara primo contra gentes cap. 21. 54. & 55. Secunda negat omnino exiſtentias rerum produci effectiue à cauſis ſecundis. Hanc ſequuntur Bañelius 1. p. quæſt. 3. art. 4. dub. 4. & quæſt. 45. art. 5. dub. 2. & Fonſeca vbi ſupra ſectione 3. & 5. dum aſſerit, quod propterea nulla cauſa ſecunda poteſt inſtrumentaliter creare, quia ſolius Dei eſt producere eſſe rei creatæ: & quod Deus ſolus poteſt agere in rationem entis, illam communicando, & determinando ad hanc ſpeciem vel ad illam, & ad hoc vel illud individuum, & alij quos citat Flandrenſis quarto Methaphiſicæ quæſt. 3. art. 6. Tertia eſt veluti media afferens, quod eſſe rerum cauſatur à ſolo Deo vt à cauſa principali, â cauſis vero ſecũdis cauſatur inſtrumentaliter, & in virtute Dei, hanc ſequuntur Caiet. 1. p. quæſt. 45. art. 5. quæſt. 44. art. 2. & quæſt. 104. artic. 1. Soncinas 12. Methaphiſicæ quæſt. 17. & Flãdrenſis 4. Methaphiſicæ art. 6. prælegato, & in hoc 7. quæſt. 12. art. 4. & alij Iuniores, & quia horum ſententia eſt vera; pro illius declaratione ſequentes ſtatuo cõcluſiones.

Sententia Auctoris circa productionẽ exiſtentiæ.

Reſpondeo dicendum primo exiſtentias rerum non produci à cauſis ſecundis principaliter, ſed à Deo ſolo. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ. Et probatur primo, nam propterea exiſtentia dicitur à D. Thom. proprius effectus Dei ſolius, quia ſolus ille vt cauſa efficiens principalis, poteſt cauſare illam: ergo. Antecedens pro-

batur: nam D. Thom. in 1. p. quæſt. 8. art. 1. 2. contra gentes, cap. 21. & lib. 3. cap. 66. & quæſt. citata 43. art. 5. primæ partis determinat exiſtentiam eſſe effectum propriũ Dei; & ex hoc fundamento infert ſolum Deum poſſe virtute propria, ideſt per modum cauſæ efficientis principalis producere eſſe creaturæ: & non alia ratione niſi quia cauſa ſecunda virtute propria illud nequit producere. Neque eſt alius ſenſus qui congruat verbis ac teſtimonijs Angelici Doctoris: ergo minor patet: non quod aliqui dicũt propterea exiſtentias appellari à D. Thom. propriũ Dei effectum: quia ſolus Deus producere poteſt ens in quantum ens ſine aliqua limitatione; & quod ſolius diuinæ omnipotentiæ obiectum adæquatum, & formale eſt, eſſe vt ſic; non congruit: nam D. Tho. abſolute loquitur, & abſolute creaturis denegat propriam virtutem producendi eſſe, particulare cuiuslibet indiuidui. Rurſus quod dicit Bañeſius vbi ſupra concluſione vltima, ſcilicet appellari effectum proprium Dei ipſum eſſe, quia ſolus ille effectiue producat illud, & nulla alia cauſa ſecunda etiam inſtrumentaliter attingat eius productionẽ: non congruit prædictis teſtimonijs, in quibus D. Thom. ſolum illa ratione probat nullam cauſam ſecundam virtute propria poſſe producere eſſe, quod enim neque inſtrumẽtaliter concurrere poſsit ad creationem ex alijs fundamentis probat, vt vidimus, & nõ ex hoc quod eſſe ſit proprius effectus ſolius Dei. Igitur cõgruus ac legitimus ſenſus eſt, quod ſolus Deus poſsit perſe ac virtute propria illud producere, cui non obſtat cauſas ſecundas inſtrumẽtaliter attingere eius productionem. Probatur ſecundo, nam cauſa principalis eſt quæ agit per formam ſaltem æque nobilem cum effectu, quem ſibi aſſimilat in forma per quam operatur: ſed cauſæ ſecundæ non operantur exiſtentiam effectus per formam æque nobilem, aut nobiliorem: ergo non cauſant illam principaliter. Minor patet: nam ignis generans (& idem de alijs cauſis ſecundis dictum puta) nõ producit exiſtentiam ignis geniti per ſuam exiſtentiam, quia exiſtentia non eſt operatiua, & non actu vt ſupoſitum per modum formæ informantis: ſed per modum actus & termini: propterea namque eſſentia diuina poteſt vniri naturæ creatæ per modum exiſtentiæ ad ſuplendum munus exiſtentiæ creatæ; quia vnio, & actuatio exiſtentiæ non petit imperfectionem in formationis, ſed forma quæ eſt ratio operandi Phyſice, debet vniri per informationem Phyſicam, qua ratione nequit eſſentia diuina perſe ipſam vniri per modũ auxilij: quia auxilium dat poſſe Phyſice operari, & vnio formæ dantis Phyſicum poſſe ad operationem petit informationem Deo repugnantem. Igitur cauſat exiſtentiam ignis geniti; per formam ſuam ſubſtantialem media virtute accidentali calefactiua: hæc autem reſpectu exiſtentiæ eſt minus nobilis, & actualis, quia teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 4. exiſtentia eſt actualitas omnium formarum, & omnes formæ in ordine ad exiſtẽtiam habent ſe per modum ſubiecti & entis potentialis: ac proinde nulla cauſa ſecunda virtute propria aut per propriam formam poteſt exiſtentiã cauſare: ſed reſpectu illius habebit ſe vt diuinæ virtutis inſtrumentum. Tertio probatur, nam obiectum adæquatum & formale cuiuſuis potentiæ ita perſe primo reſpicit potentiam quæ ei adæquatur, quod nulla inferior poteſt virtute propria illud attingere, niſi in virtute illius cuius obiectum eſt formale, & adæquatũ: ſed obiectum formale, & adæquatum omnipotentiæ Dei, quæ eſt virtus actiua infinita, & vniuerſaliſsima, eſt ens, cui eſſe non repugnat: ergo nulla cauſa ſecunda poteſt cauſare eſſe niſi in virtute cauſæ primæ, & quatenus participat aliquid de virtute diuinæ omnipotentiæ. Maior patet, nam teſte Philoſopho ſecundo de anima tex. 33. cuilibet potentiæ reſpondet aliquod obiectum adæquatum ex cuius vnitate potentia habeat vnitatem atque ſpecificam diſtinctionem, & ad quod nulla potentia inferior propria virtute poſſit attingere, ſed tantum virtute ſuperioris cuius eſt obiectum adæquatum, & propterea nulla virtus inferior ad charitatem poteſt attingere vltimum finem, qui eſt obiectum formale charitatis, niſi ex imperio ipſius charitatis per quod quandam illius participant impreſionem. Et quia obiectum adæquatum intellectus eſt ens ſub ratione entis, nulla alia potentia attingit ens ſub hac ratione cõmuni, & primordiali: ſed ſub aliqua ratione particulari, puta colorati, audibilis, &c. Minor vero probatur, tum ex diffinitione omnipotentiæ, quæ diffinitur eſſe virtus potens quidquid non repugnat eſſe, tum etiam quia nulla alia potentia perſe primo reſpicit eſſe creatum ſub ratione communi, & primordiali eſſendi præter omnipotentiam: ipſa enim perſe primo reſpicit eſſe ſub ratione dicta: aliæ vero cauſæ ſecundæ habent determinare ens, & eius determinationem producere, verbi gratia, ignis genitus habet ab igne generante, quod ſit ignis; ſed quod ſit ens actuale, habet à virtute primæ cauſæ, qua mediãte ignis generat. Tertio, nã propterea omnes cauſæ ſecũdæ indigẽt auxilio ſiue cõcurſu primæ-

ſu præuio cauſæ primę, quia in omnibus ſuis effectibus producunt exiſtentiam, & gradū entis communiſſimum. Quorum primum ratione maximæ actualitatis, & ſecundum ratione maximæ vniuerſalitatis nequeunt producere niſi per virtutem Dei, & vt illius inſtrumenta. Diuinæ autem virtutis motio ac impreſio in præuio concurſu eis communicatur; vt docemus lib. 8. quæſt. 9. art. 4. ibi nāque oſtendimus clariſſimis teſtimonijs, ac rationibus Angelici Doctoris, cauſas ſecundas ad eſſe rerum nō propria, ſed diuina virtute poſſe concurrere, diuina inquam non increata aſſiſtente, vt falſo quidem Neoterici autumabant: ſed creata, & recepta in cauſis ſecundis mediante præuia motione ac cōcurſu: vt ibidem ex contextu Sancti Doctoris deduximus. Pro multis autē teſtimonijs vnicum ſufficiat quod habetur quæſt. 3. de potentia art. 4. & art. 7. in corpore vbi ſic habet. *In qualibet autem re naturali inuenimus quod eſt ens, & quod eſt res naturalis, & quod eſt talis vel talis naturæ, quorum primum eſt commune omnibus entibus, ſecundum omnibus rebus naturalibus, tertium in vna ſpecie, &c.* Et paucis interpoſitis ſubdit: *neque aliquid agit ad eſſe niſi per virtutem Dei, ipſum enim eſſe eſt cōmuniſſimus effectus, primus, & intimior omnibus alijs effectibus, & ideo ſoli Deo competit ſecūdum virtutem propriam talis effectus.* Quid clarius? profecto nihil. Nullis igitur iam deinceps egeamus teſtibus vt Iunioribus Methaphiſicis perſuadeamus exiſtentiam à ſolo Deo vt à cauſa principali, & per propriā virtutem poſſe produci.

13 Dico ſecundo cauſæ ſecundæ attingunt nedum determinationē exiſtentiæ, ſed ipſius exiſtentiæ productionem vt diuinæ virtutis inſtrumenta. Hæc ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſententiæ, qui aſſerūt â cauſis ſecundis non ipſam exiſtentiam, ſed dumtaxat illius determinationē produci. Dicunt enim exiſtentiam habere duo: ſcilicet quod ſit actualitas vltima per quam quælibet res ponitur extra cauſas, & quod ſit actualitas huius indiuidui, vel huius naturæ particularis. Ad quorum primum non concurrūt cauſæ ſecundæ, bene autem ad ſecundum, quia dum cauſa ſecunda producit ſupoſitū, atque eius naturam particularē, determinationem cauſat exiſtentiæ; conditio enim, & natura particularis per quam indiuiduum ſiue ſupoſitum eſt ſuſceptiuum exiſtentiæ, eſt quoque illius determinatiuū. Sed noſtra cōcluſio probatur pro prima parte. Primo, nā vel exiſtentia rei genitæ, verbi gratia, ignis, equi, & ſimilium educitur de potentia ſubiecti, aut fit omnino ex nihilo. Non ſecūdum aliàs in omnibus operibus, naturæ, & artis admiſceretur creatio quod eſt contra D. Thom. 1. p. quæſt. 45. art. 8. vbi probat in operibus naturæ & artis non admiſceri, ſed præſuponi creationem: quia in his quæ per naturam aut per artem fiunt, nihil creatur; forma enim educitur de potentia ſubiecti, & materia, quæ ſunt creata præſupponitur, excepta hominis generatione, in qua nedum materia præſupponitur creata, ſed anima producitur per creationem. Deinde ſi exiſtentia produceretur per creationem, ad illius productionem, neque inſtrumentaliter cauſa ſecunda concurreret, cuius oppoſitum ſtatuitur in ſecunda parte huius concluſionis: ergo dicendum eſt primū, ſcilicet quod exiſtentia rei genitæ educitur ſuo modo de potentia ſubiecti: & cum cauſa ſecunda concurrat ad productionem formæ de potentia ſubiecti educibilis, ſequitur de primo ad vltimum: quod cauſa concurrit effectiue ad exiſtentiæ productionem. Secundo nam cauſæ ſecundæ, & agentia naturalia quando producunt ſuos effectus ſimpliciter illis dant eſſe quinimo producere effectum nihil eſt aliud quam dare eſſe effectui: & exiſtentia eſt terminus productionis, licet non totalis & primarius: forma enim eſt, quæ eſt formalis terminus generationis: & compoſitum, eſt terminus totalis, & primarius, & vt *qui*: tamen nec forma, neque compoſitum terminat generationem, niſi vt ſubeat exiſtentiæ per quā ponitur extra cauſas: vnde integer terminus formalis, ſiue vt *quo* eſt forma vt aſſociata exiſtentiæ, & terminus totalis: ſiue vt *qui*, eſt cōpoſitum vt exiſtens: ergo ſimpliciter agentia naturalia, & cauſæ particulares dant eſſe ſuis effectibus; illoſque efficiunt exiſtentes. Tertio nam cauſæ corrumpentes, illud deſtruūt ac corrumpunt quod cauſæ generantes producunt. Cum generatio, & corruptio oponantur, & hæc deſtruat quod illa ponit: ſed cauſæ corrumpentes deſtruunt eſſe rerum quas corrumpunt, verbi gratia, ignis corrūpens aquam deſtruit eſſe aquæ: & quando corrumpit lignum deſtruit eſſe ligni: ſiquidē cauſat non eſſe illius; eſt enim corruptio vt dictum eſt mutatio de eſſe præexiſtentis ſupoſiti ad non eſſe eiuſdem: ergo cauſæ generantes particulares reuera producūt eſſe particulare ſupoſiti geniti. Dices quod cauſæ particulares dant ſimpliciter eſſe, & producunt rem exiſtentem, non quia producant ipſam exiſtentiam, ſed quia illam coniungūt ſupoſito, quia vt cauſa aliqua dicatur ſimpliciter facere tale, ſufficit quod vniat formam ſubiecto, vt ſiquis vniret albedinem præexiſtentem parieti, ſimpliciter faceret album:

& prop-

& propterea homo generat hominem, licet animam rationalem non producat: quia disponendo materiam ad illius receptionem illam vnit cum materia. Ita simpliciter causæ particulares dicuntur dare existentiam rebus genitis, & illas facere existētes, quia existentiam creatam à solo Deo vniunt suppositis. Sed contra hoc est: nam aliàs in generatione cuiuslibet compositi naturalis admisceretur creatio existentiæ, & non solum præsuponeretur creatio materiæ; quod est contra doctrinam Doctoris Sancti, qui in præallegato art. 8. negat propterea in operibus naturæ, & artis admisceri creationem: quia nihil de nouo in generatione naturali aut artificiali producitur per creationem: præsupponi tamen creationem, quia omnis generatio fit ex materia præsupposita quæ fuit producta per creationē. Deinde sequitur, quod in omni generatione rei naturalis contingat idem quod in generatione hominis: quia agens naturale aliquid creatum à solo Deo nempe existentiam vniret subiecto; quod tamen singulariter fatemur de hominis generatione. Tertio quia aliàs esse equi, Leonis, & similium sublunarium esset incorruptibile, sicut esse animæ rationalis: siquidem non est generabile: quod autem non est generabile, neque est corruptibile: & sic quando equus corrumpatur, maneret existētia illius, sicut corrupto homine manet existētia illius non vt actus hominis sed vt actus animæ: ac proinde cum existentia absque anima non possit manere: maneret etiā anima equi, immortalisq; atque incorruptibilis esset: quod tamen est plusquam falsum: ergo, si hæc inconuenientia non dantur, dicendū est, quod sicut esse equi, vel Leonis vere corruptum, ac destructum fuit, & non solum separatum à materia, sicut esse hominis per corruptionem hominis solum separatur cum anima rationali à materia hominis: ita in generatione eiusdem equi, vel Leonis existentia vere fuit producta per generationem naturalem, & non tantum vnita. Secunda pars probatur: nam ex dictis constat existentiam rei naturalis vere produci à causis secundis, sicut & vere corrumpitur: sed non producitur ab illis principaliter aut virtute propria, vt ex D. Thom. probauimus: ergo producitur instrumentaliter. Dico tertio nulla forma creata est causa effectiua aut formalis existentiæ compositi. Hæc assertio statuitur aduersus Authores primæ sententiæ, & nonnullos Iuniores etiam ex discipulis Angelici Doctoris, qui superficialiter nimis intelligentes quædam illius testimonia; dicunt formā rei naturalis esse principium formale, & efficiens per dimanationem existentiæ. Quorū sententiam vt falsam in hac conclusione improbamus: asserimusque formam respectu suæ existentiæ, non effectiuam aut formalē, sed materialem dumtaxat causalitatem habere. Et probatur nostra conclusio primo; nam effectus formalis secundarius, siue dimanans à forma, producitur principaliter ab eadem causa quæ effectiue principaliter producit formas: vnde ab eodem igne generante à quo producitur principaliter ignis genitus, producitur forma illius; & omnes eius passiones: agens enim quod dedit aut producit formā, in eodē genere causæ, & eadē virtute dat siue producit cōsequētia ad formā; sed causæ secundæ particulares principaliter, & propria virtutē producunt formas rerum naturaliū: ergo producerent etiam principaliter, & propria virtute existētias; quæ adeo formas vt effectus formales, & ad instar passionis consequūtur. Et cūm hoc sit falsum vt demōstrauimus: falsum quoq; est, existentiā esse effectum formalē secundariū formæ, & ab illa dimanantem. Secundo nam principium formale aut efficiens per dimanationē alicuius effectus, est illo perfectius, & actualius quinimo est finis illius: hac enim ratione anima rationalis est actualior, & perfectior suis passionibus, & est finis illarū: quia passiones consequuntur ex illa, & sunt propter illam, & obiectum propterea est actualius habitu qui ab illo specificatur; & finis illius, quia est causa formalis, & veluti exemplaris: & hac de causa etiam terminus motus est finis ipsius motus, & illo actualior, quia ex ordine ad illum specificatur: sed nulla forma est actualior existentia: cum ipsa sit omnium actualitatum actualitas, vt dictum est: ergo. Confirmatur, nam teste D. Thom. 1. p. quæst. 104. art. 4. ad secundum potentia creaturæ in ordine ad esse, tantum est receptiua: eo quod vt docuerat quæst. 3. art. 4. omnis forma, & natura creata habet se vt potentia subiecti veluti in actu primo in ordine ad receptionem existentiæ, quæ est omnium vltima actualitas: ergo nulla forma habet respectu existentiæ receptæ causalitatē principij formalis aut efficientis. Tertio nā existentia prius vnitur toti composito, & illud actuat quam vniatur formæ aut illam actuet; mediante enim toto existunt partes: & sicut fieri perse primo est ipsius compositi, ita & esse perse primo est ipsius compositi cuius est fieri: sed si forma effectiue causaret esse, prius haberet in se, ipsum esse: eo quod causa efficiens operatur in quantū est in actu per existentiam, & præintelligitur effectui vt existēs, & consequēter si existentia

ſtentia proueniret effectiue à forma, prius vniretur illi quam alteri: quod tamen oſtẽdimus eſſe falſum: ergo & antecedens. Cõfirmatur, nam ex tali productione exiſtentiæ plura ſequuntur abſurda, quæ nullatenus ſunt admittenda, ſequitur namque formam præintellectam exiſtentiæ iam exiſtere, quia eſt cauſa efficiens illius. Sequitur ſecundo quod forma producat ſeipſam, quia producit ſuum eſſe, & idẽ eſt producere aliquid atque producere ſeu dare illi eſſe. Tertio ſequitur quod forma ſeipſam reduceret de potentia ad actum, & ſecundum ſe totam: quod tamen eſſe impoſsibile oſtendit Philoſophus 8. Phyſicorum cap. 2. ergo. Denique, nã id quod eſt effectus ſecũdarius formæ atque ab illa dimanans non pertinet ad primariũ terminũ generationis: ſed ad illum conſequitur per quandam reſultantiam: ſed exiſtentia pertinet ad primarium terminum generationis naturalis, & ex vi illius perſe attingitur. Non enim generatio in termino primario ſolum habet dare formam, ſed dare formam cum exiſtentia: vnde ſicut ſubſiſtentia ſiue perſonalitas in generatione cõmunicatur per modum termini, & complementi ipſius rei genitæ & nõ reſultat per dimanationem ex forma aut natura rei genitæ, vt eleganter aduertit Caietanus 3. p. quæſt. 4. art. 2. circa finem: quia non eſt propria paſsio: ſed terminus, & cõplementum ipſius naturæ perſe primo per generationem productæ: ita exiſtentia non reſultat per dimanationem ex natura aut forma cõmunicata per generationem naturalem, quia non eſt propria paſsio, ſed eſt actus, & veluti terminus cõplens & actuãs ipſam naturam ac formam ex vi generationis perſe primo communicatam. Sed rogabis vtrùm accidentia immediate & formaliter exiſtant per eandem ſubſtantiæ exiſtentiam? Reſpondent Soto lib. 1. Phyſico q. 6. & Bañes 1. p. q. 3. art. 4. dub. 5. in priori editione affirmatiue. Sed verius reſpondẽt negatiue Caietan. c. 7. de ente & eſſentia & 1. p. q. 28. art. 2. Soncinas in hoc 7. q. 5. & Flandren. q. 1. art. 5. aſſerentes accidentia realiter à ſubſtantia diſtincta, proprijs gaudere exiſtentijs diſtinctis quoque ab exiſtentia ipſius ſubſtantiæ, quam ſententiam ſuadent adeo perſpicua Angelici Doctoris teſtimonia, vt ob illa Bañeſius in ſecũda editione priorem mutauerit opinionem: nimirum 4. contra gen. c. 14. & 1. p. q. 77. art. 1. ad 5. & 3. p. q. 2. art. 6. ad 2. vbi ait albedinẽ non trahi ad idẽ eſſe ſui ſubiecti, quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſt eſſe hominis, cui inẽſt albedo. Nec non decretum Cõcilij Tridentini ſeſ. 13. cap. 2. diffinientis poſt conſecrationem remanere dumtaxat accidentia panis, & vini, ideſt, nil aliud remanere, quod ſit de genere ſubſtantiæ: & tamen aliquid maneret ſubſtantiæ, ſcilicet exiſtẽtia, ſi per illam exiſterent huiuſmodi accidentia: quod non conſonat prædicto decreto.

14 Tria tamen ſunt argumẽta, quæ his tribus aſſertionibus videtur obſtare ex quo rũ ſolutione illarum veritas magis illuceſcet. Primum, quod primæ obſtare videtur, eſt, quia cauſæ ſecundæ particulares cõcurrunt principaliter ad productionem effectuum naturalium, & formarum educibiliũ de potentia materiæ: ſed ad effectum naturalem in quantum terminat naturalem generationem pertinet exiſtẽtia, & aliàs educitur de potentia ſubiecti vt dictum eſt: ergo concurrunt cauſæ ſecundæ principaliter etiam ad productionem exiſtẽtiæ. Aliàs ad eundem effectum concurreret cauſa ſecunda ſecundum vnam rationem principaliter, & ſecundum aliam inſtrumentaliter: quod videtur impoſsibile, præſertim, quia cum exiſtentia ſit complementum termini generationis naturalis quem producit cauſa ſecunda principaliter, nequit reſpectu complementi eſſe cauſa inſtrumentalis illa quæ reſpectu termini primarij eſt cauſa principalis. Etenim ad eandem cauſam, & virtutem pertinet producere terminũ formalem, ac primarium atque eius complementum. Confirmatur, nam cauſæ ſecũdæ principaliter habent conſeruare in eſſe aliquos effectus teſte D. Tho. 1. p. q. 104. ar. 2. Deo concurrente ad eorum conſeruationem vt cauſa prima, & vniuerſali. Sunt nãque aliqui effectus qui nedũ à Deo, ſed etiã à cauſis ſecundis, vt ibi docet D. Thomas de pendent in fieri & eſſe: ac proinde in conſeruari: ſed cauſa potens conſeruare effectũ principaliter in eſſe, poteſt & illum principaliter producere ſecundum eſſe: ergo. Reſpondetur nihilominus ad hoc argumentũ negando conſequentiam: eo quod licet exiſtẽtia ſit cõplementũ termini generationis naturalis, & ſuo modo educatur de potẽtia ſubiecti, tamẽ propter eius actualitatem, & vniuerſalitatẽ eſt effectus proprius diuinæ omnipotentiæ, ad quẽ nulla alia cauſa virtute propria poteſt attingere. Neq; requiritur quod cõplementũ ſemper ex vi eiuſdẽ actionis, & virtutis producatur ex vi cuius producitur forma cuius cõplemẽtũ eſt: virtus enim matris Chriſti Domini attigit principaliter productionẽ humanitatis vt cauſa principalis: quæ tamen nec produxit nec cõmunicauit ei exiſtẽtiã Verbi per quã com-

completur homo in ratione termini naturalis generationis producitur â generãte homi nẽ. Neque eſt inconueniens eundem effectũ ſecundum diuerſas rationes formales ab eadem cauſa ſecundum diuerſas virtutes cauſari principaliter, & inſtrumẽtaliter. Ad cõfirmationem reſpondetur diſtinguendo maiorem: cauſæ ſecundæ, à quibus effectus depẽdent in fieri & conſeruari, principaliter conſeruant ſuos effectus in eſſe eſſentiæ, concedo: principaliter habent illos conſeruare in eſſe exiſtentiæ, nego: etenim quantum ad eſſe exiſtentiæ à ſolo Deo conſeruantur vt à cauſa principali, & à cauſis ſecũdis, vt ab inſtrumentis diuinæ virtutis. Sicut enim non inconuenit viuentia quæ à cœleſtiũ corporũ influxu cõtinuo depẽdent, ſolũ inſtrumẽtaliter ab illis cauſari atque conſeruari: ita non inconuenit effectus naturales, quoad exiſtentiam à cauſis æquiuocis, à quibus continuo dependent, ſolum inſtrumentaliter cõſeruari: ſicut ab eiſdem inſtrumentaliter cõcurrentibus in prima productione illã acceperunt. Aduerſus ſecundam concluſionẽ deſumitur argumentũ ex immediatione virtutis & ſupoſiti, qua Deus producit eſſe in rebus creatis: etenim inter cauſam immediatam vtraque immediatione, & effectum nulla alia cauſa mediat: ſed Deus eſt immediata cauſa vtroque modo exiſtentiæ rerum: ergo nulla alia cauſa ſecunda mediat quæ ſua efficientia attingat exiſtentiam. Minor probatur, tum quia Deus in omni effectu operatur aliquid immediatione ſupoſiti: & conſequẽter eadẽ immediatione producit eſſe: vel dat illi effectui â ſe immediate producto, eſſe: vnde ſicut immediate Deus conſeruat in omni ente naturali materiam primã; ita immediate dat illi eſſe. Tum etiam quia Deus in prima mundi inſtitutione immediate produxit omnes rerum ſpecies, & modo eadem actione illas conſeruat: ergo etiã modo illas conſeruat immediate immediatione ſupoſiti: ac proinde eadẽ immediatione dat illis eſſe. Confirmatur, quia effectus ſolum producibilis per creationem non poteſt nõ eſſe à Deo vt â cauſa vtroque modo immediata: ſed eſſe ſolũ eſt producibile per creationẽ: ergo. Minor probatur: tum quia eſſe nihil præſuponit: forma autẽ quæ nihil præſuponit, non poteſt fieri niſi ex nihilo, & propterea probat D. Tho. 1. p. q. 45. artic. 5. quod ſolus Deus poteſt producere eſſe, & quod nulla creatura poteſt diſpoſitiue aut inſtrumentaliter operari ad eſſe: quia nullũ ſubiectum præſuponit circa quod actio creaturæ verſari poſſit: vnde & ibidem art. 4. ad primũ aducit & admittit D. Tho. illã propoſitionem vulgarem ex libro de cauſis, ſcilicet: *Prima rerum creaturarum eſt eſſe*: ad hunc ſenſum, quod eſſe importat propriam rationem obiecti creationis, quæ nullum ſubiectũ præſuponit, & eadem cauſa in primo d. 37. q. 1. art. 1. 7. de potentia art. 2. & q. 3. de potentia art. 7. fatetur quod eſſe rerum eſt primus effectus: ac proinde ſoli Deo vt cauſæ immediatæ atribuendus. Tum etiam probatur eadem minor: quia vnũquodque fit tale ex non tali: quia productio & generatio cuiuslibet effectus eſſe debet ex eius oppoſito, vt tradit Ariſtot. 5. Phyſicorum tex. 6. & 7. quia motus, & mutatio inter terminos priuatiue aut contrarie oppoſitos verſantur: vnde album nõ fit ex albo, ſed ex nigro, aut ex nõ albo; & homo ex non homine produci debet: ergo vt ſimpliciter producatur exiſtẽtia, debet fieri ex nulla exiſtentia, ideſt ex nullo eſſe, quod eſt fieri ex nihilo. Vt huic argumẽto faciam ſatis, opere pretium duxi aduertere ex lib. 8. q. 9. art. 5. immediationem ſupoſiti conſiſtere in eo, quod cauſa nullo alio mediante, & miniſtrante ſupoſito ſuum effectũ operetur: ex quo non ſequitur, quod Deus non operetur immediate immediatione ſupoſiti effectus cauſarũ ſecundarũ, quia illos producit medijs cauſis ſecũdis cooperãtibus ſimul, vt ſupoſitis à Deo diſtinctis: quod tamẽ falſum eſſe cõtra alios authores ibidem oſtẽdimus. Nã vt ibidẽ docuimus, Deus licet vt cõcurrẽs per cõcurſum præuiũ, cõcurrat ad effectus cauſarũ ſecũdarũ mediate mediatione ſupoſiti: quia inter Deũ, & effectũ mediat aliud ſupoſitũ, nẽpe cauſa ſecunda: tamen ex vi concurſus ſimultanei immediate operatur effectus prædictos: quia inter Deũ vt ſic concurrentẽ, & ipſos cauſarũ ſecundarum effectus nihil mediat: quia concurſus ſimultaneus Dei directe, & immediate, & nõ per cauſas ſecundas fertur ad earũ effectus: non quia ſit ipſa actio cauſæ ſecundæ: vt falſo putauit Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 2. q. 2. ſect. 3. dicens, propterea Deũ æque immediate atq; cauſam ſecũdã attingere eius effectũ, quia cõcurrit eadẽ numero, actione cum illa: nã actio Dei eſt formaliter immanens, & increata: ac proinde nequit cũ actione cauſæ ſecundæ idẽtificari, & propterea docemus ibidẽ art. 4. cõcurſum ſimultaneũ, quo Deus immediate agit in effectus cauſarũ ſecũdarũ actiue ſumptũ eſſe ipſam Dei operationẽ formaliter immanẽtẽ & virtualiter trãſeũtem, ſumptũ vero paſſiue ſiue terminatiue, nõ eſſe actionẽ cauſæ ſecũdæ ſub illa formalitate, ſub qua eſt actio cauſæ 2. neq; eſſe actionem Dei receptã in creatura: ſed eſſe aliquid aliud receptũ in cauſa 2. cũ qualitate cõcurſus pre-

uiſi identificatur: vel eſſe quidpiã receptũ in cauſæ ſecũdæ operatione, & cũ illa idẽtifica tũ: vnde quia hic concurſus præuius directe ad effectus cauſarũ ſecundarum terminatur, propterea Deus ex vi illius, illos immediatione ſuppoſiti operatur. Poteſt etiam dici, quod immediatio ſupoſiti non excludit mediationẽ cuiuſcunque ſupoſiti ſiue principaliter ſiue inſtrumẽtaliter operantis; vt falſo putauit idẽ Fonſeca in loco proxime allegato, ſect. 4. ſed tãtũ excludit mediationẽ illius ſupoſiti, quod vt cauſa principalis eiuſdem effectus mediat, & operatur. Poteſt igitur Deus concurſu ſimultaneo immediate producere exiſtentiam rei naturalis, licet concurſu præuio mediante miniſterio cauſæ ſecundæ illã producat. Propterea abſolute dicitur cauſa immediata immediatione ſupoſiti exiſtentiæ, & gradus entis: ſicut & effectuum aliorum cauſarum ſecundarum: licet cum hoc diſcrimine, quod reſpectu aliorum effectuum ad quos cauſæ ſecundæ concurrunt propria virtute, Deus cõcurrit vt agẽs vniuerſale: Ad exiſtentiã vero ad quã cauſæ ſecũdæ cõcurrũt inſtrumẽtaliter, concurrit Deus vt agens particulare reſpectu proprij effect⁹, abſtrahit enim agẽs immediatũ immediatione ſupoſiti ab vniuerſali, & particulari. Vel dicamus, quod reſpectu exiſtentiæ, & rationis entis Deus vtroque cõcurſu tã præuio, quam ſimultaneo agit immediate immediatione ſupoſiti: quia ſolus ille eam propria authoritate, & vt cauſa principalis attingit. Mediatio enim inſtrumenti non obſtat quo minus exiſtentia à Deo tali immediatione cauſetur: ſicut neque in iuſtificatione, & gratiæ productione, quam Deus medijs ſacramentis inſtrumentaliter concurrentibus operatur, obſtat quo minus abſolute dicatur immediata cauſa immediatione ſupoſiti iuſtificationis. Quibus ſupoſitis ad formã argumenti diſtinguenda eſt maior iuxta duplicem aſsignatam diſtinctionem, & admiſſa minori diſtinguendum eſt conſequẽs ſub eadem duplici diſtinctione; quatenus tamen minor poteſt accipi, ita vt excludat mediationẽ cauſæ inſtrumentalis inter Deũ, & exiſtentiam rei productæ mediantis, neganda eſt. Et ad primam probationem, patet ex dictis. Ad ſecundam, quod licet actio qua Deus à principio mundi prima indiuidua, & in eis ſpecies rerum produxit, ſit eadem cum illa qua modo eaſdem ſpecies conſeruat, quia actio Dei eſt formaliter immanens ac proinde quo ad ſubſtantiam inuariabilis: tamen, quia eſt virtualiter, & terminatiue trãſiens: poteſt etiam virtualiter eſſe multiplex: & ex parte cauſarum ſecundarum, ac terminorum variari variatione, non in ipſa, ſed in cauſis ſecundis, & terminis productis recepta: vnde licet à principio non produxerit effectus medijs cauſis ſecundis, modo eoſdem ſecundum ſpeciem producit medijs illis principaliter concurrentibus: & aliquos quos tunc ſe ſolo produxit, modo cum alijs cauſis conſeruat: hominẽ enim & animãtia prima, quæ tũc ſe ſolo produxit: modo medijs cauſis cęleſtib⁹ cõſeruat: nõ quidẽ eadẽ numero, ſed eadẽ ſecũdũ ſpeciẽ cũ illis quæ tũc primo produxit, & illa quoquemet indiuidua quæ ſe ſolo produxit in his ſublunaribus medijs cauſis cœleſtibus cõſeruauit toto tẽpore, quo in rerũ natura permãſerũt. Ad cõfirmationẽ nego minorẽ. Ad cuius probationẽ vnicè verbo reſpõdetur; quod eſſe, poteſt accipi dupliciter: vno modo abſolute & abſque vlla determinatione, & ſic productio illius fieret ex non eſſe ſiue ex nihilo ac proinde ex nullo ſubiecto præſupoſito: alio modo vt tale eſſe huius, vel illius indiuidui aut ſpeciei, v. g. vt eſſe hominis, aut Leonis: & huiuſmodi eſſe fit ex nõ eſſe tali, v. g. eſſe hominis fit ex nõ eſſe hominis: & exiſtentia, Leonis fit ad productionem Leonis ex eius oppoſito, nẽpe ex nõ eſſe Leonis: ſicut homo ex nõ homine, & Leo ex nõ Leone producitur primario. Sed ſicut nõ homo, & non Leo ſuponũt pro aliquo ſubiecto, ita nõ eſſe hominis, & nõ eſſe Leonis ſuponũt pro aliquo ſubiecto, quod ſubeſt priuationi formæ, & exiſtẽtiæ hominis, vel priuationi & exiſtẽtiæ Leonis.

15 Tertiũ argumentũ, quod tertiæ cõcluſioni obſtare videtur, deſumitur ex eo, quod D. Th. pluribus in locis aſſeuerat formã eſſe principiũ eſſendi, & exiſtẽtiã dare in genere cauſæ formalis, & ſpecificãtis: etenim 1. p. q. 14. art. 4, cõparãs ſpeciẽ intelligibilem formæ rei naturalis ait: quod ſicut eſſe cõſequitur formã, ita intelligere ſequitur ad ſpeciẽ intelligibilem: intellectio autem actiue, & formaliter ſequitur ad ſpeciẽ: Et quæſt. 90. art. 2. ad primum aſſerit quod eſſe perfe conſequitur ad formam. His conſonat id, quod habet quæſt. 105. art. 5. vbi diſtinguens tres cauſas, ſcilicet efficiẽtem, finalẽ & formalẽ: à materiali ait penes hoc diſtingui: quod illæ ſunt principia eſſendi: & propterea de illis ſimpliciter dicitur, quod dant eſſe effectui, materialis autem neque proprie eſt principiũ eſſendi, neque de illa ſimpliciter poteſt aut debet verificari quod dat eſſe effectui: ſed potius verificatur, quod recipit eſſe ab alijs. Et quæſt. 77. art. 6. diſtinguit formam ſubſtantialẽ ab accidentali, quod illa dat eſſe ſimpliciter, hæc vero dat eſſe ſecũdum quid

idem-

quid: idemque docet 4. Metaphiſicæ lect. 2. opuſculo de natura materiæ cap. 8. quæſt. 7. de potentia art. 2. & iterum 1. p. quæſt. 66. art. 1. in quibus locis docet formam dare eſſe, & propterea materiam primam ſine forma non poſſe exiſtere: quia ſola forma eſt quæ poteſt dare eſſe materiæ primæ. Ex quibus teſtimonijs tale deducitur argumentum: cauſa quæ dat eſſe, & illud ſpecificat, atque ad quam ſequitur eſſe rei, eſt finalis cauſa ipſius exiſtentiæ, vel efficiens, vel formalis: ſed forma rei naturalis dat eſſe, & illud ſpecifficat ac diſtinguit. Rurſus ad diuerſam formam ſequitur diuerſum eſſe: ergo cum non cauſet exiſtentiam in eſſe intentionali, & per modum finis, cauſabit illam effectiue, & formaliter. Ad hoc reſpondetur, negando maiorem: vel diſtinguenda eſt maior: cauſa quæ dat eſſe, eſt efficiens, vel formalis cauſa, reſpectu ipſius exiſtentiæ, negatur: reſpectu materiæ conceditur. Et admiſſa minori, negatur conſequentia: nam forma eatenus dicitur dare eſſe, quatenus conſtituit ſubiectum capax exiſtentiæ: determinat enim forma in genere cauſæ formalis materiam ad ſuſceptionem exiſtentiæ, tribuendo illi actū primum mediante quo fit capax ſuſcipiendi actum ſecundum, & vltimum eſſendi, qui eſt exiſtentia. Et quia illa cauſa dicitur dare eſſe aliquod, quæ dat effectiue vel formaliter proximam capacitatem ac diſpoſitionem ad illud: cum forma det in genere cauſæ formalis actum primum, nempe eſſe eſſentiæ ſpecificæ, quod eſt proxima diſpoſitio ac determinatio ad exiſtentiæ talis ſuſceptionem, propterea dicitur dare eſſe formaliter: non quia ſuam formalem cauſalitatem erga actum exiſtentiæ exerceat forma: ſed quod erga materiam, & compoſitum exercet formalem cauſalitatem, dando ei formaliter determinatum actum primum & eſſe eſſentiæ immediate actuabile per exiſtentiam: & eadem ratione ad formam conſequitur eſſe exiſtentiæ, quia effectus formalis formæ eſt proxima diſpoſitio ad exiſtentiam, & per formam fit ſubiectum proxime actuabile per exiſtentiam: atque per ordinem ad diſtinctum effectum formalem formæ, ſpecificatur diſtinctus actus exiſtendi: quia diuerſæ eſſentiæ ſecundum ſpeciem petunt actuari diſtinctis exiſtentijs. Vnde cum D. Tho. dicit ſic eſſe ſequi ad formā, ſicut intelligere ad ſpeciē: ſimilitudo ac cōparatio nō tenet in omnibus: ſed in hoc, quod ſicut diuerſa ſpecies petit reduci ad actū intelligendi diſtinctum ſpecie, & tribuit intellectui in genere cauſæ formalis proximā capacitatē, ac diſpoſitionē ad recipiendā intellectionē; ita forma diſtincta ſecundū ſpeciē petit diſtinctam exiſtentiam, & in genere cauſæ formalis tribuit ſubiecto proximam capacitatē ac diſpoſitionē ad recipiendā actualitatem exiſtentiæ. Diſcriminantur autem in alijs: ſpecies enim intelligibilis effectiue, & formaliter concurrit ad intellectionē, effectiue quidē, illā elliciendo: quoties ex alio capite efficiētia ei non repugnat: formaliter vero, ad illā determinādo intellectū, & illā ſpecifi cādo quo pacto forma nō cōcurrit ad exiſtē tiam. Dupliciter adhuc videtur vrgeri argumētū: primo, quia immediata & proxima diſpoſitio ac capacitas ſuſcipiēdi exiſtentiā in ſubſtātijs eſt ſubſiſtentia, quæ conſtituit formaliter ſupoſitū quod eſt proximum exiſtentiæ ſuſceptiuum: falſo ergo hoc munus formæ tribuimus: & hoc nō obſtāte nō dicimus ſubſiſtentiā dare eſſe: ergo minori iure dicitur formā dare eſſe. Secūdo, quia exiſtentiæ diſtinctio ſumitur ex ordine tranſcendentali ad formā, & eius effectū formalē primariū intrinſice: à forma vero, & eius effectu formali extrinſice vt à termino habitudinis ipſius exiſtentiæ: ergo à forma vt a principio formali extrinſeco ſpecificatur. Sed nihilominus ad primā reſpōdetur proximā diſpoſitionē, & capacitatē exiſtētiæ tā à forma quā à ſubſiſtētia licet diuerſimode, prouenire: à forma nāq; prouenit vt à cōſtituēte formaliter, & à ſubſiſtētia vt à cōplemēto, & termino cōplēte formale, & proximū exiſtentiæ ſuſceptiuū. Ad ſecūdū Bañeſius vbi ſupra ad calcē cōcluſionis quintæ cōcedit, quod exiſtentiæ actus formaliter, & intrinſece ſumit ſpecificationē ab ordine trāſcēdētali, quē dicit ad formā talē: extrinſice vero, ab ipſa forma tāquā à termino talis ordinis qui per modū ſubiecti ipſum ordinē terminat; ſicut forma cœleſtis corporis extrinſice ſpecificatur à materia, eius habitudinē tranſcēdētalē per modū ſubiecti per talē formā actuabilis terminate. Sed melius reſpondetur, ſi dicamus actū exiſtēdi à ſuo effectu formali, ideſt, nō à forma ſeu ab eſſe eſſentiæ actuabili per ipſum modo ſumpto; ſed ab eſſentia vt taliter exiſtēti, ſeu à tali cōcreto exiſtētis, extrinſice ſpecificari: intrinſice vero ab ordine, ad huiuſmodi cōcretū ſiue effectū formalē ſumere ſpecificam diſtinctionem neq; enim omnis ordo à termino proprie loquendo formaliter ſpecificatur: niſi terminus ipſe ſit, quid formalius, & actualius ordine ſpecificato: alioquin illum ſpecificare formaliter, hoc eſt dare ei ſpeciem, illūque mēſurare nō poterit. Nominibus tamē abutendo dicere ſolet vulgus Metaphiſicorū quācūq; rē dicentē ordinem ad aliā, ab illa vt à termino ſuæ

no ſuæ habitudinis ſpecificari : quia ſine ordine ad illam nequit à nobis intelligi aut diffiniri,& per talem ordinem nobis innoteſcit,quo pacto vulgo dicunt Metaphiſici relationem prædicamentalem ab altera oppoſita relatione ſpecificari, & formam à materia ad quam dicit ordinẽ, ſumere ſpeciem:cum tamen neque vna relatio alteri, neque materia formæ ſpeciem poſsit dare proprie loquendo:dare enim ſpeciẽ, & eſſe ſpecificum,vt ex D. Tho. q.105. art.5. adnotauimus,eſt propriũ cauſæ formalis,efficientis,& finalis:vnũ autẽ relatiuũ ſaltem quoad munus referendi non eſt cauſa alterius; neq; prius natura illo,vt latius docuimus lib.5.q. 10. art.7. vbi explicantes in quo ſenſu vnũ in ordine ad alterum diffiniatur,& ſpecificetur,diximus potius relatiuum ad alterũ, quã per alterum diffiniri,& ſpecificari, & propterea ab altero extrinſice non ſpecificari formaliter, niſi virtualiter & ſecundum quid: quatenus verum eſt dicere, quod ſi relatiuũ poſſet habere cauſam formalem extrinſecã, illa eſſet,eius correlatiuum.Materia vero & ſi cauſa ſit formæ:non tamen eſt cauſa formalis,finalis aut efficiens,ac proinde nequit illi dare eſſe,aut proprie illam ſpecificare, niſi quatenus omnis terminus per ordinem, ad quem res aliqua conſtituitur, aut quoad nos diffinitur,& innoteſcit;illam dicitur ſpecificare : proprie tamen forma ab effectu ſuo formali,ſeu à materia, vt ſubeſt eius effectui formali,extrinſice,& ab ordine ad illum intrinſice ſpecificatur. Hactenꝰ dicta ſufficiãt de modo emanationis rerum per creationẽ à primo principio, nunc autem ad illum modum productionis illarum rerum, quarum formæ de potentia materiæ educuntur,calamum conuertamus.

ARTICVLVS V.

An aliquæ formæ educantur de potentia materiæ, & in quo earum conſiſtat eductio?

Status cõtrouerſiæ operitur

16 IN hoc articulo vt certum omnino, & abſque vlla controuerſia ſuponendũ eſt aliquas formas eſſe, quæ de potentia materiæ per naturalem generationẽ educuntur.Ex dictis enim in articulo præcedenti conſtat agentia naturalia creare, ideſt, ex nihilo aliquid producere in ſuis effectibus non poſſe. Cum igitur aliquas formas ſiue accidentales, ſiue ſubſtantiales in illis producant, & non ex nihilo : oportet vt eas ex præſupoſito ſubiecto ac de potentia ſubiecti educant.Hoc ita communi fundamento ac naturali principio ſupoſito, difficultas præſens in eo potiſsime ſita eſt;vt declaremus, in quo huiuſmodi formarum eductio conſiſtat,quid ad illam requiratur, & ſufficiat: & per quid formæ eductæ de potentia ſubiecti à non eductis vt ſic diſcriminentur? Reſponſio enim valde dubia,& ambigua eſt, neque hucuſque ſatis à Philoſophis, ac Metaphiſicis explanata. In illius tamen explanatione quatuor verſantur ſententiæ.Prima fuit Alberti Magni 5. Metaphiſicæ tractatu 3. cap.12. & primo Phyſicorum tractatu 3. cap.15. aſſerentis illas formas educi de potentia materiæ, quæ partim ſecundum eſſe formale in materia præexiſtebant, ideſt,ſecundum eſſe quoddam inchoatum, partim vero,ideſt ſecundum eſſe diſtinctum & completum erant extra materiam. Eductionem autem in eo conſiſtere quod forma quæ antea erat in potentia materiæ ſecundum eſſe quoddam confuſum, & incompletum; per actionem agentis naturalis reducatur ad eſſe diſtinctum,formatum & completum,per huiuſmodi enim reductionem extraducitur totaliter id,quod antea in potentia materiæ latebat. Eiuſdem ſententiæ fuit Linconienſis in libro de luce relatus à Soncinate hic q. 28. Secunda ſententia,quam ſequitur Fonſeca lib. 5. Metaphiſicæ cap.2. quæſt.4. ſect. 2. conſiſit in tribus dictis.Quorum primum eſt,eductionem non conſiſtere in eo ſolum quod forma producatur in ſubiecto habente potentiam ad illam recipiendam : aliàs anima rationalis educeretur de potentia materiæ, ſiquidem producitur in materia quæ potentiam paſsiuam habet vt illam recipiat. Secundum eſt, quod neque eductio formæ conſiſtit in hoc quod producatur in ſubiecto,& dependenter à ſubiecto:aliàs infuſio gratiæ, ac donorum ſupernaturalium eſſet eductio : ſiquidem producuntur à Deo dependenter à ſubiecto : ſimiliter productio formarum cœleſtium,& elementorum à principio mundi fuiſſet eductio propter eandem rationem: quod tamen omnino eſt falſum(ait ille,)quia dona ſupernaturalia per infuſionem producuntur: formæ vero cœleſtes, & formæ elementorum per creationem a Deo proceſſerunt: infuſio autem,& creatio ſunt actiones diſtinctæ ab eductione.Tertium eſt,quod formam educi eſt fieri dependenter à ſubiecto habente potentiam naturalem ad illam recipiendam atque ſuſtinendam : defectu cuius potentiæ naturalis, neque dona ſupernaturalia, neque anima rationalis de potẽtia materiæ edu-

educuntur: quia ad receptionem donorum supernaturaliū anima non habet potentiam naturalem: respectu autem ipsius animæ rationalis licet materia prima habeat potentiam naturalem ad illam recipiendam, non tamen ad eam sustinendam. Tertia sententia asserit formarum aductionem in eo consistere, quod producantur per actionem agentis naturalis Physice ipsam materiam transmutantem. Defectu cuius naturalis transmutationis dona supernaturalia proprie non educuntur: & defectu Physicæ trāsmutationis, neque accidentia intentionalia educi dicuntur: anima autem rationalis proprie non educitur, quia licet per actionem Physicam agentis naturalis vniatur materiæ: non tamen producitur. Ita Soncinas in hoc 7. q. 8. cui subscribit Cabrera tomo 2. super tertiam partem quæst. 13. disputatione prima.

Varia de eductione formarum placita.

Quarta sententia docet, quod formā educi de potētia materiæ nihil est aliud quā fieri actu per quācūque actionem formā illā quæ ante latebat in potentia passiua materiæ: ita vt materiæ potentia formā recipientis ad ipsius formæ fieri, & esse concursu passiuo concurrat & eius dependentiam terminet. Hæc est sententia Angelici Doctoris pluribus in locis, potissime autem 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. in hoc lib. 7. lect. 8. & in 2. d. 18. art. 2. & q. 1. de virtutibus art. 8. & de veritate q. 11. art. 1. quam sequuntur Flandrensis in hoc 7. q. 17. art. 2. & 4, Soto 1. Physicorum q. 7. art. 2. & 3. Suarez 1. tom. Methaphisicæ disputatione 15. sect. 2. & alij Iuniores quos omittimus recensere breuitatis causa. Dum enim Sanctum Doctorem pro aliqua sententia, & antiquiores habemus, inutilis ac minus grauis esset Iuniorū qui nuper scripserūt sua in Physicam aut Methaphysicam cōmentaria; cōmemoratio, præsertim cū supra antiquorum doctrinā nihil noui addant, quod scitu aut cōmemoratione dignum sit. Licet tamē prædicti Authores in hac Sancti Doctoris sententia, vt iacet, conueniant non nihil variant in eius explicatione atque defensione. Suarez nāque ait tripliciter posse explicari verba, & sententiam Angelici Doctoris, triplicemque sensum facere. Primus est, quod educi de potentia materiæ sit fieri actu quod ante in potentia passiua materiæ latebat, atque extraduci secundum esse actuale, quod in materia solum habebat esse potentiale, in quo sensu ait prædictus Author, videtur locutus fuisse D. Tho. 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. Secundus sensus in quo potest accipi sententia Doctoris Sancti, est, quod idem sit formā educi de potentia materiæ, atque depēdere in fieri & esse à materia. Tertius est, quod sit idē; atque formā produci ex vi eiusdē actionis productiuæ totius compositi non præsupposita materia ex vi alterius actionis, ita producta. præsupposita in quā, vel secundū durationis, vel secundum naturæ prioritatem. Subditque idem Author primum, & secundum sensum esse deficientem: neque exacte rationem eductionis saluare, ac proindē tertium dumtaxat esse sustinendum. Eo quod ex primo, & secundo modo explicandi eductionem sequitur formam cœlestem eductā fuisse de potentia materiæ, quia fuit producta dependenter ex potentia passiua materiæ cœlestis inferi, & modo in esse, & conseruari dependet ab illa. Ex tertio vero nullum sequitur inconueniens: quia ponit formam educi, esse idem, quod produci ad totius cōpositi productionem ex materia præsupposita eductioni, ex vi alterius actionis. Soto vero, & alij Iuniores discipuli Sancti Doctoris dicunt eductionem sufficienter, & exacte diffiniri ac declarari iuxta secundū modum assignatum: nempe, per hoc quod forma fiat dependenter à materia inferi & esse. Flandrensis denique asserit vbi supra formam educi de potentia materiæ nihil esse aliud, quām per actionem agentis extraduci ex materia in qua secundum potentiam passiuam naturalem, & dispositiuam præexistebat. Postquam enim in corpore articuli 4. dixerat formā aliquā tripliciter in potentia alterius contineri, vno modo in potentia passiua remota: quo pacto forma ignis dicitur contineri in potentia ligni in dispositi ad eius receptionem, alio modo forma est in potentia passiua proxima, & iam dispositā; quo pacto forma ignis est in potentia materiæ ligni iam dispositi per qualitates naturales disponentes ad ignis generationem. Tertio modo dicitur forma contineri in potentia materiæ actiua simul & passiua: quo pacto formæ viuentium in seminibus continentur. Sic enim forma oliuę, in semine oliuæ: & anima equi in semine equi continentur. In solutione ad quintum ait, quod si forma nullo modo præexisteret in materia, non educeretur de potētia illius, sed totaliter veniret ab extra, & fieret per creationē, sed quia præexistit in materia secundū potentiam passiuam naturalē & dispositiuam, non oportet quod talis forma veniat ab extra, sed educitur de potentia materiæ, & partim est ab intra, & partim est ab extra. Sentit igitur eductionem formæ in eo consistere, quod forma producatur dependēter à potētia passiua, & dispositiua materiæ, in qua antea præexistebat. Nec propterea Flādrēsis asserit formas supernaturales nō educi de

ci de potentia obedentiali animæ, quia de eductione formarũ naturaliũ dũtaxat ſermonẽ faciebat: ac de illa ſolũ quæ fit modo naturali, & ſecũdũ leges naturæ ordinarias, ſecudũ quas nõ cõtingit formã in materiam indiſpoſitam introduci ab agẽte naturali; aliàs ſi forma ſiue naturali, ſiue diuina virtute in materiam indiſpoſitã introduceretur, nõ educeretur de potẽtia illius: quod tamẽ aperte eſt falſum: in eo tamẽ fuit diminutº, quod nobis nõ rationẽ cõmunẽ eductionis tradidit: ſed ſolũ rationẽ eductionis naturalis, & naturali modo cõtingentis deſcripſit. In quo ſenſu forte locutus fuit Sõcinas qua tenus ad eductionẽ docuit actionẽ agentis naturalis deſiderari. His igitur ſupoſitis, & ſtabilitis pro declaratione huius quartæ ſententiæ, quæ vera eſt in ſe, & iuxta mentem Doctoris Sãcti, priores tres ſententias oportet refutare ac reijcere: quibus refutatis, & reiectis quartæ veritas, & ſenſus Doctoris Sancti patefiet.

17 Reſpõdeo dicendũ primo, formas non ideo educi de potẽtia materiæ, quia in illa ante præexiſterẽt ſecũdum aliquod eſſe actuale. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſentẽtiæ, quicũq; illi fuerint: nã adhuc ſub lite verſatur: an Albert. Magnus illius fuerit ſentẽtiæ, prout refertur, & merito ab omnibus impugnatur. Soncinas enim q. 28. huius, pro viribus defendit Albertũ, & ab hac iniuria vindicat dicens, nec fuiſſe huius opinionis neq; à Doctore Sancto alicubi hanc opinionẽ Alberto aſcribi, aut ſub nomine Alberti impugnari. Albertũque ſolũ intellexiſſe nomine eſſentiæ cõfuſæ, vel formæ præexiſtentis in materia ipſam aptitudinẽ materiæ ad formã, quæhaud quaquã eſt entitas à materia diſtincta, quod multis probat ipſius Alberti teſtimonijs. Flãdrenſis vero in loco præallegato, & alijs pluribus ſuæ Methaphiſicæ, vbicũque de hac opinione mẽtionẽ facit, illã tribuit Alberto eundẽque agnoſcit à D. Tho. in hac parte impugnari. Sed quia meũ nõ eſt hanc litẽ dirimere: ſed ſolũ falſas opiniones explodere, & cõfutare, veras autẽ docere, & explanare, atq; argumentis pluribus cõprobare: ideo hac omiſſa lite, & iudiciorũ diuerſitate: vnuſquis enim in ſuo ſenſu abundet, Albertũ pro ſuo modo, & captu interpretetur, haud difficile nãque eſt illius verba ad vtrũq; ſenſum adducere. Prima nãq; ſententia cuiuſcũque illa ſit prout à nobis explicata & propoſita eſt cõmuniterque refertur; reijcitur, & improbatur primo, nam forma ſubſtãtialis, nullũ eſſe actuale præhabet in materia antequã educatur de potẽtia illius: ergo non eſt ponenda talis inchoatio formarũ, neq; propterea educũtur de potentia materiæ: quia in illa ſecundũ eſſe inchoatũ præhabeantur. Antecẽs probatur: nam indiuiſibile totaliter eſt vbi eſt: ſed eſſe ſubſtãtiale formę eſt indiuiſibile: ſic enim ſubſtãtia ſecũdũ ſuũ eſſe, non ſuſcipit magis, & minº: vt docet Philoſophus in prædicamẽtis c. de ſubſtantia, & 8. huius tex. 10. atque id ipſum fatetur Albertus primo de cœlo & mundo tect. 3. vbi aſſerit formas ſubſtantiales eſſe ſicut ſpecies numerorũ quæ in indiuiſibili conſiſtunt: ſed forma ſubſtantialis antequã educatur de potentia materiæ non habet in illa totaliter ſuum eſſe, vt admittit hæc ſententia: ergo nullo modo habet ſuum eſſe ſubſtantiale in illa. Conſequentia patet, nam ſi haberet eſſe ſubſtantiale in potentia materiæ imperfectum, & inchoatum, & per eductionem acciperet eſſe perfectum, talis forma haberet eſſe diuiſibile; & ſuſciperet magis & minus: ſiquidem ſuſcipere magis & minus aliquam formam nihil eſt aliud, quã habere latitudinem ſecundum quam tranſeat de eſſe minus perfecto ad eſſe magis perfectum: conſequens eſt contra hypoteſim: ergo. Secundo: nam vel forma præhabetur in materia, ſecundum eſſe eſſentiæ, vel ſecundum eſſe exiſtentiæ actuale: neutro modo: non ſecundo, quia materia de ſe nullum eſſe exiſtentiæ habet vt aduerſarij fatẽtur: quod autem non primo modo patet, nam aut illud eſſe eſſentiæ eſt extra cauſas, aut non: ſi non: igitur eſt mere poſsibile: atque idẽ erit formam præhaberi in materia, quod materiam habere potentiam vnde educibilis ſit forma: quod nos fatemur. Si primum igitur habet eſſe exiſtentiæ, ſiquidem nulla res abſque exiſtentia eſt extra cauſas, effectus enim formalis exiſtentiæ eſt ponere extra cauſas: ergo. Tertio nam in duplici ſenſu poteſt intelligi huius inchoatio formæ in potentia materiæ. Vno modo ſic, quod præexiſtat forma ſpecifica in quadam forma corporeitatis materiæ cõcreata, quæ propterea dicitur inchoatio formarum: quia omnes formæ ſpecificæ confuſe & virtualiter in illa continentur: quas tamen agens naturale deducit de potentia illa materiæ, dum præexiſtentem formam corporeitatis ad eſſe ſpecificum ignis, verbi gratia, terræ, & Leonis, & equi reducit; ita enim Linconienſis videtur ſenſiſſe. Secundo modo ſic, quod ipſæ formæ abſque vlla præexiſtenti forma corporeitatis in materiæ potentia continuantur confuſe & indiſtincte ſecundũ eſſe eſſentiæ: adeo vt nullũ ei eſſe determinatũ aut effectũ formale ſpecificũ, puta ignis, terræ, Leonis, vel equi cõmuni-

municent: & adhunc sensum Albertistæ suã defendũt positionẽ. Sed vtroque modo est positio impossibilis: ergo. Minor pro prima parte probatur: nam nulla forma corporeitatis datur coæua materiæ: ab eadẽ enim forma specifica cõmunicãtur composito naturali omnes gradus a primo vsque ad specificum, & infimum: vt ex quæst. sequenti constabit. Rursus illa admissa, cum forma quælibet specifica gaudeat entitate distincta ab entitate illius formæ corporeitatis cõfictæ: se tota distingueretur ab illa: ac proinde nihil entitatis formæ specificæ præexisteret actu in forma corporeitatis, sed solum impotentia sicut effectus in causa, alioquin aut forma corporeitatis esset composita ex propria entitate, & entitatibus formarum specialium, aut è contra formæ speciales ex suis entitatibus, & formæ corporeitatis entitate componerentur: quod tamen est impossibile: vtrolibet modo asseueretur. Pro secunda vero parte probatur: nam implicat aliquã entitatem formalem esse actu communicatam alicui subiecto, quin ei tribuat suum esse, ac determinatum effectum formalem: siquidem effectus formalis formæ, aut in eius communicatione consistit, aut ex illa essentialiter, & ineuitabiliter causatur: sed entitates formales formæ ignis, verbi gratia, formæ terræ, formæ equi, & formæ leonis, non tribuunt materiæ primæ simul esse ignem, terram, equum, & leonem, qui sunt earum effectus formales: ergo euidens signum est illas non præexistere in materia alioquin illi tribuerent prædictos effectus formales: at q; in illa haberent distinctas entitates formales cum effectibus distinctis formalibus; distinctis (in quama) materia, & inter se, quæ enim secundum se gaudent essentijs distinctis, semper, & vbicumque illarum distintionem debent retinere: quam tamen negant aduersari retineri a formis contentis in materia prima secundum esse inchoatum. Deinde eadem pars improbatur: nam aut hæc formæ præexistentia requiritur, vt generatio formæ, & compositi, sit naturalis tanquã a principio actiuo, adiuuante actiue extrinsecum agens naturale: aut vt materia concurrat passiue dumtaxat eductioni formæ, quã producit agens naturale: sed neutro modo requiritur: ergo. Patet minor: quia ad eductionem formæ, ac naturalem generationem compositi satis est, quod materia præstet concursum passiuum in ratione causæ materialis: ad quem præstandum non indiget forma, quæ si principium agendi: quinimo forma secundum illud esse inchoatum nequit præstare actiuum concursum, quia agere est entis perfecti, ac constituti in actu, vnum quodque enim agit secundum quod est in actu: ac proinde forma quæ non est ratio cõstituendi in actu, neque est ratio agendi. Cũ igitur forma secundum esse inchoatum non sit ratio constituendi materiam in actu, neque illidat esse actuale aut specificum: neque erit ei ratio agendi: ac per consequens materia solum præstabit concursum passiuum respectu generationis naturalis compositi, & eductionis formæ: ad hunc autem minime indiget aliquo esse formali, & actuali: sufficit namque potentialitas, & aptitudo ipsius materiæ. Dico secundo tertia sententia secunda quoad duo posteriora dicta est falsa: & nullatenus sustinenda, & probatur falsitas primi dicti: nam eductio formæ de potentia materiæ importat duo: ex parte quidem agentis actiuum concursum, quo forma extraducitur per virtutem agentis: ex parte vero materiæ concursum passiuum, & materialem ipsius materiæ in ratione causæ materialis concurrentis non solum ad vnionẽ formæ cum subiecto, sed etiam ad ipsum fieri, & esse formæ: at hic concursus materialis sufficienter explicatur per hoc quod forma fiat in subiecto, & dependenter inde fieri, & esse a subiecto: hoc enim idem est, atque subiectum suo concursu ipsius formæ in se, atq; fieri illius dependentiam terminare: ergo. Deinde, quia si aliquod inconueniens sequeretur ex opposito, esset illud quod a prædicto auctore inconueniens reputatur: nempe gratiam, & supernaturalia dona educi de potentia subiecti. Sed hoc nedum non est inconueniens, sed est Theologica cõclusio: quam ex Theologis mediocriter peritis nullus negat; & starim aduersus minus peritos illam ostendam: ergo dicendum est eductionem consistere in eo quod forma fiat in subiecto, ac dependenter ab illo inde fieri, & conseruari: ac proinde secundũ dictum Fonsecæ est falsum. Falsitas quoque tertij probatur, nam potentia de qua fit aut fieri potest eductio formarum latius patet, quã potentia naturalis: extenditur enim ad potentiam passiuã obedientialem ex qua educuntur formæ supernaturales, & ad potentiam passiuam artificialem ex qua per virtutem artis formæ artificiales educuntur. Cum enim huiusmodi formæ non creentur, nec veniant omnino ab extra, necessarium est, vt partim ab extra, & partim ab intra adueniant; hoc autem est illas educi de potentia subiecti: vnde D. Thom. lect. 8. hoc constituit discrimen inter formas artificiales, & naturales ex parte materiæ, quod in materia illarum est aptitudo ad formam artis accidentalis, siue artificia-

lis, hoc est, talis condicionis quod per agens artificiale libere operans, & non determinatum ad vnum, est ad actum reducibilis: ac proinde non debet dici aptitudo naturalis: at in materia formarum naturalium est aptitudo naturalis, hoc est, talis condicionis quod per agens naturale, determinatum ad vnum, & mouens per modum naturæ est ad actum reducibilis: igitur, non requiritur ad saluandam eductionem formæ in tota eius latitudine, quod materia concurrat passiue ad illam secundum naturalem potentiam: deinde, quia materia hominis potentiã habet passiuam naturalẽ nedũ ad suscipiẽdã, verũ etiã ad substinẽdã, id est ad cõseruandã animã rationalẽ: valde enim, cõnaturaliter rationalis anima pro hoc statu conseruatur in materia organica id est accidentibus organicum corpus constituentibus dispositã: imo ita quoad munus formæ, & actus corporis, atque quoad effectum animandi organicum corpus, & per illud atque in illo corporeas operationes exercendi, ab ipsa materia dependet, vt sine illa nihil horum præstare possit, & licet esse per separationem a materia non amittat, amittit tamen esse formæ, & actus actualiter informantis in sensu formali: quia neque in statu separationis anima rationalis est forma informans, neque actus perficiens actu corpus organicum, licet sit apta nata illud actuare, & informare propter ordinem, quem retinet vnibilitatis ad ipsum: igitur non debet excludi anima rationalis a genere formarum educibilium defectu potentiæ naturalis materiæ ad ipsam recipiendam, & sustinendam: liget ex alio capite excludenda sit. Confirmatur, & declaratur amplius hæc præcedens ratio, nam generatio naturalis ex discrimine quod assignat D. Thom. in loco proxime allegato inter artificialem ac naturalem generationem; est, cuius subiectum præsupositum ac formæ introducendæ susceptiuum præsupponitur secundum aptitudinem naturalem: defectu enim talis aptitudinis, generatio non erit naturalis: sed generatio hominis est naturalis: ergo materia in quam hominis anima introducitur, præsupponitur cũ aptitudine, & potentia passiua naturali ad illam suscipiendam atque substinendam toto tempore quo vinculum vnionis per contrariam dispositionem non dissoluatur. Dico tertio eductio formæ in tota sua latitudine non petit physicam transmutationem ex parte agentis per quam naturalis potentia subiecti physice transmutetur. Hæc assertio statuitur aduersus auctores tertiæ sententiæ, qui ad saluandam eductionem exigunt ex parte subiecti naturalem potentiam sicut secunda sententia: ex parte vero agentis; physicam transmutationem per quam illa naturalis potentia transmutetur, & quod non requiratur naturalis potentia, patet ex præcedente conclusione, quod autem nec requiratur physica naturalis transmutatio (hoc enim specialiter addit tertia supra secundam sententiam) probatur: quia naturalis transmutatio supponit naturalem potentiam, & illam respicit, vt ex D. Thom. ad notauimus. & ex ipsa naturalis transmutationis diffinitione cõstat: quæ est mutatio ab agente naturali inducta, in subiectum ipsi supositum: potentiæ autem actiuæ naturali respondet, & supponitur potentia passiua eiusdem ordinis, scilicet, naturalis: igitur sicut eductio saluari potest ex parte agentis; & in eisdem casibus in quibus verificatur primum, verificari debet secundum. Deinde quod non requiratur physica transmutatio: patet, nam formæ intentionales, vt species sensibiles, lumen in aere receptum, & his similia educũtur de potentia subiecti, siquidem fiunt, & non ex nihilo, non enim habent esse per creationẽ aut a solo Deo; & earum eductio nõ est physica transmutatio, sed tantum est intentionalis: ergo. Cõfirmatur: nam sicut potentia de qua fit eductio, atque eius passiuus concursus latius patet quàm naturalis, vt docuimus: ita concursus actiuus quem præstat agens ad formam educendam latius patet quàm physica transmutatio: hæc enim fit successiue cũ resistentia subiecti, & expulsione contrarij, ex cuius renitentia prouenit subiecti resistẽtia, & successio transmutationis: sed multæ sunt formæ quæ educuntur absque resistentia subiecti, successione, & expulsione contrarij: id est per instantaneam mutationem dependenter inferri, & esse a præsupposito subiecto a suis agentibus producuntur: ergo. Minor patet inductione numerando omnes formas intentionales: quas articulo sequenti educi de potẽtia subiecti ostẽdemus.

18 Dico quarto eductio formæ cuiuscũque ex parte agentis concursum actiuum; & ex parte materiæ præsupositæ concursum passiuum dum texat causæ materialis ad fieri, & esse ipsius formæ terminatum requerit; & hæc omnia saluãtur in sententia sancti doctoris partim in primo, & secundo sensu explica. Prima pars huius assertionis communis est omnibus auctoribus quartæ sententiæ, & probatur primo declarando singula quæ concurrere debent ad cuiuslibet formæ eductionem de potentia subiecti: tria namque sunt ad quamlibet eductionem concurrentia, agens, forma, & materia: agens quidem

Veritatio eductionis pandituꝛ

dem concurrit vt educens actiue: vnde eductio actiue ſumpta eſt actio agentis, per quã forma producitur. forma vero, concurrit vt terminus talis actionis eductiuæ: eſt enim id quod producitur: & eductio paſsiue ſumpta cum illa identificatur: ſicut omnis paſsio cũ ſuo termino: cõcurrit denique materia vt ſubiectum recipiens formam eductam, in huius modi autem receptione materia debet præſtare concurſum paſsiuum cauſæ materialis ad fieri, & ad eſſe ipſius formæ in ſe, & non ſolum quo ad vnionem cum materia terminatum, & quia reſpectu actionis creatiuæ, qua ſimul totum producitur, & omnes eius partes concreantur; materia non præſtat cõcurſum paſsiuũ, cũ talis actio ex nihilo producat ſuũ termin, & conſequenter indepẽdẽter a cõcurſu cauſæ materialis: debet materia præſupponi ex vi alterius actionis producta: eductio enim nequit eſſe, ipſi⁹ materiæ con productio, propter rationem aſsignatam. Cum igitur hæc omnia requirantur, & ſufficiant ad ſaluandam eductionem formæ alicuius; illa forma vere educitur de potentia materia: quæ per concurſum actiuum agentis dependenter infieri, & eſſe a concurſu paſsiuo materiæ præſupoſitæ producta fuerit: & hoc eſt primum aſſertum noſtræ quartæ concluſionis. Secundo probatur, nam eductio eſt veluti medium inter agens, & ſubiectum: ac proinde ad vtrunque dicit aptitudinem, ad agens quidem vt ad actiue influens: & hic relinquitur vt manifeſtum: Ad ſubiectum vero vt ad cauſam materialem in qua, & ex qua debet forma educi: ſecundum enim vtramque habitudinem ſubiectum de cuius potentia fit eductio, terminare debet formæ de tali potẽtia eductionẽ: quia debet eſſe ſubiectum in quo forma recipiatur, & ex quo ſeu ex cuius potentia educitur forma, ideſt dependenter ab illius potentia paſsiua infieri, & eſſe: prima habitudo ſignificatur per eſſe ſubiectũ in quo, ſeu materia in qua: ſecũda vero ſignificatur per eſſe ſubiectum ex quo, ſeu materia ex qua, vnde propterea, equus non producitur de potentia ſolis, neque filius de potentia patris; quia pater, & ſol concurrunt actiue ad productionem geniti: at id de cuius potentia fit eductio, dicit habitudinem ſubiecti in quo, & ex quo: anima quoque rationalis propterea non educitur de potentia materiæ, quia licet materia habeat rationem ſubiecti in quo, id eſt, ſubiecti recipientis: non tamen habet rationem ſubiecti ex quo, id eſt, nõ cauſat materialiter fieri, & eſſe ipſius animæ: igitur, eductio in eo conſiſtit, ſi paſsiue ſumatur quod forma dependeat a materia præſupoſita infieri, & eſſe, tanquam a cauſa materiali ſub duplici habitudine aſsignata concurrente. Tertio probatur: eductio paſsiue accepta dicit ordinem, & habitudinem ad agens, & ad materiam: eſt enim forma prout ſubeſt ſuæ productioni, quæ vt ſic reſpicit agens a quo producitur, & ſubiectũ in quo recipitur, & ex quo producitur: ſed prout reſpicit agens terminat eius concurſum actiuum ad fieri, & eſſe ipſius formæ terminatum: igitur prout reſpicit ſubiectũ debet etiam reſpicere eius paſsiuum concurſum ad fieri, & eſſe terminatum. Nec valet dicere quod generans ſiue agens vniuocum ſuo concurſu actiuo non attingit eſſe formæ, eo quod forma non dependeat ab illo in fieri & conſeruari: nam licet verum ſit effectum naturalem, v. g. ignem, aut, equum, nõ dependere a generante vniuoco, & proximo in conſeruari, & eſſe: ex hoc tamen non ſequitur, quod actio equi, aut ignis generantis non attingat eſſe effectus geniti: eſſe (inquam) indiuiduale, producit nãque cauſa ſecunda principaliter eſſe ſpecificum, & indiuiduale ſui effectus, & inſtrumentaliter producit eius exiſtentiam vt dictum eſt, & licet ignis, v. g. alterius ignis non producat eſſe ſpecificum ſecundum ſe, & totam eius latitudinem: tamen producit illud vt contractum ad eſſe indiuiduale ignis geniti, ſicut Petrus producit Paulum, & in Paulo producit hominem contractum ad eſſe Pauli: ad hoc autem vt effectus dependeat in conſeruari ab agente, oportet vt ſecũdum eſſe ſpecificum abſolute ſumptum ab illo producatur: Sicut generans ſuo concurſu actiuo ſaltem attingit fieri, & eſſe indiuiduale formæ eductæ: ita materia ſuo concurſu paſsiuo debet attingere fieri, & eſſe ſaltem indiuiduale eiuſdem formæ, quæ de illius potentia educitur. Secunda pars videlicet quod omnia quæ requirit eductio, ſaluentur iuxta primũ, & ſecundum modum explicandi ſententiã D. Thomæ. Probatur aduerſus Suarĩ: primo, nam educi formam, vt ex dictis conſtat, nihil eſt aliud quàm fieri in materia, & ex materia, & perfieri in materia importatur habitudo ſubiecti recipientis, quam habet materia hominis reſpectu animæ rationalis, materia cœli reſpectu formæ cœleſtis: ſed perfieri ex materia denotatur habitudo cauſæ materialis ad fieri, & eſſe formæ concurrentis, quam non habent prædictæ materiæ reſpectu ſuarum formarum: vtraque autem habitudo ſaluatur, & ponitur iuxta primũ, & ſecundum modum explicandi quartam ſententiam: ergo. Minor patet: dicere quod forma fit actu dependenter a materia in cuius

ius potentia paſsiua ante latebat: ſeu dicere quod forma pendet in fieri, & eſſe a materia eſt dicere, quod materia concurrit in productione formæ, materialiter, & paſsiue ad fieri, & eſſe illius: quod nequit ſaluari niſi concurrat vt materia in qua, & ex qua fit forma: igitur primus, & ſecundus modus aperte ſaluant vtranque habitudinẽ ad eductionem formæ ex parte materiæ requiſitam. Secundo: nam idem eſt fieri actu quod ante latebat in potentia paſsiua materiæ, atque materiam ſecundum potentiam ſuam paſsiuam concurrere in genere cauſæ materialis ad actionem agentis productiuam formæ, ſiue ad terminum illius: & idem eſt formam dependere in eſſe, & fieri a materia, atque materiam exercere cauſalitatem materialem circa eſſe, & fieri formæ: igitur nihil deſiderant illi duo modi dicendi ad eductionem. Tertio educi formam eſt fieri formam ex præſupoſita materia ex vi alterius actionis, vt diffinit prædictus auctor: ac proinde hæc materiæ præſupoſitio eſt, quæ videtur deſiderari in duobus modis prioribus explicandi ſententiam Sancti Thomæ: at hæc materiæ præſupoſitio nullatenus deſideratur in illis: ergo. Minor probatur: nã juxta primum, quem eſſe Angelici Doctoris in arti. q. 90. Agnoſcit Suarez, exprimitur quod educi eſt fieri actu quod prius erat in potentia materiæ & cum fieri terminetur ad eſſe, idem valet ſi diceretur, quod educi eſt formam dependere in fieri, & eſſe a materia vt exprimit ſecundus modus: ſed vtrouis modo diffiniatur eductio, explicatur præſupoſitio materiæ: nam nequit forma dependere in fieri, & eſſe a materia niſi præſuponatur producta ex vi alterius actionis: etenim ſi ex vi eiuſdem actionis fiat materia cum forma: tunc fieri materiæ erit idem atque fieri formæ ac proinde non poterit forma dependere a materia, ſicut neque fieri materiæ poteſt ab ipſa materia dependere vt a cauſa materiali, quod patet: quia dependentia, & cauſalitas important diſtinctionem realẽ atque ordinem prioritatis: diſtinctionem quidẽ ſecundum quam effectus cauſatus, id eſt fieri ipſius formæ, a cauſa, ſcilicet a materia diſtinguatur: ordinem vero prioritatis ſecundum quem materia materialiter cauſans fieri ipſius formæ, ad ipſum præſuponatur. Quarto probatur: nam ſi aliqua ratione eſſent inſufficientes præfati modi dicendi, ea eſſet, quia ſequerentur ex illis hæc inconuenientia: ſcilicet, quod forma cœli, voluntas, & intellectus animæ rationalis de potentia ſubiecti educerentur: ſiquidem dependent a ſubiecto in fieri, & conſeruari, vnde præfatus auctor illos reiicit, quia non ſatis per illos excluduntur comproductio formæ cœleſtis, & comproductio intellectus, & voluntatis a ratione eductionis: ſed hæc ratio eſt nulla: eo quod forma cœli proprie non dependet in fieri, & eſſe a materia cum qua fuit concreata: ſiquidem non fuit producta ex materia concurrente concurſu materiali ad creationem, qua Deus cœlum, & eius formam fecit ex nihilo, id eſt independenter a ſubiecto, & propter eandem rationem intellectus, & voluntas non dependent in fieri ab anima rationali: quia per eandem actionem concreantur ex nihilo per quam ipſa anima ex nihilo producitur: id enim dependet in fieri, & eſſe a materia reſpectu cuius materia exhibet ſuum concurſum materialem ad fieri, & eſſe illius terminatum: atneque materia cœli reſpectu ſuæ formæ, neque anima rationalis reſpectu potentiarum cum ipſa creatarum præbet concurſum cauſæ materialis: igitur, neque proprie terminat illam dependentiam: abuſiue tamen, & ſecundum latiorem acceptionem dicuntur dependere, & forma cœleſtis a materia, & potentiæ animæ rationalis ab ipſa anima: prout vnum dicitur dependere ab alio cum quo habet neceſſariam connexionem in fieri, & eſſe: quo pacto vnum relatiuum ab altero, & eſſentia a ſuis paſsionibus, & congenitis potentijs dicitur dependere.

16 Sed contra arguitur primo: quando forma educitur de potentia materiæ debet fieri ex aliquo ſui, & non ex nihilo ſui, debet etiam præcedere ex parte materiæ de qua fit virtus nedum paſsiua, ſed etiã actiua: igitur ad eductionem formæ requiritur inchoatio aliqua ipſius formæ præexiſtens in materia, & concurſus nedum paſsiuus verũ etiam actiuus materiæ ad fieri, & eſſe formæ terminatus: cuius oppoſitum docemus in prima concluſione. Antecedens pro prima parte patet: nam ſi forma eſſet de nihilo ſui producta, eſſet creata; ad creationem enim ſufficit, quod tota entitas rei produatur, & nihil illius ad productionem præexigat. Rurſus forma cuius entitas tota produitur, tota venit a foris, & ſecundum nullam ſui partem poteſt dici extra duci ab eo, in quo antea latebat, quod eſt creari. Denique idem ſuadetur: nam ſi Deus ſe ſolo in ligno produceret calorem, talis calor produceretur per creationem, quia licet dependet in fieri, & eſſe a ligno tanquam forma accidentalis, cuius eſſe eſt in eſſe: tamen tota entitas caloris adueniret ab extrinſeco, ſicut aduenit anima rationalis materiæ hominis: & nihil illius caloris de potentia ligni, in qua latebat, fuit

extra-

extraductum: igitur idem contingeret ſi nihil formæ genitæ in potentia materiæ præexiſteret. Pro ſecunda parte probatur primo: nam aliàs nihil deeſſet ex parte materiæ quominus anima rationalis de illius potentia educeretur: ſiquidem habet concurſum cauſæ materialis reſpectu ipſius animæ: materia enim recipit, & ſuſtinet animam rationalem, ſed in huiuſmodi receptione ſaluatur concurſus cauſæ materialis: ergo. Rurſus materia eſt in potentia naturali ad omnes formas generabilium, & corruptibilium: & conſequenter ad animam rationalem, quæ eſt vna illarum: ac proinde continet illam in potentia paſsiua: nihil igitur, deficeret ad eius de potentia materiæ eductionem. Tertio probatur: nam teſte phyloſofo hic, cap. 8. in omni generatione naturali præſuponitur aliud prius actiuum naturale ex parte materiæ, & per hoc diſtinguit naturalia ab artificialibus: quod illa principium actiuũ ſui in materia præſuponant; ſecus vero illa: ergo. Ad hoc argumentum reſpondetur, negando antecedens, ad primam probationem primæ partis, dicendum eſt: quod ſi forma fiat ex nihilo ſui quod nec ipſam actu nec potentia præhabeat, creatur: ſecus autem quando fit ex aliquo ſui: in quo forma virtualiter & in potentia præhabetur: creatio nãque non ſolum præcedentiam eſſe actualis inchoati, ſed etiam eſſe potentiale, & virtuale rei creatæ excludit. Ad ſecundam negatur antecedens: nam forma cuius tota entitas præhabetur potentialiter in materia præſupoſita, non venit a foris: ſed ex potentia materiæ aduenit, quia in illa virtualiter continetur vt effectus in ſua cauſa materiali. Ad tertiam cõceſſa maiori, negatur minor: quia calor tunc crearetur, eo quod ad fieri, & eſſe illius nullatenus potentia ligni concurreret ſicut neque ad fieri, & eſſe animæ rationalis concurrit, quod ſi dicas, tunc fieri lignum calidum ex non calido priuatiue: ac per conſequens videtur fieri tale per generationẽ dependentem a potentia ſubiecti: aduerte tũc duplicem mutationẽ, & quatuor terminos ibi interuenire: alteram de nullo eſſe caloris ad eſſe caloris terminatam, & hæc eſt creatio caloris: alteram vero de non calido priuatiue ad eſſe calidum: & hæc eſt actio vnitiua caloris ad lignum præſupoſitum, & eſt generatio quædam accidentalis: ſicut dum homo producitur, duæ mutationes interueniũt: altera a non eſſe animæ rationalis, quæ eſt creatio animæ: & altera de non eſſe hominis terminatur: quæ eſt generatio hominis. Dices illa prima mutatio quæ ad calorem terminaretur in caſu argumenti in illo priori naturæ antequam lignum calidum intelligatur, non communicaret calori exiſtentiam neque calor ex vi illius haberet exiſtentiã, quia non haberet pro illo priori inhærentiam, & vnionem ſui cum ligno, exiſtentia autem illius eſt in exiſtentia ſiue in hærẽtia. Omnis enim formæ accidentalis exiſtentia eſt inhærentia, igitur talis mutatio non eſſet creatio, neque omnino independens eſſet talis calor infieri, & eſſe a ſubiecto. Huic obiectioni reſpondebis dupliciter primo admiſſo antecedenti negando conſequẽtiam, quia ſatis eſt quod pro illo priori habeat calor ille eſſentiam per creationem in via ad exiſtentiam accipiendam per ſecundam mutationem, quæ vnit calorem ligno, cum enim exiſtentia non ſit ratio formalis termini creationis antecedenter ad actionem aſſumptam, habebit entitatem, & eſſe eſſentiæ in via ad exiſtentiam quam pro alio ſigno rationis per actionem aſſumptiuam, accipit. Secundo poteris negare antecedẽs, actio enim illa creatiua caloris ei eſſentiam, & exiſtentiam daret, vnde ex vi illius poſſet calor exiſtere ſeparatus niſi per ſecundam actionem ligno vniretur, per quam non exiſtentiam ſed in hærentiam adquiſiuit, in hærentia autem accidentis diſtinctus modus eſt ab exiſtentia, vt patet in accidentibus hoſtiæ conſecratæ, quæ ſine inhærentia ſuam retinent exiſtentiam. Ad probationem ſecũdæ partis reſpondes ad primum quidẽ negatur antecedens, quia licet materia prima exerceat cauſalitatem materialem vt ſubiectum in quo, & in ordine ad vnionem, & in formationem ipſius animæ, atque etiam in ordine ad animam ipſam rationalem quoad munus informandi, non tamen exercet illã vt ſubiectum ex quo neque in ordine ad animam ſecundum ſe, aut quo ad eius fieri, & eſſe. Quod tamen requiritur ad eductionem animæ de potentia ſubiecti. In illa autem receptione, qua materia recipit, & ſuſtinet animam rationalem, ſaluatur cauſalitas materialis ſubiecti in quo, ſiue reſpectu vnionis, & informationis, non autem reſpectu fieri, eſſe animę, cauſalitas namq; materialis ſicut, & modus recipiendi formam, latitudinem patitur. Ad ſecundam diſtinguendum eſt antecedens pro ſecunda parte, materia eſt in potentia ad animam rationalem, vt ad actũ informantem tranſeat, & hæc eſt aptitudo ſubiecti in quo, eſt in potentia ad illum quo ad fieri, & eſſe illius, id eſt aptitudine, & ordine ſubiecti ex quo negatur, vnde neque dicendum eſt materiam continere in potentia paſsiua rationalem animam, ſicut cæteras formas continet, niſi ſecundum quid id

eſt

eſt quoad vnidnem, & munus informationis, vt ſic enim, & non alias dependet rationalis anima a materia, & in eius potẽtia paſſiua continetur. Ad tertiam ex dictis conſtat per quid naturalia ab artificialibus diſtinguat reſpondens: non enim diſtinguit illa penes hoc quod habeant in materia potentiam actiuam, & hæc tantum paſsiuam, ſed quia naturalia ſuponunt potentiam naturalem ſiue actiuam, ſiue paſsiuam reducibilem ad actum per agens naturale, artificialia vero ſuponunt potentiam artificialem reducibilem ad actum per artem vt dictum eſt. Secundo arguitur. Nam modus quo formæ viuentium educuntur de potentia ſeminis eiuſdem rationis eſt cum modo quo aliæ formæ ſcilicet non viuentium de potentia ſubiecti educuntur: ſed formæ viuentium educuntur de potentia ſeminis nedum paſsiue ſed etiam actiue concurrentis, vt docet D. Thom. in locis prælegatis, de virtutibus, & de veritate: ergo omnis eductio petit ex parte ſubiecti de cuius potentia forma educitur concurſum paſsiuum, & actiuum. Cõfirmatur, nã in illis quæ eiuſdẽ rationis ſunt eſſentialiter, quid quid eſſentiale eſt, vni eſſentiale eſt alijs, cõmunicãt enim omnia individua eiuſdẽ ſpeciei in omnibus prædicatis proprijs. & eſſentialibus: ſed aliqua ſunt ſubiecta de quibus formæ educũtur, quæ gaudent paſsiuo, & actiuo concurſu: ergo omnia debent vtroque concurſũ gaudere, minor patet inductione: ſemina nãque actiue, & paſsiue concurrunt vt dictum eſt: ſimiliter ſubiectum accidentium quod eſt ens in actu, & completum concurrit vt ſuſtentans accidentia paſsiue, & actiue: cõcurſus enim ſubiecti ſuſtentantis, nedum cauſæ materialis, ſed etiam effectiuæ admiſcet cauſalitatem: vnde, & propterea poteſt ſupleri a Deo in accidentibus euchariſtiæ, actus etiã vitales de potentia ſubiecti educuntur, qui tamen actiue elliciuntur a potentia in qua recipiuntur: ergo. Reſpondetur ad argumẽtum, negando maiorem: eo quod vt diſtinguit, D. Thom. duplex eſt modus quo forma aliqua in potentia materiæ præexiſtit atque continetur, ſcilicet, aut in potentia paſsiua tantum ſiue proxima, & diſpoſita, ſiue remota ac indiſpoſita; aut in potentia paſsiua, & actiua ſimul, & hoc modo ait formas viuentium in ſeminibus contineri, in quibus tanquam in agentium principalium inſtrumentis eſt virtus formæ effectiua atque formatiua: ac proinde diuerſimode de potentia ſeminis, atque de potentia pure paſsiua materiæ formæ educuntur, & per hoc patet ad confirmationem: neganda eſt enim eius conſequentia: eo quod ſuponit omnes modos eductionis eſſe eiuſdẽ ſpeciei athomæ: quod tamen non admittimus: ſicut enim modus præexiſtendi formarum in potentia ſubiecti non eſt idem, ita neque modus concurrendi ſubiecti ad earum eductionem eſt idẽ: licet in eadem generica ratione eductionis omnes conueniant: quam nos diffiniuimus hucuſque per illud dumtaxat, quod ſufficit ad ſaluandam eductionem ex parte materiæ, cui concurſum paſsiuum dumtaxat attribuimus. Secundo reſpondetur ad argumentum conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: formæ viuentium educuntur actiue de potentia ſeminis, quam habet ratione materiæ primæ, in quam formam introducuntur: nego: hæc enim ſolum paſsiue concurrit per modum ſubiecti in quo, & ex quo: educuntur actiue de potentia ſeminis quam habet ratione formæ eiuſdem ſeminis, cõcedo: ſed hoc non tollit quominus ductio formæ viuentis ex parte materiæ ſolum petat concurſum paſsiuum, & ex parte ſolius agentis concurſum actiuum: forma enim, & virtus actiua ſeminis tenet ſe ex parte generantis vt illius inſtrumentum. Ad confirmationem admiſſa maiori, nego minorem: ſi de ſubiecto formaliter ſumpto, & concurrente vt id in quo, & de quo fiat ſermo, quatenus enimuero potentia actuum vitalium ſuſceptiua, & ſubiectum ſuſtentans accidentia concurrunt vt materia in qua, & de qua fit eductio, id eſt quatenus ſub ſunt muneri, & cauſalitati materiali, tantum exercent cõcurſum paſsiuũ: quatenus vero tenent ſe ex parte agentis, atque effectiue educentis, exercere poſſunt cõcurſum actiuum. Sed quia concomitantia huius actiuè concurſus eſt propria huiuſmodi ſubiectis, & accidentaliter ſe habet ad ſubiectum eductionis formarum vt ſic, non oportet eam in omnibus reperiri. Tertio arguitur: fieri aliquid de potentia alterius nõ importat concurſum paſsiuum cauſæ materialis: ergo neque ſubiectum de cuius potentia fit eductio, talem concurſum poſtulat reſpectu fieri, & eſſe formæ eductæ. Antecedens probatur: nam filius dicitur nasci de ſubſtantia patris etiam in diuinis, & tamen præpoſitio, *De*, non importat habitudinẽ cauſæ materialis: ſed ſolum principij conſubſtantialis; vt aduertit, & docet, D. Tho. 1. p. q. 41. ar. 3. & in eodem ſenſu docet quæſt. 91. art. 2. corpus 1. hominis fuiſſe formatum de limo terræ, qui erat terra aqua permixta, de cuius ſubſtantia fuit corpus primi parentis e formatum: ſicut, & corpus Euæ de coſta viri dicitur propter eandem rationem eductum: cum tamen nec limus, nec coſta concurſum

paſsiuum

passiuum causæ materialis respectu formæ humani corporis exercuerint: ergo. Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, quod præpositio, *de* siue *ex*, aliquando aplicatur causis actiuis: ac proinde earum actiuam causalitatem denotat: vnde virentia ex seminibus dicimus educi: & filium ex parentibus oriri: atque Christum in symbolo natum ex Maria Virgine confitemur, & in hoc sensu filius in diuinis dicitur de patre natus: non tan propter actiuũ influxum patris in filium quàm propter consubstantialem, id est vtriusque in substantia identitatem. Quandoque vero, & frequentius aplicatur causis materialibus: & tunc denotat concursum passiuum, & habitudinem subiecti, in quo, & ex quo fit eductio formæ, in quo sensu etiam corpus primi hominis de limo terræ, & corpus Euæ de costa viri fuerunt efformata: non quia forma humana, id est anima rationalis fuerit de illis educta: sed quia forma accidentalis organici corporis id est organizatio, atque distinctio, & ordo membrorum virilis sexus limo terræ impressa a Deo constituit corpus Adami: Euæ autem corpus ex costa, & organicatione atque membrorum distinctione fœminei sexus ei impressa resultauit efformatum: sicut artificiatum quoddam, vt cathedra de ligno, & anulus de auro dicitur efformari: quia tota substantia cathedræ est lignum, & tota substantia anuli est aurum habens se se per modum subiecti, & causæ materialis de qua educitur forma accidentalis, per artem superueniens. Ita antecedenter ad animæ rationalis infusionem totam substantiam corpori Adami præbuit limus terræ, & totam substantiam corpori Euæ præbuit costa Adami. Deus autem de illa massa atque substantia sicut artifex humanam effigiem, & artificialem organici corporis emortui, & fictilis figuram eduxit: & per aduentum animæ rationalis istæ formæ euanuerunt, & effigies, & aliæ viuæ inductæ fuerunt, quas anima rationalis induxit, sicut contingeret cadaueri hominis emortui, cui rationalis anima per miraculum restitueretur: substantialem nanque, & accidentalem formam mutaret. Quarto arguitur: nam non requiritur ad eductionem, materiam præsuponi ex vi alterius actionis: ergo falsum est assertum quartæ conclusionis. Antecedens probatur, quia aliàs formæ elementorum non fuissent eductæ de potentia materiæ, sicut neque formæ corporum cœlestium: consequens est falsum: ergo: sequela patet: quia sicut, neque in cœlestibus corporibus, ita neque in elementis à principio productis, præsupponitur materia producta ex vi alterius productionis. Minor vero probatur: quia elementa fuerunt genita: sunt enim generabilia, & corruptilia: vnde, & illa actio qua Deus produxit terram a principio, eiusdem rationis esset cum illa qua produceret eandem terram, vel aliam similem post 20. annos: igitur, & formæ elementorum eductæ fuerunt de potentia materiæ; alioquin incorruptibiles essent, & diuersæ rationis ab illis formis terræ; ignis, aquæ, & aeris, quæ modo generantur, & corrumpuntur. Respondetur negando antecedens. Ad probationem duplex est modus dicendi. Primus asserentium elementa fuisse producta per generationem, id est per actionem eductiuam formæ de potentia materiæ præsupositæ in hunc modum inclinat Soto 8. phy sicorum quæst. 1. Et tenent Vazquius, & Molina 1. part. quæst. 45. art. 1. Suarius vbi supra, & Rubio lib. 1. & Physicor. tract. 2. de forma. quæst. 2. nec mirum, quod elementorum formas hi auctores censeant eductas in prima eorum productione: qui id ipsum (vnico Suario excepto) de formis cœlorum putarunt, contra expressam sententiam Aristotel. lib. 1. de cœlo, & D. Thom. 1. part. quæst. 46. art. 3. & quæst. 65. art. 3. iuxta quem dicendum est, materiam illorum fuisse creatam ac proinde præsupositam fuisse ex vi creationis ad formarum eductionem: quæ per huiusmodi formarum eductionem accepit existentiam atque complementum. Sed veritati, & scripturæ conformior est secundus modus, qui asserit elementa fuisse cum omnibus suis partibus creata: eo quod non decuit Deũ à principio vti actione miraculosa, seu præternaturali increando materiam primam: miraculosa autem creatio est, quæ non creat simul formam, & existentiam materiæ, sicut fuit creatio animæ Christi, miraculose impeditæ: & qualis esset creatio materiæ primæ in generatione corporis ex accidentibus eucharistiæ producti. Et quia scriptura Genes. primo eodem verbo creandi significat cœli, & terræ productionem dicens: *in principio creauit Deus cœlum, & terram*: per quod tã cœlestia quã elemẽtorum corpora fuisse ex nihilo facta ac per creationem producta denotatur, vnde iuxta hunc modum, ad probationem antecedentis, concessa sequela: nego minorẽ, ad cuius probationẽ dico elemeta secundũ totũ, nõ esse, incorruptibilia ab intrinseco sicut cœli: sed ab extrinseco, vt explico lib. 10. & hæc

incorruptibilitas ſufficiens fuit vt à principio crearentur: modo vero ſecundum partes corrumpuntur, & generantur actione diuerſæ rationis ab illa priori eorum productione: quia ſecundum partem, omnino, propter huius vniuerſi bonum corruptibilitati obnoxia remanſerunt.

ARTICVLVS VI.

An omnes formæ ſubſtantiales, & accidentales compoſitorum naturalium (excepta anima rationali) de potentia materiæ educantur?

20 IN hoc articulo duæ verſantur ſententiæ. Prima negans, quam ſequitur Soncinas vbi ſupra, & ſubſcribit Cabrera, qui dicunt non omnes formas naturales educi de potentia ſubiecti: ſed illas ſolum quæ fiunt cum Phyſica tranſmutatione ſubiecti. Secunda affirmat ſine exceptione omnes formas modos, & actus naturales ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales (excepta anima rationali) educi de potentia materiæ, quam ſequuntur fere omnes diſcipuli Sancti Doctoris, quorum articulo præcedenti mentionē fecimus, eiſque ſubcribunt Suarez, & Fonſeca in locis præallegatis, & quia hæc ſententia eſt vera, propterea illam ſtatuo pro certa & indubitata concluſione; quam probo primo ex diffinitione eductionis aſſignata: educi formam de potentia ſubiecti, eſt produci dependenter à ſubiecto infieri & eſſe: ſed omnes formæ, actus, & modi naturales (excepta anima rationali) producuntur cum dependentia infieri & eſſe à ſubiecto: ergo: minor patet: quia illa quæ abſque tali dependētia à ſubiecto fiunt, producuntur ex nihilo per creationem à ſolo Deo: atqui nulla forma naturalis, ſiue modalis, ſiue entitatiua ſit, producitur incompoſitis naturalibus: imo abſolute in ordine rerum naturalium independenter à ſubiecto infieri & eſſe: (excepta anima rationali, & ſubſtantia Angelica) alioquin aliqua exceptis his fieret ex nihilo, & per actionē creatiuam quod eſt aperte falſum: ergo. Secundo probatur inductione diſcurrente per ſingula formarum genera: quia omnis forma ſubſtantialis (excepta anima rationali) dependet infieri, & eſſe à materia: accidentalis vero, aut eſt naturalis vt quantitas, aut artificialis, vt figura domus, anuli & cathedræ: aut intentionalis, vt lumen, & ſpecies intentionales: ſi naturalis aut corporea, vt quantitas, & albedo; aut ſpiritualis, vt ſcientia virtus, & intellectio: ſi corporea, ſit dependenter à corpore vt à ſubiecto infieri & eſſe: ſi ſpiritualis, etiam ſit dependenter à ſubiecto ſpirituali in quo recipitur, ſiue habitualis ſiue actualis qualitas ſit. Neque obſtat quod ad actum vitalem concurrat potentia paſſiue ſimul & actiue: quia eſt id de quo; & ſubiectum in quo, tantum concurrit paſſiue, vt articulo præcedenti adnotaui: & vt actiuum præſtat concurſum, tenet ſe ex parte principij educentis actiue: ſi autem ſit forma artificialis, producitur per artem dependenter à potentia artificiali, & quaſi obedientiali per quam corpus obedit arti: & ſi intentionalis ſit, etiam producitur dependenter à ſubiecto infieri, & eſſe, licet per mutationem inſtantaneam, & abſque expulſione contrarij: in quo diſcriminatur eius eductio ab eductione accidentis Phyſici, & naturalis: quod in hac ſubditur ſubiectum Phyſicæ tranſmutationi, ſucceſſiuæ, & expulſiuæ contrarij, vel cum reſiſtentia ſubiecti, illudque ad vlteriorem formam diſponenti: in illa vero ſubditur ſubiectum mutationi inſtantaneæ, abſque expulſione contrarij, ſine reſiſtentia, & ſucceſſione, & ad nullam formam ſubſtantialem diſponenti ſubiectum. Deinde forma naturalis, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis ſit: aut eſt completa, & entitatiua, vt anima equi, albedo, calor, & aliæ huiuſmodi: aut tantum modalis, & incompleta, vt ſubſiſtentia vnio animæ ad corpus, intentio albedinis, &c. Et vt[illegible] modo, educitur de potentia materiæ: completa; nam conſtat ex dictis fieri dependenter à materia: Modalis vero comproducitur ad productionem illius, cuius eſt modus: vnde ſicut res cuius eſt modus producitur dependenter infieri, & eſſe à materia: ita & modus ipſe: imo magis dependet modus: ſicut enim minoris eſt entitatis, ita maiorem habet dependentiam à ſubiecto ſiue à forma cuius eſt adiacens determinatio. Denique ex formis completis, & accidentalibus: aliæ ſunt, quæ propria actione perſe primo producuntur, vt albedo in productione albi, & calor in productione calidi: terminus enim primarius & formalis, ſiue vt *quo*, albefactionis eſt albedo, & calefactionis eſt calor: aliæ autem ſunt quæ per reſultantiam naturalem comproducuntur ad productionem termini primarij: quo pacto proprietates, & paſſiones propriæ rei genitæ dicuntur per naturalem reſultantiam produci, & illarum

Eligitur ſententia affirmãs.

quidem

quidem eſt manifeſta: harum vero eductio eſt ad eductionem formæ ad quam conſequuntur, verbi gratia, quia hinibilitas eſt paſsio adformam equi conſequuta, ſic eadem actione qua producitur forma equi primario; educitur hinibilitas ſecũdario: paſsiones autem hominis ſunt induplici differentia: aliæ ad animam rationalem ſecundum ſe conſequutæ, vt intellectus, & voluntas, & iſtius modi concreantur cum anima ipſa ex vi eiuſdem actionis creatiuæ: cumque illam non præſuponant productam ex vi alterius actionis, non poteſt habere in illis locum eductio: neque proprie dependent ab anima infieri: cum fieri animæ, & earundem paſsionum ſit vnum, & idem fieri ex nihilo. Aliæ vero ſunt quæ ad eſſentiam, hominis, ſiue ad animam rationalem vt coniunctam, & vnitam conſequuntur, vt riſibilitas, potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, quam diſtinctionem ſub alijs verbis tradidit nobis Diuus Thomas 1. part. quæſt. 77. art. 8. dicens; potentias hominis, aut comparari ad animam rationalem, vt ad principium, & ſubiectum: aut comparari ad animam vt ad principium dumtaxat, & ad coniunctum vt ad ſubiectum: primi generis ſunt intellectus, & voluntas, quæ ſicut in anima ſubiectantur, ita poſt ſeparationem, illam committantur: at ſecundi generis ſunt omnes aliæ, quarum operationes dependent ab organo corporeo: & ſicut in coniuncto, id eſt in compoſito ex anima, & materia ſubiectantur deſtructo compoſito per animæ ſeparationem: ipſæ quoque deſtruuntur, ac proinde animam in ſtatu ſeparationis minime committantur, cum igitur huiuſmodi potentiæ ſequantur ad coniunctum ratione animæ, vt vnitæ, & munus animæ exercentis, ſicut per actionem generantis fit homo, & ſimul educitur vnio animæ de potentia materiæ; ita ſecundario ipſæ quoque educuntur de potentia materiæ præſupoſitæ, ex qua vnio animæ; atque diſpoſitiones ad animæ introductionem ipſam materiam præparantes educantur.

21 Sed contra arguitur primo: nam ad ſaluandam aductionem alicuius formæ requiritur, quod fiat per phyſicam tranſmutationem, & conſequenter ſucceſsiuam cum reſiſtentia ſubiecti, & expulſione contrarij, & quod forma ipſa ſit talis naturæ vt in abſentia agentis; poſsit in ſubiecto ſemel producta conſeruari: at omnes conditiones recenſitæ deficiunt formis intentionalibus, vt perſpicuum eſt: ergo non ſaluatur propria eductio in earum productione. Maior patet tripliciter: primo quia ad eductionem requiritur concurſus materiæ in genere cauſæ materialis ad fieri, & eſſe forma terminatus, vt docuimus articulo præcedenti: materia autem nequit ſic concurrere niſi reſpectu phyſicæ tranſmutationis agentis, ipſam phyſice tanſmutantis: vnde D. Thom. 1. part. quæſt. 41. articulo 3. ad primum, & quæſt. 91. art. 2. ad tertium docet, omnem formam productam de aliqua materia corporali fieri per ipſius materiæ tranſmutationem, id eſt phyſice ipſam tranſmutantem, & de potentia ad actum reducentem: hoc enim denotatur nomine tranſmutationis materiæ corporalis. Secundo nã ad eductionẽ formæ corporeæ requiritur quod talis mutatio eductiua dependeat a motu primi mobilis, a quo omnis generatio debet dependere: quælibet autem eductio generatio eſt: ſed productio qualitatum intentionalium talem ſubterfugit dependentiam teſte D. Thom. 5. de potentia artic. 8. ergo. Tertio quia educi formam eſt idem, atque generari: omnis enim eductio formæ eſt generatio alicuius compoſiti, & ipſius formæ eductæ: at productio qualitatis intentionalis non eſt generatio eo quod qualitas aliqua intentionalis quandoque in cœleſtibus corporibus producitur: Lunæ enim imprimitur de nouo lux Solis ſingulis menſibus: & in conuexo cœli Empirei ſpecies intentionales a corporibus beatis ibi nunc exiſtentibus emittuntur: & poſt vniuerſalem reſurrectionem, a quibuſcunque beatis corporibus emittentur, mediis quibus beati ſe conſpicient, audient, & ſecum inuicem colloquentur: in corporibus autem cœleſtibus nulla admitenda eſt generatio: cum enim ſint incorruptibilia, expertia peregrinarum impreſſionum, & ſolum mobilia ſecundum locum; nihil in eis denouo poteſt per naturam generari: quælibet namque generatio, & alteratio derogat eorum naturæ ac dignitati. Ad hoc argumentum reſpondetur negando maiorem, ad primam probationem, negatur minor. Duplex namque datur eductio, ſicut, & duplex tranſmutatio: altera phyſica, corruptiua, & diſponens ad generationem alicuius formæ ſubſtantialis, id eſt ad præexiſtentis corruptionem, & hæc petit conditiones in argumento recenſitas: altera eſt perfectiua, ad nullius formæ generationem, vel corruptionem diſponens, quæ Metaphiſica ſiue intentionalis poteſt nuncupari, & hæc tales conditiones non petit, & ſufficit ad ſaluandam eductionis rationem, quæ ſicut mutatio, abſtrahit a phyſica, & intentiona-

li, ſiue Metaphyſica: De qua locutus fuit Diuus Thomas, & propterea tranſmutationem præciſſe, & non phyſicam expreſſe dixit ad eductionem deſiderari, poteſt etiam dici ad teſtimonia Diui Thomæ: quod iuxta ſubiectam materiam phyſicam corporalis materiæ tranſmutationem ad eductionem requiri dixerit: quia de phyſica eductione atque formarum naturalium productione loquebatur. Ad ſecundam nego maiorem, ſi de eductione in tota latitudine fiat ſermo: ſola enim eductio primi generis, ſcilicet phyſica, & corruptiua habet dependere ab influxu primi mobilis: ſecus autem eductio ſecundi generis formarum intentionalium: quia has poſſunt corpora producere ſecundum quod aliquid participant de modo operandi ſubſtantiarum immaterialium, quæ motui cœleſti non ſubduntur. Ad tertiam nego minorem, ad cuius probationem dico cœleſtibus corporibus non poſſe conuenire generationem primi generis: bene autem generationem ſecundi generis, id eſt perfectiuam, & intentionalem: hæc enim non lædit eorum incorruptibilitatem: ſicut neque illam lædit adquiſitio noui vbi, neque nouæ relationis diſtantiæ, verbi gratia, approximationis, ſimilitudinis, menſuræ, quæ poſſunt ipſis aduenire, ſicut enim huiuſmodi formæ quia non diſponunt ad corrumptionem, vel, formæ ſubſtantialis generationem non obſtant cœleſtium corporum incorruptibilitati, ita neque formæ intentionales. Secundo arguitur: nam paſsiones per reſultantiam ad aliquam eſſentiam conſequutæ nequeunt educi de potentia ſubiecti: igitur falſo eas inter formas educibiles enumerauimus, antecedens patet: nam vel paſsiones huiuſmodi educuntur de potentia eadem materiæ de qua educitur forma ſubſtantialis ex qua dimanant: & hoc nō, quia nō ſubiectantur in illa: concurſus autem ſubiecti de quo fit eductio alicuius formæ, eſt concurſus ſubiecti *in quo*, & *exquo*, id eſt recipientis, & materialiter cauſantis fieri, & eſſe talis formæ: vel educuntur de potentia totius eſſentiæ in qua recipiuntur: & neque hoc poteſt eſſe verum: quia eductio formæ debet fieri vt dictum eſt ex potentia illius ſubiecti quod præſuponitur productum ex vi alterius actionis: eſſentia autem compoſiti non præſuponitur producta ex vi alterius actionis: eadem enim actione, qua compoſitum generatur, eius paſsiones comproducuntur: ergo, nullo pacto huiuſmodi formæ per reſultantiam congenitæ, educuntur de potentia ſubiecti, quod potiſsime dicendum videtur de paſsionibus hominis corporeis, verbi gratia, riſibilitate potentia admiratiua, cogitatiua, & alijs huiuſmodi ſenſitiuis potentijs, quæ dimanant ab anima rationali aut ſecundum gradum ſpecificum, aut ſecundum genericum ſentiendi, & ſimiliter de illis quæ ad eandem animam ſecundum gradum communiſsimum vitæ ſcilicet vegetatiuum conſequuntur: anima enim rationalis ſecundum nullum gradum educitur de potentia materiæ: igitur neque paſsiones ad aliquem illius gradum conſequutæ poſſunt educi de potentia materiæ: quod enim educitur ſecundario, & ad modum paſsionis reſultantis ſuponit aliquam formam quæ perſe primo terminet eductionem: ſicut quod producitur ad alterius productionē ſuponit illud quod perſe primo producitur aut generatur. Ad hoc argumentum duplex eſt modus dicendi: primus in quem inclinat Suarez vbi ſupra, aſſerit paſsiones per reſultantiam naturalem dimanantes, educi de potentia illius ſubiecti, quod illas proxime recipit atque ſuſtentat: & conſequenter paſsiones equi, ex eſſentia totali equi, & paſsiones hominis corporeas ex eſſentia hominis geniti educi: quia in eſſentia compoſiti, & non in ſola forma recipiuntur. Sed hic modus improbatur primo, quia ad eductionem cuiuſcunque formæ requirit ipſe Suarez materiam de qua fit eductio, ex vi alterius actionis præſuponi: ſed neque eſſentia equi, neque eſſentia hominis ad ſuas paſsiones præſuponuntur productæ ex vi alterius actionis, eadem enim generatio quæ perſe primo ad hominem, vel ad equum, ſecundario, ad paſsiones ipſius hominis vel equi terminatur: ergo prædictus auctor nempe Suarez videtur ſibi contrarius: deberet namque vel diſtinguere de duplici eductione, nempe, & formæ perſe primo eductæ, atque formæ ſecundario, & conſequutiue eductæ: & de illa quidē dicere determinate atque diſtincte quod fit ex materia præſupoſita ex vi alterius actionis: ſecus autem de illa: de qua potius aduertere opus erat, quod non requirit ſubiectum ex vi alterius actionis præſupoſitum, vel potius deberet aſſeuerare quod tales formæ per reſultantiam congenitæ ſicut educuntur ſecundario, ita educuntur de potentia eiuſdem materiæ præſupoſitæ de qua, forma, a qua dimanant, educitur. Secundo: nā quod educitur ſecundario,

dario, debet educi ad actionem alicuius educti primario: at essentia hominis non educitur, neque essentia equi aut alterius compositi naturalis: composita enim, licet generentur, non tamen educuntur de potentia subiecti: quia in nullo subiecto secundum se tota recipiuntur: ergo neque eorum passiones de ipsis possunt dici eductæ secundario. Tertio quia aduersus illum militat argumentum factum. Vnde secundus modus veritati conformior sit, quod passiones prædictæ educuntur secūdario de potentia eiusdem materiæ de qua formæ principales aut secundum se, aut quo ad vnionem, educuntur primario, & idem existimo dicendum esse de modo subsistentiæ, & de actu existentiæ, & alijs modis, siqui fuerint, ex vi eiusdem productionis totius compositi cōgeniti: aut simul producti etiam sine naturali resultantia, omnes enim huiusmodi actus, & formæ educuntur de potentia materiæ de qua educitur principalis forma, cuius sunt actus passiones aut modi. Iuxta quem respondes ad formam argumenti, negando antecedens, ad primam probationem concesso antecedenti pro prima parte, negatur consequētia: formæ enim eductæ secundario, vel non debent recipi in subiecto de quo educuntur, vel satis est, quod etiam secundario in illo recipiantur: ad illas causalitas materiæ extenditur secundario, sicut, & actio generantis illas attingit secundario. Ad secundam negatur antecedens: illæ nanque hominis passiones quæ licet ab anima dimanent, vt a principio; in composito tamen subiectantur proxime, de eadem potentia materiæ educuntur, de qua anima ipsa non secundū se, se quoad vnionem, & actualem informationem educitur, in qua nec non passiones ipsæ secundario, & mediate subiectantur.

22 Tertio arguitur: gratia iustificans cū alijs supernaturalibus donis ipsam comitantibus dependenter ab anima infieri, & esse infunditur a Deo: & tamen non educitur de potentia passiua animæ: ergo non omnes formæ quæ producuntur sic dependenter a subiecto, de potentia illius educuntur. Maior patet: quia est accidens cuius esse, est in esse: ac proinde in subiecto, & dependenter a subiecto productum: minor autem probatur multipliciter primo, quia gratia fit per creationem: vnde ad Colossenses secundo de iustificatis dicitur, *creati in operibus bonis*: & ad Galatas vltimo, iustificationis gratiam adeptus appellatur noua creatura. De gratia autem ipsa ait Psalmographus Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus*, qui modus loquendi scripturæ falsus esset, nisi gratia infunderetur per creationem, significaret enim rem aliter quàm in se est: illa autem quæ creantur, fiunt de nihilo, & non de pontentia materiæ. Secundo quia teste D. Tho. q. 3. de potentia art. 8. ad tertium, & ad 4. gratiæ conuenit creari, non sicut supposito: sed ad eum modum quo aliæ formæ possunt creationem terminare. Et idem repetit in primo distinct. 14. quæst. 3. cuius ratio est: quia omnis forma educibilis de potentia subiecti aut educitur de potentia naturali, aut supernaturali, aut obedientiali, sed gratia neque educitur de potentia naturali animæ: hæc enim agenti subditur naturali, per cuius actionem reducitur ad actum: animæ autem Nequit infundi gratia ab agente naturali, neque de potentia supernaturali: anima enim secundum totam suam entitatem, & radicalem capacitatem ad gratiam, est naturalis, ab auctore naturæ condita. Neque de potentia obedientiali animæ: cum hæc non sit nisi entitas naturalis ipsius animæ, cum respectu subiectionis ad agens supernaturale: gratia autem neque de entitate naturali, neque de respectu illo subiectionis potest educi: ergo nullo modo. Tertio: productio formæ, cuius defitio est anihilatio, est creatio: etenim creatio, & anihilatio sibi inuicem correspondent, & aduersantur: sed defitio gratiæ est anihilatio, vt testatur D. Tho. in 2. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 5. ergo. Propter hoc argumentum transuersantur modi dicendi. Primus asserit gratiam atque cætera dona supernaturalia creari, & nullatenus educi de potentia animæ: ita Capreolus in 2. distinct. 1. quæst. 9. ad 15. contra tertiam conclusionem, & in 4. d. 1. q. 1. ad primum Scoti contra tertiam. Paludanus ibi q. 1. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 57. & Vega lib. 7. in concilium cap. 13. Huc pertinet sententia aliorum qui dicunt gratiam concreari, quia non producitur perse sed ad productionem subiecti grati, dequorum numero est Soto, in 4. d. 1. q. 3. art. 1. & 2. atque lib. 2. de natura, & gratia cap. 9. Secundus modus asserit gratiam educi de potentia naturali animæ, ita Scotus q. 1. prologi, & in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 2. Tertius est asserentium quod gratia atque supernaturalia dona neque creantur, quia fiunt dependenter ab anima infieri, & esse: neque educūtur de potentia animæ, quem sequuntur Sōcinas, Fonseca, & Cabrera vbi supra, existimantes ad eductionem requiri quod subiectum sit in potentia naturali passiua ad formam educendam per actionem

agentis naturalis: ac proinde actionem productiuam gratiæ neque eſſe creationē, neq; eductionē, ſed mediā: quæ infuſsio, vel ſupernaturalis generatio poteſt, & debet nun cupari, his ſauet Caiet. 1.2. q. 112. art. 1. dum ait productionem gratiæ neque ſimpliciter eſſe creationem, neque eductionem de potē tia ſubiecti. Sed omnes iſti modi deficiūt ab ueritate. Primus quidem, quia gratia neque creatur neque concreatur, nam humanitas Chriſti, & ſacramenta concurrunt phyſice ad gratiæ productionem inſtrumentaliter: vt docet D. Thom. 3. p. q. 13. art. 2. & q. 62. ſed nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum phyſicum creationis, vt ſupra oſtendimus: ergo. De inde quia forma quæ creatur prius ſubſiſtit in ſe, quam inſit in ſubiecto, vt patet de anima rationali quā propterea docet D. Thom. 1. part. quæſt. 75. art. 2. & 3. prius in ſe ſubſiſtere quam vniatur materiæ. Sed gratia cum ſit accidens nequit in ſe ſubſiſtere: ergo, denique nam gratia dependet infieri, & conſeruari a ſubiecto: totum enim eius eſſe, eſt in eſſe, quia accidentalis forma eſt, forma autem quæ creatur neque infieri neque in conſeruari dependet a ſubiecto: ergo. Eiſdem rationibus probatur ipſam non creari, quibus adde, quod forma concreata producitur ad creationem totius: ſed totum ſubiectum quod fit gratum non creatur: ſola enim gratia fit de nouo, cui præexiſtit ipſum ſubiectum: ergo neque ſubiectum gratum creatur, ſiquidem non producitur ex nihilo ſecundum totam ſuam entitatem: neque gratia concreatur. Secundus etiā defficit: quia potentia, & actus ſunt in eodē genere teſte Philoſopho 9. huius tex. 13. ſed gratia eſt actus ſupernaturalis: ergo nequit educi de potentia naturali animæ: ſicut neq; in illa poteſt præhaberi. Cōfirmatur, nā in anima non eſt potētia naturalis ad ſupernaturales formas recipiēdas, & materialiter cauſandas: ergo nequit gratia educi de potentia naturali: ſiquidem nulla poteſt educi de potentia quæ non eſt. Antecedens probatur: ratio potentiæ ſumitur per ordinem ad actum, & agens eiuſdem generis: vnde naturalis potentia paſsiua eſt quæ reſpicit actū, & agens naturale: ſed gratia eſt forma omnino ſupernaturalis: & agens potens illam cauſare atque ſimul reducere animæ capacitatem ad actum eſt omnino ſupernaturale: ergo talis animæ capacitas nequit eſſe potē tia naturalis. Tertius etiam defficit: primo quia omnis forma quæ dependet infieri, & eſſe a ſubiecto educitur de potentia illius, vt dictū eſt, neque eſt dare mediū inter formā quæ educitur, & illam quæ creatur: ſed gratia dependet infieri, & conſeruari ab anima: & non creatur: ergo educitur de potentia animæ. Secūdo quia aliàs neque humanitas Chriſti, & ſacramēta poſſent ad illā inſtrumentaliter cōcurrere, nequit enim cauſa ſecunda producere rē non educibilē de potentia ſubicti: cōſequens autē eſſe falſum patet ex dictis. Tertio, quia potentia naturalis paſsiua, & naturalis tranſmutatio, licet requiran tur ad eductionem formæ naturalis: ad eductionem vero formæ ſupernaturalis qualis eſt gratia requiritur concurſus potentiæ paſsiuæ obedientialis, & mutatio agentis ſupernaturalis: ſed ad productionem gratiæ concurrit potentia obedientialis animæ, & ſuper naturalis agentis actio: ergo. Quarto nā ſi in cœlo Deus miraculoſe produceret calorē aut aliam peregrinam imprimeret qualitatē, illā de potentia obedientiali educeret aut educere poſſet, ſi vellet (poſſet enim, & per creationē illam producere) & ſimiliter per eductionē: nulli enim dubiū eſſe debet, quod Deus per generationē poſſet talē qualitatē imprimere, & efficere vt cauſa aliqua ſecunda ad illius productionē cōcurreret: & de facto aliquod corpus cometā, ſcilicet, ſtellam in corpore cœleſti octauæ ſphæræ fuiſſe miraculoſe genitum lib. 10. oſtendimus: ſed talis eductio non eſſet de potentia naturali cœli: ſed ſolū de potentia obedientiali: nullam enim potentiam naturalem habet cœlum ad extraneas formas ſuſcipiendum: ergo ſimiliter quādo Deus producit gratiā, & alia dona ſuper naturalia in anima hominis: quia illa producit depēdenter ab ipſa anima præexiſtenti ex vi alterius actionis, educit ea de potentia animæ: non quidem de potētia naturali ſed de potentia obedientiali, cō ſequentia patet: nā ſic ſe habet anima ad huiuſmodi ſupernaturalia dona ſicut cœlum ad formas, & accidentia, quæ Deus ſuper naturaliter poteſt illi imprimere: quantum ad hoc quod ſicut cœlum huiuſmodi formarum ſuſceptioni non ſuponitur nec ſubijcitur per potentiam naturalem ſed per quandam obedientialem potentiam qua obedit agenti ſupernaturali, id eſt Deo operanti ſupra leges naturæ; ita anima donorum ſupernaturalium infuſsioni non ſubijcitur nec præſtat materialem concurſum per potentiam naturalem, ſed per potentiam obedientialem per quam eſt capax recipiendi dona gratiæ quæ ſupernaturalis auctor illi poteſt infundere. Vnde reiectis his modis dicendi vt pote falſis, & ab Angelici Doctoris mente alienis, vera ſententia eſt, quam nos docet D. Thom. in tribus dictis conſiſtens. Primum eſt, gratiam ac-

ſuper-

ſupernaturalia dona neque creari neque cō creari: quod ſuadetur rationibus quibus primus modus improbatur.

Gratiam educi de potentia ſubiecti defenditur.

Secundum eſt gratiam, ac ſupernaturalia dona educi de potentia animæ. Hoc relinquitur probatum eiſdem rationibus. Tertiū denique eſt, quod gratia, ac dona ſupernaturalia educuntur eductione ſupernaturali, & altioris ordinis quam ſit omnis eductio formarum naturalium: eo quod educuntur per virtutem ſupernaturalis authoris, & de potentia obedientiali animæ atque per actionē omnino ſupernaturalem. Hoc ſuadent rationes, quibus ſecundus, & tertius modus dicendi manent improbati, poſſentque ſingula dicta pluribus rationibus, & argumentis exornari, ſi hic proprius locus Theologicæ diſputationis adeſſet: quia tamen non adeſt, ſuo loco, hoc eſt Theologicis commentarijs Theologicam diſputationem relinquemus, hactenus dicta ſufficiant pro intelligentia Metaphiſicæ quæſtionis de eductione formarū. Interim tamen ne ignoret Metaphiſicus formas ſupernaturales dona ſcilicet, gratiæ educi de potentia ſubiecti obedientiali: hancque eſſe Angelici Doctoris ſententiā: legat ipſum Sanctum Doctorem in q. 1. de virtutibus, art. 10. ad 13. vbi docet gratiam, ac reliqua dona ſupernaturalia infuſa educi de potentia animæ obedientiali: & 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. & q. 113. art. 9. de veritate q. 27. art. 3. ad 9. & de potentia q. 3. art. 8. ad 3. in quibus locis docet creationem, & iuſtificationem differre tanquam motus diſtinctos: & creationem ex parte modi producēdi eſſe opus maius iuſtificatione: quia ſcilicet producit effectum ex nihilo. Suffragantur Caietanus 1. 2. quæſt. 113. art. 9. 3. p. q. 8. art. 1. & q. 13. art. 2. atque opuſculo de potētia animæ: Medina in locis allegatis ex 3. p. & 1. 2. q. 112. art. 1. & fere omnes Theologi Neoterici ſubſcribunt in hac ſententia Angelico Doctori. Et ideo iuxta illam reſpondetur, ad formam argumenti, negando minorem. Ad primam probationem, dico gratiæ infuſionem appellari creationem triplici de cauſa: prima eſt quam aſſignat D. Thom. 1. 2. quæſt. 110. ar. 2. Ad tertium. ſumpta ex ſimilitudine: quia ſcilicet ſicut creatio fit ex nullo ſubiecto præſupoſito, ita iuſtificatio fit gratis ſine meritis præcedentibus. Secunda ſumitur ex magnitudine termini producti per illam, iuxta regulam Hieronimi Epiſtola 2. & ad Epheſ. 2. & 4. afferentis in ſcriptura creationem, accipi pro productione rerum magnarum: vnde Geneſis 1. ſolum homo, & cæte grandia dicuntur creari: quæ tamen ex materia præexiſtenti producta fuere. Tertia ſumitur ex Baſilio Epiſtola 141. & ex Cyrilo lib. 5. Theſauri cap. 4. afferentibus creationem accipi in ſcriptura triplici-ter: ſcilicet, proprie pro productione ex nihilo, in quo ſenſu dicitur Geneſ. 1. creauit Deus cœlum & terram, & large pro reſurrectione: in quo ſenſu dicitur Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur*: ideſt reſurgent ex mortuis. Tertio pro mutatione in melius: & in hoc ſenſu iuſtificatio dicitur creatio, quia per illam homines mutantur in melius: vnde abſque mendacio iuſtos creatos in operibus bonis ac nouas creaturas ſacrum eloquium appellat modaliter, & ſimilitudinarie: hoc eſt propter ſimilitudinem iuſtificationis cum creatione, & propter doni gratiæ magnitudinem hominem in melius immutantis. Ad ſecundam negatur antecedēs: & ad primum teſtimonium D. Tho. Reſpōdetur quod propterea ait gratiā creari: quia non educitur de potentia naturali: cū enim creari ſit fieri ex non ſubiecto, atque ex nulla materia: fieri ex non ſubiecto poteſt dici id quod ex nulla materia naturali producitur. Ad ſecundū reſpondetur eodē modo: & ad rationem quæ videtur deſumi ex illo teſtimonio, negatur minor pro tertia parte: potētia namque obedientialis, vt docemus lib. 9. eſt ipſa entitas animæ vt capax formarum ſuper naturalium: quæ vt ſic poteſt præſtare cō curſum paſsiuum, & materialis cauſæ illarū eductioni. Ad tertium nego minorem: neq; enim Diuus Thom. appellauit deſitionem gratiæ, anihilationem: quia vere & proprie ſit anihilatio, ſed ſimilitudinarie, & modaliter: quia aſsimilatur in hoc anihilationi: quod ſicut anihilatio eſt deſitio totius entis, cuius neque pars, neque potentia aut ſubiectum manet: ita per deſitionem gratiæ, nihil ipſius gratiæ remanet, hoc eſt, neque remanet aliqua pars illius neque potentia aliqua naturalis in qua contineatur: quia tamen manet obedientialis potentia animæ, proprie eſt corruptio ordinis ſupernaturalis, quæ generationi eiuſdem ordinis correſpondet & aduerſatur.

QVÆSTIO V.

De comparatione totius ad partes eius in ſeptem Articulos diuiſa.

QVarta comparatio ſubſtātiæ in hoc libro à Philoſopho propoſita eſt illa, qua totam ſubſtantiam ad eius

partes, ex quibus Phiſice cõponitur, cõparatur. Ad huius autẽ cõpletũ examẽ ſeptẽ videnda ſunt, & totidem articulis examinanda. Primo videndum eſt, num totum Phiſicum à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis realiter diſtinguatur? Deinde quæ nam ex eius partibus alteram, aut totum ipſum excedat in dignitate ac perfectione? Tertio de pluralitate formarum ſubſtantialium inquirendũ eſt, an ſit compoſibilis multiplex forma ſubſtantialis in eadem materia: ſiue mixtorum ſiue elementorum, ſiue in partibus ipſis viuẽtiũ organicis, & humoribus? Sic enim & natura totius, & partium eſſentialium conditionibus declaratis ipſa quarta comparatio nempe totius ad partes relinquetur exacte declarata, cum vnaquæque cõparatio ex extremis ipſis pateſiat.

ARTICVLVS I.

An totum Phyſicum à partibus ſuis ſimul ſumptis, & vnitis realiter diſtinguatur?

23 IN hoc Articulo duplex verſatur ſententia, altera negat omnino, diſtingui totum Phyſicum à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis. Quam ſequũtur Durãdus in 3. diſtinct. 2. quæſt. 2. Ægidius lib. 1. Phyſicorum cap. 2. Gregorius in 1. d. 24. quæſt. 1. art. 1. & Paludanus in 3. d. 1. quæſt. 1, quibus ſubſcribit Soto lib. 1. Phyſicorum quæſt. 3. ita firmiter illam defendens, vt etiam ſi Ariſtotelis, & D. Thom. opoſitam alicubi inſinuare videantur, illam minime ei perſuaſiſſent, ait enim Soto, §. *Totum quinque modis credo quidem neque Ariſtotelem, neque Sanctũ Thomam nunquam id ſuſpicatos fuiſſe, & quamuis id alicubi inſinuare viderentur, credo mihi non perſuaſiſſent: adeo res mihi manifeſta videtur.* Ego tamen è contra adeo mihi parum credo, vt ſi oppoſitam ſententiam videre mihi demonſtrare, vt aliquando fuit viſum mihi totum à ſuis partibus non diſtingui: ſi tamen inueniſſem Ariſtotelem, aut Doctorem Angelicum afirmantem totum ex natura rei à partibus diſtingui, propriam ſentẽtiam deponerem: & hanc amplecterer, magis Doctoris Sancti intellectui, quam meo ingenio credens. Eandem cum Soto ſequitur ſententiam Suarez ſecũdo tomo Metaphiſicæ diſputatione 36. ſect. 3. in quorum verba alij Neoterici quos recenſere omitto, iurarunt. Secunda ſententia afirmat totum à partibus videlicet à materia & forma ſimul ſumptis, & vnitis realiter diſtingui, addereque ſupra illas quandam tertiam entitatem totalitatis, & integritatis atque completionis, ab ipſis partibus realiter entitatiue diſtinctam. Ita docent Coimbricenſes primo Phyſicorũ cap. 2. quæſt. 1. art. 3. 4. & 5. & Fonſeca lib. 5. huius cap. 2. quæſt. 2. ſect. 2. & tomo 3. in hoc 7. cap. 17. quæſt. vnica ſect. 3. Tertia & media gradiens via ait totum addere formalitatem totalitatis, integritatis, & completionis, ſupra partes vnitas, à quibus non vt tertia entitas, ſed vt noua formalitas ex natura rei diſtinguatur. Et hanc inuenio expreſſam apud Angelicum Doctorem in 3. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 3. & 3. p. quæſt. 6. art. 5. ad tertium; vbi Caietanus eandem contra Durandum ex profeſſo defendit ſententiam: & Capræolus in 3. diſtinct. 2. quæſt. 1. Scotus ibidem, quæſt. 2. Argentina in 2. diſt. 15. quæſt. vnica art. 4. Herueus quodlibeto 2. quæſt. 14. & Ferratienſis 4. contra gentes cap. 81. illam pluribus exornant, & proſequuntur, eſſeque expreſſam Ariſtotelis mentem, patet ex hoc 7. cap. 17. & 6. cap. lib. 8. ſecundo de anima cap. 1. & primo Phyſicorũ tex. 17. vbi afferit totum Phyſicorum nõ eſſe elementa, hoc eſt non eſſe partes, ex quibus cõponitur, eidem ſubſcribit Commentator in hoc 7. commento vltimo, & libro 5. commento. 6.

Adſtruitur realis diſtinctio totius à partibus.

Vnde pro huius ſententiæ explicatione. Reſpondeo dicendum primo: totum Phyſicum à ſuis partibus, ſcilicet à materia & forma ſimul ſumptis, & vnitis realiter diſtingui. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & probatur prænotando communem diuiſionem totius in totum eſſentiale Phyſicum, quod conſtat ex materia & forma, & totum eſſentiale Metaphiſicum, quod ſcilicet, ex partibus Metaphiſicis, ideſt ex genere, & differentia conſtat: & in totum integrale, quod ex partibus integrantibus reſultat: hocque duplex eſt, ſecundum quod partes integrales ſunt in duplici differentia: aliud homogeneum, ex partibus ſimilaribus, & aliud etherogeneum ex partibus conſtans diſimilaribus, ac in totum vniuerſale quod eſt ſuperius ad plures partes ſubiectiuas: & tandem in totum virtuale ſiue poteſtatiuum quod plures potentias virtute continet, ſicut anima reſpectu ſuarum potentiarum dicitur totum virtuale. Cum igitur certum ſit totum Metaphiſicum nedum à ſuis partibus ſimul ſumptis, ſed nec ab altera diſtingui realiter, homo enim nec ab animali, nec à rationali ſimul aut ſeorſum ſumptis differt reali diſtinctione. Similiter totum vniuerſale à partibus ſubiectiuis de

quibus

quibus eſſentialiter dicitur, nequit realiter diſtingui. Si autem ſit ſuperius accidẽtale quarti aut quinti prædicabilis, manifeſtum eſt diſtingui realiter quantum ad formale ſignificatum, ſecũdum quod de ſubiectis inferioribus accidentaliter prædicatur. Eadẽque certitudine conſtat, totum integrale nihil aliud eſſe præter partes vnitas, & ſimul ſumptas: eo quod integritas ipſa in ſola partium integralium coniunctione conſiſtit, & ex partibus continuatis fit continuum: & ſicut de tali toto verificatur quod diſtinguitur realiter à qualibet parte: de illo enim intelligitur axioma communiſsimum; *omne totum eſt maius ſua parte*: ita verificatur, quod non ſit maius omnibus partibus ſuis. Vnde Philoſophus 1. Phyſicorum tex. 17. fatetur continuum eſſe multa, ideſt eſſe multas partes vnitas cuius ratio, non eſt quam aſsignauit Fonſeca vbi ſupra quæſt. vnica huius ſect. 1. §. *quod autem*: ſcilicet, quia partes totius continui, & integralis homogenei non ſunt actu diſtinctæ: diſcreti autem ſiue diſsimilaris totius partes ſunt actu diſtinctæ, & carent vnitate, ita vt ex illis vna entitas non reſulter. Hoc enim fundamentum quoad vtramque partem eſt falſum, nam partes continui homogenei actu ſunt diſtinctæ, vt in linea actu ſunt duæ mediationes, licet non ſint actu entia perſe quoad vſque per actualem ſeparationem reducantur ad actum entis perſe: per ſeparationem namque guta aquæ fit vnum indiuiduum aquæ, quæ antea tantum erat aqua in potentia, ſed tamen actu erat pars aquæ qua ratione lib. 5. Latius oſtendimus punta, lineas ac ſuperficies actu in quantitate continua reperiri. Rurſus quod partes totius diſcreti, & totius etherogenei non habeant vnitatem ratione cuius non reſultet aliquod totum vnum perſe; falſum eſt: tum quia numerus eſt ens perſe vnum in recta linea prædicamentali colocatum, vt in eodẽ libro demonſtrauimus. Tum etiam quia in partibus totius eterogenei non ſunt plures animæ, aut formæ ſubſtantiales: ſed vnica dũtaxat anima totius informãtur: ſolũ enim pennes accidentales formas diſcriminantur: igitur nihil obſtat earum vnitati. Ratio igitur eſt, quia continuatio ipſa ſimul eſt vnio partium integralium, & completio totius continui: non enim fit ex duabus aquis vna aqua, niſi per hoc quod ambæ continuantur, ſolutaque continuatione iterum redeunt ad ſuas terminationes, & fiunt duæ aquæ, quod etiã in toto continuo eterogeneo verum habet. Secus vero, in toto diſcreto, videlicet numero, quatenus ex vltima vnitate tanquam ex forma, & ex alijs non vltimis vnitatibus tanquam ex materia adæquata cõponitur. Imo in illo cum reſultet vnum tertium compoſitum *ex his*, quod pro nulla parte ſuponit, neque in ſola vnius aut vtriuſque partis entitate conſiſtit: non enim ſenarius eſt ſex vnitates ſimul ſumptæ præciſe: ratio totius diſtinguitur ſicut in toto Phyſico à partibus omnibus ſimul ſumptis. De toto autem virtuali certum quoque eſt diſtingui aut realiter formaliter, aut realiter entitatiue à ſuis partibus etiam ſimul ſumptis, ſicut certum eſt animã à ſuis potentijs, & ſubiectum à paſsionibus quæ ex illius dimanant eſſentia diſtingui, aut primo, aut ſecundo modo. Ideo omiſſa comparatione totius, in hac quadruplici acceptione, ad partes in concluſione tantum fit ſermo de toto eſſentiali Phyſico ad materiam & formam ſimul ſumptas, & vnitas comparato. Præſertim vt Philoſopho morem geramus, qui in hoc libro cap. 17. dumtaxat de toto in hac acceptione ad partes cõparato verba fecit. Igitur hoc ſupoſito, probatur noſtra concluſio. Primo, nam Ariſtoteles in locis adductis duo aſſerit, ſcilicet totum nõ eſſe ſolas partes, ſed aliquid reſultans ex earũ coniunctione, ſicut ſylaba non eſt plures literæ aut elementa, ſed quidpiam ex earum cõiunctione reſultans. Et tria eſſe genera ſubſtantiarum, aliud ſubſtantiæ completæ, ſcilicet compoſitum: & alia duo ſubſtantiæ incõpletæ nempe materiam & formam, ex quarũ coniunctione compoſitum quod eſt ſubſtantia completa reſultat: ſed quod reſultat ex aliquorum coniunctione non eſt realiter ipſa coniuncta: aliàs idem â ſeipſo reſultaret: quod eſt impoſsibile, quia reſultantia vnius ab altero, inter vtrumque exigit realem diſtinctionem. Secundo, nam D. Thom. in loco citato ex tertio ſententiarum ait, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe humanitatem ex vnione formæ cum materia reſultantem, & art. 5. citato ex 3. p. Docet verbum prius natura aſſumpſiſſe partes humanitatis ſimul ſumptas, ac proinde vnitas, quam totum, ordine exequtionis: è contra vero, ordine intentionis, prius totum quam partes aſſumpſiſſe. Et in eadem tertia parte quæſt. 50. art. 2. ad tertium colligit D. Thom. ex illo teſtimonio Athanaſij. *Maledictus qui totum hominem quẽ aſsumpſit Dei Filius denuo aſsumptum, vel libe ratum tertia die à mortuis reſurrexiſſe non confitetur*: Verbum Diuinum in reſurrectione nõ aſſumpſiſſe partes humanitatis denuo etiam ſimul ſumptas, & vnitas: aliâs denuo fieret homo, & humanatum fuiſſet ac factum caro Verbum Diuinum, quod fides non admittit: ſed aſsũpſiſſe naturæ humanæ totalitatẽ, quæ per mortem fuerat diſoluta. Ex his teſtimo-

nijs

nijs duplex deducimus argumentum: Primũ eſt: nam vbi eſt ordo, & prioritas naturæ, & cauſalitatis, eſt realis diſtinctio: ſed inter partes humanitatis vnitas eſt ordo naturæ, & cauſalitatis à Sancto Doctore conſtitutus: ergo & diſtinctio realis. Maior patet: quia nulla res poteſt eſſe aut cauſa ſui ipſius aut ſecundum naturam ſiue via originis, ſiue ordine intentionis prior ſeipſa. Minor vero probatur, nam D. Thom. fatetur humanitatem reſultare ex partibus vnitis, in quo fatetur cauſalitatem. Et fatetur expreſſe humanitatem prius ordine intentionis fuiſſe aſſumptam, partes vero prius ordine exequutionis aſſumptas fuiſſe à verbo, & medijs illis aſſumptam fuiſſe totam humanitatẽ, in quo iam ordinẽ naturæ, & originis agnoſcit: ergo. Tertio, nam ſicut partes ſuperſtites poſt ſeparationem vt materia prima, & anima rationalis non amittunt rationem partis, quia retinent ordinem vnibilitatis: ita per vnionem non amittunt rationem partis, & entis incõpleti; ergo neque vnitæ poſſunt eſſe totum completum. Confirmatur primo, nam ſequitur, hanc eſſe veram: Chriſtus eſt humanitas in concreto, ſiue vnita: ſicut & hanc: homo eſt anima vnita, & in concreto: ſiquidem eſt ſuæ partes: conſequens autem eſt falſum: ergo. Confirmatur ſecundo, nam totum ſubſtãtiale eſt vnum ens perſe poſitum in genere entis prædicamentalis in recta linea; partes autem etiam vnitæ non habent rationem vnius tertij entis perſe aut poſiti in recta linea prædicamentali: ergo non ſunt idem cũ toto ſubſtantiali. Confirmatur tertio: nihil ſeipſo eſt perfectius: ſed tota humanitas, verbi gratia, eſt perfectior ſuis partibus vnitis: ergo. Minor patet: quia idem eſt aliquid eſſe prius ordine intentionis: & eſſe perfectius: humanitas autem prius ordine intentionis fuit à Filio Dei aſſumpta, vt dictũ eſt ex Angelico Doctore, & propter illam partes vnitæ fuerunt ab eo aſſumptæ: ergo. Quarto probatur noſtra concluſio: nam nihil poteſt aut ſeipſum cauſare, aut ſeipſum componere: ſed materia & forma coniunctæ non ſolum à principio actualis coniunctionis in inſtanti quo per generationem ſubſtantialem forma fuit in materiã introducta, ſed poſt illud primum inſtans quandiu permanent vnitæ atque coniunctæ cauſant totum compoſitũ; ſuas enim circa illud, & circa ſeipſas mutuo exercent cauſalitates, & ſimul componunt: quia earum cauſalitas cum intrinſeca ſit in compoſitione conſiſtit, aut habet illam intrinſice annexam: ita vt quandiu durat cauſalitas, & compoſitio perſeuerare debeat: ergo. Non autem materia & forma vt ſubſunt vnioni, componunt, aut cauſant ſeipſas etiã vt vnitas: etenim vnio ipſa & actualis coniũctio, aut eſt actiua. Et ſic eſt actio generantis: aut eſt paſsiua, & ſic eſt cauſalitas materiæ, & formæ, media qua vna eſt cauſa reſpectu alterius, & vtraque reſpectu totius: ſed cauſatum Phyſice debet eſſe diſtinctum realiter à cauſa, & ab eius cauſalitate: cum cauſalitas inter cauſam, & effectum cauſatum mediare debeat: ac proinde, cum partes vt vnitæ ſolum ſint duæ cauſæ cum cauſalitate duplici ſumptæ, diſtingui debent à cauſato quod eſt totum: ergo diſtingui debet totum à partibus etiam vt vnitis. Declaratur efficacia huius argumenti: de partibus vt vnitis, verificatur quod ſint cauſæ totius, verbi gratia, hominis, actu illum cauſantes: ergo de eiſdem nequit verificari quod ſint effectus cauſatus à partibus vt vnitis: de eodem enim nequit verificari, quod reſpectu eiuſdem ſit cauſa, & effectus cauſatus. Antecedens probatur: nã materia & forma media vnione cauſant totum: ratio enim cauſandi eſt in ipſarum entitatibus: cauſalitas vero in actuali vnione, neque eſt alia vnio inter materiam, & formam præter vtriuſque modum cauſalitatis: poſita namque materia prima cũ ſuo modo cauſalitatis ad formam terminato, & poſita forma cum ſua cauſalitate, ſcilicet, modo informationis, ſufficienter ponitur vnio materiæ cum forma, per quam cauſatur compoſitũ. Vltimo probatur: nam niſi ponatur ratio totalitatis diſtincta à partibus hominis vnitis, non ponitur quidquid requiritur ad veritatem huius propoſitionis: *homo generat hominem*: ergo non eſt admitenda ſententia realẽ tollens totius à partibus vnitis diſtinctionem. Antecedens probatur: nam non ſufficit ad veritatem illius, quod homo producat modum vnionis materiæ ac formæ, qui earũ cauſalitas eſt: ſed requiritur quod aliqua entitas producatur: & cum non ſit entitas materiæ aut formæ, erit ipſum totum, quod eſt homo vt ſubeſt totalitati. Dices hominem generare alium hominem per actionem qua animam rationalem introducit in materiam mediis diſpoſitionibus ad talem coniunctionem requiſitis: ſicut domũ ædificat, qui formam artificioſam cum lapidibus, & alijs materialibus coniungit, & album produceret, qui albedinem ab alio productam vniret alicui corpori. Sed contra: nam licet actio generatiua hominis ſit illa, quæ animam rationalem mediis diſpoſitionibus coniungit cũ materia: tamen eius terminus totalis, & vltimus non eſt ipſa actualis coniunctio partiũ, ſed eſt aliquid vlterius ex coniunctione reſultans, quod eſt totum ſub forma totalitatis,

tis, ſcilicet homo genitus, cuius eſt generari ſicut & eſſe. Eadem eſt ratio de toto artificioſo, & de toto accidentali: in quibus vnum aliquid perſe reſultat ex partibus coniunctis: ſecus vero de ente omnino per accidens; ex cuius partibus nullum ens vnum perſe reſultat.

24 Dico ſecundo illud quod totũ addit ſupra partes vnitas non eſt ens aut res diſtincta, ſed quædam formalitas integritatis ſiue totalitatis atque completionis, ex natura rei diſtincta ab alijs. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores ſecũdæ ſententiæ: & probatur argumẽtis, quibus prima ſententia ſolet roborari, etenim illa hanc noſtram concluſionem conuincunt efficaciter, quinimo nihil aliud conuincunt. Quorum primum deſumitur ex teſtimonijs Ariſtotelis, & Angelici Doctoris: etenim Ariſtoteles lib. 2. de anima cap. 1. *Vt pupilla & aſpectus eſt oculus: ita anima & corpus eſt animal.* In eandemque ſententiam inclinat 1. Phyſicorum cap. 2. tex. 17. ſauet D. Thom. 4. contra gentes cap. 81. dicens in hæc verba. *De humanitate, vero non eſt intelligendum quod ſit quædam forma conſurgens ex coniunctione formæ ad materiam quaſi realiter ſit alia ab vtroque.* Eandem ſententiam habet in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 2. 5. huius lect. 20. & 1. p. q. 11. art. 1. & quæſt. 75. art. 4. & quæſt. 77. art. 1. ad primum, in quibus teſtimonijs quando dicitur animam, & corpus eſſe animal: de identitate ſaltem identica debet fieri ſermo: & quando dicitur humanitatem non eſſe aliam formam â materia, & anima: ſola alietas entitatiua debet excludi. Huic accedit ſecundũ argumentum ex patribus deſumptum. Athanaſius enim in ſymbolo proteſtatur: ita Deũ & hominem eſſe vnum Chriſtum, ſicut anima rationalis, & caro eſt vnus homo: Chriſtus autem â Deo & homine nõ eſt tertia entitas diſtincta: ſauet Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 4. dicens: *homo nihil eſt aliud, quam anima & corpus*: & cõſonat illud Dionyſij de cœleſti Hierarchia cap. 1. *mors in nobis non eſt ſubſtantiæ conſumptio, ſed vnitorum ſeparatio*: quod falſum eſſet ſi totum quod corrũpitur, eſſet tertia entitas à partibus diſtincta. Tertium eſt, nam ſi illa ratio totalitatis eſſet tertia entitas: aut eſſet ſubſtantia, aut accidens: neutrum poteſt ſuſtineri: non quidem quod ſit accidẽs: quia hoc totum, quod eſt Petrus, verbi gratia, eſt prima ſubſtãtia: neque quod ſit ſubſtantia: quia ſuponit ens in actu iam cõſtitutum: ſuponit enim materiam actuatam per formam: ſiquidem ex vtriuſque partis vnione reſultat: quidquid autem aduenit enti in actu, eſt accidens: vt teſtatur Ariſtoteles ſæpe ſæpius, præſertim in hoc 7. ca. 12. & 1. de generatione cap. 1. Neque valet ſolutio aduerſariorum aſſerentium totalitatis rationem non aduenire materiæ actuatæ per formam ſubſtantialem, vt formam ſecundario aduenientem, ſed vt formam ex ipſis partibus compoſitam. Nam ſi illa totalitas eſt tertia entitas, neceſſarium eſt ipſam aduenire entitatibus vnitis materiæ & formæ, & eſſe extra illas, ſicut entitas albedinis eſt extra entitatem corporis cui aduenit: ergo ratio tertia manet inconcuſa. Quantum deſumitur ab inconuenienti: nam ſi illa forma eſſet entitas diſtincta ab entitatibus partium vnitarum poſſet ab illis ſeparari non minus quàm accidens proprium poteſt à ſuo ſubiecto ſeparari à quo entitatiue diſtinguitur. Rurſus eſſet indiuiſibilis, & ſe tota diuerſa à partibus vnitis eo modo, quo accidens ſe toto eſt â ſubſtãtia diſtinctum: ſi enim diuiſibilis eſſet in ipſas partes ſcilicet in materiam & formam, & illas includeret vt partes ſui; iam non eſſet tertia entitas diſtincta ab illis. Denique eſſet concedendum, quod Diuinum Verbum in triduo dimiſerit aliquid ex aſſumptis, ſcilicet illam tertiam entitatẽ, quæ eſt tota natura humana, quam in Incarnatione ſuſcepiſſet: quod tamen eſt falſum, quia obſtat, illud commune axioma Damaſceni lib. 3. de fide cap. 3. à Theologis aprobatũ: quod Verbum Diuinũ nihil dimiſerit ex his quæ ſemel aſſumpſit: ergo dicendum eſt naturam humanam nihil reale entitatiue diſtinctum addere ſupra partes vnitas, niſi totius formalitatem, quam non eſt inconueniens fateri fuiſſe dimiſſam, imo neceſſario fateri debemus fuiſſe dimiſſam huiuſmodi formalitatẽ, ſicut & modus vnionis ipſarum partium fuit dimiſſus: & propterea Verbum deſijt eſſe homo in triduo: & vtramque formalitatẽ, vnionis, ſcilicet partium inter ſe, & totalitatis fuiſſe re aſſumptam in reſurrectione credendum eſt. Sed quia hæc formalitas non eſt entitas diſtincta ab entitatibus materiæ & formæ, quas nunquam dimiſit, neque de nouo aſſumpſit: ideo verum eſt axioma Damaſceni quod Verbum numquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit, ideſt, entitatem, quam ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, &c. Sed quatenus hæc argumenta militant aduerſus noſtram primam concluſionem: ad eorũ ſingula reſpondendum eſt. Ad primum fateor quod Philoſophus, & D. Thom. in illis teſtimonijs ſenſerunt animam, & corpus eſſe animal, ſiue humanitatẽ ac proinde partes vnitas eſſe totum: non quidem omnimoda vnitate: ſed ea dumtaxat quæ excludit diuerſas entitates. Ad ſecundum reſpondetur iuxta

eandem ſolutionem. Athanaſius enim ſolū vult animam rationalem, & carnē eſſe vnū hominem, ideſt eandem entitatem cum hominis entitate: ita vt ſuponant pro eodem, ſicut Deus & homo ſuponūt pro eodē Chriſto, & ſupoſito Deitatis & humanitatis. Auguſt. vero eatenus ait hominē nihil eſſe aliud quā animā, & corpus quatenus nulla alia entitas eſt homo præter animæ & corporis entitatē. Dioniſius quoque mortē hominis nō eſſe ſubſtātiæ cōſumptionē, ideſt non eſſe alicuius entitatis diſtinctæ ab entitate materiæ, & ab entitate animæ rationalis deſitionē: eo quod materiæ, & animæ rationalis entitates per hominis mortē nō conſumuntur: non tamen negat, aut negare poterat Dioniſius cō ſumi hominē in morte, quæ eſt corruptio ac deſitio totius cōpoſiti per vnionis partiū diſſolutionē. Ad tertiū dicendū eſt illā formalitatē totius eſſe ſubſtantiā omnibus modis in compoſitis ſubſtantialibus. Nam eſt ipſamet entitas, & ſubſtantia cōpleta hominis in homine, & in equo eſt ipſa equi ſubſtantia, & entitas: & in vnoquoque cōpoſito, ratio totius eſt idē ſecundū concluſionē quod ipſum totū ponibile in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ: nec aduenit enti cōpleto, & conſtituto in actu ad inſtar accidentis: eo quod accidens aduenit enti ſic in actu conſtituto, quod præſuponitur conſtitutum in ratione vnius perſe, cōpleti, & habentis rationē totius: formalitas autē hæc eſt ratio cōſtituendi partes vnitas in eſſe vnius perſe cōpleti, integri, & totius; ſic non aduenit enti in actu. In cōpoſitis autem accidentalibus ſiue artificiatis quia hæc totalitas ſecundum rem identificatur cum ſubiecto, & forma ex vtriuſq; conditione, & natura conflatur: ita vt ex parte formæ ſit accidens, & ex parte materiæ ſcilicet ſubiecti ſubſtantialis ſit ſubſtantia. Neque enim eſt tanta vnitas in huiuſmodi compoſitis accidentalibus vt vniuſcuiuſque totalitas nequeat ſubſtantiæ, & accidentis aliquod admiſcere, cū defectu vnitatis perfectæ in recta linea prædicamentali accidentiū non collocentur. Neque hoc mirū eſt cū totalitas hominis, & ex corporali, & ſpirituali cōfletur: ſicut homo ipſe ex corpore, & ſpiritu componitur cum quibus eius totalitas ſecūdū rationem identificetur. Ex his patet ad improbationem dictæ ſolutionis: quod totius ratio aduenit quidem entitatibus partiū vnitis, ſed nondum aduenit enti vni complete in actu, quia ab illo partes ipſæ accipiunt rationem totius, vnius perſe & completi. Et cum non ſit entitas tertia non ſequitur ipſam eſſe debere extra partium entitates. Ad quartum reſpondetur ex noſtra concluſione illa inconuenientia non ſequi. Non enim ſequitur primum, ſiquidem nos nō cōcedimus eſſe tertiā entitatem ab entitatibus partium diſtinctā. Neque ſequitur ſecundū, quia ſicut cōpoſitum eſt diuiſibile, ita totum eſt diuiſibile in ſuas partes quas actu includit: compoſitum enim, & totū idem ſunt: & ſimiliter ſi in abſtracto ſumātur ratio cōpoſiti, & ratio totius: vtraque diuiſibilis eſt in plures partes; ſicut nedum homo, ſed etiam humanitas eſt diuiſibilis in materiam & formam; ac proinde nec ſequitur tertium, ſcilicet quod ſe tota ſit illa ratio diſtincta à partibus vnitis, & expers illarum: cum reuera illas includat. Quartum vero potius eſt pro nobis, qui non concedimus tertiam entitatem ſuperadditā partibus vnitis humanitatis: ac proinde conſequens non ſequitur quod debeamus concedere Diuinum Verbum dimiſiſſe in triduo, aut re aſſumpſiſſe in reſurrectione aliquam entitatem ex aſſumptis, vt ibi ſatis explicatum fuit. Vltra hæc argumenta communia quibus prima ſententia à ſuis authoritatibus comprobari ſolet: poteſt adhuc aduerſus noſtras concluſiones obiici primo aduerſus primam. Perſona Chriſti eſt perſona compoſita teſte D. Thom. 3. p. quæſt. 2. art. 4, & tamen eſt idem cum ſuis componentibus ſimul ſumptis: de illa enim vere affirmatur quod ſit Deus & homo, & è contra Deus & homo dicuntur eſſe vnus, & idem Chriſtus; vt patet ex ſymbolo citato Athanaſij: ergo idem de alijs compoſitis eſt aſſerendū.

25 Secundo: quia ſcilicet totum, verbi gratia, homo includit formaliter hoc eſt, inclusione formali partes vnitas, ſicut includit gradum animalis & rationalis: aut includit illas inclusione materiali, ſicut Albedo inhærens includit corpus cui inest: & actio includit motum: non primum, quia alias eſſent omnino idem formaliter totum, & partes vnitæ: non ſecundum, quia, vel illud formale quod ſuperadditur partibus vnitis, verbi gratia, in homine, eſt homo aut humanitas: vel eſt aliqua formalitas hominis, quæ non ſit homo aut humanitas: neutrum congruenter poteſt dici: nam ſi eſt homo aut humanitas: ergo eſt tertia entitas diſtincta à ſingulis partibus ſicut includens ab incluſo; ab illis tamen ſimul ſumptis non diſtinguetur: ſi autem eſt noua formalitas quæ nec ſit homo nec humanitas: ſequuntur plura inconuenientia haud quaquam admittenda. Sequitur namque primo, quod homo non ſit eſſentialiter totum, ſiquidem eſt totum per formalitatem ſuæ eſſentiæ ſuperadditam, ſicut eadē ratione nō eſt eſſentialiter ſimile, neq; eſſentialiter eſt Pater aut Filius. Sequitur ſecundo

cundo prædicata superiora hominis distingui ex natura rei, verbi gratia, animal, corpus, sensibile, substantia, compositum, & totum: non enim est maior ratio quæ conuincat debere distingui ex natura rei rationem compositi, & totius, quam cætera prædicata, & per consequens omnia erunt inter se, & ab homine ex natura rei distincta. Sequitur tertio ex illa formalitate superaddita, & ipso homine resultare aliud compositum siue totum per aliam tertiam formalitatem supra partes primæ compositionis vnitas: & sic dari infinitas rationes totalitatis in homine, ac infinitas compositiones: cum tamen vna dūtaxat sufficit constituere hominem, scilicet ex materia, & forma vnitis adiuncta subsistētia. Sequitur quarto animam rationalem nō constituere formaliter hominem neque hominem esse effectum formalem animæ rationalis, quod est falsum, & minime concedendum. Consequentia patet: nam eadem forma est ratio constituendi per se ipsam totum hoc quod est homo; & constituendi hominē ipsum: sed anima rationalis non est ratio formalis per se ipsam constituens huiusmodi totum, sed mediante illa noua formalitate totalitatis illud constituit: ergo neque esset ratio constituendi per se ipsam hominem. Ad primam probationem respondetur, personam Christi in esse hominis habere quidquid est de essentia hominis, & consequenter rationem totius consequutam ex corpore, & anima rationali vnitis, & illis superadditam: quatenus vero, persona Christi est composita ex Deitate, & humanitate, quia hæc non sunt partes proprie, sed extrema componentia, ex quibus non resultat aliquod tertium, non requiritur rationem totius esse ipsis extremis vnitis superadditam. Sed neque à veritate alienum esse existimo totū aliquod ex huiusmodi extremis vnitis resultare, quod est Christus formaliter loquendo: qui licet suponat pro Deo, & hoc homine: tamen formaliter aliquid includit quod neque includit Deus, neque includit homo: ratione cuius totus Christus dicitur persona composita quæ ex vnione Dei cum homine resultat. Sic tamen causaliter, aut identice, aut vtroque modo simul totum dicitur esse partes simul sumptas, in quo sensu locutos fuisse Aristotelem, & Angelicum Doctorem insinuauimus: quoties apud ipsos inueniuntur propositiones affirmantes hominem esse, animā & corpus, & totum nihil aliud esse quàm partes vnitas. Ita fateri debemus Deum, & hominem esse vnum Christum, idest, identice siue causaliter. Quatenus ex Dei, & hominis vnione resultauit persona vnius Christi compositi, quamuis cum duplici discrimine ad alia composita substantialia. Nempe quod illius compositionis extrema non fuerūt vere partes dicentes incompletionem, dependentiam, & ordinem per se ad talem compositionem, & quod persona resultans non est tertium aliquod *ex his*, quod pro neutro cōponente nequeat suponere. Ex quo duplici discrimine multis videtur nullam cogere necessitatem ad asserendum totum resultans distingui debere ab ipso Deo, & homine vnitis, & simul sumptis. Ad secundam dicendum est, quod totum includit partes vnitas inclusione materiali: siquidem ex eis resultat, & illas vt sic vnitas suponit: sicut è contra ipsæ partes vnitæ includant totum identice, & causaliter: quia secundum conclusionem sunt idem cum illo: & sunt id ex quo veluti causatur, & resultat totum. Ad huius impugnationem dico, quod totum resultans ex corpore, & anima rationali est homo ipse in concreto, & ex eis in abstracto resultat humanitas. Vnde sicut homo siue humanitas est tertia entitas distincta entitatiue à singulis partibus seorsum; ab omnibus tamen vnitis solum formaliter distincta: ita totum est tertia entitas à singulis partibus diuisiue entitatiue, ab omnibus vero vnitis solum formaliter distincta, estque ratio totius noua formalitas non respectu hominis aut humanitatis, sed respectu materiæ, & formæ vnitarum. Vnde non sequūtur illa incōueniētia. Ad primū enim, & ad secundum negatur sequela. Ad tertiū similiter neganda est sequela, cum enim illa formalitas nō ponat in numero cū homine, nō cōponit cū illo, quia tamē ponit in numero cū partibus vnitis, cōponit cū illis: & cōponit totū hominē, in qua cōpositione ipsæ partes vnitæ exequūtur munus materiæ adæquatæ, & totalis: ratio vero totius exequitur munus formæ totalis. Sed quia ea ipsa ratio totalitatis, per se ipsam cōstituit totū ac proinde cessat processus infinitū rationū totalitatis: hæc solū resultat ex compositione, siue vnione in qua neutrum extremum est ratio totalitatis: & sic resultat ex vnione materiæ & formæ partialis: secus vero ex vnione partium omniū, & formæ totalitatis. Ad quartū concedo, quod anima rationalis nō cōstituat formaliter hominē vt forma totalis: bene tamen cōstituit, vt forma partialis. Quia ad huiusmodi cōstituēdi modū sat est, quod actuet materiā illā informando, ex qua informatione resultat ratio totius. Respondetur secundo, quod anima constituit formaliter hominē sicut albedo cō stituit album. Sed hic modus constituendi non tollit resultantiam formali-

malitatis totius: ſicut enim album non conſiſtit formaliter in communicatione albedinis, ſed ex illa reſultat: ita homo non conſiſtit in vnione animæ cum corpore, quinimo neque eſt ipſa anima, vt vnita corpori, ſed potius conſiſtit in illo tertio quod reſultat ex anima rationali, vt corpori vnita. Quod ſi vrgeas: ſequi adhuc ex noſtra ſententia hominem non conſtare ex anima rationali, & corpore, ſiquidem illas formali in cluſione nõ includit: ſed potiꝰ cõſtare ex ratione totius, & partibus, vt vnitis: vel potius eſſe ipſum totum præſuponens partes. Reſpondetur, in ipſo toto includi partes vnitas videlicet materiam, & animam, non ſub formalitate materiæ, & animæ: ſed ſub formalitate hominis ſiue talis totius, ſeu entis completi. Entitates namque materiæ, & formæ vnitæ duas ſubeunt formalitates: prima earum eſt multiplex, formalitas, ſcilicet materiæ; formalitas formæ, & vnionis. Secunda formalitas eſt vnica vnitate compoſitionis completæ, & totalitatis, & hæc formalitas non præſcindit ab ipſis partium entitatibus, ſed ſolum præſcindit à formalitatibus nomine materiæ, & nomine formæ ſignificatis. Vnde in duplici ſenſu ſaluatur hæc propoſitio, hoc eſt compoſitum ex materia, & anima: primo in ſenſu cauſali, per litera *Ex* denotato, ideſt, eſt compoſitum reſultans ex materia, & anima præſupoſitis ad rationem hominis, & totius. Secundo in ſenſu formali, ideſt, homo eſt compoſitus ex entitatibus materiæ, & animæ, non ſub his formalitatibus, ſed ſub alia, ſcilicet, ſub formalitate totius. Vnde quoties docuimus rationem totius in formalitate conſiſtere, & illam formalitatem eſſe entitatibus materiæ, & formæ ſuperadditam: hæc eſt mens noſtra, vt ratio totius ſit formalitas reſpectu formalitatis partium ex eis reſultans: & quod reſpectu entitatum partium ſub formalitate partium eſt noua, & ſuperaddita: nolumus autem negare ipſam eſſe formaliter, & eſſentialiter entitatem, includentem eaſdem numero partium entitates ſub alia tamen formalitate, ac proinde vt hoc vnico verbo cõcludã: totũ eſt aliud à partibus alietate formali, & non alietate entitatiua: quia inter totum, & partes vnitas eſt formalitatum, ſed non entitatum alietas. Et ex hoc ſumitur nouum argumentum quo probatur, totũ à partibus vnitis diſtingui: nam totum conſtat ex partibus: partes vero vnitæ non conſtãt ex partibus: alias ſicut homo cõſtat ex materia, & anima; ita materia, & anima cum vnione conſtarent ex materia, & anima cum vnione; quod à veritate alienum eſt.

ARTICVLVS II.

An forma ſubſtantialis; dignitatè, materiam & totũ ipſum excedat?

26 DE argumento huius articuli agit Philoſophus hic cap. 2. vbi confert hæc tria inter ſe, ſcilicet materiam, formam, & compoſitum: occaſionêque præbuere dubitandi Metaphiſicis, verba ipſa reſolutiua Philoſophi quibus non abſolute, ſed ſub cõditione determinat cõpoſitum excedere materiam, & formam: ſi tamẽ forma excedat materiam, dicens ad finem tex. 7. *Quare ſi forma prior eſt magiſque ens, quam materia, & vtique quod ex vtrobque conſtat, eadem ratione prius erit.* Tres igitur ſunt ſententiæ in hac parte. Prima fuit Phyſicorum præcedentium Ariſtotelẽ (contra quos ipſe videtur in dicto cap. 3. ſentire) aſſerentiũ materiã eſſe totũ compoſitum ſubſtantiale, ac proinde eſſe priorẽ dignitate formis ipſis: eo quod ſubſtantias per ſolas formas accidentales differre: & ſolas illas per generatiõnem, & corruptionem adquiri aut amitti exiſtimabant. Hos ſupra quæſt. 3. art. 1. retulimus: illoſque inuenimus relatos à Philoſopho 1. de generatione cap. 1. & 10. huius c. 3. ſecunda ſententia huic ẽdiametro oppoſita aſſerit formã ſubſtantialẽ eſſe nedũ materia prima, ſed etiã ipſo compoſito nobiliorem. Quã ſequuti fuere Auerrois in hoc 7. commẽto 21. & 34. Iãdumus hic q. 12. Simplicius 3. de anima tex. 9. & Temiſtocles ibidẽ, & 1. Phyſicorũ tex. 81. atq; Alexander lib. 2. huius tex. 12. & in hoc 7. tex. 7. quibus ſubſcripſerũt Zimaracheore 10. & Niphus hic diſp. 5. Sed in explicatione huius ſententiæ Authores relati diuiduntur in duos modos dicẽdi. Auerrois namque, Alexander, & cæteri Græci ideo hãc formæ ſubſtantiali tribuerũt dignitatem, quia ipſam eſſe totã quidditatẽ, & rei ſubſtantiam exiſtimarunt: materiã autem primã, extra quiditatẽ eſſe putantes. Zimara vero, & Niphus, ſolum credebant formam ipſam eſſe partem quiditatis, & nihilominus illã ſibi perſuaſerunt eſſe compoſito nobiliorem. Tertia ſententia media gradiẽs via, aſſerit formam eſſe ſimpliciter materia nobiliorem: è contra vero compoſitum eſſe ſimpliciter nobilius forma: licet ſecundum quid ab illa excedatur. Hãc ſubſtinet D. Th. 1. p. q. 3. art. 7. Scotus in hoc 7. q. 6. Antoniꝰ Andræas q. 5. Soncinas, q. 18. eſtque Latinorũ omniũ cõmunis, vt videre licet apud Põſecam, cap. 13. quæſt. vnica ſect. 2. ex Græcis autem illam Simplicius primo Phyſicorum

rum tex. 52. & lib. 2. tex. 4, amplecti videtur. Respondeo dicendum primo formam substantialem esse materia prima nobiliorem ac simpliciter perfectiorem. Hæc conclusio statuitur aduersus Authores primæ sententiæ qui formas substantiales ignorantes materiam primam omni forma nobiliorem putabant. Sed nostra conclusio probatur primo suponendo dari substantiales formas ex generatione, & corruptione substãtiali: ex quibus euidens argumentum desumitur ad demonstrandum dari formas substantiales, in quarum amissione corruptio, & in quarum introductione generatio substantialis consistit. Nam quod est magis ens, est magis perfectum, cum perfectio sequatur entitatem: sed forma substantialis est magis ens quàm materia: quia materia est pura potẽtia actualitatis expers: forma vero est actus essentialiter: ergo est magis perfecta sicut, & magis actualis: cõsequentia patet; quia quo aliquid est ens actualius, eo perfectius est: cum perfectio sit, vel ipsa actualitas, vel ad actualitatem entis consequuta. Confirmatur: nã cæteris paribus ex duobus entibus, illud est nobilius simpliciter, quod magis de entitate, & actualitate habet in se: sed materia, & forma participantur in ratione entis substantialis partialis, & incompleti atque in simplicitate: forma autem Physica excedit materiam in ratione entis actualis: ergo simpliciter forma est nobilior materia prima. Secundo illud est perfectius simpliciter, quod secundum suam rationem formalem, & essentialem excedit alterum: sed forma nedum secundum modum essendi, sed etiam secundum suam rationem formalem, & essentialem excedit materiam: ergo. Minor patet: nam forma secundum suã rationem formalem, & specificam est actus: & analogatur cum substantijs separatis imo cum diuina natura, in quibus saluatur formaliter ratio formæ secluſis imperfectionibus cum quibus forma quæ est actus in formans reperitur: materia autem secundum suam specificam rationẽ non est actus, neque cum substantijs separatis, aut cum Deo analogatur: quia in eis ratio materiæ proprie non saluatur: ergo. Tertio forma est finis materiæ, est enim materia propter formas substantiales: est principium agendi forma, & non materia. Et est sola principium formale constituendi speciem in substantijs, & esse specificum ad quod determinat compositum substantiale: reducitque materiam ipsam de potentia ad actum: hæc autem omnia munia nequeunt exerceri nisi ab entitate nobiliori: ergo. Colligo igitur, formam excedere materiam primam quintupliciter, ideſt, quinque perfectionibus, scilicet in actualitate, & ratione finis, in ratione principij agendi, & terminandi formaliter generationem, in ratione dantis formaliter esse specificum essentiæ, & existentiæ. Ac proinde illam simpliciter excedere, & id ipsum Philosophus in verbis relatis atteſtatur aduersus antiquiores, vt D. Tho. hic lectione 2. interpretatur. Dico secundo compositum substantiale simpliciter est nobilius quàm forma substantialis. Hæc assertio statuitur aduersus Authores secundæ sententiæ, & probatur primo: nam teste Philosopho in hoc capit. 3. & in prædicamentis cap. de substantia: primæ substantiæ sunt magis substantiæ, ac proinde magis entia: sed compositum, est prima substantia, non autem materia aut forma: ergo compositum est magis substantia, & magis ens: tũc vltra: sed magis ens est simpliciter quid perfectius, eo quod est minus ens: ergo. Minor sub sumpta patet, quia perfectio sequitur entitatem ita vt quo aliquid magis de entitate, eo magis de perfectione, & actualitate participet. Confirmatur, nam compositum includit totam perfectionem, & actualitatem formæ, & vltra illam includit materiæ entitatem, & vnionem vtriusque: ergo magis de entitate, ac proinde de perfectione participat. Secundo nobiliores proprietates, & cõditiones, nobilioris essentiæ sunt signa: sed proprietates atque cõditiones cõpositi sunt formæ conditionibus, & proprietatibus nobiliores. Ergo essentiam compositi necesse est nobiliorem esse essentia formæ. Minor patet inductione: nam compositum est ens completum, & totale in recta linea substantiæ ponibile, est principium agendi vt quod: agere autẽ sic, est perfectorum: est terminus perse intentus in generatione substãtiali illius enim sicut est essentia est agere, & terminare generationem: est finis perse primo intentus, tum à generante, tum etiam respectu vtriusque partis substantialis causalitatis atque compositionis: formæ autem cõditiones sunt, incompletio, partialitas, agere, & terminare tantum vt quo: & licet finis sit materiæ, sed eius finis est compositum. Vnde in alijs quinque exceditur à composito, sicut ab ipsa exceditur materia: nempe in completione, & totalitate, in ratione principij, & terminantis actionem vt quod, in perfectione finis, perse intenti, & in modo habẽdi esse vt quod, & tanquã primarium illius susceptiuũ. Tertio probatur nostra cõclusio labefactãdo vtriusq; modi defendẽdi secũdã sententiã fundamenta: Nam funda-

mentum Authorum primi modi, falſo principio nitebatur: quod, ſcilicet, forma & tota quiditas rerum naturalium ſit: idque ex Philoſ. teſtimonio hic c. 10. ſibi perſuadebat aſſerentis formam eſſe totam rei naturalis quiditatem: idque ipſum confirmabant ex eodem Philoſopho ſecundo Phyſicorum tex. 28. & 10. huius tex. 25. aſſerenti materiam non eſſe partem quiditatis: ſed hoc principium falſum eſſe omnino oſtenditur à D. Thom. capit. 2. de ente, & eſſentia, §. *relinquitur: ergo*, in hoc 7. lectione 9. & 1. part. quæſt. 75. artic. 4. tribus rationibus: quarũ ſumma hæc eſt: in ſubſtantijs quæ per additamentum non diffiniuntur, principiũ diffiniẽdi eſt pars eſſentiæ: & etiam id quod eſt de eſſentia omnium indiuiduorum ſub ſpecie tali contentorum eſt id, quod ſignificat diffinitio: ſed materia prima eſt huiuſmodi: ergo. Minor probatur: nam res naturalis non tantum per formam, ſed etiam per matetiam diffinitur: neque eius diffinitio ſolam formam, ſed etiam materiam continet: homo enim diffinitur Phyſica diffinitione eſſentiali: quod ſit compoſitus ex materia, & anima rationali. Rurſus materia eſt de eſſentia indiuiduorum rei naturalis, verbi gratia, naturæ humanæ, ac proinde eſſe debet de eſſentia ipſius ſpeciei humanæ: aliàs ſpecies non prædicaret eſſentialiter de indiuiduo totam eius eſſentiam: quod eſt falſum. Has rationes late, & acute exornat, & proſequitur Caietanus in commentario dicti capitis ſecundi de ente, & eſſentia quæſt. 4. vbi ad teſtimonia Philoſophi reſpondet ipſum non remouere materiam, vt ſic à quiditate rei naturalis: ſed tantum materiam particularem, & eas partes materiales quæ per accidens ſe habent ad naturam ſpecificam, vt reſpectu hominis ſe habent manus, & pedes, hæc oſſa, & hæ carnes. Adde quod Philoſophus quando aſſerit formam eſſe totam quiditatem compoſitorum, nomine formæ accipit ſpeciem, quæ nomine formæ magis quàm materiæ nomine congruenter ſignificatur: quia per formam completur, & conſtituitur in eſſe talis: & nomine compoſitorum accipit compoſita ſingularia ſeu indiuidua, quæ non habent aliam eſſentiam ab eſſentia ſpeciei, licet non includant materiam ſignatam, & ſubſtantialem indiuiduationem: hæc tamen ſimpliciter cenſetur extra eſſentiam, quia non eſt de conceptu ſpecificæ naturæ. Fundamenta autem Authorum ſecundi modi dicendi in ſolutione argumentorũ labefactantur.

27 Dico tertio forma eſt perfectior ſecundum quid, ideſt quo ad aliquas conditiones, compoſito: non vero ſimpliciter, ideſt ſecundum eſſentialem, & ſpecificam rationem. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Fonſecam, qui vbi ſupra ſectione 2. §. *dicendum igitur*: ait formam ſubſtantialem quæ eſt altera pars compoſiti naturalis, quatenus eſt actus quidam perfectiorem eſſe, & magis rationem entis participare, quàm compoſitum: ſecus tamen in ratione actus informatiui: quod falſum eſſe ſtatim oſtendam. Statuitur etiam pro Authoribus ſecundæ ſententiæ ex parte, quatenus ei aliquid concedimus, nempe formam aliquatenus excedere compoſitum: non tamen ſimpliciter, vt ipſi contendebant. Denique ſimpliciter, & abſolute ſtatuitur pro Authoribus tertiæ ſententiæ, qui ita compoſito tribuunt maiorem dignitatem ſimpliciter, vt formam excedere ſecundum quid, hoc eſt, in aliquibus conditionibus haud quaquam negent. Vnde probatur prima pars concluſionis. Primo: nam quando duo ita ſe habent vt alterum ab altero excedatur ſimpliciter non eſt inconueniens ſecundum à primo excedi ſecundũ quid: quo pacto voluntas; quæ ab intellectu exceditur ſimpliciter. Eo quod obiectũ reſpicit minus perfectum nẽpe bonũ quod eſt quoddam atributum entis quod ſub primordiali ſua ratione reſpicitur ab intellectu; excedit ipſum intellectum ſecundum quid ideſt quoad aliquam conditionem nempe quantum ad munus mouendi: teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 82. art. 3. & eadem ratione probat Sanctus Doctor Prima ſecundæ, quæſt. 71. art. 3. ad primum, habitum eſſe in bonitate, & malitia ſimpliciter imperfectiorem actu: licet illum excedat ſecundum quid, hoc eſt quantum ad conditiones permanentiæ, & diuturnitatis. Dicens in hæc verba: *Ad primum dicendum quod nihil prohibet aliquid eſſe ſimpliciter altero potius quod tamen ſecundum quid ab eo defficit: ſimpliciter enim potius iudicatur quod præeminet quantum ad id quod per ſe conſideratur in vtroque: ſecundum quid autem, quod pertinet ſecundum id quod per accidens ſe habet ad vtrumque: oſtenſum eſt autẽ ex ipſa ratione actus, & habitus quod actus eſt potior in bonitate, & malicia quam habitus: quod autẽ habitus ſit diuturnior quam actus accidit ex eo quod vtrũque inuenitur in tali natura quæ non poteſt ſemper agere, & cuius actio eſt in actu tranſeunte: vnde ſimpliciter actus eſt potior tamen in bonitate quã in malitia: ſed habitus eſt potior ſecundum quid.* Quo ſuppoſito quaſi ſolida vaſi & fundamento noſtræ concluſionis tale deducimus argumentum: id quod alterum excedit ſimpliciter poteſt ab alio

excedi

excedi ſecundum quid, ideſt ſecundum aliquas conditiones extra rationem ſpecificam: ſed forma excedit̃ à compoſito ſimpliciter vt dictum eſt, & habet aliquas conditiones nobiliores alijs conditionibus compoſiti: ergo. Poteſt illud excedere ſecundum quid. Minor patet: quia forma nihil habet potentialitatis materiæ quam includit cõpoſitũ in ſua quiditate. Rurſus forma eſt ſimplex, & aliquando immaterialis, compoſitũ autem neque ſimplex neq; immateriale eſt: ergo. Secundo probatur eadem pars concluſionis: nam cauſare abſolute eſt conditio nobilior quam cauſari: ſed forma exequitur munus cauſæ formalis: compoſitum autem aut ſolum exequitur munus cauſati reſpectu formæ, ſed exequitur munus cauſæ reſpectu accidentalium formarum, hoc eſt munus ſubiecti, & cauſæ materialis quod imperfectionem importat. Verum eſt compoſitum exequi munus cauſæ finalis reſpectu materiæ, & formæ, atque actionis generantis: ſed hoc arguit in eo (vt diximus) maiorem dignitatem ſimpliciter quatenus ratio finalis cauſandi eſt bonitas, & perfectio quæ non obſtat maiori dignitati ſecundum quid ipſius formæ. Fauetque huic parti antiqua tranſlatio verborum Philoſophi quæ ſupra ex capit. 3. huius recenſuimus, in qua denotatur formam nedum materia, ſed etiam compoſito eſſe nobiliorem: illa enim ſic habet: *quare ſi ſpecies*, (ideſt forma) *materia eſt prior & magis ens, & ipſo quod vtriuſque prius erit propter eandem rationem.* Ac ſi dicat: etiam ſpecies ſiue forma erit perfectior ipſo compoſito quod ex vtraque parte conſtat, & licet hanc antiquam lectionem repellat Fonſeca ſectione citata, & in expoſitione textus pagina 250. tamẽ immerito illam ſic contemnit vt omnẽ fidẽ vellit fore adhibendam ſuæ, vel potius nouæ Beſſarionis Cardinalis Nizeni verſioni, & nullã alteri, antiquæ videlicet tranſlationi: cum tamen illam ſequantur Auerrois, Albertus Magnus, & Alenſis, & D. Thom. qui vtramque recitat lectionem, antiquam ſequitur in expoſitione textus, lect. 2. §. *comparat*, vbi ſic habet: *& ex hoc vlterius ſequitur quod eadem ratione forma ſit prior compoſito ex vtriuſque, in quantum eſt incompoſito aliquid de materia, &c.* Quod fruſtra diceret D. Thom. niſi ſciret antiquæ lectioni aliquam fidem eſſe adhibendam: ſi enim nulla fide digna eſſet, quæ neceſsitas, aut quæ ratio cogeret Sanctum Doctorem explicare modum quo forma excedit compoſitum ipſum; dicens excedere illud quatenus includendo materiam quæ eſt imperfectior, & poſterior quam forma, includit aliquid potentialitatis, cuius eſt expers forma: neutra igitur lectio eſt contemnenda. Vnde cum in antiqua denotetur formam eſſe compoſito præſtantiorem, & hoc nequeat intelligi de exceſſu ſimpliciter, ſane intelligendum eſt de exceſſu ſecundum quid. Secunda pars probatur primo ex ſecunda concluſione. Deinde oſtenditur ex aſsignata doctrina Angelici Doctoris: exceſſus penes conditiones nobiliores veluti accidentales, & extra ſpecificam rationem, eſt tantum ſecundum quid; at exceſſus quo forma excedit compoſitum eſt huiuſmodi, nam ſolum atenditur penes conditiones ſimplicitatis, & excluſionis potentialitatis materiæ, & cauſalitatis ſiue prioritatis: iſtæ autem conditiones, aut accidentales ſunt, aut ſaltem ſunt quædam prædicata tranſcendentia quæ ad rationem ſpecificam formæ non pertinent neque illam conſtituunt: forma enim naturalis eſt actus ſubſtantialis dans ſpeciem compoſito naturali, in quo neque ſimplicitas, neque cauſalitas, aut prioritas, neque negatio materiæ inhibitur: licet concomitanter denotetur: ergo exceſſus qui ex his conditionibus prouenit tantum eſt exceſſus ſecundum quid. Tertio: nam forma naturalis ſecundum ſuam rationem ſpecificam habet quod ſit actus informatiuus: ergo ſi in ratione actus informatiui non excedit compoſitum, vt fatetur Fonſeca; abſolute illud non excludit, ac proinde fruſtra formidat concedere formã eſſe compoſito imperfectiorem. Denique, quod in ratione actus eſſentiali non excedat niſi ſecundum quid, ſecundum conditionem actus vt excludentis materiam ſiue ſecundum negationem ſiue excluſionem potentialitatis materiæ, patet contra eundem Fonſecam: nam ratio actus, vel ſumitur, vt contracta eſt in forma ad rationem actus informatiui, & ſic ipſe Fonſeca nobiſcum conſentit, dicens formam eſſe compoſito ens minus perfectum; vel ſumitur ratio actus vt communis analogice, & ſuperior ad actum, & formam quæ in ſubſtantijs ſeparatis, & in Deo reperitur: & in hoc ſenſu videtur loqui Fonſeca vt ipſe ſe explicat in expoſitione textus: at in hoc ſenſu formam non poſſe eſſe magis ens aut magis perfectam quam compoſitum patet: nam ratio actus analoga, & ſuperior tribuit formæ naturali maiorem perfectionem puam ratio ſpecifice ſeu diffrerentialis per quam communis ratio actus contrahitur ad eſſe formæ naturalis, & actus informatiui: aliâs ratio ſapientia analoga ad habitum ſapientiæ

noſtræ,& diuinam ſapientiam conſtitueret habitum ſapientiæ noſtræ perfectiorem ſubſtantia creata, & anima rationali: & ſic verum eſſet dicere quod ſapientia humana licet in eſſe habitualis ſapientiæ ſit imperfectior, quam anima rationalis, & quam ſubſtantia creata: tamen in ratione eſſentiali ſapientiæ eſt perfectior illis, eo quod ſaluatur aliqua ſapientia in Deo cum qua humana ſapientia analogatur: conſequens autem eſt falſum: ergo & antecedens. Rurſus impugnatur dictum Fonſecæ: nam ſequitur poſſe aliquam naturam ſecundum gradum differentialem eſſe altera imperfectiorem eſſentialiter, & eſſe illa perfectiorem ſecundum gradum ſuperiorem, & genericũ: conſequens eſt falſum, quia gradus generic us, & differentialis eandem eſſentiam conſtituunt, & ſecundum rem non diſtinguntur, & ab eadem forma proueniunt: vnde in eis eadem perfectio ſaluatur: neque generic us dignitatem aut perfectionem tribuit niſi medio ſpecifico per quem trahitur ad talem naturam: ergo & antecedens. Conſequentia autem ex eo manifeſta eſt: quod illam in exercitio admittit Fonſeca, dicens formam naturalem, & ſecundum gradum differentialem formæ naturalis ſiue actus informatiui compoſito imperfectiorem: & ſecundũ gradum genericum ſiue Analogicam rationem actus eſſe illo eſſentialiter perfectiorem.

28 Sed cõtra primã aſſertionẽ arguitur: nã id quod habet conditiones nobiliores, eſt nobilius ſecundũ ſuã eſſentiã: quia nobilitas proprietatũ, & cõditionũ ateſtatur nobilitati eſſentiæ, vt dictũ eſt: ſed materia prima habet conditiones nobiliores cõditionibus formæ: ergo eſt, eſſentialiter magis ens & magis perfecta quàm ſit forma. Minor probatur: nam materia perſe exiſtit, ideſt, non in ſubiecto ſicut forma, & eſt perpetua, forma autẽ caduca, & defectibilis ſaltem quoad munus informandi: materia eſt minus dependens à forma: cum poſsit ab illa ſeparari, ſecus autem forma, quæ de potentia materiæ educitur. Et à ſolo Deo dependet infieri, & cõſeruari: terminatque actiorem nobiliorem, quæ eſt creatio: forma autem etiam à cauſa naturali dependet, & per naturalem generationem eſt producibilis quæ eſt ignobilior actio creatione. Denique materia magis ſubſtat: cum ſubſtet formis ſubſtantialibus: ex munere autem magis ſubſtandi colligitur primas ſubſtantias eſſe magis ſubſtantias: ſed exiſtere perſe, perpetuitas, minor dependentia, eſſe effectus ſolius Dei, & terminum actionis creatiuæ, & magis ſubſtare, ſunt conditiones nobiliores conditionibus oppoſitis naturalis formæ: ergo. Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum eſt per ſingulas partes. Ad primam quidem dico, quod perſe exiſtere, vt quod, & vt ens completum eſt conditio nobilior conditione eſſendi in materia: ſecus vero perſe exiſtere per modum primi ſubiecti, nam primum ſubiectum ſolum in genere cauſæ materialis ſuſtentat formam: tamen forma ſuſtentat illud in genere cauſæ formalis continentis, & actuantis illud: ac proinde nobilior eſt modus eſſendi perſe in forma ſubſtantiali, quàm in materia. Ad ſecundam, quod perpetuitas in entibus completis eſt conditio entis nobilioris: quo pacto Ariſtoteles libro ſecundo huius capite primo, perpetua caducis ante poſuit: cæterum in entibus incompletis perpetuitas eſt conditio entis minus perfecti. Rurſus etiam in particularibus, & incompletis entibus perpetuitas erit nobilioris entis conditio, ſi cætera ſint paria, ideſt, facta comparatione actus ad actũ, potentiæ ad potentiam: ſecus autem quando fit comparatio materiæ, quæ eſt pura potentia ad formam, quæ eſt actus potentialitatis expers, quia cætera non ſunt paria. Ad tertiam reſpondetur, quod falſum ſuponit quinimo cum materia nequeat eſſe ſine vlla forma ſubſtantiali, licet ſine hac, vel illa ſaluari queat à parte rei, abſolute, & magis dependet in ſuo eſſe à forma quàm è contra, quia dependet à forma ſubſtantiali indiffinite quoad ſuum eſſe in genere cauſæ formelis: forma vero corruptibilis tantum dependet à materia in genere cauſæ materialis, quæ eſt minor dependentia, ac proinde illa eſt omnino à Deo inſuplebilis: hæc autem per potentiam Dei abſolutam fortaſis poterit ſupleri: quæ enim repugnantia adeo eſt manifeſta, in hoc quod forma equi exiſtat in rerum natura ab omni materia prima ſeparata? Ad quartam, quod cæteris paribus eſſe effectum ſolius Dei, arguit maiorem perfectionem, ſecus quando cætera non ſunt paria: poteſt enim aliqua res & propter maximam perfectionem, & alia propter minimã entitatem à ſolo Deo eſſe producibilis. Ad quintam determinatione creationis, dicendum eſt: quod eſſe terminum creationis per ſe eſt conditio nobilioris entis, ſed eſſe creationis terminum ſecundario, & vt compars ad alterius nempe ſupoſiti creationem concreata non eſt conditio nobilioris entis. Materia autem prima non creata, ſed tantum concreata fuit, deinde admiſſo materiam fuiſſe actione creatiua ſpeciali, & partiali,

tiali creatam, & modo per illam conſeruari a Deo: actione (in quam) ſpeciali, id eſt ad ſolam materiam ex nihilo producendam, & conſeruandam terminata: tamen quia teſte D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 9. actio productiua ex duplici capite poteſt accipere perfectionem: vel ex parte modi producendi, & ex hoc capite creatio eſt omnium actionum productiuarum nobiliſsima: vel ex parte termini producti: & ex hoc capite illa eſt perfectior, quæ ad rem perfectiorem terminatur: & ideo ſimpliciter iuſtificatio eſt nobilior creatione cœli, quia illius terminus eſt nobilior, ſcilicet gratia, quæ eſt omnium formarum nobiliſsima. Vnde cum materia prima ſit omnium entium ſubſtantialium infima, eius creatio eſt perfectior generatione totius ſecundum quid, id eſt quoad modum, quatenus eſt productio totius entitatis materiæ, & ex nullo præſupoſito ſubiecto, generatio vero totius licet quoadmodum ſit imperfectior: verum ex parte termini quatenus ſcilicet terminatur ad ens completum, & totale phyſice, habens eſſe, eſt perfectior: & aliàs eſt completiua creationis materiæ, cum hæc nequeat communicare exiſtẽtiam materiæ niſi aſſociata generationi compoſiti per quam vnitur materiæ forma ſubſtantialis quæ ſecum adducit exiſtentiam: ſi autem velis ſcire vtra illarum abſolute ſit perfectior? Dico perfectiorem eſſe creationem materiæ primæ non obſtante ſumma imperfectione ſui termini nempe materiæ primæ: eo quod licet inter actiones eiuſdem generis, & communicantes in eodem modo tendendi, maior perfectio ſimpliciter ex perfectione maiori termini ſit deſumenda: & ideo inter generationes naturales illa eſt perfectior, quæ eſt productio entis naturalis perfectioris: tamen inter actiones diuerſi generis nec communicantes in procedendi modo aut tendendi; modus ipſe conſtituit actionem perfectiorem. Vrgebis: ex hoc ſequi creationem hominis eſſe perfectiorem hominis iuſtificatione: quod eſt cõtra teſtimonium Angelici Doctoris. Reſpõdeo negando ſequelam, ratio diſcriminis eſt, quod terminus iuſtificationis nedum eſt diuerſi generis, ſed diuerſi ordinis; eſt enim ſupra totum ordinem naturæ: at terminus generationis eſt ens naturale, quod licet ſit diuerſæ ſpeciei aut generis diuerſi a termino creationis: eſt tamen eiuſdem ordinis: & in huiuſmodi, quia cætera ſunt paria, nobilior actio eſt, quæ nobiliori modo attingit ſuum terminum, qualis eſt creatio quæ reſpicit ens creatum vt ex nihilo producibile, & ſub ratione entis abſtrahendo à rationibus particularibus: ac per conſequens omnes creationes ſunt eiuſdem ſpeciei, quia conueniunt in eodem modo tendendi, & in eadẽ formali ratione termini producendi, ad quem, & a quo, & hinc colligo, quod ſicut creatio hominis eſt nobilior generatione hominis: ita creatio materiæ eſt nobilior abſolute eadem hominis generatione: quia formaliter creatio hominis, & creatio materiæ eiuſdem ſpeciei ſunt. Ad vltimum reſpondetur, quod ſubſtare magis accidentibus ſuſtentando illa vt quod, ſiue per modum ſubiecti ſuſtentantis, vel, vt ratio ſuſtentandi illa, eſt conditio nobilioris ſubſtantiæ: non autem ſubſtare per modum cuiuſdam materialis ſubiectionis: materia quidem ſic ſubſtat accidentalibus, & ſubſtantialibus formis: compoſitum vero ſubſtat per modum ſubiecti ſuſtentantis vt *quod*: & ideo eſt prima ſubſtantia: forma autem ſubſtantialis licet ſibi non ſubſter: eſt tamen ratio formalis per quam materia habet ſubſtare ipſi, & accidentibus, & ideo adhuc forma nobiliori modo ſubſtandi munus exequitur, quàm materia. Secundo arguitur aduerſus ſecundam concluſionem: nam compoſitum eſt vnum, & ens per formam: ergo forma eſt magis ens: quia teſte Philoſopho primo poſteriorum cap. 2. & libro 2. huius cap. 1. propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Cõfirmatur dupliciter primo: nam compoſitũ nequit eſſe perfectius forma niſi ratione materiæ incluſæ, quia ſolam materiam addit ſupra entitatem formæ: ſed ex materia nullam accipit perfectionẽ: ergo. Minor patet: quia materia non eſt perfectio neque actus: ſed quod non eſt perfectio nequit tribuere alteri perfectionẽ; quo enim pacto tribuet perfectionem quam in ſe non habet; neque eſt cauſa formalis: ergo compoſitum non erit perfectius forma, ſicut neque agregatum ex Deo, & vniuerſitate creaturarum eſt perfectius ſolo Deo: hac ratione quia vniuerſitas creaturarum nullam addit perfectionẽ quæ in Deo eminentiori modo non præhabeatur. Confirmatur ſecundo: nam forma gaudet nobilioribus conditionibus quàm compoſitum, quæ aut eſſentiales ſunt illi aut eius eſſentiam conſequuntur: ergo eſſentialiter eſt nobilior. Antecedens patet: quia forma eſt ſimplex expers compoſitionis, & eſt actus ex pers materiæ potentialitatis: ſed tam ſimplicitas quàm actus eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia melior eſt ipſa quàm non ipſa: ergo. Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam: illud enim axioma non tenet in cauſis formalibus. Ad primam confirmationem conceſſa maiori nego mi-

norem, ad probationem respondetur dupliciter: primo negando maiorem pro parte prima: nam saltem materia prima est perfectio transcendens quatenus est entitas cui nihil deest in suo genere: & ratione huius potest perfici compositum. Sed quia teste D. Thom. 1. part. quæst. 5. art. 1. vnum quodque est perfectum in quantum est in actu, & perfectio ab vltimo actu prouenit: admisso materiam non esse perfectionem neganda est minor: causæ enim intrinsicæ bene possunt communicare quod non habent in se ipsis: neque hoc est proprium solius causæ formalis: licet ei per excellentiam attribuatur, nam etiam instrumentum tribuit effectui formam quam in se non habet: & similiter materia causat compositum, & quiditatem completam illius, quam in se non habet: Ad secundam nego antecedens: nam licet simplicitas, & actualitas entis completi, & totalis sit perfectio simpliciter, sicque in Deo, & Angelis vtraque reperitur: tamen simplicitas, & actualitas associata in completione entis partialis non sunt perfectiones simpliciter: neq; enim in Deo & Angelis sic reperiũtur: secundum quid tamen forma ratione illarum excedet compositum ratione iam dicta. Vltimo arguitur aduersus tertiam forma essentialiter est actus, & in ratione actus nullam inuoluit imperfectionem repugnãtem Deo aut Angelis: quam tamen inuoluit compositum in ratione compositi: ergo aliquid essentiale est in forma, a qua excedatur compositum. Declaratur hoc amplius: illa ratio actus quæ de forma essentialiter prædicatur, vel est perfectior vel imperfectior secundum se, quam compositum: non imperfectior: aliâs in Deo: & Angelis esset imperfectior: quia conuenit alicui secundum se vbicumque illi conuenit: ergo est perfectior cõposito secundum se: ac proinde etiam in forma naturali erit perfectior. Ad hoc argumẽtum respondetur: quod ratio actus sumpta secundum se nullam includit imperfectionem Deo aut Angelis repugnantem, & hæc exclusio positiua imperfectionis sufficit vt sit perfectio simpliciter sicut ratio sapientiæ aut intellectus: tamen quia analoga est actu includens plura analogata sub quadam proportione, in quorum altero scilicet in Angelis, & in Deo est perfectior composito naturali: in altero vero scilicet in forma naturali est illo perfectior: ideo absolute illa ratio neque est dicenda perfectior, neque determinate imperfectior composito; sed secundum aliquam partem sui est imperfectior: & secundum aliam est perfectior composito: sicut ratio sapientiæ secundum se neque est perfectior determinate neque imperfectior substantia creata: sed vtrumque habet secundum diuersas rationes, quas actu includit: & iuxta hanc distinctionem distinguendum est consequens argumenti.

ARTICVLVS. III.

An iuxta numerum prædicatorum essentialium sint ponendæ formæ substantiales incõposito naturali?

29 NEQVIT exacte totum ad partes, materiam, scilicet, & formã comparari: aut huiusmodi comparatio penetrari, nisi ipsius compositi substantialia prædicata adinuicem, & ad ipsum compositum comparemus: eorumque distinctionem inquiramus, an rationis tantũ, vel realis sit? & an â diuersis formis talis distinctio prædicatorum prouenial? & quia hæc controuersia de prædicatorum essentialium distinctione, vocat alteram de pluralitate formarum substantialium: & hæc speciales habet dificultates in formis elementorũ quæ videntur manere in mixto: in animabus vegetatiuis atque sensitiuis a quibus diuersi gradus vitæ proueniunt, in partibus etherogeneis viuentium, & humoribus animaliũ, qui proprijs formis gaudere videntur: ideo de singulis suo ordine est nobis disputandũ, nunc autem de pluralitate formarum substãtialium absoluta, & in communi, an sit ponenda in eodem composito propter pluralitatem essentialium prædicatorum? Ita vt distinctio realis prædicatorum exigat distinctionem formarum substantialium à quarum singulis singula prædicata tribuantur. In hoc articulo tres versantur sententiæ: prima asserit tot dari formas substantiales incomposito, quot sunt prædicata superiora quiditatiua: in equo, qui essentialiter est equus, animal, viuens, corpus, & substantia; aliam dari formam quæ sit anima specifica equi, & aliã quæ sit veluti generica animalis, & aliã per gradum viuentis vegetatiuam, pro gradu quoque corporis aliam dari formam corporeitatis, atque aliam substantialem, a qua gradus communissimus substantiæ communicetur: omnesque has formas ait hæc sententia realiter distingui: quia simili distinctione existimat ipsa prædicata interse distingui, principes huius opinionis fuere Auerrois, primo Metaphysicorum commento 17. & Abimcembron quem ipse in hac parte sequitur in libro fontis vitæ relatus a D. Tho. lib. 1. de generatione lect. 4. quibus subscrip

serunt

ferunt Paulus Venetus in hoc 7. & Iamdunus siue Ioannes de Gandauo lib. 2. suæ Metaphisicæ, quæst. 10. & 1. physicorum quæst. 8. ac tandem primo de anima quæst. item 8. Secunda veluti media admittit pluralitatẽ & actualẽ ex natura rei prædicatorum essentialium distinctionem, negat tamen formarum substantialium pluralitatem ac distinctionem: hanc sequitur Fonseca in hoc 7. capit. 12. quæst. vnica sect. 3. & 11. & 12. Tertia sententia asserit neque pluralitatem formarum substantialium dari in vno quoque composito, neque eius essentialia prædicata reali actuali gaudere distinctione, quam tradunt quoad primum dictum D. Tho. quæst. vnica de anima art. 9. & 11. 1. part. quæst. 76. art. 1. 2. contragentes cap. 58. & opusculo 3. cap. 90. & 91. Albertus Magnus lib. de origine animæ, & tractatu de homine cap. 1. Capræolus in 2. dist. 15. quæst. 7. Gregorius ibidem dist. 16. quæst. 2. Caietanus libro 2. de anima, cap. 1. Iauellus 2. Metaphysicorum, quæst. 7. Soncinas 8. Metaphysicorũ quæst. 12. Sequitur etiam illam ex antiquis, Auicena lib. 6. naturalium p. 1. cap. 5. & ex Neotericis subscribunt Bañesius lib. 1. de generatione cap. 4. quæst. 8. art. 1. & sequentibus, Conimbricenses ibidem quæst. 19. art. 2. Thomas de Vega de bonis affectibus sect. 1. & Valesius lib. 4. controuersiarum cap. vltimo; & libro de sacra philosofia cap. 5. Quoad secũdum vero dictum eam docent D. Thom. ac discipuli ipsius in locis allegatis: quibus, & Conimbricenses subscribunt, & quia hæc sententia est verissima: pro eius declaratione,

De vnitate formæ in cõposito vera sententia.

Respondeo dicendum primo: in composito substantiali non dari plures formas substantiales iuxta pluralitatem essentialiũ prædicatorum, hæc conclusio statuitur aduersus auctores primæ opinionis: & probatur, nam teste D. Thom. 1. part. quæst. 85. art. 4. ad secundum primo contragentes cap. 95. & opusculo 45. atque aliàs sæpe plures formæ eiusdem generis, nequeunt simul in actu eidem subiecto conuenire secundum eandem potentialitatem: sed omnes formæ substantiales horum generabilium sunt eiusdem generis physici, ad omnesque est materia prima in potentia secundum eandem rationẽ: ergo nequeunt plures in eadem materia reperiri. Maior probatur a D. Thom. primo: quia nequit eadem potentia simul pluribus actibus terminari, sicut nequit eadem quantitas pluribus figuris, aut idem intellectus pluribus speciebus intelligibilibus ad actum secundum reductis simul actuari: si autem materia prima leonis, v. g. pluribus formis substantialibus actuaretur, eadem potentia simul pluribus actibus actuata esset: etenim secundum eandem rationem potentiæ omniũ sublunarium, corpus, formas respicit, quarum est capax. Secundo nam inter formas eiusdem generis maxime substantiales est perse transmutatio, quæ perse non est nisi inter formas opositas tribuentes effectus ac denominationes incomposibiles: igitur productioni vnius est annexa exclusio, & destructio alterius, sicut productioni formæ cadaueris est anexa destructio formę leonis, & expulsio animæ hominis quando forma cadaueris in hominis materiam introducitur. Et propterea formæ elementorũ nequeunt esse plures in eadem materia neque cum forma alicuius mixti potest compati forma alicuius elementi, quia cum sint omnes eiusdem generis datur inter illas perse transmutatio, quæ dum est vnius introductio, aduert secum necessario alterius exclusionem. Alio quin si plures simul compatereẽtur, oposítos effectus formales ac denominationes incomposibiles tribuerent subiecto, quod nullatenus est dandum. Secundo nam propterea non dantur plures existentiæ in vno cõposito quia existentia est vltima actualitas: vltimum autẽm vt vltimum nequit alterius vltimi consortium habere: sed etiam forma est actualitas vltima intra limites essentiæ seu quantum ad esse essentiale: ergo nequit esse multiplex forma in eodem composito: eo, vel, maxime; quod admissa pluralitate formarum substantialium debet admitti pluralitas existentiarum, & consequenter destruitur vnitas perse: quæ expluribus vltimis actualitatibus nequit constare: ergo. Tertio: nam pluralitas formarum tollit perfectam formæ substantialis: ergo non est ponenda. Antecedens patet: nam si forma specifica leonis aduenit materiæ iam actuatæ per formam viuentis: dabit ei esse accidentale, & secundum quid: omnis enim forma adueniens enti in actu, tantum dat esse, accidentale: illa autem aduenire et enti in actu siquidem materia per formam viuentis actuata, iam esset in actu: & ex vtraque viuens esset constitutum, cui forma leonis specifica aduenire. Quarto probatur: nam sequitur generationem substantialem esse motum, atque accidentalem mutationem: consequens est falsum: ergo, sequela ostenditur: nam teste Philosopho. 5. physicorum cap. 1. propterea generatio non est motus, quia subiectũ motus est ens actu: subiectum vero generationis est, ens in potentia. Rursus accidentalis mutatio est illa quæ ad formam dantem esse secundum quid, & aduenientem enti in

actu

actu terminatur: talis autem esset mutatio quæ ad formam specificam aduenientem forme genericæ terminaretur: igitur esset mutatio accidentalis, & similiter esset motus, quia esset, cius subiectum ens in actu, & aliàs interpositiua extrema verfaretur. Dico secundo prædicata essentialia compositi substantialis ab eadem forma substantiali proueniunt. Hæc conclusio sequitur ex prima: nã prædicata essentialia sunt effectus formales formæ substantialis: ergo cum plures formæ non sint incõposito substantiali omnia prædicata essentialia illius ab eadẽ forma oportet prouenire. Confirmatur: nam per eandem formam accidentalem, v.g. albedinem, per quam corpus est album, simul est colorata, & quale; quia cum albedo hos omnes gradus præhabeat in se, omnes illos subiecto communicat: est enim albedo, & color, & qualitas, & vt albedo constituit album, vt color coloratam, & vt qualitas facit quale: sed similiter forma leonis specifica præhabet in se formaliter omnes gradus sibi superiores: est enim talis anima, & est anima sensitiua, ac vegetatiua, & forma corporea: ergo communicata subiecto hos omnes gradus illi communicare debet, ac per consequens vt talis anima constituit leonem vt sensitiua animal sensibile, vt vegetatiua, viuens, & vt forma corporea faciet corpus in genere causæ formalis. Neque minus efficax est forma substantialis ad suos gradus communicandos, quàm accidentalis.

30 Dico tertio prædicata essentialia cõpositi substantialis neque realiter, neque formaliter ex natura rei distinguuntur. Hæc assertio habetur aduersus auctores secundæ sententiæ, & probatur primo, nam ex gradibus essentialibus, genere scilicet, & differentia tantum fit compositio Metaphisica, cuius extrema nec realiter, nec formaliter ex natura rei distinguũtur, vt aliàs ostendimus: ergo talis distinctio nullatenus est admittenda. Secundo nam aliàs hæc esset falsa: *animal est homo*: consequens est falsum, & patet, quia infertur ex hoc antecedenti vero, per simplicem conuersionem, homo est animal: ergo, & antecedens, sequela patet: nam quoties prædicatum propositionis affirmatiuæ includit aliquid realiter aut formaliter distinctum a subiecto, propositio est falsa: & propterea falsum est dicere de homine quod sit equus, & de actione quod sit passio formaliter: prædicat enim propositio affirmatiua prædicati cum subiecto identitatẽ: ac proinde vbi est distinctio realis aut formalis ex natura rei, deficit identitas: & cõsequẽter veritas propositionis. Tertio hæc est vera: homo est animal, & similiter hæc, equus est animal, nedum in sensu identico, sed etiam in sensu formali: sunt enim prædicationes generis de speciebus, & ad primum modum dicendi per se pertinentes: ac proinde in sensu formali, & quiditatiuo debent verificari: ac si animal realitatem aut formalitatem distinctam a gradibus specificis hominis, & equi importaret, deficeret veritas prædictarum propositionum, quæ in formali prædicari cum subiecto fundatur identitate: ergo. Patet minor, quia gradus animalis esset pars hominis condistincta â gradu rationalitatis, sicut materia condistinguitur a forma: vel saltem sicut passio condistinguitur ao actione: ergo sicut falsum esset dicere quod homo est forma, vel quod homo est materia: & quod motus est actio in sensu formali; ita esset falsum dicere quod homo est animal, vel saltem quod homo formaliter est animal. Sed dicendum esset quod homo est compositus ex animali, & rationali; sicut dicimus hominem esse compositum ex materia, & forma: aliàs enim neque materia neque forma potest de homine in recto prædicari. Vltimo arguitur ad hominem: nam prædictus auctor non admittit pluralitatem aut distinctionem realem formarum substantialium: sed solum ponit vnicam indistinctam formam substantialem: at data hac hypothesi implicat saluari in prædicatis essentialibus realẽ distinctionem: quia ab eadem forma formaliter nequeunt prædicata distincta realiter prouenire, quod patet: nam prædicata essentialia sunt effectus formales ipsius formæ, illam intrinsice includentes: sed effectus includentes eandem formam indistinctam realiter, nequeunt distingui realiter; ipsorũ enim est idem constitutiuum atque distinctiuum: ergo licet a ponentibus pluralitatem formarum consequenter debeat admitti distinctio realis prædicatorum: a negantibus tamen illarum pluralitatem consequenter horum realis distinctio debet denegari, vnde colligo minus constanter Fonsecam, quam Ianuensem, & Venetum locutum fuisse. Sed in oppositum est primo fundamentum, quo auctores primæ sententiæ illam suadere conantur: nititurque triplici Philosophi testimonio, quorum primum habetur secundo phy ficorum cap. 3. vbi reducit prædicata essentialia compositi naturalis ad causas formales: quod non alia ratione facit nisi quia existimat singula prædicata singulas habere formas substantiales. Secundum habetur lib. 2. huius cap. 2. vbi concludit non dari infinitatem in formis physicis, quia non datur in prædicatis quiditatiuis: quod etiam generalius

lius iam probauerat libro primo posteriorum cap. 15. neque hæc ratio valeret, nisi singula prædicata quiditatiua singulis gauderent formis substantialibus. Tertium habetur cap. 10. huius libri, in quo versamur, vbi ait Philosophus omnem differentiam habere partes quæ respondent partibus diuersis; diffinitioni, scilicet, generi supremo, subalterno, & vltimæ differentiæ correspondere. Rationi, etiã innititur horũ fundamentum ex diuersis proprietatibus, relationibus fundatis, & conceptibus terminatis desumptæ, quæ enim sunt principia diuersarum proprietatum, fundamenta diuersarum relationum, & termini diuersorum conceptuum, debent esse diuersa inter se: sed gradus formales compositi naturalis, v.g. viuentis, animalis, & rationalis secundum suas formas sunt principia, ex quibus diuersæ proprietates dimanant, videlicet, vegetatiuæ, sensitiuæ, atque intellectiuæ potentiæ: fundant quoque diuersas relationes similitudinis, scilicet ac dissimilitudinis cum alijs speciebus sub eodem genere contentis: atque terminant diuersos conceptus: alius enim est conceptus, qui ad animal, & alius, qui ad rationale terminatur: ergo. Ad hoc nihilominus facile respondetur: quo ad primum testimonium. Quod Philosophus in illo non vult quod prædicata essentialia propterea reducantur ad causas formales, quia gaudeant diuersis formis: sed quia formaliter constituunt ipsum compositum, genera quidem tribuendo ei genericum esse essentiæ, & species atque vltima differentia tribuendo ei specificum essentiæ gradum. Ad secundum, quod propterea a prædicatis essentialibus excludit infinitatem, quia nedum a formis physicis sed etiam a formis Metaphisicis cuius modi sunt prædicata essentialia est infinitio excludenda. In tertio vero appellat huiusmodi prædicata partes diffinitionis, non quia sint partes distinctæ realiter aut ex natura rei formaliter, sed quia sunt partes obiectiuæ sola ratione distinctæ. Ad rationem autem negatur maior: sufficit hæc obiectiua, & fundamentalis distinctio, in qua distinctio rationis ratiocinatæ fundatur, vt ad huiusmodi Metaphisicos gradus, diuersæ proprietates consequantur, atque vt in eis distinctæ relationes fundentur, & vt ipsis diuersi conceptus correspondeant in intellectu, qui ad vna ta potest diuidere, pluribus conceptibus eandem essentiam concipiendo. Secundo obstat fundamentum illorum qui contendunt dari formam corporeitatis a forma specifica condistinctam, & materiæ coæuam, quod duplex est: alterum suadens dari opportere huiusmodi formam in omni composito substantiali: & alterum specialiter, illam dari debere inuiuentibus, conuincens. Primum potest reduci ad hanc formam: nam formæ specificæ nequeunt introduci nisi in materiam corpoream, extensam, & dispositam: materia autem nequit esse substantia corporea, aut sub esse quantitatis extensioni, & dispositionibus, nisi sit per aliquam formam substantialem actuata, a qua habeat esse corporis, & accidentium corporalium susceptiui: & hæc est forma corporeitatis: ergo ponenda est in omni composito naturali. Secũdum potest ad hanc formam reduci: nam anima quæ est forma specifica viuentis distinguitur realiter entitatiue a corpore sicut a parte condistincta, cum qua constituit hominem, equum, aut oliuam: sed corpus intrinsece includit formam corporeitatis per quã constituitur in esse talis: ergo. Minor est certa, & ab omnibus admissa. Maior autẽ probatur, tum quia anima diffinitur esse actus corporis physici, & organici in potentia habentis vitam in secundo de anima cap. 1. diffinitur autem per ordinem ad subiectum: igitur comparatur ad corpus organicũ vt actus ad potentiam, & forma ad subiectum. Tum etiam, quia variata forma specifica manet corpus viuentis inuariatum, & absque læsione suæ vnionis: vnde Corpus Christi idẽ numero mansit in triduo quod fuerat, & futurum erat viuum; non obstante quod rationalis anima illud pro tunc non informabat: aliãs non diceret Dauid Psalmo 15. *Caro mea requiescet in spe*, in persona Christi: neque ipse Dominus Ioan. 20. Thomæ diceret: *mitte manum tuam in latus meum*, nisi eadem caro, & idem latus atque corpus ante, & post mortem permaneret. Tum quia corpus vt condistinctum ab anima, & a gradu viuentis per animam communicati, potest distinctam actionem productiuam physicam terminate, quam neque ratione animæ aut gradus vitæ terminet: distincta autem actio productiua, distinctum terminum realiter petit, quia terminatur ad esse reale termini producti: ergo. Maior patet, inductione: nam actio conuersiua, per quam tota substantia panis in Corpus Christi, & tota substantia vini, in sanguinem dominicum, ex vi verborum cõuertitur, non terminatur ad solam materiã, aut ad materiam cum accidentibus: sed ad ipsum corpus ex materia, & forma compositum in esse corporis: hoc enim solum nomine corporis, & carnis potest nuncupari, sicut, & Christus nuncupauit quando dixit, Ioan. 6. *caro mea vere est cibus*. Rursus si intri duo consecraret hostiam aliquis Apostolus

ex vi illorum verborum: *Hoc eſt corpus meũ*, quibus ipſe Chriſtus conſecrauit, & ſacerdotibus formam reliquit conſecrationis, reuera in corpus quoad gradum, & eſſentiã corporis ſub ſpeciebus panis contentum ſubſtantiam panis conuerteret, neque tamen tunc homo, aut animal, aut viuens eſſet corpus illud: quod ex anime relictum fuerat in ſepulchro. Rurſus: actio reſurrectionis per quam partes humanitatis Chriſti fuerunt reunitæ, ad hominem ſub gradu hominis, & viuentis, non autem ad corpus ſub ratione corporis fuit terminata: ergo. Reſpondetur ad vtrunque fundamentum; prænotando fuiſſe in hac parte duos modos dicendi. Primus enim fuit Auicenæ libro 10. ſufficientiæ cap. 2. & Gandabenſis vbi ſupra. Ochami in 4. quæſt. 6. & 7. Ricardi diſt. 11. art. 1. quæſt. 2. Maioris diſt. 16. quæſt. vnica, & Baſſolis diſt. 17. afferentium ponendam eſſe in omni compoſito ſubſtantiali formam corporeitatis incorruptibilem, & coæuam materiæ atque illi concreatam, propter primum fundamentum. Secundus fuit Scoti in eodem 4. d. 10. quæſt. 4. & diſt. 11. quæſt. 3. Antonij Andreæ in hoc lib. 7. quæſt. 17. & Henrici quodlibeto primo quæſt. 4. quodlibeto 2. quæſt. 2. & in alijs quodlibetis, aſſerentiũ huiuſmodi formam corporeitatis coæuam materiæ in ſolis viuentibus eſſe ponendam. Ex quibus alij in omnibus viuentibus illam admittunt, alij vero non in omnibus, ſed in ſolo homine, de quorũ numero eſt Henricus in locis præallegatis.

31 Sed vterque modus dicendi ex dictis manet improbatus, & pro illorum ampliori impugnatione, ſiquis plura videre deſiderat, legat Baneſium in quæſtione allegata primi libri de generatione art. 2. & Fonſecam in hoc libro cap. 12. quæſt. vnica ſect. 8. & 9. vnde tertius, & verus modus dicendi eſt, quem prædicti auctores ibi ſequuntur, & exornant, pro quo videndi ſunt D. Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 4. quodlibeto 9. art. 11. & quodlibeto 11. art. 5. Capræolus in 2. diſt. 15. quæſt. vnica art. 1. Hiſpalenſis ibidem ar. 4. Cajetanus ad locum citatum primæ partis. Ferrarienſis ſecundo contra gentes, cap. 58. & 4. contra gentes, cap. 64. Argentina in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. & Conimbricenſes primo de generatione, cap. 4. quæſt. 20. art. 2. iuxta quam ſententiam reſpondetur ad formam argumenti ſeu fundamenti primi negando maiorem vel diſtinguendo illam: formæ ſpecificæ debent introduci in materiam corpoream extenſam, & diſpoſitam antecedenter ad formæ ſpecificæ aduentum; nego maiorem; committanter, concedo; ſufficit enim quod materia ſimul atque recipit formam ſpecificam ſuſcipiat eſſe corporis, extenſionem, & diſpoſitionem recipiat mediate, & ſecundario, id eſt mediante ipſa ſpecifica forma: etenim materia de ſe licet ſit corporea corporeitate entis potentialis, quatenus eſt capax formarum, & accidentium corporalium: tamen non eſt corporea corporeitate totius compoſiti quod eſt proximum quantitatis ſuſceptiuum: ſimiliter de ſe in extenſa eſt, tamen dum per formam corrupti actuatur, habet extenſionem molis quam habet ipſum compoſitũ ratione formæ ſpecificæ. Et hac amiſſa in fine generationis, aliam formam ſpecificam recipit ad quam alia ſimilis extenſio conſequitur, per quam materia ipſa mediate, & ſecundario ſuſcipit extenſionem. Neque diſpoſitiones geniti, & corrupti ſunt eadem numero accidentia: ſed cum formæ corrupti deſitione, per accidens deſinunt accidentia quibus agens naturalẽ materiam corrupti diſponebat ad nouæ formæ ſuſceptionem: illa enim ſicut in compoſito ſubiectabantur: ita eo deſtructo labefactantur, licet hoc præter intentionem agentis contingat: poſtea vero in fine generationis quando noua forma ſubſtantialis introducitur aliæ nouæ diſpoſitiones conſeruatiuæ præcedentibus ſimiles introducuntur, quæ licet materiæ non inhæreant immediate illã tamen diſponunt ac determinant, ſiue ad nouæ formæ geniti introductionẽ, ſi antecedant, ſiue ad eius conſeruationem ſi illam comittentur: eo quod mediante forma, & compoſito in materia recipiuntur. Ad ſecundum negatur minor: corpus enim cunquo anima conſtituit viuens, & ex quo vt ex parte componitur phiſice viuens non includit formam ſubſtantialem, ſed eſt materia quæ pro vt capax trinæ dimenſionis, & vt illam radicaliter eſt præhabens, dicitur corpus id eſt materia corporea. Si autem corpus accipiatur pro compoſito ex materia, & forma quatenus tribuit gradum corporeitatis, quo pacto Phyloſophus primo de cœlo, cap. 2. omnia compoſita naturalia corporea nuncupauit: negatur maior. Ad cuius primã probationem, duplex modus dicendi verſatur, in explicando, quid nomine corporis phyſici, & organici Ariſtoteles in illa diffinitione animæ intellexerit. Fonſeca enim ſection. 9. citata ait intelligi nomine corporis materiam primam pro vt continet diſpoſitiones eas, quibus limitatur ad animam recipiendam vitaleſque operationes ſubiectiuè adminiſtrãdas: ita vt corpus ibi ſuponat pro materia prima quatenus eſt proprium ſubiectum animæ, vnde primo loco dicitur anima

actus

actus corporis id eſt matariæ capacis trinæ dimenſionis : de inde additur quod ſit actus corporis phyſici id eſt, capacis qualitatum ſenſibilium quibus corpora phyſica ſeu naturalia a mathematicis diſtinguuntur. Tertio loco dicitur potentia, vitã habentis id eſt ſubiectiue potentis opera vitæ exercere: quam tertiam, & vltimam diſpoſitionem mox declarat philoſophus nomine corporis organici: opera enim vitæ nequeũt exerceri niſi diſtinctis inter ſe organicis inſtrumentis quorum aliud ab alio moueatur, & ſic quaſi per tres gradus diſpoſitionum connotatos a communioribus, adminus communes progrediens diffinitio animæ proprium ſubiectum declarat. Qui modus dicendi parum defert a nominalium quorundam ſententia efferentium nomine corporis intelligi materiam prout eſt capax quantitatis ſeu conotata quantitate: quorum ſententiam ipſe Fonſeca ibi recitat atque reffutat. Secundus modus eſt Thomiſtarum aſſeretium nomine corporis phyſici intelligi non ſolam materiam ſed materiam cum gradu corporeitatis, id eſt, compoſitum ex materia, & anima ipſa vt formaliter exequitur munus formæ corporeitatis: quia vt ſic præcedit ſe ipſam vt exequitur munus animæ, & tribuit gradum vitæ, ita docent Soto in 4. diſt. 10. quæſt. 1. ar. 1. Bañeſius 1. par. qæuæſt. 75. dubio 3. & Caietanus in ſecundo de anima quæſt. 4. vtrunque modum dicendi reffe rens vt probabilem, ſecundum ait eſſe magis textui ac mentis Ariſtotelis conſentaneum, ita vt neque corporis phyſici, neque nomine organici accipiatur ſubiectum animæ informe ſed formatum, licet diuerſimode. Nam nomine corporis phyſici accipitur materia informata vt diximus, forma corporeitatis, id eſt anima vt exiquitur munus formæ corporeitatis, at nomine organici accipi debet compoſitum ipſum ex natura, & anima exequente munus animæ; organizatio enim a ſola anima poteſt prouenire, vnde ſenſus diffinitionis eſt: anima eſt actus corporis phyſici organici. Id eſt, anima eſt forma corporis animati: ſicut lux diffinitur quod ſit actus lucidi, & qualitas dicitur eſſe qualis effecimur: & quod hic ſit verus modus dicendi, & conformis Angelico Doctori, probatur: nam D. Thom. 1. p. q. 56. art. 4. ad primum, & q. 1. de anima art. 1. ad 15. reſpondens ad ſimile argumentum, ait, anima dicitur eſſe actus corporis organici, in eo ſenſu quo calor dicitur actus calidi, & lumen actus lucidi; id eſt in eo ſenſu, quo per effectum formalem ſolet diffiniri. Et ſubdit, quod dum dicitur, potentia vitam habentis, hæc potentia non abijcit animam, eo quod non eſt potentia ad animam, ſed eſt potentia includens actum primum ſcilicet animam: quæ per ordinem ad actum ſecũdũ qui eſt operatio vitalis nomine vitæ nuncupata, diffinitur. Et licet in quæſt. 1. de ſpiritualibus creaturis art. 3. ad ſecundum videatur fauere primæ ſententiæ dicens animæ diffinitionem dari per ordinem ad ſubiectum quatenus præcedit ipſam: & ſimiliter in ſecundo de anima lect. 1. ſuper tex. 4. dum ait illam vltimam particulam; potentia vitã habentis, intelligi materiam, & non compoſitum: nihilominus hæc reuera non obſtãt: nã ad primum teſtimonium dicẽdum eſt, quod ſolum voluit nomine corporis phyſici intelligi ſubiectum animæ, quoad munus animæ: loquitur etiam de corpore phyſico non organico, in alijs vero locis loquitur expreſſe de corpore organico, & eius actu ſubſtantiali qui eſt anima rationalis aut ſenſitiua. Ad ſecundũ reſpondetur, quod tunc non cũ D. Tho. integram diffinitionẽ explicuerat, & ſic iuxta illorum ſententiam fuit loquutus qui animæ diffinitionem dicunt dari per ordinem ad ſubiectum informe. Sed ſatim accedens ad textum decimum coactus eſt verbis Ariſtotelis propriam proferre ſeetentiam: & ita expreſſe docet corpus potentia vitam habens, actu animam includere, & per ordinem ad opera vitæ dici potentia vitam habens. Cum igitur hæc ſit expreſſa Sancti Doctoris ſententia quam denique in ſumma nobis pro vltima voluntate reliquit, iuxta illam reſpondetur. Ad primam probationem, negando minorem, non enim animæ ſubiectum poteſt proprie dici corpus organicum: neque poteſt præintelligi organizatio ad animam: etenim organizatio ſubſtantialis ſiue radicalis eſt formalis effectus illius: accidentalis vero a diſpoſitionibus proueniens ad animam conſequitur: vnde nomen corporis organici ſolum pro corpore animato ſuponit. Ad ſecundam probationem nego antecedens, ſi de corpore pro vt importat cõpoſitũ ex materia, & forma; intelligatur, huiuſmodi enim corpus variata forma ſpecifica variatur, & in hoc ſenſu ſicut aliud eſt corpus hominis vita functi, ab illo quod fuit hominis viui: ita aliud fuit corpus Chriſti intri duo ab eo quod fuerat, & futurum erat viuũ, at ſi fiat ſermo de corpore humano pro vt importat ſolam materiam in quam libet ſpeciẽ ſeu figurã eſt formatã, ſic idẽ fuit corpus, & eadem caro Chriſti intri duo ac ante mortẽ, ex parte materiæ quidẽ ſecundum omnimodã identitatẽ: ex parte vero organizationis, membrorũ diſtinctionis,

ctionis, atque aliorum accidentium communium corpori viuo, & cadaueri, fuit eadem quoad ſenſum, & aparentiam: quæ idēticas ſufficit vt vulgari modo loquendi eandem effigiem ac figuram dicamus eſſe corporis mortui ac viui. Licet Metaphiſicum rigorem obſeruantes, non eandē ſed diuerſam dicere debeamus. Igitur propter materiæ identitatem veram, & accidentiū cōmunū apparentem: eadē fuiſſe caro Chriſti intriduo ac idem corpus quod poſtea futurū erat, & quod ante mortem fuerat viuum, abſolute dici potuit, non obſtante quod intriduo per formā cadaueris fuit materia actuata, ex qua, & ipſa materia diſtinctum compoſitum reſultauit ab illo, quod ex materia, & rationali anima fuerat aſſumptum, alioquim abſque tali forma materia exiſtere, & ſubſiſtere per Verbi diuini exiſtentiam ac ſubſiſtentiam minime poſſet: alias decuit animæ rationali in illo ſacro corpore cadaueris formam ſucceſsiſſe, vt eius mors in hoc, aliorum hominum morti aſſimilaretur, pro quibus illam voluntarie ſuſtinebat. Ad tertiam Fonſeca vbi ſupra ſect. 10. ad vltimum reſpondet: quod actio conuerſiua panis in corpus, licet conuerſiua ſit totius ſubſtantiæ panis id eſt compoſiti ex materia, & forma panis: non tamen eſt conuerſiua ex vi verborum in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ ſit compoſita ex materia, & forma, ſed in ſolam materiam primam, quæ eſt animæ ſubiectum ipſo viuente, & formæ cadaueris, ipſo vita functo. Conuerſio autem vini in ſanguinem ex vi verborum ad compoſitam ſubſtantiam ſcilicet ad ſanguinem terminatur, & hoc eſſe verum extra triduum: intriduo enim probabilius eſſe, quod ex vi verborum conſecrationis panis conuerteretur in compoſitum ex materia, & forma cadaueris: & ſimiliter conuerſio vini in ſanguinem pro vt ſic compoſitum terminaretur. Cuius ratio eſt, quia cadauera mortuorum non dicuntur conſtare ex corpore, ſed potius dicuntur corpora; ſed conſecratio ex vi verborum terminaretur ad cadauer: ergo ad compoſitum. Sed hæc ſolutio eſt falſa: primo quia D. Thom. 3. part. quæſt. 75. art. 6. ad ſecundum ait expreſſe formam panis ex vi verborum conuerti in formam corporis ſecundum quod dat eſſe corporeum: non ſecundum quod dat eſſe animatum tali anima, & hæc eſt ſententia Thomiſtarum quam late proſequuntur Capræolus in ſecundo diſt. 15. quæſt. vnica. art. 3. Hiſpalenſis art. 4. Paludanus in 4. diſt. 11. quæſt. 3. Caietanus ad articulum citatū, & 1. part. quæſt. 76. art. 4. Ferrara 4. contra gentes ca. 64. & Soncinas libro 8. huius operis quæſt. 11. Secundo quia ſi conuerſio fieret intriduo: reuera ex vi verborum fieret in ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma cadaueris, vt fatetur ipſe Fonſeca: fieret namque in illud corpus quod fuit ſublatum de cruce, & ſepulturæ mandatum, atque aromatibus conditum: illud autem abſque dubio fuit cadauer Chriſti Domini, id eſt compoſitum ex materia, & cadaueris forma: ergo ſimiliter conſecratio extra triduum debet ad compoſitum pro vt includit præciſſe gradum corporeitatis terminari, alioquim ſi ad ſolam materiam terminaretur, non eſſet conſecratio eiuſdem rationis, neque conuerſio ex vi verborum ad eundem terminum, ad quem, terminaretur: quod eſt plus quam falſam. Dicendum igitur eſt, quod tam intriduo quam extra illud conſecratio, & conuerſio ex vi verborum ad corpus ſub gradu corporeitatis terminatur, ac proinde ad eundem terminum: quia corporeitatis gradus vnitati formali, non obſtat quod intriduo a forma cadaueris, & extra triduum ab anima rationali prouenial, eſt enim diuerſitas hæc materialis valde reſpectu actionis conuerſiuæ, quæ ad corpus ſub ratione corporis Dominici vt ſic pro vt præintelligitur gradui ſpecifico teminatur: & hoc ſupoſito ad miſſa maiori negatur minor, non enim eſt incōueniens diuerſas actiones phyſicas ac phyſice productiuas ad eandem rationem ſub diſtinctis gradibus ſecundum rationem per ſe primo terminari: vnde ſuperius docuimus ad gradum entis actionē Dei principaliter agentis, & ad gradū generici, & ſpecificum rei genitæ actionem cauſſæ ſecundæ principaliter operantis terminari: nō obſtāte quod nullus gradus ab ente actualiter ex natura rei diſtinguatur. Ita poteſt fieri vt ad gradum Corporis Chriſti conuerſio per ſe primo terminetur: qui ad gradum, & eſſe compoſiti viuentis, & animati, aut minime, vt intriduo: aut per concommitantiā, extra triduum terminatur.

32 Tertio militant argumēta: quibus Fōſeca conatur probare inter Metaphiſicos gradus formalem actualem diſtinctionē a parte rei verſari. Quæ poſſunt ad hanc ſeriem reduci. Primo hāque arguit ſect. 11. impugnādo eos qui ſolā diſtinctionem rationis actualem inter huiuſmodi gradus agnoſcūt quod non ſaluetur in horum ſententia vniuerſalia, eſſe in rebus, quia omnes rerum entitates ſunt ſingulares per ſe, vnde ſola nomina aut ſoli conceptus mentis erunt

vniuer-

vniuerſales quod fuit delirium Nominalium. Secundo quia conceptus hominis non repræſentat totam entitatem Petri, & Pauli: aliàs eſſet æquiuocus: ergo repræſentat partem entitatis: id ſcilicet in quo cõueniunt: ac proinde aliquid detegit illa conceptus in quo homines conueniunt a parte rei quod erit aſsingulariſum indiuiduationibus ex natura rei diſtinctum. Tertio quia implicat idem omnino formaliter eſſe principium conuenientiæ, & diſtinctionis: ſed animal eſt ratio conuenientiæ hominis cum leone: rationale vero eſt principium diſtinguendi hominem a leone: ergo differt animal a rationali ex natura rei. Deinde ſubdit hanc eſſe ſententiam Ariſtotelis in hoc libro capit. 10. in eo quod aſſerit omnem diffinitionem habere partes, ſcilicet, genus, & differentiam quæ partibus rei diſtinctæ correſpondent: & etiam Angelici Doctoris: cuius tria ſunt teſtimonia primum ex prima parte quæſt. 3. art. 5. vbi negat Deum eſſe in genere, hac ratione: quia omne genus ſe habet ad differentiam vt potentia ad actum. Secundum ex primo contra gentes ca. 3. & tertium ex quæſt. 1. de veritate art. 1. & quæſt. 21. art. 1. in quibus penes hoc diſtinguit vniuoca prædicata ab analogis quod illa contrahuntur ac diuiduntur in vniuocatis additione ad differentiam: hæc vero ex ſe ipſis diuiſa ſunt, & vnitatem tantum ſecundum quid habent. Quibus in locis ſignificat ſuperiora, & inferiora prædicata diſtingui ex natura rei, formali nimirum diſtinctione, quo diſtinctionis genere ac nomine Caietanus (ait ille) ad primam partem quæſt. 3. artic. 5. & Ferrarienſis ad primum contra gentes cap. 45. perſpicue dicũt genera a ſuis differẽtijs ſpecificis diſtingui. Denique ſectione 12. impugnat eos qui ſolam diſtinctionem virtualem ex natura rei inter huiuſmodi prædicata agnoſcunt fere eiſdem rationibus, quibus addit poſtremam in hunc modum: quæ habent diuerſas vnitates ſimpliciter, & abſolute diſtinguuntur: ſed naturas communes, & ſingulares diuerſas habere vnitates: communes quidem formalem: ſingulares autem numeralem, communis ſententia eſt inter reales phyſicos, quo fit vt hi cum formales vnitates negant, ad nominales plane conuertantur. Sed hæc facile ſoluuntur, ad primum enim negamus ſequelam, non enim negamus in Petro, & Paulo dari naturam humanam ita diuiſam per principia formalia, quam conceptus hominis immediate repræſentat ſine conditionibus indiuiduantibus abſtractione præciſiua: quod tamen negabant Nominales. Ad ſecundũ concedo conſequentiam, ſcilicet quod conceptus hominis repræſentat partem Metaphiſicam reſpectu enim Petri ratio hominis eſt veluti pars Metaphiſica, licet aliàs ſit tota hominis eſſentia quæ in eius diffinitione declaratur. Extrema autem compoſitionis Metaphiſicæ ratione diſtingui, iam alibi nempe libro tertio aduerſus eundem auctorem oſtendimus. Ad tertium negatur maior: idem enim color medius, verbi gratia, viride, & eſt ratio conueniendi cum extremis coloribus in genere coloris, & per eandem ſpecificam rationem ab illis ſpecie diſcriminatur, poteſt tamen dici ſub diſtinctione; quod licet idem ſecundum rem, & rationem nequeat eſſe ratio conuenientiæ, & diſtinctionis: tamen idem ſecundum rem, poteſt ſub vna ratione eſſe principium conuenientiæ, & ſub alia poteſt eſſe principium diſtinctionis, nedum in eſſentia diuina, & infinita, vt ille auctor putauit: verum etiam in eſſentia finita ac limitata. Ad quartum ex teſtimonijs reſpondeo: neque Philoſophum, neque Angelicum Doctorem illam habuiſſe ſententiam: Ariſtoteles enim ſolum vult rem diffinitam habere partes obiectiuas ratione diſtinctas, genus ſcilicet, & differentiam, quæ conceptibus formalibus ipſius diffinitionis correſpondent. Angelicus autem Doctor quo pacto poteſt in illam ſententiam adduci, qui oppoſitam ſigillo ſui officij, & propria ſubſcriptione tenet 1. part. quæſt. 50. artic. 2. ſic habet *in quantum intellectus noſter conſiderat rem illam vt indeterminatam, accipitur in eis ratio generis, in quantum vero conſiderat vt determinatã, accipitur ratio differentiæ*, & quæſt. 76. art. 3. ad quartum ait intellectum poſſe vnum, & idem ſecundum diuerſos modos, id eſt diuerſis conceptibus apprehendere: & ſtatim ſubdit, *quia igitur vt dictum eſt anima intellectiua virtute continet id, quod ſenſitiua habet, & ad huc amplius poteſt ſeorſum ratio conſiderare quod pertinet ad virtutem ſenſitiuæ quaſi quoddam imperfectum, & materiale, & quia hoc inuenit etiam in brutis animalibus, ex hoc rationem generis format: id vero in quo anima intellectiua ſenſitiuam excedit, accipit quaſi formale, & completiuum, & ex hoc format differentiam hominis.* Neque valet explicatio Fonſecæ aſſerentis Doctorem Sanctum in his locis ſolum negare diſtinctionem realem entitatiuam qualis eſſet illa quæ a diuerſis animabus proueniret: non autem negare formalẽ diſtinctionem ex natura rei inter genus, &

differentiã reperiri. At hæc explicatio omnino aduersatur testimonijs Angelici Doctoris: in illis nanque D. Thom. expresse intendit excludere a genere, & differentia quãcunque distinctionem antecedenter ad cõceptus, quibus intellectus accipit vnum vt commune, & materiale, & alterum vt formale: alias non diceret ex consideratione intellectus accipi, & formari rationem generis ac differentiæ: sed potius debuisset dicere, ante omnem considerationem ratio generis est formata atq; distincta a ratione differentiæ. Tum igitur cum hæc sit proculdubio sententia Sancti Thomæ: in alijs testimonijs, facilem habet expositionem, in illo nanque quæstionis tertiæ fateor genus appellasse potentiam respectu differentiæ: vt autem genericus gradus sit potentialis respectu differentialis, sufficit distinctio rationis actualis: cui in re ipsa virtualis distinctio correspondet. In alijs vero duobus solum vult differentias se habere ex additione rationis ad genera: non vero ex additione reali quæ petit actualem realem distinctionem. Ad vltimum argumentum negatur minor. Aliud enim est Petrum esse vnum vnitate indiuiduali, & hominem esse vnum vnitate formali specifica: & hoc fatentur cõmuniter Philosophi reales; qui nimo tot vnitates ponunt quot essentialia prædicata: aliud vero vnitatem indiuidualem Petri esse actu ex natura rei distinctam ab vnitate formali hominis, & hominis vnitatem formalem esse actu ex natura rei etiam distinctam ab vnitate animalis: & hoc nullus realium concedit. Sicut enim Petrus, & homo ante operationem intellectus hoc est ante quam conceptibus illis duobus Petri scilicet, & hominis representatiuis obijciantur, sunt idem realiter, & solum virtualiter distinguuntur quatenus habent fundamentum vt possint duos conceptos distinctos terminare: ita vnitas indiuidualis Petri, & formalis hominis antequam proprijs conceptibus obijciantur non sunt duæ vnitates dualitate reali actuali, licet sint duæ vnitates reales dualitate fundamentali ac virtuali: aliud enim est duas esse formas aut perfectiones siue vnitates reales, & aliud earum dualitatem atque distinctionem esse realem: de facto enim in patre diuino dantur ante operationem intellectus duæ relationes reales, paternitas, scilicit, & spiratio: quarum tamen dualitas ac distinctio non est actualis realis.

(?)

ARTICVLVS. IIII.

An in homine, & quonis animali repugnet dari plures animas, quarũ altera rationalis siue sensitiua, altera vero sit vegetatiua formaliter.

33 IN hoc articulo videndũ est ex quo capite rationalis anima sensitiuam, & vegetatiuã, & sensitiuã vegetatiuã secũ in eodem subiecto minime cõpatiatur, in cuius explicatione, placet prius placita physicorum ac Theologorum recẽsere. Tres igitur sententiæ versantur in hac parte 1. fuit opinio Etnicorũ asserentiũ in homine plures animas esse, & similiter in quolibet animali: in homine quidẽ tres, scilicet, vegetatiuã, sensitiuã, & rationalem: in alijs vero animalibus duas, sensitiuã scilicet, & vegetatiuã. Huius opinionis fuere Plato in Timeo, Galenus de placitis, Auicena lib. 6. naturaliũ p. 5. c. 7. & idem Plato. lib. 6. de republica c. 2. eiusdem opinionis Platonicæ meminit Aristot. li. 1. de anima, & li. 3. tex. 41. Secũda est Nominalium asserentium solam animam rationalem a sensitiua in homine distingui ac proinde duas in homine animas esse: in cæteris vero animãtibus vnicã dũtaxat simul vegetatiuã, & sensitiuam reperiri. Hanc sequũtur Othomanus in 2. q. 22. in 4. q. 7 & quodlibeto 3. q. 10. Maior in 2. d. 17. Paulus Venetus in summa de anima q. 5. & Henricus vbi supra. Tertia negat omnino plures animas in homine aut alijs animãtib⁹ realiter distinctas reperiri, quam docent communiter Sancti Patres atque Scholastici Theologi, & Metaphisici. Ex Sanctis Patribus illam docent Augustinus libro de Ecclesiasticis dogmatibus c. 15. & libro 10. de Genesi ad literam c. 12. Damascenus lib. 2. fidei ortodoxæ cap. 12. Lactãtius lib. 1. diuinarum institutionum, ca. 3. Albertus libro de origine animæ, & tractatu de homine cap. 1. D. Thom. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. secundo cõtra gentes c. 58. q. vnica de anima art. 11. & opusculo 3. c. 90. & 91. & in 2. d. 18. q. 2. ar. 3. Hos sequuntur Egidius in opusculo de gradibus formarum, Scotus in 4. d. 11. q. 3. Argentina d. 3. art. 1. Capræolus in 2. d. 15. quæst. vnica, Soncinas 8 Metaphisicorum q. 13. Caietanus ad articulum quartum quæst. 76. Bañesius ibidem dubio 7. & 1. de generatione quæst. 8. art. 3. Vega de locis affectis sect. 1. Vallesius lib. 4. controuersiarum cap. vltimo, & de sacra Philosophia ca. 5. & Fonseca vbi supra, nempe in hoc

libro

libro cap. 12. quæſt. vnica ſect. 3. atque etiam Conimbricenſes vbi ſupra ſcilicet primo de generatione quæſt. 21. art. 2. Ex quibus alij volunt animam inferiorem in ſuperiori, ſcilicet vegetatiuam in ſenſitiua, & ſenſitiuam in rationali virtualiter, & poteſtatiue ſolum contineri. Alij vero etiam formaliter rationalem ſenſitiuam eſſe, & ſenſitiuam vegetatiuam defendunt, vt tradunt Caietanus ſecundo de anima cap. 8. dubio 2. & Bañeſius art. 4. citato dubio 2. his ſupoſitis pro declaratione veritatis ſequentes ſtatuimus aſſertiones.

Reſpõdeo dicendũ primo quod temeritatis nota inurenda eſt opinio plures animas in homine, & in alijs animantibus conſtituens. Hæc probatur primo: nam in pluribus locis Sacræ Scripturæ fit ſermo de anima hominis quaſi vnica tantum ſit, ac proinde denotatur illam vnicam tantũ eſſe in ſingulis hominibus: propterea enim dicitur Geneſis ſecundo, & tertio, *formauit igitur, Deus hominem, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; id eſt animam, vnde ſubditur: *& factus eſt homo in animam viuentem*, Pſalmo 21. *eruea framea Deus animam meam*, & Pſalm. 141. *educ de carcere animam meam*. Quibus conſonat id quod ſæpe ait Dauid: *Benedic anima mea Domine*: præcipue Pſalm. 102. & 103. Ezechielis 18. *ſicut anima patris, ita & anima filij*. Rurſus in concilijs diffinitũ eſt hominem conſtare ex anima, & corpore: in quibus verbis denotatur animam hominis duntaxat eſſe vnam, ita enim habetur in octaua ſinodo generali 8. canone 11. & in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. quibus conſonat diffinitio Concilij Vienenſis relata, & aprobata in clementina vnica de ſumma Trinitate, determinans diuinum verbum partes humanæ naturæ interſe vnitas, ſcilicet corpus, & animam aſſumpſiſſe. Denique Sancti patres ſupra relati, Auguſtinus, Damaſcenus, D. Thom. Albertus, Lactantius, & Niſenus libro de creatione hominis, cap. 15. vnitatem animæ hominis proteſtantur, atque eis omnes fere Theologi Scolaſtici ſuffragantur. Cum igitur ſit hæc concluſio inſinuata in locis ſcripturæ quam plurimis, atque in Concilijs, & ſi non directe, ſaltem obiter determinata, ſitque Sanctorum patrum, & Scolaſticorum commune placitum ac dogma, nullus poteſt abſque temeritatis nota, ab illa deuiare. Dico ſecundo lumine naturali notum ac perſpicuum eſt in hominibus atque animalibus ſingulis, animas ſingulas duntaxat reperiri. Hæc ſtatuitur aduerſus eoſdem primæ, & ſecundæ ſententiæ, & opinionis ſectatores, quã illos nedum fidei diſonantiæ, ſed etiam phiſicæ ignorantiæ redarguimus, & probatur primo nam philoſophi prædicti lumine naturali hanc veritatem cognouerunt, illam à philoſophiæ principe acceperunt: qui primo de anima, tex. 90. oppoſitam opinionem repræhẽdit: & ſecundo de anima tex. 18. ait animam eandem eſſe principium vegetandi, ſentiendi, & intelligendi: & cap. 3. tex. 31. atque 8. huius operis cap. 3. docet animam vegetatiuã in ſenſitiua, & hanc in rationali ſicut binarium internario contineri; igitur ſentit eſſe vnam animã in homine: quæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ munus exequatur. Secundo probatur rationibus quibus articulo præcedenti oſtendimus pluralitatem formarum ſubſtantialium eſſe in eadem compoſito impoſsibilem. Cum enim anima ſit forma ſubſtantialis ſicut repugnat dari plures formas in eodem compoſito naturali: ita repugnat dari plures animas in eodẽ animali: & rationaes quæ illud etiam iſtud probant impoſsibile. Tertio probatur ex perfectione ipſius animæ rationalis: hæc enim poteſtatiue continet ſenſitiuam, & vegetatiuam: & exequitur illarum munia: per ſe enim ipſam conſtituere valet hominem in eſſe viuentis, & animalis, quia ipſa præhabet in ſe hos gradus vt forma, ac proinde illos poteſt ſubiecto communicare: ergo ſuperfluit omnis alia anima in homine ad hos effectus præſtandos: & eadem de cauſa ſuperflue poneretur vegetatiua in animalibus brutis: ſiquidem ſenſitiua ſufficit eis tribuere gradũ viuentis communem: in quo cum plantis eſſentialiter cõueniunt. Quarto probatur, ex ordine quẽ ipſæ animæ inter ſe deberent ſeruare: non enim omnes ex æquo, & æque immediate materiã informaret: quo pacto albedo, dulcedo, & calor quãdoq; idẽ ſubiectũ æque immedate actuãt ſecũdũ eſſe accidẽtale: aliàs homo nõ eſſet magis vnũ, quã hoc ſubiectũ ſimul albũ, dulce, & calidũ. Sicut enim in hoc ſunt tria cõcreta accidẽtalia ex parte ſubiecti, & materialiter dumtaxat adunata: ita in homine eſſent tria concreta ſubſtãtialia, ſcilicet homo, animal, & viuẽs, materialiter dũtaxat, ſcilicet in vna materia 1. adunata, quod â nemine eſt admittẽdũ, igitur vna informaret materiã mediãte alia, v. g. ſenſitiua eſſet actus materiæ informatæ per vegetatiuã, id eſt cõpoſiti ex materia, & anima vegetatiua, quæ ſicut eſt 2. via generationis: ita prius, & immediatius materiam informaret: & rationalis aduenire et ſenſitiuæ, & eius effectui formali: ac proinde eſſet actus corporis viuentis, & ſenſitiui: ſed hic

ordo eſt incompoſibilis: ex illo enim ſequitur animã ſenſitiuam, & rationalẽ eſſe accidentales formas, ſiquidem aduenirẽt enti in actu conſtituto. Sequitur etiã huiuſmodi animas non eſſe actus informãtes: ſed formas aſſiſtentes ad inſtar intelligentiæ in cœlo, aurigæ incurru, & naucleri in nauiſe habentes: ſiquidem enti in actu, quod eſt incapax ſubſtantialis informationis, vnirentur. Sequitur denique labefactare illud vulgare ac veriſsimum phyſicorum axioma ex Ariſtotele primo de generatione cap. 3. deſumptum: generationem, ſcilicit vnius eſſe corruptionem alterius: & e contra: ſiquidẽ introductio tertiæ animæ non excluderẽt ſecundam, ſcilicet ſenſitiuam, neque ſenſitiuæ generatio vegetatiuæ præexiſtentis corruptionem inferret. Quæ abſurda ſunt, & nulla tenus admittenda: ergo. Dico tertio anima rationalis poteſtatiuæ, & eminenter præhabet animam ſenſitiuam ac vegetatiuã: formaliter tamen ipſa eſt vegetatiua, & ſenſitiua: hæc ſtatuitur aduerſus illos Neotericos, qui primum modum ſequuntur explicandi ſententiam tertiam, eo quod exiſtimant propterea plures animas ſimul non reperiri: quia rationalis eminenter duntaxat eſt ſenſitiua, & vegetatiua: ſenſitiua autem ita eminenter eſt vegetatiua vt formaliter nõ includat gradum vegetatiuæ vitæ. Sed noſtra concluſio probatur, quoad primam partem: primo nã Phi loſophus in locis præallegatis, & D. Tho. 1. p. q. 76. art. 4. docent animam perfectiorem continere in vitute imperfectiores: & propterea præſtari ab illa perfectiori modo harum effectus. Secunda probatur: nã anima rationalis ad ſenſitiuam, & hæc ad vegetatiuam comparatur ſicut numerus perfectior adminus perfectum, verbi gratia, ternarius ad binarium: ſed ternarius includit non formaliter binarium, ſed ſolum virtualiter, & poteſtatiue: licet enim duas vnitates actu includat: binarium vero actu non includit: ergo neque anima perfectior, actu includit imperfectiorem. Tertio: anima rationalis, & ſenſitiua quæ tantum ſenſitiua eſt atque vegetatiua quæ præciſſe eſt vegetatiua, vt anima equi, & anima plantæ comparantur ſicut tres formæ ſpecie diſtinctæ ſub eodem genere animæ vt ſic, quarum prima eſt perfectior quãm ſecunda, & ſecunda quãm tertia: ſed ex formis ſpecie diuerſis nequit imperfectior actu, & formaliter includi in perfectiori, ſed ad ſummum virtualiter ſiue eminenter in illa includetur: ergo neq; vegetatiua in ſenſitiua, neque ſenſitiua in rationali poteſt formaliter contineri. De inde quoad ſecundã partem probatur concluſio prænotando huiuſmodi rationes ſenſitiui, & vegetatiui poſſe accipi dupliciter primo pro vt conſtituunt ſpeciales animas, hoc eſt pro vt ſunt rationes ſpecificæ conſtituentes ſpecies animæ vegetatiuæ in plãtis, & ſenſitiuæ in brutis: ſic enim, vegetatiuum eſt vltimum plantæ, & ſenſitiuum eſt vltimum animalis bruti diſtinctiuum. Secundo modo pro vt ſunt rationes cõmunes, & gradus generici in quibus omnes animæ, & omnia animalia ſiue viuentia cõueniunt. Igitur in prima parte concluſionis ſermo fuit de anima ſenſitiua, & vegetatiua primo modo: in hac vero ſecundo parte eſt ſermo de anima vegetatiua, & ſenſitiua, iuxta ſecũdã acceptionẽ, & hoc ſupoſito probatur primo: nam anima rationalis formaliter cõſtituit vegetatiuũ, & ſenſitiuum: eſt enim id quo homo formaliter eſt, viuens & animal cõueniens eſſentialiter cũ plantis, & cũ animalibus brutis: ergo formaliter, & actu eſt vegetatiua, & ſenſitiua. cõfirmatur: nã ſicut viuẽs, & animal ſunt genera ad omnia viuẽtia, & animalia: ita vegetatiua anima, & ſenſitiua ſunt rationes generice, ſiue genera incompleta ad omnes animas: ergo ſicut gradus viuentis, & animalis in omnibus animalibus reperiuntur formaliter: ita ratio animæ vegetatiuæ in omnibus animantibus, & ratio animæ ſenſitiuæ in omni anima rationalis, & irrationalis animalis reperitur: vnde ſicut hæc eſt prædicatio ſuperioris de inferiori: homo eſt animal, ita & hæc eſt ſuperioris de inferiori: anima rationalis eſt anima ſenſitiua: & hæc ſimiliter: anima ſenſitiua, eſt vegetatiua. Secundo probatur: nam alias in homine rationale non eſſet formaliter idem quod ſenſitiuum, ſed ex natura rei diſtinguerentur: cõſequẽs eſt falſum: omnes enim gradus eſſentiales cuiuſcumque rei ſunt indiſtincti formaliter ex natura rei vt articulo præcedẽti oſtenſum fuit: ergo. Sequela probatur: nã id quod formaliter conuenit alicui non eſt idem ex natura rei cum illo, quod præhabetur virtualiter in eodẽ: calidũ enim quod cõmetur virtualiter in ſole non eſt idem formaliter cum ſole ſed potius diſtinguitur realiter ab illo: ſi ergo anima rationalis formaliter eſt rationalis, & ſolum virtualiter præhabet ſenſitiuum; rationale, & ſenſitiuum non eſſent idem formaliter: & hæc eſſet prædicatio in ſenſu formali falſa: rationale eſt ſenſitiuũ, & ſimiliter hæc: ſenſitiuum eſt vegetatiuum. Tertio; nam cum anima rationalis eſt formaliter ſpiritualis: nequit eſſe actu corporea: quia implicat quod alicui cõueniat actu, oppoſitũ illius quod ei conuenit formaliter, & ſecũdũ ſe, vnde tãtũ eſt corporea virtualiter,

quate-

quatenus præhabet perfectionẽ formæ corporeæ,& eſt ratio conſtituendi corpus viuẽtis ſenſitiui ac rationalis gradibus cõtractũ: ſed anima rationalis formaliter nõ eſt oppoſitum animæ vegetatiuæ aut ſenſitiuæ: quinimo formaliter, & ſecundum ſe participat gradum genericum partialis vegetatiui, & partialis ſenſitiui:ergo nihil obſtat quominus ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua:diuerſimode enim ei conuenit ratio corporei, atque ratio vegetatiui,& ſenſitiui, illa namque ei conuenit dumtaxat,vt quo,& virtualiter;hæc vero conuenit illi formaliter, & vt ſubiecto, *quod*, eſt enim & id quo homo eſt viuens ſenſitiuum:& ſimul eſt aliquid viuẽs atque ſenſitiuum partiale.

34 Sed contra arguitur primo: nam aut in locis ſcripturæ, ac conciliorum diffinitionibus prælegatis determinatur ſingularitas animæ in ſingulis hominibus: aut non: ſi primum erit profecto ſententia opoſita nedum temeraria, verum etiam hæretica:quod tamen nullus affirmat:ſi non fiat talis determinatio,neque temeraria eſt cenſenda:præſertim quia in illa octaua Sinodo ſub Adriano Secundo Canone 11. ubi expræſius videtur fuiſſe animæ ſingularitas determinata, contra Manicheorum inſaniam facta eſt talis determinatio, qui teſte Auguſtino libro de duabus animabus contra Manicheos cap. 12. & libro 6. contra Fauſtum cap. 8. aſſerebant in quolibet homine eſſe duas animas rationales,alteram bonam, & adeo alteram vero malam â carne progenitam, illam ad bonum,hanc ad malum inclinatam. Igitur nullatenus diffinitur animam rationalem eſſe in ſingulis hominibus eandem cum vegetatiua & ſenſitiua. Cum hæc determinatio Sinodi octauæ ſolum hæreſi Manicheorum, & poſitioni duarum animarum rationalium contradicat. Ad hoc argumentum negatur maior:damus enim mediũ,quod neque expræſſe,& directe ſingularitas animæ determinetur,neque nullatenus diffiniatur: ſed quod obiter ſuponatur,ac inſinuetur, & plane hoc modo in omnibus adductis teſtimonijs inſinuatur,in octaua autem Sinodo licẽt patres directe vnitatem animæ rationalis concludant contra Manicheos:tamen de illa ſic loquuntur vt nullatenus conſortium alterius animæ in homine admittant, & ex eo quod animam propenſam ad malum ſiue ad bonum ſenſibile determinent eſſe eandem cum illa quæ bonum proſequitur, conſequẽter identitatem ſenſitiuæ, & rationalis animæ concludunt,propenſionem enim ad malum ex anima ſentiua cenſebant prouenire. Secundo arguitur ex teſtimonijs Philoſophi qui ſæpe numero animam rationalem à ſenſitiua,& ſenſitiuam à vegetatiua ſiue nutritiua diſtinguit:ergo non ad ſtipulatur Philoſophi noſtræ ſecundæ concluſioni. Antecedens patet; quia lib.2. de generatione animalium, cap.3. ait in generatione hominis prius fœtum habere animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuã, quibus poſtremo ſuccedit rationalis: ſed non eſt ratio quare poſterior expellat priorem, neque adeſt agens cuius virtute prima expellatur per aduentum ſecundæ etenim agens naturale per eandem virtutem ſeminis,primã & poſteriores introducit.Deinde libro de vita & morte cap.2. diſtinguit ſenſitiuã à nutritiua dicẽs. Vtriuſque animæ principium,& primam ſedem in corde vt in communi ſpirituum vitalium,& animalium oficina collocari: rationali autẽ nullam ſedem propriam adſcribi, eo quod putet eam veluti aſſiſtentem, & extrinſecũ aduenientem nulla ſede propria indigere,niſi ratione phantaſiæ ipſi proxime adminiſtrãtis,quæ in capite locum,& ſedem habet,fauet Gregorius Niſenus, qui.3. de anima capit.5. aſſerit rationalem animam non informantem,ſed aſſiſtentem eſſe,& in eadẽ ſententia fuiſſe Ariſtotelem, Simplicius lib.1.de anima tex.7. & Auerrois lib. 3. commento 5. conteſtantur: ergo debet diſtingui iuxta horum ſententiam à vegetatiua, & ſenſitiua quæ ſunt actus informantes.Reſpõdetur negando antecedens. Ad primam probationẽ dico, quod Philoſophus in primo teſtimonio plane fatetur illam plũralitatem animarum ſucceſsiue ſe habentium:prius namque tempore, hoc eſt ante diem quadrageſsimũ quintum in maribus, & octogeſsimum in fœminis certum eſt fœtum animam vegetatiuã habere,deinde ſenſitiuam: illius quæ operationibus prius;augmento,ſciliçet, & nutritione,deinde huius actibus,motu conſtrictionis,& ſenſationis cum læditur, gaudere, & tandem animam accipere rationalem. Sed quia ad ingreſſum poſterioris prior excluditur,propterea vnica,dumtaxat remanet anima in fine generationis cuiuſuis animalis. Sic enim natura comparatum eſt vt adueniẽte forma perfectiori,imperfectior, quæ dumtaxat erat via, & diſpoſitio ad perfectiorem excludatur.Et huiuſmodi excluſionem priorum formarum operatur idem agens naturale quod vltimam introducit: cui & virtus ſeminis cooperatur. Dum enim ad vltimæ introductionem materiam diſponit perſe primo priorem per accidens excludit. Sed dices:quando fœtus incipit eſſe homo per animam rationalem, iam non eſt in illo anima ſenſitiua, quia tunc eſt verum dicere quod

non eſt embrio, qui antea fuerat: corruptum enim fuit illud compoſitum naturale ex materia prima, & anima ſenſitiua: igitur neque eſt virtus ſeminalis quæ antea erat, ac proinde per nullam virtutem poteſt pro illo diſpoſitiue aut effectiue ad hominis concurrere generationem. Sed ad hoc ſuperius dictum fuit: & nunc iterum dico, quod in virtute ſeminis primo deciſsi à generante effectiue diſponitur materia ad omnes illas formas ſuo ordine ſibi ſuccedentes: ad primam, & ſecundam propter vltimam. Vnde quando primum eſt verum dicere, nunc eſt anima vegetatiua in materia ſeminis, eſt verum dicere, quod non adeſt iam forma prima & virtus à generante ſemini communicata: tamẽ adeſt illi forma, & virtus ſeminalis alia primæ ſuccedens, & virtute illam continens modo perfectiori, & huic ſuccedit alia, ſcilicet, cũ anima ſenſitiua, & tandẽ huic ſuccedit rationalis, ad cuius vnionẽ vt ſenſitiua diſponat, ſatis eſt quod immediate ante hoc inſtans quod eſt primum eſſe hominis præceſſerit in eodem ſubiecto. Hæc enim de cauſa diſpoſitiones præuiæ ad formam quamcunque ſubſtantialem vere diſpoſitiue concurrunt, licet per illius aduentum corrupto ſubiecto, ipſæ quoque corrũpantur. Quinimo, & hæc immediata præcedentia ſufficit concurſui effectiuo. Sacramentorum enim motus, vt lotio, vnctio, & abſolutio ſuũ effectũ in vltimo inſtanti quod eſt primũ nõ eſſe ipſorũ operantur. In ſecundo teſtimonio loquitur Philoſoph⁹ nõ de animabus ſed de earũ virtutibus, alendi, ſcilicet & ſenriẽdi, quarum primam ſedem conſtituit in corde tanquam in prima omnium ſpirituum vitalium officina. Qui tamen in capite perficiuntur vt poſsint ſenſitiuæ, & intellectiuæ animæ deſſeruire. Neque Philoſophus ſenſit alicubi rationalem animam eſſe tantum aſsiſtentem, vt falſo Simplicius, & Auerrois exiſtimarunt, quinimo Gregorius Niſenus in loco adducto ipſum Ariſtotelẽ videtur reprehendere, quod dixerit illam eſſe actum informantem. Ad cuius teſtimonium reſpondet Fonſeca Gregorium fuiſſe in illa ſententia, quia nondum fuerat diffinitum animam rationalem eſſe informantem: nunc autem iam nemini licere Gregorium ſequi in hac parte. Cum diffinitum ſit oppoſitum in Concilio Vienenſi. Cuius diffinitio habetur in Clementina vnica de ſumma Trinitate, & fide Catholica cap. firmiter, & in Lateranenſi tertio, ſub Leone Decimo, ſeſſione octaua, Sed poteſt dici 2. quod Gregorius non negauit abſolute animam rationalem eſſe actum informantem, ſed comparatiue hoc eſt facta comparatione cũ anima pure ſenſitiua aut pure vegetatiua quæ eſt actus dependens à corpore. Et aſsiſtentiam animæ rationalis appellauit nõ eam quæ opponitur informationi abſolute. Sed eã, quæ opponitur informationi actus à materia dependentis inſieri, & eſſe, & quia putauit Ariſtotelem animam rationalem ſic informantem cum dependentia inſieri, & eſſe à materia ideo illum reprehendit. Tertio arguitur: nam ratio quæ potiſsime conuincere debet in homine eſſe vnam tantum animam eſt, quia intellectiua continet virtualiter, & poteſtatiue ſenſitiuam, & vegetatiuam. Hanc enim reddit D. Thom. vbi ſupra, quæ etiam ex Philoſopho colligitur: at hæc ratio hoc non conuincit: ergo. Minor patet dupliciter. Primo nam eminentialis cõtinentia non ſufficit, vt anima rationalis formaliter conſtituat hominem vegetatiuum, & ſenſitiuum, forma enim ſolis virtualiter, & eminenter continet formã ignis, & aquæ, & tamen non conſtituit ſolem igneum aut aqueum: ergo. Secundo nã eminentialis cõtinentia non obſtat quominus forma perfectior compatiatur cum imperfectiori, gratia enim vnionis in Chriſto Domino eminẽtialis ſanctitas eſt præhabens habitualẽ gratiam eminenter, & tamen compatitur ſimul cum illa, & ſapientia poteſtatiue eſt intellectus, & ſcientia, vt oſtendimus lib. 1. quæ tamen ſimul eſſe poteſt cum illis in eodem intellectu: ergo neque eminentialis continentia obſtabit quominus anima intellectiua ſimul cum ſenſitiua, & vegetatiua in eodem homine reperiatur. Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem, illi qui dicunt intellectiuam animam virtualiter dũtaxat eſſe vegetatiuam, & ſenſitiuam diſtinguũt triplicem continentiam aliam formalem. Sicut homo continet animal rationale aliam eminentem ſiue virtualem in genere cauſæ efficientis. Sicut ſol continet formas inferiores, & aliam in genere cauſæ formalis, & per comparationem ad ſubiectum, inter has autem duas vltimas continentias duplex aſsignant diſcrimẽ, alterum quod continentia virtualis efficientis cauſæ cum ſit operantis quod agit ſecundum quod eſt in actu, ſupponit aliquam perfectionem formaliter operanti conuenientem in qua effectus præhabeatur. Quo pacto ſol præhabet formam ignis in luce ſibi formaliter conuenienti. Secus vero continentia formalis cauſæ: quia non producit ſuos effectus. Non dicitur forma præhabere illos ſub aliqua perfectione formali ſibi in exiſtente, poteſt namque dare quod in ſe non habet, vt albedo quæ nõ eſt alba, conſtituit album: ſed ſatis eſt vt dica-

tur

tur illos continere quod ſecundum ſuam vltimam differentiam tribuit effectus formæ imperfectioris, & alios perfectiores, quo pacto anima intellectiua eminenter continet effectus animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ: & propterea poteſt illos præſtare quin ipſa ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua ſicut tribuit eſſe corporeum, quin formaliter, & in ſe ſit corporea. Sed quia docuimus animam intellectiuam formaliter eſſe ſenſitiuam, & vegetatiuam prout ſenſitiuum, & vegetatiuū important gradus generícos: reſpondetur aliter: conceſſo antecedenti negando conſequentiam, forma enim ſolis cum ſit ſolum virtualiter forma ignis, & aquæ nequit tribuere eſſe igneum, vel aqueum: anima autē intellectiua, quia ſimul includit formaliter gradus ſenſitiui, & vegetatiui ad eſſe intellectiui cōtractos, ſimul dat eſſe ſenſitiuū, & vegetatiuum contractum per gradum rationalitatis: proprios autem effectus, & formales animæ præciſſe ſenſitiuæ, aut præciſſe vegetatiuæ dare non poteſt. Ad ſecundam diſtinguo antecedēs: quando forma cōtinens eminentialiter imperfectiorem ſimul potē latiue, & exequtiue continet illam, nego antecedens: quando poteſtatiue, ſed non exequtiue continet eam concedo. Gratia vero vnionis licet contineat eminenter habitualem, non tamen exequtiue; quia non exequitur effectum illius reſpectu Chriſti Domini: & ideo poteſt ſimul compati cum illa. Et eadem de cauſa ſapientia compatitur cum intellectu, & ſcientia, anima vero intellectiua, quia in ordine ad ſubiectum quod informat poteſtatiue, & exequtiue præhabet alias animas imperfectiores, propterea cum illis non compatitur. Sed hæc ſolutio videtur laborare defectu petitionis principij: nam ex eminentiali continentia probat D. Thom. ſolam animam intellectiuam in homine reperiri: & non ex eminentiali, & exequtiua ſimul. Hoc enim eſſet probare idem per idē. Vnde igitur prouenit quod anima intellectiua ſimul vtramque habeat continentiam, & non ſapientia, aut gratia vnionis. Reſpondetur ſecundo diſtinguendo antecedens: quando eminentialis continentia eſt formæ perfectionis reſpectu alterius, quæ ad illam vt diſpoſitio ad terminum ordinatur, vel quæ dat eſſe ſimpliciter: concedo antecedens: quando eſt continentia eminentialis formæ quæ vel nō comparatur ad aliam, vt terminus ad diſpoſitionem, & motum; vel non dat eſſe ſimpliciter, ſed ſecundum quid: nego antecedens: & vegetatiua, & ſenſitiua ordinantur ad rationalem, vt diſpoſitiones ad terminum vltimum, & alias rationalis dat eſſe ſimpliciter quod nequit aduenire enti in actu: propterea per aduentum rationalis animæ oportet vegetatiuam, & ſenſitiuam excludi, quæ ratio neque in gratia vnionis, quæ neque eſt forma ſubſtantialis, ſed modus vnionis, vel ipſum Verbum vnitum humanitati: neque habitualis gratia eſt præuia diſpoſitio & inchoatio ad illam Phyſice ordinata: neque in ſapientia militat propter cauſam aſſignatam. Vnde D. Thom. in loco allegato non probat ex ſola eminentiali continentia animæ intellectiuæ incōpoſsibilitatem aliarum animarum: ſed prius vtitur hac ratione; quod ſi alia anima præexiſteret, non daret eſſe ſimpliciter, ac proinde non eſſet forma ſubſtantialis: poſtea vero non vt probet concluſionem, ſed vt explicet quo pacto anima intellectiua vna cum ſit, præſtet effectus aliarum, ſubdit in hæc verba: *Vnde dicendum eſt quod nulla alia forma ſubſtantialis eſt in homine niſi ſola anima intellectiua, & quod ipſa ſicut virtute continet animam ſenſitiuam, & nutritiuam, ita virtute cōtinet omnes inferiores formas, & facit ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ in alijs faciunt, &c.* Ecce in quo ſenſu D. Th. continentiam eminentialem aduxerit, vt ex illa vnitatem animæ in ſingulis viuentibus comprobaret. Quarto arguitur: nam licet anima ſenſitiua, & anima vegetatiua non diſtinguantur realiter in brutis, in homine tamen opere pretium eſt rationalem animam à prędictis realiter diſtingui: ergo plures animæ in homine reperiuntur. Antecedēs probatur tripliciter. Primo homo generās aliū hominem ſua actione generatiua producit aliquam formam, & non rationalem: ergo vegetatiuam, & ſenſitiuam. Secundo, quia generare eſt educere formam de potentia materiæ: ac proinde generans hominem aliquam formam debet educere nempe vegetatiuam aut ſenſitiuam animam: ſecus autem rationalem quæ de potentia materiæ nequit educi. Tertio nam in vltimo inſtanti quod eſt primum non eſſe alterationis generatur homo; ergo tunc introducitur forma aliqua in materiam, ac proinde aliquid producit ibi generans, quod nequit eſſe niſi forma: diſpoſitiones enim tēpore præcedenti illud inſtans introducuntur. Confirmatur: nā anima rationalis, & modus vnionis, illius ad materiam eſt ſpiritualis: ergo nequit attingi per actionem materialem hominis generantis: ac proinde produci oportet ex vi talis actionis aliquam formam nempe ſenſitiuam, aut vegetatiuam. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem nego maiorem: ſatis enim eſt quod illam vniat: vnionē autē animæ rationalis bene poteſt attingere

virtus

virtus generantis, quia eſt virtus alterius animæ ſimilis animæ geniti quam Deus creat, & homo generans per generationem materiæ coniungit. Ad ſecundam negatur maior: generare namque ſaluatur abſque eductione formæ ſubſtantialis per ſolam diſpoſitionem, & vnionis eductionem: vegetatiua autem anima, & ſenſitiua quando rationali cõiunguntur non ſunt educibiles, ſicut neque rationalis cum qua identificatur. Ad tertiam Fonſeca vbi ſupra ſectione 5. ait generationem non eſſe actionem diſtinctam ab alteratione præcedenti, ſed mutatum eſſe alterationis præcedentis reſultans in primo non eſſe alterationis, quod etiam docuerat lib. 5. cap. 2. quæſt. 13. ſect. 2. eandemque ſententiam Caietano à Neotericis quibuſdam falſo imponi ſuperius aduertimus: ſimulque illam improbauimus: & iterum modo impugnamus: nam ex illa plura abſurda atque incõuenientia deducuntur. Sequitur namque primo quod generans in primo non eſſe alterationis non agat, liquidem nulla tũc eſt actio à qua agere denominetur. Sequitur ſecundo ſolem aut aliud luminoſum per motum aplicatum ſpatio alicui, illud non illuminare in primo non eſſe talis motus, ſeu in illo inſtanti in quo verificatur, nunc eſt aplicatum luminoſum, quod immediate ante hac non erat aplicatum. Tertio ſequitur, Sacramenta non cauſare gratiam in vltimo inſtanti quod eſt primum non eſſe illorum: ſiquidem neque in illo agunt, & cauſare eſt agere: ac per conſequens illam antecedenter ad illud inſtans cauſabunt, vnde ſiquis ante primum non eſſe ablutionis moreretur, maneret baptizatus: & tamen in gratia baptiſmali non decederet, quæ omnia inconuenientia ſunt, & anullo Theologo aut Chriſtiano Philoſopho ſine formidine admittenda. Vnde aliter dicendum eſt; nempe quod in primo non eſſe alterationis, eſt vera actio generationis ſubſtantialis per quam generatur ipſum compoſitum, & forma illius in materiam introducitur, quod poteſt fieri abſque alicuius formæ ſubſtantialis productione, vt contingit in generatione hominis.

35 Ad confirmationem Fonſeca ibidem ſect. 6. ait vnionem animæ rationalis ad corpus ex parte animæ eſſe ſpiritualẽ, & ex parte corporis ſiue materiæ eſſe materialem, & quia directe producto aliquo relatiuo ſecundario, & per reſultantiam producitur aliud: homo generans ſua actione materiali directe tantum producit modum vnionis materialem corporis: & ſecundario, ac per reſultantiam eius correlatiuum, quod eſt modus vnionis ſpiritualis ex parte animæ rationalis. Alij vero dicunt illum modũ eſſe ex parte animæ ſpiritualem, & nihilominus produci poſſe ab homine non ſecundũ ſe, ſed quatenus participat modum cauſandi ſubſtantiarum ſeparatarum. Alijs autem placet modũ illum eſſe materialem ex vtraque parte, ac proinde poſſe ab homine directe, & immediate produci: huius ſententiæ ſunt Conimbricenſes primo de generatione cap. 4. q. 5. art. 2. vbi pro comperto habent poſſe pariter accidens ſpirituale in ſubiecto corporeo atque accidens corporeum in re ſpirituali ſubiectari: ac proinde poſſe modum vnionis non obſtante, quod ſit corporeus animæ ſpirituali in eſſe: denique Suarez tomo 2. tertiæ partis diſputatione 44. ſect. 3. ait illum modum eſſe ſpiritualem abſolute, & vndequaque: ac proinde non ab homine, ſed àſolo Deo produci â quo anima ipſa creatur. Sed omnes hi modi dicendi deficiunt â veritate. Primus quidem Fonſecæ: tum quia teſte D. Thom. quæſt. 3. art. 9. Ad ſextum, homo generans eſt cauſa principalis vnionis animæ rationalis ad materiam, ita quod ex vitalis generationis directe hæc vnio cauſetur. Tum etiam, quia eatenus generans cauſat directe vnionem materiæ ad animã quatenus eius actio terminatur ad vniendã materiã animæ: ſed magis directe, & per prius terminatur ad vniendam animam materiæ; omnis enim generatio per ſe primo eſt introductio formæ, atque ad formam ipſam, vt vniendam potiſsime terminatur: ergo. Secũdus vero, improbatur primo, quia ex prælegato teſtimonio Diui Thomæ conſtat generantem abſolute, & ſecundum ſe cauſare principaliter vnionem animæ ad corpus: ergo non ex ſola participatione ſubſtantiarum ſeparatarum. Secundo quia teſte D. Thom. quæſt. 3. de potentia art. 8. id in cuius productione agentia inferiora participãt modum cauſandi ſubſtantiarum ſeparatarũ, non producitur ab eis cum motu Phyſico, ſed ſine motu: quo pacto corpora ſine motu producunt ſpecies intentionales, quia in harum productione ſubordinantur ſubſtantijs ſeparatis, & earum modum agendi imitantur: homo autem generando hominem agit cum motu, & Phyſica alteratione, atque trãſmutatione: ergo ex propriis, & non ex tali ſubordinatione agit. Tertio quia eadem ratione corpora quando participant modum agendi ſubſtantiarum ſeparatarũ non ſubordinantur influxui primi mobilis, neque in tali actione ab eius motu dependent: vt recte perpendit Bañeſius primo de generatione quæſtione proemiali in ſolutione ad ſecũdũ principale, §. *Pro deciſsione veritatis*. Quarto quia

quia anima rationalis quatenus est actus informans corpus non minus dependet à motu cœli quam anima equi, & forma ignis, vnde D. Thom. opusculo 11. art. 10. & 19. ait quod illó cessante humana corpora dissoluerentur; ac proinde à suis naturalibus actionibus, & motibus cessarent: sed generatio est actio ab anima rationali vt forma corporis est, procedens: ergo. Tertius deficit: tum quia neque in re spirituali, modus corporeus, neque in re corporea modus spiritualis potest permanentur subiectari: vnde D. Thom. 1. p. quæst. 57. art. 2. colligit animã rationalem esse immaterialem, quia habet actionem spiritualem, videlicet intellectionem: & quia habet intellectum quæ est poté tia immaterialis: ac proinde petit subiectum immateriale: sed modus vnionis animæ ad corpus est permanens: ergo neque ex parte animæ potest esse corporeus, neque ex parte materiæ, potest esse spiritualis. Tum etiam, quia modus identificatur cum re cuius est modus, vt ostendit Durandus in 1. dist. 32. q. 1. sed cum re spirituali nequit identificari modus corporeus: ergo. Neque valet dicere aliquando modum spiritualem identificari cum corpore, sicut cõtingit in corpore Christi sub speciebus sacramentalibus posito: cũ illo enim ibi identificatur modus essendi in loco spirituali: & cũ re naturali potest idẽtificari modus supernaturalis: etenim cum humanitate assumpta identificatus fuit modus substantialis, & supernaturalis vnionis ad verbum: & cum corporibus é morte ad vitã reuocatis vnitur resurrectio, quæ est actio regeneratiua supernaturalis, ac proinde cum suo termino identificata: Ergo similiter identificari poterit modus corporeus cum re spirituali, non obstante ordinis diuersitate quæ in illis reperitur. Non inquam valet argumẽtum ab huiusmodi ductum exemplis: modus enim sacramentalis corporis Christi aut nõ identificatur cum illo: aut non est spiritualis entitatiue, sed tantum est spiritualis secũdum quid, & imitatiue: quatenus se habet ad instar accidentis spiritualis: eo quod licet corporeus sit, tamen est indiuisibilis, & ratione illius corpus Christi Domini est totũ in tota hostia, & totum in singulis eius partibus: sicut anima equi non obstante quod sit corporea, est indiuisibilis, & tota in toto corpore equi, & in singulis eius partibus. Modus autem vnionis hypostaticæ cum humanitate assumpta, & resurrectio passiua cum corpore resurgentis potest optime identificari: quia vterque est modus corporeus (licet supernaturalis.) Ex ea parte qua cum re corporea identificatur. Diuersitas autem penes naturale, & supernaturale non obstat talí identificationi; sicut diuersitas penes spirituale, & corporeum: propterea quod modus siue accidens spirituale permanens petit in esse subiecto in extenso: quod nequit esse corpus: modus vero siue accidens corporeum petit subiectum quantum & extensum quod nequit esse res spiritualis. Vnde manet vltima ratio ex adductis contra tertium dicendi modum in concussa. Quartum denique deficit primo, quia repugnat testimonio præallegato Doctoris Sancti ex quæst. 3. de potentia. Secundo nam destruit rationem naturalem: hæc enim dictat quod omne generans vt causa principalis, debet vt causa principalis attingere formam, vel producendo eã vel saltem vniendo eam materiæ: sed homo vt causa principalis generat hominem: ergo vt causa principalis attingit animam rationalem, non quidem eam producendo, sed vniendo illam materiæ. His ergo reiectis dicendum est modum illum vnionis ex parte animæ rationalis, esse spiritualem, & nihilominus à generante causari, per propriã eius virtutem: eo quod cum generans habeat animam spiritualem præhabentem eminenter perfectionem illius modi spiritualis; propria virtute potest talem producere modũ, & virtus generatiua licet secundum se nequeat modum spiritualem causare: quia corporea est: bene tamen, vt instrumentum animæ spiritualis, in cuius virtute operatur. Hæc doctrina est Caietani 1. p. quæst. 118. art. 2. §. *ad hoc dicitur*: vbi ait, quod sicut principium actionis generatiuæ hominis nõ est anima intellectiua absolute, sed secundum conditionem qua est actus corporis, ita terminus per talem actionem productus nõ est anima intellectiua absolute, sed secundum conditionem qua est actus corporis, ideſt, secundum dispositionem, & vnionem, vt sic terminus proprius, actioni principio correspondeat.

ARTICVLVS V.

An in singulis partibus vnius animalis singulæ animæ partiales reperiantur?

36 EXpulsa, & reiecta animarum pluralitate veluti primarium esse tribuentium toti composito: pulsat adhuc quæstio de pluralitate formarum siue animarum partialium organicas partes informantium, in qua tres versantur sententiæ. Prima affirmat singulas partes organicas, v. g. capillos,

pillos, vngues, ossa, & carnes singulis animabus partialibus informari, conuenientes tamen in vnica forma totius. Cuius sententiæ fuere Auerrois 12, Metaphisicæ commento 17. Scotus in hoc 7. quæst. 20. & Antonius Andreas, quæst. 18. Secunda est veluti media affirmans partes perfectiores, vt carnes, & ossa vnica dumtaxat anima totius actuari & gaudere: partes vero minus perfectas, vt vngues, capillos, & similes (si quæ sint plures excrementitiæ, & ad ornatum animalis dumtaxat ordinatæ) suis partialibus animabus actuari. Hanc insinuant Bonauentura in 4. distinct. 44. quæst. 2. & Durandus, quæst. 1. quam sequitur expræse Fonseca in hoc 7. quæst citata, sect. 4. & cap. 36. quæst. 1. sect. 2. Qui tamen aprobauerat libro 5. cap. 4. q. 3. sect. 2, sententiam negantem huiusmodi partiales animas communissimo, licet non contemnendo argumento ducto ex cõtinuitate. Partes enim illæ continuantur: continuationi autem obstat diuersitas specifica partium continuandarum: Quod in ipsum poterimus retorquere. Tertia est omnino negans partialium formarum siue animarum pluralitatem in partibus organicis animalis, siue imperfectis, siue perfectioribus, modo adornatum, modo ad totius consistentiã ordinatis, quam docent D. Thom. 1. p. q. 75. art. 6. ad tertium, secundo contra gẽtes cap. 64. & in 4. distinct. 44. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 2. Aristoteles primo de anima tex. 90. & lib. 3. tex. 41. quibus subscribunt, & subscribendo pluribus hanc sententiã exornant argumentis Capræolus in 2. distinct. 13, 4. quæst. 1. ad argumenta vltimo loco facta. Herueus de vnitate formæ quæst. 18. Abulensis Matthæi 22. quæst. 242. Banesius primo de generatione quæst. allegata art. 4. & Vega libro 31. de locis affectis, cap. 4. Pro cuius declaratione prænotandum duximus, partium organicarũ animalis perfecti, alias esse fluidas, & mutabiles, vt humores, de quibus in præsenti articulo non est sermo: alias vero esse fixas & stabiles: hasque aduc in duplici esse differentia: sunt enim aliæ perfectiores ad individui consistentiam, & integritatem simpliciter necessariæ; vt carnes, nerui, & ossa, quæ ad primam animalis perfectionem ordinantur, & in quibus potissime operationes animæ sensitiue explicantur, & exercentur, nempe sensationes, intellectiuæ quoque animæ administræ in homine: aliæ vero sunt minus principales ad consistentiã animalis non simpliciter necessariæ, sed solum ad ornatum, & protectionem ipsius ordinatæ: cuiusmodi sunt vngues, & capilli, in quibus nonnullæ animæ dumtaxat operationes vegetatiuæ exercentur, hoc suppositio. Respondeo dicendum. Omnes huiuscemodi partes tam primæ quam secundæ classis vnica dumtaxat anima totius actuari: diuersis tamen accidentalibus formis gaudere à quibus earum discretio, & organizatio proxime resultat.

Reicitur pluralitas animorum à partibus organici corporis.

Huius assertionis prima pars probatur primo argumento paulo ante insinuato: nam quæ habent diuersas formas particulares substantiales, differre debẽt specie partiali quo pacto, ramus oliuæ, & racemus palmæ differunt specie, ac proinde non possunt cõtinuari: at omnes partes stabiles, & fixæ siue primæ siue secundæ classis continuantur: alioquin vnicum corpus non constituerent: ergo nequeunt partialibus animabus actuari. Secundo probatur: nam vnica anima sufficit in vnoquoque animali, tam ad dandum esse substantiale, quod appellatur esse essentiæ, quam ad dandum omnibus partibus fixis & permanentibus esse existentiæ: ergo superflua est animarum partialium multiplicatio patet consequentia: quia si necessaria esset, aut propter esse substantiale, vt quidam ex authoribus primæ sententiæ volunt; aut propter esse existentiæ communicandũ, vt alijs placet. Antecedens vero probatur: nam vna & eadem anima est quæ dat homini esse vegetatiuum, sensitiuum, & rationale, vt probatum est, neque est aliud esse substantiale in partibus viuentis: igitur eadẽ anima tribuit totum esse substantiale viuentis. Quod autẽ eadem quoque det esse existentiæ: patet ex eo, quod existentia totius, & singularum partium eadem omnino est, vt superius ostendimus, & infra libro sequenti amplius ostendemus: igitur ab eadem anima prouenit vt à forma determinante materiam ad illius susceptionem: hunc enim concursum docuimus formæ respectu existentiæ dumtaxat cõuenire. Vnde de anima quacumque ait Philosophus secundo de anima cap. 1. animæ naturam diffiniens ac declarans; esse actum corporis physici, & organici: subindicans quãlibet animam dare totum esse organicum substantiale, totius, & singularum partium, alioquin diffinitio non absolute, sed diminute, & secundum quid animæ totius conueniret: quod non est dandum. Igitur dicendum est ab vnica dumtaxat anima omnes, & singulas partes habere suum esse organicum substantiale: & si à proprijs formis accidentalibus in esse organico accidentali distinguantur. Tertio probatur specialiter cõclusio quoad partes minus principales. v. g. vngues, & capillos: nam anima plantæ non solum informat partes principaliores, scilicet radicem, & truncum;

truncum, sed etiam folia quę ad aliorum partium, & fructuum protectionem, & ornatum ordinantur: & ars non solum sub ordinat sibi instrumenta præcipua, sed etiam alia quæ conseruationi, & ornamento principaliorum deseruiunt, illisque vtitur: militaris namque gladio ad bellum, & vagina ad gladij conseruationem vtitur, anima autem comparatur ad corpus organicum, sicut ars ad organum, & instrumentum sibi sub ordinatum: cum hoc discrimine quod ars motū, & vsum præstat instrumentis absque informatione, anima vero organicum corpus informat, sicque illud informando, mouet, & aplicat ad suas operationes: igitur omnes partes informat siue principaliores siue minus principales quæ ad illarum ornatū, & cōseruationem debitā ordinantur. Confirmatur, & declaratur amplius præcedens ratio: nulla est pars animalis siue cuiuslibet viuentis, quæ anima totius nō informetur; sed vngues capilli, & his similia, sunt vere partes animalis: ergo informantur anima totius ac proinde nō indigēt alia forma substantiali. Maior patet ex dictis: non enim anima totius dici potest, quæ omnes illius vere partes non informat. Minor vero probatur: nam cōmuni more loquendi illas appellat vulgus hominū partes, & philosophus lib. 3. de historia animaliū inter partes animalis enumerat vngues, & capillos. Cui suffragatur D. Tho. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. vbi expræs se docet esse vere partes animalis, ac proinde eadem anima totius actuari, vnde, & Diuinum verbum illas assumsit ad esse hipostaticum: cum humanitate: & in vniuersali resurrectione corpora cum illis re vnientur iuxta promissionem factam a Christo Domino lucæ. 21. *& capillus de capite vestro non peribit.* Neque tamen si non essent vere partes traherentur ad esse hipostaticum Diuini verbi ex vi assumptiuæ actionis, quæ tantum ad humanitatem, & eius partes fuit terminata, vniusque solum subsistentiæ, & existētiæ vicem verbum supleuit in humanitatis assumptione, neque animæ resurgentium capillos, & vngues re assumerent ex vi resurrectionis, quæ dumtaxat ad partes hominis separatas re vniendas ordinatur.

37 Sed contra arguitur primo: nā partes organicæ habent diuersum esse specificum, suntque diuersæ rationis: hæc autem distinctio nequit prouenire nisi a diuersis formis substantialibus. Maior probatur, nam teste Philosopho 8. phisicorū tex. 30. & D. Tho. lect. 7. omne viuens diuiditur in partem per se mouentem, & per se motam, & 1. p. q. 11. art. 2. ad secundū ait idem D. Th. quod in toto æterogeneo, quælibet pars caret forma totius, & diuersæ partes organicæ gaudent diuersis officijs motibus, & proprietatibus esse, D. Tho. 10. ethicorum lect. 5. sed motus, proprietates, & officia diuersa sequuntur diuersas formas substantiales, vt docet Sanctus Doctor 1. p. q. 77. art. 6. ergo. Cōfirmatur: implicat formā communicari alicui subiecto, quin ei tribuat suum effectum formale: sed esse intelle ctiuum, & sensitiuū atq; vegetatiuū est effectus integer animæ rationalis: qui non cōmunicatur singulis partibus: alię enim sentiūt, & aliæ nō: ergo signū est, nō cōmunicari eis animā rationalē, sed aliam animā partialē, & vnicuiq; parti propriam. Respōdetur ad argumētū cū Capræolo, Bañesio vbi supra, & Soto 5. phisicorum q. 3. ad 8. negando antecedens, vel distinguendo illud de diuersitate specifica substantiali, aut accidentali. Docent enim præfati auctores, & egregie quidem partes organicas differre specie accidentali in ratione partium integralium, in esse instrumenti, & quoad diuersa munia, & operationes: non autem quoad esse substantiale, quam solutionē ex D. Tho. in 4. d. 49. q. 4. art. 4. ad 5. desumpserunt, neque oppositum colligitur ex illis testimonijs sancti Doctoris in 1. enim tantum vult inter partes viuentis esse distinctionem accidentalē pœnes virtutem mouendi actiue, & patiēdi motum: hæc enim sufficit vt partem mouentem, & partem motam distinguamus. In secundo vero solum vult in etherogeneis partem nō subire denominationē totius, & hoc verū est: nō enim, caro est homo, sicut pars ligni est lignū. Ex tertio solum conuincitur diuersas partes organicas diuersis proprietatibus gaudere, diuersis officijs deputatas esse, atque actibus, & operationibus diuersis deseruire. Sed quia potentiæ, & proprietates illæ sunt partiales, & sub ordinatæ possunt ab eadem anima prouenire, ex diuersis autē potentijs, & proprietatibus diuersi motus, & actus elici possunt ac debent actuum enim, & motuum diuersitas principia proxima exigit diuersa. Sed quia omnes ad vnum finem ordinantur, eiusdemque animalis bonum atque perfectionē omnes possunt medijs diuersis proprietatibus siue potentijs, in diuersis organis receptis ab eadē forma substantiali siue anima prouenire. Ad confirmationē cōcessa maiori, distingo minorē: esse rationale sensitiuū, & vegetatiuū est effectus formalis animæ rationalis repectu totius corporis organici cōcedo: respectu singulariū partiū nego: vnicuiq; enim parti cōmunicat effectum formalē iuxta illius modū, dispositionem, atque capacitatem. Vnde quia

totum corpus eſt capax integri effectus, ſcilicet illarum trium graduū, omnes illos cōmunicat toti: ſed quia capilli tantum ſunt apti, & capaces gradus vitæ vegetatiuæ, hunc tātū illis cōmunicat: & quia caro, & oſſa ſunt apta nata ſuſcipere etiā gradū vitæ ſenſitiuæ, etiā hunc accipiunt ab anima rationali: quæ cū ſit vna, & ſimplex formaliter, virtualiter tamen, & poteſtatiue eſt multiplex, ac proinde abſq; læſione ſuæ vnitatis poteſt diuerſis partibus ſecundum diuerſos gradus communicari, diuerſaſque potentias in illis inferre atque diuerſas operationes exercere, iuxta vnius cuiuſque partis diſpoſitionē atque capacitatem: cuius ſimile informis accidētalibus quandoq; experimur: gratia enim habitualis quæ de ſe eſt principium inferens per reſultantiam ac dimanationem omnes virtutes infuſſas, fidē, ſcilicet ſpem, charitatem, pœnitentiam, & aliàs in homine viatore, cui ratione ſtatus aliqua illarum non repugnet illas omnes infert, ſed in Chriſto Domino cui aliquæ illarum ratione vnionis hipoſtaticæ, & ſtatus compræhenſoris ſecundum animam repugnabant, vt pœnitentia, fides, & ſpes, haut quaquam illas intulit: cum tamen eiuſdem omnino rationis ſpecificæ ſit habitualis gratia in Chriſto Domino, atque inquolibet viatore. Secundo arguitur, nam capilli, & vngues no viuunt ſecundum aliquem gradum vitæ: ergo, non informantur anima totius. Antecedens probatur: tum quia non creſcunt ſecundum omnem dimenſionem, ſed tantum ſecundum longitudinem: augmentum autem vitale fit ſecundum omnem dimenſionem, & ſecundum omnem partem viuentis, tum etiam, quia non habent terminum ſui augmenti, quod eſt proprium non viuentium. Tum vero, quia in cadaueribus etiam augentur in quibus nulla eſt vita. Tum denique, quia creſcunt ab ima radice, & non ab ipſa inciſſura, vt teſtatur Ariſtoteles tertio de hiſtoria animalium capit. 11. augmentum autem viuentis ſcilicet, plantæ fit ab ipſa plantæ inciſione. Propter hoc argumentum, circa huiuſmodi partes triplex verſatur modus dicendi. Primus denegat eis omnem gradum vitæ, quem ſequuntur ex Medicis nonulli, quorum principes ſunt Garbius libro primo tractatu 4. quæſt. 34. Valleſius libro 2. controuerſiarum capit. 5. & Fernelius libro ſecundo phiſiologiæ cap. 2. ſequuti ſuum Galenum libro de arte Medica, & lib. 2. de temperamento cap. 11. & 12. & ſubſcribunt Conimbricenſes primo de generatione cap. 4. quæſt. 14. art. 2. qui licet quæſt. 22. docuerint cum D. Tho. & eius diſcipulis, partes organicas animalis vnica dum taxat forma totius informari: poſtea vero quæſtione 24. determinant capillos, & vngues non eſſe vere ac proprie partes animalis, ſed quaſdam ſubſtantias imperfectas ex materia, & propria forma ſubſtantiali compoſitas vitæ expertes, atque animalium partibus contiguas, & adiunctas.

Opinio medicorū Conimbricenſ. Fonſecæ refutatur.

Secundus modus eſt Fonſecæ vbi ſupra aſſerentis viuere quidem huiuſmodi partes non anima totius ſed peculiari quæ tantum vegetatiua eſt. Sed vterque modus dicendi deficit a veritate. Primus quidem quia vt patet ex dictis capilli, & vngues vere ſunt partes totius animalis: ac proinde anima totius animalis informatæ, quod abſque alicuius vitæ participatione nequit fieri. Rurſus, in illis eſt vita ſicut in auium pennis, & experientia conſtat nutriri, & creſcere ſuſcepto intus alimento, ſicut arborum folia: licet ſubtiliori ratione: Perſolamque abſciſionem ab anima totius animalis deſeruntur: quia licet non amittant ſimilem diſpoſitionem, & figuram ei quam ante abſciſionem habebant, amittunt tamen diſpoſitionem atque figuram requiſitam vt in eis ſolis animalis exiſtat anima. Secundus vero ex dictis quoque manet improbatus, vnde tertius & verus modus dicendi eſt auctorum tertiæ ſententiæ aſſerentium huiuſmodi partes viuere ſecundum gradum vitæ vegetatiuæ atque eadem anima totius animalis informari, iuxta quem reſpondetur ad formam argumenti negando antecedens. Ad primam probationem negatur aſſumptum: etenim ſecundum omnem dimenſionem creſcunt, licet in perceptibili augmento, & quandoque capillos groſſiores experimur. Ad ſecundam negatur antecedens: experientia enim conſtat nunquā capillos humanam ſtaturam exceſſiſſe, quod ſignum eſt eos habere terminum longitudinis præfixum. Ad tertiam dicendum eſt in cadaueribus ex carnium attenuatione, & conſtrictione capillos, & vngues aliquanto longiores apparere: hoc tamen abſque vitali augmēto contingere: ſicut ex terræ ſubtractione aliquando ſilices maiores fiunt, non quia augentur, ſed quia deficiēte terra quæ illas operiebat, earum deteguntur partes, quæ anteā nō erant detectæ. Ad quartā negatur cōſequētia. Na neq; omnes plātę qua parte incidutur, poſtea augētur, & licet talis eſſet modus acreſcionis in plātis, iōge alius debet eſſe in capillis, & vnguibus, in quibus diuerſa ratio vegetationis reperitur. Tertio arguitur. Admiſſo quod huiuſmodi partes in

homine

homine viuant atque nutriantur, neutiquam tamen anima rationali poſſunt informari: ergo aliam peculiarem animã habebunt. Antecedens probatur: tum quia minus digne de anima rationali videntur ſentire qui illã credunt capillos informare. Tũ etiã, quia ſola anima vegetatiua informãtur: rationalis vero a ſola vegetatiua diſcriminatur. Tũ vero quia dentes, & cornua parificãtur vnguibus, & capillis, & gaudent peculiari vegetatiua: eo quod per ſe ipſa non ſentiunt ſed propter, carnis contiguitatem, illorum percuſio perſentitur in carne viciniori, & ſua ſponte cadunt dentes in ſenibus, & cornua in ceruis exſicata radice, vt contigit illis quæ a terra naſcuntur. Et propterea cuti potius quam oſsi adhærent, teſte Philoſopho 3. de hiſtoria animaliũ cap. 9. Qui in cap. 11. allegato docet in cadaueribus augeri huiuſmodi partes quod perperam in ſolutione ad ſecundũ negauimus: ergo. Hoc argumẽto cõuincitur Fonſeca: ad quod tamẽ facile reſpõdetur negãdo antecedẽs. Ad primã probationẽ dico minus digne ſentire de anima rationali illos qui dicunt ipſam non informare omnes partes corporis organici, cuius modi eſſe diximꝰ vngues, & capillos: minus enim perfectã faciũt, qui ei virtutẽ ad actuandũ omnes partes denegant: quã nos qui cũ D. Tho. illã ſecundũ diuerſos gradus diuerſis partibus cõmunicari ſentimus, atq; perfectiores ſecũdũ eſſe perfectius: imperfectiores ſecundũ eſſe minus perfectum, actuare. Ad ſecundã patet ex dictis: cũ enim rationalis anima poteſtatiue multiplex, ſimulq; vegetatiua ſenſitiua, & intellectiua ſit: aliquibus partibus vnitur vt vegetatiua, & his tribuit eſſe vegetatiuũ: alijs vero, vt ſenſitiua, & vegetatiua, quibus vtrumq; gradũ cõmunicat: alijs deniq; omnes vitæ gradus cõmunicat: quia vnitur eis ſecundũ quod exequitur munus vegetatiuæ, ſenſitiuæ ſimul, & intellectiuæ, vnde capillis, vnguibus, cornibus, & dẽtibus nõ vnitur anima ſolũ vegetatiua, ſed in homine rationalis: & imbrutis ſenſitiua vnitur, pro vt exequitur munus ſolius vegetatiuæ: Et propterea huiuſmodi partes ſolũ ſunt vegetationis capaces. Neque teſtimonia philoſophi adducta obſtant: ex primo enim nihil ſequitur, cõtranos: cutis namq; etiã eſt pars organici corporis, ac proinde capilli cuti adhærentes atq; etiã cornua poterunt etiã eadẽ anima informari: dentes vero, & vngues etiam carni adhærent. Secundum vero ex dictis relinquitur explicatum: diximus enim in cremento illud quod in capillis, & vnguibus cadaueris apparet prouenire expartium vicinarum cõtritione atque atenuatione, & equiuoce dici poſſe augmentum, propter ſimilitudinem quam habet cum viuentium incremento: neque aliud Philoſophus intendit in allegato teſtimonio.

ARTICVLVS VI.

An partes fluidæ animalis animæ totius informentur?

38 DE humoribus quatuor ex quibus conſtant animalia perfecta, ſanguine videlicet, pituita ſiue flegmate, & vtraque bile atra, & flaua, hoc eſt melancholia, & cholera, qui in vno quoque animali perfecto reperiuntur ad inſtar quatuor elementorum in vniuerſo. Eo quod in ſingulis ſingula vigent elementa: in ſanguine ſcilicet aer, in pituita aqua, in flababile, ignis, & in atra, terra, eſt ſpecialis difficultas, an anima aliqua, actuentur? Et an illa ſit anima totius animalis vel aliqua alia vnicuique humori propria, & peculiaris? multis enim eorum qui alijs partibus minus perfectis tribuunt vitam, & animæ informationem placet humoribus illam denegare.

Status quæſtionis.

Omniumque placita ad tres ſententias reuocantur. Prima negat humores eſſe veras partes animalis, atque vitæ gradum aliquem participare. Quam ſequuntur Medici articulo præcedenti relati pro 1. ſententia, omneſque illi qui vitam vnguibus, & capillis negant; illam humoribus affortiori denegant, eiſque Fonſeca, & Conimbricenſes in locis præallegatis ſubſcripſerunt, eiuſdemq; ſententiæ fuere Durandus in 4. d. 10. quæſt. 1. Maior d. 43. Gabriel ſuper canon lect. 53. & ſuplementum Gabrielis in 4. diſt. 44. q. 1. Ricardus in 3. d. 2. art. 2. q. 1. & Abulenſis in paradoxa ſecunda c. 40. ex quibus alij volũt huiuſmodi partes fluidas a Verbo diuino nõ fuiſſe aſſumptas, eo quod non ſunt vere partes humanitatis. De horum numero ſunt Durandus, Nominales, & Abulenſis, alij vero de quorum numero ſunt Conimbricenſes volunt illas etiam fuiſſe aſſumptas a Verbo, quia licet non ſint propriæ partes humanitatis, pertinent ad illius perfectionem, & complementum, vt conditiones atque naturæ quædam in completæ humanitati adiunctæ atque ad eius nutritionem, & incremẽtum neceſſariæ. Secunda eſt veluti media diſtinguens in huiuſmodi partibus duplicem ſtatum: alterum in quo humores habent eſſe perfectum, & ſunt de cocti ad integritatem quæ animalis requiſiti: alterũ vero in quo nõ

dum ſunt de cocti ſed ſunt in via ad de coctionem perfectam, & ſunt aliarum partium nutrimentum nec ad animalis integritatem in tali ſtatu requiruntur perſe. Etenim quo pacto ſanguis eſt duplex, alter nutrimentalis non decoctus: & alter decoctus perſe requiſitus ad integritatem animalis: pariformiter in alijs humoribus hæc diſtinctio eſt conſtituenda, quo ſupoſito ait hæc ſententia humores ad ſtatum perfectæ de cogtionis pervenientes eſſe vere partes animalis, & anima totius informari: ſecus autem antequam ad perfectam perueniant de cogtionem. Ita Caietanus 3.p.q.54.art.2. Siluester in roſa aurea tractatu 3. q. 33. & huic ſententiæ fauet D. Tho. quodlibeto 5. art. 5. atq; in hoc ſenſu loquotus fuiſſe Capræolum in 2. d. 15. & in 4. d. 10. q. 2. ad quartum contra primam, & Soto ibidem q. 1. art. 2. exiſtimo: dum aſſerũt hominis ſanguinem non informari anima humana, ſed forma particulari, & ipſi propria. Tertia ſententia aſſerit ſanguinem, & alios humores anima totius informari, eſſe quo vere ac proprie partes animalis illius integritatem conſtituentes. Ita tenent Albertus tractatu de Miſſæ ſacrificio, Turrecremata cap. *in vita.* de conſecratione diſt. 2. D. Thom. 3.p.q.5.art.2. & q.31.art.5 ad primũ, cui ſubſcribunt ex neotericis Bañeſius primo de generatione q. citata art. 5. & Conradus 1.2.q.54.art.1. Ex quo inferunt iſti auctores ſanguinem, & alios humores fuiſſe ex vi vnionis hipoſtaticæ a Verbo diuino cum humanitate aſſumptos.

Mens auctoris declaratur. Reſpondeo dicendũ primo humores omnes in ſtatu perfectæ de cogtionis, eſſe proprie animalis partes atque animalis anima informatos. Hæc ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, & probatur primo, nam humores habent ſe in compoſitione animalis, ſicut elementa in compoſitione vniuerſi, teſte D. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. vnde ſicut elementa duplicem habent habitudinem, partis ſcilicet ad totum vniuerſum, & alimenti reſpectu mixtorum: ſunt enim veluti alimentum mixtorum, eorumque formæ veluti viam parant ad formas mixtorum: ita humores habent duplicem habitudinem, alteram ad totum reſpectu cuius ſunt partes, alteram vero ad partes perfectiores ſtabiles, & fixas, oſſa videlicet, & carnes reſpectu quarũ ſunt veluti in via, & habent ſe ſicut cibus, & nutrimentum: ergo ſunt vere ac proprie partes totius animalis ſicut elementa ſunt partes totius vniuerſi. Conſequentia probatur: nam ita ſe habent quatuor humores in compoſitione animalis ſicut quatuor elementa in compoſitione vniuerſi: elementa autem ſunt actu partes vniuerſi eius compoſitionem ingredientes: ergo, & humores ſunt partes actu, animalis cõpoſitionẽ ingredientes. Secundo probatur: nam teſte Philoſopho ſecundo de partibus animalium cap. 3. triplex compoſitio in animali perfecto reperitur: alia ex elementis, hoc eſt, ex humoribus qui ſunt elementorum virtutes, alia ex partibus homogeneis ac ſimilaribus, ſcilicet, carne oſſe, & neruo, & tertia ex partibus etherogeneis ac diſſimilaribus, ſcilicet manu, pede, & capite: quarum prima ordinatur proxime ad ſecundã: & ſecunda ad tertiã: omnes tamen ſunt de animalis integritate: ſed ſicut partes ſecũdæ cõpoſitionis, ſunt caro, & oſſa, & partes tertiæ ſunt caput, & manus: ita partes actu ingredientes primã cõpoſitionẽ ſunt humores ſalté de cogti: ergo vere ac proprie ſunt partes animalis. Tertio nã teſte Philopho 1. de hiſtoria animaliũ, ca. 1. partes animalis ſunt induplici differentia, aliæ ſiccæ, & ſolidæ, & aliæ molles, & fluidæ, vt ſanguis: & lib. 3. ca. 19. ait philoſophus ſanguinẽ moueri, ſpargi per totũ corpus atq; feruere, & animari quã diu vita animalis ſeruatur: ergo ſanguis ſecũdum mentẽ philoſophi animatur ac viuit vt vera pars animalis: & idem dicendum eſt de alijs humoribus. Dico ſecundo ſanguis, & alij humores ante vltimã de cogtionem ſunt partes animalis ad eius integritatẽ pertinentes. Hæc ſtatuitur ad explicandũ actores 2. ſententiæ, & probatur 1. nam rationes factæ pro 1. concluſione, hanc quoq; conuincunt, illi enim habent duplicem habitudinẽ, ad totum ſcilicet, & ad alias partes: ſed habitudo ad totũ etiã ante perfectam de cogtionẽ eſt habitudo partis. Rurſus habẽt ſe ſicut elemẽta ad vniuerſum, & pertinent ad primã cõpoſitionem animalis vt eius actuales partes, & philoſophus abſolute abſq; diſtinctione fatetur ſanguinẽ animari, & eſſe partẽ animalis: ergo. Secundo nã, vel, ſanguis (& idem de alijs dictũ puta) ſumitur antequã mittatur ad iecur, & accipiat formam ſanguinis. Procuras intelligentia aduertendum eſt ex Galeno libro 4. de vſu partium capit. 4. & libro 5. de locis affectis capit. 7. & alijs Medicæ artis profeſſoribus: quod ſanguis, & alij humores antequam ſubeant vltimam, & perfectiſsimam decogtionem prius ſunt in ventriculo ſub forma cibi dentibus triti ac maſticati: & ibi per virtutem caloris naturalis accipiunt formam chili, quæ eſt maſſa quædam crocei coloris virtute caloris formata: poſtea vero ex illa maſſa ſecernuntur partes vtiles ab inutili excremento, & tranſmittun-

mituntur ad iecur, quod illas alterat vsque ad quatuor humorum formationem atque distinctionem, qui in illa massa ad iecur trãsmissa solum impotentia latebant: per decoctionem vero iecoris de potentia illius educuntur: illisque iam distinctis, & feruentibus, scilicet flauabile, id est colera de super, atrabile seu melancholia infra; propter eius terrestrem grauitatem, sanguine, & pituita in parte media propterea quod elemẽtis medijs comparantur ad modum quo in vino recenti, caloris vigore feruẽt quatuor, scilicet, flos enatans de super cui comparatur flauabilis, & fex in profundo dolij cui comparatur atrabilis, & in medio vinum ad mixtum humori crudo, sanguini ad mixto pituitæ assimilatum: ex quibus sic feruentibus ac pululantibus iecur separat flauam bilem, & remittit ad foliculum fælis: & atrabilem ad splenem: sanguinem vero cum pituita remittit in venam cauam; ex qua postea perriuulos ab ipsa exeuntes, & per totum corpus diffusos diuiditur sanguis singulis corporis membris secundum quandam rustitiam distributiuam, id est vnicuique iuxta eius merita atque ad debitam illius nutritionem. In his itaque receptaculis, nempe flauabilis in felle, atrabilis in splene, sanguis, & pituita in caua accipiunt vltimum complementum vltimamque patiũntur de coctionem. Possunt igitur accipi vel instatu primæ de cogtionis, quando sunt sub formachili, & veluti sunt in via ad formam quã acceptum sunt in iecore per secundam decoctionem: & sic fateor nondum viuere neq; anima totius informari: in quo sensu verum dixit Caietanus nutrimentalem sanguinem non esse partem animalis: si autẽ accipiãtur secundũ quod sunt in iecore per secundã decogtionem distincti atq; efformati, & veluti in via ad tertiã quã in proprijs receptaculis paciẽtur de illis vt sic procedit nostra cõclusio, & probatur, nã in illo secũdo statu iã sũt vere, & proprie humores ad primã animalis cõpositionẽ pertinẽtes: ergo iã sunt partes animalis. Secũdo, nã per secundã de coctionem amittunt formã chili, & huic nulla alia succedit nisi forma animalis. Rursus per tertiã de cõctionẽ nõ adquirũt nouã formã substantialem sanguinis, pituitæ, sed manẽt sanguis, pituita, &c. sicut antea: nisi quod adquirunt perfectiorẽ statum atque vltimũ cõplemẽtũ accidẽtale, per quod immutãtur nõ substantialiter sed tantum accidẽtaliter, manẽtque essentialiter immutati. Vltimo: verbum diuinum assumsit ex vi vnionis sanguinem nutrimẽtalem, id est in statu secundæ de cogtionis: hunc enim Christus per sudorẽ orans ad Patrem emisit *in horto*, cuius quælibet gutta fuit infiniti valoris propterea quod erat totus verbo hipostatice vnitus, vt statim dicendum est: sed ex vi vnionis verbum solum assumpsit partes naturæ humanæ: ergo. Neque huic conclusioni aduersantur auctores secũdæ sententiæ: illi enim loquũtur de sanguine pure nutrimentali antequã subeat secundam decoctionem: & hunc verum est nondũ esse partẽ animalis, licet sit in via ad hoc quod sit pars, & in hoc sensu D. Thom. quodlibeto 5. ar. 5. ait sanguinẽ nutrimentalẽ neque esse partem animalis, neq; eius anima informari, & Aristoteles tertio de partibus animalũ cap. 5. testatur nutrimentalem sanguinem, quem ipse vocat excrementũ cruẽtum contigisse ab aliquibus ex sudari propter eorum viciatam dispositionem, hic enim sicut sanguis menstruus fœminæ, & sicut sali ua foras ejicitur: quia nondum pars animalis effectus est. Secus autem dicẽdum est de illo sanguine quem corpus Christi Domini optimã gaudens dispositione ex vehementi aprehẽsione passionis ex sudauit: ille enim non omnino nutrimentalis, & impurus, sed iam purus ac decoctus erat in iecore, qui tamen respectu vltimi complementi, & tertiæ de coctionis, nutrimentalis nuncupatur.

Dico 3. ea ratione qua humores sunt partes animalis, anima illius informantur, aqua vegetatiuã vitã dũtaxat accipiũt. Prima pars assertionis probatur primo nã omnes partes animalis informãtur forma totius, vt supra probatũ fuit: & propterea docuim⁹ vngues, & capillos informari per animã totius viuẽtis quia sunt partes illius: sed humores sunt partes liquidæ atq; molles ipsius animalis, vt patet ex prima, & secũda cõclusione: ergo debẽt illius anima informari. Cõfirmatur, nam alias haberent alias formas substantiales: ac proinde haberent alias naturas a natura prima animalis distinctas, sicut habent diuersam formam ac materiam quando ad huc sunt sub forma cibi, & sub forma chili: cõsequens est falsum: ergo: probatur minor, nam sequitur, quod Verbum diuinum assumpserit ex vi vnionis hipostaticæ plures naturas quam humanam, siquidem assumpsit sanguinẽ, & alios humores quorũ quilibet est cõpositũ specialis naturæ: cõsequẽs nõ est admittendum: ergo neq; illud ex quo sequitur. Argumento hoc cõuictus fuit Durandus ad negandum verbũ sanguinis naturã assumpsisse: & quidem merito: puto enim Durãdum, & alios sequaces 1. modi defendẽdi 1. sententiã magis cõstanter hoc negasse, quã Conimbricẽses, & eos qui secundũ modũ sequuntur illud aliũ mas: ad nullo enim humores nõ esse

Humores solam vitã vegetatiuã participant.

partes humanæ naturæ, non ſatis conſtant ſibi qui affirmant illos fuiſſe a verbo aſumptos: ſed cum hoc ſalua fide iam negari non poſsit, dicendum eſt, quod argumentum conuincit humores anima totius informari. Secundo probatur, nam anima carnis eſt in ſanguine vt dicitur Leuitici. 17. & propterea prohibet Deus ibi iſraelitis ne ſanguinem victimæ manducent: quia anima carnis eſt in ſanguine; ſed anima carnis eſt anima totius animalis: ergo hæc eſt in ſanguine. Secunda pars non ab omnibus admittitur, qui docent humores eſſe partes animalis, nam adhuc inter eos triplex modus dicendi verſatur. Primus eſt Medinæ 3. part. quæſt. 54. art. 2. aſſerentis illos nullum gradum vitæ accipere ab anima, ſed ſolum eſſe corporeum: eo quod putat informari ab anima pro vt forma corporis, & non pro vt forma viuentis. Secundus eſt quem refert Ariſtoteles primo de anima tex. 32. & tribuit Auicenæ aſſerenti ſanguinem omnem gradum vitæ participare: eo quod putabat ſanguinem eſſe ipſam animam animalis. Tertius aſſerit ſanguinem ab anima accipere vtrunque gradum vitæ, vegetatiuæ, ſcilicet, & ſenſitiuæ, eo quod ſanguis eſt fundamentum ſentiendi, vnde partes ſenſitiuæ ſunt ſanguineæ: exangues vero vt vngues, & dentes non ſentiunt. Cũ igitur propter quod vnum quodque tale, & illud magis: dicendum putant auctores huius tertij modi a fortiori ſanguinem eſſe ſenſitiuum, qui alijs eſt ratio fundamentalis ſentiendi. Sed noſtra concluſio probatur contra hos tres modos dicendi. Primo nam D. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad tertium expreſſe docet quod quatuor humores in homine actuantur ac perficiuntur ab anima rationali ſecundum infimum gradum vitæ, ſcilicet vegetatiuum: ergo. Secundo nam habent ſe humores ad animal ſicut elementa ad vniuerſum: ſed elementa participant primum gradum corporeitatis, & omnium imperfectiſsimum, qui eſt in potentia ad mixtorum generationem: ergo etiam humores qui ſunt in via, & potentia ad reliquas partes fixas, & ſtabiles ac veluti illarum nutrimentum debent primum, ac in perfectiſsimum vitæ gradum participare. Tertio probatur labefactando prædictos modos dicendi. Primus enim defficit quia anima rationalis nullam partem organicam informat præciſſe ſecundum gradum corporeitatis, cum non ſit formaliter corporea. Rurſus anima eſt actus corporis organici in potentia vitam habentis, id eſt habentis vitam per modum actus primi, & potentiam ad actum ſecundũ; vt explicat D. Tho. & nos eius explicationem adduximus ſupra, & ſequi ſumus: ergo corpus organicum cuius anima eſt actus nequit excludere vitam in actu, ſiue a toto ſiue a parte: cum eadem ſit vtriuſque ratio. Secundus defficit: tum quia anima non eſt corpus, vt demonſtrat D. Thom. 1. part. quæſt. 75. art. 1. eo quod eſt principium vitæ quod nequit corpori ſecundum rationem corporis vt ſic aut talis corporis conuenire: ſanguis autem eſt corpus: ergo nequit eſſe anima: tum etiam, quia ſequitur animam rationalem eſſe materialem, diuiſibilem, & corruptibilem, ſiquidem hæc omnia habet ſanguis: conſequens eſt contra fidem: ergo, & antecedens. Tertius denique defficit, quia licet ſanguis augeatur, & nutriatur, non tamen ſentit perſe ipſum, quinimo neque mouetur localiter ab intrinſeco, ſed acorde: vel per virtutẽ, & motũ partium aliarum cum quibus continuatur, impellitur, atrahitur atque diſcurrit intra venas. Si autem gradum ſenſitiuum haberet, perſe ſentiret atque loco moueretur. Neque fundamentum in contrarium aliquid conuincit: nam non oportet vt conditio ad aliquem effectum requiſita ſit in ſe talis effectus ſuſceptiua: aproximatio enim localis eſt ad calefaciendum prærequiſita in igne, quæ tamen non eſt calefactiua, & tactus alijs ſenſibus neceſſario præſupponitur: qui tamen nec videre neque audire poteſt perſe ipſum. Vnde licet, ſanguis in partibus ſentitibis præ requiratur, non ſequitur ipſum in ſe eſſe capacem ſentationis. Ex hac aſſertione colligo aduerſus Conimbricenſes primo de generatione vbi ſupra quæſt. 25. art. 1. lac, ſemem, adipem, & ſpiritus vitales ſecundum gradum vegetatiuum ab anima totius informari: hoc colloratum probatur quoad ſingulas partes, de lacte quidem quia nõ differt ſimpliciter a ſanguine ea diſtinctione ſpecifica accidentali qua diximus oua a carnibus, & vnguibus diſcriminari: ſed tantum differunt ſecundum quid, pœnes maiorem, & minorem de coctionem: & quatenus ſanguis ordinatur, & terminatur a cura ad propriam in diuidui conſeruationem: lac vero eſt quædam pars ſanguinis ad vbera auocati, & ad nutritionem alterius indiuidui ordinati: & ita ſentiunt Philoſophus 4. de generatione animalium cap. 8. Albertus 18. libro de animalibus tractatu 2. cap. 7. & D. Thom. in commentario ſuper librum Iob. cap. 10. idemque de ſemine dicendum puta, cum a ſanguine non differat, niſi quatenus eſt quædam portio ſanguinei humoris minus decocta, & ad generationem alterius indiuidui atque bonum ſpeciei deputata. De adipe vero,

vero,& spiritibus,patet:quia adeps non distinguitur specie a sanguine, sed pœnes magis ac minus degrositie:est adeps,& pinguedo portio sanguinis redacti ad grositiem:spiritus autem vitalis sunt partes puriores atque subtiliores sanguinis in quibus defertur vita. Rursus probatur quoad omnes partes simul:nam omnes istæ sunt partes animalis fluidæ ac minus stabiles ad primam compositionem pertinentes: ergo anima informantur ac proinde aliquem gradum vitæ participant:neque alium præter vegetatiuum. Cui non obstat per solam decisionem atque emissionem sanguinem,vitam amittere : similiter semen decissum , & lac ab vberibus auulsum:nam vt superius ad notauimus hæc decisio siue emissio sufficit,vt dispositionem amittant requisitam ad animæ informationem:atque etiam carent separata ,debita quantitate ac figura vt perse ipsa animam retinere valeant. Dico quarto Verbum diuinum omnes humores ex vi vnionis hypostaticæ assumpsit in eo statu in quo sunt partes naturæ humanæ. Hæc conclusio statuitur aduersus Durandum , Nominales,& alios quos pro primo modo defensandi primam sententiam retulimus , & quod attinet ad sanguinem est adeo certa,vt oppositum absq; errore nequeat sustineri. Et probatur nam Clemens VI. & Pius II. damnarunt quemdam qui Barcinone negauit sanguinem Christi fuisse vnitum diuinitati, vt refferunt Siluester in loco allegato ex rossa aurea,& directorium inquisitorum part. 2. quæst. 10. Deinde, in extrauaganti: *vnigenitus* , de pœnitentijs, & remissionibus vbi determinatur vnam gutam sanguinis pro totius humani generis redemptione sufeciisse,id est sufficiens pretiũ fuisse, propter vnionem hypostaticam non humanitatis , sed ipsius sanguinis ad verbũ: aliàs enim effusio sanguinis non est speciali ratione prætium nostræ redemptionis :sed eadem solum ratione qua effusio lacrimarum,siquidem vtraque erat actio personæ infinitæ:quod tamen non est admittendum:eo quod dum de sanguine fit specialis mentio ac diffinitio , aliquid speciale ei tribuitur propter diuinam subsistantiam, quam ex immediata ad verbum vnione habebat. Rursus:verbum per concommitantiam est sub speciebus vini in eucharistia : propterea enim dicitur Ioan. 6. *qui bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*:quod non verificaretur nisi esset vnitũ sanguini:ergo vnitur illi:& cum vniatur illi vt parti humanitatis,sequitur,quod ex vi vnionis assumpsit carnem , & sanguinem : vt etiam docet D. Thom. 3. part. quæst. 5. art. 2. Vbi multis alijs testimonijs ac conciliorũ decretis solet hæc conclusio probari. Quibus omissis, probatur prima pars conclusionis: sanguis , & alij humores sunt partes naturæ humanæ, & informantur ab anima rationali. Sed verbum ex vi vnionis cum humanitate assumpsit omnes corporis partes mediante anima rationali:ergo assumpsit sanguinem, & alios humores,minor patet:nam teste D. Thom. 3. part. quæst. 6. art. 1. vebum assumpsit carnem , & corpus mediante anima : & propterea sicut nihil humani corporis habuit ordinem ad assumptionem,nisi mediante anima rationali:ita nulla pars corporis anima rationali informata fuit , quæ non diceret ordinem ad assumptionem mediante ipsa anima. Et idẽ dicendum est de spiritibus vitalibus , & adipe (siquæ fuit in corpore Christi Domini) eo quod omnes sunt etiam partes corporis humani. Sed quia de solo sanguine diffinitum est fuisse a verbo assumptum : ideo nostra conclusio de solo sanguine est certa secundum fidem:de alijs vero partibus recensitis non habet tantam certitudinem apud Theologos:& si apud Physicos, & Metaphisicos eadem ratio de illis sit atque de sanguine. Secunda vero pars patet ex dictis : nam solum debuerunt assumi humores vt partes corporis humani, & mediante anima rationali : igitur in eo statu in quo nondum sunt actu partes,non debuerunt assumi.

39 Sed contra arguitur primo:nam implicat quod aliquid sit actu pars animalis , & simul sit in via,& potentia ad esse partis,nequit enim ratio superior simul actu , & potentia in inferiori reperiri : quinimo omne inferius actu includit rationem sibi essentialiter superiorem : sed sanguis est in via , & potentia ad esse partis , v. g. ossis, & carnis, est enim vltimum aliarum partium nutrimentũ teste Philosopho 2. de partibus animalium cap. 3. & suffragatur D. Thom. 1. p. q. vltima art. 1. ad tertium: ergo. Cõfirmatur:nam quidquid pertinet ad integritatem corporis animalis,vel pertinet sicut pars essentialis , quo pacto materia , & forma sunt partes cuiuslibet animalis , vel vt partes integrales corporis ad eius consistentiam necessariæ,& hoc modo sunt de integritate humani corporis ossa,carnes,caput , & manus, & his similes, vel tandem aliquid est de integritate corporis organici tanquam ad aliarum partium ornatum,decorem , & deffensionem ordinatum,quo pacto docuimus vngues capillos,cornua , &c. esse de eius integritate:sed sanguis nullo ex his modis potest ad integritatem corporis organici pertinere:ergo nullo modo. Respõdetur ad argumẽ

tum negando maiorem, nam ſub diuerſis rationibus ſanguis habet habitudinem partis integralis imperfectæ ad totum, & ſimul habet habitudinem viæ ac nutrimenti ad partes ſtabiles atque perfectiores, vnde eſt talis naturæ vt ſimul ſit capax in formationis animæ imperfecto modo, & materia tranſiens reſpectu aliarum partium perfectiori modo habentium animam, & in quibus conſiſtit, & ſaluatur humidum radicale, in humoribus autem ſaluatur humidum nutrimẽtale, eo quod ſunt veluti nutrimentum aliarũ partiũ, reſpectu quarũ ſunt partes potentiales, licet reſpectu totius ſint partes actu. Simile huius habemus in elementis, quæ ſimul ſunt actuales partes vniuerſi, & in potentia reſpectu mixtorum: nec non in illis virtutibus quæ a Theologis appellantur partes aliarum virtutum potentiales. Huius generis ſunt pietas, & religio, quarũ hæc Deo exhibet debitum cultum, illa vero parentibus, & ſanguine iunctis debitum tribuit honorem: quæ talis ſunt conditionis ac naturæ vt ſecundum diuerſas habitudines ſimul ſint ſpecies iuſtitiæ, id eſt illius partes ſubiectiuæ, & actuales, ſeu actu, & eſſentialiter ad illam inferiores: & cõparatione ad commutatiuam, & diſtributiuam iuſtitiam, in quibus ratio æqualis reperitur, dicantur partes iuſtitiæ potentiales: haud diſsimiliter humores actu participant rationem communem partis integralis corporis organici, & in ordine ad hanc rationem communem ſunt partes eſſentialiter: in ordine vero ad partes ſolidas quæ ſunt veluti in termino nec poſſunt in alias tranſmutari, ſunt partes potentiales, in quo ſenſu interprætandi ſunt Philoſophus ac D. Thom. vbi cumque ſanguinem partem potentialem appellent, ſiue nutrimentum inuia ad partem exiſtens dicant, quia medium comparatum ad vnum extremum, alterius ſolet ſubire denominationẽ, vt patet in coloribus mediis ad extremos colores comparatis, & ſic ſanguis medians inter purum nutrimentum, & partes ſolidas, ſi ad has comparetur, merito nutrimenti ac partis potentialis ſubit de nominationem. Ad confirmationem nego maiorem, nam vltra illos tres modos quibus aliquid poteſt ad integritatem organici corporis pertinere eſt alius quartus, nempe ſecundum quem aliquid requiritur, vt vltimum alimentum, vt pars fluita ſine qua nequit animalis vita conſiſtere. Et hoc quarto modo neceſſitatis ad integritatem animalis quatuor humores concurrunt. Secundo arguitur nam ex vi verborum conſecrationis panis, ponitur integrum Chriſti corpus ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ac per conſequens, eius omnes partes debent poni ex vi verborum: ſed non ponitur ibi ſanguis ex vi verborum, ſed ſolũ per concomitantiam: ex vi enim verborum ſub ſpeciebus vini collocatur ſanguis: & per cõcomitantiam ſub ſpeciebus panis: ergo ſanguis non eſt pars corporis humani. Maior, & minor continet commune dogma omnium Theologorum, quod etiam diffinitur in Concilio Tridentino ſeſsione 13. cap. 3. in decreto de ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ponitur ex vi verborum corpus Chriſti integrum quantum ad ſecundam, & tertiam compoſitionem ex partibus ſolidis homogeneis, & etherogeneis cõcedo: integrũ quo ad primã compoſitionem ex humoribus & virtutibus elementorum, nego maiorem. Et ad miſſa minori nego conſequentiam; quia triplex eſt in corpore animalis compoſitio vt dictũ eſt: & ex vi verborum ponitur corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus integrum integritate ſecundæ, & tertiæ compoſitionis: per concommitantiam vero ponitur integrum ſecundum omnem compoſitionem ex quo colligitur ſanguinem eſſe de illius integritate, ſiquidem vt corpus Chriſti ponatur omnino integrum, debuit ſanguis ipſum ſub ſpeciebus panis comitari. Tertio corpus glorioſum eſt eiuſdem ſpeciei cum corpore humano mortali ante reſurrectionem: Sed ſanguis non eſt de integritate corporis glorioſi, quod non indiget nutritione, neque eſt capax illius: ergo ſignum eſt quod ſanguis non eſt de integritate corporis humani. Ad hoc reſpondetur, quod cum ſanguis habeat rationem partis actualis, & partis potentialis ſiue ſolidarum partium alimenti, poſt reſurrectionem ſolum remanebit vt exequitur munus partis actualis: eo quod in illo ſtatu corpus non indiget alimento, & ideo neque ſanguis exequetur munus alimẽti: qua propter, conceſſa maiori, nego minorem.

ARTICVLVS VII.

An elementorum formæ ſubſtantiales in mixto formaliter ſaluentur?

40 HVNC articulum pro epilogo, coronide, & totius libri complemento, diſputandum reliquimus in hunc locum. Eo quod ex hoc ſolum capite poteſt pluralitas formarum ſubſtantialiũ in eodem compoſito ſuaderi. Sed vt hoc efugium occludamus & ex omni parte maneat ſingularitas formæ ſubſtantialis in vno quoque

quoque compoſito maneat probata: oſtendendum eſt in mixto non formaliter ſed tantum virtualiter elementorum ſubſtantiales formas remanere. Si tamen prius more ſolito auctorum placita proponamus. Quæ ad quatuor ſententias reuocantur, quarum prima aſſerit formas elementorum ſubſtantiales manere in mixto formaliter integras, & nequaquam refractas ſeu debilitatas, licet inminutiſsimas particulas diuiſas, huius ſententiæ princeps fuit Auicena libro primo ſufficientiæ cap. 10. ita etiam refert illam in perſona Auicenæ D. Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 4.

Varia philoſophorũ placita de modo quo elementa maneant in mixto.

Secunda eſt Auerrois libro 3. de cœlo cõmento 67. aſſerentis manere quidem elementa in mixto formaliter ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, & accidentales, non tamẽ integras, ſed remiſſas, & ad quandam temperiem, mixtionemque, & gradum remiſſum proportionabiliter redactas. Parunque ab hac ſententia differt tertia Alberti Magni primo de generatione tractatu 6. cap. 5. & 2. de cœlo tractatu 2. cap. 1. aſſerentis manere formas elementorum in mixto, non ſecundũ ſuas eſſentias omnino diſtinctas ſed tãtũ in eſſe quoddam confuſſo, & in diſtincto. Cui ſententiæ ſubſcribunt Iandunus 6. Phiſicorum quæſt. 4. Zimara theorematæ 17. & Fernelius lib. 2. ſuæ phiſiologiæ cap. 6. Quarta ſententia aſſerit formas ellementorum nõ manere formaliter in mixto, manere tamen earum virtutes atque qualitates interſe a tẽperatas, hanc tuentur fere omnes magni nominis Philoſophi atque Theologi, quorum principes ſunt philoſophus primo de generatione cap. 10. & 2. cap. 1. 5. phiſicorum ca. 1. & lib. 1. Metaphiſicæ cap. 3. & D. Thom opuſculo 33. ſuper Boetium de Trinitate q. 5. art. 3. & 1. quæſt. 76. art. 4. his ſubſcribunt Scotus in 2. diſt. 15. quæſt. 1. Capræolus, & Argentina, & Ricardus in eadem diſtinctione, Ochamus quodlibeto 3. quæſt. 4. Ferrara ſecundo contragentes cap. 56. Soncinas 10. Metaphyſicæ quæſt. 27. Iauellus lib. 8. q. 4. Baneſius primo de generatione cap. 10. q. 2. Conimbricenſes ſecundo de generatione c. 2. quæſt. 1. art. 7. & 2. Suarez 1. tomo Metaphiſic. diſputatione 15. ſect. 10. & Fonſeca in hoc 7. cap. 16. quæſt. 6. ſect. 2. Et pro huius ſententiæ declaratione quæ vera eſt duo ſunt præ notanda: ſcilicet quod ſit elementum, & per quam formam conſtituatur. Elementi itaque varias tradunt philoſophi diffinitiones. Primo namque diffinitur ab Ariſtotele lib. 3. cap. 3. quod ſit corpus ſimplex in quod cætera reſoluuntur, ipſum autem eſt indiuiſibile in alia ſecundum diuerſa. Secundo diffinitur ab eodem in lib. 5. Metaphiſicæ, cap. 3. quod ſit, id ex quo primum in ſito ac indiuiſibili, aliquid in aliam ſpeciem componitur. Primam diffinitionem aprobant D. Thom. in eodem 3. de cœlo lect. 3. & Flandrenſis 5. Metaphiſicæ quæſt. 3. Secundam vero aprobant ibidem D. Thom. Flandrenſis quæſt. 3. eiuſdem quinti & Iauellus lib. 6. quæſt. 10. putantque exactas eſſe elementi diffinitiones ſoliſque illis, & omnibus conuenire, & nullatenus formæ aut materiæ. Cuius oppoſitum docent Suarez, & Conimbricenſes in locis præallegatis cum Iandunо 5. Metaphiſicæ quæſt. 5. eo quod materia prima, & ſimiliter forma eſt quid ſimplex in quod corpus mixtum reſoluitur, &c. ac proinde reſerũt, & aprobant aliam diffinitionem elementis propriam, & illis ſolis conuenientem, ſcilicet, elementum, *eſt corpus ſimplex in quod mixta reſoluuntur*. His conſonat diffinitio tradita ab Hipocrate lib. 2. de elementis, & Galleno lib. 8. de plantis, aſſerentibus elementum eſſe ſimplicem, & minimam corporis particulam. Sed reuera elementum recte, & exacte diffinitur ab Ariſtotele duabus primis diffinitionibus, pro vt dicitur de comporibus ſimplicibus, neque opus eſt alias nobis confingere, eo quod omne id ex quo alia corpora componuntur, & eſt quid indiuiſibile ſecundum ſpeciem, non ſuponit in illis diffinitionibus, niſi pro præcipuis partibus perfectiſsimi totius, id eſt vniuerſi, & pro illo quod habet ſpeciem: hoc enim ſignificat indiuiſibile ſecundum ſpeciẽ, id eſt ſecundum ſpeciem quam habet: materia autem, & forma ſiue phiſice ſiue Metaphiſicæ non ſunt partes proximæ, & præcipuæ vniuerſi, neque habent ſpeciem proprie loquendo, cum ſint entia partialia, & incompleta: vnde de illis minus proprie dicitur ratio, & nomen elementi. Habemus ergo elementum eſſe corpus ſimplex, id eſt non mixtum: compoſitum tamen ex materia, & formã, in quod mixta reſoluuntur: ipſum tamen in alia nequit reſolui. Reſtat videndum an hæc forma elementi ſubſtantialis, vel, accidentalis ſit? aliqui enim fuere Philoſophi qui elementorum formas putauerint eſſe primas qualitates, de quorũ numero ſunt Alexãder Aphrodiſeus 12. Metaphiſicæ commento. 3. Ammonius cap. de ſubſtantia, & eius diſcipulus Ioannes Gramaticus ſecundo de generatione cap. 2. & Zimara ſecundo de anima tex. 18. Hipocrates lib. de natura humana, & Galenus lib. 1. de vſu partium. Sed huius ſententiæ falſitas ex eo facile conuincitur: quod qualitates primæ non dant eſſe ſimpliciter cum ſint formæ accidentales, ſunt per ſe ſenſibiles,

ſibilis ſuſcipiunt magis, & minus, & habent contrarium: ſed formæ conſtitutiuæ elementorum, dant eſſe ſimpliciter vt pote cū ſint ſubſtantiales, & ſubſtantialium compoſitorum conſtitutiuæ, neque ſunt perſe ſenſibiles, neque ſuſcipiunt magis, & minus, nec habent contrarium: hæc enim omnia deficiūt formæ ſubſtantiali: ergo dicendum eſt formas elementorum conſtitutiuas eſſe ſubſtantiales, in quibus tamen primæ qualitates radicantur, quibus poſitis ſenſus quæſtionis, eſt, an formæ ſubſtantiales quibus conſtituūtur quatuor illa corpora ſimplicia quæ elementa nuncupamus, maneant formaliter in mixto, vel ſolum virtualiter? vt aſſerit quarta ſententia. ¶ Reſpondeo dicendū primo elementorum formas ſubſtantiales nullo pacto manere formaliter in mixto. Probatur hæc aſſertio aduerſus tres priores ſententias. Primo ex incompoſsibilitate ipſarum formarum. Nam formæ elementorum ſunt ſubſtantiales, & dantes eſſe ſimpliciter vt dictum eſt: ſed huiuſmodi formæ nequeunt plures eſſe ſimul in eadem materia: tolleretur enim ratio entis perſe, & vnitas ipſius mixti, vt ſupra oſtenſum fuit: ergo. Minor patet: quia aliqua illarum aduenirent enti in actu, & conſequenter non daret eſſe ſimpliciter neque conſtitueret vnum per ſe. Secundo probatur ex generationis natura, & conditione: mixtum enim ſiue fiat immediate ex elementis ſiue ex alio mixto, vere, & proprie generatur: eſtque terminus ſubſtantialis generationis: at generationem huiuſmodi non recipi m mediante in ente actuali, ſed in pura potentia teſtatur Philoſophus in locis præallegatis: ergo nequit forma mixti ſuponere in materia prima alias formas ſubſtantiales. Conſequentia probatur: quia ſi forma mixti aduenirent materiæ actuatæ per formam elementi, non reciperetur immediate in pura potentia, ac proinde generatio mixti non eſſet ſimpliciter generatio. Tertio probatur ex ipſa mixtionis diffinitione: eſt enim mixtio teſte philoſopho primo de generatione cap. 10. *Miſtibilium alteratorum vnio: miſtibilium*: id eſt, eorū quæ apta ſunt vt permiſceantur, & ſe inuicem penetrent, qua ratione docet D. Thom. 3. parti quæſt. 2. art. 1. non poſſe fieri mixtionem ex illis quæ maxime diſtant: dicitur, *alteratorum*, quia mixtio nequit fieri ex iis quæ ſe alterare non poſſunt ad inuicem, qua ratione nequit fieri ex materia prima, & forma, aut ex corpore, & anima: denique dicitur *vnio*, quia quantumuis extrema ſe inuicem alterent, niſi vniantur ſub vna forma ſubſtantiali amiſsis formis propriis, non fiet mixtio ex illis: ſed ſolum fiet conuerſio vnius in alterum, aut ſolum localis coniunctio: vt quando aqua, vinum in vaſſe perfunditur, antequam proprias formas amittant, eſt agregatia ſola duorum liquidorum: ſi autem vnum in alterum conuertatur propter maiorem illius quantitatem, erit ſola conuerſio ſiue acreſcio aut generatio vnius ex altero. Quo fit vt ad miſtionem neceſſarium ſit formas miſtibilium amitti, & in eorum materijs vnicam tertiam formam introduci, ſub qua omnes materiæ miſtibilium vniantur; & vnum corpus ex illis reſultare compoſitum: igitur ſi elementa concurrant ad mixtionem, oportet earū formas amitti, vt loco illarum vnica forma in eorum materias ad vnatas introducatur. Deinde probatur labe factando fundamenta trium ſententiarum. Prima enim deficit, quia ſaluat formas integras, & non refractas elementorum in mixto: quod repugnat conditioni mixtionis, quæ eſt vnio alteratorum miſcibilium, id eſt manentium ſecundum qualitates, & non ſecundum formas ſubſtantiales, vt explicat D. Thom. primo de generatione lect. 10. Secunda deficit: quia ſequitur ex illa refractione qua Auerrois in vnam formam mixti a temperat, & retundit formas ſubſtantiales: ſuſcipere magis ac minus, intendi acremiti: quod tamen philoſophus in prædicamentis cap. de ſubſtantia, & ipſe Auerrois ibi probat. Sequitur etiam dari motum ad ſubſtantiam, nempe illam remiſſionē formarum elementorum ad formæ mixti reſultantiam: quod tamen negat ipſe Auerrois 5. phiſicorum commento 8. cum Ariſtotele ibidem cap. 1. ſequitur tertio formam mixti non eſſe vnam ſimpliciter ſed ſolum agregatione vnam: nam, vel in fine cōtuſionis manent formæ elementares quoad eſſentialia, vel non: ſi non manent, ruit ſententia Auerrois: ſi maneant quoad eſſentialia ædem formæ quas ante contuſionem, & contemperationem habebant elementa: cum ſint plures ſpecie diuerſæ, & non ſub ordinatæ, nequit fieri vnica forma ſimpliciter, nunquam enim expluribus actibus poteſt fieri vnus, niſi aliquis illorum ſe habeat vt potentia, & alter vt actualitas illius. Sequitur quarto quod non quæ libet pars mixti eſſet mixta: ſiquidem illa particula conſtans ex forma elementari eſſet corpus ſimplex, & immixta: quod tamen eſſe contra naturam mixtionis oſtendit Ariſtoteles primo de generatione cap. 10. & propter hoc inconueniens ipſi Auerroi diſplicuit ibi Auicennæ ſententia: in quod tamen ipſe miſere cecidit ponens formas elementorum manere quo ad eſſentialia in mixto, licet remiſſas, & refractas, quod ſi

non

non eæ dem formæ elementorum, sed aliæ similes præcedentibus, per confusionem in eorum materijs alteratis resultantes: eadem sequuntur in conuenientia, præter quam quod hæc nobarum formarum resultantia est voluntaria, & sine fundamento, & ex ipsa processus in infinitum non euaditur. Tertia sententia Aluerti eisdem rationibus impugnatur: eisdem enim laborat deffectibus, & eadem patitur inconuenientia. Dico secundo formæ elementares manent in mixto virtualiter, id est secundum suas virtutes atque qualitates. Hæc assertio probatur prænotando esse triplicem modum quo aliquares in altera potest contineri. Primo modo esse potest aliqua res in alia formaliter, quo pacto primæ qualitates sunt in elementis, & forma est in materia. Secundo aliquid est in altero virtualiter remote, id est, secundū potentiam passiuam, vel, actiuam: quo pacto vnum mixtum est in altero, quatenus continetur in potentia passiua, id est in materia illius, quæ in potentia continet omnes formas corruptibiles. Et effectus in causa secundum potentiam actiuam continetur hoc secundo modo, vt ignis genitus in igne generāte, & filius in patre. Tertio modo, aliquid potest esse in altero secundum virtutem, id est quia aliquas illius qualitates ad temperiem redactas participat: quo pacto elementa manent in mixto, quo supposito probatur conclusio: nam elementa simpliciter, & absolute dicuntur manere in mixto, propterea enim omnes fatentur mixtum componi ex elementis, & in illa resolui: sed non manent primo modo, id est formaliter, vt probatū est: ergo manent, vel secundo, vel tertio modo, vel vtroque simul: & cū secūdus modus non sufficiat, vt dicantur absolute manere in mixto: sic enim, etiam mixta sunt in mixtis: possunt enim fieri ex mixtis alia mixta: & non verius modo essent elementa in mixto, quam mixta: quod non est dicendum. Hinc fit, quod fatendum sit elementa manere in mixto etiam tertio modo: id est nedum secundum potentiam passiuā materiæ, sed etiam secundum suas virtutes, & qualitates. Confirmatur: nam vt aliqua res dicatur esse in alia absolute, sufficit, quod sit in illa secundum aliquam virtutem quæ sit propria illius: & eius formæ substantialis vicaria: qualitates autem primæ, calor, scilicet frigiditas, & humiditas, & siccitas sunt propriæ elementorum, & formarum substantialium vicariæ: ergo cum illæ insint formaliter mixtis, ratione illarum manent in mixtis elementa. Denique, nam eo pacto elementa sunt in mixto quo mixtio est mixtibilium alteratorum vnio: sed mixtio non vnit formas elementorum formaliter sub forma mixti: sed tantum virtualiter, id est earum virtutes atque qualitates alteratas, & cōtemperatas in mixto retinendo: ergo ratione harum qualitatum saluantur elementa in mixto.

41 Sed contra dicta arguitur primo ex ipsius Aristotelis testimonijs, in quibus expresse elementorum formas substantiales manere in mixto protestatur, etenim 5. Metaphisicæ cap. 3. ait elementum esse *id ex quo in existente res fit*: Id est quo fit perse, aliquin priuatio esset elementum: & similiter qualitates primæ essent elementa, quia ex illis fiunt mixta per accidens, & primo de cœlo cap. 2. ait mixta moueri sursum aut deorsum ratione prædominantis elementi, id est in ipsis existentis; motus enim deorsum vel sursum mixti neque ratione solius materiæ aut qualitatis potest fieri. Rursus libro secundo de anima cap. 4. ait elementorum formas non posse diu in mixto permanere, nisi sit in eo aliquid quod illas contineat: aliquin ex mixto ignis in sublime ascenderet, terra ad centrum properaret, aerque incluſus vaporaret ad extremum, & aqua fluens dilaberetur: sentit igitur Philosophus formas elementorum sub vna forma mixti in eadem materia permanere. Confirmatur dupliciter. Primo ex mixtionis diffinitione superius assignata: est enim mixtio alteratorum mistibilium vnio: sed si mistibilia corrumperentur per mixtionem, non vnirentur per illam: quod enim non est, quo pacto vnirī posset? & non essent alterata miscibilia, sed corrupta: ac proinde non saluaretur diffinitio: quod non est dicendum: ergo, neque illud ex quo sequitur. Confirmatur secundo: nam mixta quando corruptioni propinquant resoluuntur in elementa: sed vnum quodque resoluitur in ea ex quibus componitur iuxta vulgare phisicorum axioma ex Aristotele 1. phisicorum cap. 7. de promptum: ergo, maior patet experientia: experimur namque quod quando lignum viride incēditur, partim abit in aquam per extremitatem effluentem, partim in fumum resoluitur, qui statim in aerem euanescit, partim incinerem, & puluerem redigitur, & partim in ignem conuertitur. Idemque in cadaueribus, cernimus cum putrescunt; insaniem, exhalationes, & terram resoluuntur.

Ad argumentū respondeo negando antecedens. Ad primum testimonium Fonseca, vbi supra sect. 4. & Suarez dicunt illam diffinitionem esse materiæ primæ, & per prius illi rationem, & nomen elementi conuenire quæ perse primo in est composito: elemen

tis

tis autem in proprie, & minus principaliter, quia ſecundario in ſunt mixto, ſcilicet ratione materiæ, & primarũ qualitatum: fauereque videtur huic ſententiæ D. Thom. dum 3. de cœlo ait nomen, & rationem elementi per prius materiæ primæ conuenire, quo teſtimonio ductus Suarez ait ſanctum Doctorem in illo loco mutaſſe ſententiam. Sed hæc ſolutio deficit a veritate, quia, nomen, & ratio elementi perſe primo conuenit quatuor corporibus ſimplicibus ex quibus conſtat vniuerſum, vt dictum eſt: vel ſaltem æquiuocum eſt nomen elementi, & ſecundum diuerſas rationes principaliter materiæ primæ, & corpori ſimplici debet conuenire. Vnde D. Thom. quandoque materiæ primæ per prius dicit, conuenire ſecundum vnam rationem, & ſecundum aliam quandoque ait corporibus ſimplicibus per prius cõuenire. Secundo poteſt dici, quod licet nomen elementi quantum ad id quod nomen ſignificat ſoponat per prius pro corporibus ſimplicibus: tamen quantum ad id a quo fuit impoſitum, per prius dicitur de materia prima quæ eſt magis ſimplex, & eſt id ex quo primo fit compoſitum, & in hoc ſenſu fuit loquutus D. Thom. in loco de cœlo, præallegato, vnde diffinitio ex 5. Metaphiſicæ adducta tantum eſt materiæ primæ de qua ibi agebat D. Thom. ſub nomine elementi. Ad ſecundum quod mixta mouentur ſurſum, & deorſum per qualitates motiuas ex elementis relictas: & quia huiuſmodi qualitates ſunt virtutes elementorum, propterea dicũtur moueri virtute elementi prædominantis, ſicut, & a generante dicuntur moueri ipſa elementa ſiue grauia, ſiue leuia, quia in ſe habent non formam ſubſtantialem ſed virtutem motiuã a generante ſibi impreſſam. Ad ſecundum dico, quod ibi loquitur Ariſtoteles contra Empedoclem qui ponebat formas elementorum in mixto formaliter permanere. Et arguens ad hominem contra illum, ait philoſophus non poſſe perſeuerare formas elementorum diu in mixto niſi eſſet aliquod agens quod ſua virtute illas contineret, & a mutua contrarietate, & expulſione impediret: at poſita vera ſententia quæ negat formas elementorum in mixto retineri formaliter: non eſt opus vinculo quo retineantur: ſiquidem corruptæ euaneſcunt, & formaliter in mixto non retinentur. Ad primam confirmationem. Suarez vbi ſupra nomine alteratorum intelligit miſtibilia corrupta ſed non omnino pereuntia in mixto in quo relinquunt ſuas virtutes. Sed hæc ſolucio non placet neque eſt conſona Philoſopho qui ſemper alterationem con diſtinguit a corruptione: ac proinde vnio alteratorum non ſuponit apud philoſophum pro vnione corruptorum. Quare ſecunda ſolutio ſit Angelici Doctoris primo de generatione lect. 10. aſſerentis, mixtionem dici vnionem alteratorum, id eſt, virtutum elementarium alteratarum: illæ enim ſunt quæ in mixto alterantur, & vniuntur. Sufragatur huic expoſitioni Bañeſius vbi ſupra quæſt. 2. ad primũ Soncinas in hoc 7. quæſt. 27. ad primum vbi ait quod mixtio eſt vnio elementorum, non quidem alteratorum pro eodem inſtanti in quo fit mixtio, ſed in quibus fuit alteratio ante inſtans mixtionis, in quo iam non alterata ſed corrupta ſunt. Secundo arguitur vnum quodque componitur ex quibus alitur: ſed viuentia aluntur ex elementis; vel, ſinceris, videlicet, aqua ac terra; vel coniunctis ac contemperatis: ergo ex illis componuntur. Reſpondens quod ad miſſa minori pro ſecunda parte tantum: ex ſimplicibus enim elementis negat Ariſtoteles ſecundo de generatione cap. 8. viuentia nutriri, neganda eſt conſequentia. Secundo reſpondetur diſtinguendo maiorem: vnum quodque componitur formaliter ex quibus alitur, nego: cõponitur virtualiter, concedo maiorem. Nutritio enim non fit ex alimento ſuperſtite, & ſub propria forma perſeuerante, ſed ex illo corrupto, & in naturam aliti trãſformato, quo pacto etiam diximus componi quod vis mixtum ex illis in quæ reſoluitur, id eſt non omnino eodem modo ſe habentibus, ſed ſubſtantialiter tranſmutatis. Tertio arguitur: nam ſequitur neque virtutes elementorum manere in mixto: conſequens deſtruit ſecundam concluſionem: ergo, & antecedens, ſequela probatur: nam cum ad corruptionem primæ ſubſtantiæ deſtruantur cũcta eius accidentia, quæ infieri, & cõſeruari ab illa dependent, neque immediate in materia prima ſubiectantur: eo ipſo quod per mixtionem elementorum ſubſtantiæ corrumpantur neceſſe eſt corrumpi eorum qualitates. Reſpondetur negãdo ſequelam, quia licet qualitates mixti non ſint eædem numero quæ præexiterant in elementis, neque enim de ſubiecto in ſubiectum migrare potuerunt: tamen, quia ſunt illis ſimiles ſecundum ſpeciem, & ab illis cauſatæ, ideo dicuntur, & ſunt elementorum virtutes ac illorũ viçariæ, adeo vt ratione illarum dici poſsit ac debeat elementa manere in mixto: ſicut enim calor ferri licet non ſit idem numero cum calore ignis, quia tamen eſt eiuſdem ſpeciei cum illo, dicitur virtus ignis, & inuirtute ignis operari, qui ſolus eſt ſubiectum caloris connaturale; & accidens ſolum agit in

virtute

virtute illius subiecti cui in est connaturaliter, vel a quo egreditur, vt a principio connaturali; vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 2. ad tertium: haut dissimiliter qualitates contemperatæ mixti similes in specie qualitatibus elementorum, sunt illorum virtutes, & in virtute illorum proprios effectus operantur: secus autem alios effectus proprios formæ mixti: hos enim agunt in virtute formæ mixti; quo pacto calor animalis in virtute animæ nutritionem operatur. Quarto arguitur: in vno quoque mixto non est nisi vnica simplex qualitas, quæ dicitur forma mixtionis ad formam substantialem mixti consequuta: hæc autem specie distinguitur a qualitatibus elementorum, vt pote simplex, & ad formam substantialem distinctam specie consequitur: ergo, nedum numero, sed etiam specie qualitas mixti differt a qualitatibus elementorum ac proinde nequit verificari elementorum virtutes in mixto per manere. Propter hoc argumentum est triplex modus dicendi. Primus asserit in mixto resultare vnam qualitatem simplicem quæ virtute, & potestatiue contineat temperantum quatuor primarum qualitatum quæ cum ipsis elementorum formis expelluntur: vt sicut formis elementorum succedit vnica simplex forma mixti, ita vna simplex qualitas ipsius mixti, quatuor elementaribus qualitatibus pereuntibus correspondet, in qua naturale cuiuslibet, siue animalis ex humoribus compositi complexio, siue mixti temperamentum consistit. Ita sentiunt Herueus in tractatu de pluralitate formarum quæst. 15. Iauellus libro 8. huius operis quæst. 4. soncinas lib. 10. quæst. 27. & Gregorius in 1. dist. 17. quæst. 3. art. 2. Secundus asserit quod licet temperamentum mixti, vel cõplexio sit qualitas simplex tamen quatuor elementorum qualitates formaliter distincta in mixto remanent; quarum proportio, & mutua pugna quotidie variatur, & nunquam in eodem statu permanet, inuariato manente naturali temperamento quandiu mixtum subsistit, pro hac sententia citat Fonseca vbi supra lect. 5. ad marginem D. Thomam in opposculo 33. & in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1. glo 1. ad quartum, sed falso, vt ita tum manifestum fiet. Tertius est Alberti de Saxonia primo de generatione quæst. 19. asserentis formam mixtionis neque esse ipsas qualitates elementorum formaliter manentes secundum speciem in mixto, neque esse aliquam simplicem qualitatem sed esse duas qualitates simplices, alteram mediam inter calorem, & frigiditatem, & alteram mediam inter humiditatem, & siccitatem, quæ aliàs præ habent virtualiter, & earum effectus temperate possunt efficere. Sed omnes isti modi deficiunt a veritate. Primus quidem: quia ex illo sequitur elementa neque virtualiter esse in mixto: consequens est falsum, vt ostendimus in secunda assertione: ergo, & antecedens.

42 Rursus deficit, quia contradicit Philosopho qui dicit multis in locis qualitates elementorum formaliter manere in mixto, ait enim libro 2. de anima capit. 11. quod tactus solum percipit excedentia sensibilia, id est qualitates excedentes: eo quod qualitates temperatæ, & ad medium redactæ formaliter in organo ac sensorio tactus reperiuntur, & libro 2. de partibus animalium cap. 1. ait primam cõpositionẽ esse ex quatuor qualitatibus quæ animalibus insunt. Denique deficit, quia contradicit Angelico Doctori, qui sæpe numero huiusmodi qualitates formaliter in esse mixtis attestatur: ait enim 1. p. q. 76. ar. 4. ad quartũ in mixto manere qualitates proprias elementorũ, & propterea elemẽta virtualiter esse in mixto, & q. 5. de malo art. 5. ad 6. atq; in 2. d. 19. q. vnica. art. 4. ad secundum, & in 3. d. 16. q. 1. art. 1. ad quartũ docet mixta habere contrarias qualitates formaliter, quæ per formã substantialem mixti conseruantur, regulantur, & cohibentur, ne ve adeo aliis prædominentur, vt illas absumat, atq; omnino corrũpat. Secũdus deficit 1. quia qualitates elemẽtares manent in mixto atemperatæ, sicut probatũ est: sed illæ per se sufficiunt præstare omnes effectus ad quos illa simplex ponitur: ergo, superflua est simplex illa qualitas. Secũdo in probatur hic secũdus modus: tũ primo quia simplex illa qualitas nequit esse proximum principiũ calefaciẽdi, & refrigerãdi, humectãdi, & exsicandi: at tẽperamentũ mixti debet esse proximum principiũ harũ operationum, & non tantum remotum: hoc enim est forma substantialis mixti: ergo. Maior patet, quia implicat ab vna simplici qualitate operationes adeo diuersas ex æquo, & proxime prouenire. Tertio: nã aut illa simplex qualitas est vniformis in omnibus partibus corporis organici, aut difformiter in illis reperitur: neutrum potest dici: non primum, quia aliàs cor, cerebrũ, iecur, & occuli, ac manus gauderent eodẽ omnino temperamẽto atq; complexione: quod est impossibile. Nõ secũdũ, quia aliàs tot esset huiusmodi qualitates simplices quot sunt partes dissimilares vni corporis organici, quod est incredibile, nisi

ex omnibus illis vna integra qualitas coaleſceret: quod iam eius tolleret ſimplicitatem: ergo. Tertius eiſdem rationibus in probatu, relinquitur. Vnde dicendum eſt, quod quatuor qualitates elementorum formaliter ſecundum ſpeciem manent in mixto, ex quibus vnitate ordinis, & proportionis reſultat vna ab ipſis quatuor indiſtincta, ſed ex illis compoſita, in qua mixti temperamentum conſiſtit: pro vt tamen alijs qualitatibus ſecundis, & proprijs ipſius mixti aſſociatur. Hunc modum ſequuntur Capræolus in 2. diſt. 15. quæſt. vnica ad argumenta contra ſecundam, Ferrarienſis in 2. contragentes cap. 56. & in 4. cap. 81. Bañeſius 1. de generatione cap. 10. quæſt. 3. & Fonſeca vbi ſupra ſect. 5. qui proculdubio eſt Sancti Doctoris in allegato opuſculo 33. & in loco adducto ex quarto ſententiarum, vbi aſſerit dicendum primo in mixto manere qualitates elementorum formaliter; ſecundo, quod ex illis reſultat forma mixtionis, quæ eſt qualitas ex qualitatibus ſimplicibus ad medium venientibus reſultans: & confanat id quod habet in quarto contragentes capit. 81. vbi ait formam mixti, id eſt qualitatem mixtionis ad formam ſubſtantialem mixti conſequutam, eſſe compoſitam, & contemperatam ex mixtione ſimplicitium qualitatum, quæ ita ſe habet ad formam ſubſtantialem corporis mixti; ſicut qualitas ſimplex ſe habet ad corporis ſimplicis formam ſubſtantialem, & propterea forma mixtionis nuncupatur. Sed quia non eſt quinta qualitas ideo dicitur non diſtingui a quatuor ſimplicibus vt atemperatis: & quia huiuſmodi temperatio prouenit a forma mixti, & eius ſecundis qualitatibus: ab illa quidem radicaliter, & effectiue: ab iſtis vero, completiue, atque diſpoſitiue in virtute formæ ſubſtantialis ipſius, cohibentis mutuam qualitatum primarum in ſe inuicem actiuitatem, & pugnam; fit, vt temperamentum mixti ſiue complexio animalis non diſſoluatur ſed tandiu duret quandiu mixtum ſubſiſtit, licet aliqua ex primis qualitatibus a primæua contemperatione aliquanto declinet. Ex dictis patet ſolutio ad formam argumenti: neganda enim eſt maior, forma namque mixtionis, ſiue natiuum mixti temperamentum licet vnitatem habeat ordinis, & proportionis, quo pacto pulchritudo, & ſanitas nomine vnius qualitatis deſignatur, cum tamen illa in proportione coloris cum debita figura, hæc vero in contemperatione humorum conſiſtat: tamen ſimpliciter plures qualitates ſimplices ac formales elementorum includit actu, & pro illis ſuponit, non vt cumque, ſed vt cohibitis, & contemperatis intra certum gradum ab ipſa forma ſubſtantiali mixti, & eius ſecundis qualitatibus ad id ipſum diſponentibus, ratione cuius cohibitionis, & modificationis fit ipſum temperamentum in variatum ac fixum, quia fixum terminum non excedit qualitas prædominans infra quem, licet pauliſper declinet, debitam diſpoſitionem qualitatum ſecundarum non lædit. De compoſsibilitate autem plurium qualitatum contrariarum in gradibus remiſsis in eodem ſubiecto, infra, nempe libro. 10. ex profeſſo eſt diſputandum.

Argumentum libri octaui.

POSQVAM philoſophus more logico naturã ſubſtatiæ libro præcedẽti explicuit: id eſt ratione cõmunem, ac communia principia illius declarando: in hoc, more phiſico quiditatem ſubſtantiæ ſenſibilis, id eſt per eius partes phiſicas exponit, ita vt duplici de cauſa obiectum huius libri ab obiecto præcedentis diſtinguatur, tum quia minus commune eſt: illius namque obiectum eſt communis ratio ſubſtantiæ ſeu id in quo ſenſibiles cum in materialibus ſubſtantijs conueniunt: huius vero obiectum eſt determinate ratio ſubſtantiæ ſenſibilis, ſeu ſubſtantia pro vt in ſenſibilibus contracta reperitur, tum etiam, quod obiectum illius conſideratur more Metaphiſico, id eſt ſecundum genus, & differentiam, quæ ſunt compoſitionis Metaphiſicæ extrema: nec non ſecundum communia principia: hic vero liber de ſubſtantia ſenſibili compoſitionem phiſicam, & eius extrema nempe materiam, & formam contemplatur, in quo decœptum inuenio Fonſecam qui in argumẽto huius libri octaui ait vtriuſque, huius, & præcedentis libri obiectum eſſe ſubſtantiam determinate ſenſibilem, licet diuerſi mode conſideratum, pœnes hoc quod in illo more Logico; in hoc vero more phiſico conſideretur, nam D. Thom. fidelis Philoſophi interpres in exordio huius libri ſic ait. *Poſt quam determinauit philoſophus in 7. de ſubſtantia modo logico, conſiderando, ſcilicet, diffinitionem, & partes diffinitionis, & alia huiuſmodi, quæ ſecundum rationem conſiderantur: in hoc libro octauo intendit de ſubſtantijs ſenſibilibus determinare, per propria principia aplicando ea quæ ſuperius inquiſita ſunt logice ad ſubſtantias illas*, &c. quod confirmatur

matur ex verbis quibus philoſophus ipſe hunc librum exorditur, quaſi enim a communioribus ad minus communia deſcenſum faceret, ait. *Ex his itaque dictis ſillogizare oportet, & colligentes capitulum, finem imponere, dictum eſt ita quia ſubſtantiarum quæruntur cauſæ*, &c. iam vero vt more phiſico exactam de huiuſmodi ſenſibilibus ſubſtantijs traderet cognitionem, in quinque capita diuidit librum, in quorum primo oſtendit illas componi ex materia, in ſecundo oſtendit in earum compoſitionem ingredi formam, deinde propria formæ cap. 3. perueſtigat, comparans eam ad id eas quas plato formas nuncupabat, ab illis verbis. *Oportet autem non ignorare quia aliquando latet vtrum ſignificet nomen compoſitum ſubſtantiam aut actum, & formam? &c.* concluditque aduerſus Platonicos tria, ſcilicet, quod nomina ſpecialiter ac diffinitiones non tantum formam ſed compoſitam ſubſtantiam importent ac ſignificent, quod aliquæ formæ ſint actus corporis, & ab illo inſeparabiles, & aliquas eſſe ſaltem per accidens corruptibiles ad corruptionem totius, ſicque deſtruit Platonicorum ſententiam, quatenus eſſentias rerum ſenſibilium eſſe ſolas formas ſimplices, & has a materia ſeparatas independentes atque incorruptibiles eſſe aſſerebat. Deinde comparat formas cum eodem Platone ad numeros ab illis verbis. *Manifeſtum autem hoc etiam eſt quod ſi aliquo modo ſubſtantiæ numeri ſunt, ita ſunt: & non quemadmodum quidam dicunt, vnitatem*, &c. oſtendens quatuor modis poſſe ſubſtantias numeris comparari, ſeu quantum ad quatuor ſubſtantias aſſimilari numeris, habereque verum axioma illud a Platonicis inuentum, *ſubſtantiæ ſunt ſicut numeri*, ſi itaque (ait ille) ſubſtantia aſſimilatur numero, non vnitatum, qui eſt numerus ſimplex, & abſtractus: ſed numerorum: qui materiam cõcernit in hoc quod ſicut numerus rerum eſt compoſitus ex partibus quæ non ſunt diuiſibiles ſeu compoſitæ: diuiſio etiam diffinitionis, per indiuiſibilia debet terminari, ſicut diuiſio numeri per indiuiſibilia terminatur, id eſt, per vnitates. Et in hoc quod ſicut numerus deſtruitur per quancumque additionem ſeu diminutionem, ita ſubſtantia rei neque additionem naque diminutionẽ patitur: quia ſicut vltima vnitas dat ſpeciem numero, ita vltima differentia dat ſpeciem rebus. Tertio in hoc, quod ſicut numerus eſt vnum perſe habetque ab vltima vnitate ſuam vnitatem, ita ſubſtantia compoſita ex materia, & forma eſt vnum perſe quod vnitatem a forma ſortitur. Quarto denique ait aſſimilari ſubſtantiam numero in hoc, quod non ſuſcipit magis aut minus, quia conſtituitur per formam ſiue vltimam differentiam cui nec additio nec ſubtractio fieri poteſt: ſicut numerus per vltimam vnitatem, ſubdit tamen Philoſophus hoc eſſe verum de ſubſtantia quæ eſt ſecundum formam, dicens, *& quemadmodum nec numerus habet magis, & minus, ita neque ſubſtantia quæ ſecundum formam eſt; ſed ſi equidem ea eſt, quæ ſecundum materiam eſt.* In quibus verbis denotat aliquando prouenire magis, & minus ex parte materiæ, hoc eſt, ex hoc quod materia perfectius, vel minus perfecte participat formam. Deinde in capite 4. oſtendit quo pacto materia ſe habeat ad formas ex eius potentia eductas; ad alias cauſas puta efficientem, formalem, & finalem, & ad tranſmutationem generationis atque corruptionis cuius ſubiectum eſt materia ipſa. Quam capitulo primo docuerat ingredi compoſitionem omnium ſubſtantiarum ſenſibilium non vt actum ſed vt potentiam: vt potecum ſit ens potentiale, id eſt in potentia vt fiat ens actu per formam. Denique in 5. & vltimo capite agit de vnione materiæ, & formæ ad hoc vt ex illis fiat vnum compoſitum, neceſſaria: pluraque ibi congerit quæ philoſophis per via ſunt. Nobis tamen, illis omiſſis, ad eorum quæ minus facilia videntur, atque huic libro magis propria ſunt, declarationem; quinque quæſtiones excitare placet atque acriori diligentia diſcutere, quarum prima materiæ primæ naturam, potentialitatem in perfectionem atque dependentiam eius a forma examinabit: hæc namque ſunt quæ materiæ conueniunt ſecundum ſe. Secundam vero eandem materiam ad indiuiduationis effectum. Et tertia ad formas, & mutationes quarum eſt ſubiectum comparabit. Quarta autem, & 5. in explicandis quibuſdum formarum conditionibus verſabuntur. De habitudine vero illius ad materiam; quo pacto ab illa dependeat, atque eius potẽtia educatur, & plurium formarum in eadem materia in compoſsibilitate exactam noticiam præcedens tradidit liber, qua propter, huic faciemus ſatis, ſi in duabus poſtremis quæſtionibus formarum actiuitatem intenſionem, remiſsionematque earum interſe pœnnes maiorem, & minorem perfectionem habitudinẽ, modũque, quo has ſubeant conditiones tradamus Quibus alias quinque de cauſis placet annectere, quas ex lib. 5. in hũc locum, congruenter reſeruauimus diſputandas. Explicit argumentum.

QVÆSTIO I.

De potentialitate, materiæ primæ in tres Articulos diuisa, &c.

MATERIAM primam substantiam imperfectam atque potentialem ostendit Philosophus in cap. 1. Dicens materiam esse hoc aliquid nō actu sed potentia: quia eius natura in sola potentia ad formam consistat: ac proinde neque existere naturaliter neque intelligi per se independenter a forma potest, quod, & nos alibi iam ostendimus: dum de conceptu quem materia prima intellectus viatoris formare potest libro secundo sermonem fecimus, quia tamen vnum compositum substantiale cum forma constituit, est pars substantialis, & necessario existens in rerum natura sub aliqua forma substātiali, sicut enim subiectum accidentium existere est necesse, quia necesse est aliquod subiectum mutationibus accidentalibus subsiare: ita subiectum formarum substantialium esse in rerum natura: quia opportet subsiare aliquod subiectum mutationibus substantialibus, in quo vna forma substantialis abiecta, alia cū illius priuatione succedat, de hoc igitur subiecto quæstio præsens controuertitur tribus articulis terminanda, quibus eius in perfectionem, potentialitatem, & dependentiam a forma in existendo enucleabimus, quasi veritatis granum exspicis hoc est ex neotericorum opinionibus, & argumentis, quibus inuoluitur, decerpentes.

ARTICVLVS I.

An materia prima gaudeat, entitate actuali distincta ab entitate formæ?

1 IN hoc articulo inter illos qui admittunt materiam esse partem substantiæ seu compositi naturalis, & minus perfectam quam formam, atque in potentia ad illam (cum his enim est præsens nostra disputatio) tresuersantur sententiæ prima quorundam, quos refert Soncinas hic quæst. 5. asserentium materiam primam non habere entitatem actualem condistinctam ab entitate formæ, eo quod putant, vel materiam habere totam suam entitatem formaliter a forma sicut album habet ab albedine quod sit album, vel materiam nullam aliam entitatem habere nisi formæ entitatem, saltem actu distinctam. Secunda asserit materiam actualem entitatem, & actu distinctam habere ab entitate formæ, eo quod vel eius entitas, actualitas quædam est: vel saltem actualitatem aliquam intrinsice includit ab actualitate formæ realiter condistinctam, ita docent Suarez tomo primo disputatione 13. sect. 4. & tomo secundo disputatione 31. sect. 10. & 11. & Fonseca libro 5. Metaphisicæ cap. 8. quæst. 5. sect. 9. vbi stabiliunt pro certo, & indubitato fundamento omnem entitatem realem propria, & intrinseca gaudere existentia, ac proinde hanc non esse materiæ primæ de negandam, ratione cuius materia vt entitas actualis a forma distinguetur secundum entitatem, verū etiā secūdū inclusā ac sibi identificatam existentiæ actualitatē. Neque contentus Suarez tribuere propriam existentiam materiæ primæ, ad huc ei in sect. 11. disputatione 13. audet tribuere partialem subsistentiam. Tertia nihilominus sententia, & vera est asserentium materiam entitate gaudere partiali ac ab entitate formæ distincta: actualitatem vero nullam physicam habere nisi formæ: ac proinde in ratione actualitatis non distingui a formæ actualitate, hæc est communis discipulorum Angelici Doctoris: quam defendunt cum suo auctore Caietanus capit. 5. de ente, & essentia quæst. 8. & 1. part. quæst. 66. art. 1. Capræolus in 2. distin. 13. quæst. 1. Ferrariensis 3. contragentes cap. 4. Henricus, quodlibeto 6. quæst. 1. Bañelius primo de generatione cap. 3. dubio vltimo, Sōcinas lib. 7. Metaphisicæ quæst. 19. & in hoc lib. 8. quæst. 5. nec non Flandrensis hic q. 1. art. 7. & libro 7. quæst. 4. art. 3. Soto 1. physicorum quæst. 6. art. 1. pro cuius declaratione sequentes apponuntur assertiones: Respondeo dicendū primo materiam primā propria entitate a forma distincta realiter, gaudere illāque non a forma, sed a solo Deo per creationem habere, hæc assertio statuitur aduersus vtrumque modum defendendi primam sententiā, & probatur prima pars: nam materia est ens in potentia, forma vero est ens actuale, imo forma est actus, & materia est ipsa potentia, vt patet ex testimonio philosophi allegato ex hoc, c. 1. in cuius versamur cōmentatione, qua de causa nominibus etiā cōgruentibus materia, & forma 1. physicorū cap. 7. & 8. nuncupantur: illa nāq; dicitur hile, quod grece potentiā seu materia informē: hæc vero dicitur Entelechi, id est, actus

actus; & formans corporis pulchritudinem actualitatem atque partium ordinatarũ distinctionem: sed potentia, & actus materia informis, & forma non possunt non gaudere distinctis entitatibus: eadem enim entitas quo pacto potentia, & actus, in formis, & forma, simul potest esse? ergo. Confirmatur, & declaratur amplius hæc ratio: omnis perfectio debet distingui realiter a suo perfectibili, & e contra; sed forma est perfectio materiæ, vt patet, ex his quæ Philosophus in hoc libro atque commentator de materia, & forma protestantur: ergo. Secundo probatur: habitudo, & ordo causalitatis materiæ, non solum ad compositum, sed etiam ad formam terminatur, vt libro 8. late explicamus: sed habitudo realis causæ, & effectus petit realem vtriusque extremi distinctionem: nihil enim est quod respectu sui ipsius exerceat realem causalitatem: ergo, oportet aliam esse realem entitatem materiæ a forme realitate. Simile argumentum deduci potest ex reali vnione, quam Philosophus in capite vltimo huius libri docet inter materiam, & formam intercedere, cum vnio realis nihil aliud sit, quam nexus ac vinculũ extremorum distinctorum. Quartum denique ex substantiali mutatione desumitur, per quam eadem materia diuersas formas successiue recipit: hæc autem diuersarum formarum successio in eadem materia neutiquã potest saluari, nisi distinctam entitate habeat materia ab entitatibus formarum. Quod probatur in hunc modum: quoties aliqua entitas absoluta successiue sub est rebus essentialiter, & entitatiue distinctis, opere prætiũ est illã ab istis essentialiter, & entitatiue distingui: sed per generationem naturalem materia eadem successiue fiat sub diuersis formis essentialiter, & entitatiue distinctis, per generationem enim ignis ex ligno materia quæ erat ante sub forma ligni, postea fiat sub forma ignis, quæ essentialiter, & entitatiue distinguntur: ergo. Neque instantia est quæ adduci potest ex albedine quæ successiue sub est diuersis relationibus similitudinis, scilicet, & dissimilitudinis, propter terminorum varietatem: nam albedo tunc non succedit formis distinctis entitatiue, similitudo enim, & dissimilitudo præter quã quod non sunt formæ absolutæ, ad huc non sunt distinctæ entitatiue, sed tantum formaliter, vt pote cum eidem albedinis entitati identificentur, vnde maior nostri discursus manet in concussa, quam ad eo veram Philosophus existimauit, quod ex illa ostendere se putat primo physicorum tex. 51. materiam non esse formam, id est aliam esse materiæ entitatem ab entitate formæ: & 4. physicorum tex. 3. locum distingui realiter a locato. Secunda pars probatur primo, nam vel materia habet suam entitatem a forma vt a formali constitutiuo cum quo sit idem: & hoc iam est exclusum: vel vt a causa formali, velut a causa efficienti: at nullo ex his modis ergo: maior patet a sufficienti diuisione: minor vero pro parte prima probatur: quia effectus formalis intrinsice includit formam, qua ratione album includit albedinem, & homo animam, quia est effectus formalis illius. Materia autem in sua entitate nullatenus includit intrinsice formam aqua entitatiue, & adequate distinguitur, vt ostensum est. Pro secunda autem parte probatur: nam materia cum sit incorruptibilis, & ingenerabilis est a solo Deo per creationem. Secundo probatur: nam materia præintelligitur, & præsupponitur actioni cuius libet agentis naturalis: quæ libet enim productio siue actio causæ secundæ materiam præsupponit: ac proinde nulla causa secunda producit materiæ entitate, alias ex nihilo produceret: quod libro præcedenti ostendimus esse impossibile: ergo, solus Deus per creationem illius producere potest entitatem. Tertiò quia sicut formã nequit effectiue causare entitatem materiæ hac ratione: ita neque formaliter illam dare potest: nam præsupponitur materia ne dum actioni agentis producentis formam, sed etiam causalitati formali formæ. Imo cum forma sit effectus, & terminus generationis naturalis materia præsupposita causalitati generantis; a fortiori debet ipsi formæ introductæ, & eius formali effectui præsupponi vt illius receptiuum: sed effectus formalis nequit præintelligi aut præsuponi formæ cuius est effectus: ergo, implicat materiam a forma habere in genere causæ formalis suam entitatem.

2 Dico secundo materia sicut habet entitatem distinctam a formæ entitate, ita habet propriam differentiam per quam in tali specie partiali putæ potentiæ constituatur, & a forma distinguatur, potest[que] hæc vltima differentia, Metaphisica materiæ actualitas nuncupari. Hæc conclusio ex præcedenti deducitur manifeste: implicat enim materiam, & formam esse duo constituta, & distincta in genere entis: quim duobus constitutibis gaudeant atque distinctiuis. Nihilominus probatur quoad singulas partes. Quo ad primã quidẽ, primo quia materia prima habet propriã realem entitatẽ: fit enim per creationẽ quæ terminatur ad ens reale: qua propter inter ipsam, & nihil

est illa distantia quasi infinita quam supra docuimus inter nihil & terminum creationis versari. Rursus retinet similitudinem, & participatiodem diuini esse, teste D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 11. ad tertium, qui etiã quæst. 44. art. 2. docet materiam esse partem compositi substantialis potentialem: sed omnis res gaudens reali entitate sibi propria per quam specialiter participat diuinum esse, & ingreditur compositionem alicuius tertij debet habere aliquam vltimam differentiam, vel modum essentialem qui sit eius distinctiuum: ergo. Secundo nam quidquid est in aliqua specie etiam partiali, & in completa debet habere differentiam vltimam per quã in tali specie constituatur, siquidem proprium munus differentiæ est constituere speciem vt libro 3. ex Porphirio traddidimus. Sed materia prima est in spcie naturæ partis, & potentiæ: ergo. Minor patet, quia est natura, & cum non sit omnis natura, erit species quædam naturæ quatenus speciali modo atque â modo formæ cõdistincto est principium motus, & quietis: est etiam speciali modo pars ingrediens compositionem totius: denique est specialis quædam potentia: est enim essentialiter & formaliter ipsa potentia passiua & aptitudo ad recipiendas formas substantiales: vt egregie aduertit Soto in loco prælegato, §. *Secundum dubium est.* Tertio nam quidquid habet diffinitionem, vnitatem ac distinctionem specificam, debet habere intrinsecum distinctiuum ac vltimam differentiam per quam suo modo diffiniri, & constitui in vnitate specifica atque ab alijs specie distingui possit: sed materia diffinitionem habet: diffinit namque illã Aristoteles primo Physicorum tex. 62. dicẽs materiam esse primum subiectum vnius cuiusque ex quo fit aliquid cum insit, non secũdum accidens. Habet etiam vnitatem ac distinctionem specificam: nam materia sublunarium corporum in omnibus est eiusdem athomæ speciei, & specie distincta à materia corporum cœlestium: ratione cuius distinctionis corruptibile corpus dicitur differre genere ab incorruptibili, vt late ostendemus libro 10. ergo. Tandem potest ostendi hæc pars omnibus rationibus quibus Flandrensis hic quæst. 1. art. 7. & lib. 7. quæst. 4. art. 3. atque Soncinas in locis prælegatis probant materiam esse ens reale, & substantiale, distinctum realiter à forma: illis namque plane cõuincitur materiam gaudere aliquo essentiali distinctiuo per quod à forma realiter & essentialiter distinguatur. Secunda vero conclusionis pars nempe hoc distinctiuum conuenienter Metaphisicam actualitatem posse nuncupari, patet, quia omnis essentialis differentia est actualitas Metaphisica, eo quod ingreditur compositionem Metaphisicam per modum actus determinantis rationem genericam quæ in eadem compositione se habet per modum potentiæ & determinabilis: igitur cum tale materiæ distinctiuum sit vltima eius differentia determinans gradum generi cum, & per modum determinationis illam Metaphisice componens, conuenienter Metaphisica actualitas materiæ nuncupatur.

Materia nullius est actualitatis.

3 Dico tertio materia nihilominus in sua essentia nullum actum includit. Hæc assertio statuitur aduersus Authores secundæ opinionis: & probatur primo: nam materia prima est pura potentia: sed pura potentia est expers omnis actus & formæ, sicut & purum actum oportet omnis potentiæ expertem esse: ergo. Maior probatur Philosophi testimonijs, in quibus illam puram potentiã appellat, consequenterque ei omnem actualitatem Physicam denegat. Primo namque Physicorum cap. 7. tex. 69. materiam non esse, hoc aliquid, sed per aliud principiũ, scilicet, formã: quasi dicat materiam per se non esse ens actu, sed tantum per aliud principium, quod est forma. Cui consonat testimonium capitis primi huius libri. Vbi sic habet. *Materiam eam dico quæ non actu hoc aliquid, sed potentia est*: idest materiam dico esse illam quæ est pura potentia expers cuiuslibet Physicæ actualitatis & formæ. Similia his habet 7. Metaphysicæ, tex. 8. dicens materiam secundum se nec esse quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid aliorum generũ: quia nullam secundum se habet actualitatẽ, & 1. Physicorum cap. 8. textu 78. dum ait, materiam esse ens non simpliciter sed impotentia. Philosopho consentit D. Tho. 1. p. quæst. 66. art. 1. quæst. 4. de potentia art. 1. & quodlibeto 3. art. 1. Secundo probatur: nam hac ratione materia nequit existere sine forma etiam de potentia Dei absoluta, vt latim ostendam, quia nullam actualitatem formalem habet in se, nisi mediante forma, per quã fit capax existentiæ: ergo. Tertio, nã nomẽ actus absolute acceptũ supponit pro forma, siue actualitate Physica & superaddita: quo pacto forma albi est actus albi, & forma calidi est, id quo lignũ est actu calidũ: sed materia de se est informis, quia nullã includit in sua ratione formali, formã: ergo absolute dicẽdũ est materiã primã esse, purã potentiã, nullũque actũ in sua essentia includere: actualitas enim illa Metaphisica, quam illi attribuimus in conclusione præcedenti, nõ extrahit illam à ratione puræ potentiæ: quia est actua-

litas

litas secundum quid cum ipsa scilicet pura potentia identificata vt pote formale illius constitutiuum: formale tamen non per modum formæ physicæ, sed per modum prædicati, & conceptus obiectiui ipsam constituentis determinate in ratione talis, & ab alijs distinguentis: vnde cum illa stat optime materiam primam esse puram potentiã simpliciter nullum actum per modum formæ includentem essentialiter. Quarto nulla est assignabilis forma siue physica actualitas quæ in materia essentialiter aut intrinsice includatur. Quod patet ex cludendo omnem actum quem illi possunt præfati auctores attribuere, aut enim ille actus esset aliqua forma per modum actus primi, & hoc non potest dici: quia ex dictis constat materiam primam esse, puram potentiam ad omnes formas, & primum ac simplex subiectum quo aliud prius, & simplicius in ratione subiecti non potest dari: si autem esset materia composita ex potentia, & forma aliqua, aut si esset simplex quædam forma, destrueretur ratio puræ potentiæ, primi ac simplicis subiecti: etenim neque forma, neque compositum includens formam possunt puræ potentiæ, aut primi, & simplicis subiecti rationem retinere, potentialius namque, prius, & simplicius esset illud, quod se toto est potentiale, & formæ præ intellectum, illiusque susceptiuum: ergo. Aut esset existentia, & neque hic actus potest materiæ secundum se conuenire, cum vnica tantum sit incomposito naturali existentia (quod superius probatũ fuit) per quam omnes illius partes sunt extra causas, cuius materia non fit capax nisi mediante forma. Atque hoc amplius patefiet, cum ostendimus articulo sequenti materiam propria existentia non gaudere. Aut tandem actus ille esset subsistentia partialis, quam etiã illi conatur tribuere Suarez: sed neque talem actum posse ei secundum se conuenire patet, tum quia teste D. Tho. 1. part. quæst. 75. art. 3. animæ brutorum nõ sunt perse subsistentes, id est non gaudent proprijs subsistentijs: quia perse non habent esse, neque habent perse operationem; sed omnis earũ operatio est coniuncti: igitur cum materia perse non habeat operari: nec perse habeat esse: frustra datur ei propria subsistentia. Tũ etiam, quia omne subsistens potest dici hoc aliquid, eo modo quo est subsistens, etiam si sit pars: quo pacto docet D. Thom. art. 2. q. allegatæ animam rationalem esse hoc aliquid partiale, & incompletum, quia est subsistens propria licet partiali gaudens subsistentia, quatenus per modũ partis subsistit: sed materia negat philosophus quod sit hoc aliquid: vt constat ex testimonijs præallegatis: ergo. Tum quia primo physicorum text. 51. ait philosophus materiam esse prope substantiam, id est, in potentia vt subsistat per formam; & hoc ipsum denotat in alijs testimonijs in quibus illam puram appellat potentiam: ergo. Tum denique; quia D. Thom. in art. proxime citato in solutione ad primum distinguens duplex subsistens, ait aliud esse completum, & hoc excludere in perfectionem, & aliud esse in completum, quod excludit in hærentiam accidentis, & formæ materialis, a fortiori putans excludi ab huiusmodi in completo subsistente materiæ primæ in perfectionem, igitur non potest negare Suarez, quin in hac sua assertione, qua partialem materiæ tribuit subsistentiam Doctori Angelico, & eius rationibus aperte contradicat. Ex quibus tamen illius deceptio manet ostensa, & huius vera sententia comprobata.

4 Sed contra arguitur. Primo, nam ex multiplici capite videtur materiam primam propria entitate a formæ entitate distincta non gaudere, primo quidem ex defectu bonitatis. Quia teste D. Thom. 1. part. quæst. 5. art. 4. bonum, pulchrum, & ens conuertuntur, & sunt idem subiecto licet ratione differant. Vnde Dionisius cap. 4. de diuinis nominibus ait bonum esse, illud quod vt pulchrum laudatur: materiam autem, non esse pulchram, testatur Ploto. in dialago *Hipias maior depulchro*: igitur neque bonitate, neque entitate gaudebit. Secundo defectu vnitatis: nam neque est vna numerice neque vna specifice positiue: eo quod secundum se non habet formam: omnis autem vnitas etiã numerica atque distinctio prouenit a forma, vt docet D. Thom. opusculo. 32. cap. 5. & quæst. de spiritualibus creaturis ait omnem distinctionem materiæ prouenire a quantitate, sub indicans in ipsa materia nullum esse principium distinctiuũ. Vnde etiam Philosophus 5. huius operis tex. 10. comparat vnitatem generis vnitati materiæ in hoc quod sicut genus per plurium differentiarũ contractionem trahitur ad plures species, materia per plurium formarum determinationẽ trahitur ad plures species, reductiue, verbi gratia, ad hominis speciem trahitur per formam hominis, & ad speciem ignis per formam ignis, & sic de alijs. Quod verũ esse non posset si materia de se specificam vnitatem haberet. Tertio defectu cognoscibilitatis, quæ est altera passio entis nomine veri sub intellecta: materia autem non est perse cognoscibilis ab aliquo intellectu: non a diuino, qui illius propriam ideam non ha-

bet teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 15. art. 3. nõ ab Angelico aut humano, quia neque propriam illius habent ſpeciem, neque poſſunt illam cognoſcere niſi per formam: vnde Philoſophus tam in hoc primo capite huius octaui libri, quam in primo phiſicorum cap. 7. ait materiam non ſecundum ſe ſed tantum per analogiam eſſe cognoſcibilem. Confirmatur, nam Philoſophus primo de generatione cap. 3. tex. 21. appellat materiam non ens: eo quòd, id in quod aliquod corrumpitur eſt non ens: & ibidem cap. 10. ait in generatione naturali totum mutari in totum, cuius propoſitionis ſenſus eſt, totum compoſitum præexiſtens quo ad omnes partes per generationem naturalem noui compoſiti perire, & illius loco alterum ſubrrogari. Sũfragatur ibidem D. Thom. lect. 10. ſed ſi materia propria gauderet entitate neque eſſet dicenda non ens, neque in generatione naturali, noui, & corruptione præexiſtentis cõpoſiti totum in totum verteretur: ſed tantũ fieret conuerſio atque ſucceſsio formarum in eadem numero materia: ergo propria entitate non gaudet. Ad hoc argumentum reſpondetur per ſingula capita quibus nititur propriam materiæ entitatem denegare. Ad primum quidem dicendum eſt iuxta ea quæ libro 4. de huiuſmodi paſsione entis quæ nomine boni adeſignatur, adnotauimus, quod materia eſt bona ſicut, & ens a Deo creatũ: de illo enim legimus Geneſeos primo *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, & ita tradit D. Thom. 1. part. quæſt. 5. art. 3. ad tertium, & tertio contra gentes cap. 20. quia tamen ipſa materia eſt in potentia ad formã, quam appetit habere, tanquam terminũ ſuæ naturalis inclinationis: illa vero a nemine appetitur propter ſe: ſed tantum ratione formæ, & propter formam, ex hoc capite dicitur ſecundum ſe non bona ſeu non appetibilis, vel appetibilis, & bona analogice per ordinem ad formam: quod non obſtat quominus in ſe gaudeat intrinſeca bonitate: ſicut neque creaturæ obſtat; dici bonam analogice, & veluti de nominatione extrinſeca a diuina bonitate quatenus eſt illius quædam imprẽſio atque participatio, quominus alias ſuam habeat intrinſecam creatam bonitatẽ. Pulchrum autem quia teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 39. art. 8. 93. art. 9. addit ſupra bonum tres conditiones; integritatem, ſcilicet, claritatem, & proportionem, non dicitur de quocumque dicitur bonum, vnde hac de cauſa terra fuit informis in anis, & vacua, vt dicitur Geneſeos primo quia licet iam tunc eſſet bonitate, & entitate propria gaudens eſſentiali, nondum tamen ante lucis productionem erat ornata accidentibus a quibus prouenit pulchritudo, teſte D. Thom. part. 1. quæſt. 66. art. 1. & propterea materia prima licet bona ſit, non tamen de ſe eſt pulchra, quia eſt de ſe informis, inanis, & vacua, nullius formæ gaudens ornamento. Ad ſecundum reſpondetur negando aſſumptũ. Conſtat enim ex ſecunda aſſertione materiam eſſe vnam vnitate reali, & poſitiua eo modo quo gaudet eſſentia diſtinctione, & entitate, quia tamen vnitas illius eſt vnitas pure potentiæ ſecundum ſe formam non includentis, dicitur vna negatiue, quo pacto etiã dicitur non ens; extremum namque adeò diſtans eſt ab actualitate formæ materia, vt dũ ad illam comparatur negationem entis, & vnius videatur ſubire, & ab illa poſſit denominari. Vnde falſo Suarez vbi ſupra nempe tomo primo Metaphiſice diſputatione 13. ſect. 11. negat hunc modum loquendi, fundamentumque illius inefficax eſt, quod ſicut vnitas in alijs entibus pro formali eſt negatio, & pro ſubſtracto eſt entitas poſitiua, ita vnitas materiæ pro formali eſt negatio, ſed pro ſubſtracto eſt poſitiua: igitur nequit dici vnitas materiæ magis negatiua, quam vnitas cuiuslibet entis etiam actualis, & completi. Neganda eſt enim conſequentia, quia in alijs entibus vnitas non includit informitatem, id eſt, formæ negationem, quam tamen includit vnitas materiæ, quæ de ſe nullam includit formam. Et propterea ſpeciali iure hæc materiæ vnitas debet dici negatiua, quam alterius entis vnitas, quem loquẽdi modum ſeruant, & defendunt, atque approbant veri diſcipuli Angelici Doctoris, vt Caietanus 1. part. quæſt. 3. art. 2. Flandrenſis 7. Metaphiſice quæſt. 4. art. 3. in hoc 8. q. 1. art. 4. atque Bañeſius primo de generatione cap. 3. inſolutione ad quartum, & ex hoc patet ad formam argumenti facti. Ad teſtimonia enim Doctoris Sancti dicimus, quod in illis tantum oſtendere voluit vnitatem materiæ primæ eſſe, negatiuam ad ſenſum explicatum. Ad teſtimonium autem Philoſophi, quod propterea materiæ vnitatem vnitati generis comparauit, quia reductiue propter formas quas recipit ſit pars pluriũ ſpecierum: hoc tamen non obſtat quominus in ſe propriam ſemper & intrinſecam retineat ſpecificam vnitatem. Ad tertium reſpondetur negando aſſumptum, quatenus intendit illum cognoſcibilitatis modum materiæ qui eſt paſsio entis negare: pro cuius declaratione meminiſſe oportet eorum quæ docuimus libro 2. quæſt. 4. art. 5. vbi diximus materiam primam modum a diuino ſed etiã ab humano intellectu poſſe concipi quidditatiuo,

tiuo, proprio, ac distincto conceptu, qui tamen ab ordine ad formam; aut ab ipsa forma connotata non præscindat: cuius oppositum videtur a seuerare Suarez ibi relatus, nostra tamen sententia est certa, & a Flandrensi hic quæst. 1. art. 3. & Sōcinate quæst. 2. pluribus rationibus comprobata, vnde in hoc sensu negari non potest materiam esse per se cognoscibilem, id est, aptam terminare conceptum quiditatiuum ac proprium ipsi, quia tamen neque propriam, & adequatam speciē sui impressam in intellectu creato aut in creato habere potest; in illo quidem quia nequit eum mouere: in illo vero, quia propriā ideam non habet Deus nisi entis completi: neque potest concipi ab intellectu conceptu adeo præciso, vt ab omni alio præscindat, qui nimo necesse est intellectum nostrū aliquid aliud concipere antecedenter, & cō comitanter ad conceptum materiæ: antecedenter quidem, quia ex eo quod noster intellectus percipit ex ligno generari ignem per substantialem mutationem quasi discurrendo venit in cognitionem subiecti ac materiæ quæ corruptioni vnius, & alterius generationi subijcitur, & etiam potest cognosci per analogiam ad subiectum formæ artificialis adiuncto quodam discursu negatiuo. Ex eo, enim, quod sicut lignum de se non est aliqua figura, colligimus illud esse in potentia ad omnes artificiales figuras, cathedræ, scilicet, scamni &c. Ita ex eo quod materia, neque est quantum neque quale neque compositum substantiale, colligimus esse puram potentiam ad omnes formas, per negationem, scilicet, ac remotionem omnium formarum, concomitanter vero, nam conceptus ipse materiæ est repræsentatiuus illius ordinis potentialis atque essentialis materiæ quo respicit formam: ac proinde ipsam formam in obliquo non potest non repræsentare: ideo dicitur a philosophis ac Metaphisicis, materiam secundum se non esse cognoscibilem, quo supposito. Ad primum testimonium ex D. Thom. adductum dico multa a Deo quiditatiue, & distincte cognosci de quibus proprias, adequatas ideas non habet: partes namque cognoscit per ideam totius, priuationem per ideam formæ oppositæ, & malum per ideam boni. Nihilominus tamen partes, priuationes, & mala secundum propria distinctiua cognoscit. Ad secundum ex Philosopho, patet ex dictis: ibi enim philosophus non negat materiam cōceptum proprium sui posse terminare, sed tantum negat huiusmodi conceptum posse haberi per propriam materiæ similitudinem impressam: aut posse a sequi absque præuio discursu ex cognitione mutationis, & formæ ducto: ea autem quæ per alterius similitudinem, & per remotionem alterius præuio discursu tantum cognoscuntur, merito dicuntur cognosci tantum per analogiam ad alterum. Neque est similis ratio de forma, licet diffiniatur in ordine ad materiam, illam enim philosophus iure optimo negat cognosci per analogiam, ad materiam. Tum quia non pendet secundum se, id est secundum communem rationem formæ a materia: substantiæ enim separatæ, & anima rationalis formæ sunt independentes a materia, tum etiam, quia ad cognitionem formæ ad huc dependentis a materia non præexigitur in nobis discursus præcedens per remotionem materiæ, aut per comparationem ad illam. Tum denique, quia forma non est propter materiam sicut materia est propter formam: & si illam ordine transcendentali respiciat: non tamen ab illa mendicat suam perfectionem ac cognoscibilitatem: sed potius illam respicit vt perfectio suum perfectibile, cui tribuit esse, perfectionem, & cognoscibilitatem. Ad confirmationem respondetur quod in primo testimonio, materia dicitur non ens: non absolute, sed respectiue, per comparationem ad formam, & ens actuale formatum, in secundo vero propterea dicitur, totum mutari in totum, quia absolute in trasmutatione substantiali corruptio vnius compositi substantialis sequitur ex generatione alterius, & verum est dicere totum præ existens corrumpi, & totum alterum de nobo generari. Vulgusque philosophorum dicit, lignum igne fuc consum totum, in ignem conuerti, & ignem incineres resolui, ex hoc tamen non sequitur vtrique mutationi idem subiectum potentiale non subesse. Secundò principaliter, arguitur: vbi sunt duo entia actu distincta oportet esse duas actualitates quibus actu distinguantur, cum distinctio actualis a distinctis actualitatibus proueniat: sed materia, & forma existentes incomposito substantiali sunt entia actu distincta: actu enim gaudent proprijs ac distinctis entitatibus, vt dictum est: ergo gaudent proprijs, & distinctis actualitatibus: ac proinde materia non est expers propriæ actualitatis. Propter hoc argumentum sequentem articulum in controuersiam vocamus.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS II.

An materiæ primæ dum eſt aparte rei aliqua exiſtentia immdiate, & ex proprijs conueniat, licet partialis, & imperfecta?

5 IN hoc articulo duplex verſatur ſententia: altera affirmans, quam tuentur auctores præcedenti articulo relati pro ſecunda ſententia, qui adeo mordicus defendunt entitatem omnem concommitari propriam exiſtentiam, vt neque materiam primam ab illa vniuerſali regula velint excipere, cum tamen nulla ſit lex hominum placito condita in qua non poſsit fieri diſpenſatio: vnde illam vniuerſalem legem tenentur prædicti neoterici vt naturalem tueri, ſed quo pacto ſi naturalis erat cum ipſis incœpit, vel ſi non incœpit, qua ratione illa philoſofum, & ſanctũ Doctorem latuit? Quod non credam, ſed potius dicam illam cum ipſis incœpiſſe ac per conſequens humanam, & poſsitiuam eſſe, atque diſpenſabilẽ: quod ſi diſpenſabilis eſt in propria actualitate, nullum ens potiori iure quã materia 1. poteſt ab illa lege excipi, quæ ratione puræ potentialitatis ab incluſione propriæ exiſtentiæ excuſatur. Quare ſecunda ſententia negans, & materiam ab illa vniuerſali regula excipiens, eſt Doctoris angelici in locis præallegatis, & eius diſcipulorum, quos articulo præcedenti recenſuimus. Pro cuius declaratione præ notandum eſt in huius articuli diſputatione, non verti in quæſtionem an materia prima ſeclusa forma, gaudeat propria exiſtentia? huius enim negatiuam partem iam ſupra libro, ſcilicet præcedenti compro bauimus, neque indubitationem venire, an exiſtentia materiæ primæ cum illa identificetur? cum, & hoc ibidem excluſum fuerit, ſed quod controuertitur eſt, an materiæ primæ ſimul cum forma exiſtenti aparte rei immediate communicetur aliqua exiſtentia, cuius ipſa materia ſit immediatum ſuſceptiuum; ſiue illa exiſtentia ſit propria ipſius materiæ, ſiue a forma emẽdicata, ſiue dependens ſiue in dependens a forma, ſiue identificata cũ materiæ entitate, ſiue ab illa realiter diſtincta? In hoc ſenſu aduerſus auctores primæ ſententiæ ſtatuenda eſt concluſio negatiua.

Materia caret propria exiſtentia.

Reſpondeo dicendum, materiam primam nullius exiſtentiæ eſſe immediate ſuſceptiuam, quando actu exiſtit incompoſito cuius eſt pars, probatur hæc aſſertio primo nam in toto compoſito vnica tantum exiſtentia eſt per quam omnes illius partes actuantur: ſed exiſtentia totius non eſt immediate in materia prima: ergo, materia nullius exiſtentiæ eſt immediatum ſuſceptiuũ, maior ex præcedenti libro relinquitur probata: ex actualitatis enim vltimæ conditione oſtendimus vnicam dumtaxat exiſtentiam debere eſſe vnius compoſiti vltimam actualitatem: quia vltima actualitas non compatitur ſecum alterius vltimæ actualitatis ſocietatem. Minor vero probatur: nam immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ totius eſt ipſum compoſitum, vel ſupoſitum: cum igitur, ſiequeat eiuſdem actus eſſe, duplex immediatum ſuſceptiuum, manifeſte ſequitur non eſſe materiam primam exiſtentiæ totius immediatum ſuſceptiuum. Secundo probatur: nam vel exiſtentia immediate recepta in ma materia prima eſt exiſtentia accidentis: vel exiſtentia ſubſtantiæ, & entis perſe, non primum, quia materia non eſt entis ens, neque eſt de genere accidentis: non ſecundum quia exiſtentiæ ſubſtantialis immediatum, & proximum ſuſceptiuum eſt ſupoſitum: materia autem prima nullam habet ſupoſitalitatem, vt etiam articulo præcedenti probatũ relinquimus: ergo. Tertio nam ſemel admiſſo materiam primam immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ, ſequitur ipſam ſine forma poſſe exiſtere, & conſeruari, ſiquidem poſſet ei immediate exiſtentiæ effectus formalis communicari: at hoc oſtendemus articulo ſequenti eſſe prorſus impoſsibile: ergo, & id ex quo ſequitur debet impoſsibile reputari. Confirmatur, nam materia prima eſt pura potentia ex pers omnis actualitatis phiſicæ, vt articulo præcedenti oſtendimus: ſed puræ potentiæ nequit immediate communicari vltima actualitas exiſtentiæ: ergo: minor patet, tum quia ſi immediate ei conueniret actus exiſtentiæ, perſe illi conueniret, id eſt non per aliud ac proinde non eſſet perſe pura potentia, tum etiam, quia ſicut actus ſecundus qui eſt operatio nequit conuenire alicui principio niſi media potentia proxima per quam in actu 1. proxime conſtituatur: ita exiſtentia quæ in ratione eſſendi eſt vltima actualitas nequit conuenire immediate ſubiecto quod eſt pura potentia, niſi prius per actum primum quod eſt forma cõſtituatur, & fiat capax vt mediante illo communicetur illi actus exiſtendi. Quarto nam argumentum quo aduerſarij veluti aſsigno colligunt materiam immediate actuari per ſuam exiſtentiam ab exiſtentia formæ diſtinctam, eſt quia forma, & materia ſunt duæ entitates a parte rei actuales, & actu exiſtentes, ex quo

ex quo videntur sibi euidenter inferre, materiam, & formam duabus quoque actualitatibus gaudere: sed hoc signum fallit: nam humanitas assumpta, & Verbum diuinum sunt duæ res aparte rei actu existentes: ac proinde actuales, & tamen per vnicam dumtaxat diuinam existentiam existunt: ergo. Minor licet suponenda potius ex Theologia, quam probanda hic esset: quia tamen ex illa dicendorum intelligentia dependet, breuiter probatur. Tum quia D. Thomas expresse docet 3. part. quæst. 13. art. 2. in Christo vnum tantum esse, id est vnicam dumtaxat existentiam fuisse suposíti: eo quod vnitas existentiæ sequitur suposíti vnitatem, quod est immediatum illius susceptiuum. Cui Caietanus ibidem, Capræolus in 3. distinct. 6. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 35. & 41. Henricus quodlibeto 3. quæst. 2. & omnes alij Thomisticæ doctrinæ sectatores suffragantur. Tum quia sicut actiones sunt suposítorum teste philosopho libro 1. huius cap. 1. ita existentia est actus suposíti quæ per actionem productiuam illius obtinetur: sed in Christo est tantum vnum suposítum: ergo, & vna tantum existentia. Tum etiam quia Christus est vna persona composíta ex humanitate, & diuinitate, vnitate quidem entis perse teste D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 4. & 6. sed si esset in illo duplex existentia destrueretur vnitas entis perse: hæc enim tollitur per multiplicitatem existentiarum, vt supra ostendimus: eo quod plures existentiæ aut extrema, quæ illis subsunt, nequeunt vniri per modum determinantis, & determinabilis: cum vltimæ actualitati non possit conuenire ratio potentialis, aut determinabilis: ergo. Tum denique, quia eidem sententiæ patres Ecclesiæ adhæserunt, ex quibus Patriarcha Sophronius in epistola ad sextam sinodum quæ habetur actione 11. ait. *vnum esse, sortitur natura duplex*, in Christo scilicet de quo verba faciebat, consonat Damascenus lib. 3. fidei cap. 11. & 12. dicens humanam naturam habuisse esse, per verbum, & in verbo, & his similia testimonia patrum videantur apud Baronium tomo 4. Anno Christi 362. Sed ad hæc respondere conatur Fonseca hic sect. 3. dicens ad primum, quod silubet contra multorum D. Thomæ sectatorũ opinionem sententiam ferre, placet nobis Paludani iudicium, qui existimat D. Thomam nunquam negasse naturam humanam habere in Christo, habuisseque prius natura, quã assumeretur, propriam existentiam, sed solum negasse eam habuisse perfectum esse, nisi per ipsam verbi subsistentiam, hoc autem sibi persuadet ex duobus testimonijs tertiæ partis scilicet, ex quæst. 2. art. 6. & quæst. 17. art. 2. in quorum primo ait D. Thom. humanitatem assumptam fuisse ad vnum esse, non vt est, esse, naturæ, sed vt est, esse personæ, quod propterea dicit, quia esse, siue existentia naturæ, præcessit naturæ ordine assumptionem. In secundo vero ait esse, pertinere ad naturam, & ad hipostasim: ad naturam vt ad id quo aliquid habet esse: ad hipostasim vero, vt ad id, quod habet esse, cuius rei ratio est (ait ille) quod existentia naturæ est imperfecta tanquam eius quod perse esse non potest: sed nihilominus potest dare aliquod esse, & esse id quo aliquid est: existentia vero hipostasis est perfecta, & completa tanquam eius quod omnino perse existit, quare, & si D. Thom. putauit materiam non habere peculiarem existentiam, quia est pura potentia, sed etiam eam accipere a forma (qua in re non pauci eius doctrinæ alumni ab eo dissentiunt) tamen credendum est illum existimasse humanam naturam Christi, quia est, ens actuale propriam sibi existentiam vendicare per quam ipsa existit, tametsi a Verbo diuino atque in illo habet personalem existentiam siue subsistentiam, quæ sola in creaturis est perfecta existentia, hæc fere ad verbum habet Fonseca ad calcem sectionis tertiæ. Sed res adeo manifesta est, sanctum Doctorem propriam existentiam humanitati assumptæ denegasse, vt nullus medio criter in eius doctrina versatus id negauerit, quod ex testimonijs ab ipso Fonseca adductis euidenter conuincitur, in priori propterea ait, naturam humanam assumptam fuisse ad vnum esse, non naturæ, sed personæ; quia per vnicam tantum existentiam verbi existit, quæ quia non est propria humanitatis, sed personæ: ideo dicitur non fuisse assumptam ad vnum esse naturæ: sed ad vnum esse, personæ, vel etiam sensus est, quod assumpta fuit humanitas ad vnum esse personæ, id est ad existentiam personæ Diuinæ, & hipostasis vnitatem: non autem ad vnum esse naturæ, id est ad vnum vnitate naturæ: eo quod naturæ manserunt distinctæ, & in confusæ. Vnde in eo quod ait assumptam fuisse humanitatem ad vnum esse personæ, non est dubium quin fateatur D. Thom. existentiam verbi fuisse illi communicatam: eo quod esse, personæ idem est quod existentia personæ: in eo autem quod ait non fuisse assumptam humanitatem ad vnum esse naturæ, dupliciter potest intelligi: aut enim sensus est quod illud vnum esse non est, propriũ naturæ. Aut quod esse essentiæ in naturis nõ fuit idem: in posteriori autem propterea ait, naturam comparari ad esse, vt quo, & hipo-

stasim

ſtatim vt quod, habet eſſe, quia natura eſt principium exiſtentiæ ad quod ſequitur exiſtentia, ſicut de forma docuimus libro præcedenti: hipoſtaſis vero eſt ſuſceptiuum vt quod, ipſius exiſtentiæ. Vnde ad vnitatem hipoſtalis infert D. Thom. ſequi vnitatem exiſtentiæ: quare manet inconcuſſa auctoritas Angelici Doctoris, neq; priuato vnius, vel alterius hominis iuditio eſt credendum, vbi eſt concors diſcipulorum de mente præceptoris ſententia, illud autem quod obiter dicit Fonſeca non paucos alumnos D. Thomæ ab eius ſententia diſſentire, in eo quod negat materiæ primæ peculiarem exiſtentiam falſum eſt: & eadem facilitate a nobis reijcitur, qua ab ipſo dicitur, nam ego qui ſum alumnus, & ſi minimus doctrinæ Angelici Doctoris, & mediocriter in eius ſchola verſatus, nullum huc vſque legi qui ab Angelico Doctore hac in parte diſentiat; vnus enim vel alter qui probauile exiſtimat (vt articulo ſequenti videbimus) quod materia prima de potentia abſoluta poſsit exiſtere ſine forma, hoc non ideo aſſerit, quia putet materiam gaudere peculiari exiſtentia; ſed quia credit poſſe ei exiſtentiam formæ abſque forma communicari. Ad ſecundum videtur ſibi ſatis reſpondere per diſtinctionem illam de exiſtentia perfecta, id eſt ſupoſiti, & imperfecta, id eſt, naturæ: ſed hæc diſtinctio nulla eſt prorſus: cum omnis exiſtentia ſubſtantialis ſit ſupoſiti, quod ſolum eſt habens eſſe. Ad tertium non reſpondet: quia ipſum non attigit: & ſi ad illud de vnitate, videatur inſimili ſpecie argumenti dicere quod in Chriſto licet ſit duplex exiſtentia, ſicut duplex natura: non tamen eſt concedenda duplex vnitas, quia multiplicitas vnitatum arguit multiplicitatem nedum naturarum ſed etiam ſupoſitorum: in Chriſto autem ſub duobus naturis vnicum tantum eſt diuinum ſupoſitum: ar non euacuat argumenti difficultatem, quæ eo tendit vt inferat ex multiplicitate exiſtentiæ ſupoſitum diuinum non eſſe vnam perſonam humanã vnitate perſe, ſed per accidens: eo quod ex duobus entibus in actu nequit vnum perſe conſtari. Ad quartum ait Patres illos loqui de eſſe perfecto ſeu ſupoſitali: quod nihil eſt aliud quam ſubſiſtentia. Sed plane hanc non eſſe congruam patrum explicationem, patet, quia patres diuerſis nominibus exiſtentiam, ſubſiſtentiam, & verbum ſignificabãt: ac proinde aliud nomine verbi, & aliud nomine ſubſiſtentiæ, ſeu hipoſtalis ab illo quod appellabant eſſe ſeu exiſtentiam intelexerunt.

6 Sed ad hæc tria reſtant ſoluenda argumenta quæ noſtræ concluſioni videntur obſtare. Primo namque poteſt argui contra illam vrgeddo ſecundum argumentum articuli præcedentis in hunc modum: id quod in ratione entis actualis diſtinguitur ab alio, habet diſtinctam actualitatem ab alterius actualitate: ſed materia quando exiſtit a parte rei, eſt diſtincta a forma in ratione entis actua ergo. Secundo multiplicato concreato, multiplicare debet eſſentialis formalis concreti, quia nequit multiplicari conſtitutum abſque multiplicatione conſtituentis: ſed ens actuale ſiue ens exiſtens eſt concretum exiſtentiæ, & multiplicatur illud in materia, & forma: ergo, & hæc in illis debet multiplicari. Adhorum ſolutionem prænotandum eſt, nomen numerale aliquando numerare cõcretum ratione materiæ ſeu ſubiecti, & aliquando ratione vtriuſque ſcilicet ratione ſubiecti, & formæ, ſi enim concretũa diectiuæ ſummatur, ſuſcipit pluralitatẽ ratione ſubiecti quando eadẽ forma impluribus ſubiectis, reperitur: ſi autem ſubſtantiue importetur, ſuſcipit plurificationem ratione non ſolius ſubiecti ſed etiam ratione formæ, qua ratione tres diuinæ Perſonæ dicuntur tres omnipotentes, non propter omnipotentiæ pluralitatem quæ vna tantum eſt, ſed propter pluralitatem perſonarum quæ ſunt tres: ſimiliter omnes partes compoſiti ſubſtantialis ſunt exiſtentes vnica exiſtentia, ſicut ſunt quantæ ſiue extenſæ vnica quantitate: & ſicut poſſunt dici plura entia partialia extenſa, non pluralitate quantitatis ſed pluralitate partium quæ ſub ſunt quantitati: ita poſſunt eſſe ac dici plures entitates actuales, non pluralitate actualitatum, ſed pluralitate entitatum, quæ ſub ſunt exiſtentiæ: eſt enim entitas actualis concretum ex entitate, & actualitate, quod poteſt plurificari ratione vnius, & non ratione alterius partis: quo pacto, etiã tres diuinæ perſonalitates ſunt tres realitates actuales ab vnicã dum taxat actualitate abſoluta, per quam exiſtunt, & in eſſe entitatis actualis ſiue exiſtentis conſtituuntur, & in huiuſmodi concretis non oportet formam multiplicari quæ intrinſice in illis includitur, ſed ſatis eſt veluti ſubſtracta formæ multiplicari, vt ipſa concreta plurificentur, & nomine numerali ſignificentur, quod in huiuſmodi ſolum numerat ſubſtracta, & non formas, quo ſupoſito ad argumentum ſecundum præcedentis articuli reſpondetur, negando maiorem, ſicut enim materia, & forma ſunt duæ entitates actuales ſub vna actualitate, ita ſunt duæ entitates actu diſtinctæ ſub vna exiſtentia, quia hæc tantum eſt conditio vt actu diſtinguantur:

forma-

formalia, autem diſtinctiua ſunt proprij modi ſeu differentiæ eſſentiales ipſarum entitatum, quæ multiplicatis entitatibus etiam multiplicantur. Et ex hoc patet ad primum ex propoſitis argumentis in hoc articulo: diſtinguenda eſt enim maior; id quod diſtinguitur ab alio in ratione ſiue ſecundum rationem entis actualis habet diſtinctam actualitatem ab actualitate alterius; *ſi ly, ſecundum*, reduplicet vtramque rationem, ſcilicet entis, & actualis: conceditur maior, quia tunc erit diſtinctio in ratione entitatis & in ratione actualitatis: ſi autem reduplicatio fiat tantum ſecundum rationem entis, & non ſecundum rationem actualitatis, ſed ſolum denotetur actualitas vt cõditio, negatur maior: quia tunc extrema diſtinctionis ſunt entitates, & non actualitates. Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior: ſi multiplicetur concretum ſecundum omnem rationem, concedo: nego vero illam ſi concretum multiplicitur ſolum ratione materialis: hæc enim ſufficit vt abſolute concreta alicuius formæ plurificentur, & pluraliter ſignificentur, vt perſpicuum fecimus exemplis allatis. Tertio arguitur. Nam quando materia creatur creatione partiali, ante aduentum illius exiſtentiæ, quam ei cõmunicaret forma ſubſtantialis, habet eſſe actuale in ſeipſa: ergo ex vi illius exiſtet; antecedens probatur, quia materia non habet tunc, ſolã eſſentiã, hoc enim habuit ab æterno, & quando erat intra cauſas: quod ſic declaro. Duplex eſſe poteſt conſiderari in materia prima, ſicut, in quolibet alio ente: eſſe ſcilicet eſſentiæ, quod in quiditatiuis prædicatis conſiſtit: & eſt veluti potẽtiale; & actuabile per exiſtentiã: & eſſe actuale per quod eſt extra cauſas: neque in alio ſtatu poteſt reperiri materia niſi aut ſub illo eſſe potentiali, aut ſub hoc eſſe actuali: ſed dũ aliqua portio materiæ modo creatur (quod aliquando contingere dubio ſequenti oſtendemus) non eſt ſolum ſubeſſe potentiali, ex vi ſuæ entitatis terminantis actualem ſui creationem: ergo eſt ſubeſſe actuali. Minor patet: nam dum ſub eſt terminationi actionis creatiuæ, trãſit à potẽte terminare, ad eſſe actualis termini: ſi quidẽ iã actu terminat actionẽ, quam antea nõ terminabat actu, ſed erat potẽs terminare: at iſte trãſitus nequit fieri niſi medio eſſe actuali adueniẽte materiæ: nã ex vi huius terminationis aliquid habet materia quod antea nõ habebat, nõ aptitudinalẽ terminationẽ creationis, hãc ſemper, etiã intra cauſas habuit: ergo actualẽ terminationẽ: ergo actuale eſſe extra cauſas. Prima cõſequentia patet, quia inter aptitudinalẽ, & actualẽ terminationẽ nõ datur mediũ: & ſecunda probatur: quia trãſitus ille à potentiali ad actualem terminationẽ non poteſt fieri niſi per traductionẽ de eſſe potentiali materiæ ad eſſe actuale: ſed in hoc cõſiſtit actuale eſſe materiæ (ſicut & cuiuslibet entis) in trãſitu de eſſe potẽtiali ad eſſe actualis termini productionis ſui: ergo materia terminãs ſui productionẽ, habet de ſe eſſe actuale. Quod amplius declaratur: materia terminãs ſui productionẽ ante aduentũ formæ ſubſtantialis, aliquid habet vltra illud eſſe quod habebat intra cauſas, ratione cuius actu terminat: nõ niſi eſſe actuale ſibi intrinſecũ: nã ſicut terminatio paſſiua eſt ei intrinſeca, ita id per quod terminat, intrinſecũ & reale debet eſſe: ergo vt ſic habet intrinſecũ eſſe actuale per quod eſt extra cauſas: quia nõ terminat prout eſt intra, ſed prout eſt extra illas. Ad hoc reſpõdetur materiã pro illo priori in quo terminat actionẽ creatiuã neq; inteligi præciſe ſub eſſe potẽtiali, neque ſub eſſe actuali, complete, ſed in ſtatu medio, ideſt in via ad eſſe actuale: quẽ ſtatum nouũ habet non per exiſtentiã, quã accipit à forma, neq; per ſola prædicata quidditatiua, quæ habet intra cauſas: ſed per ipſam creationẽ, cui aſſociatur, illã paſſiue terminando, & cauſalitatẽ materialẽ circa formã exercendo: & ratione huiuſmodi paſſiue terminationis & cauſalitatis materialis trãſit ab actu primo ad actũ terminationis. Iuxta quã ſolutionẽ ad formã argumenti negatur antecedens: ad cuius probationẽ neganda eſt conſequẽtia: datur enim mediũ inter illud eſſe potẽtiale, & actuale, ſcilicet illa proxima diſpoſitio ad eſſe actuale, in paſſiua terminatione creationis, & in modo cauſalitatis materialis ſiue receptionis formæ, conſiſtens.

ARTICVLVS III.

An per potentiã Dei abſolutam materia prima poſſit exiſtere ſine forma?

REſtat videndũ, an licet cõnaturaliter exiſtẽtia nõ cõueniat materiæ immediate, ſaltẽ de põtẽtia abſoluta poſſit exiſtẽtia aliqua communicari illi in abſentia formæ: ac proinde poſſit ne materia ſine forma exiſtere? In qua quæſt. duæ verſantur ſententiæ 1. affirmãs, quã ſequũtur Ganda. quodlib. 1. q. 10. Sco. in 2. d. 12. q. 2. Greg. q. 2. Gabriel q. 1. ar. 3. & Ricard. ibidẽ q. 4. ijs ſubſtribũt Suar. in locis præallegatis, videlicet tomo 1. Metaphiſ. diſput. 13. ſect. 4. diſp. 15. ſec. 8. & tomo 1. 3. partis diſp. 14. ſec. 3. Fõſeca 5. Metaphiſ. c. 2. q. 4. ſec. 4. & ex profeſſo in hoc lib. 8. c. 1. q. 1. ſec. 2. Conimbricẽſes 1. Phiſic. q. 6. art. 2. & alij ex Neotericis. Eandẽ vt probabilẽ ſequitur ex noſtris Soto 1. Phiſic. q. 6. art. 2. licet in alio ſenſu longe diuerſo à Doctoribus recenſitis: & aliis

longe diuerſis fundamẽtis innixus. Illi enim in hanc trahuntur ſententiam: eo quod putant omne ens reale, ac proinde materiã primã vendicare, ſibi propriã ac peculiarẽ exiſtentiam, per quam poteſt exiſtere ſaltem de potentia abſoluta Dei, ſecluſſa omni alia entitate à qua materialiter depẽdet. Soto vero ſuponit materiã primã nullã propriã exiſtentiã ſibi vendicare, ſed ſolũ exiſtere per illam quam accipit à forma, & nihilominus poſſe exiſtere ſine forma. Quia exiſtimat poſſe diuina virtute materiæ ſeparatim exiſtenti cõmunicari exiſtentiã formæ ſubſtantialis per quã in compoſito exiſtebat. Eidẽque modo dicendi ſauet Medina 1. 2. q. 110. art. 4. Secũda ſententia negans poſſe aliquo ex aſſignatis modis materiam primã, exiſtere ſeparatã à forma ſubſtantiali, eſt proculdubio S. Tho: 1. p. q. 66. art. 1. de potentia q. 4. art. 1. quodlibeto 3. art. 1. & aliàs ſepe illumque ſequũtur Capræolus in 2. d. 13. q. 1. Caietan. cap. 5. de ente & eſſentia, q. 8. Ferrarienſis tertio contrà gentes cap. 4. Flandrenſis in hoc 8. q. 11. art. 2. Soncinas q. 1. & Bañeſius primo de generatione, cap. 3. dubio vltimo, & 1. p. q. 45. art. 5. Eandem ſententiam amplectuntur etiam Bonauentura cum Magiſtro in 2. d. 12. q. 1. Durandus q. 2. & Argentina q. 1.

Neq; de potentia abſoluta poteſt materia exiſtere ſine forma.

Reſpondeo dicendum, materiam primam non poſſe de potentia abſoluta exiſtere ſeparatam à forma ſubſtantiali per exiſtentiam propriã ac peculiarem. Hanc aſſertionẽ ſatis oſtenſam puto aduerſus authores primi modi defenſandi primã ſententiã. Et iterũ illam ex eiſdẽ fundamentis placet oſtendere. Primo, nam pars quæ in cõpoſito, neque habet, neque habere poteſt propriam exiſtentiam, minus illam vendicare poterit extra compoſitum vbi habet eſſe minus perfectũ: ſed materia prima in compoſito ſubſtantiali neque habet propriam exiſtentiam, neque aliã poteſt habere, ab exiſtentia formæ & ipſius cõpoſiti, vt oſtenſum eſt in ſuperioribus: ergo neque illam extra compoſitum poteſt habere. Maior adhuc amplius declaratur, nã propterea anima rationalis de lege ordinaria, & anima equi de potentia abſoluta extra compoſitum poſſunt habere exiſtẽtiam, quia illã habent in compoſito. Exiſtentia enim compoſiti prouenit à forma in ſenſu à nobis ſuperiori libro declarato. Vnde propterea exiſtẽtia appellatur vltima actualitas omnis formæ à Boetio in libro de Trinitate cap. 3. & à D. Thom. 2. p. q. 3. art. 4. Cui propoſitioni conſentiunt tanquam cõmuni axiomati Scotus in 2. d. 3. quæſt. 3. Egidius, Quodlibeto 1. q. 7. & fere omnes Scolaſtici. Conſulto autẽ exiſtentiam non omnis entitatis, ſed omnis formæ actualitatem appellant; quia cenſent peculiari iure illam eſſe propriã formæ: eo quod quodammodo à forma ad materiam, & ad totum compoſitum exiſtentia deriuatur, non vtà principio efficiẽte aut formali: ſed vt à proximo diſponente atque determinante materiam & cõpoſitũ ad ipſius exiſtentiæ ſuſceptionem. Quia vero materia in compoſito nullo pacto vendicat propriã exiſtentiã: eo pacto quo compoſitum illam ſuſcipit, & quo forma ad illam diſponit & determinat; minime extra cõpoſitum aliquam peculiarẽ exiſtentiam habere poterit. Secundo, nam, quod conuenit materiæ primæ ſecundũ ſe, ſemper & vbicũque debet ei conuenire, ſiue ſit in cõpoſito ſiue extra illud conſideretur: ſed materiæ primæ perſe conuenit eſſe purã potentiã experte omnis phiſicæ actualitatis, hoc enim ſentiunt Auguſt. lib. 12. cõfeſſionũ cap. 7. appellans illam prope nihil, & Philoſophus huius libri cap. 1. dicens materiam non actu ens, ſed tantum potentia eſſe, quibus conſentit Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 1. cap. 4. dicens illam eſſe, puram potentiam incapacem de ſe alicuius exiſtentiæ: ergo. Tertio forma dicitur proprium eſſe, de ipſaque dicunt Philoſophus 5. Methaphiſicæ cap. 8. & 2. de anima cap. 4. & 2. phiſicorum cap. 1. Auerrois ibidem, & D. Thom. 2. contra gentes cap. 54. & 55. quod dat eſſe exiſtentiæ, quod cum non debeat intelligi adhunc ſenſum, quod illud det effectiue, vel formaliter, vt docuimus, debet intelligi adhũc ſenſum quod ſine forma nequeat exiſtentia alicui parti cõpoſiti ſubſtantialis conuenire.

8 Dico ſecundo, neque ſecũdo modo hoc eſt per exiſtentiam formæ poteſt materia prima de potentia abſoluta exiſtere ſine forma. Hæc probatur aduerſus authores ſecũdi modi defenſandi primam ſententiam. Primo: nam implicat effectum formalem ſecundarium ſaluari ſine forma, quia ſuponit intrinſice primarium, qui claudit eſſentialiter formam. Quo pacto implicat peccatum ſecundum ſententiam Angelici Doctoris remitti ſine gratia, quia remiſſio peccati eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ; & eadem ratione implicat aliquod corpus coextendi loco, quin in ſe ſit extenſum, quia localis extenſio eſt effectus ſecundarius quantitatis, cuius primarius effectus eſt extendere ſubſtantiam in ordine ad ſe: ſed eſſe exiſtentiæ eſt ſecundum hos authores quorum ſententiam impugnamus, effectus formalis ſecũdarius formæ ſubſtantialis: ergo nullatenus eſt ſuplebilis ſine forma. Declaratur vis huius argumẽti; quod ad hominẽ procedit aduerſus

uerſus Sotum & Medinam fideles alias interpretes ac Sectatores doctrinæ ſui authoris, qui in hac parte minus fideles inueniuntur. Licet enim verum ſit quod ipſos in hanc ſententiam traxit: nempe, effectū formalem ſecundarium poſſe ſupleri ad hunc ſenſum, quod poteſt ſaluari forma communicata ſubiecto quim eſſe tribuat effectū formalem ſecūdariū; qua de cauſa animā rationalē ſcimus tribuere Chriſto Domino eſſe, hominis eſſe tiale, nō vero exiſtentiā humanā, quæ in eorum ſententia eſt effectus ſecūdarius formæ: hæc enim ſupletur ab exiſtentia increata verbi per quam humanitas aſumpta exiſtit: & quantitas corporis Chriſti redens ipſum extenſum in ſe ſub ſpeciebus panis & vini, nō tribuit eſſe extenſionē localem: eo quod modus peculiaris quem ibi habet eſſendi in loco ad inſtar ſubſtantiæ ſpiritualis, impediuit reſultantiam: in hoc inquā ſenſu verū eſt effectū ſecundariū formæ poſſe ſupleri, ideſt, poſſe deficere, perſeuerante forma cū effectu primario. Ex hoc tamē non licet colligere effectū ſecundariū formæ poſſe ſupleri. Ideſt tribui & ſaluari ſine forma: in quo valde prætatos Doctores deceptos inuenio: dū ex primo ſenſu ad ſecūdū lapſi fuere: verus enim eſt primus ſenſus huius axiomatis: effectus ſecundarius formæ eſt ſuplebilis à Deo: ſecūdus vero eſt falſus & contra naturale lumē: nam effectus ſecundarius intrinſice & eſſentialiter ſuponit quidquid ſuponit primarius: ac proinde ſuponit formam, quæ tamen nec ſuponit effectum ſecundariū, neque inſeparabiliter omnibus modis illum ſecum adducit ſicut primariū qui ex tota ipſius formæ communicatione reſultat in ſubiecto. Vnde licet forma ſaluari poſsit cōmunicata ſubiecto ſine effectu ſecūdario: effectus vero ipſe & idem qui eſt proprius & cōnaturalis formæ ſecundarius ablq; illa non poteſt ſaluari, propter rationē aſsignatā: ac proinde cum prædicti authores ſentiant exiſtentiā eſſe effectum ſecundariū formæ ſubſtantialis incongruenter deducunt illū poſſe materiæ ſeparatæ à forma cōmunicari: hoc enim eſſet ſupleri effectum formalem ſecundarium formæ in ſecūdo ſenſu: quod eſt prorſus impoſsibile. Secūdo probatur. Ratione oſtenſiua, qua etiā primus modus defendendi primū ſententiā labefactatur: nam data hipotheſi quod materia prima ſine forma exiſteret, ſequitur has contradictorias eſſe ſimul veras: hæc materia prima exiſtit: hæc materia prima non exiſtit: quod eſt impoſsibile: ergo, ſequela patet, affirmatiuaque ex hipotheſi eſt vera: Negatiua autē probatur à D. Tho. quia materia prima nō eſt ens actu: non enim poteſt habere actū ſine forma, & mediante forma ſibi vnita. Vis autē & efficacia huius probationis Sācti Doctoris innitur ſolido huic ac veriſsimo fundamento; quod materia prima de ſe eſt incapax recipere actualitatē exiſtentiæ: fit enim capax huius actualitatis per formā: vnde hipotheſis quæ ponit materiā habere exiſtentiā ſine forma ſubſtantiali eſt repugnans naturæ & eſſentiæ materiæ, ac eius potentialitati: ac proinde eſſet actu, & nō eſſet actu: ſicut data hipotheſi quod equus ſit riſibilis, ſequitur equū eſſe hominē, & non eſſe hominē: eo quod poſitio eſt impoſsibilis & contraria naturæ equi. Tertio probatur, & declaratur hæc ratio amplius. Nā implicat ſaluari effectū formalē primariū ſine forma: ſed ſi materia exiſteret ſine forma ſaluaretur effectus eſſentialis & primarius: ergo. Minor patet, nā ſi materia exiſteret ſine forma, etſi nō exiſteret ſine exiſtētia, tamē eſſet ſuſceptiua proxime exiſtētiæ & illius effectus formalis ſine formali principio, à quo habet eſſe ſuſceptiuā exiſtētiæ: huiuſmodi enim principiū formale eſt forma, quæ dās eſſe eſſentiale cōpoſito, cōſtituit illud capax exiſtētiæ proximeq; determinat illud, vt docuimus libro præcedenti, ad tale eſſe exiſtētiæ; licet enim ipſa exiſtētia nō ſit effectus formalis proueniēs à forma ſubſtātiali: potētia tamē paſsiua, & proxime ſuſceptiua exiſtētiæ à forma ipſa prouenit ſicut effectus formalis illius, quæ ſic cōſtituit proximū ſuſceptiuū exiſtētiæ, ſicut Diaphaneitas proximū lucis, & quātitas proximū colorū cōſtituit ſuſceptiuū. Vnde ſicut in ſubiecto lucido ſine diafaneitate, & in cōrpore colorato ſine quātitate ſaluaretur effectus formalis primarius ſiue eſſentialis ſine forma, nēpe ſuſceptiuū proximū lucis, & colorū, ſine diafaneitate, & ſine quātitate, quarū altera habet cōſtituere ſubiectū in ſe capax, & proximi ſuſceptiuū lucis: altera vero habet conſtituere corpus formaliter in eſſe quanti & proximi ſuſceptiuū colorum: ita in materia exiſtente ſine forma ſubſtantiali, ſaluaretur proximū ſuſceptiuū exiſtētiæ; quod eſt effectus formalis formæ; ſine forma. Et hæc eſt ſumma ratio qua vtitur D. Thom. in locis præallegatis. Sed contra arguitur primo ex teſtimonijs D. Thom. is nāque 3. p. q. 6. art. 4. ad tertium ait quod Verbū Diuinū prius natura intelligitur vnitū materiæ Chriſti Domini per eſſentiam potentiam & præſentiā, quā ipſa anima rationalis: ſed in illo priori intelligitur tam materia extra cauſas: ac proinde exiſtens: ergo ſentit D. Thom. materiā gaudere propria exiſtētia, per quā poſsit etiam exiſtere ſeparata à forma. Cōſo-

nat huic teſtimonio id quod ait 1. p. quæſt. 3. art. 4. in 2. ratione qua probat Dei eſſentiam eſſe idem cum eius exiſtentia, cuius hãc aſumit maiorem: *Eſſe eſt actualitas omnis formæ, vel naturæ*: denotans non ſolius formæ, ſed cuiuslibet entitatis ac naturæ dari propriam exiſtentiam, ac perconſequens etiam materiæ primæ, quæ eſt quædam entitas ac natura. Fauet idem Sanctus Doctor 7. huius lect. 13. dicens, quod ideſt prius tempore, & in exiſtendo quod eſt prius altero generatione: materiam autem præcedere formam generatione perſpicuum eſt; ac proinde ipſam in ſe habere propriam exiſtentiã à forma non emendicatã. Reſpõdetur ad hæc teſtimonia, ex illis non cõuinci oppoſitum noſtræ aſſertionis fuiſſe, vel leuiter ſuſpicatũ à D. Th. in 1. enim ſolũ vult Sanctus Doctor materiã primã Chriſti Domini prius intelligi creatã & cõſeruatã à Deo quã ſub anima rationali intelligatur: nõquia in illo priori habeat propriã exiſtentiã, ſed quia pro tũc vnionẽ ad animã & ad verbũ pro alio ſigno rationis accepit. Reſpõdetur ſecũdo cũ Caietano, quod non de materia informi, ſed de materia actuata, ſecundũ gradũ corporeitatis & ſecundũ eſſe carnis loquitur D. Th. vt ex cõtextu plane colligitur. In ſecũdo autẽ, nomine naturæ nõ intellixit materiã primã quæ eſt pura potẽtia, ſed eſſentiã ex materia & forma cõpoſitam: cuius actualis immediata eſt exiſtentia & huiuſmodi eſſentiam quæ vulgari ſermone dicitur, natura, condiſtinxit à forma, quæ eſt partialis natura, ideſt, eſſentia. In tertio tandem loquitur D. Th. iuxta mentem Philoſophi, qui vt vidimus libro præcedenti protulit illud aſſertum de ſubſtãtia, illam videlicet ſicut generatione, ita & tempore præcedere accidẽtia, quia ſine illis & independenter, ab eis potuit generari & exiſtere. Quatenus autẽ materiæ primæ poteſt aplicari, dicendũ eſt in eo ſenſu illã præcedere formã ſubſtantialẽ, & accidẽtia: quia materiæ portio ſemper eadem numero ſuccedentibus in ea alijs, & alijs formis ſubſtantialibus, & accidentalibus perſeuerat: quinimo hunc fuiſſe ſenſum illius vniuerſalis aſſerti Philoſophi docuere Auerrois ibidẽ cõmentario 4. Egidius q. 1. & Iandunus q. 5. quos etſi quo ad hoc nõ probauerimus, aprobamus tamẽ in eo illorũ ſententiã, quatenus hic ſit ſenſus illius aſſerti, non vt abſolute à Philoſophi prolati, ſed vt materiæ primæ aplicati. Secũdo arguitur ex præcedentia & cauſalitate qua materia prima præcedit ordine rationis & cauſalitatis formã ſubſtãtialẽ, dũ vtraq; ad cõpoſiti naturalis cõpoſitionẽ venit: nã materia prima in vnoquoq; cõpoſito naturali exiſtẽs prius natura quã eſſet ſub forma ſubſtãtiali illius, & intelligeretur accipere actualitatẽ ab illa exercuit cauſalitatem cauſæ materialis & ſubiecti de quo fit eductio, & in quo ſit receptio formæ: ſed nequit ſic præcedere, quin præcedat vt exiſtẽs: ergo cũ pro illo priori nõdũ habeat exiſtẽtiã à forma, habebit propriã à Deo ex vi creationis ipſius cõmunicatã. Maior eſt nota, & probatur minor. Tũ quia, omnis cauſalitas cum ſit actus 2. ſuponit actũ 1. eſſendi ſine quo nequit actus 2. cauſæ cõuenire. Tum etiã, quia pro illo prioti quo materia cauſalitatẽ ſuam exercet circa formam neq; intelligitur eſſe ſub forma, quæ adhuc intelligitur recipiẽda, neq; intelligitur intra cauſas ſuas: ergo iã intelligitur extra cauſas ac proinde peculiari gaudẽs exiſtẽtia. Tũ, quia pro illo priori intelligitur materia inquã debet forma aduenies introduci: ſed hæc materia exiſtit: non enim in materiã non exiſtentẽ poteſt forma ſubſtantialis introduci: igitur materia vt præintellecta formæ iam exiſtit, ſicut ſol vt præintellectus illuminationi, & diaphanũ mediũ, vt præintellectum receptioni lucis exiſtentiã præhabet. Tum denique, nam materia vt formæ præintellecta eſt vna vnitate ſingulari, vtpote cum ſit quædam materiæ portio vna numero ab alijs portionibus realiter, & numerice diſtincta: igitur eſt vt ſic præintellecta exiſtens, ſiquidem exiſtentia eſt actus indiuiduus comes rei ſingularis, & ſingularitas ipſa videtur eſſe rei exiſtentis extra cauſas. Reſpondetur, negando minorem: ad primam probationem dicendum eſt cauſalitatem cauſæ materialis non exigere exiſtentiam in ſubiecto pro illo priori, ſed ſatis eſſe ſi ſit in via ad exiſtentiam, quia materialis cauſalitas non eſt actio, ſed ſubici, & eſſe id de quo & in quo, formæ recipitur: huiuſmodi autem actus non eſt rei exiſtentis, ſicut agere quod procedit ab agente in quantum eſt in actu: quinimo neque finis neque formæ cauſalitas petit exiſtentiam pro eodem priori pro quo habet finis finalizare, & forma informare, cum hoc ſit proprium cauſæ efficientis, vt præintelligatur exiſtens actioni quæ eſt eius actualitas & actus ſecundus. Poteſt etiam dici, quod ſatis eſt ad cauſalitatem cauſæ materialis, vt pro eodem inſtanti temporis ſiue *in quo* exiſtat: eo quod in eodem inſtanti temporis recipit formã per quã actuatur & exiſtit, licet pro eodẽ inſtanti naturæ ſeu *quia*, vel à quo nõ exiſtat, hoc eſt ſatis vt pro tũc exiſtat & ſit extra cauſas atq; ſub forma, vt reuera eſt in primo inſtãti in quo cõpoſitũ naturale incipit eſſe, licet nõ intelligatur

pro

pro aliquo priori naturæ & causalitatis existere. Ad secundã dico, materiã in illo instãti tẽporis seu *in quo*, existere & esse sub forma substãtiali geniti; pro illo vero priori causalitatis ac naturæ, neq; esse sub forma, neq; omnino intra causas, sed intelligi in via ad existentiã recipiendã per formæ substantialis receptionẽ. Ad tertiam distingo maiorẽ: materia in quam introducenda est forma est existẽs pro eodẽ tẽporis instãti, conceditur: est existẽs pro illo priori rationis, & naturæ negatur; sed intelligitur in via ad existentiã: & hoc ipsum sufficit, vt pro eodem priori intelligatur determinata & singularis: quia taliter intelligitur in via ad hanc formam, quod non ad illam. Ex quo patet ad quartã probationem.

10 Tertio arguitur ex peculiari actione creatiua ad materiam terminata, ex vi cuius ipsa materia creatur atque â Deo conseruatur. Nam certum est, & omnibus philosophis in dubitatum, illam rem habere propriã existentiam quæ perse, & immediate terminat aliquam actionem productiuam qualis est creatio siue generatio: sed materia prima terminat perse & immediate actionem creatiuam: ergo ex vi illius recipit aliquam existentiam sibi propriam, & immediate cõmunicatam per quam saltem miraculose existere possit sine forma substantiali. Maior probatur, quia terminus huiusmodi actionũ est existentia, vel essentia sub existentia: etenim sicut generatio terminatur ad tale esse, ita creatio terminatur ad communicandum esse absolute: producere enim, aliquam rem, est dare illi esse, atque eam ponere extra causas. Vnde existentia aut est terminus formalis actionis creatiuæ, & generatiuæ, aut saltem est conditio, modus intrinsecus, vel complementum sine quo, nec terminus formalis saluatur, nec potest ipsa actio intelligi, aut diffiniri. Minor autẽ probatur. Tũ ex eo quod materia creata fuit initio mundi propria, & peculiari creatione ad ipsam adequate terminata: nam modo conseruatur per eandem actionem per quam tantum fuit primo producta: sed conseruatio modo ad illam perse & adequate terminatur: cum enim formæ horum inferiorũ quæ cum ipsa materia fuerunt concreatæ perierint, & illa semper eadem illæsa permanserit, perspicuum est illã propriam ac peculiarem conseruationem terminare. Tum etiam, quia si modo ex speciebus consecratis panis & vini aliquod mixtum per ipsarum specierum putrefactionem aut corruptionem generaretur, puta ignis, aut terra: data hac hipotesi possibili de lege ordinaria; Deus conderet aliquam portionẽ materiæ primæ in quã agens naturale posset ac deberet formam â se genitam introducere, & de cuius potentia eam educeret, quæ actio creatiua ad solã materiã terminaretur. Tum deniq; quoniã facta hac hipothesi materia illius ignis geniti haberet esse in rerum natura, & non per generationẽ agentis naturalis, hæc enim nequit esse materiæ productio: igitur haberet esse per creationẽ, & ex vi creationis: ac proinde propriam ac peculiarem existentiam reciperet à Deo, ab existentia geniti distinctam. Respondetur prænotando duo, primo cum D. Tho. 1. p. q. 76. art. 6. ad primũ & q. de Anima art. 9. atque 2. contra gentes cap. 54. quod in rebus omnis actualitas formalis, & perfectio prouenit â forma: & quidẽ de actu existentiæ superius diximus non prouenire â forma effectiue aut formaliter, nisi vt à principio determinante & disponente subiectũ in ratione susceptiui, qua propter maxime de actualitate entitatiua seu essentiæ intelligendus est D. Tho. quãdo in prædictis testimonijs asseuerat omnem actũ rebus à forma prouenire eo quod per formam vnaquæque constituitur in esse talis, & à cæteris discriminatur. Formale enim vniuscuiusque rei constitutiuũ, & distinctiuũ in forma saluatur, & non in existentia: puta hominis, equi, Leonis, &c. Formale constitutiuũ ac distintiuũ in ratione talis entis actualis non est existẽtia, sed est forma atque vltima vniuscuiusque differentia à forma prouenies: cui tamen associatur existentia vt vltimum complementum, & conditio intrinseca sine qua neque forma neque vltima differentia potest constituere hominem, equum, aut Leonem in esse actuali hominis, equi aut Leonis, & quia sicut res se habet ad esse, ita se habet ad generari, vel quouismodo produci, per id per quod formaliter constituitur, terminat formaliter actionem productiuã sui, & per id per quod completur in suo esse completo, completur quoque in ratione terminandi actionem productiuam. Vnde philicorum cap. 3. forma dicitur finis id est terminus formalis generationis. Secundo quod cũ actio productiua à termino formali specificetur, & per illius cõmunicationẽ saluetur, potest fieri vt aliquãdo solũ formale cõstitutiuũ essentiæ rei producendæ cõmunicet, existẽtiã vero quæ tãtũ est cõplemẽtũ, non perse, sed ministerio alterius actionis sibi miraculose associatæ tribuat. Quo pacto actio generatiua qua Beata Virgo humanitatẽ Christi genuit licet ex se recto tramite ad communicandã illi essentiam completam connaturali existentia terminaretur: tamen de facto internẽtu actionis miraculosæ

aſumptiuæ, & non perſe ipſam communicauit illi exiſtentiam diuinam. Similiter in caſu aducto de ignegenito ex ſpeciebus conſecratis, Deus crearet portionem materiæ, primæ creatione quadam non ordinaria ſed miraculoſa, ad primum miraculum transſubſtantiationis cõſequuta (ex huius enim ſupoſitione contraxit Deus neceſsitatẽ quandam prouidẽdi de ſuſceptiuo formæ naturalis ab agente naturali debite aplicato generãdæ.) Ex vi cuius ſolũ eſſe eſſentiæ tribueret Deus materiæ creatæ: exiſtentiam autem communicaret ei agens naturale mediante generatione aſociata formæ naturalis. Neque difficile tibi appareat quod pro illo priori in quo materia ſupoſita agenti naturali creatur, ſaluetur vera actio creatiua ſine termini formalis cõplemento; ſatis enim eſt quod pro illo priori ſaluetur terminus formalis, ſcilicet, eſſentia materiæ in via ad exiſtentiam, quæ cum ſit tantum conditio, & complementum poteſt pro alio ſigno rationis aduenire. Neque tamen tunc eſt creatio ſine termini formalis completo, licet intelligatur terminus formalis illius ſine complemento exiſtẽtiæ: quia vnum eſſe ſine alio, denotat exiſtere in aliquo inſtanti temporis vnum, in quo non exiſtat aliud: & hoc non verificatur: ſiquidẽ in eodem temporis inſtanti, in quo materia per creationem, fit etiam ignis per generationem, & de vtriuſque actionis termino verificatur quod incipit eſſe per primum ſui eſſe. Vnde ſicut verum eſt dicere in illo inſtanti: nunc eſt ignis genitus: ita uerum eſt dicere, nunc exiſtit materia creata huius ignis geniti: ac proinde non verificatur terminum creationis ſaluari ſiue ſuo complemento, licet intra illud inſtans temporis ſicut materia & forma diuerſas actualitates circa ſe inuicem & compoſitum exercent, ita ſecundũ diuerſa genera cauſandi mutuo ſe naturæ ac cauſalitatis proritate præcedunt.

11 Iis breuiter ſupoſitis ac prænotatis facilis relinquitur ſolutio ad formam argumẽti, negando maiorem. Ad cuius probationẽ dicendum eſt, quod exiſtentia ſicut non eſt ratio formalis cõſtituendi rem: ita neque eſt ratio formalis terminandi illius productionem, ſed eſt conditio quædam completiua, quæ ex vi alterius actionis aſociatæ poteſt materiæ primæ cõmunicari. Vnde ad probationes minoris inter emptæ maiori non eſt opus reſpondere. Sed quia adhuc admiſſa maiori, non conuincunt. Reſpondetur ad primã falſum ſuponere in eo quod aſerit materiam initio mundi propria ac peculiari creatione fuiſſe productã. Nam à principio Deus ſolum compoſita creauit, de illis enim ſolũ dicitur, in principio creauit Deus cœlum & terram: ideſt & area atq; elementarẽ regionẽ quatuor elementa includentẽ: ad horum autẽ creationẽ formæ & portiones materiæ fuerũt concreatæ: ex formis autem illis aliquæ perierunt, quarũ materiã Deus ſub alijs formis conſeruauit & modo conſeruat per eandẽ actionẽ, nõ vt exequentẽ munus creationis, ſed vt concreatio quædam fuit. Cum enim actio creatiua Dei, qua v. g. terrã creauit, & terræ partes concreauit, ſit non formaliter tranſiens & in ipſa creatura recepta, ſed formaliter immanens, & virtualiter trãſiẽs: nempe diuini intellectus imperium efficax, ſeu efficax diuinæ volũtatis volitio (vt à ſententijs Theologorũ diuerſimode in hac parte ſentientium vſque ad propriũ locum huic diſputationi deſtinatum, abſtrahamus) qua Deus ſimul terrã creauit & eius partes concreauit, pereunte terræ aliqua portione, & eius forma, ſuperſiteque materia illius ſub forma hominis, plantæ, aut alterius mixti, ne quiuit manere actio illa diuina exequẽs munus creationis talis terræ, aut concreationis formæ, ſiquidem iam neque ad talem terram neque ad eius formam terminatur: potuit tamen ac debuit manere vt exequens munus concreationis: ſeu partialis creationis materiæ, quia illã ſub alijs formis conſeruat. Neq; enim eius vnitati obſtat diuerſarum formarũ & exiſtentiarum ſucceſsio: ſiquidem manet eſſentiale materiæ conſtitutiuũ idẽ, quod eſt terminus formalis creationis & conſeruationis materiæ, vt dictum eſt. Exiſtentia autem ſolum concurrit vt conditio, & complementũ ex cuius variatione ſicut nec eſſentiæ materiæ, ita neque conſeruationis eiuſdem variatio colligitur. Ad ſecundam & tertiam admiſſa illa hipotheſi negamus illam creationem cõmunicaturã fore perſe exiſtentiã materiæ: ſolũ enim eius eſſentiã produceret ex nihilo, cõmunicaret autẽ exiſtentiam interuentu alterius actionis generatiuæ abagente naturali dimanantis. Tunc autem indubitatum Philoſophis eſt illã rem habere propriã & peculiarem exiſtentiam ex vi actionis productiuæ ad ipſam immediate, & adequate terminatæ: quando talis actio nullius alterius interuentu & aſociatione adiubatur aut adiubari indiget: tunc enim illa ſola nedũ eſſe eſſentiæ, ſed etiam eſſe exiſtentiæ producto communicauit. Quarto arguitur principaliter ex identitate ipſius materiæ primæ ſub diuerſis formis permanentis. In hunc modũ: materia prima permanet eadẽ ſub vtroque tranſmutationis ſubſtantialis termino: ſed nequit permanere eadem, ſi variata exiſtenti à formarum, variaretur eius exiſtẽtia: igi-

tur

tur retinet propriam ac peculiarem exiſtentiam. Minor oſtenditur dupliciter à Fonſeca vbi ſupra, primo quia conſeruatio nihil eſt aliud quam eiuſdem numero exiſtentiæ continuatio. Secundo quia nequit eadem res numero permanere ac conſeruari amiſſa ea, quam habebat, exiſtentia: vt enim exiſtentia ponit formaliter rem quamlibet in rerũ natura, ita ea pereunte, deſinere debet in rerũ natura eſſe, quandoquidem deſitio nihil eſt aliud quam exiſtentiæ amiſſio. Vnde tam ex ratione conſeruationis, quam ex ratione deſitionis videtur concludi non poſſe eandem numero materiam permanere variata eius exiſtentia. Poteſtque hoc argumentum alio eiuſdem Fonſecæ confirmari. Magis enim pendent â materia formæ quæ de potentia illius educuntur, quam ab illis materia, ſiquidem materia ab eis non pendet infieri, ſed tantum in conſeruari illæ autem pendent â materia vtroque modo: igitur cum huiuſmodi formæ ſuam habeant peculiarem exiſtentiam, potiori ratione materia habebit ſuam: nam quemadmodum cauſæ efficientes, ſic etiam materiales & formales non cauſant niſi prius naturæ ordine exiſtant, quam in ſuo quoque genere exiſtant. Reſpondetur negãdo minorem. Ad primam probationem patet falſum ſuponere minuſque bene Fonſecam intellexiſſe conſeruationis diffinitionẽ. Hæc enim non eiuſdem exiſtentiæ, ſed eiuſdem entis quoad eſſe eſſentiæ eſt continuata productio: parificatur enim in hoc ipſi productioni primæ quæ non abeſſe exiſtentiæ, ſed ab eſſe eſſentiæ vt à termino formali ſpecificatur. Ad ſecundam pariter dico falſum eſſe antecedens. Haberet enim humanitas aſumpta à verbo ſi dimitteretur, & ſuæ naturæ relinqueretur, aliã exiſtentiam. Neque cõ naturalem & creatam quam â principio debuiſſet habere, niſi actio generatiua illius per actionem aſſumptiuam fuiſſet præuenta & â communicatione connaturalis exiſtentiæ impedita. Ac proinde ſub vtraque exiſtentiã, diuina ſcilicet & humana eadem humanitas numero permaneret à Deo cõſeruata. Vt mirifice oſtendit exemplo gutæ aquæ, quæ diuiſſa adquirit nobum eſſe, exiſtentiæ abſq; ſui corruptione, Caietan. 3. part. quæſt. 17. art. 2. ad 5. Ad confirmationem negatur maior. Licet enim formæ dependeant connaturaliter à materia in eſſe, & fieri, & materia ſolum in conſeruari dependeat à formis quæ primæ formæ ſucceſſerunt, ſub qua materia fuit creata: tamen, quia materia non potuit non creari ſub aliqua, & alias eſt pura potentia magis ei repugnat eſſe ſine omni forma, quam formæ eſſe ſine quauis materia. Quod perſpicuis verbis tradidit D. Tho. 1. p. q. 66. art. 1. Ad tertium quod conabatur probare ſic poſſe materiam cõſeruari à Deo ſine omni forma; ſicut accidentia poſſunt conſeruari ſine omni ſubiecto, dicens. *Ad tertium dicẽdum, quod accidens cum ſit forma eſt actus quidam; materia autem ſecundum quod eſt; eſt ens in potentia. Vnde magis repugnat eſſe in actu materiæ ſine forma; quam accidenti ſine ſubiecto.* Ad id autem quod ſubdit Fonſeca, cauſalitatem formalis ac materialis cauſæ non minus quam efficientis cauſalitatem præexigere exiſtentiam: patet quid ſit dicendum ex ſolutione ad ſecundum.

12 Quinto arguitur ex dependentia ſuplebili materiæ à forma ſubſtantiali. Nam cõcurſus formæ, quo materia dependet ab illa in eſſe, ſuplebilis eſt à Deo: ergo. Antecedẽs probatur: quia tantum eſt concurſus formæ extrinſicæ hoc eſt terminantis extrinſice habitudinem & tranſcendẽtalem ordinem materiæ: huiuſmodi autem cõcurſus ſupleri poteſt à Deo: propterea, enim ſuplet Deus concurſum ſubiecti reſpectu accidẽtium in ſpeciebus ſacramentalibus: quia eſt concurſus materialis cauſæ non intrinſicæ (hic enim æque in ſuplebilis eſt atque concurſus formæ intrinſicæ) ſed extrinſicæ atque ſuſtentantis, & terminantis habitudinem tranſcendentalem accidentium, & ordinem ad inhæſionem. Confirmatur dupliciter primo, nam ſi Deus faciat materiam exiſtere ſine forma; non ſuplebit cauſalitatem formalẽ; hoc eſt, nõ ponet in eſſe effectum formalem ſine forma: igitur cum hæc ſit tota ratio implicationis aſignata D. Thom. & eius diſcipulis, ex nullo cap. repugnabit, quo minus materia poſſit exiſtere ſine forma. Antecedens probatur: quia forma intrinſeca cuius effectus formalis eſt hoc concretum, materia exiſtẽs; non eſt forma ſubſtantialis, ſed exiſtentia: igitur ſi hæc communicetur immediate materiæ, non dabitur effectus formalis ſine ſua forma intrinſeca. Confirmatur ſecundo. materia prima immediate eſt aſumptibilis à Verbo Diuino ad diuinum eſſe: ſed data hipotheſi, & poſsibili hoc reducto ad actum, materia aſumpta exiſtet ſine forma ſubſtantiali: ergo non implicat materiæ communicari immediate actum exiſtendi. Maior patet, tum ex obediẽtiali potentia materiæ primæ, ad hoc vt Deus in illa & ex illa faciat quidquid voluerit. Tum ex eo quod omnis alia creatura quantumuis imperfecta per obedientialem potentiam eſt aſumptibilis. Solumque ab hac vniuerſali regula excipere videtur D. Thom. malum culpæ 3. p. q. 1. art. 1. ad tertium, & perſonalitatem atque ſubſiſtentiam

quæſt.4. art.2. Reſpondetur negando antecedens. Nam licet reſpectu effectus formalis qui eſt exiſtere: forma ſubſtantialis ſe habeat extrinſice, vt argumentum probat: tamen reſpectu effectus formalis præuij ad exiſtentiam, qui eſt materiã eſſe capacẽ ſuſceptiuã exiſtentiæ, intrinſice concurrit forma, ſicut albedo ad albi conſtitutionem, & quia poſito illo ſine forma ſubſtãtiali, poneretur iſte: hunc autem poni ſine forma eſt impoſsibile ſicut poni album ſine albedine: propterea de primo ad vltimum aſtruimus quod poni materiam exiſtentem ſine forma ſubſtantiali eſt impoſsibile: eo quod Deus effectũ formalem ſine forma præſtaret. Ad primam cõfirmationem patet ex dictis. Ad ſecundam negãda eſt maior. Sicut enim malo culpæ, propter ſummam Dei bonitatem, & ſubſiſtentiæ creatæ propter perfectionem vltimi termini, & negationem vlterius complebilis per aliud, repugnat aſumi à Verbo Diuino: ita materiæ primæ, propter eius maximam potentialitatẽ repugnat immediate aſumi: quod oſtenditur, ex eo quod improportionata eſt entitas materiæ primæ, vt docuimus hucuſque ad recipiendum immediate actũ exiſtendi creatum, ad quem fit proportionata, & capax per formam ſubſtantialem: ac proinde magis improportionata, & incapax erit ſuſcipere actum eſſendi diuinæ ac infinitæ exiſtentiæ. Tum etiam, quia implicat corpori communicari localem extenſionem, abſque extẽſione in ordine ad ſe, quæ eſt primarius effectus quantitatis neceſſario ad ſecundarium ſuponendus. Igitur eodẽ pacto implicabit trahi materiam ad eſſe exiſtentiæ ſiue naturalis & creatæ, ſiue increatæ ſuplẽtis vicem illius; niſi media formæ ſubſtantialis actuatione, quæ eſt primarius effectus formæ, ac proinde neceſſario ad ſecundariũ ſuponendus. Tum denique accedit præclarum teſtimonium Angelici Doctoris in 3. p. q. 6. art. 4. in ſolutione ad tertium ſuperius allegata, qui poſtquam dixerat materiæ ſeu carni prius natura vnitum intelligi Verbum Diuinum per modum communem, quo eſt in cæteris creaturis, ſcilicet per eſſentiam, præſentiam & potẽtiam, quam animæ, eo quod prius intelligitur caro vt quoddã ens, quod â Verbo habet, quam vt animata, quod habet ab anima: ſubdit hæc verba. *Sed vnione perſonali prius ſecundum intellectum oportet quod caro vniatur animæ, quam verbo, quia ex vnione ad animam habet quod ſit vnibilis verbo in perſona, &c.* In quibus non obſcure denotat D. Thom. ex vnione ad animam factam fuiſſe carnem Chriſti aptam aſumptioni: ac proinde materia ſine forma cenſenda eſt prorſus inepta & incapax ad terminandum immediate aſumptionem: apta tamen fiet mediante forma ſubſtantiali. Vnde obediẽtialis potentia aſumptibilis, quam habet, non eſt vt immediate, ſed vt mediante forma dũtaxat aſumatur.

QVÆSTIO II.

De materia in ordine ad indiuidnationem primarum ſubſtãtiarũ, in quatuor articulos diuiſa, &c.

SEcunda comparatio materiæ eſt ad indiuiduationem ſingularium ſubſtantiarum. In qua videnda ſunt quatuor: primum an ſubſtantiæ ſingulares ex materia, & forma compoſitæ per materiam ſignatam radicaliter indiuiduentur? Secundum quid per hanc materiam quæ vulgo apud Phiſicos & Methaphiſicos ſignata nuncupatur, ſit accipiendum? Et tertio loco operæ prætium eſt videre, à quo formæ ſubſtantiales in diuiduationem accipiant? In quarto deniq; principium à quo accidentia indiuiduantur examinabimus. Vt ſic exactam Metaphiſicæ auſcultatoribus de modo ac principio vnius cuiuſque compoſiti ac formæ ſubſtantialis quam accidentalis indiuiduationis notitiam tradamus.

ARTICVLVS I.

An principium radicale, â quo corporeæ ſubſtantiæ accipiunt indiuiduationem; ſit ſola materia ſignata?

1 IN hoc articulo verſantur ſententiæ quatuor, prima aſſerit indiuiduationis ſubſtantiarum materialium principiũ, eſſe hęcceitatem vnius cuiuſque primæ ſubſtantiæ: nomine autem hęcceitatis niſi chimericum ſit eius ſignificatum, intelligunt authores huius ſententiæ, vel modum intrinſecum ſingularitatis, vel vltimam differentiam indiuidualem per quam ratio ſpecifica materialiter in ſingulis indiuiduis contrahitur, & vnũquodque indiuiduum ſit in diuiſum in ſe & diſtinctum à quolibet alio. Princeps author huius opinionis fuit Doctor ſubtilis in 2. d. 3. q. 6. quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, & nouiſsime Fonſeca lib. 5. metaphiſicæ cap. 4. q. 5. ſect. 4. vbi diffi-

niens

niens atque expendens magis hanc hæcceitatem per quam vnamquanque primam ſubſtantiam putat indiuiduari, ait, eſſe differentiam poſitiuam, primo in communicabilē, quæ adiuncta ſpeciei conſtituit indiuiduum. Secunda eſt aliorum aſſerentium principiū indiuiduitionis huiuſmodi ſubſtantiarū adequatum & ſecūdum ſe eſſe materiam & formam ſubſtantialem, quatenus mutuoſe in diuerſo genere cauſæ materialis, ſcilicet, ac formalis habent indiuiduare: quoad nos vero principium indiuiduationis eſſe ſolam materiam ſignatam quantitate: eo quod ſignum nobis notificans indiuiduorum ſubſtantialē diſtinctionem eſt ſignatio diſtantarum portiorum quantitatis. Huius ſententiæ author primus fuit Durandus in 1. d. 35. q. 3. cui nōnulli Thomiſtarum recentiorum, minus bene Ariſtotelem, ac Sanctum Doctorem interpretantes ſubſcribunt. Tertia eſt aſſerentium adequatum indiuiduationis principiū eſſe omnium cauſarum vniuſcuiuſque indiuidui collectionem, ita vt Petrus, v. g. à ſua materia & forma vt à principio intrinſeco, & à generante, & fine tanquam à principio extrinſeco, & ab vtriſque ſimul tanquam à principio adequato ſuæ indiuiduationis habeat numericam vnitatem. Hanc ſequuntur Aureolus apud Capreolū in 2. d. 3. q. 1. Durandus q. 2. & Herueus, quodlibeto 3. q. 9. quibus ſubſcribit Suarez 1. tomo Methaphiſicæ diſp. 15. à ſectione 3. vſque da6. In cuius explicatione diuiduntur præfati authores in duos modos dicendi. Aureolus enim, & Herueus volunt intrinſecum principium indiuiduitionis eſſe ipſam entitatem ſpecificam indiuidui, hoc eſt materiam & formam quatenus ex eis reſultat compoſitum in tali ſpecie, puta hominis, equi, Leonis, &c. Quaſi id dicendum ſit in hac parte, quod de intelligentijs aſſeuerant Theologi, nempe indiuiduari ſeipſis, hoc eſt per eadem eſſentialia principia quibus in ſpecie conſtituuntur; adiuncta aliqua negatione in diuiſionis in ſe, vel diuiſionis à quolibet alio. Durandus vero (quam ſequi ſe fatetur Suarez vbi ſupra ſect. 6.) ait principium intrinſecum non eſſe ſpecificam, ſed numericam entitatem ipſius indiuidui, ideſt compoſitum ex hac materia & forma iſta reſultans. Facta autem comparatione inter materiam & formam in ratione intrinſici principij indiuiduationis, Durandus in præallegata q. 3. diſp. 35. §. *iſtare ſponſio*; ait formam eſſe magis diſtinctiuam in diuiduo: quia eſt actus, cuius eſt diſtinguere: à formaque magis quam à materia participare indiuiduum diuiſionem & incommunicabilitatem. Suarez quoque potiſsimum munus indiuiduandi atribuit formæ: ex quo putat nomen & munus indiuiduationis principij ac radicis illi ſore atribuendum. In hoc vno nihilominus relati authores conuenient, quod exiſtimant adequatum indiuiduationis principium, tam ex cauſis intrinſicis, quā ex principijs extrinſicis ipſius indiuidui integrari. Suarez vero ſententiam placet, ad tria potiſsima dicta reducere. Quorum primum habet ſect. 3. dicens, iuxta ſententiam Ariſtotelis ac Doctoris Angelici principiū indiuiduationis in ſubſtantijs compoſitis, nedum quoad nos, ſed etiam ſecundum ſe, eſſe materiam ſignatam quantitate: alias Ariſtoteles & D. Tho. principium verum indiuiduationis reliquiſſent nobis ſignotum; & ſolum indiuiduationis ſignum nobis patefacerent: cum tamen verum principium indiuiduationis tradere debuiſſent, vtpote qui huic quæſtioni de principio indiuiduationis non ſemel aut iterum ex profeſſo ſatisfacere propoſuerunt. Ex quo merito colligit Suarez intolerabili errore labi Neotericos qui putant nomine materiæ ſignatæ Ariſtotelem ac D. Thom. ſolum accipere ſignum per quod ſubſtantiæ materiales indiuiduæ nobis innoteſcunt. Secundum habet ſect. 4. dicens, quod ſicut natura ſpecifica in ſubſtantijs compoſitis conſtituitur ex materia & forma communiter ſumptis: ita indiuiduum in eſſe talis conſtituitur per hanc materiam & per hanc formam: magis autem principaliter per hāc formam, quam per hanc materiam: eo quod eſt magis propria vnicuiique indiuiduō; & illius præcipuum diſtinctiuum, quod adeo verum putat, quod ſi ſub eadem numero forma ſubſtantiali diſtinctæ portiones materiæ ſuccederent, aut idem numero compoſitum ſubſtantiale credat permanere, aut ſaltē magis idem, quam ſi è contra in eadem materia numero plures ſuccederēt formæ. Tūc enim abſolute tot eſſent ſubſtantialia compoſita numero diſtincta quot formæ diuinctæ materiam illam ſucceſsiue informārent: Tertiū habet ſect. 6. dicens, quod indiuiduum accipit ſuam vnitatem numericam à collectione omnium cauſarum, ab hac materia & ab hac forma; vt à principijs intrinſicis: ab hoc vero generante, & fine hic & nunc concurrentibus per hanc numero actionem tanquā à principijs extrinſicis. In quo ſe Durandū ſequi fatetur. Hæc ſunt dicta tria quibus ſententia Suarez continetur: illaque placuit ſic exponere, vt plane id in quo aut verum attingat, aut falſum inuoluat, fiat manifeſtum. Quarta & vltima ſententia aſſerit verū principium nedum quoad nos, ſed etiam ſecundum ſe, indiuiduationis in ſubſtantijs mate-

ria

rialibus eſſe materiam aſignatam quantitate. Hæc eſt legitima proculdubio ſententia Ariſtotelis 5. Metaphiſicæ tex. 88. & lib. 7. tex. 28. commentatoris ibidem, atque Doctoris Angelici opuſculo 32. cap. 6. & 7. opuſculo 29. de principio indiuiduationis, & opuſculo 70. q. 4. art. 2. & 4. Prima parte q. 3. art. 2. q. 50. art. 4. & 75. art. 7. atque etiam q. 29. art. 1. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. d. 12. q. 1. qui in locis ijs atque aliàs ſepe principiũ radicale indiuiduationis in ſubſtantijs materialibus, docet eſſe ſolum materiam ſignatã. Vnde veri Ariſtotelis ac Doctoris Sancti diſcipuli eis hæc in parte ſubſcribunt. Inter quos præcipue videndi ſunt Capreolus in 2. d. 3. q. 1. Caietanus in commentarijs ad articulos præallegatos, nec non cap. 7. de ente & eſſentia q. 5. & 3. p. q. 3. art. 2. & 1. p. q. 29. art. 1. atque q. 57. art. 2. Farrarienſis 1. cõtragentes cap. 21. Flandrenſis 7. huius q. 22. art. 1. 2. & 3. Soncinas q. 32. & 33. Bañeſius 1. de generatione cap. 5. q. 3. per totam præcipue art. 7. & 8. & Iauellus 5. Metaphiſicæ q. 15. & alij quos omitto recenſere. Pro cuius declaratione prænotandi ſunt termini tituli quæſtionis: in illo nãque nomine principij indiuiduationis non accipimus principium formale, quo indiuiduum formaliter, & veluti Methaphiſice conſtituitur ineſſe huius, & â cæteris eiuſdem ſpeciei diſcriminatur: ſed principium radicale ideſt radicalẽ cauſam ex qua veluti fundamentaliter ac radicaliter indiuiduatio, hoc eſt vniuſcuiuſq; indiuidui vnitas ac numerica diſtinctio deſummitur. Rurſus nomine ſubſtantiarũ corporearum, illas ſubſtantias quæ ex materia, & forma componũtur intelligimus, & illas quæ expertes materiæ ſunt excludimus; has enim vult D. Thom. adeo ſeipſis indiuidua ri; vt intra eandem ſpeciem nequeant numerice multiplicari defectu materiæ ſignatæ. Eo quod hæc ſola ſit principium & origo numeralis diſtinctionis ac pluralitatis. Nomine denique indiuidui, atque indiuiduationis: non illa, quæ à ſecunda intentione prouenit, per quam indiuiduum ſecundo intentionaliter dicitur ac diffinitur per ordinem ad ſpeciem, eo quod eſt illius correlatiuum, ſed accipitur ſubſtantia ſingularis, quæ primo intentionaliter ſeu Methaphiſicè eſt indiuiduum, ideſt illa quæ vnitate reali ac numerica gaudet, & ſecundæ intentionis indiuidui ſubſtractum eſt, atque à parte rei eſt in diuiſſa in ſe, & diuiſſa â qualibet alia. Vnde ſenſus quæſtionis eſt, an in huiuſmodi ſubſtãtijs ſingularibus & indiuiduis, ex materia & forma compoſitis radicale principium à quo prouenit earum indiuidualis differentia ſiue numerica vnitas, ſit ſola materia ſignata; in qua Philoſophus ac D. Thom. indiuiduationis principium conſtituerunt.

2 Reſpondeo dicendum primo hæccei- *Impugnatur Scotica hæcceitas.*
tatem non eſſe principium indiuiduationis in ſubſtantijs materialibus. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ: & probatur primo hæcceitas niſi chimericum quid ſit, debet eſſe ratio vltima, & veluti indiuidualis ac differentialis indiuidui: hæc autem licet ſit principium veluti Methaphiſicum, ac proximum indiuiduationis, non tamen eſt primum ac radicale principium: ergo nullo pacto in huiuſmodi hæcceitate principium primum indiuiduationis, de quo eſt præſens controuerſia apud Philoſophos ac Methaphiſicos, eſt conſtituendum. Minor patet, quia omnis compoſitio Methaphiſica in aliqua Phiſica compoſitione debet fundari. Ita vt illius extrema in huius extremis fundentur: qua de cauſa genericus gradus ex materia communi; & differentialis ex forma dicitur deſumi: ergo gradus indiuidualis, nempe materialis illa differentia per quam indiuiduum ſe habet ex additione ad ſpeciem in aliquo extremo phiſicæ compoſitionis debet fundari; & hoc appellatur primum ac radicale principium indiuiduationis. Secundo hæcceitatis eſt ratio quædã indiuiſibilis qua indiuiduum eſt formaliter diuiſum ſeu diſtinctum à quolibet alio eiuſdem ſpeciei: ſed hæc ratio oritur ex alio principio priori, quod ex pluribus integratur cõditionibus: ſeptem namque eſſe vniuſcuiuſque materialis ſubſtantiæ, teſtatur Porphirius cap. de ſpecie. *Forma, ſcilicet, figura, locus, tempus, cum nomine ſanguis: patria ſunt ſeptem quæ non habet vnus & alter.* Per quas deſcribitur materia ſignata ex qua prouenit in vnoquoque indiuiduo hæc indiuidualis ratio potius quam alia: ergo. Tertio: nam aut huiuſmodi hæcceitas eſt modus realis ex natura rei diſtinctus à compoſito, & à materia & forma: aut eſt idem formaliter cum illis, ſi cut rationale eſt idem cum homine & animali; vtroque enim modo prima ſententia videtur intelligi ac deffendi à ſuis authoribus. A quibuſdam enim Scotiſtis in primo: à Fonſeca vero, & alijs in ſecundo ſenſu defenſatur: ſed neutro modo poteſt congruenter ſuſtineri hæcceitatem eſſe principium primum indiuiduationis: ergo. Non quidem primo. Tum, quia primum diſtinctiuum ac conſtitutiuũ indiuidui debet eſſe eſſentiale ac illi intrinſecum, quod nequit verificari de illo modo qui eſt realiter diſtinctus à compoſito. Tum etiam, quoniam in vnoquoque compoſito ſunt tres entitates indiuiduæ ac ſingu-

lares,

lares, scilicet, entitas compositi, hæc materia, & hæc forma: ac per cõsequẽs sunt tres hæcceitates; quarũ nulla potest distingui â subiecto, cuius est modus. Quod patet discurrendo per singulas: materia enim per se ipsam est hæc: alias haberet actum aliquem formalem sibi necessariũ, & perse annexum: & consequenter nõ esset pura potentia, expers omnis phisicæ actualitatis: cuius oppositum superius determinauimus. Rursus, si hæcceitas animæ Petri, v. g. esset distincta ab ipsa anima & forma Petri; cum mediante illa vniatur talis forma huic materiæ, sequitur formam substantialem vniri materiæ non perse immediate: sed mediãte alia realitate ipsius formæ; cuius oppositum docet Philosophus in hoc lib. 8. tex. 16. & 2. de anima tex. 17. Denique, si hæcceitas huiusmodi compositi, v. g. Petri esset realitas distincta à realitate ipsius; non esset vnum perse, neque per suam entitatem prout præuenit omnem modum, & realitatem superuenientem, esset singulare & indiuiduum: quod est falsum: ergo. Quod autem nec in secundo sensu possit hæc sententia defensari, probatur: quia ex dictis constat primum principiũ indiuiduationis appellari illud, quod est primum distinctiuum indiuidui in compositione phisica, in qua fundatur compositio Methaphisica: sed primum distinctiuum illius in phisica compositione non est hæcceitas, sed materia signata, vt statim ostendemus: ergo. Dico secundo in materia signata ne dum signum sed etiam verum principium indiuiduationis secundum se, est constituendũ à quo forma substantialis est excludenda. Hæc assertio statuitur aduersus authores secundæ sententiæ, quos Antithomistas potius quã Thomistas dicimus fore nuncupandos. Et probatur prima pars: nam Aristoteles & D. Thom. in locis prælegatis verum principium indiuiduationis, & non solum quoad nos; seu signum duntaxat indiuiduationis intendunt nobis tradere: sicut & in alijs locis vbi de rerum principijs, naturis & essentijs disputant ex professo, non solum effectus, proprietates, ac signa, sed vera rerum principia, naturas & essentias tradunt: at in nullo alio quam in materia signata principium indiuiduationis assignant: ergo sentiunt in illa tale principium consistere. Confirmatur dupliciter. Primo quia in eisdem locis D. Thom distinguit inter principium indiuiduationis secundum se, & signa indiuiduationis: dicit namque reliqua accidentia materialia esse effectum, & signum numericæ vnitatis: Ex quibus Porphirius à posteriori indiuiduum diffiniuit, dicens, esse illud cuius collectio proprietatum in alio non est dabilis: materiam vero sub quantitate à Philosopho constitui, & assignari pro vero principio indiuiduationis: ergo. Secundo: nam specialiter 1. p. q. 50. art. 4. probat naturas Angelicas carere principio indiuiduationis: & multiplicitate indiuiduali; quia carent materia signata quæ est principium indiuiduationis. Vnde sub infert quod Angeli etiam si componerẽtur ex materia aliqua spirituali, adhuc defectu quantitatis non multiplicarentur numero; quia à quantitate prouenit distinctio numeralis: sed hæc ratio inefficax esset, nisi supponeret principium indiuiduationis secundum se esse materiam signatam quantitate: non enim defectus multiplicationis indiuidualis colligerẽtur infalibiliter ex defectu signi & effectus; nisi ex defectu veri principij & causæ illius: ergo. Secunda pars probatur primo nam sicut Aristoteles & D. Thom. in prælegatis locis constituunt verum ac radicale principium indiuiduationis in materia signata: ita solum materiam signatam constituunt pro vero & radicali principio indiuiduationis: ergo excludunt formam substantialem â ratione principij indiuiduationis. Secundo: nam sola materia signata est principium numeralis multiplicationis: per illius namque solius defectum Angelicæ naturæ nequeunt numero multiplicari; & illa sola est, quæ est primum principium singulare, proprium indiuidui atque incommunicabile: sed principium indiuiduationis debet esse illud, quod est radix numericæ distinctionis, quod perse primo est proprium indiuidui atque incommunicabile: ergo. Maior patet: nã forma aut summitur secundũ se: & sic est communis pluribus indiuiduis, vtpote cum sit speciei distinctiua: aut vt hæc: & sic præsuponit materiam hanc: est enim hæc, quia recipitur in materia tali sub tali quantitate, vt statim ostendemus: ergo.

3 Dico tertio aduersus authores tertiæ sententiæ: adequatum principium indiuiduationis substantiæ materialis, non integratur ex forma, & alijs causis extrinsicis: sed in hac materia quantitate signata consummatur. Probatur hæc conclusio primo destruendo per singulas partes vtrunque modum defendendi tertiam sententiam. Primus namque modus defficit quatenus ponit ex materia & forma secundum rationes specificas integrari principium intrinsecũ indiuiduationis. Eo quod principium huiusmodi debet esse proprium singulare, & incommunicabile, vtpote à quo prima substantia habet esse distinctum ab alijs eiusdem speciei proprium & alijs incommunicabile. & quia principium dif-

Reicitur opinio Suarijde principio indiuiduationis.

diſtinguendi nequit eſſe principium conueniendi. Secundus vero deficit ſimul atque primus in eo quod ponit ex cauſis extrinſicis conſtari huiuſmodi indiuiduationis principium: nã tale principium, proprium & incommunicabile debet eſſe: eadem autẽ cauſa efficiens, & finalis poſſunt diuerſis actionibus cauſare plures effectus eiuſdem ſpeciei: ac proinde plura indiuidua in eodem generãte & fine communicari. Actio vero, quod ſit hæc numero ab alijs conditincta non habet ab agente & fine; ſed aliunde, ſcilicet ex circunſtantijs loci, & temporis; & ex eo quod in tali recipitur ſubiecto. Rurſus principiũ indiuiduationis de quo eſt controuerſia tantum ſuponit pro radice, & fundamẽto hæcceitatis, ac proinde debet eſſe quid intrinſecum conſtitutioni ipſius indiuidui: agens vero, finis & actio ſunt omnino extra indiuidui conſtitutionem: ergo. Denique: nam indiuiduum licet dependeat ab agente vniuoco quantum ad fieri: non tamen dependet ab illo in eſſe & conſeruari; ſed principium indiuiduationis eſt illud â quo intrinſice pendet vnitas numerica indiuidui: ergo licet cauſa efficiens viuoca concurrat effectiue ad vnitatem, & indiuiduationem indiuidui effecti, quantum ad fieri: non tamen ad indiuiduationem eius in facto eſſe: ac proinde non erit principium indiuiduationis. Ex ijs ſequitur etiam ſententiam Suarij in duobus vltimis dictis eodem defectu laborare: in illis nãque ab alijs Authoribus eiuſdem tertiæ ſententiæ non diſcriminatur. Cæterum in primo dicto verum dicit & nobiſcum in ſecunda concluſione ſentit. Secundo principaliter oſtenditur noſtra concluſio. Et probatur ſolam materiam ſignatam, ideſt, materiã ſignatam, & non formam, aut cauſas extrinſecas eſſe principium indiuiduationis, ratione deſumpta ex D. Thom opuſculo 29. prælle gato. Idem eſt principium indiuiduationis atque multiplicationis indiuidualis ſed ſola materia ſignata eſt principium multiplicationis huiuſcemodi: ergo & indiuiduationis. Minor patet: nam defectu ſolius materiæ ſignatæ in ſubſtantijs ſpiritualibus deficit multiplicatio indiuiduorum intra eandem ſpeciem. Hanc rationem eneruare cõnatur Suarez vbi ſupra ſec. 3. dicens, formam eſſe principium diſtinguendi, ac multiplicandi indiuidua, potius quam materiam, eo quod proprius actus formæ eſt diſtinguere: vt tradit idem D. Tho. 2. contra gentes cap. 40. ſed huic obiectioni ſatisfacimus dupliciter primo, quod D. Thom. loquitur de actu diſtinguendi formaliter, & ſpecifice: hic enim prouenit à forma: cum quo ſtat actum materialis, ac numericæ diſtinctionis â materia prouenire. Secundo, quod D. Thom. loquitur de principio vniuerſali diſtinguendi abſolute partes vniuerſi: & cũ in vniuerſo aliquæ creaturæ habeant materiam cuius aliæ ſunt expertes, in omnibus tamen eſt forma, aut vt pars formalis, aut vt totalis natura: propterea iure optimo munus diſtinguendi attribuitur formæ. Tum quia ipſa eſt generale principium diſtinctionis in omnibus creaturis. Tum etiam, quoniam per ipſam partes ad vniuerſi integritatem perfe pertinentes, ſcilicet, genera & ſpecies diſtinguntur: per materiam autem ſola indiuidua per accidens intenta. Hoc eſt ad ſpecierum conſeruationem, habent diſtingui. Vnde manet ratio Doctoris Sancti in concuſa. Tertio probatur alia ratione deſumpta ex eodem opuſculo Angelici Doctoris. Indiuiduum intrinſice habet eſſe indiuiſſum in ſe & diuiſſum â quolibet alio: ſed vtranque rationem habet â materia ſignata: ergo. Maior eſt diffinitio, & minor probatur: quia per incommunicabilitatem fit natura ſine forma cuiuslibet indiuidui indiuiſſa in ſe, & diuiſſa hoc eſt diſtincta ab alijs: ſed hæc incommunicabilitas prouenit à materia ſignata: per hanc enim fit humanitas ſiue forma Petri, v.g. & ſimiliter Pauli, alteri homini incommunicabilis: ergo materia ſignata eſt principium indiuiſionis in ſe, & diuiſionis ab alijs. Ex qua duplici ratione integratur diffinitio ſiue conceptus indiuidui. Huic rationi obijcit Suarez dicens, argumentum vitio æquiuocationis laborare: eo quod aliter accipit incommunicabilitatem in maiori, & aliter in minori: etenim in maiori incõmunicabilitas accipitur pro illa incommunicabilitate per quã aliquid eſt incommunicabile ſecundũ prædicationem, & ſecundum receptionem; hæc enim incommunicabilitas eſt de ratione indiuidui: at in minori incõmunicabilitas accipitur pro incommunicabilitate materiæ de cuius ratione tantũ eſt vt in nullo alio ſubiecto ſit receptibilis. Neque propterea eſt incommunicabilis ſecundum prædicationem, ſiquidẽ eſt prædicabilis de hac & de illa materia, neque ſecundum receptionem pluriũ formarum: eadem enim materia poteſt ſub pluribus formis eſſe ſucceſſiue. Sed hęc obiectio non obſtat: quia eadem incommunicabilitas quæ formaliter conuenit indiuiduo, eam ſaltem conuenit materiæ: eadem enim materia conſtituit indiuiduum incommunicabile ſecundum prædicationem & receptionem, ita quod cauſa quare natura humana eſt hæc in Petro, non eſt alia niſi quia eius forma recipitur in hac numero materia ſingulari, &

ſignata

ſignata. Vnde manet argumentum inconcuſum. Quod comprobatur ex eodem Sancto Doctore 1. p. q. 3. art. 2. ad tertium. Vbi hoc conſtituit diſcrimẽ inter formam & materiam: quod licet vtraque ſit pars intrinſeca, & eſſentialis cõpoſiti ſubſtantialis: tamẽ forma indiuiduatur per materiã & non è contra: eo quod forma quantũ eſt de ſe recipi poteſt in pluribus niſi ab aliquo alio impediatur. Cæterum materia non poteſt eſſe in alio cũ ſit primũ ſubiectũ ſubſtans. Ex quo infert illam formam quæ nequit recipi in materia, ſed eſt perſe ſubſiſtens ex hoc ipſo indiuiduari quod nequit recipi in alia. Quo pacto Deꝰ & intelligentiæ ſeipſis habent ſuam ſingularitatem. In qua ſolutione non intendit D. Tho. aſignare eundem modum incommunicabilitatis materiæ, & indiuiduationis formæ: ſed ſolum vult indiuiduationem formæ atque primæ ſubſtantiæ materialis radicari in materiæ irreceptibilitate. Ex hoc enim, quod materia eſt primum ſubiectum in alio irreceptibile ſequitur ipſam in ſe habere principiũ ſuæ ſingularitatis, ita vt nequeat eſſe vniuerſalis aut communis pluribus per prædicationem niſi per habitudinem & analogiam ad formam, ex qua etiam habet quod ſit ſcibilis, vt ſupra docuimus. Et quia primũ in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum, propterea D. Tho. atribuit materiæ munus indiuiduandi potius quam formæ, quæ de ſe potius abſtrahit à materia, & habet principium ſuæ communitatis, ſolumque fit ſingularis per aſociationem talis materiæ. Quarto probatur ratione alia eiuſdem Sancti Doctoris, quæ ſic habet. Indiuiduum ſubſtantiæ eſt primum ſubiectum in Methaphiſica coordinatione: ergo. Debet ſumi ab eo quod eſt primum ſubiectũ phiſicæ compoſitionis, quod eſt materia prima tunc vltra: non â materia prima nude ſumpta: ergo à materia ſignata. Conſequentia prima probatur: quia compoſitio phiſica eſt radix ac fundamentum compoſitionis methaphiſicæ, ac prædicatorum illius, & ex alio capite inter cauſam & effectum debet eſſe proportio: ergo primũ ſubiectũ methaphiſicæ compoſitionis, quod eſt in diuiduum debet ſumi â primo ſubiecto phiſicæ compoſitionis, quod eſt materia prima in ipſoque radicari, ad modum, quo differentia quæ eſt principium formale methaphiſicæ compoſitionis, radicatur in forma quæ eſt principium phiſicæ compoſitionis. Contra hanc rationem inſurgit dicens inualidã eſſe; ex eo quod magna diſparitas inter vnũ & aliud ſubiectum eſt in duobus. Primum enim ſubiectum methaphiſicæ compoſitionis perfectius, vel ſaltem non eſt imperfectius prædicatis ſuperioribus, quia actu & intrinſece includit illa: materia autem prima quæ eſt primum ſubiectum phiſicæ compoſitionis eſt imperfectior formis receptis in ipſa. Rurſus primum ſubiectum methaphiſicæ cõpoſitionis latius patet quã materia prima: Reperitur enim in ſubſtantijs ſeparatis, quæ materiæ ſunt expertes: ac proinde nequit adequate in illa fundari aut radicari. Sed noſtra ratio facile ab hac obiectione vindicatur: ſi dicamus, quod licet huiuſmodi ſubiecta prima, ſcilicet indiuiduũ, & materia prima ſint diuerſæ rationis & gaudeant diſtinctis conditionibus, nihilominus vnum in altero fundari atque radicari: eſt enim materia prima fundamentum & radix indiuiduationis ipſius indiuidui, in genere cauſæ equiuocæ, quæ non debet cum effectu vniuoce conuenire. In ſuper neque omnino verũ habet diſcrimẽ duplex, quod præddictus aſsignat author. Non primum, quia licet primũ ſubiectum methaphiſicæ compoſitionis, ideſt, indiuiduum adequate & ſecundum completã rationem ſumptum ſit perfectius prædicatis ſuperioribus, quo pacto Petrus quid perfectius dicit, ſi adequate & complete ſumatur, quam hoc animal, & hoc viuens: tamen ſi ſumatur præciſſe ſecundum rationem differentialem indiuidui ſpecificæ, ac genericæ ſuper additam, quid imperfectius eſt alijs prædicatis: qua ratione hecceitas Petri imperfectior eſt vt ſic formaliter eius rationalitate, & animalitate. Non ſecundum, quia conſequenter dicendũ eſt iuxta ſententiã Angelici Doctoris vt ipſe Suarez ibid. §. 3. fatetur in ſubſtãtijs ſpiritualibus nõ eſſe propriũ indiuiduationis principiũ nec ſaluari differentiã individualẽ: ſed ſolũ naturã de ſe incõmunicabilem. Vltima ratio qua vtitur S. Doctor ſic habet. Principiũ indiuiduationis eſt illud per quod indiuiduũ habet quod ſit indiuiſum in ſe & diuiſum â quolibet alio: ſed hoc habet à materia ſignata quãtitate, & nõ à forma: ergo. Minor probatur: quia forma habet eſſe hãc numero à materia, & materia fit hæc numero à quãtitate: eo quod quãtitas eſt primũ principium diuiſionis materialis, vt teſtatur Ariſt. 1. phiſic. tex. 15. qui ait ſubſtantiã remanere indiuiſibilẽ dempta quãtitate: quare ſicut differẽtia prouenies à forma eſt formalis & ſecundũ gradus formales; ſic diſtinctio materialis debet à materia prouenire & cũ nõ poſsit prouenire à materia nude ſumpta, quæ ſucceſsiue poteſt plures formas recipere & impluribus indiuiduis ſaluari, reſtat quod proueniat â materia vt ſignata. Hãc rationẽ labefactare conatur prædictus author: ex eo quod principiũ indiuiduationis debet eſſe illud quod inter eſſentialia ſeu intrinſeca prædicata eſt magis propriũ indiuiduũ:

forma autē eſt magis propria quā materia: ergo à forma potius quā à materia debet indiuiduatio prouenire. Probat minorē: quia inuariata manēte forma indiuidui, v.g. Petri: etiā ſi paulatim varietur tota eius materia manet idem Petrus: quod nō contingeret ſi forma variaretur etiam inuariata manente materia. Sed ad hanc obiectionem neganda eſt maior. Vel diſtinguenda: non enim principium indiuiduationis debet eſſe illud quod eſt magis proprium inter intrinſeca principia quomodolibet, ſed illud quod inter materialia principia intrinſeca eſt magis proprium, & intrinſecū, & huiuſmodi eſt materia. Vnde quia indiuiduatio eſt effectus materialis veluti actus materiæ, à materia & nō à forma debet prouenire. Sed adhuc aduerſus prædictas cōcluſiones quædā militāt argumēta.

4 Arguitur namque primo aduerſus primam, ſola hecceitas, ideſt indiuidualis differentia eſt principium primum conſtitutiuum, & diſtinctiuum indiuidui: ergo ſola illa eſt principium indiuiduationis. Antecedens probatur multiplicetur primo: nā primum principium diſtinctiuum indiuidui ſe toto debet eſſe incommunicabile ex ſe & ſimplex. Hæ enim ſunt conditiones vltimi diſtinctiui in quolibet genere: ſed ſola hecceitas eſt perſe incommunicabilis, & ſimplex etenim hæc materia, v. g. Petri eſt cōmunicabilis, & eſt cōpoſita Methaphiſicæ ex ratione communi, & ſingulari huius materia: ſimiliter & hæc forma, atq; hic homo qui ex hominis ratione ſpecifica, & indiuiduali huius cōponitur: ergo. Secūdo principiū indiuiduationis debet eſſe perſe primo & ſecundum ſe totum ſingulare; ſola hecceitas eſt ſingularis & incommunicabilis: in alijs vt vidimus includitur aliqua ratio cōmunis: ergo. Tertio ſicut differētia ſpecifica, quia Methaphiſice conſtituit ſpeciem eſt principium formale in quod reſoluitur ſpecies: ita hecceitas quæ ſe habet ex additione ad ſpeciē, & Methaphiſice cōſtituit indiuiduū erit principiū materiale in quod indiuiduū reſoluatur. Cōfirmatur prima ſubſtātia perſe ipſam eſt indiuidua: ſed hoc eſt indiuiduari ipſam, per ſolā hecceitatē ſeu indiuidualē differentiā cū qua realiter idētificatur: ergo. Maior probatur ex duplici teſtimonio Angelici Doctoris: quorū primum eſt illud præallegatū ex 1.p.q.3.ar.2. ad 3. vbi docet formas irreceptibiles in materia à ſeipſis indiuiduari ideſt ex hoc ipſo quod in materia recipi nō poſſunt: ſed 1. ſubſtātia materialis nequit in alio ſubiecto recipi: igitur perſe ipſam indiuidua. Secundū habetur ibidē, q.29. ar.1. vbi aſsignās diſcrimē inter primas ſubſtātias, & accidētia ait hæc à ſubiecto indiuiduari, ideſt per aliud: illas vero perſe & non per aliud eſſe indiuiduas: ergo. Reſpondetur ad hoc argumentū negando antecedens. Ad probationes illius dico ſolū cōuincere quod hecceitas ſit primū principiū indiuiduationis ſecundūquid, ideſt ſecūdū Methaphiſica lē cōpoſitionē competunt illæ conditiones: at primū principiū radicale & fundamentale debet eſſe extremū phiſicæ cōpoſitionis, quæ realis eſt & fundamentum compoſitionis methaphiſicæ: vnde tale principiū vt ſit primum ſatis eſt, quod incōmunicabile, ſimplex & ſingulare ſecundū rem, licet Methaphiſicā cōpoſitionē admittat. Hæc enim non obſtat ſimplicitati & incōmunicabilitati phiſicæ: quo pacto materia & forma ſunt prima principia phiſica cōpoſiti naturalis non obſtante, quod componantur Methaphiſice ex ratione communi naturæ, & particulari talis naturæ. Ad cōfirmationē negatur maior. Ad primū teſtimoniū Doctoris Sācti dicendum eſt, quod ex illo ſolū licet colligere primas ſubſtantias indiuiduari per aliquid ſui, ſcilicet per materiā ſignatā. Ratione cuius ſunt irreceptibiles in ſubiecto. Ad ſecundū quod ſolū in eo intendit D. Th. hoc diſcrimē aſsignare inter accidentia & primas ſubſtantias: quod illa per aliquid alterius generis: hæc uero per aliquid ſui generis & ipſis intrinſecū indiuiduentur. Vnde poteſt diſtingui maior in hunc modū: prima ſubſtantia eſt indiuidua perſe ipſam quatenus dictio *perſe* dicit excluſionē extranei principij indiuiduantis, & ordinis ad id, quod eſt extranei generis, cōcedo maiorē: quatenus dicit excluſionē principij phiſicæ cōpoſitionis, nego maiorē: ſic enim prima ſubſtantia indiuiduatur per aliud: ſcilicet materiā: ſed nō ſicut accidēs: hoc enim indiuiduatur per extrinſecum ſubiectū quod eſt extra eius cōſtitutionē: illa vero indiuiduatur per materiā quā intrinſice includit vt partē ſubſtantialē & eſſentialē ſuæ conſtitutionis. Secūdo arguitur aduerſus ſecūdā: nā principiū diſtinctiuū debet eſſe intrinſecū: eo quod teſte D. Th. 1.p.q.40. ar.2. eſſentialis diſtinctio prouenit ab aliquo intrinſeco: & propterea infert diuinarū perſonarū diſtinctionē fieri per relationes ſubſiſtētes quibus perſonæ conſtituuntur; ſed ſola materia & forma ſunt partes intrinſicæ ex quibus indiuiduū cōſtituitur: ergo ab ipſis dū taxat debet prouenire numerica diſtinctio & nō à quantitate quæ eſt accidēs extra genus ſubſtantiæ: ac proinde non â materia per quantitatem. Ad hoc argumentum articulo ſequenti dicetur ex profeſſo, nunc autem negamus minorem, eo quod etiam materia ſignata intrinſice pertinet ad indiuidui ſubſtantialis conſtitutionem. Tertiò

argui-

arguitur contra tertiam: nam materia signata non est adequatum principium numericæ distinctionis: ergò neque indiuiduationis. Antecedens probatur dupliciter. Primò, quia diuinæ personæ, cum sint in eadem natura solo numero distinguntur, vel quasi numero: sunt enim plures realiter distinctæ, & non pluralitate specifica: igitur pluralitate numerica: & tamen carent materia signata: ergo. Secundò, in Angelica natura eiusdē speciei potest esse numerica pluralitas, ac distinctio, quæ tamen caret materia signata: ergo. Quod si dicas in doctrina sancti Doctoris non posse plures Angelos solo numero distinctos reperiri: eo quod carent materia quæ est principium numeralis distinctionis: ac proinde se ipsa natura Angelica specifica, est vna numero. Contra: nam materia signata vt sic, & quantitas se ipsis indiuiduantur: & hoc nō obstante plurificantur numero: dantur enim plures portiones materiæ signatæ, & plures quantitates eiusdem speciei: ergo non obstāte, quod Angelica natura se ipsa indiuiduetur; poterit numero in pluribus indiuiduis multiplicari.

Respondetur nagando antecedens: ad primam probationem dico distinctionem diuinarum personarum, neque esse numericam, neque specificam, sed alterius ordinis præhabentem eminenter conditionem numericæ, ac specificæ distinctionis, seclusis in perfectionibus cum quibus numerica, & formalis distinctio in creaturis reperiuntur. Ad secundam substinenda est solutio ibi assignata. Ad cuius in probationem negatur cōsequentia: eo quod natura Angelica, ita se ipsa indiuiduatur, vt nulla principia indiuiduantia preter specifica includat: quę tamen includit materia signata: qua propter illi, & non huic repugnat multiplicatio indiuiduorum: ob eandemque rationem quantitas potest numerice multiplicari, quia in se est materialis, & principiū diuisionis, sicut & extensionis sui, & aliorum. Quarto arguitur: nam sicut hæc forma habet, quod sit hæc penes ordinem ad hanc materiam, ita hæc materia habet suam hecceitatem penes ordinem ad hanc formā: ergo indiuiduatio non à sola materia, sed etiā â forma desumitur. Antecedens probatur, primo, quia forma est magis distinctiua, quam materia, eo quod stante vnitate specifica materiæ, horum coruptibilium saluantur plures species, imò & plura genera formarū, quod indicat maiorem distinctionem in formis, quam in materia reperitur; ac proinde magis aptū principium distinctionis esse formam, quam materiam. Secūdo, quia teste D. Tho. 1. p. q. 76. art. 7. ad 2. homo est vnus positiue ratione vnius formæ, quod etiam habet verum in homine singulari: eo quod positiua vnitas non à materia, sed à forma prouenit: est enim materia vna dū taxat negatiuè, quatenus non includit formas secundum se, quæ ipsam diuersificent: ergo. Tertiò probatur, exemplo Caietani 3. p. q. 6. art. 3. de homine, qui fuit genitus, & nutritus ex carnibus aliorum hominum, per varias transmutationes mutatis: illis enim resurgentibus cūm suis materijs, dabitur animæ huius hominis alia portio materiæ distincta ab antiqua, quæ fuit aliorum hominum: fietq; tunc noua ista portio, hęc, per ordinem ad hanc animam: ergo. Respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem, dico formam esse magis distinctiuam distinctione formali, quam materiam: secus distinctione materiali, & numerica. Ad secundam, quod D. Thom. loquitur de vnitate non indiuiduali, quam habet homo ratione materiæ, sed de specifica, quam habet ratione formę. Subdit autem materiam esse vnam vnitate negatiua, quia eius vnitas licet in se sit positiua, tamen est imperfecta, & desumpta ex habitudine ad formas quarū est susceptiua, & per quas est cognoscibilis, ac difinibilis. Ad tertiam dico, materiā illius hominis, tunc infieri & occasionaliter fore hanc, per ordinem ad hanc animam: quæ erit occasio producendi nouam illam portionem materiæ: quę cum antiqua eadem numero formaliter seu moraliter reputabitur. Sed quantum ad esse, & secundum se indiuiduabitur ex sua particulari signatione: anima verò potius est hæc ex ordine ad hanc materiam formaliter sumptam; prout abstrahit à noua & antiqua succedentibus sub eadem forma, situ & figura: nisi mauis dicere animam esse hanc per ordinem ad materiam primeuam, quam â principio informauit: cui per accidens alia noua distincta in resurrectione succedet.

ARTICVLVS II.

An materia signata sit illa, quæ actu sub est quantitati.

Varismo dis explicatur materia signata.

5 SVposito iam primas substantias per materiam signatam indiuiduari, restat explicemus, quid nomine materiæ signatæ accipiendum veniat. In cuius declaratione Thomistæ, qui in primo conueniunt, in quatuor modos dicendi diuiduntur. Primus, est Capreoli, Ferrariensis, & Soncinatis vbi supra asserentium materiam signatam conflari ex duobus, nimirum ex materia, & formali quantitate, quas actu includit: illam quidem vt tribuat indiui-

diuiduo indiuiſionem in ſe, hanc vero, vt eidem conferat diuiſionem à quolibet alio: ex illaque, vt ex primaria, ex hac autem, vt ex ſecundaria ſeu minus principali ratione materia ſignata integratur. Quæ ſuadetur triplici ter. Primò, ex D. Tho. 1.p. q.50. ar.2. ad 4. & 3.p q.77. ar.2. aſſerente indiuiſionem à materia, diuiſionem verò numericam ſumi a quantitate. Secundò, quia materia eſt primũ principium incommunicabilitatis, ſiue indiuiſionis: quantitas vero eſt primum principium diuiſionis: ergò vna quæque præſtat ſuum effectum. Tertiò, quia ſi aliquid obſtaret huic poſitioni, eſſet accidentalitas illius agregati: ſed hanc non obitare patet: nam licèt includat res diuerſorum prædicamentorum, includit tamen illas perſe, & ordine quodam, materiam quidem, vt potentiam quantitatem vero, vt actum: ac proinde poteſt ex eis conflari vnum perſe, quod ſit principium indiuiduationis ſubſtantialis. Secundus eſt Caietani, cap. citato de ente, & eſſentia, Tauelli 5. huius, quæſt. 15. & Bañelij, 1.p. quæſt. 3. art. 3. aſſerentium materiam ſignatam eſſe ſolã materiam primam, cum ordine tranſcendentali ad illam quantitatem, quam agens naturale hic, & nunc ex vi talis actionis debet huic indiuiduo communicare. Quorum fundamentum eſt, quia materia ſignata debet eſſe, quid ſimplex & perſe, ac per conſequens nequit eſſe agregatum per accidens includens actu quantitatem: & alias illam debet aliquo modo includere: dicendum eſt igitur, quod eſt materia cum ordine, & habitudine ad quantitatem extrinſice connotatam; eo quod nequit materia quantitatem importare, niſi vno ex his duobus modis, nempè, aut per formalem inclusionem, aut per connotationem, ſiuè vt extrinſicum terminum ſuæ habitudinis. Cum igitur materia ſignata nequeat, primo modo quantitatem includere, includit illam ſecundo modo. Neque obſtat (inquit Iauellus) obiectio qua motus Caietanus retractauit hanc ſententiam, ſcilicèt, quia hic ordo eſt eiuſdem generis, cum quantitate, cum ſit ordo potentiæ; potentia autem & actus ſunt eiuſdem generis, &c. Quod probat, quoniam potentia reſpiciens duos actus ordine quodam, debet eſſe eiuſdem generis cum primario, & non cum ſecundario: igitur cum materia reſpiciat formam ſubſtantialem, vt terminum primarium, & quantitatem, vt terminum ſecundarium, erit eiuſdem generis, cum illa: ſed non cum iſta. Eodem argumento conuincitur Suarius vbiſupra, ſect. 3. §. 2. *expoſitio*, quod prima ſententia Caietani, quam tenuit ſecundo, de ente, & eſſentia, quæſtion. 4. ſequutique fuere Ægidius, quodlibeto 2. quæſtiun. 5. artic. 1. & Iauellus vbiſupra nullatenus diſtinguitur à ſecunda. Manifeſtamque admiſiſſe Caietanum repugnantiam dum illas diſtinxit, in ſecunda enim admittit ordinem materiæ, ad quantitatem eſſe de genere ſubſtantiæ, in prima autem docuerat hunc ordinem eſſe debere de genere quãtitatis, quia actus, & potentia ſunt eiuſdem generis. Quod amplius confirmatur duobus argumentis, quæ 3. & 4. loco ponuntur infra. tertius modus eſt Bañeſij, 1. de generatione, cap. 9. quæſtion. 3. art. 8. & Flandriæ 7. huius, quæſtion. 22. artic. 2. 3. & 5. aſſerentium per materiam ſignatam intelligi debere agregatum ex materia, vt ex principali principio, & ex quantitate formali; tanquam ex conditione, & complemento requiſito principij indiuiduationis. Fundamentum huius ſententiæ eſt duplex: primum ſumitur ab exemplis inquibus experimur effectum ſubſtantialem ab aliquo accidente, vt à conditione pendere; ſic enim ſubſtantialis forma geniti in primo inſtanti generationis dependet à materia diſpoſita, à materia quidem, vt a principali receptiuo, & à diſpoſitionibus accidentalibus, vt a conditione, & complemento ſubiecti receptiui: nequit enim forma in materiam indiſpoſitam naturaliter introduci, aut illam informare, ſimiliter entia ſubſtantialia in ſuis vnitatibus complentur per negationem diuiſionis, quæ licèt ſit ens rationis complet tamen entitatem ſubſtantialem in eſſe vnius, & in ratione agentis radicalis conſtituitur cauſa ſecunda v. g. homo, equus, & ignis per formam ſubſtantialẽ, tanquam per rationem formalẽ, dependenter tamen ab actu exiſtendi tanquã à conditione, & cõplemento. Secundum eſt, quia ſecundũ philoſophũ, ac Doctorẽ Angelicum principiũ indiuiduationis, quod importatur nomine materiæ ſignatæ, eſt materia cum quantitate formali: ſed nõ cũ quantitate intrinſice inclusa, vt aſſerebat prima opinio, neq; cum quantitate radicali, vt aſſerit Caiet. quia radicalis quantitas nõ ponit in numero cum materia abſolute conſiderata: ergo cũ quantitate inclusa ad inſtar conditionis, & complementi principij indiuiduationis. Quartus, & vltimus modus eſt, quem docuit Caietanus ſe ipſo Doctior. 1.p. q.29. art.1. aſſerens materiam ſignatam nihil aliud eſſe, quam materiam ipſam radicaliter prehabentem quantitatem, quod neq; eſt materia actu includens formalẽ quantitatem, neque materia cum ordine, & habitudine potentiæ ad quantitatem, neque ſola materia abſolute conſiderata: ſed eſt materia quatenus fundamentum, & radix quantitatis, & prout apta nata recipere hanc quantitatem

ad

ad quam hic & nunc ex vi huius actionis ab agente naturali præparatur: & licet ratio radicis & fundamenti quantitatis non ponat innumero cum ipſa entitate materiæ abſolute ſumpta, habet tamen ſe ex additione ad illam ſecundum rationem: eo quod ſuper addit ei abſolute conſideratæ habitudinem radicis, ſecundum quam conſideratur vt radix continens quantitatem: veluti eſſentia hominis, vt præhabet ſuas paſsiones eſt principium illarum, & corpus de prædicamento ſubſtantiæ eſt ſubſtantia corporea, non qualiter quantitas trinæ dimenſionis, ſed prout principium dimanationis illius: ita materia ſignata non eſt talis ſub quocumque conceptu ac ratione, niſi prout radicaliter præhabet quantitatem, & quatenus eſt id ex quo apta nata eſt ſequi trina dimenſio. Hæc ſententia ſuadetur tripliciter. Primo ex proportione quæ inter effectum, & cauſam debet reperiri: ſed innumerica diſtinctione ſubſtantiali præhabetur radicaliter diſtinctio quantitatiua: ergo in cauſa, & principio illius diſtinctionis debet præhaberi principium formale iſtius, quod eſt quantitas: ac proinde materia vt præhabens radicaliter hanc quantitatem eſt principium radicale indiuiduationis. Secundo, quia in illo priori naturæ in quo materia intelligitur recipere formam ſubſtantialem, antequam intelligatur recipere formalem quantitatem, & alia accidentia, eſt vere principium indiuiduationis compoſiti ſubſtantialis, quod tunc iam exiſtit in rerum natura, & vt præintellectum omnibus accidentibus terminat ſingularem hanc generationem ex vi cuius accipit ſuum eſſe ſingulare, ac proinde pro illo priori debet eſſe principium indiuiduationis, à quo fiat hoc compoſitum, ſingulare: ſed in illo priori nondum intelligitur habere formalem quantitatem, quæ ſequitur in alio ſigno rationis, ad primarium terminum generationis: igitur ſola materia prima, vt præhabens radicaliter quantitatem eſt principium indiuiduationis hæc enim eſt quæ pro illo priori intelligitur compoſito genito conuenire. Tertia, quia in hoc modo dicendi optime ſaluatur illud vulgare axioma, ex ſenibus habitum, & experientia compertum, ſcilicet, quod quantitas eſt principium numeralis diſtinctionis, de cuius ratione eſt perſe primo eſſe principium diſtinguendi materialiter: ac perconſequens vt ratione illius cætera diſtinguantur; hæc enim eſt conditio cuiuslibet prædicati, vt principij, quod eſt tale per ſe primo, quod ratione illius cætera ſint talia, vt tradit D. Thom. primo, poſterio, cū Philoſopho cap. 5. nam materia prima radicaliter præhabet quantitatem: ergo poterit exequi effectum proprium quantitatis & illi perſe primo conuenientem, & conſequenter poterit præſtare talem diſtinctionem. Patet conſequentia, nam tribus modis contingit aliquid participare naturam, & virtutem illius, cui conuenit aliquis effectus perſe primo vel formaliter, vt ſubiectum participat formam, vel virtualiter, vt effectus participat virtutem, & perfectionem ſuæ cauſæ, & ipſa quoque cauſa virtualiter participat naturam effectus, quē virtualiter præhabet, ſed participantia naturā alicuius cauſæ primo, & ſecūdo modo poſſunt in effectum illius: ergo â fortiori participātia naturam, & virtutē cauſæ tertio modo, ideſt, præhabendo illam; poterunt in effectum eius, cum magis ſit præhabere, quam præciſe participare; & ideo cum materia præhabeat quantitatem poterit præhabere diſtinctionē, quæ eſt effectus quantitati perſe primo conueniens. Minor conſtat ex Philoſopho primo poſterio. Vbi ſupra aſſerenti omnem effectū perſe primo conuenientem alicui cauſæ ab eadem in ſe, vel in ſuis participantibus fieri oportere, vt patet in vegetatiuo, & ſenſitiuo, & alijs gradibus, qui ſunt effectus formales perſe primo aliquarum formarum: puta animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, aut formæ corporeæ, & poſſunt tribui modo perfectiori ab animā intellectuali illas præhabenti. His poſitis duas ſtatuo concluſiones, quibus verum dicendi modum eligendum dabo, & Caietanum à repugnantia ſibi falſo impoſita vindicabo.

Præferūtur duo poſteriores modi dicendi.

6 Reſpondeo dicendum primo ſententiam Philoſophi, ac D. Tho. de materia ſignata iuxta tertiū, & quartū dicendi modum dūtaxat poſſe, ac debere defendi. Hæc concluſio probatur primo labefactando duos priores modos dicendi: primus namque deficit à veritate, ſi loquatur de diſtinctione numerica ſubſtantiali; vt reuera videtur loqui, nam diſtinctio ſubſtantialis ex principijs ſubſtantialibus oriri debet, ſi autem loquatur de diſtinctione numerica quantitatiua, verum dicit, quod prouenit ab actuali quantitate: quia hæc cum ſit diſtinctio accidentalis, & ſolum ſignum, & effectus diſtinctionis ſubſtantialis â forma accidentali debet prouenire; ſed tunc authores illius modi nō explicarent adæquatū principiū indiuiduationis ſubſtantialis, per quā indiuiduū eſt vnū vnitate formali, & conſequenter ſolum tradidiſſent principium quoad nos, ſiue ſignum ſubſtantialis diſtinctionis, quod iā ſupra ex probatū

mus nonnullis Thomiſtis: vel ſolum explicuiſſent principium diſtinctionis numericæ, per quam ſubſtantiæ ſint numerabiles numero prædicamentali, quod fatemur eſſe ſolam quantitatem. Secundus etiam ratione ipſa Caietani conuincitur falſitatis: nimirũ, quoniam oportet habitudinem potentiæ, ad actum eſſe eiuſdem generis entis cũ actu, ideſt aut ſubſtantiæ, aut accidentis: ergo materiæ habitudo per modum porentiæ ad quãtitatem, erit accidens: tunc vltra: ſed non aliud à quantitate: ergo erit quantitas ipſa; ac proinde materia ſignata erit concretum actualis quantitatis: ſicque coincidet hic modus cum primo, quem impugnat. Si autem, illius authores accipiant nomine habitudinis, capacitatem ſubiecti, & radicis præhabẽtis radicaliter quantitatem, verus eſt, ſed nequaquam à quarto diuerſus. Quod autem iuxta tertium, aut quartum modum debeat explicari ſententia Philoſophi, ac Doctoris Angelici, patet à ſufficienti diuiſione. Non enim poteſt defendi, niſi iuxta aliquem ex quatuor modis recenſitis: equibus duo priores ſunt inſufficientes: ergo ſolum relinquũtur duo poſteriores. Quorum fundamenta ſunt efficaciora. ¶ Dico ſecũdo ſentẽtia ſecunda, quam Caietanus ſequutus fuit omnino diſtinguitur â prima, neque vllam contradictionem inuoluit. Hæc ſtatuitur aduerſus ſuarium: & ſuadetur ex eo, quod Caietanus in priori ſententia appellat materiam ſignatam illam, quæ dicit ordinem potentiæ immediate ad quantitatem terminatam: in ſecũda vero appellat materiam ſignatam, ipſam materiam per modum radicis, quæ nõ eſt ordo completus potentiæ reſpicientis immediate formã accidentalem, hoc eſt quantitatem, ſed eſt ipſa entitas materiæ vt primario reſpiciens actum formæ ſubſtantialis, & ſecundario quantitatem, à qua proinde nõ debet talis ordo ſpecificari. Vnde ſicut habitudo animæ immediate ad actum intelligendi terminata eſt alia ab habitudine ſubiecti receptiui, & principij radicalis, ac remoti ad ipſum actum intelligendi mediate terminata: illa enim eſt qualitas accidentalis, ſcilicet intellectus, hæc vero eſt ipſamet ſubſtantia animæ. Quæ perſe primo datur ad eſſe, & ſecundario ad operandum medijs potentijs; qua propter ab eſſe, & non ab operatione ſpecificatur: ita alia eſt habitudo materiæ ad formam ſubſtantialem immediate, & ad formas accidentales mediate terminata, ab illa quæ ad formas accidentales immediate terminatur: illa enim eſt entitas materiæ, prout receptiua formæ ſubſtantialis immediate, & mediate formarum accidentalium: hæc vero eſſet formalis quædam potentia paſſiua de genere accidentis. Quod conſiderans Caietanus, ne in principio indiuiduationis ſubſtantialis, aliquod accidens formale includeret, illam habitudinem prioris ſententiæ repudiauit, & hãc poſterioris appoſuit, in qua nihil de genere accidentis formaliter admiſceretur: ac proinde egregie, & abſque vlla contradictione procedit. Sed aduerſus tertium modum arguitur primo; quia principium indiuiduationis debet præcedere illam, & eſſe eiuſdem generis cum ea: quantitas autem, neque præcedit indiuiduationem ſubſtantialem, ſed potius ſupponit illam, nam quantitas Petri, v. g. ſupponit Petrum conſtitutũ, tanquam accidens ſuum ſubiectum: neque eſt eiuſdem generis, ſiquidem eſt de prædicamento accidentis: ergo non pertinet ad principium indiuiduationis ſubſtantialis. Confirmatur: nam quantitas cum ſit forma accidentalis, nequit dare Petro niſi eſſe accidentale: ergo nequit præſtare indiuiduationem, quæ eſt effectus ſubſtantialis. Dices: à quantitate, vt à conditione, licet non tanquam à ratione formali, poſſe cauſari aliquod eſſe ſubſtantiale: quemadmodum ab accidentalibus diſpoſitionibus, tanquam à conditione, & in genere cauſæ diſpoſitiuæ, dependet forma ſubſtantialis geniti, v. g. ignis. Sed contra hoc eſt ſecundo, quia, vel materia ſit ſignata per quantitatem in ipſa receptam, vel per quantitatem receptam incompoſito: nõ primo modo, quia materia per prius recipit hãc formam ſubſtantialem, quam iſtam quantitatem, quæ recipitur incompoſito, iãm conſtituto, & indiuiduato, & non immediate in ipſa materia; neque ſecundo modo propter tria; tum ob rationem aſſignatam; tum etiã, quia ſigillatio materiæ, eſt aliquis effectus exiſtens in ipſa materia, ratione cuius dicitur materia ſignata: effectus autem intrinſecus nequit communicari ſubiecto à forma non exiſtente in illo: ergo neque materia poteſt reddi ſignata per quantitatem inherentem compoſito, quam ipſa non habet. Tum denique, quod alias materia antequam eſſet quanta eſſet principium indiuiduationis: ac proinde dumtaxat per ordinem ad quantitatem eſſet ſignata, quod eſt incidere in ſecundum dicendi modum. Confirmatur: nam ſi Deus produceret hominem aliquem, aut lapidem ſine vllis accidentibus (quod Diuinæ omnipotentiæ non repugnat) proculdubio ille eſſet prima ſubſtantia, hoc aliquid, & indiuiduũ ſubſtantiæ, cuius indiuiduatio eſſet eiuſdem omnino rationis, imo eadem cum illa, quam modo habet ſub accidentibus, atque dependenter à quantitate: & tamen data hi-

7. *Satisfit argumentis contra tertium & quartum modũ dicendi.*

poteſi

potheſi talis indiuiduatio non proueniret â quantitate: ergo. Ad primum diſtinguenda eſt maior: admitendo illam de principio indiuiduationis ſubſtantialis, per modum rationis formalis. ſiue cauſæ radicalis, & principalis: negando autem illam de principio indiuiduationis per modum conditionis, quam neque opportet habere præcedentiam, nec identitatem generis cum effectu. Niſi velis dicere quantitatem præcedere formam ſubſtantialem in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ, & præcedi ab illa in genere cauſæ formalis, & ſubiecti, vt quo, ſuſtentantis. Ad cõ firmationem ſuſtinenda eſt ſolutio ibi aſſignata. Ad ſecundum quod eſt eius improbatio admiſa maiori neganda eſt minor pro ſecunda parte. Ad cuius primam probationẽ admiſo illo antecedenti, negatur conſequentia; licet enim forma ſubſtantialis, & eius informatio præcedat quantitatem prioritate naturæ, hoc non obſtat ſimultati inſtantis, in quo, quæ ſufficit ad hoc quod quantitas concurrat per modum conditionis, vel dicamus ſe inuicem præcedere formam, & quantitatem in diuerſis generibus cauſæ formalis ſiue materialis principalis; & materialis diſpoſitiuæ, vt dictum eſt. Ad ſecundam dico, quod ſicut materia eſt diſpoſita per diſpoſitiones, quas proxime recipit compoſitum, & mediate ipſa materia: ita conſtituitur in ratione ſignatæ per ſuam entitatẽ, & per quantitatem, quam proxime recipit compoſitũ, & mediate ipſa materia; ſicut enim diſpoſitio inherens compoſito diſponit materiam: ita quantitas inherens compoſito ſigillat materiam, imo illud eſt difficilius, quam illud, quia diſpoſitio ad diſponendum habet ſe vt ratio formalis: quantitas vero ad ſigillandũ, hoc eſt ad conſtituendum materiam ſignatã, habet ſe tantum vt cõditio requiſita. Ad tertiam negatur conſeqnentia, non enim materia eſt ſignata, per quantitatem, quam actu non habet, licet ei non inhereat, ſubeſt namque materia quantitati mediate, ideſt mediãte forma ſubſtantiali, & vt pars compoſiti quanti, ipſa hoc modo eſt quanta, ac proinde non ſolus ordo ad quantitatem, ſed actualis quantitas, cuiuslibet materiæ, & quã actu habet mediate, & vt pars compoſiti quanti conſtituit ipſam ſignatam. Ad confirmationem negatur conſequentia: data enim illa hipotheſi de potentia Dei abſoluta, quæ omnem conditionem poteſt ſuplere cauſando ſine illa eundem effectum, quem cauſat cum illa, adhuc non ſequitur quod ſecundum leges naturæ non requiratur quantitas ad ſubſtantialem indiuiduationem, per accidens itaque, & miraculoſa productione indiuiduo ſuperueniente poteſt indiuiduatio ſubſtantialis ſine quantitate fieri, ſecus autẽ per ſe loquendo, & res ſuis naturis relinquendo. poteſt etiam negari minor, nam ſi illius hominis materia eſſet eiuſdem rationis cũ noſtra etiam indiuiduaretur à quantitate ibi debita connaturaliter, & per radicalem ordinẽ ad illã, licet de facto in hoc caſu, & per accidens dicendum ſit, quod ſine quantitate actu exiſtente materia fieret ſignata.

8 Aduerſus quartum modum arguitur tertio: ordo radicis quentitatis atque habitudo potentiæ receptiuæ idem ſunt: ergo quartus modus coincidit cum ſecundo. Antecedens patet, quia materia non eſt principium radicale quantitatis niſi in genere cauſæ materialis: ſed eadem eſt ratio cauſæ materialis, atque potentiæ receptiuæ; conſtituitur nãque materialis cauſa per habitualẽ ſubiecti receptiui: ergo eadem eſt in materia habitudo principij, atque habitudo potentiæ receptiuæ quantitatis. Quarto, quia materia prima prius habet ſubſtantialem formã quã quãtitatẽ: hãc enim præhabet mediante illa: ergo prius fit hæc quam ſit vel intelligatur præhabens quantitatem. Conſequentia patet, nam hæc eſt ratio ob quam Caietanus ſuam priorem confutauit ſententiam: vtpote quia ordo potentiæ receptiuæ per prius reſpicit formam ſubſtantialem, alioquin eſſet ordo potentiæ accidentalis, ſi immediate ad quantitatem terminaretur. Et confirmatur dupliciter: primo, quia materia per ſeipſam nequit præſtare alios effectus proprios quantitatis, puta extenſionem, partium in ſe, aut localem, neque impenetrabilitatem, qui ſunt effectus propriꝰ quantitatis: ergo neque ex tali continentia radicali recte colligit Caietanus poſſe præſtare materiam numeralem diſtinctionem, ſi hæc ſit effectus proprius quantitatis. Secundo implicat idem principium indiuiduationis in duobus indiuiduis ſucceſſiue reperiri, cum diſtincta indiuidua diſtinctis debeant gaudere principijs diſtinctiuis: ſed hæc materia præhabens hanc quantitatẽ, quæ modo eſt in Petro manebit poſt Petri mortem incadãuere, & poterit poſt aliqua, tempora euenire in compoſitionem alterius hominis futuri: ergo nequit ſaluari indiuiduationis principiũ in ſola materia præhabente quantitatem. Minor conſtat ex eo quod hæc numero materia poteſt ſucceſſiue reperiri in duobus hominibus, ſiue indiuiduis ſubſtantiæ, & hæc numero materia eſt, quæ præhabet vtriuſque indiuidui quantitatem: ergo iam hæc materia præhabens huius quantitatem poteſt in alio reperiri, ac proinde ſi hæc eſt principium indiuiduationis;

idem indiuiduationis principium in duobus indiuiduis reperiretur, in quo eſt manifeſta implicatio. Hæc ſunt argumenta, quibus Suarez quartum modum dicendi, qui continet Caietani ſententiam conatur labefactare: ſed facili negotio ex iactis fundamentis ad illa reſpondetur. Ad primum quidem, quod eſt tertium in ordine, dico falſum eſſe antecedens: ex duplici enim capite prouenit illas habitudines diſtingui. Primo, quia habitudo potentiæ eſt cauſæ puræ materialis, ac ſubiecti receptiui, habitudo autem principij radicalis reducitur etiam ad genus cauſæ efficiētis per dimanationem. Secundo, quia ordo potentiæ receptiuæ eſt immediate ad formæ, ſiue actus receptionem, reſpectu cuius dicitur receptiua; & propterea debet eſſe eiuſdē ordinis cum illo, vtrumque autem defficit habitudini principij radicalis, qualis eſt, quę competit materiæ reſpectu quantitatis. Ad quartum nego antecedens, nam ſicut anima vt principium dimanationis immediate præ habet ſuas paſſiones: ita materia, vt principium partiale dimanationis quantitatis immediate, præhabet quantitatem; licet verum ſit, quod ſi conſideretur vt potentia receptiua per prius præhabet formam ſubſtantialē, & mediante illa, quantitatem, iuxta hanc diſtinctionem poteſt etiam diſtingui antecedens. Reſpondetur ſecundo admiſo antecedenti negando conſequentiam. Ad probationem dico diſparem eſſe, nam habitudo potentiæ materiæ ad formam ſpecificat materiam, ſecus autem habitudo principij radicalis, vnde licet ex ordine ad formam ſubſtantialem ſortiatur ſpeciem, & ſic per prius intelligatur talis ſpecies, quam vt præhabens quantitatem, tamen ex radicali habitudine præhabentis quantitatem ſortitur hæceitatem, ac munus indiuiduandi, & ideo non intelligitur prius hæc, quam vt præhabens quātitatem. Rurſus ſi ex ordine potentiæ eſſet hæc, per prius eſſet hæc ex ordine ad formā ſubſtantialem, quam ex ordine ad quantitatem, alioquin eſſet de genere accidentis; quāuis autem ex habitudine principij radicalis præhabentis quantitatē immediate fiat, hæc non ſequitur ipſam debere eſſe de genere accidentis, quia ſola habitudo potentiæ eſt, quæ infert inter actum, & potentiam generis identitatem. Ad primam confirmationē neganda eſt conſequentia: eo quod alij effectus petunt modum inheſionis proprium accidentis, qui materiæ nequit conuenire. Ad ſecundam diſtingo minorem: eadem materia entitatiue poteſt manere ſucceſſiue in Petro, & Paulo, concedo: ſecus autem eadē vt præhabens hanc quantitatem Petri: quia vt ſic non recipit animam Pauli, niſi vt præhabens quantitatem Pauli: ac proinde vt ſic eſt diuerſa materia ſignata à ſeipſa primo modo. Ad eum modum quo ipſe Suariusdic. put. 5. ſect. 4. interprætatus ſententiam Durandi in 4. d. 44. q. 1. aſſerentis omnem materiæ portionem vnitam eidem formæ perſeueranti, manere eandem, licet varietur ſucceſsiue: ait quod iuxta mentem Durandi nū quam in genito, & corrupto eadem numero materia permanet, quia ex vnione ad formas diſtinctas, fit diuerſa: quæ interprætatio licet inſe falſa ſit & à mente Durandi aliena aptiſſimum tamen nobis ſuppeditat exemplum, in quo veritas non requiritur; namſi cut hæc materia, v. g. licet eadem entitatiue ſit, & indiferens ad plures formas naturaliter in ipſam introducibiles tamen ex ſuſceptione formæ cadaueris fit diuerſa iuxta dictam Durandi interprætationem. Ita hæc materia Petri quæ ipſum indiuiduat vt præ habens hāc quantitatem, licet ſecundum ſe ſit eadem & receptiua plurium quantitatum, tamen ex vnione ad formam Pauli ſortitur rationem alterius materiæ ſignatæ, quia neque componit, neque indiuiduat Paulum, niſi vt præhabet hanc pauli quantitatem.

ARTICVLVS III.

An anima rationalis, & reliquæ ſubſtantiales formæ â materia ſignata indiuiduentur?

9 IN hoc articulo omiſo impio errore Manicheorum, qui, vt refert Epiphanius lib. 2. contra Hæreſes cap. 66. aſſerebant ſecundum rationem naturalem eſſe vnum tantum intellectum in omnibus hominibus, licet ſecundum fidem Chriſtianā ſint plures, eodem errore lapſi ſuere Mirandulanus lib. 2. de euerſione ſingularis certaminis ſect. 1. & lib. 3. ſect. 2. & Achilinus lib. de intelligentiis quodlibeto 3. dubio 2. ſecuti cō mentatorem 3. de anima commento 5. & 36. qui primus aſſeruit dari vnicum intellectū, & animam in omnibus hominibus. Nec non omiſo altero errore proximo præcedenti lāduni tractatu de anima quæ l. 5. aſſerētis animam rationalem eſſe formam non informantem, ſed aſsiſtentem ad inſtar intelligentiæ motricis: ſecundum quos neutiquam anima rationalis à materia ſumit numericam diſtinctionem. Tres verſantur probabiles ſententiæ. Prima negans omnino formas ſubſtantiales indiuiduari à materia, niſi ab hæceitate. Quam tuentur Scotus in 2. d. 3. q. 7. & quod-

libeto

libeto, quæst. 2. Suarius, disput. 5. disp. 5. sect. 6. Conimbricenses 2. de anima, quæst. 5. art. 3. & Fonseca, vbi supra. Secunda asserit omnes formas substantiales indiuiduari à materia, excepta anima rationali, quæ indiuiduatur à se ipsa, vel à propria hecceitate. Ita Toletus 3. de anima, quæst. 18. Qui duplici argumento nititur. Primò, ab exemplo Angelorum, qui teste, D. Thom. 1. part. quæst. 50. artic. 4. se ipsis indiuiduantur, eo quod sunt formæ immateriales, & subsistentes: eadēque ratione probat D. Thom. ibidem, quæstion. 29. artic. 1. substantias primas, se ipsis, ideſt non per aliquid extrinsecum indiuiduari, sicut accidentia; ergo cum anima rationalis sit forma immaterialis, & subsistens, indiuiduabitur à se ipsa, & non per aliquid extrinsecum, &c. Secundò, ab inconuenienti, nam alias vna anima rationalis esset substantialiter perfectior altera, ex proportione ad corpora organica inæqualiter perfecta: quod tamen nō est admitendum: ergo. Tertia sententia asserit omnem formam substantialem receptam in materia, ac per consequens animam rationalem indiuiduari ex materia, & numero pluri ficari ex numerica materiæ diuisione. Hanc docet D. Thom. in 1. dist. quæst. 1. art. 2. ad 6. in 2. distin. 77. quæst. 2. artic. 2. ad 4. & distin. 32. quæst. 2. artic. 2. ad 1. 1. part. quæst. 76. art. 2. quæstion. vnica de anima 1. & de ente, & essentia, cap. 6. atque in 2. contra gent. capit. 81. quam Caietanus in commentario, capit. 6. de ente & essentia, quæst. 13. & 1. part. quæst. 76. artic. 3. Bañesius ibidem, Ferrariensis, 2. cō tra gent. cap. 74. & 75. Flandria 7. huius, quæstion. 22. art. 6. & Soncin. quæst. 34. in solutione ad secundum sequuntur. Pro cuius declaratione suponendum est materiam esse duplicem: aliam intrinsecam, & aliam extrinsecam: materia intrinseca est illa, quæ est pars intrinseca, & essentialis compositi: materia extrinseca est, quæ licèt sit extra essentiam formæ, est tamen subiectum illius, & hæc adhuc est duplex: altera physica, & corporea; quo pacto corpus dicitur materia, siuè subiectum suorum accidentium, altera vero est Methaphysica, quæ entitatiue est spiritualis, qua ratione Angelus potest dici subiectū, & materia eorum accidentium, quæ in ipso recipiuntur; forma quoque duplex est: alia accidentalis, de qua erit sermo in articulo sequenti: & alia substantialis, de qua in præsenti articul. disputamus; & cum composita substātialia sint, quæ à materia intrinseca indiuiduantur, quæ respectu illorum materia prima, est intrinseca, tamen respectu formarum substantialium est extrinseca, propterea non de indiuiduatione à principio intrinseco; quod artic. præcedenti quæsitum fuit, sed de indiuiduatione à principio extrinseco proueniente inquirimus, in hoc articul. ita vt sensus sit. An omnes formæ substantiales receptiuiles in materia indiuiduentur ab illa extrinsice, hoc est, tanquam à termino extrinseco suæ intrinsicæ habitudinis? in quo sensu.

Omnes formas indiuiduari à materia.

10 Respondeo dicendū, primo omnes formas substantiales (nulla dempta) suam indiuiduationē substantialē, ideſt, indiuisionē in se, & numeralē distinctionē habere ex ordine ad singulares materias in quibus recipiuntur. Hæc conclusio statuitur aduersus duas priores oppiniones. Et suadetur primo ratione desumpta ex D. Thom. in locis præ allegatis, & in quæstione de spiritualibus creaturis, artic. 8. prima part. quæst. 3. artic. 2. ad 3. & quæstion. 29. articul. 1. ad hanc formam reducta: forma exordine ad materiam in qua actu, vel aptitudine recipitur fit singularis, & incommunicabilis: sed hoc est illam accipere suam indiuiduationem extrinsece à materia, & intrinsecæ ex ordine receptibilitatis: ergo. Minor est nota, & maiorem probat D. Thom. ex discrimine inter formas separatas à materia, & receptibiles in materia: quod illæ se ipsis indiuiduantur, eo ipso, quod irreceptibiles sunt: istæ vero non se ipsis, sed per ordinem ad materiam: oppositi enim effectus oppositas causas habent: & sicut negatio fundamentalis ordinis receptibilitatis est ratio indiuiduandi formas irreceptibiles, ita ordo affirmatus receptibilitatis debet esse ratio indiuiduādi; hoc est numero distinguendi formas receptibiles. Secundò, nam ab eisdem causis res habet, suum esse, vnitatem ac distinctionem: sed formæ huiusmodi habent, suum esse singulare per ordinem ad hanc, vel illam materiam: ergo ex eodem principio habent numericam vnitatem, ac distinctionem. Minor patet, quia si hæc forma v. g. Petri diffiniatur, vt talis, in eius diffinitionem ingredietur hæc materia. Maior vero probatur, quia quælibet res, vt Petrus v. g. per eandem entitatem est ens: vnum, & diuersum aquolibet alio: ac proinde ab eisdem principijs habet esse ens; vnum, & diuersum. Tertiò, quia materia signata est primum principium incommunicabilitatis, & diuisionis numeralis: ergo sicut ob hanc rationem est ratio indiuiduandi se, & compositum substantiale: ita, & indiuiduandi formam receptam in ipsa, quæ est pars cōpositi. Cuius manifestum signum est, quod nequeunt duæ formæ substantiales simul recipi in eadem materia, salua earum numerica distinctione. Quæ repugnantia oritur ex duplici capite, nimirum ex vnitate ipsius esse

ſubſtantialis, quod prima conferret, & ſecundum impediret ne daret eſſe ſimpliciter, niſi tantum ſecundum quid. Deinde ex ipſa numerica diſtinctione, quæ duplex poſtulat diſtinctiuum: ita vt etiam ſi primum caput ceſaret informis ſubſtantialibus, vt ceſat in accidentibus, adhuc non poſſent duæ formæ ſubſtantiales in eadem materia ſimul ſuam numericam diſtinctionem obtinere: ſicut neque duo accidentia eiuſdem ſpeciei illam retinent in eodem ſubiecto. Dico ſecundo, indiuiduatio huiuſmodi formarum ſumitur, non ex reſpectu ſuper addito, ſed ex ordine tranſcendentali vnibilitatis ad materiam, qui ordo non ponit in numero cum entitate ipſius formæ. Hæc concluſio late oſtenditur à Soncinate vbiſupra, contra quoſdam ſui temporis Metaphyſicos, cuius probationes ad has tres redducuntur. Prima deſumitur ex Diuo Thom. artic. citato de ſpiritualibus creaturis inſolutione ad tertium nimirum, quia anima ſeparata quæ aliquando fuit vnita materiæ non per aliquem reſpectum ſuperadditum ipſi, qui ſit ſubſtantiale eius diſtinctiuum, ſed intrinſece perſe ipſam, & extrinſece per materiam, cui vnita fuit diſtinguitur ab alia anima: niſi enim eſſent plures porciones materiæ, quibus iſtæ animæ fuerũt vnitæ, aut ſunt vnibiles, non poſſent diſtingui: ergo ſola materia ſignata, ad quem dicunt ordinem vnibilitatis, qui nihil formę ſuperaddit, ſed eſt eius ecceitas; eſt radicale principium indiuiduationis ipſarum. Secunda eſt, quia ſacluſo, & præciſo omni ſuperaddito duæ animæ rationales Petri, & Pauli, v. g. differunt numero ſubſtantiali diſtinctione: ergo antecedenter ad quemcumque reſpectum accidentalem habent ſuam indiuiduationem intra genus ſubſtantiæ per principia eiuſdem generis. Tertia eſt, quia reſpectus ſuperadditus debet recipi in ipſa forma, ſicut accidens in ſubiecto: ergo debet accipere à forma ſuam indiuiduationem per quam ab alio reſpectu alterius formæ eiuſdem ſpeciei numero diſtinguatur, & conſequenter debet ſupponere formam, iam indiuiduatam. Dico tertio materia, à qua forma habet ſuam indiuiduationem non eſt quæcumque eam recipit defacto: ſed dumtaxat eſt illa quam, vel primo informauit, vel apta nata eſt primo informare. Hæc cõcluſio eſt Angelici Doctoris in eiſdẽ locis & ſuadetur primo; quia indiuiduatio animæ v. g. rationalis, ita dependet à materia, ſicut eſſe ipſius; ſed eſſe illius non dependet à materia inſieri, & conſeruari; defacto enim conſeruatur in ſtatu ſeparationis extra materiam, & de potentia Dei abſoluta poteſt creari extra ſubiectum; ſed quando eſt extra materiam retinet numericam vnitatem, vel ex eo quod fuit defacto in tali materia recepta à principio quando fuit producta: vel ex eo, quod eſt receptibilis in tali materia, ſi extra ſubiectum fuiſſet creata: ergo, & quia quælibet forma producitur proporcionata, & coaptata alicui materiæ, quam, vel primo actuat, vel primo poteſt actuare; ſed ex huiuſmodi proportione, cum primo ſubiecto, & coaptatione ad primum ſuſceptiuum eſt hæc; ergo eius indiuiduatio prouenit à materia cui primo fuit vnita, aut cui primo eſt vnibilis. Ex his colligitur iudicium deſententijs ferendum. Prima namque deficit à veritate, & ſola falſitatis nota eſt in vrenda, eademque pœna plectenda eſt, ſecũda ſententia. Poſitio vero Auerroiſtarum & Manicheorum prorſus eſt contraria fidei, ſecundum quam certum eſt, plures eſſe animas rationales ſecundum corporum humanorum pluralitatem. Nec non repugnat rationibus naturalibus, quibus demonſtratur diuerſis hominibus diſtinctos quoque intellectus, atque diſtinctas animas conuenire.

Sed contra arguitur primo; nã propterea hæc materia nõ indiuiduatur à forma ſubſtantiali, quia eadẽ met manens entitatiue poteſt recipere plures formas; vt dictũ eſt; ſed etiã eadẽ forma ſubſtãtialis reſpicit plures porciones materiæ, & defacto recipitur in illis ſucceſſiue: ergo neq; debet forma à materia indiuiduari. Minor probatur, dupliciter primo, quia anima cuiuſlibet viuẽtis cõtinuo mutat materiã: ita vt alia fit materia adquiſita per nutritionẽ poſt aliquod temporis ſpatium, ab illa, in qua à principio per generationem recepta fuit. Secũdo, quia in reſurrectione vniuerſali plures erunt animæ, quæ accipiant materias totaliter diſtinctas ab illis, quas in hac vita informarunt, de quarũ numero præcipue erunt animæ illorum hominum, qui ex carnibus, & materia aliorum dumtaxat nutriti fuerint. Ad hoc reſpondetur negando minorem; ad primam probationem dico variationem illam factam per nutritionem ſucceſſiue, & imperceptibiliter non tollere numericam vnitatem, aut phyſicam materiæ identitatem: nam teſte Philoſoph. 1. de gener. c. 5. idem ignis continuo ex pluribus lignis nutritus perſeuerat. Ad ſecundam vel dicendum eſt cum D. Tho. c. 41. quod nulla anima in reſurrectione erit quæ ita totaliter diſtinctam materiã ab illa quam informauit in hac vita, accipiet, quin ſimul accipiat aliquam portionem ſuæ antiquæ materiæ ſaltem ſeminalis: Deoq; ſuplente aliunde reliquas portiones, ſufficiet, vt eadem numero materia in vno quoque homine remaneat. Secundo reſpon

detur

detur admiſo antecedenti negando conſequẽtiam, quia vna quæque anima retinebit ordinem ad illam materiam quæ fuit primũ eius receptaculum, ex quo ordine tranſcendenta li eſt hæc numero, licèt tali materia actu careat. Sed contra hoc arguitur ſecundo: anima in principio ſuæ creationis indiferenter reſpexit illam materiam, in qua fuit primo ſuſcepta, & aliam cui de ſe fuit vnibilis v. g. illam, quam poſtea per continuam nutritionem adquiſiuit Petrus: illam enim potuit anima Petri â principio ſuæ creationis informare: ergo non eſt hæc talis forma per ordinem, ad illam materiam, quæ fuit eius primum receptaculum. Antecedens patet: quia potuit materia adquiſita â Petro per nutritionem eſſe materia ſanguinis materni, quem Mater prępparat, & præbet ad recipiendam animam fœtus: ergo potuit eſſe primum talis animæ receptaculum. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quod hæc anima, ita fuit à principio adhoc corpus formatũ ex tali materia ſanguinis materni aptata, vt ex vi eiuſdem creationis, & citra miraculum non potuiſſet alteri corpori, aut materiæ vniri. Quemadmodum è contra dicendum eſt, quod in hoc corpore, cui hæc anima fuit à principio coaptata & vnita nulla alia anima abſque miraculo potuit recipi, hoc impediẽte ipſa naturali huius corporis adhanc animam, & huius animæ ad hoc corpus commenſuratione. Tertiò arguitur, nam hæc materia, cui hæc forma commenſuratur à principio ſuæ generationis eſt communis multis formis, quas poteſt recipere ſucceſiuè: ſed principium indiuiduationis debet eſſe proprium; & incommunicabile: ergo. Quod amplius confirmatur, quia eadem ratione hæc materia indiuiduaretur à prima forma ſub qua fuit creata, ſiquidem ex parte vtriuſque eſt mutua commenſuratio: ac proinde ſicut commenſuratio formæ adhanc materiam eſt ratio, propter quam forma indiuiduatur ab hac materia: ita commenſuratio huius materiæ ad hanc formam erit ratio, vt ab illa indiuiduetur; conſequens tamen repugnat dictis in articulo præcedenti: ergo. Reſpondetur diſtinguendo maiorem iuxta diſtinctionem aſignatam articulo præcedenti, de hac materia ſumpta entitatiue, vel ſumptà formaliter, vt ſignata. Ad confirmationem negatur ſequela, nam materia & quantitas ſe ipſis indiuiduantur, quia illa eſt primum ſubiectum, & iſta eſt primum principium diuiſionis: forma vero, quia de ſe eſt actus dans eſſe formale, ab alio debet accipere numericam, & materialem vnitatem.

Ad fundamenta, ſecundæ ſententiæ, vt reſpondeamus; ſciendum eſt duos eſſe modos dicendi circa inæqualitatem animarum rationalium. Primus Durandi in 2. diſt. 32. quæſt. 3. Enrrici, quodlibeto 3. quæſt. 5. Soncinatis, hic quæſt. 26. Soti in capite de ſubſtantia, q. 2. ad 5. Conimbricenſium, & Toleti, in locis prealegatis negantium duas animas eiuſdem ſpeciei differre penes maiorem & minorem perfectionem ſubſtantialem: tum quia teſte, D. Thom. 1. part. quæſt. 93. artic. 3. ad tertium à duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei ſubſtantiæ nequit talis ſpecies ſecundum magis & minus participari. Tùm etiam, quia alias duę anime rationales differrent ſpecie, ſiquidem hæc diferentia proueniret à forma, ac proinde eſſet ſpecifica: ſicut diferentia proueniens à materia eſt numerica & materialis. Tùm denique, quia aliàs eadem anima mutaret ſuam indiuidualem atque ſubſtantialem perfectionem, quam habet à corpore organico primò eius receptiuo: ſiquidem hoc ſæpè mutatur in melius, fitque melioris complexionis: ergo hæc anima amittet primam ad illud commenſurationem, in qua eius indiuidualis perfectio cõſiſtit. Secundus afirmans eſt Capreoli in 2. d. 32. quæſt. 1. Ferrarienſis, 1. contra gẽtes, cap. 8. Caietani, & Bañeſij, 1. part. quæſt. 85. artic. 7. qui nobis probatur. Primò, quia animæ rationales indiuiduantur ſubſtantialiter excommenſuratione ad corpora organica: quorum vnum contingit eſſe perfectius altero: ergo. Secundò, quia diferentiæ indiuiduales formarum ſubſtantialium ſunt ſicut numeri, ac proinde inæquales: ſunt etiam primò diuerſæ, quia ſe totis differunt: ac per conſequens in nullo vniuoce conueniunt: ergo ſunt diſimiles, & inæquales. Tertiò, quia eſt expreſa ſententia D. Thom. in dict. artic. 7. quæſt. 85. vbi inquirens, an vnus intellectus humanus poſsit intelligere aliquam rem melius altero? Reſpondet, quod facta comparatione ex parte obiecti non poteſt: bene tamẽ facta comparatione ex parte intellectus, qui in vno poteſt eſſe melior, quam in altero homine: vel etiam ratione organi, quo vtitur intellectus: quia contingit organum vnius eſſe melioris diſpoſitionis organo alterius. Iuxta quem modum veriorem, & nequaquam à Caietano confictum, neque temeritatis cenſura dignum, vt falſo exiſtimauit Toletus: reſpondetur ad fundamenta ſecundæ ſententię. Ad primum admiſo antecedente nego conſequentiam, quia anima rationalis, licet careat materia intrinſeca, non tamen caret materia extrinſeca, cuius eſt actus: qua tamen carent ſubſtantiæ Angelicæ. Ad ſecundum nego minorem. Ad illa vero adducta propriori modo dicendi reſpondetur. Ad primum, quidem

Inæqualitas animarũ rationaliũ defenditur cũ Caietano.

dem, quod D. Thom. ſolum negat ſpeciem ſubſtantiæ non ſuſcipere magis & minus per aumentum in ſingulis indiuiduis, ſicut contingit in ſingulis formis accidentalibus. Ad ſecundum nego ſequelam, quia illa diferentia prouenit ex commenſuratione formæ ad materiam, & ideo non eſt formalis, ſed numerica. Ad tertium ſimiliter negatur ſequela, quia indiuiduatio huius animæ ſumitur à corpore, vt ſub eſt primæ diſpoſitioni, ſub qua illam à principio recepit.

ARTICVLVS IIII.

An accidentales formæ à ſuis ſubiectis indiuiduentur?

12 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. Prima negat accidentia indiuiduari ex ſubiecto: ac proinde infert nullam eſſe repugnantiam, quominus duo accidentia, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua, ſiue phyſica, ſiue intentionalia paſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto: ita Scotus in 3. d. 8. quæſt. 1. quem ſequuntur Fonſeca, 5. huius, cap. 1. quæſt. 1. ſect. 3. & Conimbricenſis, 1. de gener. cap. 4. quæſt. 6. art. 3. ad 4. ſub dunt-que iſti autores accidẽtia ſuis hecceitatibus, hoc eſt ſuis entitatibus ſecundum gradum, ſiue diferentiam indiuidualem indiuiduariquã tum ad eſſe, licẽt ocaſionaliter, & quãtum ad fieri à ſubiecto ſub talibus loci, & temporis circunſtantijs, pendere eorum indiuiduationem.

Secunda eſt Suarij vbiſupra diſp. 5. ſect. 7. & 8. aſſerentis duo: ſcilicẽt accidentia non à ſubiecto: ſed à ſuis entitatibus ſecundum gradum indiuidualem acceptis indiuiduari, ac proinde ex parte indiuiduationis non eſſe repugnantiam, quominus quæuis duo accidentia ſimul poſſint idem ſubiectum afficere; & nihilominus duo accidentia abſoluta non poſſe eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto, ex eo quod agens naturale nunquam producit formam omnino ſimilem alteri præexiſtenti in eodẽ ſubiecto, neque duarum formarum omnino ſimilium ſubiectum idem eſt capax pro eodem tẽpore: accidentia autem abſoluta ſunt omnino ſimilia, ſed reſpectiua, quia ſunt diſſimilia officio, & habitudine, propterea poſſunt ſimul compati in eodem ſubiecto. Hæc ſunt dicta Suarij in quorum; primò, conuenit cum Fonſeca, & alijs autoribus primæ ſententiæ: in ſecundo autem valde ab illis diſcriminatur.

Tertia aſſerit accidentia à ſubiecto radicaliter indiuiduari; proximẽ vero, & formaliter ex ordine, & habitudine ad ſubiectum; quatenus talibus ſub eſt temporis, & loci circunſtantijs. Hanc ſententiam docet D. Thom. 2. part. quæſt. 76. artic. 2. quæſt. 85. art. 4. & quæſtion. 8. de veritate, art. 4. ſequutus Philoſophum. 5. Methap. text. 12. & lib. 7. text. 28. in quibus locis expreſſe ait accidentium, & omnium formarum numericam diſtinctionem ſumi ex ſubiecto. Philoſopho ac D. Thomæ, ſubſcribunt Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Ferrarienſis 2. contra gent. cap. 73. Caietanus 3. part. quæſt. 35. art. 5. & Medina, ibidem, atque quæſt. 19. artic. 3. Bañeſius, 1. part. quæſt. 76. art. 2. & 1. de generatione vbiſupra, art. 9. Iauellus 5. huius, quæſtio. 18. Soncinas, lib. 7. quæſt. 4. & 9. & Aquarius dilutidatione 9. Metaph. qui in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim cum Soncinate, & Medina, dicunt non obſtante huiuſmodi indiuiduatione à ſubiecto accidentium, poſſe duo eiuſdem ſpeciei, aut facile tranſeuntia, aut reſpectiua in eadem parte ſubiecti ſimul reperiri. Aquarius vero de omnibus tam fluidis, quam permanentibus, tam reſpectiuis, quam abſolutis negat poſsibilem ſimultatem etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam: quia eſſent plura ex hypoteſi, & non eſſent plura ſtante ſubiecti vnitate, quæ eſt manifeſta contradictio. Cæteri vero Thomiſtæ in omnibus admittunt huiuſmodi repugnantiam ſolum ex natura rei, & in ordine ad legem Dei ordinariam. Pro cuius ſententiæ declaratione dico primo accidentia in vniuerſum à ſubiecto radicaliter indiuiduari, à ſubiecto in quam non abſolute, ſed prout talibus circunſtantijs loci temporis & ſignato. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas priores ſententias. Et pro prima parte oſtenditur: tum ex diſcrimine, quod conſtituit, D. Thom. 1. part. quæſt. 29. art. 1. inter accidentia, & primas ſubſtantias, iam ſuperius à nobis explicato; quod rueret, niſi accidentia à ſubiecto radicaliter indiuiduarentur. Tùm etiam, quia ſunt formæ receptæ in materia: ſed omnis forma recepti bilis indiuiduatur à materia, vt docet Ariſt. in locis à legatis, & nos articul. præcedenti oſtendimus: ergo. Deinde pro ſecunda parte; quia ſubiectum, à quo hoc accidens indiuiduatur v. g. hæc albedo, non hoc corpus abſolute ſumptum, ſed hoc corpus, vt ſignatum talibus circunſtantijs loci, temporis eſſe, probatur; nam principium indiuiduationis, vt ſupradictum eſt debet eſſe proprium rei indiuiduatæ, & alij incommunicabile: ſed hoc corpus v. g. Petri albi ſumatur abſolute eſt cõmune pluribus albedinibus, quas poteſt recipere ſucceſſiue, eſt autem propriũ ſubiectum huius; quatenus ſub eſt huic tempori; quia dum ſub eſt illi aliam albedinem nequit recipere,

cipere, nisi post finitam, & transactã huius albedinis durationem: ergo vt sic & non absolute est principiũ indiuiduationis accidentium. Confirmatur, nam Petrus idẽ manens substantialiter, dum est Romę, habet vnũ vbi, ac respectum localem distinctum ab illo solo numero, quem postea habet extra muros Romanæ vrbis; ac per consequens variatur in ratione principij indiuiduationis harum vbicationum, & localium respectuum, & non nisi quia mutat locum (si enim pro eodem tẽpore in diuersis locis existeret, quod possibile esse multis placuit, adhuc plures vbicationes, & respectus distantiæ localis haberet) ergo signum est, quod nõ corpus absolute, sed vt subest circunstantis loci, aut temporis est accidentium indiuiduationis principium.

Dico secundo, ratione huiusmodi indiuiduationis à subiecto desumptæ prouenit repugnantia; quominus plura accidentia naturaliter queant simul in eodem subiecto reperiri, siue respectiua, siue absoluta sint, siue ẽtrã seuntia, siue permanentia. Hæc conclusio statuitur aduersus eosdem autores, primæ ac secundæ sententiæ, nec non aduersus illos, qui primum modũ defendendi tertiam sequuntur. Et probatur primo ratione, qua probat D. Thom. in locis præ alegatis duo accidentia solo numero distincta non posse simul in eodem subiecto esse, quia scilicet indiuiduantur à subiecto, & per consequens vbi subiectum est idem, nequit accidens multiplicari numero, cuius ratio est, quia formæ, quæ indiuiduantur à materia nequeunt multiplicari, & plures simul existere, nisi multiplicatis materijs: sed accidẽtia indiuiduantur à subiecto veluti à materia: ergo vt multiplicentur accidentia eiusdem speciei pro eodem tempore existentia debent subiecta multiplicari. Secundo: multiplicato principiato, siue cõstituto, debet multiplicari principiũ constituens, vt multiplicatis hominibus, multiplicantur eorum principia indiuiduantia: ergo multiplicatis accidentibus eiusdem speciei eorum subiecta multiplicari oportet, quia sunt principia illorum indiuiduantia. Tertio ab inconuenienti: quod sequitur ex oppõsita sententia: nimirum; datis duobus accidentibus in eodẽ subiecto v.g. duabus albedinibus simul in Petro, vna illarum maneret, & sine indiuiduatione, ac proinde ab altera indistincta: quod inuoluit contradictionem: ergo. Sequela patet, quia si vna indiuiduatur à Petro, altera nequit ab illo indiuiduari: quia cum Petrus terminet habitudinem prioris albedinis, cuius proinde est distinctiuum extrinsecum, nequit terminare habitudinem albedinis posterioris, sicut neque distinctiuum vnius potest esse commune vtrique: nihil enim commune duobus potest esse distinctiuum vnius ab altero: ac per consequens hæc secunda albedo maneret sine eccceitate, siue indiuiduatione, vt potè quia maneret sine habitudine ad proprium subiectum. Quæ ratio de omnibus accidentibus tam absolutis, quam respectiuis, tam permanentibus quam fluidis, est conuincens. Dixi in cõclusione, *naturaliter*, quoniam de potentia absoluta posse duo accidentia eiusdem speciei simul in eodem subiecto inueniri, ita est certũ, sicut & quod Deus possit vnum accidens transferre de vno in aliud subiectum, & quod possit idem accidens semel corruptum reproducere. Vnde poterit in Petro conseruare duas albedines, alteram à Petro, & alteram à Paulo in quo prius fuisset, indiuiduatam: nec non alteram indiuiduatam sub hoc tempore, & alteram indiuiduatam ab eodem Petro sub anno præterito, in quo fuerat recepta & corrupta, ac postea à Deo reproducta. Vltimo probatur satisfaciendo factæ obiectioni à Fonseca, & Suario de quibusdam accidentibus quæ communiter videantur esse eiusdem speciei, simul in eadem subiecti parte reperiuntur; exempla Fõsecæ, sint in duobus sonis facientibus eundẽ concentum, qui sunt in eadem parte aeris, & in duabus durationibus, & duabus continuatibus duorum motuum speciei distinctorum verbi gratia calefactionis, & liquefactionis, quæ sunt eiusdem speciei, & in eodem subiecto, verbi gratia in eadem cera simul recipiũtur. Suarius vero ponit exemplum in gradibus eiusdem qualitatis intensæ, qui sunt distincti realiter, & in eadem parte subiecti recepti. Necnon in duobus actibus charitatis Christi Domini, quos fuisse simul in illo viatore, & solo numero distinctos, sit 3. part. disput. 39. sectio. 2. Quibus accedit, quod quantitas est accidens dependens à subiecto in suo esse: & hoc non obstante indiuiduatur per se ipsam & non à subiecto: ergo eadem ratione cætera accidentia indiuiduantur à se ipsis, & non à subiecto. Minor patet, tum ex diffinitione quanti tradita à Philosopho 5. huius nimirum; quantum est diuisibile in ea, quæ in sunt, quorum vtrumq; vnum quid aptum est esse. Tùm etiam, quia Mathematicus considerat lineas, circulos & superficies nullo imaginato subiecto: quod non esset, nisi quantitas haberet à se suam eccceitatem ratione, cuius est à Mathematico imaginabilis sine vllo subiecto, aut ordine ad illud. Respondetur in quam nullum ex adductis exemplis conuincere: non quidẽ primũ, quia soni quãdiu distincti sũt, neq; in esse physico neq; in esse intentionali sunt simul in eadem parte

aeris. Neque ſecundum, quia vel continuitates, & durationes illæ non diferunt à motibus ipſis, vel ſubiectantur proxime indiuerſis ſubiectis, ſcilicet in ipſis motibus. Neq; tertium, quia non admitimus intenſionem qualitatis fieri per additionem gradus realiter diſtincti ad gradum. Neque quartum, quia ſuo loco oſtendimus animam Chriſti viatoris eundem actum charitatis habuiſſe à viſione beata, & à ſcientia infuſa regulatum: aut duos ſpecie diſtinctos propter diuerſas regulas. Ad confirmationem neganda eſt minor: imò quantitas indiuiduatur â ſubiecto, vt à principio radicali, maxime quoad incõmunicabilitatem, & in diuiſionem: tamen ipſa vt conditio, & quantum ad numeralem diuiſionem eſt principiũ indiuiduandi ſe, & alia; ex quo prouenit, vt à Mathematico cõſideretur plures lineæ extra ſubiectũ ſenſibile, abſtractione præciſiua, ſed non negatiua, quæ neget ordinẽ ad ſubiectũ.

QVÆSTIO III.

De comparatione materiæ ad accidentia, ſiuè diſpoſitiones in duos articulos diuiſa.

COmparata iam materia in præcedẽtibus ad exiſtentiæ actũ, ad ſubſtãtiales formas, atq; ad effectũ indiuiduationis. Opere præcium eſt nunc illam ad formas accidentales in ratione receptiui ſubiecti cõparare in hac autem comparatione duo ſunt quæ à Methaphiſicis diſputantur. Primũ eſt an ſicut materia eſt inmediatum ſubiectũ formarum ſubſtantialium, ita etiam ſe habeat, vt inmediatum ſuſceptiuum accidentalium, vel omnium, vel aliquarum ex illis, quæ incõpoſitione reperiuntur. Secundum eſt an eadem permaneant accidentia incorrupto, quæ fuerant ingenito, ita vt non fiat reſolutio vſque ad materiam primam: quæ duobus articulis, & nos examinanda proponimus.

ARTICVLVS I.

An materia ſit inmediatum ſubiectũ aliquorum accidentium, maxime eorum, quibus diſponitur ad receptionem formæ ſubſtantialis?

17 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ prima aſſerit materiam primã eſſe ſubiectum inheſionis accidentium materialium, & potiſsime illorũ, quibus diſponitur antecedenter ad formæ ſubſtantialis receptionem, vt quantitatis, ſiue dimenſionum primarum atque ſecundarum, quæ ex illis reſultant, ſuntque ad mixti compoſitionem, & conſiſtentiã neceſſariæ. Hanc ſequutus fuit Auerrois 1. Pyſicorum commento 68. & lib. de ſubſtantia orbis, c. 1. & 4. qui poſuit formam corporeitatis coæuam materiæ, & ab illa in ſeparabilem, propterea que aſſerebat dimenſiones interminatas, ideſt, ſecundum ſe conſideratas ante omnem terminationem materiã huiuſmodi forma corporeitatis actuatam ſemper commitari, in illa que tanquam in ſubiecto inheſionis recipi, Auorreom ſequuntur Arabes, & ex latinis Gregor. in 1. d. 12. q. 2. art. 1. Vaſolis, q. 3. Aureolus in 2. apud Capreolum, d. 13. q. 1. ar. 2. & Niphus, 8. Methaphiſicæ diſp. 4. & 1. de gener. c. 9. Aſtudillo 1. de generat. q. 2. & Gabriel in 2. d. 16. q. 1. ar. 1. Ex Neothericis autẽ Suarius, tom. 1. Methaphyſicæ, diſp. 14. ſect. 3. & Conimbricenſes 1. de generatio. cap. 4. q. 4. ar. 2. Dicunt nullam eſſe formam ſubſtãtialem materiæ primæ, nihilominus in illa immediate ſubiectari quantitatem, & alia accidentia corporea, quæ proinde eadem numero manent in genito, ac incorrupto: licet ſubiectum denominationis, quod ab his accidẽtibus denominatur ſit compoſitum ſubſtantiale. Secunda ſententia & media eſt Fonſecæ, hic c. 1. q. 2. ſect. 4. aſſerentis ſubiectũ quod inheſionis huiuſmodi accidentiũ eſſe cõpoſitũ; ſubiectũ vero quo, ideſt mediãte quo proxime recipiuntur in cõpoſito eſſe ſolã materiã primã, cum dependentia tamen à forma ſubſtãtiali ſine qua materia nullum accidens recipere poteſt. Tertia aſſerit ſubiectũ quod inheſionis, & in quo huiuſmodi accidentia proxime recipiuntur eſſe non quidẽ materiã primã, ſed ipſum cõpoſitũ. Ita D. Tho. 1. p. q. 76. ar. 6. & q. 77. art. 6. & opuſculo de natura materiæ, c. 3. & 4. & q. de ſpiritualibus creaturis, ar. 3. Albertus Magnus in ſumma de homine p. 2. q. *an nutritio fiat ex ſimili*, Capreolus in 2. d. 13. q. 1. & conc. 3. Caiet. 7. de ente & eſſentia, q. 16. Duran. in 1. d. 8. p. 2. q. 4. Ferrarien. 4. contra gentes, c. 81. Soncin. hic q. 17. & 18. Iauellus q. 2. & Flandrienſis, 5. huius, q. 16. ar. 17. & Bañ. 1. de gent. c. 4. q. 9. ar. 2. & 3. quæ, quia vera eſt duabus cõcluſi. declaratur.

Reſpondetur dicendũ, primo nullas defacto dari dimenſiones interminatas, ſed omnẽ dimẽſionẽ à parte rei eſſe certis terminis clauſam, illãq; cũ alijs accidẽtibus corporeis recipi incõpoſito ſubſtãtiali. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus autores primæ ſententiæ. Et pro prima parte oſtenditur contra Auerroiſtas, primo, quia licet quantitas de ſe non ſit magis determinata ad iſtum terminum & figuram, quam ad aliam, tamen defacto nulla datur quantitas, quę nõ ſit clauſa intra certos termi-

Refelitur poſitio Auerroiſtarũ.

terminos, & quæ non subsit alicui figuræ quę est terminus quantitatis: ergo. Secundo, quia omnis quantitas existens in rerũ natura est in aliqua specie determinata, putà lineæ, aut superficiei, aut corporis trinæ dimensionis: sed istæ species quantitatis semper sunt finitæ, ac determinatæ dimensionis: quæcũq; enim linea est longitudo finita, superficies latitudo finita, & corpus quoq; est finitæ profunditatis: ergo.

Nec non opinio Suarij.

18 Deinde pro secunda parte probatur conclusio contra Suariũ: primo, quia accidentia corporea ab illo dependet in genere causæ materialis, de cuius potentia educuntur: sed huiusmodi accidentia educuntur de potentia totius cõpositi, & non solius materiæ: ergo non solũ dependet à materia prima, in genere causæ materialis, sed àcõposito: vnde pariter ad eius corruptionẽ destruuntur, nec manent eadẽ ingenito, & in corrupto. Secundo, quia actus vitales corporei recipiuntur in eadẽ potentia animæ aqua elliciuntur: ad vitalem enim actũ requiritur vterq; concursus ex parte potentiæ, ellicientis nimirũ principij actiui, & subiecti recipientis: ergò nõ omnia accidentia corporea in materia prima subiectantur. Tertio arguitur ad hominẽ: nã ipse Suarius fatetur quantitatem esse coæuam materiæ, inseparabilem ab illa, ingenerabilem & incorruptibilẽ sicut & illam: sed quod est ingenerabile, & incorruptibile nõ potest dependere à forma generabili & corruptibili, etiam tanquam à conditione, vt potè cum sit prius illa & mutationis expers: ergo quãtitas nequit dependere à forma substantiali, tanquã à conditione necessaria in genere causæ dispositiuæ: sed à sola materia poterit conseruari, cui est coæua; cuius oppositum docet Suar. Quarto deficit in eo quod asserit quantitatem nẽ dum hominis, sed aliorum corporum in sola materia subiectari: quod probatur argumento Durandi: nimirum quia alias animæ plantarum, & animalium imperfectorum non essent extensæ: siquidem forma substantialis non est ratio recipiendi quantitatẽ, neq; quantitas est ratio recipiendi formam, nisi pura conditio in sententia huius autoris: ac proinde talis forma, siuè anima non poterit participare à quantitate effectum formalẽ extensionis: vt potè qui solum prouenit excõmunicatione causæ formalis: consequens autem esse falsum patet, tum ex Philosopho, lib. 1. de anima asserente animas viuentium imperfectorum esse extensas: tum etiam quia vt experientia constat indiuisione lacertæ, eius anima est diuisibilis in partes eiusdem rationis: ergo est extensa. Huic argumento respondet prædictus autor dupliciter, primo quod huiusmodi animæ sunt dibisibiles à materia & quantitate coæua cui sunt connexæ, & de cuius potentia educuntur. Secundò ait illas esse extensas per accidens, ac proinde nõ à quãtitate, sed à suis entitatibus propter entitatiuam distinctionẽ partium: sed neutra solutio eneruat vim argumenti facti: nõ prima, quia illa connexio non sufficit, vt forma substantialis denominetur extensa, sicut neq; connexio saporis, & coloris in eodẽ subiecto sufficit vt sapor denominetur coloratus, eo quod color, nec recipitur in sapore, neq; est ratio recipiendi illũ: ergo si quantitas, nec recipitur in forma substantiali, neque ista est ratio recipiendi illã, non poterit forma denominari extensa licet coniungatur cũ quantitate in eodẽ subiecto. Neq; secunda, quia quãtitas est ratio formalis cuiuscumq; extensionis, etiã per accidens: ab eadem enim quantitate ligni v.g. fit lignum extensum per se primo, & eius accidentia fiunt extensa secundario, siue per aliud, & in penetrabilia cũ accidentibus alterius corporis: ergo si forma substantialis aliquo modo est extensa, nõ poterit non eius extensio a quantitate prouenire. Vnde anima rationalis ex eo non est aliquo modo extensa, quia in se non recipit quantitatem, neque afficitur per illam.

Refellitur sentẽtia Fonsecæ.

Dico secundo, nec subiectum, quod inhesionis, neq; proximum, quo accidentium materialium est materia prima. Hæc conclusio statuitur aduersus autores secundæ sententiæ. Et probatur prænotando subiectum accidentiũ esse duplex, alterũ denominationis, id est quod tale denominatur, & hoc certum est esse ipsum compositum, quod ab accidentibus materialibus, quantum, quale, & relatum denominatur: alterum inhesionis, & hoc est triplex, aliud, *quod*, scilicet cui immediate inhæret accidens, & in quo sustentatur: aliud est subiectum, *quo*, proximum, quod est proxima ratio recipiendi accidens in ipso subiecto, *quod*, id est mediante quo accidens recipitur in subiecto, *quod*, & aliud est subiectum, *quo*, remotum, quod est ratio remota ac radicalis mediante qua recipitur tale accidens; exemplum est in intellectione, & albedine: illius enim subiectum, *quod*, est homo, subiectum, *quo*, radicale est anima, & proximum intellectus: huius vero subiectum, *quod*, est corpus mixtum, *quo*, est materia prima, proximum vero est forma, vt iam probare intendimus. Triagitur afferimus in hac conclusione, quæ sigillatim probanda sunt. Primo materiam esse subiectum, *quo* remotum accidentiũ corporalium: & hoc probatur, quia est primum subiectũ eius in quo est: ac proinde est prima & radicalis ratio recipiẽdi huiusmodi accidẽ

tia; quia eſt prima potẽtia, ſicut forma ſubſtã tialis eſt prima ratio agẽdi, quia eſt primus ac tus cõpoſiti: ergo. Secũdo probatur, quod ma teria prima nõ ſit obiectum quod ĩnheſionis, quia hoc eſt, quod eſt primũ ſubſtans nimirũ prima ſubſtãtia quæ eſt cõpoſitum ſingulare vt Petrus & Paulus. Deinde quia cõpoſitum per accidens, vt albũ, ſiuè quantum, debet ſu ſuponere cõpoſitum perſe, quod ex materia & forma ſubſtantiali reſultat: ergo hoc eſt ſu biectũ inheſionis. Deniq; tertium probatur, nimirũ quod materia prima, nõ ſit ſubiectum proximũ quo, quia proxima ratio recipiendi eſt inter quã & formã recipiendam nihil me diat: ſed inter materiã primam & accidentia mediat forma ſubſtantialis, & ipſum cõpoſi tũ: ergo prima ratio recipiendi potius eſt ip ſa forma ſubſtantialis: eo vel maxime, quod per illã ſubiectum fit ens in actu, & proximę potens recipere & ſuſtinere accidentia: ergo. Sed pro aduerſa ſententia arguitur primo, quod quantitas ſequitur ad materiã, ſicut qua litas ad formã: ergo ſicut propterea qualitas conuenit cõpoſito mediante forma: ita quan titas mediante materia. Secundo, quia anima indiuiſibilis, vt rationalis, aut etiã equina, ne quit ſuſcipere denominationes formales acci dentiũ materialiũ: quas tamen ſuſciperet ſi eſ ſe ſubiectũ illorũ ſaltẽ, vt quo: ergo. Tertiò, quia huiuſmodi accidentia cũ ſint diſpoſitio nes ad formã ſubſtantialẽ in illo ſubiecto re cipiuntur per inheſionẽ, quod diſponunt, & cui cõmunicant ſuũ effectũ formalẽ: hoc au tẽ eſt ſola materia prima, quæ ſola dicitur diſ poſita: ergo. Quarto, quia accidentia reſpecti ua, vt relatio diuerſitatis, ſimilitudinis & vnio nis immediatè ſubiectãtur in materia prima, quia illã immediate denominãt diuerſam ab alijs rebus, ſimilẽ alijs materijs, & vnitã for mæ: & eadẽ eſt ratio de alijs accidentibus ab ſolutis: ergo. Ad primũ reſpõdetur varijs mo dis explicari dictũ axioma. Primo, nãq; expli catur à Cai. 1. p. q. 3. ar. 6. quod quantitas ſe quitur ad materiã per acõmodationem, ideſt quantum ad id quod habet de potentialitate, quod magis relucet in ipſa, quam id quod hã bet de actualitate, quod minus eſt, licet ratio ne huius ſequatur ad formã. Secũdo, ab alijs, quod quantitas ſecundũ ſe prout abſtrahit ab omni termino, ſequitur ad materiã, prout ve ro accipit terminationẽ, ſequitur ad formã. Tertio explicatur ab alijs, quod quantitas ſe quitur ad materiã, non quia recipiatur in illa, ſed quia ratione illius conuenit cõpoſito, ſi cut exiſtentia conuenit cõpoſito ratione for mę, inqua tamẽ proximẽ nõ recipitur. Quarta explicatio quę nobis probatur eſt, quod quãti tas ſequitur ad materiã, ideſt ad gradũ corpo reitatis, quẽ tribuit forma, & qui propter ſuã potentialitatẽ vocatur materia reſpectu alio rũ graduum perfectiorum. Iuxta quam admi ſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Ad ſecundum, aut neganda eſt minor, quia non oportet ſubiectum quo recipere denomina tionẽ, quam tribuit accidens ſubiecto inheſio nis: aut illa admiſſa neganda eſt maior: quia etiã anima indiuiſibilis, aut ſpiritualis prout eſt virtualiter corporea, & extẽſa tribuit gra dũ corporeitatis, & eſt ratio recipiendi quan titatẽ, & alia accidentia à quibus vt quo po teſt denominari. Ad tertium, nego maiorem, quia diſpoſitiones, licet inhereant compoſi to, tamen ſolam materiam denominant diſpo ſitam: ſicut licet actio tranſiens inhereat paſo denominat agens à quo procedit. Ad quartũ vno ex tribus modis reſpondent Thomiſtæ, Ferrara enim 4. contra gent. cap. 14. Soncin. 5. huius q. 31. ad 3. & Bañenſius, 1. de genera. art. 2. citato ad vltimum admitunt has relatio nes eſſe reales, denominareque materiam, li cet inhæreant compoſito, quemadmodũ nu per diximus de diſpoſitionibus, quoad effectũ diſponendi: Flandrenſis 1. q. citata, art. 12. ad vltimum ait relationẽ diuerſitatis eſſe tranſ cendentalẽ, & cũ ipſa materia identificatam: reliquas autem eſſe rationis, quia dũtaxat ad formã, non ſunt ad aliud perfecte. Alij docẽt, quod materiæ ſicut conuenit proprius modus cauſalitatis, qui cum illa identificatur, ita & huiuſmodi relationes illi immediate inſunt, quia ſint accidentia cum ipſa materia identi ficata: quæ ratio non militat in alijs, equibus modis dicendi, duo priores præferuntur.

ARTICVLVS II.

An incorruptione compoſiti naturalis fiat reſolutio, vſque ad materiam primam?

IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. Prima eſt eorum quos articulo præceden ti retulimus aſſerere materiam primã eſſe proximum ſuſceptiuum accidentium, qui conſequenter aſſerunt eadem numero mane re ingenito & corupto: maximẽ illa quæ pro pria nõ ſunt cõpoſiti ſubſtantialis formæ: hęc enim certũ eſt perire cum illo. Vt videre eſt apud Albertum, Scotũ, & Suariũ vt ſupra, & Conimbricenſes, q. 18. ar. 5. primi de genera. Secũda ſententia eſt Fonſ. vbi ſ. ſect. 5. aſſeré tis in omni corruptione fieri reſolutionẽ om nium formarum etiam accidentalium vſq; ad materiam primam, exceptis tamen illis acci dentibus à quibus materia nudari nõ poteſt, cuiuſ-

cuiusmodi sunt relationes dependentiæ à Deo, similitudinis ac diuersitatis, nec non existentia in spatio, &c. Tertia, affirmat fieri in omni corruptione substantiali resolutionem omnium accidentium, ita vt nullum accidens, idem numero maneat ingenito, quod fuerat in corupto. Hæc est Capreoli, in 2. distin. 15. quæstion. 1. Flandrensis hic, quæstion. 8. articul. 2. Soncinatis, quæst. 9. Bañesij, vbi supra, quæst. 10. artic. 2. & omnium Thomistarum cum suo autore hic lection. 4. & 1. de generatione, lect. 9. Quæ proinde à nobis statuitur pro conclusione. Et probatur aduersus duas priores sententias. Primò, quia ad corruptionem subiecti corruunt cũta accidentia quæ sunt in ipso: sed nullum est accidens, quod non subiectetur incomposito, vt constat ex articulo præcedente: ergo nullum est, quod non desinat desinente composito. Maior patet, quia quadrupliciter contingit aliquid corumpi, sicut & generari: primo per actionem à gentis cõtrarij, vt frigiditas aquæ expellitur per actionem ignis, secundo per destructionem termini, sicut mortuo filio, destruitur paternitas in patre: tertio per absentiam conseruantis, sicut per absentiam solis desinit lux aeris: & quarto ad corruptionem subiecti, quo pacto destructis primis substantijs, destruuntur omnia quibus substant: alias idem accidens migraret de subiecto in subiectum: quod est impossibile per naturam. Secundo probatur ex ordine essentiali inter esse simpliciter, & esse secundum quid: sicut enim illud præsuponitur ad istud, ita illo destructo, destruitur istud: sed esse secundum, quid prouenit ab accidentibus, & esse simpliciter prouenit a forma substantiali: ergo destructo composito substantiali, necesse est destrui omnia eius accidentia. Tertiò, ex ordine actus secundi ad actum primum, ita vt ille tã in operando, quam in essendo necessario presuponat istud, sicut intellectio suponit necessario intellectum sine quo permanere non potest: forma autem accidentalis comparatur ad formam substantialem, sicut actus secundus in essendo ad primum: ergo sine ista illa manere non potest.

Sed pro aduerso arguitur primo: nam ex triplici capite repugnat fieri resolutionem, vsque ad materiam primam, nimirum quia vel manet eadem forma substantialis, vel manent aliquæ dimensiones, vel aliquæ dispositiones: sed necesse est manere hæc tria in materia prima, dum corrumpitur compositum: eo quod corrupto homine v. g. manet eius materia determinata, ac proinde dispositæ magis ad formæ cadaueris, quam alterius receptionem: quæ dispositiones cum sint materiales suponunt quantitatem, & hæc suponit formam corporeitatis: ergo. Secundo, quia ab homine ad formam cadaueris est facilior transitus, quam ad aliam formam: quod est signum simbolarum qualitatum vtrique communium: ergo aliqua accidentia manent eadem in homine & cadauere. Tertio ab experientia quæ testatur eadem accidentia manere in vtroque v. g. eandem figuram, organicacionem, & cicatricem, quæ cõtinuo in animali viuo & mortuo videntur: nec non eundem esse calorem in homine iugulato: eo quod huius caloris nulla datur causa de nouo vniuoca, vel æquiuoca, neque enim est iugulans in cuius absentia durat aliquanta mora calor: & ad eius præsentiam cessare contingit: ergo. Ad primum respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est materiam corrupti manere dispositam & determinatam ad formam geniti per dispositiones introductas toto tempore antecedente ad instans generationis, quibus alteratum fuerat compositum. Et illis amissis, in primo instanti generationis, aliæ succedunt: quæ ob similitudinem vicem illarum gerunt, quantum ad effectum disponendi. Ad secundum admissa maiori: distingo minorem: manent in homine & cadauere accidentia simbola, eadem numero nego: eadem secundum speciem & similitudinem concedo minorem, & nego consequentiam. Ad tertium respondetur, quod illa experientia fallit sensum: eo quod illa accidentia cadaueris sunt distincta, sed similia præcedentibus, necessitate cogente agens naturale, vt producat in cadauere accidentia similia eis quæ in corpore viuo inuenerat nimis radicata. Caloris autem animalis occisi causa non est iugulans, qui tantum se habet, vt remouens impedimentum formæ: sed est generans, siue agens naturale, quod ad separationem animæ introducit formam cadaueris disponendo materiam simul per calorem similem ei qui præceserat in corpore viuo: sicut causa per se motus lapidis ad centrum non est remouens prohibens, sed generans. Vel dicamus quod causa formæ cadaueris in quocumque animali occiso est ægritudo, siue distemperamentum prouenies ex alicuius quatuor humorum excessu: quod ex violento ictu iugulantis generatur, dum animal a naturali dispositione, & humorum concordia remouetur.

QVÆSTIO IIII.

De actiuitate formarum, in duos Articulos diuiſa.

HVCVSQVE de materiæ potentialitate, & eius effectibus: nuncque de formæ ſubſtantialis actualitate & actiuitate dicendum eſt, ordine doctrinæ poſcente, vt ab imperfectioribus ad perfectiora gradiamur: duoque videnda ſunt nimirum quæ diſimilitudo requiratur ad actionem, & quæ repaſio illam commitetur?

ARTICVLVS I.

An diſſimilitudo in gradu, & intenſione ad actionem requiratur?

Status quæſtionis.

19 PRO Tituli intelligentia operæ pretium eſt aduertere tres eſſe conditiones neceſſarias adhoc, quod agens per formam, quæ eſt illi agendi ratio, operetur. Requiritur namque vltra calorem adhoc quod ignis v. g. calefaciat lignum, quod illud tangat: eo quod omne agens agit per contactū, vel quantitatis, vel virtutis, vt probat Philoſophus 1. de generation. capit. 6. & 7. Phyſicorum, capit. 1. atque D. Thom. 1. part. quæſt. 8. artic. 1. & 3. contra gentes, capit. 68. & in 2. contra gentes, capit. 56. eſtque communis ſententia Theologorum requiri huiuſmodi contactum ad actionem, qui in 1. diſt. 37. & in commentarijs ad quæſtionem octauam, primæ partis, propterea probant Dei præſentiam in omni loco, quia vbique operatur immediate, experientia quoque ſufragatur, quod ignis defectu contactus, non imprimit calorem corpori diſtanti: atque defectu debitæ aplicationis nullum agens naturale agit extra ſeram ſuæ actiuitatis: & quia non nulla docebimus, quæ ad perſuadendum huiuſmodi contactus indigentiam ac neceſsitatem ſufficiunt, dum de immediatione virtutis ac ſupoſiti in agēdo lib. hoc ſermonem habeamus: plura videri poſſunt apud Neotericos, apud quos fere nulla eſt diſenſio, potiſſime vero apud Soto 7. Phyſicorum, quæſt. 1. art. 1. Bañeſium 1. de generat. c. 6. q. 1. Suar. 1. tom. Methaphiſicæ d. 18. ſect. 8. & Bazquium 1. p. diſt. 189. cap. 3. Secunda conditio eſt diſimilitudo aliqua â gentis ad paſum deffectu, cuius calidum, vt quatuor nequit alterare alterum calidum einſdem omnino intenſionis. Tertia eſt, quod agens repatiatur à paſo quādo, cum illo communicat in materia. De hac igitur ſecunda conditione eſt præſens diſputatio. Sed quia teſte Ariſtot. 1. huius text. 11. diſimilitudo poteſt eſſe multiplex ſicut & ſimilitudo, quia contrariorum eadem eſt ratio. Vna quidem ſecundum formam actiuam qualis eſt inter calidum & frigidum, alia veeſt deſimilitudo in gradu & intenſione, vt inter calidum, vt duo & calidum, vt ſex. Rurſus alia ſecundum eficatiam eiuſdem qualitatis æqualis in gradu intenſionis, qualis inter ferrum calidum, vt quatuor, & ſtupam calidam, vt quatuor, inuenitur propter inæqualem denſitatem materiæ. Et tandem poteſt eſſe diſimilitudo in vtroque ſimul, ſcilicet in gradu & eficatia, vt inter ferrum calidum, vt tria & ſtupam calidam, vt quatuor verſatur. Difficultas igitur eſt, quæ harum diſimilitudinum adagendum requiratur? In qua omnes Methaſifici conueniunt in duobus: primo quidem in eo quod non requiratur diſimilitudo generica, vel ſpecifica in forma ſubſtātiali, vel in qualitate: alioquin non daretur agens vniuocum in ſubſtantia & qualitate. quod tamen eſſe falſum patet in aqua magis calida, aut magis frigida, quæ proculdubio alterat aquam minus calidam, & minus frigidam. Conueniunt ſecundo in eo quod perfecta ſimilitudo tam in gradu intenſionis, quam in eficatia impedit actionem: eo quod tunc neutrum extremum eſt in potentia reſpectu alterius: quod tamē eſt de ratione paſi vt ſic. Diſcriminantur autem circa tertiam & quartam diſimilitudinem in tres ſententias. Prima eſt eorum, qui abſolute afirmant vtramque diſimilitudinem, & exceſum ex parte à gentis nimirum in intenſione, & eficatia requiri ad actionem: ita vt defectu, cuiuſcumq; impediatur actio. Secunda eſt Marſilij 1. de gener. q. 18. Niphi, c. 8. q. 2. & Soti 2. phyſicorū, q. 1. ad vltimum, & q. 4. ad 5. aſſerentium ſufficere ad actionem diſimilitudinem in efficatia penes materiæ & formæ operatiuæ maiorem multitudinem, non obſtante agentis, & paſi æqualitate in intenſione. Tertia aſſerit requiri ad actionem diſimilitudinem in gradu intēſionis, & non ſufficere ſolam diſimilitudinē penes formæ multitudinē. Ita Venetus in ſūma, c. 23. Saxſonia 1. de gener. q. 15. Aſtudillo q. 21. Bañ. ſup. q. 2. & Suar. diſp. citata ſect. 9.

Sufficit diſimilitudo in intenſione ad agēdum.

20 Quorū ſententia ſtatuitur â nobis pro concluſione. Quæ ſuadetur primo, quia intētio à gentis cōmenſuratur formę, quam habet actu, ita vt ſolum cadat ſub intentione à gentis aſimilare ſibi effectum in forma ſecundum illū gradum, quem actu habet: ſed calidū, vt quatuor tantum habet actu calorem, vt quatuor: ergo vltra iſtum non intendit aſimilare ſibi paſum: ac proinde quintus gradus caloris erit præter huius proximi agentis intentionem, cuius proinde erit alia cauſa proxima: quod

quod non est admitendum. Secundo, ex vulgari axiomate Aristotelis 7. Physicorũ, c. vlt. â proportione minoris, vel æqualis non fit actio: sed solum â proportione maioris, idest quantitatis excedentis: eo quod effectus, siuè vniuocus, siuè æquiuocus non potest excedere perfectionẽ suæ causæ principalis: sed calidũ, vt quatuor in quacunq; materia sit densiori, est minoris inæqualitatis, & exceditur à calido, vt sex materiæ rarioris: estque imperfectius illo in esse calidi: ergo non potest illud, sic producere. Tertiò, quia eficatia & actiuitas formæ sequitur illius intensionem, & non materiæ multitudinem: vnde illi & non huic cõmensuratur, quia agere est actus perfecti: & formæ perfectio ex gradu perfectiori desumenda est: ergo si inter agens, & passum sit æqualitas in gradu, impedietur actio: non obstante in æqualitate materiæ: quæ materialis omnino est: ac proinde non obstat perfectæ similitudini formarum. Quartò, ab inconuenienti duplici, quod sequitur ex oposita sententia nimirum, quod detur maius maximo inqualitate: siquidẽ ignis densior posset agere in ignem rariorem intendendo eius calorem, qui tamen est maximus. Nec non quod duo agentia remissa ad se aplicata, se inuicem vsq; ad summum gradum intenderent: vt si ferrum calidũ, vt quatuor aplicetur ligno calido, vt quatuor, cõmunicabit ei calorem, vt quinq;: à quo iam calido, vt quinque accipiet quintum gradum caloris: à quo iterum ferro calido, vt quinq; lignum accipiet gradum sextum, & sic vsq; ad summum se inuicem intendent: quæ tamen inconuenientia nequaquã sunt admitenda: ergo. Vltimo probatur satisfaciendo tribus obiectionibus aduersariorum. Prima desumitur ex eo quod maior excessus in actiuitate propter maiorem materiæ densitatem & formæ multitudinem sufficit ad actionem: propterea enim ait Aristotil. 3. physicorũ text. 42. quod si vnum elementum esset infinitæ molis alia absumeret: Et primo Metheororũ inquit, quod virtus vnita fortior est se ipsa dispersa: & experientia cõstat efficatius ledi sensum tactus â ferro calido, quã â ligno habente eque intensum calorẽ: ergo. Secunda, desumitur ab exẽplo ferri candentis, quod aplicatum stupæ generat ignem in illa, ac proinde calorẽ vt octo: quẽ tamen non habebat ferrum candens, siquidẽ neq; habebat actu formã ignis: ergo propter solã multitudinem caloris agit in simile secũdum gradũ. Tertia desumitur ex D. Tho. opusculo 70. super Boetiũ de Trinit. q. 4. art. 3. ad 5. asserente, ferrum candens non esse duplex corpus: idest non esse duo corpora in ferro cãdente, nisi vnum dum taxat, scilicet ferrũ, habens tamen aliqua signis proprietates, vt lucem ac splendorem: generatq; in corpore raro, vt in stupa ignem, ac proinde calorem, vt octo, qui est vltima ad ignem dispositio: ergo hoc prouenit ratione multitudinis caloris, ac materiæ densitatis. Ad hæc argumenta facili negotio respondetur, ad primũ negando antecedens. Ad primã probationem, dico propterea elementũ infinitæ molis fore alia consumpturũ, quia cum totum mundum occuparet, alia à suis propris locis pelleret extra quę non possent perpetuo conseruari. Ad secundam fateor, quod cæteris paribus virtus vnita fortior est se ipsa dispersa, quantũ ad aliquos effectus, nimirum quoad vim magis resistendi contrario, & quoad maiorem extensionem spheræ actiuitatis, & agendũ velocius, & in minori tẽporis interualo: sed non quoad agẽdum â proportione minoris, aut æqualis intẽsionis. Ad tertiã respondetur, ad illam experiẽtiã multitudinẽ materiæ deseruire, quæ habet formã magis vnitam. Ad 2. duplex est modus dicendi: primus Suarij, & aliorũ asserentiũ ferrũ candens nõ habere ignẽ formaliter, tamen cũ calore vt sex v. g. producere igneni in corpore raro, nõ quia multitudo formæ supleat intensionẽ, sed quia ad formã ignis producendã sufficit minima dispositio quę in calore citra summũ potest saluari. Secũdus est Dur. in 4. d. 4. q. 5. ad 2. Bañ. & eiusdẽ Suarij asserentiũ inferri candentis poris cõtineri ignẽ formalẽ ex aëre & quibusdam exalationibus ferri nimio calore resolutis genitũ: aquo proinde producitur ignis, cũ calore, vt octo, siuè summo in corpore raro.

Inferrũ candenti dari ignem formaliter.

Qui modus nobis probatur; tũ quia minima dispositio ad formã ignis geniti est calor, vt octo, quæ à calore, vt sex produci nõ potest. Tũ etiã, quia admisso, quod sit citra summũ, inquiro, aut hic gradus caloris, qui est sufficiẽs dispositio ad ignẽ, est in ferro cãdenti, aut nõ: si primũ: ergo in ferro erit ignis: quod est cõtra hipothesim: si secũdũ: ergo calor ferri nõ potest producere talẽ minimã dispositionem in paso: alias aproportione minoris fieret actio: quod est inconueniens, quod præfatus autor cupit vitare: Tùm deniq;, quia calor cum sit virtus & instrumentũ coniunctũ ignis: nõpotest producere alterũ ignẽ virtute propria, neq; virtute ignis absentis: ergo si in ferro cãdente nõ sit ignis, eius calor nõ valebit producere ignẽ in corpore raro, neq; vltimã dispositionẽ ad ignẽ, quæ est calor summus, siuè vt octo, ab illo inseparabilis. Neq; oppositum docuit D. Th. in loco præallegato: quia ibi solũ dixit ferrũ candens nõ esse duo corpora, idest penetratiue se habentia in eodẽ loco: non tamen negat inuacuitatibus pororũ ferri cãden-

tis inclusi aliquem ignem: qui licet oculos corporeos lateat, tamen ex effectu ſplendoris, & ignis geniti incorpore raro ſi aplicetur, cognoſcitur.

ARTICVLVS II.

An ex meritis actionis tranſeuntis, agens in agẽdo apaſo, ſecundũ eandẽ cõtrarietatẽ, & partẽ repatiatur?

Status quæſtionis.

21 EXemplo calidi & frigidi titulus articuli patefiet. Lignum calidum vt ſex & bipedale repati ab aqua frigida, v.g. inquam agit nihil aliud eſt, quam quod ſimul amittat aliquid de calore per quẽ agit, & quod ſecundum vtramque pedalitatem in frigidetur, ſi ſecundum vtramque calefacit aquam, ex meritis autem actionis repati calidum eſt, quod ex natura ipſa calefactionis petat agere in paſum habẽs contrariã qualitatem, aqua infrigidetur, & eneruetur, eius calor. Vnde ſenſus tituli eſt, an agens dũ agit ex natura acctionis deueat repati in eadem qualitate, & parte per quam agit? Cõmunis ſententia negat: quia ſi ex meritis actionis ſequeretur re actio & repaſio: omne agens repateretur, quod tamen eſt falſum: ſubſtantiæ enim ſpirituales, & corpora cœleſtia dum agunt in hæc inferiora minime ab illis repatiuntur. Similiter contingit quod paſum ſit intra ſpheram agentis: ipſum vero agens ſit extra ſpheram paſi. Tũc neceſſe eſt agens agere & non repati. Vnde repaſsio nõ ſequitur actionem ſecundũ ſe & ex proprijs illius meritis: ſed ſupoſitis determinatis conditionibus ratione quarum repaſsio veluti materialiter comitatur actionem: requiritur namque ad repaſsionem, quod agens & paſum communicent in materia: defectu cuius ſpiritualia & cœleſtia à ſublunaribus non patiuntur: & quod vtrumque ſit intra alterius ſpheram, defectu cuius agens exiſtens extra ſpheram paſi non repatitur: requiritur tertio quod agens & paſum gaudeant contrarijs, & actiuis qualitatibus: defectu cuius vn⁹ ignis ab altero, aut vna aqua ab altera nõ repatiantur: neque calidum aduro vt ſic repatitur, quia durities neque actiua, neque calori contraria qualitas eſt. Vnde repaſio comitatur actione ratione contrarietatis aſociatæ alijs duobus requiſitis. Sed in explicando huiuſmodi repaſsionem tres verſantur ſententiæ. Prima calculatoris tractatu 7. de re actione, Niphi vbi ſupra, Alexandri Quarto metheororum commento 10. & aliorũ aſſerentium, tunc ſolum fieri repaſsionem concurrentibus prædictis conditionibus, quãdo agens eſt diforme, v.g. inæqualiter calidum ſecundum ſuas partes: ſecus autem quando eſt vniformiter calidum: quia tunc tantum reſiſtit quantum agit: ac proinde calidum vt ſex vniformiter ſicut agit, vt ſex reſiſtit, vt ſex, & ideo non habet vnde rapatiatur. Secunda eſt Marſilij 1. de generation. quæſtio. 19. Alberti de Sexonia, quæſt. 16. veneti. cap. 20. & Aſſudillo, quæſtion. 22. aſſerentium, quod concurrentibus dictis conditionibus erit actio & repaſio ſecundum eandem contrarietatem, & partem agentis, dum modo actiuitas paſi ſuperet reſiſtentiam agentis: eo quod qualitas actiua non æqualiter habet vim agendi & reſiſtendi, ſed quo magis habet de actiuitate, eo minus habet de reſiſtentia.

Præfertur ſententiæ Bañeſij.

Tertia, & verior eſt Bañeſij vbi ſupra quæſtion. 3. aſſerentis, quod concurrentibus dictis conditionibus fit actio, & repaſio ſecundum eandem contrarietatem qualitatum, & partem à gentis quantumcumque vniformis, etiam ſi paſum ſit minoris virtutis in agendo, quam agens in reſiſtendo. Pro cuius declaratione dico primo, concurrentibus dictis conditionibus omne agens repatitur ſecundum eandem formam & partem per quam agit. Hæc concluſio ſtatuitus aduerſus autores primæ ſententiæ. Et ſuadetur primo ex teſtimonijs Philoſophi, ac D. Thom. 1. de generatione, cap. 7. & 4. de generatione animalium, capit. 3. aſſerentium omne agens agendo repatiri: id eſt non ex meritis actionis, ſed ex concurſu illarum trium conditionum. Secundo experientijs: quarum prima eſt deferro ignito in aqua ſubmerſo, quod & totum infrigidatur, & totam aquam lebetis calefacit, ſecunda eſt de duobus gladijs, qui ex mutua percuſione ſecundum eaſdem partes hebetantur, tertia deguta ſuper carbonem cadenti, quæ illum extinguit, & ipſa vertitur in vaporem, quarta de glacie & nine manu compræhenſa; quæ & manum infrigidat, & ipſa liquefit calore manus reſoluta. Sunt alię propè infinitæ experientiæ quæ peruię ſunt, nullo que ſanæ mentis philoſopho poſunt negari.

22 Tertiò probatur ratione, quia ſicut actio eſt ab agente in quantum eſt in actu performam: ita repaſio conuenit illi in quantum eſt in potentia, ſed idem agens ſimul poteſt eſſe in actu ſecundum vnam qualitatem, & in potentia ad aliam, ſecundum eandem partem, vt patet in exemplo adducto de calido vt ſex, quod ſimul eſt impotentia ad frigiditatem, quam non habet: ergo poterit repati à frigido. Quartò probatur, quia alias miſtio eſſet impoſsibilis, ſi quidem nequit fieri, niſi ex elementis ſecundum omnes partes alteratis à ſe inuicem repatientibus, & ad concordiam redactis: conſequens eſt abſurdum; ergo.

Dico

Dico ſecundo, præſupoſitis dictis conditionibus agens etiam maioris virtutis in reſiſtendo & agendo, à perſe minoris virtutis repati poteſt ac debet. Hæc ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſententiæ: & probatur primo quia Philoſophus vbi ſupra abſolute & ſine exceptione affirmat agens communicans in materia cum paſo, & illi aproximatum, repati ab eo. Secundo nam ibi ſaluatur radix re actionis, & repaſionis: eo quod calidum vt octo, v. g. & frigidū vt duo ſunt in actu & potentia ad ſe inuicem, ſicut enim calidum eſt in actu per calorem vt octo, ita frigidum eſt in actu per frigiditatem vt duo; quæ eſt qualitas actiua, & reſpectu cuius calidū eſt in potentia paſiua: ergo ſequitur eſſe ctus actionis & repaſionis. Tertio nam teſte D. Thom. 2. 2. q. 24. artic. 6. Ad ſecundum vltima gutta aquæ in virtute præcedentium cauat lapidem: ettamen duricies lapidis ſuperat diſpoſitionem cuiuſcūque guttæ præcedentis: ergo hæc inæqualitas non obſtat repaſioni. Idem argumentum ſumitur ex calore naturali, qui continuo agendo in cibum vt conuertat illum in ſubſtantiam aliti, repatitur ac minuitur: ex qua neceſsitate repatiē di prouenit mors hominis: quod ſignificatur in illo ſecundi Regum 14. *omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur*: & tamē ſæpe cibus quia tenuis & fluidus, eſt minoris virtutis quam calor naturalis.

22 Sed pro aduerſa ſententia arguitur primo, quia Philoſophus in ſecundo de partibus animalium cap. 2. negat ignem poſſe accipere ab agente contrario aliquid frigiditatis. Et ratio id perſuadet, quia alias nunquā ignis, v. g. poſſet producere ſibi ſimile in gradu caloris: nam ſi eius calor per repaſionem debet remiti, fiet minor quam vt octo, & ſic nunquam producet aliud calidum vt octo: cuius tamen oppoſitum experientia teſtatur: ergo. Secundo, quia paſum ſolum tangit agens per potentiam reſiſtendi: hæc autem non eſt actiua: ergo non oportet agens repati à paſo. Maior patet, quia paſum reſiſtit agenti ratione contrarietatis vt dictum eſt, & retardando eius actionem: retardare autem actionem agentis; & ei contrariando obſiſtere, nō eſt agere in illud. Minor autem probatur, quia aut potētia actiui caloris, v. g. eſt æqualiter reſiſtitiua reſpectiua ſui contrarij, aut minus, aut magis quā actiua: non primum, quia ficcitas eſt parum actiua, & tamē eſt multum reſiſtitiua, ideoque res ficca difficilime ab aqua penetratur: neque ſecundū, propter eandem rationem & experientiam. Neque tertium, quia alias multoties agens non repateretur, nimirū quoties eſſet æqualis actiuitatis cum paſo, & maioris reſiſtentiæ quam illud: ergo. Ad primum reſpondetur Philoſophum in illo loco ſolum velle, numquam ignem poſſe excedi à frigiditate, ita vt ab illa queat denominari frigidus, cum denominatio fiat à qualitate excedente: eo quod ignis petit ad ſuæ formæ conſeruationem calorem excedentem medietatem latitudinis graduum ad minus à quo proinde debet ſemper denominari calidus. Alioquin, quod ignis à frigido accipiat aliquid frigiditatis, negare non potuit Philoſophus, qui in alijs teſtimonijs citatis aſſerit omne agens cōmunicās cum paſſo in materia repati. Et eius fidelis interpres D. Thom. q. 28. deueri art. 3. ait ignem tangi, & repati ab aqua, quando agit in illam: nequit autem tangi, ac repati ab illa niſi accipiendo aliquid frigiditatis. Neque oppoſitum ratio adduta perſuadet. Quia licet quando ignis patitur ſecundum omnes partes, admittenda eſt ſequela: ſecus vero quando repatitur ſecundū aliquās, quoniam tunc partes repatientes adiuuantur à non repati entibus quouſque ad priſtinum gradum redactæ, victoriam de contrario reportent, & illud in gradu ac intenſione aſſimilent. Ad ſecundum duplex eſt modus dicendi. Primus Authorum ſecundæ ſententiæ, & Soncinatis 9. huius q. 6. aſſerentium quod eadem potentia eſt actiua, & reſiſtitiua ſecundum diuerſa munia quatenus enim calor, v. g. aut frigiditas agit in ſuum contrarium illud debilitando eſt virtus actiua: quatenus ei obſiſtit, & actionem eius retardat, eſt reſiſtitiua, & quod ordo in reſiſtentia eſt oppoſitus ordini in actiuitate: ita vt quo qualitas eſt magis actiua, eo ſit minus reſiſtitiua & è contra. Vnde iuxta hunc modum dicendi negatur minor, ad cuius probationem concesſa maiori pro ſecunda parte negatur minor.

23 Secundus eſt aliorum de quorum numero eſt Bañeſius vbi ſupra, aſſerentium, quod potentia reſiſtitiua ratione contrarietatis coincidit cum actiua in eadem qualitate formaliter: ac proinde inæquali gradu eſt actiua & reſiſtitiua, quod probari poteſt, tū quia reſiſtere poſitiue, & cōtrariando eſt agere, vel reagere, & non qualitercumque retardando actionem agentis, ſed retardare illam, eius formam debilitando: ergo nequit eſſe maior reſiſtentia quam actio: ſiquidem ſunt idem formaliter, & ſola ratione differunt: tū etiam quia ſicut actiuitas, ita & reſiſtentia ſequitur ad formam per quam agēs eſt in actu. Tum denique, quia teſte D. Tho. 1. 2. q. 113. art. 5. Ad primum eiuſdem eſt, virtutis ſiue potentiæ proſequi vnum contrarium, & fu-

gere

gere aliud: ſed fugere eſt reſiſtere contrario: ergo eiuſdem virtutis eſt agere & reſiſtere. Fateor poſſe ad hæc reſponderi, quod licet eadem virtus ſit actiua & reſiſtitiua, diuerſimode tamen, nam eadem res reſpectiua abſque leſione ſuæ ſimplicitatis poteſt duo obiecta partialia reſpicere, & vnum perfectius quam alterum: ſicut quando idem actus verſatur circa finem & media teſte D. Tho. 1. 2. q. 8. art. 3. perfectius attingit finem vtpote apetibilem propter ſe, quam media. Quare relicta vtraque opinione in ſua probabilitate: ad formam argumenti reſpondetur negãdo minorem. Ad probationem dico quod ſiue paſſum in maiori, ſiue in minori gradu ſit reſiſtitiuum: tamen per qualitatem contrariã habet ſufficienter vtramque virtutẽ qua poſſit & re agere in agens & illi reſiſtere eo modo quo eſt in actu per talem qualitatem.

QVÆSTIO V.

De intenſione formarum, in duos articulos diuiſa.

COmparata iam forma ad actionem, quam vt principium ſiue vt agendi ratio reſpicit. Operepretium eſt illam ad intenſionis aumentum comparare, in qua comparatione, forma ſe habet vt ſuſceptiuũ; hoc eſt per modum ſubiecti perfectibilis, & quia in hac (ſicut & in omni alia) comparatione duo extrema ad inuicem comparantur, forma ſcilicet, & augmentum intenſionis. Duo ſunt examinãda; ex parte illius, quæ ſint formæ augmenti intenſiui ſuſceptiuæ, atque capaces. Ex parte vero huius, in quo cõſiſtat, pro quo ſuponat, & quo pacto fiat huiuſmodi intenſiuum augmentum. Quorum examen duobus articulis terminatur. Congruentiſsimuſque huic diſputationi deformarum intẽſione eſt locus iſte, eo quod Philoſophus cap. 3. comparat rerum eſſentias, ac diffinitiones numeris, dicens, *& quemadmodum numerus magis & minus non habet, ita quæ ſubſtantia, quæ ſecundum formam dicitur*, videndum igitur eſt, an abſque læſione huius comparationis, dentur aliquæ formæ, quæ ſint magis & minus ſuſceptiuæ.

ARTICVLVS I.

An ſint aliquæ formæ quæ poſſint intendi ac remiti, & vnde eis talis potentia proueniat?

Status quæſtionis propo nitur.

24 PRO explicatione tituli oportet ſingulos terminos declarare: formas itaque appellamus illas, quibus ſubiectum informatur, quæ in vnoquoque prædicamento reperiuntur: potiſsime autem hic intelligimus qualitatem, quantitatem, & formam ſubſtantialem; vel quid abſtrahens ab illis de quibus apud Methaphiſicos dubitari ſolet an ſuſcipiant magis, & minus: ſub illis verbis *intendi ac remiti*: intelligimus duos modos alterationis, ab alteratione ſimpliciter dicta ſpecie diſtinctos, eſt enim alteratio quoddã genus motus; ad qualitatem ſcilicet, habens ſubſe tres ſpecies: quarum vna eſt alteratio ſimpliciter dicta nomine ſui generis ſignificata, quæ eſt motus ad primum eſſe qualitatis terminatus, alia eſt intenſio, ideſt motus ad eſſe perfectius præ- & quiae xiſtentis qualitatis terminatus, intendi eſt augeri, & remiti eſt decreſcere, ideo formam intendi eſt ipſam augeri, & formam remiti eſt ipſam decreſcere à quantitate quam habebat. Cum autem quantitas ſit magnitudo formarum, & ſit duplex extenſionis, & altera intenſionis, quod pater in calore, qui dum ſerpit longius in eodem ligno ſecundum eundem gradum extenditur dunta xat: dum autem in eadem parte creſcit, intẽditur: ſimiliter duplex eſt decrementũ, aliud primo aliud ſecundo augmento oppoſitum. Experimur quoque quaſdam formas vnius & non alterius augmenti eſſe ſuſceptiuas: alias vero vtriuſque capaces videmus; propterea inquirimus quæ nam ſint iſtæ formæ capaces augmenti intenſiui & quæ illius ſit radix. Et quia primum ex ſecundo dependet, ordine præpoſtero procedemus à primo incipientes. In quo communis ſententia aſſerit radicem huiuſmodi augmenti intenſiui eſſe aliquam latitudinem internorum graduum perfectionis in ipſis formis, ſecundum quam poſſint incrementum, & decrementũ perfectionis accipere. Sed in huius latitudinis explicatione diuiduntur Methaphiſici in quatuor modos dicendi. Primus eſt quorundam antiquorum, quos D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 4. ad tertium ſupræſo, nomine refert aſſentium hanc latitudinem & radicem intenſionis cõſiſtere in actuali inhæſione ad ſubiectum: & quando hæc actualis inhæſio formæ eſt diuiſibilis, tunc forma eſt intenſibilis, & non alias. Similiter formam magis intendi de facto, dicunt, eſſe formam habere perfectiorem inhæſionem in ſubiecto. Eundẽ modum poſtea ſequuti fuerit Gregorius in 1. q. 4. art. 1. Egidius ibidem d. 17. q. 1. & 4. phiſicorum q. 14. & quodlibeto 2. q. 14. illique ſufragatur Capreolus in 1. d. citata quæſt. 2. ad ar-

ad argumenta Gregorij, contra quartam, & contra quintam.

Secundus Scoti in 1. dist. 17. quæst. vltima, & aliorum asserentium hanc latitudinem cõuenire qualitatibus, siuê formis, secluso ordine ad subiectum, & dependenter ab illo, per quod ipsa forma in se, siuê sit in subiecto, siuè extra illud, est diuisibilis realiter in plures partes perfectionales. Tertius est Fonsecæ, hic cap. 3. quæst. 1. sect. 2. qnæst. 2. & Lorcæ 2. 2. quæst. 24. art. 5. dubio appendice asserentium latitudinem, & radicem huiusmodi augmenti esse differentiam individualem talis formæ quatenus constare potest ex pluribus gradibus individualibus & accidentaliter super additis rationi specificæ. Quartus est Thomistarum, qui cum suo auctore in 1. dist. 17. art. 1. quæst. 1. de virtutibus, artic. 11. & 1. 2. quæst. 52. artic. 1. & 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3. constituunt hanc latitudinem in ordine ipsius formæ ad subiectum, quatenus subest accessui variabili in magis & in minus: propriamque vocem ignorare illos, qui dicunt formam nõ intendi in sua essentia, sed tantum in actuali inherentia, aut in aliquo accidentali modo. Ita Durandus in dicta dist. quæs. 5. Caietanus in locis allegatis summæ, Soncinas hic quæstion. 19. Flandrensis, quæstion. 4. artic. 7. & Bañes 1. de generat. cap. 4. quæst. 3. Pro cuius sententiæ declaratione.

Præfertur sentẽtia D. Tho. de latitudine augmenti intensiui.

Dico primo, fundamentum & radix augmenti intensiui in formis accidentalibus est ordo ad subiectum secundum, quem forma potest magis ac minus perficere subiectum. Hæc conclusio specialiter statuitur aduersus autores secundæ sententiæ. Et ostenditur primo in qualitatibus notius in quib⁹ est huiusmodi augmẽtũ, cuius radix est habitudo qualitatũ ad subiectum, non absolute, & secundũ se, aliàs omnes qualites susciperent magis ac minus: sed quatenus variabilis in magis & minus; prout distinguitur â ratione specifica eiusdem qualitatis: quæ vel est absoluta ab omni ordine: vel summitur à termino, siuè obiecto in accidentibus respectiuis quæ specificantur ab extrinseco: ergo. Antecedens declaratur: nam cum huiusmodi radix debeat consistere in aliquo prædicato communi, siquidem inuenitur in pluribus individuis eiusdem speciei: & aliâs non consistat in ratione specifica talis qualitatis: quia hæc in quantum specifica differentia, consistit in indiuisibili, & est expers latitudinis secundũ magis & minus: debet consistere in ratione generica qualitatis nimirum in ordine ad subiectum: non quidem absolute consideratũ: ergo debet consistere in illo prout capax variabilis accessus: siquidem non restat alia ratio communis in qua consistere possit. Secundo, quia oppositorum effectuum oppositæ debent esse radices, sicut enim affirmatio efficax causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: sed radix incapacitatis augmenti intensiui teste D. Thom. 1. 2. quæst. 52. artic. 1. consistit in eo quod forma indiuisibiliter participabilis est à subiecto: eo quod vel forma secũdum se ipsam habet speciem, vt forma substantialis: vel quia indiuisibilitas ipsa est de ratione formæ, vt in numeris, quipropterea nõ suscipiunt magis & minus, quia constituuntur per vnitatem vltimam & indiuisibilem, cum negatione vlterioris: ergo radix suscipiendi magis & minus est ordo formæ ad subiectum, quatenus participabilis ab illo, diuisibili modo. Tertio, nam aliàs qualitas in sua specifica differentia immediate susciperet magis ac minus, haberetque latitudinem diuisibilem graduum, nullumque esset accidens incapax augmenti intensiui: imò & forma substantialis esset capax illius: quæ inconuenientia, sunt: ergo inconueniens est constituere radicem huius augmenti in aliquo absoluto ab ordine ad subiectum.

25 Dico secundo, in augmento intensiuo forma non solum augetur secũdum actualem inhærentiam, aut secundum individualem differentiam: sed etiam secundum essentiam. Hæc conclusio statuitur aduersus autores, primæ & tertiæ sententiæ. Et pro prima parte probatur, quia quandoquantitas intenditur, re vera intenditur secundum ordinem aptitudinalis inherentiæ ad subiectum: qui ordo identificatur, cum entitate ipsius qualitatis, & distinguitur ab actuali inherentia: ergo. Maior patet, quia ipsa aptitudinalis inherentia habet latitudinem secundum magis & minus; alioquin qualitas separata miraculosè â subiecto non posset intendi: consequens autem esse falsum, patet, quia manifestum est duas albedines inæqualis intensionis v. g. niuis & sacari posse conseruari â Deo separatas ingradibus quos habebant in subiectis: quarum proinde vna erit intensior altera, sine actuali inherentia. Confirmatur, nam quando lux intenditur in subiecto tribuit illi effectum formalem perfectiorem secundum quantitatem virtutis, quam in se habet, scilicet constituendo magis lucidum: sed implicat perfici effectum formalem, quim etiam forma in se, & in sua entitate perficiatur: ergo non solum intenditur inhæsio actualis. Minor patet, nam non solum in actuali inherentia, sed etiam in aptitudinali est latitudo in qua radicatur; quia effectus formalis non consistit in sola inhesione formæ, sed in eo quod entitas formæ cõmunicetur subiecto, ac proinde effectus fit

maior;

maior, quia entitas formæ in ſe maior eſt. Deinde ſecunda pars probatur primo, quia ſi gradus albedinis, vt quatuor v. g. eſſent de conceptu indiuidui huius, ſequeretur quod hæc albedo non poſſet intelligi, aut eſſe ſine iſtis gradibus. Nullum enim indiuiduum poteſt ſaluari ſine ſua indiuiduali perfectione, aut differentia: Conſequens autem eſt falſum quia hæc albedo poteſt intelligi ſine quarto gradu albedinis, & album, vt quatuor poteſt fieri magis ac minus album, manente eadem numero albedine: ergo. Secundo probatur, nam ſicut differentia ſpecifica conſiſtit in indiuiſibili: ita etiam eccetras, ſiue indiuidualis differentia qualitatis conſiſtit in indiuiſibili: eſt enim diffinitiuum & vltimum conſtitutiuum indiuidui: vltimum autem conſtitutiuum, vt ſic non poteſt non conſiſtere in indiuiſibili: ergo ſicut latitudo qualitatis, hac ratione non poteſt conſiſtere in differentia ſpecifica, ita neque in indiuiduali. Tertio arguitur ad hominem, nam ipſe Fonſeca, lib. 5. cap. 18. quæſtio. 16. docuerat nulla indiuidua eiuſdem infimæ ſpeciei eſſe interſe inæqualis perfectionis, ſed ex hoc ſequitur nullam formam habere intimam latitudinem in indiuiduali differentia: ergo dum hanc ponit, primum dictum deſtruit, & ſibi contrariatur. Neque valet dicere illud primum dictum intelligi de duobus indiuiduis eiuſdem atomæ ſpeciei ſecundum ſe, ſecluſo omni accidentario diſcrimine: nam vel diſcrimen penes hos gradus pertinet ad ipſarum indiuidualium differentiarum conſtitutionem, vel non: ſi primum: ergo non eſt accidentale, ſed eſſentiale indiuiduis, ſi ſecundum: ergo gradus ſunt extra differentiam indiuidualem, ſolumque illi adiuncti. Denique tertia pars probatur ſuponendo quod li *ſecundum eſſentiam*, poteſt facere duplicem ſenſum: primus eſt, quod qualitas intenditur ſecundum eſſentiã, ita vt li, *ſecundum* reduplicet terminum formalem intenſionis, ſiue radicem proximam, & tunc ſenſus eſt quod ratio formalis, ſiue radix proxima augmenti eſt ipſa ratio ſpecifica qualitatis: & hic ſenſus eſt falſus. Secundus eſt, quod id, quod augetur eſt eſſentia qualitatis, & eius ſpecifica ratio: ita vt li, *ſecundum*, reduplicet rem intenſam & ſubiectum augmenti, & eius radicem remotam; & hic ſenſus eſt verus, quia in ipſa eſſentia qualitatis eſt terminus augmenti: ipſa enim habet adiunctos gradus ſeu modos, & terminationes, quibus magis ac minus perfecta eſt. Vnde ſi li, *ſecundum* reduplicet rationem ſpecificantem augmentum intenſiuum, verum eſt dicere, quod qualitas augetur ſecundum modum eſſentiæ; non autem ſecundum eſſentiam: hoc ſupoſito probatur concluſio in ſecundo ſenſu. Primo, quia ignorantia proprij nominis indicat D. Thom. vbi ſupra eſſe plectendos eos qui dicunt charitatem intendi, & non intendi ſecundum eſſentiam. Secundo, nam augetur ſecundum quantitatem virtutis, & ſecundum ordinem tranſcendentalem ad ſubiectum: ſed in huiuſmodi quantitate & ordine conſiſtit eſſentia formæ: ergo.

Quæ ſit radix augmenti extenſiui in formis.

Dico tertio, radix & fundamentum augmenti extenſiui in formis reſpicientibus obiectũ extrinſecum eſt ordo eſſentialis ad obiectum, vt ſub eſt acceſſui variabili in magis, & in minus ad illud, ratione cuius dicuntur tales formæ augeri ſecundum ſe. Hæc aſſertio explicatur in qualitatibus, quarum aliæ ſunt abſolutæ à termino & obiecto, vt figura: & aliæ ſunt reſpectiuæ, quæ ſpecificantur ab extrinſeco, vt ſcientia & virtus; & in his eſt duplex augmentum, alterum intenſiuum, quod eis conuenit ſecundum quod ſunt participabiles à ſubiecto magis ac minus ſecundum eandem partem, vt dictum eſt. Alterum vero eſt extenſiuum in extenſione ad diuerſas partes obiecti conſiſtens ad inſtar augmẽti extenſiui quantitatis, quod in maiori extenſione, ſeu partium ſituali diſtantia conſiſtit. Ad quem modum etiam augmentum extenſiuum albedinis, & aliarum materialium qualitatum in extenſione ad plures partes ſubiecti conſiſtit: ſic augmentum extenſiuum ſcientiæ phyloſophiæ v. g. in extenſione ad plures partes & concluſiones entis mobilis conſiſtit, cuius radix & fundamentum eſt ſpecificus ordo phyloſophiæ ad tale obiectum: & quia ratio ſpecifica cenſetur conuenire accidentibus ſecundum ſe, & non ordo ad ſubiectum, qui potius ſe tenet ex parte ſubiecti, à quo non ſummitur ſpecifica ratio; propterea D. Thom. in loco proxime citato, ait qualitates reſpicientes extrinſecum obiectum augeri ſecundum ſe, ideſt, extenſiue & ſecundum ordinem ſpecificum ad obiectum conuenientem illis ſecundum ſe, intenſiue vero augeri (tam iſtas, quam illas, quæ extrinſecum terminum non reſpiciunt) nõ ſecundum ſe, ſed ex parte ſubiecti, ideſt ſecundum ordinem aptitudinalis inherentiæ conuenientem illis ex parte ſubiecti, Quo ſupoſito probatur cõcluſio. Primo ordo ſpecificus ad obiectum in uariatus manens ſpecifice habet latitudinẽ, ſecundum quam poteſt plures, vel pauciores partes materialiter diſtinctas & ſub eadem ratione formali conuenientes attingere, ſed hæc latitudo eſt radix & fundamentum: ergo. Secundo, quia tam ordo ad ſubiectum, quam ad obiectum eſt in qualitatibus via & tendentia variabilis ſecundum magis & minus: qua

ratione

ratione probat D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 4. charitatem viæ posse augeri intensiue, quia est quædam via, & tendentia per quam homo viator à propinquat Deo non gressibus corporis, sed affectibus animi: omnis autem via est variabilis quatenus per illã fit maior vel minor ad terminum à propinquatio: sed in latitudine primi ordinis fundatur augmentum intensiuum: ergo in latitudine secundi ordinis fundatur extensiuum. Vnde hoc non habet locum in virtutibus tam Theologicis, quam moralibus, quia in istis ordo ad obiectum consistit in indiuisibili, eo quod faciunt simpliciter bonum habentem, & ideo illum ordinant ad omnia obiecta materialia cadentia sub vna ratione formali honestatis: in illis vero vltra hanc rationem communem, est alia specialis, nimirum; quia earum obiectum primarium est vltimus finis, qui est sufficiens ratio, & motiuum attingendi alia obiecta secundaria: ita vt minima charitas, vel fides sit in summo ex parte obiecti: cuius oppositum contingit in alijs habitibus, & virtutibus intellectualibus: quæ proinde sunt capaces augmenti extensiui.

Sed contra duas priores assertiones arguitur. Primo, quia in duabus albedinibus separatis à subiectis nulla inæqualitas gradualis inueniri potest in ordine ad subiectum: aut enim illa proueniret ab agente naturali, & hoc non, quia suponamus illud fuisse idem, & æqualis virtutis: aut proueniret à subiecto: & hoc non, quia neque sunt in subiecto, neque concernunt illud, vt sic abstractæ: ergo. Secundo, quia impossibile est augeri qualitatem secundum essentiam propter duo: tum quia augeri secundum essentiam est augeri essentialiter: qualitas autem durante intensione non augetur essentialiter: sicut nec mutatur essentialiter. Tùm etiam, quia essentiæ sunt expertes latitudinis, quia consistunt in indiuisibili, sicut numeri, vt hic habet Philosophus: ergo neque essentia qualitatis augeri potest; cuius oppositum asseritur in secunda conclusione. Vltimo ab inconuenienti duplici, quod sequitur ex opposita sententia: primum, & quod formæ substantiales etiam susciperent magis ac minus: siquidem qualitates quæ sunt earum proprietates, sunt intensibiles: & quia aliquando duæ formæ substantiales vniuntur in eadem parte materiæ & quantitatis, vt si Deus, vel aliquod agens naturale colocet, duas formas ignis sub eadem digitalitate: oportet formam resultantem ex illis esse perfectiorem: quod tamen negat Philosophus 9. Physicorum, capit. 1. & capite de substantia dicens substantiam non suscipere magis & minus, neque ad illam dari per se motum, &c. Secundum est quod quantitas in rarefactione intenderetur, & in condensatione remitteretur: siquidem in illa adquirit nouam partem per quam fit magis perfecta in tua essentia, hoc est magis extensa: & in ista fit minus perfecta, hoc est minus extensa: quod tamen non est admittendum: ergo.

Ad primum respondetur illam inæqualitatem prouenire, & ex parte agentis, quod illas albedines inæqualiter eduxit de potentia subiecti in quo fuerunt productæ, & ex ordine transcendentali quê retinent ad subiectum inæqualis vnibilitatis. Ad secundum nego antecedens. Ad cuius primam probationem respondetur, quod qualitatem augeri secundum essentiam esse Diuo Thoma in primo, distinction. 17. quæstion. 1. articul. 1. idem est atque augeri essentialiter: ac proinde per intensionem sicut augetur secundum essentiam, ita & augetur essentialiter: si li, *essentialiter*, determinet subiectum motus: si tamen designet terminum motus, non augetur, nec mutatur essentialiter: quia tunc denotatur qualitatem in intensione mutare essentiam, quod est falsum. Ad secundam respondetur, quod illa comparatio facta à Philosopho inter essentias rerum & numeros tenet quantum ad quatuor, primo in eo quod sicut numeri diuiduntur in vnitates indiuisibiles, ita essentiæ diuiduntur in supremum genus & vltimam differentiam quæ indiuisibilia sunt, & in alia non resoluuntur, secundo quia sicut numerus variatur additione, & subtractione cuiuslibet vnitatis, ita essentia rei variatur additione & subtractione cuiuslibet prædicati essentialis, tertio quod sicut numerus est suæ vnitates vnitæ: ita essentia rei in prædicatis essentialibus vnitis & ordinatè se habentibus consistit, quarto quod sicut species numeri non dicitur maior aut minor: vt ille ternarius non dicitur maior aut minor, quam alter: ita essentiæ rerum secundum rationes specificas, & communes (quas Philosophus, hic appellat substantias secundum formam, quia materiam signatam non includunt) non dicuntur magis, aut minus tales: cum hoc tamen stat, quod essentiæ aliquarum qualitatum, licet sint formaliter indiuisibiles in se: radicaliter tamen & virtualiter per ordinem ad subiectum sunt diuisibiles in plures modos, ratione cuius latitudinis sunt capaces augmenti intensiui. Ad tertium, vt alteri puncto quæstionis satisfaciamus, respondetur neutrum sequi ex illis

inconuenientibus. Non primum, quia reiecta opinione Aquilini in libro de elementis diſtinct. 7. Ianduni 4. Phyſicorum, quæſtio. 4. & aliorum admitentium formas ſubſtantiales ſuſcipere magis, ac minus, vnica rationali exceptą; ſubſtinenda eſt ſententia negans, cum D. Thom. 1. 2. quæſt. 52. artic. 1. Cuius ratio eſt, quod ſubſtantia eſt ens perſe, & à ſe ſpecificatur, ac proinde eſt idem omnino, cum ſuo ſpecificatiuo: ergo nullam habet latitudinem ſecundum quam poſsit ſuſcipere magis & minus, ſicut neque poteſt ſuſcipere magis, & minus ipſum ſpecificatiuum cuiuslibet rei. Huic accedit, quod formæ intenſibiles admitunt ſibi contrarias in gradibus remiſis in eodem ſubiecto: ſecus autem formæ ſubſtantiales. Vnde ad primam probationem ſequelæ dicendum eſt proprietates ſubſtantiæ eſſe in duplici differentia, alias quidem quæ inuariabiliter, & modo indiuiſibili formam ſubſtantialem conſequuntur, vt riſibilitas reſpectu hominis, & inhibilitas reſpectu equi, & iſtæ non ſuſcipiunt magis, aut minus: alias vero, quæ variabiliter & inquadam latitudine intra quam poſſunt intendi ac remiti, ad eſſentiam ſubſtantiæ conſequuntur, vt calor & frigiditas atq; duricies ſunt paſsiones ignis, aquæ, & ferri intra latitudinem quatuor graduum, verbi gratia, à quinto vſque ad octauum, intra quam poſſunt intendi ac remiti inuariata ſubſtantia ſubiecti, cui perſe conueniunt, ita vt nulli alteri, niſi citra talem latitudinem poſsint conuenire. Ad ſecundam dico, quod Deus non vnam formam ignis in illo caſu ex duabus reſultantem, ſed duas numero diſtinctas in eadem portione materiæ miraculoſe conſeruaret. Neque ſecundum inconueniens ſequitur. Circa quod triplex eſt modus dicendi. Primus Capreoli in 2. diſt. 18. quæſt. 2. & in 4. diſt. 12. quæſtio. 1. art. 3. & Conimbricenſium, cap. 5. quæſt. 17. art. 3. aſſerentium quantitatem propriè intendi, ac remiti in rarefactione, & condenſatione, tum argumento facto: tum etiam mouentur ex teſtimonio D. Tho. 1. 2. quæſt. 52. art. 2. ad primum & 2. 2. q. 24. art. 5. ad primum aſſerentis, quantitatē augeri duobus modis, nimirum extenſiue per additionem partis ad partem: nec non intenſiue, ſine vlla additione quantitatis ad quantitatem, vt contingit in ijs quæ rare fiunt, &c. Secundus eſt Fonſecæ, hic q. 3. ſect. 2. aſſerentis intēſionem fieri per additionem partis ad partem, ob cuius defectum rarefactio non eſt vere intenſio quantitatis. Sed tertius & verus eſt Thomiſtarum nimirum Caietani, in locis prę allegatis, Soti cap. de quantitate, q. 2. ad tertium Soncinatis hic q. 27. & Bañeſij 1. de generatione, cap. 9. quæſt. 12. concl. 5. aſſerentium quantitatem, nec proprie remiti incondenſatione, neque intendi in rarefactione: eo quod non adquirit eſſe perfectius in eadem parte ſubiecti, ſed tantum eſſe magis extenſum: neque denominat ſubiectum ſucceſsiue magis, aut minus quātum: habet tamen ſimilitudinem quandam, cum intenſione & remiſione qualitatum, quatenus fit quantitas maior ſine additione, & minor ſine de perditione alicuius partis. Vnde immerito interpretantur aliqui D. Thomam prædictis locis legendum fore: *per modum extenſionis*, vbi legitur vitio typographi, *per modum intenſionis*: ita vt ſenſus ſit rarefactionem eſſe motum quo quantitas augetur extenſiue: Bañeſiuſque, & poſt ipſum Fonſeca, eandem expoſitionem attribuit Soto, quem citat in margine: ego tamen illam in Soto non inuenio, vt videre eſt apud ipſum, qui cum in toro illo capite de quantitate, dū taxat in ſolutione ad tertium quæſtionis ſecundæ dubitationem de rarefactione tetigerit, prædictæ expoſitionis non meminit, nec neceſſe eſt ad eam recurrere, cuiuſcūq; illa ſit, cum ipſe D. Tho. congruenter ſe explicet, dū in ſecundo teſtimonio appellat rarefactionis augmentū, non intenſionis abſolute, ſed per modum intenſionis, denotans illud ſe habere ad inſtar intenſionis quatenus fit maior extenſio in rarefactione ſine partis nouæ additione, vt articulo ſequenti declaratur: ex quo patet ſolutio ad argumentum, & concludendo dico ſolas qualitates eſſe formas proprie intēſibiles; & quædam alia accidentia; quibus hanc proprietatem ad ſcripſimus, libro quinto, minus proprie & ſecundario.

ARTICVLVS II.

An hoc augmentum intenſiuum qualitatum fiat per acceſsum noui gradus, vel per maiorem radicationem in ſubiecto?

Status quæſtionis.

IN hoc articulo omnes Metaphyſici cōueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: cōueniunt quidē in eo quod ſicut augmentū extenſiuū inhabitibus & cæteris qualitatibus conſiſtit in eo, vt idē habitus in ordine ad diuerſos actus, & plura obiecta ſaltē materialiter diſtincta ſubiectum inclinet, vel diſtintas partes ſubiecti actuet, quo pacto docuit D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 5. augmentum extēſiuum in habitibus fieri per additionem nouę

partis,

partis, scilicet obiecti, vel etiam subiecti in qualitatibus materialibus: ita augmentum extensiuum in eo consistit, vt idem habitus circa eundem actum, & idem omnino obiectum magis promptam reddat potétiam, vel eadem qualitas magis actuet eandem omnino partem subiecti. In explicando autem modum quo qualitates hanc maiorem perfectionem intensiuam adquirant discriminantur in tres cardinales sententias, quarum prima fuit Burlei libro de intentione formarum, & Durandi in 1. dist. 17. quæst. 7. Godfredi, quodlibeto 7. quæst. 7. & quodlib. 11. quæst. 13. & Niphi, in hoc lib. 8. disput. 11. cap. 3. asserentiū huiusmodi augmentum fieri accessu nouæ qualitatis destruentis præexistentem, & præstantis munus illius modo perfectiori, fundamenta huius sententiæ late refert & soluit Capreolus in 1. distinct. citata, quæst. 2. quæ tamen ad hæc tria reduci possunt. Primo quia intensio (vt isti autores supponunt) fit accessu nouæ qualitatis solo numero distinctæ à præexistēti, sed nequeunt conseruari duæ formæ solo numero distinctæ, absque diuersis subiectis: ergo necessum est primam perire ad aduentum secundæ perfectioris. Secundo quia intensio est verus & physicus motus, cuius terminus à quo est forma remissa: ergo, sed omnis motus fit cum abiectione termini à quo, & adquisitione termini ad quem: ergo intensio fit cum abiectione formæ præexistentis. Tertio nam implicat formam variari, quoad essentiam, & manere eandem, cum variari quoad essentiam sit ipsam variari essentialiter: essentialis autem variatio soluit formæ vnitatem: sed per augmentum intensiuum qualitas augetur, secundum suam essentiam, & non tantum secundum radicationem in subiecto: aiet enim D. Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 4. ad tertium propriam vocem ignorare eos qui dicūt charitatem augeri secundum radicationē in subiecto, & non secundum essentiam, idemque habet, quæst. 1. de virtutibus, art. 11. & in 3. dist. 17. quæst. 2. art. 1. igitur dicendum est qualitatem in motu intensionis essentialiter variari, quod fieri nequit absque nouæ accessu, & præexistentis qualitatis destructione.

Sententia Suarij, Vazquij & Nominaliū

Secunda est Bonab. in 1. dist. 17. part. 2. art. 1. quæst. 1. Scoti ibidem, quæst. 2. Aureoli, q. 3. art. 2. Alberti, Ricardi, Gregorij, & aliorum Nominalium in eiusdem distinctionis commētario asserentium intensionē qualitatum fieri per accessum nouæ qualitatis partialis, siue noui gradus, qui sit eiusdem naturæ, & compatibilis, cum præexistēti qualitate ab illaq; realiter distinctus, quibus subscribunt ex Neotericis Fonseca, lib. 5. Metaphisicæ, capit. 10. quæst. 7. sect. & lib. 8. cap. 3. quæst. 2. sectio. 3. Suarez tom. 2. Metaph. disp. 46. sectio. 2. & 3. Tolet. 1. de gener. cap. 3. quæst. 4. Lorca 2. 2. quæst. 24. art. 5. Malderus ibid. & Vazq. 1. 2. disp. 82. c. 3. & 4. qui autores in explicanda distinctione similitudine, & ordine horū graduum, siue partium eiusdē qualitatis, in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim de quorū numero sunt Aureolus, Scotus, Vazquez, Lorca, & Malderus, dicunt illos gradus esse distinctos realiter, & entitatiue, atq; omnino eiusdem rationis inter se, quorum nullum sit perfectum individuum qualitatis seorsum sumptum, ideoque non qualitas, sed potius conqualitas, siue partialis qualitas est appellāda, ex quibus tamen omnibus vna tertia qualitas perfectior singulis coalescit tanquam totum ex suis partibus. Alij vero volunt hos gradus esse entitatiue distinctos, & dissimilares idest non omnino similes, sed dissimiles quantum adhoc quod primus præsupponitur per se ordine generationis ad secundum, & ad illum vt potentia ad actū, siue vt perfectibile ad perfectionē cōparatur, & similiter secūdus ad tertiū, & sic de alijs: tertius vero respectu secundi, & secūdus respectu primi habet se, vt actus atq; perfectio, estq; posterior illo ordine generationis, prior autē ordine intensionis: huic modo dicendi, vt probabiliori adhæsit Lorca vbi su. Suar. deniq; asserit hos gradus, siue partiales qualitates, non realiter entitatiue, sed solū formaliter ex natura rei distingui ad inuicē, cū prædicta individuali dissimilitudine, siue etherogeneitate & cōparatione vnius ad alterū per modus actus, & potentiæ, prioris & posterioris. Illudq; in quo omnes conueniunt, probant quintupliciter. Primo, quia subiectū reddi magis tale per aliquā formā, impossibile est, nisi adquirat maiore formā, qua fiat magis tale: sed adquisitio maioris formæ est adquisitio nouę partis eiusdē formæ igitur per huiusmodi accessum nouæ partis fit intēsio formæ. Maior est nota & minor probatur, quia dū augetur forma, ratione suæ entitatis terminat nouā actionē: nouitas autē actionis nequit saluari sine nouitate termini, ac proinde sine entitate partiali de nouo producta. Secundo nam perspicuum est qualitatem etiam separatam à subiecto miraculose, posse intendi & fieri perfectiorē in se ipsa, & tunc non per corruptionē præexistentis, nec per maiorē radicationē in subiecto à quo est separata: ergo per gradus additionē. Si dicas tūc qualitatē fieri perfectiorem non quia de facto magis afficiat subiectum, sed quia dicit transcendentalem habitudinem ad magis, & perfectius illud afficiendum: contra hoc est, quod in eadē indiuisibili entitate nequit esse quandoque maior, quandoque minor habitu

do ad ſubiectum: ergo neceſſe eſt illam eſſe diuiſibilem, ac proinde expluribus gradibus conſtare. Tertio arguit Vazquez in hunc modum: quando qualitas intenditur ſecundum aliquid ſui producitur, ſecũdum quod antea non erat producta, alioquin à principio fuiſſet tota producta, & conſequenter ſecundũ nihil ſui poſſet de nouo produci: & enim eſſe aliquam qualitatem totam productam eſt ipſam ſic eſſe productam, vt nihil illius reſtet amplius producendũ: ergo intenſio fit in illa per acceſum nouę partis. Quod ſi dicas à principio totam qualitatem fuiſſe productam ſecundum ſe non tamen fuiſſe totaliter æductam de potentia ſubiecti, & illi vnitam: intenſionem autem fieri per maiorem æductionem, & vnionem pre exiſtentis qualitatis cum ſubiecto. Contra hoc eſt: nam vel illa qualitas fuit à principio totaliter producta, vel non: ſi primum, ſequitur quod etiam fuerit totaliter æducta de potentia ſubiecti, & illi vnita, ſiquidem qualitatem produci in ſubiecto, nihil aliud eſt, quam illam æduci de potentia ſubiecti, & ipſi vniri: ergo ſimiliter illam eſſe totaliter productam eſt, ipſam eſſe totaliter æductam de potentia ſubiecti, & ei vnitam: hæc conſequentia patet, quia ſicut ſe habet ſimpliciter produci ad ſimpliciter æduci, & vniri, ita ſe habet totaliter ad totaliter. Si ſecundum neceſſario fatendum eſt, quod aliqua pars qualitatis reſtet producenda, ſicut enim totalitas formæ ex omnibus eius partibus integratur, ita defectus totalitatis informa à principio producta, eſt defectus alicuius partis ipſam integrantis. Quarto arguit idem Vazquez ab inconuenienti nimirum, quia alias nunquam qualitas produceretur per alterationem, ſed ſolum modus aliquis in hærentiæ, & ſic tota qualitas in modos dum taxat reſolueretur: conſequens non eſt admitendum: ergo: ſequæla patet: nam quoties incipit aliqua qualitas produci per motum, ſimul incipit eius intenſio: ergo ſi per intenſionem ſolum producitur modus in hærentiæ, nec per totum motum alterationis producetur, niſi modus qualitatis. Si dicas dari quodam momentum temporis determinatum in quo producatur ſola qualitas per alterationem ſine intenſione, & deinceps producatur modus intẽſionis: hoc eſſe inconueniens probatur dupliciter: tum quia non producitur minima qualitas: ergo nequit qualitas produci, ſine aliquo gradu, aut modo intenſionis. Tũm etiam, quia in motu alterationis non datur primum mutatum eſſe in termino à quo teſte Philoſopho. 6. Phyſicorum, capit. 5. daretur autem, ſi alteratio ſine intenſione reperiretur, quia daretur prima pars motus, & qualitatis per illũ productæ: ergo. Quinto arguit Lorca, ex eo quod charitas (& idem dicendum putà de qualibet alia qualitate intenſibili) non eſt minus diuiſibilis ſecundum intenſibam latitudinem, quam habitus ſcientiæ verbi gratia, ſecundum extenſiuam: ſed iſte ſecundum extenſiuam latitudinem habet partes: ergo & illa ſecundum intenſiuam. Minor eſt D. Thom. in eodem artic. 5. citato aſſerentis augmentum extenſiuum in habitibus fieri per additionem: additio autem dicit acceſum nouæ partis: maior autem probatur, quia charitas ſecundum latitudinem intenſiuam habet gradus eius entitatem conſtituentes, & integrantes, nemo enim negauit charitatem, vt ſex habere ſex gradus, & charitem, vt octo habere octo gradus charitatis, quipro inde ſunt partes illam integrantes: ergo. Id autem in quo præfati autores diſcriminantur, non aliter probant niſi, quia ſinguli exiſtimant ſuum modum dicendi eſſe conuenientiorem ad ſaluandum augmentum intenſiuũ qualitatum fieri per additionem nouæ partis: ſpecialiter autem ſubdit Suarez ſuo modo dicendi ſententias D. Thom. & Scoti Cõciliari, quia D. Thom. ſolum negare videtur additionem gradus entitatiue diſtincti, quam Scotus non adſtruit, ſed ſolam illã quę fit per acceſum gradus formaliter ex natura rei diſtincti, entitatiue tamen, cum præexiſtenti identificati. Tertia ſententia aſſerit augmentum intenſiuum qualitatum fieri abſque acceſu noui gradus per ſolam maiorem radicationem in ſubiecto. Hæc eſt D. Thom. pluribus in locis præſertim, quæſt. 2. de virtutibus, art. 22. & 1. 2. quæſt. 52. art. 2. & 22. quæſt. 24. art. 5. vbi condiſtinguens augmentum extẽſiuum habituum ab intenſiuo, inquit, illud fieri per additionem alicuius partis in obiecto ad quã de nouo extenditur habitus: iſtud vero fieri abſq; additione alicuius partis, per hoc præciſe, quod idem habitus magis actuat & perficit ſubiectũ, cum D. Th. conſentiunt Caietanus in eiſdem locis, Capreol. in primo diſt. 17. q. 2. ar. 1. Herbeus ibid. q. 5. & quodlibeto 7. q. 17. Ægidius, quodlibeto 2. quæſt. 4. Soncinas in hoc lib. quæſt. 21. & 24. Labelus, quæſt. 6. & Flandrenſis, quæſt. 4. Bañes lib. 1. de generatione, cap. 4. quæſt. 5. & Vallentia, 2. 2. quæſt. 24. art. 5. punto 3. & Peſantius ibidem, diſp. 1. qui autores, vt explicent quo pacto eadem qualitas, abſq; additione nouæ partis magis radicetur in ſubiecto diſcriminãtur in quatuor modos dicẽdi: Herbeus enim vult huiuſmodi maiorẽ radicationem in eo conſiſtere, vt de nouo per intenſionẽ adueniat pars qualitatis non actualiter, ſed virtualiter tantum à præexiſtentibus diſtincta: illaſque

conti-

De la esta de la 2ª para ala siguiente

etiam simul per ordinem ad diuersa tempora, vt per miraculosam eiusdem qualitatis reproductionem in eodem subiecto affecto altera simili, contingeret: secus autem pro eodem tempore, & per habitudinem ad idem tempus. Secunda vero, & tertia solutio est insufficiens, quia quantumuis illi gradus sint qualitates partiales, dissimiles, & solum formaliter distinctæ, nihilominus intra eandem speciem gaudent diuersis indiuiduationibus, & habitudinibus, quas implicat multiplicari, vt dictum est non multiplicato eorundem termino, aut principio præter, quam quod Aristoteli repugnat si multas quorumcunque accidentium solo numero distintorum in eodem subiecto, nam libro 5. huius capit. 10. habet hæc verba: *Quæcumque in eodem subiecto diferentiam habent, etiam specie differre*: quasi sola numerica distintio neque at inter accidentia simul afficientia idem subiectum versari: sed necesse sit illa specie diferre: cui testimonio consonat aliud eiusdem 5. Physicorum, capit. 4. vbi asserit ad numericam motus vnitatem, termini mobilis, idest subiecti, ac temporis vnitate desiderari: denotant quod stante vnitate termini, subiecti, & temporis nequit motus secundum numerum pluri ficari: & idem vrget in quibuscunque alijs accidentibus, & his accedit id quod habet in eodem libro, 5. huius, capit. 6. videlicet: *Ea sunt vnum numero quorum materia est vna*: igitur stante vnitate subiecti, & temporis numerica distintio inter gradus qualitatis intensæ nequit saluari, & cum in his testimonijs Philosophus absolute, & sine vlla exceptione, ac distintione loquatur non est cur Fonseca vbi supra, ab hac regula per Philosophum statuta excipiat accidentia incompleta, siue partialia: vbi enim regula, non excipit, aut distinguit, nec nos excipere, aut distinguere debemus: qua propter, vt voluntaria, qua facilitate ab ipso dicitur, eadem à nobis respuitur: vnde ratio facta manet inconcussa. Vltimo probatur labefactando singulos modos defendendi secundam sententiam, primus quidem deficit, quia ex partibus omnino similaribus quarum vna non se habet, vt actus respectu alterius, implicat fieri vnum, tertium per se: ergo si gradus illi omnino simules essent, ex illis non posset fieri vna tertia qualitas, sed solum fiet quodam agregatum per accidens. Nec valet solutio, quam adhibet Vazquez, vbi supra, capit. 6. dicens quod ad eum modum, quo partes continui, licet omnino simules sint, & neutra respectu alterius habeat rationem actus, vel potentiæ nihilominus faciunt vnum per continuationem quatenus termino communi copulatur: ita partes eiusdem qualitatis, licet omnito simules sint, & absque subordinatione vnius ad alteram, possunt vnicam qualitatem integrare quatenus se ipsis immediate, vel ad summum mediante aliquo termino communi illam componunt. Nam si medio aliquo termino communi huiusmodi gradus vnam qualitatem componerent, illa quidem esset vna per continuationem & maior extensiuum: dum taxat non autem perfectior intensiue: si autem se ipsis vnirentur absque subordinatione vnius ad alteram, necesse est ex illis resultare vnum per accidens, nec enim ex partibus nullum habentibus ordinem vnum per se, potest resultare: ergo secundus etiam deficit, quia talis subordinatio per modum actus, & potentiæ, prioris & posterioris, in gradibus eiusdem charitatis, verbi gratia, quæ est supernaturalis qualitas, videtur impossibilis: eo quod cum charitas dispositiue, & meritorie augeatur nostris actibus, gradus posterior potuit esse prior sicut, & actus disponens ad illum potuit exerceri prius quam actus, qui fuit dispositio ad priores gradus: ergo. Deinde quia alias charitas haberet terminum in via, determinatum vltra quem crescere non posset, consequens est contra doctrinam Diui Thomæ 2.2. quæstion. 24. articul. 4. & 7. communiter à Theologis receptam ergo. Sequela patet, quia in his quæ per se subordinantur non potest esse processus in infinitum, sed status quidam assignandus est, & aliquod primum quod aliud prius non supponat, & ipsum ad cætera suponatur: igitur si gradus eiusdem charitatis essentialem habeant ordinem, primus & vltimus, esset in illis assignandus iuxta exigentiam cuiuscumque essentialis subordinationis. Tertius denique eisdem rationibus probatur insufficiens, quatenus eandem essentialem subordinationem in huiusmodi gradibus saluare conatur: quatenus vero sententiam Scoti, cum sententia Diui Thomæ, nititur concialiare frustraneus est: nam secundum mentem Scoti, huiusmodi gradus, siue entiuatiue, siue formaliter distinguantur, sunt partes ingredientes constitutionem ipsius qualitatis: at secundum mentem Diui Thomæ, tantum sunt quædam modales terminationes, non ingredientes compositionem qualitatis, sed illi ad hærentes, & illam perficientes.

28 Dico tertio, nec intensio qualitatum fit per accessum nouæ partis virtualis, nec per *Tertia cõclusio.*

maiorem receſum à ſuo contrario, aut acceſum nouæ exiſtentiæ, ſed tantum per acceſum modalis terminationis perfectioris, & pre exiſtentis coruptionem. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus tres priores modos explicandi tertiam ſententiam, & pro autoribus quarti: & probatur diſcurrendo per ſingulos: primus namque defficit propter duo. Tùm quia eadem qualitas minus intenſa fit magis intenſa, & è contra: ſed inter partes virtuales quarum vna præhabet aliam poteſtatiue, nequit iſte tranſitus reperiri: quo pacto, nec vegetatiuum poteſt formaliter aſcendere ad perfectionem gradus ſenſitibi, nec iſte poteſt formaliter deſcendere ad imperfectionem vegetatibi: ergo. Tùm etiam, quia partes virtuales quando indiuerſis ſubiectis reperiuntur eſſentialiter diſtinguntur, licet in eodem ſubiecto idétificentur: quo pacto vegetatiuum, & ſenſitiuum in planta, & equo eſſentialiter diſtinguntur, quamuis in æquo coincidant in idem, quia ab eadem, anima proueniunt: qualitas autem intenſa, & remiſa, vt albedo, ſiue calor etiam indiuerſis ſubiectis eſt eiuſdem eſſentiæ, & ſpeciei, ſoloque numero diſtinta: ergo gradus qualitatis intenſæ non ſe habent, ſicut virtuales partes, ſcilicet ſicut vegetatiuum, & ſenſitiuum in homine, aut in equo. Verum nihilominus eſt poſſe, hunc modum dicendi ſuſtineri quoad rem ſignatam, ſi eius autores eo tendant, vt velint qualitatem intenſam eatenus habere partes virtuales quatenus gradus, ſiue modus perfectior nimirum vt octo, verbi gratia, virtualiter & poteſtatiue continet priores gradus, ſiue modales terminationes eiuſdem qualitatis, ſic enim intellectus, cum quarto modo dicendi coincidit ſoliſque verbis ab illo diſcriminatur: minus tamen proprie eius veritatem ſignificat. Deinde ſecundus modus etiam defficit: Tùm quia eadem debet eſſe radix intenſionis in qualitatibus habentibus contrarium, & carentibus illo: ſed in hís eiuſmodi ſunt lux & ſimiles: radix intenſionis non eſt receſus à contraria: ergo nec in alijs quæ habent contrarium, primordialiter maior intenſio in receſu à contrario conſiſtit, quamuis concomitanter inueniatur huiuſmodi maior receſus à contrario quando fit maior intenſio. Tũ etiam, quia gratia, & charitas in Chriſto, & Angelis habuerunt intenſionem, ideſt augmentum à principio, & tamen non per receſum à contrario, quia eorum iuſtificatio fuit ſine remiſione peccati. Similiter charitas Beatæ Virginis fuit in continuo augmento, ſine huiuſmodi receſu à contrario, ſiquidem per totam vitam, nec ullum veniale peccatum cõmiſit: ergo. Tùm denique, quia alias omnes Beati interſe & cum Chriſto Domino haberent æque intenſam charitatem, ſiquidem in illis eſt æqualis diſpoſitio ex parte ſubiecti, & excluſio contrariæ cupiditatis: quod tamẽ eſt contra communem & ſanam doctrinam Theologorum 2.2. quæſtion. 24. artic. 4. ergo. Tertius tandem defficit, quia vel illa noua exiſtentia qualitatis intenſæ eſt minor, vel æqualis, vel maior, quam præcedens: ſed nec minor eſſe poteſt, aut æqualis, quia non redderet ſubiectum magis tale, quod tamen eſt contra rationem formæ intenſæ: nec poteſt eſſe maior, quia inter eſſentiam, & exiſtentiã talis proportio debet eſſe, vt eidem formæ omnino inuariatæ manenti in ſe ipſa, nequeat in æqualis exiſtentia adaptari, ſed minori minor, & maiori maior: ergo nequit intelligi maior exiſtentia ſuperuenire qualitati, quin qualitas ipſa fit in ſua entitate maior antecedenter adieſultantiam maioris exiſtentiæ: & idem dicendum puta de inhærentia. Vnde explicandum eſt per quid in illo priori illa qualitas fiat maior exigatque perfectiorem exiſtentiam, ſiue inhærentiam, ſi illa indiuiſibili gaudeat entitate, quod congruenter explicat, quartus modus dicendi per hoc quod noua & perfectior terminatio præexiſtenti qualitati ſuperueniat: qui à ſufficienti diuiſione & aliarum ſententiarũ impugnatione probatur: nam cum entitas qualitatis intenſæ, vt octo, verbi gratia, ſit indiuiſibilis in ſe ipſa nequit eſſe maior, quam eadem qualitas, vt ſex niſi, vel per incluſionem plurium partium, vel per hoc quod eſt alia numero qualitas à qualitate, vt ſex, & iſta corupta illa eſt ſuperſtes: vel quia eſt magis in permixta ſuo contrario: vel per maiorem exiſtentiam actuata: vel tandem, quia eſt per maiorem terminationem terminata: ſed primum dici non poteſt, quia cum ſit entitas indiuiſibilis eſt expers compoſitionis: ſimiliter, nec ſecundum, nec tertium, aut quartum propter rationes aſſignatas: ergo dicendum eſt qualitatem illã fieri, vt octo nihil aliud eſſe, quam ipſam amiſſa terminatione, vt ſex ſiue, vt ſeptem accipere nouam terminationem, vt octo, quæ quia modalis perfectio eſt ipſam qualitatem indiuiſibilem reddit magis perfectam: & quia eſt perfectior, quam præcedens terminatio, illã excludit, & modo perfectiori eius munus præſtat eo quod virtualiter, & poteſtatiue illam præhabet ſicut anima rationalis ſenſitiuam. Vnde ſicut hæc illam excludit, ita perfectior terminatio imperfectiorem. Et confirmatur arguendo ad hominem contra autores præſertim Neotericos ſecundæ ſententiæ

qui

Obliamis esta ↓ Jayparadas ala siguiente.

continens potestatiue sicut rationale in homine virtualiter, tantum distinguitur à sensitiuo, & vegetatiuo, & vtrumque continet potestatiue. Alij vero de quo numero est Ægidius dicunt maiorem radicationem in eo cõsistere, quod forma magis recedat à suo contrario, minusque de illo admiscear. Alij autẽ de quorum numero sunt Capreolus, & Flandrensis, dicunt hanc maiorem radicationem nihil aliud esse, quam quod forma inuariata manens secundum essentiam, adquirat successiue diuersas siue inhærentias, existentias quarum posterior sit perfectior priori, & præstet munus illius perfectiori modo, illaque ad aduentum huius destruatur. Alij denique de quorum numero sunt Caietanus, Bañesius, Vallẽtia, & Pesantius volunt, huiusmodi maiorem radicationem in eo consistere, quod eadem qualitas inuariata manens secundum essentiam, existentiam, & inhærentiam, ideſt sub eadem existentia, & inhærentia perseuerans magis educatur de potentia subiecti, magisque actuet illud per nouæ terminationis modalis accessum, & præ existentis terminationis corruptionem: & quia hæc est verior sententia, pro eius declaratione.

Refellitur augmẽtum, cum antiquæ qualitatis destructione.

26 Dico primo, intensio qualitatis non fit per aduentum nouæ qualitatis destruentis præ existentem: hæc cõclusio statuitur aduersus autores primæ sententiæ, & probatur primo: nam hoc versatur discrimen inter entia successiua, & permanentia, quod in illis ex parte quæ transijt, & parte succedenti componitur vnum numero ens, vt patet in motu tempore, & sono: secus vero entia in quibus ex partibus successionem habentibus nequit vnum numero ens componi: sed qualitas intensibilis est forma permanens, & vna numero toto tempore quo intenditur: ergo nequit ex partibus successionẽ habentibus cõponi. Quod si præfati autores respõdeant ex parte transacta, & succedente nõ fieri vnam numero qualitatem, sed gradum succedentem constituere nouum & speciale, ac perfectius individuum qualitatis distinctum ab illo quod perijt, pereunte priori gradu. Contra hoc est: nam vel hæc secunda qualitas est minor, vel æqualis, vel maior præcedente: si minor vel æqualis, nõ poterit reddere subiectum magis tale, quam præcedens, ac proinde non erit intensior: si maior: ergo jam eadem indiuisibilis entitas in se ipsa erit maior, quod salbari non potest, nisi quia est magis radicata in subiecto: ac proinde illi autores frustrà efugiunt intẽsionem fieri per radicationem. Secundo probatur, nam secundum veriorem sententiam D. Thom. vt statim videbimus, intensio siue alteratio est motus continuus, ad cuius continuitatem saluandam requiritur vnitas formæ ad quam terminatur, hæc enim variata necesse est solui motus vnitatem, ac proinde continuitatem: ergo vt hæc saluetur in toto motu intensionis necesse est eandem qualitatem manere superstitem. Tertiõ probatur ex triplici inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia: primum est: quod intra spacium breuissimi temporis, quo duraret qualitatis, verbi gratia, albedinis augmentum infinitæ albedines corumperẽtur, & producerentur nimirum singulæ insingulis instãtibus quæ in qualibet portione determinati temporis sunt infinita: quod videtur impossibile siquidem, nec totentitates realiter distantas ab agente naturali in breuissimo tempore produci & corumpi, aut sub eius intentionem cadere est possibile. Secundum est quod charitas infusa semel habita in suo augmento corumperetur absq; contrario, & sine culpa habentis, quod tamen esse inconueniens patet. Tùm quia teste D. Thom. 2. 2. quæstio. 24. art. 11. charitas semel habita nequit amiti, nisi per peccatum mortale. Tùm etiam, quia nullum est accidens perfectiuum, quod vno ex tribus modis nimirum, vel per contrarium vel per demeritum, vel per coruptionem subiecti de lege ordinaria non destruatur. Tertium est, quod si ab agente naturali accidentia Eucharistiæ reciperent intensionem, non manerent eadem quæ antea fuerant in substãtia panis siquidem in intensione fit coruptio præ existentium qualitatum: quod tamen derogat sane doctrinæ, quæ docet corpus Christi facta conuersione manere sacramentaliter sub eisdem accidentibus numero, quæ fuerant in pane.

Refellitur augmentum intẽsiuũ per accessum noui gradus.

27 Dico secundo, nec augmentum intẽsiuum qualitatum fit per accessum noui gradus realiter, aut formaliter distincti à præexistente qualitate, hęc conclusio statuitur aduersus autores secundæ sententiæ, & probatur primo: nam teste Philosopho 4. Physicorum textu. 84. quando calidum fit magis calidum, nulla fit partium additio, eadem autem ratio est de intensione aliarum qualitatum: ergo, maior patet ex verbis ipsius Philosophi adductis à D. Thom. 1. 2. quæst. 52. artic. 2. in argumento, sed *contra*, quæ in antiqua traslatione sic habent: *sic ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum*, quo in loco Philosophus intendit probare idem esse omnino subiectum susceptiuum contrariorum, quod verificat in tribus casibus: primus est quando idem corpus transit de calido in frigidum

gidum, aut è contra, ſecundus eſt quando eadem omnino quantitas abſque partium ſubintrantiũ additione rare fit & condenſatur: tertius eſt quando idem corpus ſecundum eandem partem de minus calido fit magis calidum abſque nouæ partis caloris additione vt ibi explicat D. Thom. lectio. 14. ſed Vazquez vbi ſupra, cap. 5. hoc præſus teſtimonio Philoſophi, audet dicere illud, nec à ſancto Doctore fideliter aduci, nec quid quam eius ſententiæ aduerſari: non primum, quia verba Ariſtotelis hæc ſunt: *Sic ex calido fit magis calidum, nulla prorſus ipſius parte, tunc emergente calida, quæ non erat antea calida, cum calida minus erat*: nec ſecundum quia ex his verbis non licet coligere ſecundum mentem Philoſophi, quod fiat magis calidum, nullo aduenient calore, ſed tantum, quod fiat magis calidum ex minus calido non accedente noua parte materiæ calidæ, quæ antea non eſſet calida.

Sed in vtroque dicto decipitur: in primo quidem, quia licet in translatione Argiropoli habeantur verba ab ipſo citata; in antiqua vero translatione, cui eadem, imo & maior fides adhibenda eſt, quia ſicut antiquior, ita & purior translatio eſt; habentur illa quæ citat D. Thom. in ſecundo vero, quia licet mens Philoſophi ſit illo exemplo magis calidi, verificare, quod idem ſit contrariorum ſuſceptiuum, ita vt neutrum contrarium ſuum adducat propriam materiam: ex quo tamen à magis calido excludit nouæ partis materiæ acceſum, conſequenter excludit acceſum noui caloris, qui numero diſtinctus à primo nequit intelligi, ſine nouiſubiecti additione igitur Philoſophi autoritas prout adducitur à D. Thom. manet in concuſa. Ex qua ſecundum argumentum deducimus, quo D. Tho. in hoc articul. vtitur ſub hac forma: omnis additio ſupponit ſibi proportionatam diſtinctionem realem, cum eiuſdem ad ſe ipſum nõ ſit: ergo additio graduum & parcialium qualitatum ſolo numero diſtinctarum ſupponit earundem indiuidualem diſtinctionem: tunc vltra: ſed hæc nequit ſaluari inter formas ſimul afficientes eandem omnino partem ſubiecti, quales ſunt huiuſmodi gradus qualitatis intenſæ: ergo non ſunt ponendi, minor hæc probatur: nam accidentium numerica diſtinctio; aut ex ſubiecti, aut ex temporis diuerſitate prouenit: ex illa quidem, vtquando duæ charitates ſunt pro eodem tempore in duobus hominibus iuſtis: ex hac vero, vt quãdo pro diuerſis temporibus, idem homo diuerſas numero habet charitates.

Ad hanc rationem tripliciter reſpondent aduerſarij primo quidem, negando accidentia, ſolum numero diſtincta non poſſe pro eodem tempore in eodem ſubiecto conſeruari; quod ſibi perſuadent argumento Durandi nimirum, quia aliàs non poſſet Deus de potentia abſoluta, idem numero accidens ſemel coruptum, reproducere in ſubiecto affecto altero accidenti eiuſdem ſpeciei, quia ſi indiuiduatio accidentis corupti dependebat â ſubiecto ſub tali tempore, ſicut tempus ipſum tranſactum non poteſt per diuinam omnipotentiam reproduci, ita nec indiuiduatio accidentis ab illo dependens poterit reproduci, & cum hoc non ſit diuinæ omnipotentiæ de negandum, dicendum eſt, quod ſicut pro diuerſis temporibus, ita pro eodem tempore poſſunt duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto reperiri, ac proinde ex hoc capite non repugnat plurium graduum eiuſdem qualitatis ſi multas. Secundo reſpondet Vazquez, capit. 5. citato huiuſmodi gradus non eſſe qualitates totales, ſed partes integrantes vnam numero qualitatem, ac proinde non eſſe incompatibiles in eodem numero ſubiecto, quia hæc incompatibilitas ſolum conuenit indiuiduis complete diſtinctis intra eandem ſpeciem. Tertia ſolutio eſt, quam adhibet Suarez dicens huiuſmodi incompatibilitatem ſolum conuenire accidentibus eiuſdem ſpeciei, quando ſunt entitatiue diſtincta, & omnino ſimilia interſe; ſecus autem quando ſolum ex natura rei diſtinguntur, & alias habent aliquam diſſimilitudinem, qualem (dicit eſſe) in huiuſmodi gradibus qualitatis intenſæ reperiri. Sed omnes iſtæ ſolutiones ſunt inſuficientes, prima quidem, nam licet verum ſit Deum poſſe de potentia abſoluta eandem numero albedinem v. g. vel charitatem in Petro ſemel deſtructam reproducere, non reproducto tempore à quo indiuiduatur eo quod tempus propter ſui ſucceſſionem reproduci nequit: tamen talis albedo, ſiue charitas reproducta intrinſecam habitudinem tranſcendentalem retineret ad illud tempus tranſactum â quo extrinſico, ab ipſa autem habitudine intrinſice, & proxime indiuiduaretur: at reſpectu eiuſdem ſubiecti & temporis implicat huiuſmodi indiuiduas habitudines multiplicari, quia non multiplicato termino adæquatò alicuius habitudinis implicat ipſam multiplicari, & illo inuariato manente implicat ipſam variari, ac proinde duæ qualitates eiuſdem ſpeciei bene poſſunt in eſſe eidem ſubiecto ſucceſſiue indiuerſis temporibus, vt contingit ſecundum ordinem cauſarum naturalium: aut

etiam

qui fatentur augmentum extensiuum in habitibus animæ fieri absque additione nouæ partis intrinsecæ, per nouam modificationem realem habitus præexistentis: imò ratione huius nouæ modificationis explicat Vazquez vbi supra disputation. 80. cap. 5. testimonium illud D. Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 5. vbi asserit augmentum extensiuum, etiam in habitibus fieri per additionẽ, ita vt sensus sit, quod habitum scientiæ augeri extensiue est ipsum accipere nouum modum ratione, cuius magis, hoc est ad nouum actum, & obiectum materiale extenditur: ergo cum latitudo intensiba qualitatum non sit magis composita, quam extensiua in habitibus animæ, vt etiam aduersarij admittunt: non est cur qualitas ratione nouæ modificationis non fiat magis perfecta in re ipsa, & non redat subiectum magis tale, secundum latitudinem intensiuam.

Satisfit aduersariorũ fundamẽtis.

29 Ad primum fundamentum, pro prima sententia respondetur, illo tãtum conuinci nostram secundam conclusionem. Ad secundum nego cõsequentiam, quia terminus, à quo intensionis non est forma remissa, entitatiue, sed formaliter sumpta, vt sub est tali terminationi: hic autem terminus abijcitur per intensionem; dum abijcitur talis terminatio. Ad tertium respondetur non implicare, quod eadem forma maneat entitatiue quæ secundum essentiam variatur dum modo non maneat eadem modaliter, & sub hac distinctione distinguenda est maior, & admissa minori neganda consequentia, quia qualitatem augeri quoad essentiam non est ipsi aduenire de nouo partem entitatis vt potè, cum sit indiuisibilis, aut prædicatum aliquod essentiale, quia cum essentiæ rerum sint, sicut numeri, omnes sunt essentialiter inuariabiles quãtum ad hoc quod sicut additio nouæ vnitatis variat numerum, ita additio noui prædicati essentialis variat essentiam: sed tantum est, aduenire ei nouum modum essentiæ perfectiuum. Ad primum pro secunda sententia admissa maiori nego minorem ad cuius probationem respondetur nouum terminum ad quem actio intensiua terminatur esse maiorem qualitatem, verbi gratia, vt octo quæ vt sic est præexistens qualitas, vt sub est nouo modo terminationis vt octo. Ad secundum subsumenda est solutio inter arguendum assignata ad cuius impugnationem satis patet ex dictis. Ad tertium respondetur, iusta solutionem ibi assignatam. Ad cuius improbationem neganda est minor, quia licet tota qualitas chategorematice, fuerit à principio producta, & æducta de potentia subiecti, illiq; vnita: non tamen fuit totaliter, & sinchategorematice, ideſt secundum omnes modos, & rationes producta: nec fuit totaliter æducta, aut vnita subiecto, vt potè cum adhuc secundum aliquid sui, hoc est, secundum nouos modos ipsius perfectiuos restet producenda. Ad quartum, prænotandũ est dupliciter posse aliquam qualitatem produci cum modo intensionis, quod declaratur in calore: primo namque potest produci calor intensus, vt quatuor, verbi gratia, quando fit de nouo in subiecto, quod continuo transmutatur de nõ calido in calidum, vt quatuor: & tunc transmutatio hæc fit per alterationem specialiter dictam quæ est productio totius caloris: ad entitatem quidem ipsius caloris primario, ad intensionis autem modum secundario terminata: eiusque termini sunt non calor, & calor, vel frigiditas & calor: secundo potest produci calor intensus, vt quatuor, quando præsupponitur iam in subiecto, vt duo, & à calore habente esse quietum, vt duo, transit in calorem, vt quatuor: & tunc ille transitus fit per motum intensionis specialiter dictũ, à simplici alteratione condistinctum: eiusq; termini tantum sunt minor, & maior calor: hoc suppositio dicendum est, quod si intensio fiat primo modo, est idem motus cum alteratione, quæ si sit motus discretus, vt volũt Capreolus in 2. distin. 17. quæst. 2. Soncinas, in hoc libr. quæstio. 22. Iabellus, & Ferrara 8. physicorum, quæst. 7. Ægidius 1. de generatione, quæstio. 24. dabitur primum mutatum esse, & consequenter minimus calor productus, ante quam in secundo mutato esse acrescat ei modus intensionis, secus autem si sit motus continuus, vt probabilius putant D. Thom. quodlibet. 9. artic. 9. & 2. 2. quæst. 24. art. 7. & in 2. distin. 5. quæst. 2. art. 1. ac lib. 1. de generatione ad textum 84. Bañesius, ibidem, cap. 4 quæst. 6. & Suarez vbi supra sect. 2. & nihilominus saluabitur entitas caloris à modis condistincta, quia sicut ante quod libet mutatum esse præcedit moueri, ita ante quẽcunque modum intensionis, siue gradum determinatum præsupponitur aliquis calor productus propterea, quod quantumnis minimus sit, adhuc est virtualiter diuisibilis in infinitum, sicut quælibet pars cõtinui. Ad quintum nego maiorem, nam per hoc discriminat D. Thom. in prædicto, artic. 5. augmentum extensiuum ab intensiuo, quod illud fit per additionem, & non istud: hoc autem de additione modali non est intelligendum, vt falso putauit Vazquez: quia alias assignatum discrimen à D. Thom. esset nullum: cum etiam augmentum intensiuum fiat per modalis terminationis additionem, siue accessum: sed quia in intensiuo augmento, quod attenditur respectu eiusdem partis subiecti, nec par-

tis intrinſecæ, nec partis extrinſecus connotatæ fit additio: in extenſiuo autem quod in qualitatibus materialibus attenditur pœnes diuerſas partes ſubiecti, in habitibus autē animę pœnes ordinem ad plures actus & obiecta; fit additio nouæ partis intrinſecæ, vel extrinſecus connotatæ, ideſt noui actus, ac diſtinti obiecti materialis: ad probationem autē maioris dicendum eſt charitatem dici vt ſex, vel vt octo non quia iſti gradus ſint in illa actu diſtinti, ſed quia virtualiter & equiualēter illos præhabet dum interminatione perfectiori virtualiter imperfectiores terminationes cōtinentur. Sed quia in articulo præcedenti docuimus rarefactionem quantitatis potius augmento intenſiuo, quam extenſiuo comparari: & alias in illa videtur fieri additio nouæ partis quantitatis quatenus reddit quantitatem præexiſtentem maiorem, ac magis extēſam in ſe, & in ordine ad locum: ac proinde idem videatur dicendum de augmento intenſiuo qualitatum: ideo ad complementū huius doctrinæ tria perpendenda ſunt, quæ in rarefactione contingunt: nimirū maior extenſio: & raritas, atque maior locus; circa quæ pariter examinanda ſunt tria.

Quid raritas, ac denſitas.

30 Primum eſt, an raritas, & dentitas ſint de prædicamēto qualitatis: reſpectu quarum proinde motus rarefactionis habeant rationē intenſionis, & hoc eſt ſecundum quæſitum. Tertium vero eſt, an in hijs motibus fiat adquiſitio ſolum maioris aut minoris loci, vel etiam maioris, aut minoris quantitatis. Circa primum duplex verſatur modus dicendi, primus negans illas eſſe qualitates. Quem tenuit D. Tho. 4. Phiſico. lect. 14. & 2. de gener. lect. 2. & 7. dicens rarum, & denſum propterea non recenſeri à Philoſopho inter contrarietates qualitatū tangibilium, quia non addunt ſupra partes materiæ qualitatem, ſed tantum diuerſum ſitum pœnes maiorem partium quātitatis ptopinquitatem. Cuius ſententiæ fuerunt Albertus, ibid. cap. 2. & Nominales relati à Bañeſio 2. de generation. cap. 6. vbi & ipſe eandem amplectitur immemor eorū quæ docuerat, lib. 1. cap. 5. quæſt. 12. nec non habēt Soto 5. Phiſicorum, quæſt. 1. ad 7. & quæſt. 2. ad primum: dum ait rarefactionem eſſe motū ad quantitatem, reducique ad augmentationem, & Conimbricenſes 1. de genera. cap. 5. quæſt. 17. art. 3. dum aſſerunt duos tantum motus in rarefactione interuenire, alterum præuium alterationis ad calorem, & alterum ſubſequutum, ad maiorem locum: pariterque in condenſatione alios duos, nimirum prœuium ad frigiditatem, & ſubſequutum ad minorem locum. Secundus modus affirmat eſſe qualites: quem tenet D. Thom. in ſumma, ſcilicet, 3. part. quæſtio. 77. art. 2. & in primo diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. Durand. in 2. diſt. 18. quæſtio. 1. Soncinas, hic quæſt. 27. & lib. 12. quæſtio. 14. Fonſeca, hic cap. 3. quæſt. 3. ſection. 2. Caietanus indicta quæſt. 77. artic. 5. & Bañeſius in dict. quæſt. 12. lib. 1. de generatione. Qui procul dubio à nobis ſubſtinendus eſt, propterea quod fuit demente ſancti Doctoris in ſumma, quæ eſt eius vltima voluntas. Et ſuadetur eius ratione: nam aliquando quantitas perſe primo terminat motum, vt in augmentatione: aliquando vero conſequitur ad terminum alterius motus, vt in generatione, vel aggeneratione, cuius primarius terminus eſt ſubſtantia, ſiuē maior ſubſtantia, & pariter contingit in rarefactione, & condenſatione, quarum terminus primarius eſt qualitas, ſecundarius vero eſt quantitas, vel eius partium ſitus. Ob quam rationem forte à Philoſopho non fuerunt raritas & denſitas numeratæ inter illas ſeptem contrarietates qualitatum tangibilium, quia ad primam nimirum calidi & frigidi reducuntur. Ex quo reſpondemus affirmatiue ſecundo quæſito: quia ſi rarefactio perſe primo terminatur ad aliquā qualitatem v. g. ad calorem, vel ad mollitiē, pariter poterit terminari ad maiorem qualitatem, augendo illam intenſiue.

Circa tertiū, tres ſunt modi dicēdi, primus Marſi. 1. de gen. q. 15. & in 4. q. 9. ar. 2. aſſerentis nouā quantitatē aduenire per hos motus, & antiquā corrūpi. Secundus eſt Scoti in eodē 4. d. 12. q. 4. Hiſpal. in 2. d. 18. q. 1. Cai. vbiſ. & Ferrar. 4. contr. gent. c. 65. aſſerentiū ex vi eiuſdē motus alterationis adquiri primario qualitatē raritatis, v. g. & ſecundario nouam partē quantitatis. Tertius eſt Capr. in 2. d. 18. q. 2. & in 4. d. 12. ar. 3. Soti, c. de quantitate, q. 2. ad 3. & 5. Phiſic. q. 2. ad 1. Bañ. in 2. p. q. citatæ, Sonc. hic. q. 17. & Fonſ. ſect. citata aſſerentiū adquiri dū taxat per hos motus maiorem extenſionem localē, ita vt eadē quantitas manens ſub qualitate raritatis maiorē, & ſub qualitate denſitatis minorē locū occupet, quā antea. Qui modus dicendi nobis probatur. Primo, quia eſt expræſus D. Th. 1. 2. q. 52. ar. 2. ad 1. & 2. 2. q. 24. ar. 5. ad 1. vbi in hoc parificat rarefactionē intenſioni qualitatū, quod ſicut in illa fit maior quantitatis extenſio ſine additione nouæ partis, ita in hac fit maior qualitas ſine additione noui gradus. Secūdo, quia alias rarefactio nō differret ab augmētatione, ſiquidē noua pars quantitatis in vtraq; aduenirēt. Tertio, quia illa noua pars quantitatis aduenies, aut reciperetur in eadē parte ſubſtantiæ cū præexiſtente: vel in alia: primū eſt impoſsibile, quia duę partes quantitatis nequeūt recipi in eadē parte ſubiecti, quin altera illarum

rum statim corumpatur, vt asserebat Marsilius. Secundum vero non est dabile, quia in rarefactione non adquiritur noua pars substãtiæ, sicut in aggeneratione: hinc colligimus veram interpretationem testimonij Philosophi 4. Phisico. tex. 84. & D. Tho. ibi lect. 14. asserentis per rarefactionem fieri magnam dimensionem, & paruam per condensationem, ideſt magnam vel paruam quantitatem: quod nomine dimensionis maioris vel minoris intelligunt eãdem quantitatẽ magis, vel minus extensam non in se, sed quantum ad locum: huiusmodi autem adquisitio noui loci fit, vel secundario, & consequenter ex vi motus alterationis; vel fit ex vi motus localis annexi, & consequuti in rarefactione: quæ formaliter suponit pro motu alterationis ad raritatẽ terminato, & ex consequenti connotat motũ localem adquisitiuum noui vbi, & situs.

QVÆSTIO VI.

De natura numero, ac distinctione causarum incommuni, in quatuor articulos diuisa.

QVamuis tã Philosophus, quã D. Th. in 5. huius operis sermone instituerint de causis: nobis tamen in hunc locum tractatum de causarum natura, ac proprietatibus placuit reseruare: ea potissime ratione ducti; quod Philosophus in hoc lib. materiæ, & formæ causalitates proprias explicuit: & ne de eadem materia, verba semel & iterum faceremus: & quia principium est quid communius, & superius ad causam, & à communioribus sit incipiendum; ideo à diffinitione, & diuisione principij hunc tractatũ duximus incipiendum.

ARTICVLVS I.

Quæ & quotuplex sit ratio principij?

1 IN hoc articulo duo examinanda sunt, alterum; in quo consistat ratio principij. Quod per legitimam eius diffinitionem, declarabitur. Alterum vero, quotuplex sit principium. Quod manifestum fiet declarando rerum naturalium principia, igitur vt vtrique quæsito faciamus satis à diffinitione principij late sumpti exordiũ sumimus; quæ sic habet. Est primum ex quo aliquid est, fit, vel cognoscitur; secundum quam diffinitionem, neque pater diuinus respectu filij, neq; pater & filius respectu Spiritus sancti, neque mane respectu diei, neq; punctus respectu lineæ, neq; causa aliqua, siue extrinseca, siue intrinseca à ratione principij excluduntur: his namq; omnibus conuenit esse principium ex quo aliquid est, fit, vel cognoscitur: diffinitio autem principij strictius accepti, vt accipitur ab Aristot. in 1. Phisico. cap. 5. & in lib. 5. Methaphisicæ, cap. 4. nempe qua diffinitur principium entis mobilis, siue rei naturalis, sic habet: est illud quod non sit ex se ipso, siue altero, sed omnia alia fiunt ex ipso, quæ sub numero plurali fuit à Philosopho, his verbis assignata. Principia rerum naturalium sunt: *Quæ nec ex alterutris, neq; ex alijs fiunt, sed omnia fiunt ex ipsis*, in qua diffinitione omnes Philosophi, ac Methaphisici conueniunt, licet circa eius expositionem in tres modus dicendi diuidantur. Alij namque per particulã *ex*, semper importari habitudinem partis intrinsece componentis existimant. Conimbricenses vero 1. Phisi. cap. 5. quæst. 1. art. 1. & 4. dicunt illam denotare disiunctim habitudinem partis componentis, vel termini, *aquo*, Capreolus denique in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 3. & Soto 1. Phisi. quæst. 5. cum Simplicio, ac Philopono volunt illam denotare in prima & secunda parte, diffinitionis habitudinem partis componentis: in tertia vero habitudinem termini, *aquo*, vel partis componentis. De numero autem principiorum rei naturalis: tres fuere opiniones: prima Thales Milesij, & aliorum ante Aristotelem asserentium vnicum dumtaxat esse principium rei naturalis, quos ipse Aristoteles refutat 1. Phisicor. à capit. 3. vsque ad 7. & lib. 1. huius cap. 3. & duobus sequentibus. Secunda fuit aliorum asserentium dari plura quam tria, siue finita, siue etiam infinita, illorũ principes fuere Pithagoras & Empedocles, horum vero, Diogenes, & Anaxagoras. Tertia demum fuit media Aristotelis constituentis tria tantum; quæ ab omnibus est acceptata, à nobisque proinde statuitur pro cõclusione, quoad vtramque partem.

2 Et pro prima parte probatur: quoniam perdictam diffinitionem explicantur conditiones propriæ principiorum, quibus ab alijs rebus discriminantur: etenim per priorem particulam declaratur prioritas ac simplicitas principij, & excluduntur elementa, ac mixta quædam quæ ex alterutris transmutatis fiunt. Per secundam excluduntur cætera composita, quæ fiunt ex alijs: per tertiam explicatur modus concurrendi principiorum ad

Aprobatur diffinitio & trimembris diuisio principiorũ.

ad conſtitutionem rei naturalis: excluduntur que ſubſtantiæ ſeparatæ, & accidentia, quæ licet ſimplicia ſint, tamen ex illis non fiunt res naturales: ergo cum hæc declarent eſſentialem rationem principij, exactam conſtituunt diffinitionem. Secundo, nam hæc diffinitio conuenit omnibus, ac ſolis principijs, nimirum materiæ, formæ ac priuationi, vt patet diſcurrenti per ſingula: materia namque ex nullo ſubiecto fit, cum ipſa ſit primum ſubiectum: omnia autem compoſita naturalia fiunt ex illa: ſimiliter neque forma fit ex alio, tanquam ex parte componente, licet aliquando fiat ex materia de cuius potentia educitur tanquam ex termino extrinſeco ſuæ habitudinis, quod rationem prin principij non lædit. Denique priuatio non fit ex aliquo, quia eſt ens rationis ſimplex, & proprie non fit, & aliàs cunctæ res naturales ob noxiæ generationi, & corruptioni fiunt ex illa, vt ex termino, *aquo*, ſuæ generationis, pro quibus diſtribuit ſignum illud diſtributiuum, *omnia*, poſitum indiffinitione, ſecus vero cœleſtia & incorruptibilia teſte Philoſopho, 1. de cœlo, capit. 3. quorum productio non fuit generatio de priuatione formæ ad formam procedens: neque alijs ab iſtis tribus conuenit, vt conſtat: ergo. Hinc colligo hanc diffinitionem analogicæ dictis principijs conuenire; non ſolum ex ratione, quia priuatio ſit ens rationis, ſed etiam quia munus principij minus perfecte, & ſecundum quid verificatur de priuatione: nam neque omnia compoſita fiunt ex illa, quia cœleſtia non fiunt ex priuatione, vt dictum eſt: neque generabilia quæ ex priuatione fiunt, dependent ab illa vt aparte, ſed vt à termino extrinſeco, *aquo*, & tantum in fieri pendent ab illa: à materia autem, & forma etiam in facto eſſe, & conſeruari. Deinde pro ſecunda parte oſtenditur: nam principia rei naturalis debent habere priuatiuam oppoſitionem, vt inter illa verſetur generatio: debent enim eſſe terminus ad quem, & terminus aquo, atque ſubiectum vtriuſque ſuſceptiuum in quo fiat tranſitus ab vno in alterum: huiuſmodi autem eſſe tria dum taxat, patet: quoniam forma eſt terminus ad quem generationis, priuatio eſt terminus, aquo, & materia eſt ſubiectum vtriuſque, & hæc eſſe ſufficientia, neque plura deſiderari pro qualibet generatione ſubſtantiali probatur: quia hæc ſolum petit ſubiectum, quod tranſeat de non eſſe tali ad eſſe tale: & formam vt terminum ad quem, & priuationem vt terminum aquo, inter quos eſt priuatiua oppoſitio, per quam generatio diſtingnitur à motu qui verſatur inter terminos poſitiuos & proprie contrarios.

ARTICVLVS II.

An cauſa ſit id, ad quod aliud ſequitur?

3 IN QVO duæ ſunt ſententiæ: prima reprobans dictam diffinitionem cauſæ, aliam nouam aſſignat: ſcilicet, *cauſa eſt, quod primò influit eſſe in aliud*, vel; *quod dat eſſe alteri*: vel *aquo dependet aliud*: ita vt pro eodem reputent eius autores, *influere*, *dare eſſe*, ſeu, dependere. Ita Fonſeca, primo Methapyſicæ, capit. 7. ſection. 1. Suarius diſputation. 12. ſection. 2. & Conimbricenſes, 2. Phiſicor. capit. 3. quæſtion. 1. articul. 1. Secunda ſententia; quæ prædictam cauſæ diffinitionem, vt legitimam tuetur, neque in alio eſſentiam cauſæ collocat, eſt communis, illamque ſequitur Diuus Thomas, vbicunque de cauſis loquitur præſertim opuſculo, 31. & in 1. diſtinction. 29. quæſtion. 1. articul. 1. & hoc in libro lection. 1. & Soto, libr. 2. Phiſico, quæſtion. 3. §. *pro huius*, eſſeque ex libro de cauſis de promptam communiter receptum eſt, quod Diuus Thomas, expreſſe atteſtatur.

4 Pro cuius declaratione duo duximus prænotanda, vel; quod hoc pronomen, id latiſſima, & quaſi tranſcendente gaudet ſignificatione, ſecundum quam poteſt accipi pro quocunque ente: ex antecedentibus tamen, vel ſubſequentibus, vel intellectis determinatur, vt potius pro vero, quam pro alio accipiatur. Cui ſi adiunxerimus, pro nomina poni aliquando loco nominum: etenim iuxta æthimologiam pronominis; id circò pronomen appellatur, quia loco nominis ſolet apponi, vt ego diſputo, perinde eſt, ac ſi dicerê Franciſcus diſputo. Habebimus indiffinitione cauſæ li, *id*, perinde eſſe ac ſi *principium*, apponeremus. Secundò, quod verbum, *ſequitur*, non ſolum ſignificat dialecticam conſequutionem, qua ratione conſequens conſequitur ad antecedens bonæ conſequentiæ: ſed etiam, & per prius importat realem ac phiſicam ſequelam, & dependentiam vnius ex alio, qua ratione effectus ad phiſicam cauſam conſequitur, quibus placet adiungere quæ dialectici, cum Soto, lib. 2. minoris dialecticæ, capit. 11. lection. 1. nec non cum D. Thom. 1. p. quæſt. 31. art. 2.

art. 2. aduertunt de relatiuo diuersitatis, v. g. *Alius*, quod si masculi ne sumatur solam importat suposiți distinctionem vnde cõuenienter dicimus filiũ diuinum esse aliũ à patre, quia est alia persona, & aliud suppositum siue hipostasis diuinę naturæ. Et si sumatur in genere neutro absque expressione substantiui dicit aliam essentiã & aliud esse: quia cum genus neutrum sit informe, conuenienter significat essentiam potius quam personam. Vnde negamus filium esse aliud à patre, ne incidamus in errorem Arrij qui posuit cum Trinitate personarum essentiæ Trinitatem.

5 Ex quibus sic adnotatis liquet nostrã diffinitionem ex fontibus per hiparetica doctrinæ depromptam sanè intellectã, esse exactam, in illaque genus ac differentiam causæ, seu quasi genus proximum quod est principium, & rationem quasi differentialem, quæ est physica dependentia vnius ab alio distincto secundùm esse & naturã congruenter explicari ac tandem omnibus & solis causis sub diffinito contentis cõuenire: quare ad nullã aliam nouam diffinitionem fore recurrendum.

Aprobatur cõmunis diffinitio causæ.

Respondeo dicendum prædictam diffinitionem, exactam esse atque communem rationem causę congruenter declarare. Probatur hæc conclusio contra Authores primæ sententiæ. Nam ratio causæ consistit in eo quod sit principium ad quod sequitur aliud in essentia & esse distinctum cũ dependentia physica ab illo ad quod sequitur, at nostra diffinitio totum hoc explicat exacte: ergo est exacta. Ampliusque fiet manifesta hæc cõclusio solutionibus argumẽtorum quibus aduersarij illam labefactare connantur.

6 Arguitur igitur 1. aduersus nostram conclusionem. Nam Philosophus neque hic, neque 2. physic. neque in libro de causis vllam causæ diffinitionem assignat, sed immediate ad eius diuisionem eiusque mẽbra procedit: ergo sine fundamento talem diffinitionem assignamus vt legitimã Philosophi ex libro de causis depromptã. Respondetur concesso antecedenti nego consequentiam duplici de causa. Tũ quia Aristoteles aliquando omittit diffinitionẽ generis, communisque rationis quãdo illius quiditatem per species potest sufficienter elucidare. Tum quia ex eius verbis sanè intellectis in locis citatis, præsertim in libro de causis (cuiuscumque ille sit) colligitur planè nostra diffinitio.

Secundò. Prædicta diffinitio conuenit alijs â diffinito: ergo deficit. Antecedens patet nam conuenit principio, in tota sua latitudine & præsertim conuenit priuationi, quod cõueniat principio liquet ex eius diffinitione tradita art. præcedenti, quæ eadem est cum diffinitione causæ: siquidem quòd aliquid sit primum ex quo res est, & quod sit id ad quod res sequitur idem sunt. Rursus etiam priuatio hominis est id ad quod sequitur homo genitus per generationem, quæ de nõ esse hominis ad esse hominis terminatur. Respondetur nihilominus negando antecedens pro vtraque parte. Ad probationem primæ partis ex multiplici differentia quæ versatur inter principium & causam vtriusque diffinitionis diuersitas patefiet licèt voce tenus eadem esse videatur, quinque nãque differentijs differunt principium & causa vt ex D. Tho. vbi supra, colligitur. 1. quòd ratio principij cõmunior est & latius patens quam ratio causæ (siue genus sit, siue prædicatum analogũ superius ad causam & ad cætera principia) vnde in multis saluatur ratio principij. v. g. in patre diuino respectu Filij & Spiritus Sancti, & in pũcto respectu lineæ in quibus ratio causæ non saluatur.

7 Secundo quod ratio causæ intrinsecè dicit diuersitatem in essentia & esse respectu sui effectus, aqua abstrahit ratio principij. Tertiò, quòd illa connotat dependentiã siue quoad esse, siue quoad fieri in causato, quã non connotat hæc in principiato. 4. quòd ratio principij nullã inuoluit imperfectionem in suo cõceptu vtpote, quæ in Deo ad intra reperitur, at ratio causæ includit imperfectionem Deo repugnantem respectu diuinarũ processionum. Quinto denique differunt quod causa, aut omninò extra essentiam, aut pars essentiæ causati debet esse, at principium neutrum requirit, neque enim punctus est pars essentiæ lineæ cum hæc non componatur ex indiuisibilibus: neque omninò extra illius essentiam existit cum sit ipsius modus & complementum: in diffinitione igitur causæ alietas essentiæ, dependentia & alia quæ sunt de ratione causæ denotantur, quæ tamen non includuntur in diffinitione principij, vnde non coincidunt huiusmodi diffinitiones, vt falso Suarez existimauit. Ad probationem secundę partis. Respondetur quôd in diffinitione causæ, verbum *sequitur* dicit cõcursum physicum ex parte causæ & dependentiam ex parte effectus, mutuãque ex parte vtriusque positiuam distinctionem in essentia quæ priuationi, nequeunt conuenire. Ex quibus colligitur illas diffinitiones à supradictis

authoribus aſignatas aut ſuperfluum, aut ineptum aliquid continere. Prima enim ac ſecũda diffinitio ineptæ ſunt ſiquidem alicui contento ſubdiffinito, hoc eſt materiæ primæ nõ conueniunt quæ cũ ſit vere cauſa neq; influit neq; dat eſſe, ſed potius cauſat recipiendo per merã paſſiuã receptionem. Tertia verò diffinitio quæ dependentiã explicat licet nihil ineptũ contineat ſuperfluis tamen verbis abundat, ſiquidem hanc ipſam dependentiã illud verbũ *ſequitur* ſatis explicat, & inſuper ordinem poſteriõris reſpectu prioris, quem ordinem nõ ſatis declarat verbũ *dependet*, ſaltem apud omnes, multis enim placet vnum relatiuum ab altero dependere, & tamen abſque vllo ordine prioritatis.

ARTICVLVS. III.

An ratio cauſæ adequatè immaterialem, formalem, efficientem & finalem diuidatur.

8 IN hoc art. licèt fuerint olim duæ extremæ ſententiæ circa numerũ cauſarũ, altera Platonis in Timeo aſſerentis dari ſex genera cauſarũ nempè exẽplarem & inſtrumentalem vltra quatuor genera aſsignata. Altera Meliſi, Parmenidis, & Thaletis credentiũ vnicũ dumtaxat principium ſiue cauſam eſſe, ſcilicèt aquã aerem vel ignem: quos recenſet Ariſtot. 5. huius c. 3. & 1. phiſic. c. 2. iſti enim ſicut vnum tantum principiũ, pariter & vnicũ genus cauſę nempè materialis poſſuerũt. Sed quia naturã cauſæ materialis ignorauerũt, conſequenter formalis efficiens & finalis ipſos latuit. Vnde ijs reiectis opinionibus. Tertia quæ quatuor prædicta cauſarũ genera tantũ aſsignat cõmunis eſt & ab omnibus recepta: quæ propter hæc quoq; ſit noſtra concluſio.

9 Reſpondeo dicendum hãc eſſe adequatã diuiſionem cauſæ in materialem, formalem, efficiẽtem & finalem. Probatur 1. nam tot ſunt genera cauſarũ quot ſunt interrogationes factę aut factibiles de aliquo effectu, at huiuſmodi interrogationes ſunt quatuor tãtũ, ſcilicet, *ex quo*, per quid, *à quo* & propter quid eſt talis effectus: quarũ prima per materialem, ſecũda per formalem, tertia per efficientem, & quarta per finalem cauſam terminatur: ergo. 2. omnia alia cauſarũ genera, quę ab iſtis apparent diuerſa (ſi quæ ſunt) facillime ad prędicta reducuntur, vt inſtrumentalis, ad efficientem, & exẽplaris ad formalẽ cauſam: ergo nõ debent vltra quatuor prædicta multiplicari.

Quatuor ſolum eſſe genera cauſarũ.

10 Sed contra arguitur 1. punctus eſt cauſa reſpectu lineæ, & nõ continetur ſub aſsignatis: ergo Maior: nam quidquid facit formaliter tale, eſt cauſa illius formaliter talis ſed punctus facit lineã formaliter terminatã ſiquidem lineã eſſe formaliter terminatã punctis eſt aliquis effectus in rerũ natura à punctis prouenientes: ergo pũctus eſt cauſa illius vt ſic terminatæ. Reſpondetur negando maior, ad probationem diſtingo maio. quòd facit formaliter tale per modũ termini puri, eſt cauſa nego maio. quòd facit tale per modũ formę, vel per modum partis intrinſecè cõponentis &c. concedo illã, & diſtingo min. ſub eadem diſtinctione, & nego cõſequentiã. Qua de cauſa verbũ diuinum licèt conſtituat humanitatem Chriſti formaliter terminatã, & eſſentia diuina licèt reddat, per modũ ſpeciei vnita intellectum beati formaliter intelligentem in actu primo, nullã exercent cauſalitatem reſpectu humanitatis aut intellectus beati, quia hos effectus tribuunt per modũ puri termini, & nõ per modũ formæ informãtis, aut partis intrinſecè cõponentis. 2. Reſpõdetur cõceſſa maio. diſtingo minor, non cõtinetur ſub aſsignatis directè concedo, reductiue nego min. Etenim punctus, ſicut eſt terminus cõplens lineã formaliter, ita reductiue pertinet ad genus cauſæ formalis.

11 Secũdo arguitur, obiectũ aut terminus ſpecificans ordinem habitus ſiue potentię ſiue actus eſt vere cauſa, & ſub nulla ex quatuor aſsignatis cõtinetur: ergo. Min. ſi ſub aliqua cõtineretur, maxime ſub formali, eo ꝙ obiectũ dat ſpeciem ꝙ eſt propriũ cauſæ formalis, ſed ſub hac non: quia ſub ratione terminãtis & ſpecificantis extrinſecè, illã ſolũ habet cauſalitatem, quam vnũ relatiuũ terminãs & ſpecificans reſpectũ ſui conpoſiti: at correlatiuũ nullam in hac terminatione & ſpecificatione exercet cauſalitatem veræ cauſæ formalis alias nõ eſſet ſimul natura vnũ relatiuũ cũ altero, ꝙ eſt falsũ: ergo. Cõfirmatur. Ratio obiecti terminatiui reperitur in ente rationis: vt patet in obiecto logicæ, ꝙ eſt ſecunda intentio, & in obiecto cõcipientis chimerã, at ens rationis nequit eſſe cauſa effectus realis, quia effectus realis realiter debet cauſari: cuius cauſalitatis eſt incapax ens rationis: ergo alia gaudebit cauſalitate quæ neq; materialis ſit aut formalis intrinſeca, ſed tãtũ ſit formalis extrinſeca, vel õbiectiua, ſiue exemplaris. Ad hoc argumentũ Suarez vbiſupra aſſenerat, ꝙ licèt obiectũ vt motiuũ ſit cauſa efficiens & mobens,

tamen

tamẽ vt terminatiuũ nullam exerceat causalitatẽ, nulliusq; causę rationem sortiatur quia e t purus terminus quia ratione verbũ diuinum, respectu humanitatis assumptæ, punctum respectu lineæ, & vnum relatiuũ respectu alterius excluſimus à ratione causæ. Confirmatque suã sententiã quoddam testimonio D. Th. ex 1.2. q. 1. ar. 3. Sed mihi oppoſita ſententia magis placet tũ quia ex D. Th. loco citato oppoſitũ colligitur. Cũ enim D. Th, probet ibi actus humanos sortiri speciẽ à fine qui est obiectũ voluntatis, ex illo principio, *vnũquodque sortitur speciẽ ex actu & forma*, manifeste colligitur ex eius doctrina finem & obiectũ terminatiuum esse actũ seu formã dantẽ extrinsecè speciẽ actibus humanis, & per conseq. prædictam Suarez aut textũ non legisse (quod in aliis multis locis quæ passim citat ipsi cõtigisse percepi) vel in electione textus deceptum fuisse, tũ etiã: quia obiectum vt terminatiuum est mensura fundans relationem tertij ordinis in respiciẽte ipsum: mẽsurare autem non est extra genus causalitatis: tũ deniq; quia habitus & similiter potẽtia vere dependet à suo obiecto nedum motiuo, sed etiã terminatiuo: ergo habet esse dependenter ab illo, & per conseq. de tali obiecto verificatur diffinitio causæ, nẽpè quod est id ad quod aliud sequitur. Vnde ad formã argumenti concessa maio. nego min. Ad cuius probationem dico obiectũ terminatiuum non esse adeò purum terminum, vt mensurationis, prioritatis & causalitatis formalis extrinsecæ sit expers, sicut sunt illi termini inter arguendum pro exẽplo adducti. Ad confirmationẽ dupliciter potest dici. Primo quod ens rationis sicut cognoscitur per speciẽ entis realis, ita per illã eleuatur ad genus causæ formalis extrinsecæ, dantis speciem potentiæ vel habitui reali. Secundũ quod sicut finis non existens realiter finalicat, quia causat per methaphoricã motionẽ, ad quam sat est existẽtia intentionalis in aprehensione intellectus, ita ens rationis nõ solũ ratione speciei (vt diximus in prima solutione) sed etiam ratione sui potest realiter extrinsecè mensurare & specificare, quia ad istum modum causandi formæ extrinsecæ sat est intentionalis existentia in aprehẽsione intellectus.

12 Tertio, causa nõ diuiditur immediatẽ in ista quatuor genera assignata sed immediatius diuiditur in causã intrinsecã & extrinsecã, vel in causã realiter influentẽ & causantẽ intentionaliter, & posteà hęc mẽbra sub diuidũtur: ergo nõ est assignãda diuisio causæ sub illa forma à nobis tradita. Ad hoc Suarius fatetur diuisionẽ causæ sic debere fieri per mẽbra immediata. Causa, alia intrinseca, alia extrinseca, rursus intrinseca, alia materialis, alia formalis, & extrinseca, alia efficiens, alia finalis, vel sic alia realiter influens, & hæc vel materialis: vel formalis vel efficiens, alia intentionaliter influens & hæc est finalis: sed neutra horũ diuisionum congrue fieri potest. Nõ prima: quia no esset adequata: nã causa formalis extrinseca sub nullo mẽbro claudetur quod est absurdum in philosophia, & quia tantũ darẽtur duo genera causarum: quod est contra cõmunem modum dicendi, qui quatuor fatetur genera causarũ. Nõ secũda: quoniã nulla diuisio datur per duo membra quorum alterum sit species sub alterna, & alterum species athoma nisi detur per membra cõtradictoria quorum alterũ alterius dicat negationem: vt diuisio animalis per rationale & irrationale, & diuisio entis per finitum & infinitũ: diuisio autem præfata manifeste datur per duo membra quorum alterum est species subalterna vel ratio quędã analoga, alterũ verò est species infima, & neutrum alterius dicit negationem. Cõfirmatur: nã materia & forma non realiter influunt, eo ꝙ influere realiter est propriũ causæ efficientis; est enim agere, quod solius efficientis est igitur causa realiter influens nequit subdiuidi in causam materialem & formalem: qua propter nostra diuisio congrua & immediata est. Vnde ad formam argumenti negatur antecedens.

13 Vltimo arguitur. Exemplar est vere causa exemplati, vtpote à quo exemplatũ dependet, & sub nulla ex istis quatuor continetur: ergo. Min. sub aliqua contineretur, maxime sub formali: sub hac nãq; Aristoteles 2. phisic. c. 3. cõprehendit exeplar dicens causam formalem esse speciem & exemplum, seu *exẽplar*: sed sub hac non cõtinetur, quod patet: quia exemplar agit in exemplatum: at causa formalis est expers actiuitatis: ergo. Mai. probatur 1. quia ars, quæ est habitus operatiuus agit in artificiatum, & non nisi mediãte idea seu exemplari: ergo. 2. ad operationem artis cuiuslibet tria concurrunt. Nempè potentia exequtiua vt exequens, voluntas vt mouens & ipsa ars vt dirigens mediante idea, at isti concursus sunt actiui: ergo. 3. sic se habet idea ad ages artificiale, sicut forma naturalis ad agens naturale: vtraque enim sui effectus similitudinem præhabet: ergo sicut forma naturalis est ratio agendi agenti naturali, ita forma artificialis seu idea est ratio agen

Exemplar reducitur ad causã formalem.

di agenti artificiali. Propter hoc argumentum, est triplex modus dicendi. Scotus nãque in 1. d. 2. q. 2. & d. 35. q. vnica art. 1. sustinet exemplar reduci ad causam efficientem, sequutus Bonauenturam in d. 11. q. 3. quibus subscribit Suarius 1. to. metaphisi. disp. 25. sect. 1. Secundus modus asserit exẽplar sub causa formali contineri directè vt speciem constinctam à forma intrinseca & ex æquo genus causæ formalis dividentem: sicut duæ species infimæ diuidere solent genus sub alternum, ita Fonseca lib. 1. metaphis. c. 7. q. 1. sect. 5. & Conimbricenses 2. phisi. c. 3. q. 4. ar. 1. & 2. mouenturque ad id asserendum: quia omnis forma intelligibilis, qualis est exemplar independens est à forma phisica intrinseca. Tũ quoniã huiusce modi causandi modus est diuersus in genere causæ formalis â modo causandi formæ intrinsecæ: illa enim causat extrinsece mensurãdo & obiectiue vt passiue imitabilis ab effectu exemplato: hæc verò causat intrinsece, se ipsa ingrediendo compositũ: ergo. Denique, quia forma idealis causat nobiliori modo, scilicet vt ratio prototipa ab alio participabilis in quo nulla voluitur imperfectio repugnans Deo: forma verò phisica intrinseca causat informando & vt ab alio dependens atque participata in quo admiscetur imperfectio quę in Deo nequit reperiri.

Tertius asserit exemplar ad vtrumque genus tàm formalis, quàm efficientis causę sub diuersis considerationibus pertinere. Ita Molina 1. p. q. 15. art. 1. disp. 2.

14 Sed omnes isti modi deficiunt à veritate. Primus quidem, quia repugnat testimonio allato ex Aristotele in argumento, & quia exemplar nullius est actiuitatis, sed passiue se habet quatenus est id ad cuius imitationem artifex effectum operatur. Secundus etiam defficit: quia Aristoteles solum quatuor species causæ numerauerit: si autem exemplar esset per se perfecta species causæ formalis quinque debuisset numerare. Rursus: quia exemplar defficit à modo proprio causæ formalis: licet enim esset perfectius in genere entis, causari per modum exemplaris, tamen in ratione causæ phisicæ perfectius est causare cum illa imperfectione, scilicet componendo & informando, ingredi per se ipsam compositum. Ex quo soluuntur obiectiones. Tandem tertius modus ex alijs duobus relinquitur improbatus, quare dicendum est, exemplar reductiue pertinere ad genus causæ formalis, vt cõcausam formæ intrinsecæ, cui per prius & complete competit causalitas formalis, & iuxta hanc sententiam. Respondetur ad formam argumenti, negando minor. Ad probationem nego iterum minorem. Ad cuius primam probationem nego mino. quia ars agit medijs potentijs exequtiuis per quas introducit formam artificialem in materiam. Ad secundam negatur similiter concursum ex parte ideæ esse effectiuũ, vt pote qui proprius est obiecti passiue se habentis. Ad tertiam nego maior: quia forma naturalis est in ipso agente intrinsece, & ideò est illi ratio agendi sicut & ratio essendi: naturale enim agens agit in quantum est in actu per suam formam intrinsecã: at idea siue exemplar ad agens artificiale comparatur solum vt forma extrinseca & obiectum cognitionis illiusque terminus, in quo artifex effectum construendum intuetur & illum intuendo ad eius similitudinem effectum operatur, quem non producit similem formæ per quam constituitur in esse talis, sed similem formæ cognitæ: eo quod agens artificiale non agit in quantum est, sed in quantum cognoscit.

ARTICVLVS. IIII.

An causa vniuoce in prædicta quatuor genera diuidatur.

16 IN hoc artic. duplex versatur sententia. Prima asserit causam vniuoce diuidi in quatuor genera causarum sicut genus in suas species. Ita Soto vbisupra & alij recentiores. Secunda asserit duo: primum est quod ratio principij quæ est proxime superior ad causam analoga est omnibus principijs, secũdum est, quod ipsa ratio causæ à Philosopho in phisica considerata analoga etiam est omnibus causis. Primum dictum habet Suarex vbisupra sect. 1. & adducit pro se D. Tho. in 1. p. q. 33. art. 1. & in 1. d. 29. q. 1. artic. 1. secundum autem habet sect. 3. cui fauent Conimbricenses, qui non distinguentes rationem naturæ & causæ intrinsecæ in materia & forma lib. 2. phisico. c. 1. q. 1. art. 2. asseuerarunt naturam de materia ac forma analogice prædicari, idã de ratione causæ asseuerare tenentur quinimo cum ipse Suarius existimet causam immediate diuidi in realiter influentem, & influentem intentionaliter, quibus nihil vniuocum in ratione causandi conuenire potest, in sententia horum autorum nedũ ab omnibus causæ generibus, verum etiã neque à duobus potest vniuoca ratio causãdi abstrahi.

Pro

17 Pro huius explicatione notanda sunt duo. Primò quòd in præsenti articulo nomine causæ non accipimus causam pro materiali, hoc est, pro rebus quæ habent causare, sic enim sunt res adeo diuersæ vt vniuoce nequeant in aliqua ratione entis conuenire, verbi gratia, res quę est materia, res quæ est causa formalis, res quę est causa efficiens &c. sunt aliquando diuersorum prædicamentorum: & si aliquando sint eiusdem prædicamenti substantiæ, non tamen sunt determinatæ substantia completa, aut incompleta, sed sub ratione substantiæ abstracta à completa & incompleta, quæ analogicè abstrahit ab vtraque. Neque etiam accipimus causam in tota sua latitudine vt abstrahit à creata, & increata: sic enim perspicuum est nullam rationem vniuocam illis posse conuenire.

Secundò, quòd nomine causæ solum intelligitur in præsentiarum causa, quæ vere, propriè & absque addito rationem causæ sortitur: si enim hic diuideretur causa, vt comprehendit causas impropriè dictas, & secundum quid, verbi gratia instrumentalem, & remouentem prohibens: negatiuam vt est absentia nautæ respectu submersionis nauis &c. certum est analogam esse causæ diuisionem. Quinimo in omnibus hijs acceptionibus non solum causa vt sic ad omnia quatuor genera, sed etiam vnumquodque genus ad sua membra analogum esset. Nam causa efficiens de rebus, quæ habent efficere, etiam formaliter sumptis, vt de efficiente principali & simpliciter, atque de efficiente instrumentali & secundum quid analogice prædicatur: idemque de alijs generibus proportionabiliter verificatur. Causa igitur quæ in hac diuisione est diuisum sumitur pro causa formaliter vt subest, actuali causalitati, vel rationi causandi & ordini ad actualem causalitatem. Accipitur etiam pro causa creata quæ Deo subordinatur: denique accipitur pro causa, quæ propriè ac simpliciter dicitur talis, quo supposito sensus articuli est. An causa phisica & creata, quæ simpliciter est talis, in ratione causandi, analogice in materialem, & formalem, efficientem ac finalem diuidatur?

Analogam esse rationẽ principij & vniuo

18 Respondeo dicendum primo, rationem principij (quæ est superior ad causam) analogam esse analogia proportionalitatis, probatur prima pars. Nam ratio principij extenditur ad Deum & creaturas, ad priuationem & entia realia, ad causam & non causam quæ nullius concursus est particeps: in suum principiatum, neque ab illo distinguitur, vt est mane respectu diei, & punctus respectu lineę ab ijs autem omnibus nequit abstrahi vnica ratio vniuoca principij: ergo. *cã rationẽ causæ.*

Secunda verò pars patet ex ratione talis analogiæ, quæ (vt diximus lib. 4.) petit in suis analogatis, secundum formalem, & intrinsecam prædicationem & proportione quadam vna saluari: sicque ratio principij in suis analogatis saluatur: ergo. De analogia verò attributionis si sermo fiat, nullum est inconueniens illam in ratione principij fundari quatenus ab vnico & potissimo principio cætera possunt denominationem accipere: sed ex testimonijs citatis Diui Thomæ hæc analogia non colligitur, imo neque de analogia vllum verbum fecit D. Thom. vt legenti vtrumque textum patebit, solum enim D. Tho. docet rationem principij esse communionem ratione causæ, neque esse omninò idem cum illa.

19 Dico secundo probabile est causam nõ dici vniuoce de quatuor generibus causarum, sed probabilius est oppositum. Prima pars suadetur argumentis contrariorum. Secunda verò pars probatur primo: nam conceptus abstrahibilis à modis diuersificantibus illum in inferioribus vniuocus est: sed conceptus causæ abstrahibilis est à modis diuersificantibus ipsum in singulis generibus causandi, quia cum non sit tranicendens non est in ipsis in bitus & ab ipsis in præcindibilis: ergo erit vniuocus vtpotè perfectè abstractus.

Secundo: nam ratio naturæ, quæ est principium motus & quietis vniuoce dicitur de materia & forma, vt bene docet Soto 2. phisicor. quæst. 1. conclusione secunda: ergo & ratio causæ de illis vniuoce dicetur, & per consequens non video quare de omnibus vniuoce non dicatur. Consequentia patet, ratio enim naturæ, vel est eadem cum ratione causæ, vel est inferior ad illam. Vnde Philosophus diffiniens naturam dixit esse principium, vel causam motus & quietis loco generis constituens principium vel causam. Antecedens autem probatur: nam sicut à substantijs totalibus abstrahibilis est conceptus vniuocus substantiæ totalis: ita ab essentiali conuenientia partialium substantiarum abstrahibilis est conceptus vniuocus substantiæ partialis, quæ est princi-

pium motus & quietis: in ratione talis: ergo conceptus naturæ vniuocus eſt.

20. Sed contra hanc ſecundam concluſionem arguitur primo in vniuocis prius aſſignanda eſt diffinitio quam diuiſio: Philoſophus autem immediate abſque diffinitione procedit ad cauſæ diuiſionem, vt ſupra adnotauimus: ergo ſignum eſt ratio nem cauſæ analogam eſſe. Reſpondetur, negãdo maiorẽ vniuerſaliter intellectam, licèt regulariter vera ſit. Aliquando enim Philoſophus omittit diffinitionem vniuoci, quando ex eius ſpeciebus poteſt manifeſtari, ſicque in logica tractaturus de prædicamentis, ſubſtãtiæ: & quantitatis prætermiſis eorum diffinitionibus, ſtatim à diuiſionibus & membris diuidentibus exorditur. Reſpondetur ſecundo, quod philoſophus prædictam cauſę diffinitionẽ hic non aſſignauit, quia ex libro de cauſis illam ſuponebat.

Secunda ratio cauſæ nequit vniuoce de cauſa finali & cæteris prædicari: ergo. Antecedens: nam cauſa finalis mouet metaphorice abſque vlla reali exiſtentia: at reliquæ cauſæ reales præbent concurſus ad quos phificam petunt exiſtentiam: ſed enti reali, & enti confecto, quod ſola aprehenſionis gaudet exiſtentia: motioni reali & motioni metaphoricæ ſeu intentionali nihil vniuocum poteſt conuenire: ergo neque ratio cauſæ hijs communis vniuoca erit. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem nego minor. quia licèt finis quando mouet multoties non ſit ens reale participialiter, ideſt, realiter exiſtens, eſt tamen ens reale prædicamentale quoad rationem formalem finalizandi: quia non mouet niſi per realem bonitatem in ipſo fine aprehenſam, quæ eſt capax realis exiſtentiæ. Rurſus motio illius nõ dicitur intẽtionalis & methaphorica: quia non fit phiſica & realis, ſed quia non petit phificam finis mouentis exiſtentiam: vt ex infra dicendis ſuppono, enti autem actu exiſtenti realiter, & enti in potentia exiſtenti: ſimiliter motionis realiter realem exiſtentiam petenti, & motioni reali exiſtentiam realem non petentì, non repugnat dari aliquid vniuocum. Tertio arguitur, ratio naturæ analogice dicitur de materia & forma: ergo etiam ratio cauſæ de illis, nec non de quatuor generibus cauſarum dicetur analogice. Antecedens probatur primo: quia nequit vnicus gradus bis contractus reperiri in eodem inferiori: ſi autem ratio naturæ eſſet gradus propter ſui vniuocationem, ſemel in materia, & iterum in forma eiuſdem entis naturalis contractus reperiretur: ergo. Secundo: quia ab vltimis conſtitutiuis ac diſtinctiuis, vtpote ſimplicibus nequit abſtahit vniuocus conceptus: ſed materia & forma quatenus ſunt principia compoſiti naturalis, ſunt vltima illius conſtitutiua, diſtinctiua ſic ſimplicia: ergo. Tertio: quia materia dependenter à forma rationem & munus naturæ participat, at dependentia obſtat vniuocationi: ergo. Reſpondetur ad hoc argumentum Coimbricenſium negando antecedens. Ad primam probationem diſtingo maior. ſi illud inferius ſit idem formaliter, concedo, ſi non ſit formaliter idem inferius, ſed per incluſionem duplicis inferioris, nego maior. & quia compoſitum naturale non eſt inferius formaliter ad naturam, ſed includit duplex inferius ad naturam, materiam ſcilicet & formam, ideo poteſt ſemel & iterum gradum naturæ contrahere, ratione materiæ ſemel, & iterum ratione formæ, ſicut idem homo affectus albedine & calore habet eundem gradum qualitatis bis contractum, ſcilicet, & ratione albedinis, & ratione caloris. Ad ſecundam diſtingo maior: ſi ſint vltima diſtinctiua, & ſimplicia in genere phiſicæ compoſitionis, nego: ſi ſint vltima & ſimplicia in genere metaphiſicæ compoſitionis concedo maiorem. Licèt enim materia & forma ſint vltima & ſimplicia conſtitutiua, atque diſtinctiua in compoſitione phiſica, eo quod nequeunt reſolui in alias partes phiſicas: tamen, quia non ſunt vltima atque ſimplicia extrema compoſitionis metaphiſicæ, eo quòd poſſunt reſolui in ſuum genus & differentiam eo modo, quo conſtant genere & differentia, vt entia quædam incompleta, ideo abſtrahibilis eſt ab eis vniuocus conceptus & generícus naturæ. Ad tertiam diſtingo maior, materia dependenter â forma participat rationem & munus naturæ, in ratione communi, nego: in ratione particulari talis naturæ concedo, & pariter diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia, ſicut enim dependentia ternarij abinario, quia nõ aſcendit ad rationẽ cõmunem, ſed manet in ratione particulari talis numeri, non obſtat vniuocationi numeri vt ſic, ita neque dependentia materiæ â forma: quia manet in ſola ratione particulari talis naturæ, obſtat vniuocationi naturæ vt ſic, & per conſequens nequit talis dependentia

tolle-

tollere causę vt sic vniuocationem.

22 Vltimo arguitur. Ratio entis est analoga ad entitates quatuor causarũ generum, vtpote quæ diuersorum prædicamentorum entitates, & harum quasdam completas, & quasdam incompletas comprehendit: sed ad hanc rationem entis, ratio causæ consequitur vt proprietas: ergo similiter & ratio causę est analoga. Consequentia patet, quia ex radice analoga nequit vniuoca passio dimanare maxime: quia subiectum & passio, nedum, quoad entitatem, verum quoad vnitatem conuerti debent. Respondetur negando consequentiam, & ad illius probationem vtrumque antecedens negatur, cuius quam plurimas aduximus instantias lib. 1. cum de immaterialitate obiectorum, scibilium ageremus, ibi namque docuimus, quod licet vnaquęque essentia conuertatur cum sua passione in essendo: non tamen oportet vt conuertatur cum illa quoad vnitatem, vel quoad modum vnitatis: nam quamuis bene valeat, est ens: ergo scibile, & è contra: non tamẽ sequitur quod si ens gaudet vnitate tantum analogica, eadem debeat gaudere scibile in suo conceptu, vtpote quod vniuocum est suis inferioribus. Similiter bene valet: est animal: ergo habet iure conaturalitatis potentiam visiuam & è contra: non tamẽ sicut animal est genus: ita potentia visiua, quæ potius est eiusdem speciei in cunctis animalibus, pariter ad rationem entis quæ analoga est in rebus quæ sunt causæ: potest consequi tanquam proprietas quædam, modus vel ratio causæ, quæ vniuoce suis inferioribus conueniat.

QVÆSTIO II.

De causæ materialis natura & causalitate propria, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS. 1.

In quo consistat propria ratio & causalitas causæ materialis?

1 IN hoc art. communis sententia docet, propriam rationem materialis causæ consistere in eo quod sit potẽtia receptiua & subiectum ex quo fit aliquid cum insit, causalitatem verò consistere in quodam concursu potentiæ passiuæ siue subiecti receptiui, qui congruenter, materializatio potest appellari, vt bene aduertit Soto 2. phisic. q. 3. circa solutionem tertij argumenti. Verum in explicatione huius conclusionis materialis, qui dicitur materializatio: & in explicanda ratione causandi materiæ, cruda vigescit inter neotericos controuersia, quorum sententiæ ad hos tres possunt reduci. Prima asserit tria. Primum est quod ratio causandi materiæ est sua entitas actualis, vt subest existentiæ, ita vt existentia ipsam rationem formalem causandi ingrediatur. Secundum est quod causalitas materiæ respectu effectus in fieri seu generationis est ipsa generatio & respectu illius in facto esse seu compositi est sola vnio materiæ cum forma post transactam generationem perseuerans. Tertium est quod materia gaudet duplici causalitate ex natura rei distincta, altera circa suum effectum in fieri, aliera circa effectum in facto esse. Ita Suarez, qui primũ dictũ habet disp. 13. sect. 8. alia verò duo habet sect. 9.

Secunda sententia est Conimbricensium in 2. phisic. c. 3. q. 6. 7. & 8. in tribus dictis consistens. Verum primum est causalitatem materiæ esse quendam modum formaliter ex natura rei distinctum ab entitate materiæ, formæ & vnionis, hoc dictum habent, quæst. 6. art. 2, secundum quod habetur quæst. 8. art. 1. est materiam gaudere duplici causalitate, altera circa compositum, altera circa formam. Tertium dictum est ibi, quod causalitas circa compositum consistit in componendo intrinsece illud, at causalitas circa formam consistit in recipiendo in fouendo, & in conseruando illam subiectiue.

2 Tertia denique sententia alia tria cõtinens dicta, est Petri de Fonseca hic ca. 2. q. 1. sect. 2. & 3. Asseritque primo in dicta sectione 2. causalitatem materiæ non consistere in hoc quod est materiam esse partem potentialem & intrinsecam compositi, vt asserunt quidam pro qua sententia citatur Ochamus in 2. q. 3. videturque esse sententia Conimbricensium. In tertio dicto, asserit 2. in eadem sectione neque causalitatẽ materiæ consistere in duplici causalitate, altera circa formam de potentia materiæ educibilem, & altera circa compositum, quibus præsupositis, in sectione 3. concludit quod vna generalis ratio causandi in materia potest ac debet assignari, quæ nihil aliud est, quam quod materia sustineat formam quod munus formæ (id est) quoad informationem: quod si quis interroget hunc authorẽ: per quid materia prima possit præstare hanc causalitatem, cum ex se

nullum esse habeat. Respondet sectione 4. illam præstare per suam essentiam, & per esse existentiæ sibi proprium ac debitum à quo omnes formæ quoad informationem saltem dependent, in quo conuenit cum primo dicto primæ sententiæ: licèt in alijs discriminetur.

Titulus articuli exponitur.

3 Sed pro veritatis explicatione, explicare necessum est terminos tres tituli quæstionis. Nempè quid nomine proprietatis rationis, & nomine causalitatis: ac nomine causæ materialis intelligatur? Cum igitur duplex sit ratio causandi: altera in actu primo in qua fundatur relatio causatiui, altera in actu secundo, in qua fundatur relatio actualiter causantis: & vtraque suo modo causæ materiali pro vt ab efficienti, finali & formali distinguitur debeat conuenire. Nomine rationis propriè intelligitur illa ratio per quam materia constituitur in actu primo causa materialis dicens habitudinem ad actum secundum & effectum sibi proportionatum qui est actualis causalitas. Et nomine causæ materialis accipimus infimum illud & imperfectissimum genus causæ ab efficienti, finali & formali distinctum per quod quæstio facta per ly, *ex quo*, soluitur ac terminatur: hijs suppositis.

Quid causa materialis sit, declaratur.

4 Respondeo dicendum primo, rationem causæ materialis in actu primo, esse potentiam receptiuam & compositiuam per modum subiecti. Hæc conclusio probatur 1. ex diffinitione ipsius materiæ, quæ (teste Aristotele 1. phisico. text. 82.) sic habet. *Materia est primum subiectum vnius cuiusque ex quo fit aliquid cum insit, secundum &c.* In qua diffinitione duo denotantur materiæ essentialiter conuenire, scilicet & quod sit potentia receptiua in nulla alia recepta, & quod sit pars ex qua fit aliquod per se compositum, illius compositionem intrinsece ingrediens, quo suppo sito sic argumentor. Ratio causandi materiæ in actu primo est entitas ipsa quam explicat eius diffinitio cum habitudine ad effectum: sed in prædicta diffinitione explicatur ratio potentiæ receptiuæ cum habitudine ad compositum: ergo ratio causæ materialis consistit in hoc quod est esse potentiam receptiuam & compositiuam per modum subiecti & partis intrinsecæ materialiter se habentis. Secundo probatur ex ipso nomine, quo causalitas & actus ipse secundus materiæ solet explicari. Appellatur namque talis causalitas. *Materialicatio*, sicut causalitas propria finis dicitur congruenter, finalicatio: sed id quod per huiusmodi materialicationem reducitur in actū est ratio potentiæ receptiuæ & subiecti: ergo hęc est ratio causæ materialis in actu primo. Minor probatur qui à materialicare est concurrere recipiendo formam: sed sola potentia receptiua est, quæ reducitur ad actum per receptionem: ergo. Consequentia verò, patet, quoniam ratio causæ in actu primo est illa cui correspondet actualis concursus sui generis, & quæ per illum reducitur de potentia ad actum. Tertiô probatur: nam habitudo causæ materialis explicatur per hoc quod sit subiectum de quo educitur forma: aut in quod introducitur: sed hæc est ratio potentiæ receptiuæ: ergo in hac consistit. Maior patet à sufficienti diuisione: nam ratio hæc causæ materialis, vel consistit in habitudine potentiæ recepriuæ quæ explicatur per illam præpositionem *in qua*, vel in habitudine potentiæ de qua edducitur forma quæ explicatur per hanc præpositionem, *de qua*, vel in vtraque simul: vel abstrahit ab vtraque determinate, & cum perspicuum sit illā non consistere determinate in habitudine, *de qua*, quia absque hac saluatur ratio causæ materialis in ordine ad hominem & animam rationalem: & consequenter neque consistere in vtraque habitudine simul: relinquitur manifestum illam consistere in habitudine, *in qua*, vel in habitudine abstrahente ab ista & ab illa. Minor verò probatur: nam Aristoteles explicans propriam rationem materiæ in quantum est quædam species causæ in 2. phisicor. text. 28. sic ait. *Vno quidem modo causa dicitur, ex qua fit aliquid cum insit sicutæs statuæ, & argentum fialæ*, in quibus verbis denotat habitudinem causæ conuenire materiæ quatenus potentia receptiua & subiectum formæ, & quia hæc habitudo, *ex qua*, in ordine ad compositum, non ponit in numero cum illa habitudine per quam materia est subiectum in quo forma recipitur, eo quod materia per eandem rationem formalem complete sumptam, per quam est apta nata esse id ex quo cōpositū fit, est etiā id in quo illius forma recipitur, siue educatur, siue nō de potentia talis subiecti. Vnde philosophus per habitudinem subiecti, *ex quo*, explicuit, causam materialem quam nos in habitudine subiecti, *in quo*, collocauimus: quia illam habet materia in ordine ad compositum: & hanc in ordine ad formam: quod autem vtriusque habitudi-

nis

nis sit eadem formalis ratio. Patet: nam quãdo aliqua entitas respectiua respicit duos terminos ordine quoddam, vnum scilicet propter aliũ, tũc respectus ad terminum secundariũ non addit nobã formalitatẽ supra respectũ ad primariũ siquidẽ neq; nobã addit specificationem, hæc enim ex solo obiecto siue termino primario desumitur, qua de causa ipsa materia prima, quia per se primo respicit formã substantialem & secundario formas accidentales ex hoc secundario respectu nullã accipit nobã formalitatem aut specificationem, quã ex primario respectu nõ habeat: vnde quia causa materialis respicit formãpropter cõpositũ, propterea enim recipit formã vt ex eius receptione resultet cõpositũ, absq; noba formalitate vtrũq; respicit formam quidem secundario & vt subiectum, *in quo*, & compositum primario & vt subiectum *ex quo*.

Existẽtiã nõ esse de ratione formalis illius.

5 Dico 2. existentia nullatenus ingreditur prædictã rationẽ formalem causę materialis in actu primo: est tamen cõditio necessaria ad eius causalitatẽ in actu secundo. Huius conclusionis prima pars labefactat primã & tertiã sententiam, quatenus asserebat vtrãque materialem causam cõstitui in actu primo per suã entitatem vt propriã includẽtẽ existentiã, & probatur. Tũ quia materia per id constituitur cõplete in actu primo per quòd est potentia receptiua formæ, & per quòd intrinsece cõpositionem cõpositi ingreditur per modum partis siue cõponentis potentialis. Sed hæc omnia prẽhabet materia per suam entitatẽ prænintellectã existẽtiæ: ergo. Tũ quia in illo priori in quo materia prima, v.g. ligni, intelligitur recipere formam ignis de nobo geniti, vere intelligitur ratio causæ materialis & tamẽ pro illo priori non dũ intelligitur sub existentia: ergo existentia nõ pertinet ad formalẽ rationem causandi materiæ. Min. Nã tunc nõ intelligitur materia sub effectu secũdario formæ substantialis ignis qui est existentia, sed tantũ sub effectu primario, qui est esse essentiæ eo ꝙ pro illo priori forma ignis intelligitur recepta in materia tãtũ quoad effectũ primariũ, & pro alio signo rationis intelligitur præstare effectũ secundariũ. Tum etiam quia in alijs generibus causarum existentia aut non requiritur, aut solũ ad cõplementũ per modũ conditionis desideratur, quod inductiue manifestatur. Nã in causa finali nullatenus physica existentia requiritur cũ formalis finalicandi ratio, sit bonitas ipsa finis aprehensi, in causa formali solũ requiritur vt cõditio ad eius causalitatem, nõ tamen requiritur ad eius rationem causandi, in actu primo cũ per suã entitatẽ existentiæ præintellectã forma habeat informare materiã & totũ cõponere, vt simili argumẽto, ei quod fecimus de materia facile potest cõprobari: in efficienti verò vbi existentia est magis requisita adhuc nõ est ratio agendi aut pars illius cũ existentia non sit operatiua, requiritur tamen vt intrinsecũ illius cõplementũ: ergo cũ materialis causa sit omniũ infima & imperfectissima existentiã ad suæ rationis causandi cõplementũ minime requirit: tum demq; quia talis exigentia existentię in materia, esset vel ex connexione illius cũ actualẽ causalitate materiæ, vel ex actualitate ipsius rationis causandi in actu primo: vel ex identitate existentiæ cũ tali ratione causandi, nõ primũ quia ex illa connexione solũ sequitur existentiã requiri ad actualem causalitatem materiæ per modũ cõditionis quod nos etiã fatemur in secunda parte conclusionis, non secundũ quia causa materialis est omniũ infima & potentialissima, non tertiũ: quia inter entitatẽ materię & formæ & vtriusq; existentiã realis (vt suo loco ostẽdemus) distinctio versatur, & similiter materiã primam in qua potissime ratio causæ materialis saluatur, propriæ existentiæ expertem esse infra monstrabimus. Igitur ratio causæ materialis in actu primo antecedenter ad existentiam intelligitur constituta. Secũda vero pars patet: quia actualis causalitas materię est actualitas quædã realis & physicus concursus quã non exerceretur nisi sub forma & in illius receptione consistit, subesq; actioni generationis quæ terminatur ad esse, at realis & physicus concursus requirit existentiã saltem cõcomitanter: ad quã etiam terminatur generatio introducens formam in materiã: ergo.

6 Dico 3. causalitas propria & veluti actus secundus causæ materialis, neq; est generatio, neq; est vnio sola & formalis, sed est illa subiectio secundũ quã forma & cõpositũ dependent à materia. Hæc conclusio statuitur pro prima & secũda parte contra primam sententiam, & pro tertia explicat secũdã & tertiam. Et probatur prima pars nã propria causalitas materiæ, dicitur & est materialicatio, sicut causalitas formæ est informatio, & finis est finalicatio, & efficientis est actio siue efficientia, sed generatio nullatenus est materialicatio: ergo. Min. quia generatio est concursus agentis siue causæ efficientis: ergo non causæ materialis. Confirmatur: nam vel generatio sumitur actiue id est vt egreditur ab agẽte: vel passiue id est vt recipitur in paso. Neutro modo potest esse causalitas materiæ: ergo. Minor. quia actiue sumpta generatio est causalitas agẽtis vt dictum

ctũ est, passiue verò accepta potius est effectus dependens à materia sicut & genitũ cum quo identificatur generatio recipitur & de cuius potentia suo modo educitur. Confirmatur adhuc & explicatur amplius: nã generatio passiue acepta est forma cõpleta directè in prædicamento passionis collocata: at causalitas materiæ est modus quidã incõpletus substantialis ad nullũ prędicamentũ pertinens directè: sed ad summũ reductiue ad prædicamentũ substãtiæ, & quia causalitas materiæ in facto esse est ipsamet causalitas quæ aliquãdo fuit in fieri, vt cõtinuata sicut causalitas agentis in facto esse, est ipsamet actio & efficientia vt continuata. Igitur sicut materialicatio in facto esse nequit esse generatio ita neque materialicatio in fieri poterit esse generatio.

7 Secũda pars ptobatur. 1. nã relatio prędicamentalis nequit esse causalitas alicuius causæ: eo ꝙ relatio talis inter causam & effectũ iã præsupponit effectũ causatũ ac proinde supponit causalitatẽ causæ media qua effectus causatur, & hac ratione ipse Suarez sectio. 9. citata §. *secũdo* reicit quorũdã sententiã afferentiũ causalitatem materiæ esse relationem prædicamentalẽ causantis: sed vnio formalis materiæ cũ forma est relatio prædicamentalis: ergo nequit esse materiæ causalitas. Min. patet tũ autoritate D. Th. ita dicẽtis in 4. d. 27. q. 1. ql. 1. tũ ratione: quia totũ esse vnionis est ad extrema vnita, quæ etiã denominat eodẽ modo sicut relatio æquiparãtiæ 2. Probatur: nã vnio tribuit diuersam denominationem ab illa quã tribuit materiacatio, & aliquãdo reperitur sine illa. Hæc sunt signa distinctionis: ergo. Mai. quia vnio denominat formã & materiã vnitas, materialicatio verò denominat solã materiã causantem materialiter, siue materialicãtem, & vnio materiæ terminatur ad animam rationalem sicut ad alias formas, tamen ad illam secundum se non terminatur causalitas materiæ siquidem materia neque causat esse, neque fieri animę rationalis: sed dumtaxat cõcurrit ad eius informationem, quòd est causare illã secundũ quid, scilicet secundum modum vnionis siue informationis. Igitur alia est denominatio ab vnione, & à materię causalitate proueniens, & illa respectu alicuius reperitur ad quòd hæc non extenditur.

Quòd si dicat Suarez se nõ loqui de vnione formali quæ est relatio æquiparentię: sed de modo vnionis substantiali qui est fundamẽtum vnionis formalis, verum quidem diceret. Nam in hoc constituemus statim propriam materiæ causalitatẽ, sed hoc non potest dicere quin suis dictis cõtradicat: nã modus iste vnionis substantialis aut teneret se ex parte materiæ, vt intrinseca illius affectio & propria eius causalitas, aut ex parte formæ. Primũ negat Suarez, qui in aducta sect. 9. §. *quotuplex vnio*, asserit vnionem quæ est causalitas materiæ esse vnicũ modum propriũ solius formę, & in eodẽ §. versus finem ait quòd etiã si gratis admittatur in materia proprius modus substãtialis distinctus à modo vnionis formæ, ad hucille nequit esse causalitas materiæ: quia materia neque per illum modũ sustentat formam, neque componit cõpositum, sed per suã entitatem, & forma per suam propriam informationem pendet à materia & non per illum modum tenentem se ex parte materiæ.

8 Secundũ verò, fatetur Suarez, sed patet esse falsum. Nã causalitas est veluti actus secundus tollens intrinsecam potentialitatẽ suę causæ & reducens illam de potentia ad actũ, debet ergo esse intrinseca illius & non alterius affectio, & quia alias eadẽ esset causalitas materiæ & formæ consequens est falsum: ergo. Sequelã admittit Suarez in d. §. hijs verbis cõcludens. *Ex hijs viterius cõcluditur atq; ita non esse aliam causalitatẽ compositi nisi ipsammet causalitatẽ formæ.* Min. autem probatur: quia diuersa causarum genera diuersis gaudere debent causalitatibus, adeoque propriã exposcit vnumquodq; genus causalitatem, vt alienam nequeat emẽdicare aut exercere, alias imperfectum esset tale genus quod alienum causalitatis modũ emendicaret: & neque illo sic emẽdatio vti posset, vel illi adaptari, haut secus atq; Dauidi Saulis armaminime adaptari potuerũt vt illis armatus posset dimicare: ergo nequit saluari sententia huius authoris de modo vnionis substantialis nisi nomine tenus cũ re ipsa eius dicta cohærere non possint.

9 Tertia pars declaratur, materialicatio nihil est aliud quam materiam recipere formã & illi subesse atq; substerni, quod est subiectio seu vnitio materiæ ad formã per modũ subiecti in quo respectu formæ, & subiecti ex quo respectu compositi, & hoc est, quòd Authores secundæ sententiæ apellãt materiam recipere, fouere & conseruare formam. Authores verò tertiæ dicunt consistere in hoc quòd materia sustineat formã quoad munus informandi. Sed vt explicetur quid sit hæc formæ receptio siue materiæ subiectio & qualiter à materia ipsa distinguatur & ab vnione formali prædicamentali quam fundat. Duobus modis mihi probabilibus procedi potest. Primò si sustineamus in materia & forma ad inuicem vnitis inter earũ nudas entitates & relationem

nem vnionis mediare quẽdã vnitionis modũ substantialem, qui modus ex parte formæ, & similiter ex parte materiæ sit illa passiua subiectio atque causalitas materiæ, quã materialicationem apellamus, sitq; ex parte vtriusque proprius, peculiaris ac proprius modus vnicuique extremo acomodatus, & ab alterius modo distinctus, & relationis prædicamentalis, vnionisque formalis fundamentũ: & quia hæc opinio admittens hos modos vnitionis inter duo extrema vnita: & ad explicandã mutationem factã in humanitate assumpta ex vnione aduerbũ: & in intellectu beati ex vnione ad speciem increatam est necessaria: ideò in hoc potest haut improbabiliter tertia pars nostræ cõclusionis sustineri. 2. Si sustineamus aliorũ opinionem negantiũ hos modos vnitionis in materia & forma, atque in aliis extremis quomodolibet vnitis: eo q̃ putãt huiusmodi extrema sufficienter vniri per actionem agentis quæ est vnitio actiua mediaqua resultat relatio vnionis prædicamentalis aqua extrema formaliter denominantur vnita, & quia hæc opinio est etiã probabilis: ideò iuxta eam potest hæc pars cõclusionis ad hũc sensum explicari, quòd causalitas materiæ nihil aliud est quã susceptio formæ, & passiua subiectatio atque traditio suæ entitatis passiue se habentis, quę neque est vnio formalis relatiua, neque modus absolutus vnitionis passiuæ, neque vnitio actiua agentis, neque nuda entitas materiæ, aut aliud incomplexe significatum: sed est ipsa entitas materiæ vt subest generationi, siue actioni inducenti formã in ipsam, vel est materiam subesse tali actioni: quòd si subsit actioni in fieri erit causalitas materiæ in fieri, si autem subsit illi iã trãsactæ, erit causalitas in facto esse. Habetque hic dicendi modus fundamentũ in Caietano qui 1.p.q.76.ar.1.§. *in responsione ad sextũ* explicans causalitatem formæ circa materiã & circa cõpositũ, aut actũ veluti secundũ causæ formalis esse formã dare esse subiecto, quod nihil est aliud, quam formã esse actũ subiecti & esse id quo subiectũ est substãtialiter aut accidentaliter, quod neque est ipsa forma, neque ipsum subiectũ, neque aliquod ens mediũ, sed est subiectũ & formã esse indiuisam tali esse. Similiter igitur causalitas materiæ neque erit sola materia, neque sola forma, neque aliquis modus medius sed erit materiã substerni formæ, & esse illa actuatã atque in tali esse ab illa indiuisam: quibus præsuppositis declaratur tertia conclusionis pars in hũc modũ. A sufficiente diuisione causalitas materiæ est aliquis cõcursus materiæ in cõpositũ & informã, & nõ est iste concursus generatio ab agente egrediens, neque vnio prædicamentalis, neque alius modus vnionis ex parte formæ se tenẽs, neque nuda entitas materiæ: igitur passiua materiæ ad formam subiectatio, quæ nihil est aliud quã passiua ad illam vnitio, vel ipsa entitas materiæ vt subest actioni vnitiuæ ita vt actio vnitiua sit conditio, entitas verò materiæ vnitæ ratio formalis talis causalitatis, quæ vt subest actioni generandi est causalitas in fieri, vt autem subest illi iam transactæ est causalitas in facto esse.

10 Sed contra prædictas conclusiones suo ordine arguitur. 1. Nã materia (vt infra videbimus) duplicẽ habet effectũ circa quẽ duplicẽ exercet causalitatem alterã circa cõpositũ: & alterã circa formã: ergo duplicẽ etiã debet habere rationẽ causandi alterã in ordine ad primã causalitatẽ quæ sit ratio subiecti cõpositiui *ex quo*, & alterã in ordine ad secũdã, quæ sit ratio subiecti susceptiui, *in quo*, & per cõsequens falso vtrãque ratione in vnã simplicẽ potẽtiæ receptiuæ & simul compositiuæ cõfundit prima cõclusio. Confirmatur, nã philosophus explicuit rationẽ causę materialis per habitudinem subiecti *ex quo*, siue in ordine ad cõpositũ. Ergo nos illi cõtradicimus dum huiusmodi rationem ponimus in habitudine subiecti *in quo*, siue in ordine ad formam.

Ad hoc respondetur negando cõsequentiã: quia eadem ratio causæ & potentiæ potest extẽdi in duplicẽ causalitatem atq; in duplicem effectũ, quãdo causalitates & effectus aut partiales & inadæquati sunt, aut ordine quodã se habentes, & huiusmodi esse causalitates & effectus materiæ iã ex parte ostendimus & articulo sequenti plenius ostendemus. Ad cõfirmationem respondetur Philosophũ præcipuã habitudinem in materia cõsiderasse quæ est illa per quã est causa cõpositi non tamen alteram minus principalem excluisse quæ est illa per quã respicit formam, cum hæc cum illa identificetur, vt iã explicuimus. 2. Nã omnis entitas actualis includit existentiã quæ est omniũ actualitatũ actualitas: sed ratio causandi cõstituẽs materiã actu primo est entitas actualis, vtpote quæ est actus primus à quo prouenit actualis concursus & veluti actus secundus, causalitatis: ergo debet includere existentiam, quod tamen negat secunda conclusio. Respondetur distinguendo maior. omnis entitas actualis actualitate physica debet includere existentiam concedo. Secus verò si sit actualis

actua-

actualitate eſſentiæ & metaphiſica, & quia materia pro illo priori pro quo præintelligitur actuali cauſalitati tantum eſt actualis actualitate Metaphiſica ſui actus differentialis, quę ei ſufficit ad cauſalitatem omnium infimam præſtandam. Ideò pro illo priori non claudit exiſtentiam.

11. Tertiò arguitur actualis cauſalitas materiæ eſt materia ipſa, vt ſub eſt actioni vnitiuæ (vt explicuimus iuxta ſecundum dicendi modum) ſed ex hoc cõplexo quòd eſt materia ſubeſſe actioni vnitiuæ prima pars eſt nuda materia, quæ nequit eſſe cauſalitas ratione ſui ſolius. Debet ergo cauſalitas ſaluari ratione ſecundæ partis, quæ ſe habet ex additione ad materiam, & hæc eſt actio ipſa: ergo cauſalitas materiæ eſt generatio, & cum non ſit cauſalitas in facto eſſe erit cauſalitas in fieri. Confirmatur, nã inter materiã, & formãnon reperitur, niſi vnicus & ſimplex modus vnionis tenẽs ſe ex parte formæ. Ergo idẽ modus vnionis qui eſt cauſalitas formæ, eſt etiã cauſalitas materiæ, & perconſequens non eſt alius diſtinctus & proprius materiæ vt contendebat tertia concluſio. Antecedens patet, quia adumiendũ duo extrema ſufficit vnicus ſimplex modus alteri adherens extremorum, ſic enim vnico vinculo videmus aliquando duo extrema colligari: & poteſt aſsignari ratio ſpecialis, ob quam talis modus ex parte ſolius formæ ſe habeat: quia ſcilicet tota efficientia agentis naturalis terminatur ad formam educendo illam de potentia materia, vel vniendo eam materiæ. Vnicus igitur eſt modus vnionis ex parte formæ ſe habens, in quo conſequenter cauſalitas materiæ cõſiſtet. Et cũ nequeat eſſe cauſalitas in fieri, ſiquidem poſt tranſactam generationem perſeuerat, erit cauſalitas in facto eſſe.

Reſpondetur ad argumentum quo conuincitur Suarez. Ttrãſeat maior & minor, & nego conſequentiam: quia aliud eſt materia nuda, aliud ipſa actio vnitiua ſeorſum conſiderata, & aliud eſt totum hoc cõplexum materiam ſubeſſe actioni vnienti formam. Cauſalitas igitur materiæ non eſt ſola materia cum ſe habeat ex additione ad illam, neque eſt ſola actio cum hæc ſit cauſalitas agentis: ſed eſt totum illud, quòd apellamus materiam ſubeſſe actioni. Quia etiam illud complexum ſe habet ex additione ad ſolã materiam, vel eſt (vt melius dicam) materiam ſubeſſe formæ vnitæ per actionem, quòd durante actione eſt cauſalitas in fieri, & idem met, complexum tranſacta actione eſt cauſalitas in facto eſſe: quia permanet idem terminus formalis, actionis in quo ipſa actio manet virtualiter, propter ſui cum illo identitarem. Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſi præter entitates formæ & materiæ, & actionis vnitiuæ & relationis vnionis, admittamus alium modũ vnitionis, quem diximus poſſe probabiliter ſuſtineri, tunc talis modus non eſt ſimplex & vnicus, ſed duplici veluti parte conſtans. Secundùm quarũ partium alteram eſt affectio & cauſalitas materiæ, & ſecundùm alteram eſt affectio & cauſalitas formæ propter rationes aſsignatas. Vnde nego antecedens, ad probationem diſtinguo antecedens, quando modus ille ſolùm præſtat munus vinculi & nexus tranſeat: ſecus verò, quando vltra munus vnionis enexas exequitur munus concurſus & cauſalitatis. Tunc enim debet diuerſificari iuxta diuerſitatem cauſarum quas actuat vt dictum eſt.

ARTICVLVS II.

An materia vnica dumtaxat gaudeat cauſalitate, vnicoque effectu contenta ſit.

IN hoc art. 3. verſatur ſententia. Prima aſſerit materiã vnicã dumtaxat cauſalitatẽ habere reſpectu ſolius formæ conſiſtentem in hoc, quòd recipiat conſeruet ac foueat formã ſubiectiue. Ita Maior in 2. d. 12. cui videtur ſubſcribere Fonſeca vbiſupra, qui ex duplici cauſalitate materiæ, nempè circa cõpoſitum & circa formam, ait vnica dumtaxat cauſalitate materiam gaudere, in eo ſi tam quòd ſuſtineat formas quoad munus informandi.

Secunda aſſerit materiam duplicem habere cauſalitatem. Alteram circa formam alteram circa cõpoſitum. Quarum illa in ſuſtinendo & recipiendo formam, hæc verò in componendo ſubiectiue compoſitũ conſiſtat. Sicque duplicem effectum ei correſpondere, alterum totalem, nempè compoſitũ, alterum partialem, nempè formã. ita Conimbricenſes lib. 2. Phiſic. q. 8. art. 1. qui licèt has duas cauſalitas ex natura rei diſtinguãt á materia, haut tamen diſtingũt illas realiter inter ſe. Subdũtque in eodem art. 1. etiam ad effectum partialem materiæ vnionem & generationem pertinere. Tertia ſententia eſt Suarez vbiſupra ſectione 7. qui omnes huius ſecundæ ſententiæ admittit propoſitiones. Subditque ſectione 9. materiam duplici gaudere cauſalitate

ristæ ex natura rei distincta, altera infieri, quæ est generatio, altera infacto esse, quæ est vnio post transactam generationem perseuerans.

Causalitas materiæ extẽditur ad compositum.

13 Respondo dicendum primo, materiã ne dum in formas, verum etiam in compositum suam exercere causalitatem. Hæc conclusio statuitur aduersus autores primæ sententiæ, & probatur primo, materia est vera & physica causa intrinseca compositi: sed omnis causa exercet suam causalitatem in suum effectum: ergo. Maior patet ex diffinitione causæ supra assignata: nam causa est id ad quod aliud sequitur per veram ac physicam dependentiam, sed compositum sequitur ad materiam, ab illaque vere & essentialiter dependet: ergo. Secundo: nam causa est quæ verum præbet concursum in effectum, sed materia componendo compositum vere causat illud: ergo verum præbet concursum, id est, causalitatem. Tertio, compositum est effectus in rerum natura distinctus à forma: ergo vt sic dependet â quatuor causis videlicet efficienti, finali, formali & materiali: & per consequens cum idem sit dependere à causa atque illius causalitatem terminare, vere causalitatem causæ materialis terminat. Deniq; quia cõponere, cõcurrere physice & causare aliquid, idem sunt; sed materia componit, & concurrit componendo compositum: ergo etiam causat illud & consequenter verã exercet in illud causalitatem.

14 Dico secundo, causalitas materiæ est modus distinctus ex natura rei ab illa, haud tamen ab vnione. Hæc conclusio pro prima parte fauet secundæ sententiæ, & pro secunda illi contradicit, & probatur primo: nam in causa efficienti, & finali causalitas est aliquis concursus, siue actus, siue modus distinctus, ex natura rei ab illis: ergo etiam causalitas in causa materiali & formali est modus ab illis distinctus. Secundo, quia Deus potest conseruare formam sine actuali causalitate. Idest separatam à materia: ergo signum est distinctionis realis inter formã & eius causalitatem, & consequenter etiam materia distinguetur à sua causalitate. Confirmatur: nam licet materia prima nequeat sine forma & consequenter sine sua causalitate conseruari à Deo. Hæc necessaria cõnexio non prouenit ex identitate inter materiam & eius causalitatem, sed ex dependẽtia, quam materia prima habet à forma ad existendum in rerum natura. Vnde quãdo causa materialis fuerit ens completum, vt est substantia hominis, vel equi respectu albedinis cum qua componit album v. g. potest reperiri sine actuali causalitate, quam præstat.

Tertio hæc propositio: materia materializat, non est in primo modo dicendi per se, cum neque sit æternæ veritatis, neque prædicet aliquid essentiale, sed est in quarto modo sicut hæc, ædificator ædificat, vel hæc, ignis calefacit, propria enim causalitas de vna quaque causa in quarto dicendi per se modo prædicatur: ergo prædicat aliquid accidentale materiæ & extra illius essentiam.

15 Secunda pars probatur, primo: nã frustanea modorũ multiplicatio est euitanda, sed idem modus vnitionis absolutus potest esse causalitas materiæ, infieri & in facto esse, respectu formæ & compositi: ergo non est ponẽdus alius modus distinctus ab vnitione, qui sit causa illius. Minor declaratur supposita sententia vt probabiliori à nobis supra admissa, quæ modum vnionis ponit inter formam & subiectum: nam ille modus, vt tenet se ex parte materiæ infieri, idest quando subest actioni generantis inducentis formã in subiectũ, est actualis receptio, & causalitas infieri, postea ipsemet modus est receptio continuata & causalitas in facto esse. Rursus illamet receptio est causalitas attingens formam receptam, & quatenus est receptio compositiua est causalitas respectu compositi: ergo. Secundo vel ille modus distinctus ab vnione præcedit vnionem ipsam, ita vt sit medius inter materiam & vnionẽ, vel subsequitur ad vnionem, & suponit illam: neuterum potest congruenter dici: ergo. Minor, non primum, quia materia vt præuenit vnionem ad formam substãtialẽ est pura potẽtia in capax alicuius actualitatis: hac enim ratione pro illo priori est incapax existentiæ: ergo etiã est incapax illius modi qui actualitas quædam deberet esse, nõ secundum: quia alias ille modus non causaret vnionem: quod est contra illos authores, qui dicunt materiam media sua causalitate causare vnionem: ergo.

Duplex est causalitas materiæ ratione distincta.

16 Dico tertio, materiam non habere duplicem causalitatem ex natura rei distinctam bene; tamen habere duplicem causalitatem ratione distinctam. Prima pars probatur primo: nam causalitas materiæ totalis & adæquata est, quam significat nomen hoc. *Materializatio*, sed hoc nomine nõ significatur duplex causalitas realiter distincta, sed vna & simplex realiter, sicut nomine informationis, & finalizationis simplices causalitates formæ & finis importãtur: ergo. Secũdo, nã illæ causalitates diuersæ, maxime essent assignatæ â Suario, scilicet generatio respectu effectus infieri, & vnio respectu effectus in facto: at generatio nullatenus est causalitas materiæ, cũ sit actus generãtis, & nõ materię, & agenerãte egrediens, & materię inmediate nõ vnitus, & quia generatio denominat generans: at materia nulla-

renus denominatur generans: ergo generatio nō eſt cauſalitas illius. Tertiò, quādo effectus duo habent ſe ordine quodā ex vi eiuſdē cauſalitatis poſſunt ac debent prouenire: ſed forma quoad munus informandi, & compoſitum ſunt duo effectus materiæ habentes ſe ordine quodam: ad informationem enim formæ ſequitur compoſitum & illa eſt propter iſtud: ergo ex vi eiuſdem cauſalitatis entitatiue, poſſunt ac debent ambo cauſari.

17 Secunda vero pars concluſionis videtur negari à Fonſeca, qui vult cauſalitatē materiæ omnibus modis eſſe vnam & eandem. Sed probatur primo, quia quando in ratione cauſandi vna & ſimplici ſecundum rem relucet duplex ſecundum rationem conceptus obiectiuus, etiam in eius actuali cauſalitate ad minus ſecundum intellectum duplex ratio debet reperiri: ſed in ratione cauſæ materialis, licet vna & ſimplici, relucet tamen ratio receptiuæ potentiæ, & ratio partis compoſitiuæ, quæ rationes diuerſos fundant conceptus, cum aliquando ſeparatę inueniantur: etenim informa eſt ratio compoſitiui abſque ratione receptiuæ potentiæ: ergo in cauſalitate materiæ eadem duplex ratio proportionabiliter debet diſtingui, nempe ratio receptionis, aut ſuſtentationis, atque ratio compoſitionis actualis. Maior patet, quia ratio cauſandi debet proportionabiliter explicari in ſuos effectus per ſuam cauſalitatem, quæ non debet, neque poteſt eſſe magis vna quam ipſa ratio cauſæ, quin potius hæc effectus & cō curſus ſolet cum maiori vnitate continere, quam in ipſis reperiatur. Confirmatur, materiæ cauſalitas reſpectu formę dicitur receptio, vel ſuſceptio, ſiue ſuſtentatio, & reſpectu cōpoſiti, dicitur materialis cōpoſitio: ſed iſta non ſunt nomina ſi nomina: ergo ſubordinantur diuerſis conceptibus, ac per conſequens cum ex parte obiecti ſit fundamentum illorum conceptuum, erunt illę rationes obiectiuæ diſtinctæ in cauſalitate materiæ. Secundo: nam diuerſum munus eſt componere, & ſubici, vel ſuſtentare formam, cum primum reſpiciat cōpoſitū & exerceatur circa illud: ſecundum vero reſpicit compartē nempe formam in quam exercetur: ſed hoc eſt ſignum diſtinctionis rationis ratiocinatæ: ergo. Minor patet: nam propterea alia eſt ratio intellectus practici, & alia intellectus ſpeculatiui alietate rationis, quia teſte D. Tho. 1. p. q. 79. ar. 11. diuerſū munus eſt operari, & ſpeculari, vel eſſe regulā operis atq; ſpeculationis. Et ſimiliter in vno & eodē actu intellectus & volūtatis diſtinguitur vitalis ellicientia, & paſſiua receptio: quia ſimul vitalitas illius cōſiſtit in hoc quod elliciatur, & recipiatur: quę rationes diſtinctæ ſunt teſte Cai. 1. p. q. 79. citata, ar. 2. ergo pari modo in vna & eadē cauſalitate materiæ recipere, & componere ratione debent diſtingui.

18 Tertio: ratio cōponendi eſt ſuperior ad rationē recipiendi: latius etenim patet illa quam iſta, cū ad formā & materiā illa, & ad ſolā materiā hæc extendatur, & per cōſequens illa per hanc veluti contrahitur, ac modificatur, ita vt adequata materiæ cauſalitas ſit cōpoſitio receptiua, vt ſic cōtracta, atq; determinata: ſed inter ſuperius & inferius, cōtrahēs, & contractū diſtinctio rationis reperitur: ergo.

19 Dico quarto, duplex eſt tātū effectus materiæ, alter & proximus eſt forma ſaltē quoad informationē, alter & remotus eſt cōpoſitū: vterq; diuiſiue partialis, & primus ad ſecūdū eſt ordinatus. Hæc cōcl. ſolū indiget explicatione. Prima igitur pars probatur: nā effectus alicuius cauſę eſt ille quē cauſa attingit perſuā cauſalitatē: ſed materia attingit per ſuā cauſalitatē, & formā, vel ſecūdū ſe, vt quando recipit formas quę de illius potētia educūtur: vel ſolū quoad informationē, vt quando recipit animā rationalē quæ de potentia ſubiecti nō educitur: & quia in omnibus formis ipſum eſſe earū nō in ſe, ſed quoad informari cauſatur â materia, ideo hoc eſt quod perſe terminat materiæ cauſalitatē, attingit etiā cōpoſitū, vt pars illius cōpoſitiua: ergo hic duplex effectus illi correſpondet: quod autē non alius, patet: quia in cōpoſito nihil aliud reperitur, niſi vnio & generatio, forma, materia & cōpoſitū ipſū cū accidentibus ſuis: ſed vnio ſumpta pro modo abſoluto & fundante vnionis relationē eſt cauſalitas ipſa: generatio vero eſt vnū de accidētibus in cōpoſito ſubiectatis, & ita nō â materia, ſed a cōpoſito ipſo cauſatur materialiter: materia vero à ſe ipſa nō cauſatur: reſtant ergo dū taxat, ſcilicet, forma & cōpoſitū, quæ perſe à materia cauſantur. Quod autē tā cōpoſitū, quā forma diuiſiue ſit effectus partialis: patet: nā cōpoſitū ſub hac formalitate eſt aliud à forma, & vtrūq; cauſat materia: & effectus totalis, & adæquatus, eſt ille qui alterum excludit: igitur vterque eſt partialis, ſiue in adæquatus, dixi, *diuiſiue*, & ſub formalitate compoſiti. Nam collectiue ſumpti, ſunt vnus effectus totalis materiæ: & ſi compoſitum ſumatur veluti materialiter ſecundum omnia quæ includit, cum includat formam & vnionem, in ipſo clauditur adæquatus effectus cauſæ materialis: nō quia ſe toto ſit effectus illi: ſed quia nihil habet rationē effectus materię, quod in ipſo compoſito non claudatur.

20 Sed arguitur primo: nam materia prima, verbi gratia, nequit exercere ſuam cauſalitatem in aliquid ſe ipſa nobilius: cum omnis

nis cauſa maxime ſi principalis ſit, nobilior debeat eſſe eo effectum quem ſuam exercet cauſalitatem: ſed forma ſubſtantialis (nedum compoſitum) nobilior eſt, quam materia ipſa: ergo ne dum incompoſitum, ſed neque in formam poteſt exercere ſuam cauſalitatem. Confirmatur, cauſare eſt dare eſſe: ſed materia prima non dat eſſe formæ: ergo non cauſat illam. Minor quia dare eſſe diſtinguitur contra recipere illud: at materia recipit eſſe à forma: ergo non dat illud formæ. Reſpondent adhoc argumento Conimbricenſes, 2. Phiſico, vbiſupra quæſt. 5. artic. 1. quod materia poteſt dupliciter conſiderari: & entitatiue; & ſub ratione cauſæ: primo quidem ignobilior eſt ſuo effectu: ſecundo tamen modo nobilior eſt, quam forma, & compoſitum: quia dat illis eſſe, & quid nobilius eſt dare eſſe vt ſic, quam illud accipere. Sed hæc ſolutio deficit, quia materia prima ſub omni ratione eſt pura potentia, cui ratio cauſandi in actu primo eſt ſua potentialitas: & actualis cauſalitas eſt modus quidam potentialis ſubiecti receptiui & actuabilis, non extrahens illam à ratione puræ potentiæ, niſi per conſortium formæ: ſed pura potentia, vt ſic, ignobilior eſt, quam forma: ergo & quia materia nequit conſiderari ſub formalitate dantis eſſe, ſed ſemper conſideratur ſub ratione recipientis eſſe: ergo ſub omni ratione eſt ignobilior ſuo effectu. Vnde vera ſolutio eſt, quę admittit cauſam materialem, cuius cauſalitas eſt recipere ne dum entitatiue, ſed etiam in ratione cauſæ imperfectiorem poſſe eſſe ſuo effectu. Et ideo ad argumentum nego maiorem, ad confirmationem diſtingo maiorem. Cauſare effectiue, vel formaliter: vel finaliter eſt dare eſſe, concedo maiorem. Cauſare materialiter, eſt dare eſſe, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: quia cauſalitas materiæ eſt non dare eſſe: ſed recipere eſſe à forma, & ipſam formam ſuſtentare: & hoc eſt, quod nomine materializationis ſignificatur.

Impugnatur ſolutio Cõimbricenſium.

21 Secundo, forma ſubſtantialis nullatenus cauſatur à materia perſe loquendo per cauſalitatem quæ ſit modus diſtinctus ab ipſa materia: ergo ruit ſecunda concluſio. Antecedens patet, nam id quod perſe cauſatur à materia exparte formæ, non eſt eſſentia formæ in ſe, cum hæc ſaluetur in anima rationali, abſque cauſalitate materiæ ad ipſam terminata; ſed eſt vnio formæ ad materiam; in omnibus enim formis cauſatur à materia eſſe formæ, vt vnitum: & cum hoc concretum non cauſetur perſe à materia pro prima parte, ſcilicet, quoad eſſe, cauſabitur pro ſecunda, ſcilicet pro vnione: ſed dictum eſt vnio formæ, nequit cauſari media vnione, aliâs perſe ipſam cauſaretur: ergo cauſatur inmediate à materia. Conſequentia patet, quia ſi aliqua mediaret cauſalitas eſſet modus vnionis: at hic tenet ſe ex parte effectus cauſati: imò nihil aliud perſe eſt effectus materiæ in omnibus formis: ergo inmediate ab ipſa materia cauſatur. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem conceſa maiori, nego minorem. Nam licet eſſe vnitum formæ ad materiam non cauſetur à materia media vnione tenente ſe ex parte formæ, cauſatur tamẽ media vnione tenente ſe ex parte materiæ. Quæ eſt diſtincta ab illa quæ tenet ſe ex parte formæ, vt potè, quia hæc formæ, illa vero materiæ identificatur entitatiue.

22 Quod ſi vrgeas vnionem formæ, eſſe effectum materiæ, ac proinde non poſſe eſſe cauſalitatem ipſius: & conſequenter, neque vnionem materiæ poſſe eſſe cauſalitatem illius: quia eſt effectus formæ: forma enim non cauſat entitatem, ſed eſſe vnitum in materia. Reſpondetur vnionem eandem, reſpectu vnius modum cauſalitatis, & reſpectu alterius, ſub induere modũ effectus: ſicut actio à gentis ſecundi eſt cauſalitas reſpectu illius, & effectus reſpectu Dei, ita modus vnionis formæ, qui reſpectu illius eſt cauſalitas, reſpectu cauſalitatis materiæ eſt effectus, & è contra.

Tertio, materia exercet ſuam cauſalitatem in illud quod ab ipſa dependet, ſed ab illa nõ ſolum compoſitum & forma dependent, ſed etiam accidentia, diſpoſitiones, generatio ipſa, & vnio media qua reſultat compoſitum: ergo omnia iſta terminant eius cauſalitatem. Reſpõdetur materiam ſolum exercere ſuam cauſalitatem in illas formas, quæ proxime de illius potentia eduntur, vel inmediate in illa recipiuntur, & ab illa proxime dependent. Huiuſmodi autem reſpectu materiæ primæ, tantum ſunt formæ ſubſtantiales, & compoſita quæ fiunt ex illa, vt ex parte potentiali: reliqua vero accidentia & generatio quia non in ipſa inmediate, ſed in compoſito recipiuntur, potius compoſiti in genere cauſæ materialis, quam ipſius materiæ primæ effectus ſunt. Vnio vero ſi teneat ſe ex parte materiæ eſt eius cauſalitas & non effectus: ſi tamen teneat ſe ex parte formæ eſt effectus materiæ, ſed non ponens in numero cum ipſa forma, aut cum compoſito: non quidem cum forma: quia hæc non cauſatur perſe à materia, niſi ſub ratione vnitæ: non cum compoſito, quia eſt deformalitate illius.

(.?.)

ARTICVLVS III.

An ratio cauſæ materialis vniuoce, & ſecundum eandem rationem in omni ſubiecto receptiuo reperiatur?

23 AD huius articuli intelligentiam operepretium eſt in memoriam reuocare, in quo ratio cauſæ materialis in actu primo, & in quo eius actualis cauſalitas à nobis fuerit colocata, illam namque in conceptu ſubiecti receptiui, & partis potentialis compoſitiuæ: hanc vero in actuali receptione, & compoſitione per modum ſubiecti recipientis diximus conſiſtere. Rurſus nomine ſubiecti receptiui diſtributo in titulo articuli ſub intelligi omnia quæ ſubiecti recipientis munus apta ſunt exercere: & incõpoſitionem alicuius concreti, per modum ſubiecti venire: quæ ad hanc ſeriem poſſunt reduci. Inter ſubiecta receptiua: alia ſunt de genere ſubſtantiæ, & alia de genere accidentis, & in vno quoque horum generum, alia corporea, & alia incorporea: rurſus alia naturalia, & alia ſupernaturalia inueniétur, imò alia completa, & alia incompleta reperies. Quod ſic patet, nam in genere ſubſtantiæ materia prima, quæ ſicut nomine, ita & reipſa primũ obtinet locum inter ſubiecta, eſt incompletũ ens corporeum & ordinis naturalis. Subſtantia vero ligni v.g. vel equi, reſpectu ſuorum accidentium eſt ſubiectum corporeum, naturale, & ens completum: ſubſtãtia vero Angeli ad ſua accidentia ſpirituale ſubiectum eſt, ſed horum potentia obedientialis paſſiua, & innata ad omnes effectus, omneſque formas recipiendas, quas Deus ſupra vel præter ordinem naturæ poteſt illis communicare, eſt terminatiue ſupernaturalis ordinis, vt potê ad agens, & effectus ſupernaturales ordinata, vt ſuo loco videbimus, & alias talis potentia ſupernaturalis in ſubſtantijs, entitatiue ſubſtãtialis debet eſſe, vt pote cum earum entitate identificata. Deinde in genere accidentis, intellectus potentia paſſiua eſt ad ſpecies, imò & ad ſuos actus vitaliter recipiendos: & quãtitas ad accidentia corporea, illa quidem ſpiritualis: hæc vero corporea, & vtraque naturalis, & completa in ſuo genere potentia eſt. Rurſus character baptiſmalis ad aliorum ſacramentorum ſuſceptionem ordinatus, & potentia obedientialis vnicuique accidenti innata (ſecundum præfatam ſententiam) potẽtiæ ſunt ſupernaturales & incompletæ, reductiue ad ſpeciem potentiæ pertinentes. Sen-

ſus igitur quæſtionis eſt, vtrum omnibus hiſs potentijs receptiuis recenſitis, ratio ſubiecti receptiui, & compoſitiui, atq; ratio actualis receptionis, & compoſitionis per modum ſubiecti vniuoce conueniat, an analogice, & quæ ſit hæc analogia.

24 In qua quæſtione neminem vniuerſaliter determinantẽ hucuſq; vidi, quę & qualis ratio cauſæ materialis omnibus prædictis cõueniat, ſed ſpecialiter de conuenientia cauſę materialis ſubſtantiæ, & accidentis loquens Suarius 1. tom. Metaph. diſput. 14. ſect. 1. ait vtranque cauſam tantum analogice, & ſecũdum proportionẽ conuenire in ratione cauſę materialis, vt ſic: vbi docet tria. Primum eſt rationem cauſæ materialis à cauſalitate ſumi & quia hæc principalius conuenit cauſæ materiali ſubſtantiæ: ideo in hac principalius ratio cauſæ materialis ſaluatur: ſecundum eſt huiuſmodi rationem analogam eſſe: & tertium, quod hæc eſt analogia proportionis. Et ideo vere & proprie in vtroque ſaluatur analogato. Reſp. dicendum primo, rationem cauſæ materialis vere & proprie ſaluari, in materia prima in ordine ad formam & compoſitum ſubſtantiale, & incompoſito ipſo reſpectu accidentium in illo receptorum, & in accidentibus quæ ſunt aliorum receptiua. Hæc concluſio, pro prima parte relinquitur ex dictis probata, & pro ſecunda probatur: nã cauſa materialis eſt quæ recipit, ſuſtentat formam, terminatque illius dependentiam, ſiue quoad vnionem & informationem, ſiue etiã quoad eſſe, & cum illa ingreditur totius compoſitionem: vt ſubſtantia completa v. g. corpus & Angelus recipit, ac ſuſtentat quædam accidentia in mediate, vt quantitatẽ, intellectum, & gratiam, ingrediturque compoſitionem horum concretorum, ſcilicet, quanti intellectiui, & grati: ergo in illis ſaluatur vera ratio cauſæ materialis. Confirmatur cauſalitas materialis eſt vnio ſubiecti ad formam media qua forma dependet à ſubiecto, ſed ſubſtantia vnitur ſuis accidentibus, & media illa vnione accidentia dependent à ſubſtantia, vt à ſubiecto ne dum quoad fieri, ſed quoad eſſe & conſeruari: ergo ſubſtantia veram cauſæ materialis exercet cauſalitatem in ſua accidentia.

Rationẽ cauſæ materialis in ſubſtãtia & accidentibus vere reperiri.

25 Tertia pars negatur à Gregorio, in 2. diſtinction. 12. quæſtion. 2. articul. 2. aſſerente nullum accidens eſſe alterius receptiuum aut munus ſubiecti reſpectu alterius exercere. Sed aprobatur hæc pars à Durando in 1. diſtinction. 8. in ſecunda parte, quæſtion. 4. & à Diuo Thoma, in tertia parte, quæſtione 77. articul. 2. & primæ ſecundæ, quæſtion. 56. articul. 1. ad 3. & licet multis à Suarez ſuadeatur

deatur diſputation. 14. citata, ſection. 4. à nobis in præſentiarum breuiter probatur: nam teſte D. Thom. in locis citatis quantitas eſt ſubiectum receptiuum aliorum accidentium corporalium in quo accidentia panis, & vini in Euchariſtia ſuſtentantur, & ſimiliter virtutes intellectuales & morales, in intellectu, atque in voluntate, ſiue in appetitu recipiuntur, & ſuſtentantur, ab illiſque vt à ſubiectis dependent infieri, & in conſeruari: ergo multa accidentia reſpectu aliorum exercent veram cauſalitatem cauſæ materialis. Conſequentia patet, quia hæc cauſalitas in receptione, & ſuſtentatione formæ alicuius conſiſtit. Confirmatur: nam cauſalitas materiæ integratur ex hijs duobus, vt ſepe diximus, ſcilicet, ex hoc quod formam recipiat atque ſuſtentet, & ex hoc quod ingrediatur cum illa alicuius compoſiti compoſitionem, at vnum accidens vtrumque poteſt præſtare reſpectu alterius, quantitas enim in Euchariſtia ſuſtentat nedum, *vt quo*, ſed *vt quod* albedinem panis, & ingreditur compoſitionem, huius concreti album vere enim illa quantitas alba denominatur: ergo nihil illi ad materiæ cauſalitatem deſideratur.

26 Dico ſecundo, in ente ſpirituali, & ſupernaturali, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, vera etiam ratio cauſæ materialis poteſt ſaluari. Hæc concluſio declaratur & probatur ſimul: nam eſſentiæ Angeli quæ eſt ſubſtantia naturalis, conuenit recipere & ſuſtentare ſua accidentia propria, vt intellectum, voluntatem & exiſtentiam, & cum illis componere concreta intellectiui, volitiui & exiſtentis. Similiter intellectus Angeli, qui eſt potentia naturalis & ſpiritualis vere recipit ſpecies inditas & habitus atque actus intelligendi, & cum illis componit ſuo modo concreta intelligentis, ſcientis in actu primo, ſiue intelligentis, atque ſcientis in actu ſecundo. Deinde quia potentia obedientialis ad vnionem hypoſtaticam exiſtens in natura humana eſt ſubſtantialis & ſupernaturalis iuxta ſententiam probabilem, quam ſuo loco diſcutiemus, & vere eſt paſſiua, atque receptiua talis vnionis, & character ſupernaturalis baptiſmi vere eſt receptiuus effectuum aliorum ſacramentorum vtpote diſponens ingenere cauſæ materialis ad illos recipiendos, & ex alia parte eſt qualitas quædam ad ſpeciem potentiæ reducta, lumen quoque gloriæ nedum ingenere cauſæ efficientis concurrit ad eliciendam viſionem beatam, ſed ad illam recipiendam ingenere cauſæ materialis diſponit intellectum teſte Caietano, prima parte, quæſtion. 12. articul. 5. ex quibus ſic arguitur, vbi ſaluatur vera cauſalitas materialis, ſaluatur & vera ratio cauſæ materiæ, ſed in hijs omnibus ſaluatur vera cauſalitas materialis cauſæ: ergo & vera illius cauſæ ratio.

27 Dico tertio, in diſpoſitionibus ad formam aliquam recipiendam ſubiectum diſponentibus, ſiue ſint ad formam ſubſtantialem, ſiue ad accidentalem, ſiue ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, ſaluatur vere ratio cauſæ materialis. Hæc concluſio patet ratione facta, quia illis conuenit cauſalitas materialis cauſæ, nempè recipere, *vt quo*, ſeu concurrere ad receptionem & ſuſtentationem formæ, vt ex illa & ſubiecto reſultet cõpoſitum.

Dico quarto, ratio cauſæ materialis non dicitur vniuoce, ſed analogice de omnibus prædictis, ſecundum analogiam proportionis. Hæc concluſio probatur, primo pro prima parte: nam ea quæ dicuntur ſecundum prius & poſterius, nequeunt dici vniuoce, ſed analogice, ſed cauſa materialis dicitur per prius de materia prima, quæ eſt cauſa formæ & compoſiti ſubſtantialis, & per poſterius de toto ſubſtantiali reſpectu accidentium, & de quolibet accidenti ſuſceptiuo alterius, aut ad alteram formam diſpoſitiuo: ergo. Minor probatur, quia primã in vno quoq; ordine, & quod eſt tale per eſſentiã eſt per prius tale, ſed materia prima in ordine ſubiectorum, ſiue cauſarum materialium, eſt prima & eſt talis per eſſentiam, quia ſicut Deus perſe eſt primum agens, & purus actus ipſa perſe eſt primum ſubiectum, & pura potentia ergo. Secundo, quia cætera entia eatenus participant aliquid cauſæ materialis quatenus participant aliquid materiæ, aut potentialitatis, & quatenus dicunt habitudinem ad illam, vt ad exemplar in genere materializandi. Primum enim in vnoquoque eſt menſura cæterorum, ſed hæc habitudo eſt fundamentum analogiæ, eo quod propter illam accidens analogice participat rationem entis, cùm ſubſtantia, vt libr. 4. docuimus: ergo. Tertio à primo agente, ſcilicet Deo, & à ſecundis agentibus illi ſubordinatis, nequit abſtrahi ratio vniuoca cauſæ efficientis propter habitudinem ſecundi ad primum ibi repertam, ſed ſimilis habitudo, primi atque ſecundi ſubiecti reperitur inter materiam primã & alia ſubiecta: ergo nequit ab illis abſtrahi vniuoca ratio ſubiecti, ſiue cauſæ materialis. Quarto, cauſalitas, vt ſic cauſæ materialis non vniuoca, ſed analoga eſt materialis: ſed huic proportionatur ratio cauſæ: ergo etiam hæc eſt analoga. Maior patet: nam hæc cauſalitatis ratio in cauſalitate materiæ primæ eſt formaliter ſubſtantia

lis, vt potè ad formam & ad compoſitum ſubſtantiale terminata, vnde ipſa eſt modus ſubſtantialis. In ſubſtantia completa reſpectu accidentis, & in vno accidenti reſpectu alterius eſt contracta ad eſſe accidentale, vt potè ad formam, & ad concretum accidentale terminata. Et rurſus in materia prima eſt naturalis, & in alijs eſt ſupernaturalis, vt vidimus, ſed ab eſſe ſubſtantiali, & accidentali, ab eſſe, aut modo naturali, & ſupernaturali, nequit abſtrahi vna ratio vniuoca illis eſſentialiter ſuperior quæ in ipſorum conceptibus claudatur, ſicut hanc claudi probauimus ergo. Quod autem ſit hæc analogia proportionalitatis: patet ex conditionibus, huius analogiæ: quia reperitur ratio cauſæ materialis formaliter in analogatis minus principalibus, & non ſolum methaphorice, ſed vere, neque per extrinſecam denominationem, ſed intrinſece, & ſic ſe habent hæc ad ſuum recipere, ſicut materia prima ad ſuæ formæ receptionem li, *ſicut*, dicente proportionem: ergo.

28 Ex hijs ſequitur, primo quod ratio cauſæ materialis vniuoce poteſt dici de ſubſtantia completa reſpectu accidentium, atq; de vno accidenti reſpectu alterius: quia vtrobique cauſalitas eſt accidentalis modus ad cõcretum accidentale terminatus: duobus autem modis accidentalibus poteſt dari vniuoca ratio ſuperior, cauſalitatis, ſcilicet, materialis accidentalis. Sequitur ſecundo rationem cauſæ diſpoſitiuæ ordinis naturalis vniuocam eſſe, quia in omnibus diſpoſitionibus modus diſponendi eſt accidentalis, vt potè modus alicuius accidentis, & in omnibus eſt idem modus cauſandi non recipiendo, ſed diſponendo, & præparando ſubiectum receptiuum. Sequitur tertio, rationem diſpoſitionis, vt ſic ad accidentia naturalis & ſupernaturalis ordinis diſponentia materialiter, analogam eſſe, quia reperitur contracta ad eſſe ſupernaturale, & ad eſſe ordinis naturalis à quibus nequit ratio vniuoca eſſentialis abſtrahi, vt ſupono ex dictis in prædicamento qualitatis. Sed arguitur primo: nam vera cauſalitas materiæ eſt à Deo in ſuplebilis, vt potè inuoluens imperfectionem ſubiecti actuabilis, & informabilis Deo repugnantem, ſed ſubſtentatio, quam ſubſtantia completa præbet ſuis accidentibus eſt à Deo ſuplebilis, qui in Euchariſtia perſe abſque pane & vino ſuſtentat eorum accidentia ſeparata præſertim quantitatem quæ in nullo alio ſubiecto fulcitur: ergo non eſt illa vera cauſalitas materiæ & conſequenter ruit prima concluſio. Confirmatur, accidens eſt forma & actus, ſed formæ nequit conuenire cauſalitas materialis cauſæ, alias duæ oppoſitę cauſalitates eidem rei conuenirent, quod eſt incõueniens: ergo ruit altera pars eiuſdem concluſionis. Reſpondetur ad argumentum, quod cum vera cauſalitas cauſæ materialis vt ſic, ſit analoga magnam patitur latitudinem, alia enim eſt intrinſeca qualis reperitur in materia prima, reſpectu compoſiti ſubſtantialis, & alia eſt extrinſeca, qualis conuenit ſubiecto reſpectu accidentium quæ ſuſtentat, illa quidem in ſuplebilis eſt à Deo. Vnde nequit Deus de potentia etiam abſoluta facere compoſitum abſque materia, vt pote, quod ex illa intrinſece conſtituitur. Hæc vero ſuplebilis eſt à Deo, vnde poteſt Deus accidentia ſuſtentare abſque ſubiecto, vt pote, quæ in ſua eſſentia non includunt intrinſece ſubiectum, ſed tantum illud extrinſece conotant, vt terminum ſuæ intrinſecæ habitudinis, & quia etiam materia prima comparatur ad formam ſubſtantialem, vt extrinſeca cauſa, vt pote, quæ illius compoſitionem non ingreditur, cũ forma in ſe ſimplex ſit, & etiam diſpoſitiones extrinſece ad formam concurrunt. Ideo poteſt Deus tam illius, quam harum effectum circa formam ſuplere, illius quidem producendo, vel conſeruando formam, verbi gratia leonis, vel equi, ſine vlla materia, vel introducendo illas in materiam corporis cœleſtis, harum autem, introducendo eaſdem formas in ſuas materias abſque vllo prorſus diſpoſitionum apparatu.

29 Vtrum autem ſicut Deus poteſt ſuplere effectum cauſæ materialis extrinſecæ, ita poſſit ſuplere eius cauſalitatem, vices illius gerendo, atque eius materialem ſuſtentationem accidentibus, aut alijs formis præbendo breuiter à nobis diſcutietur. Duplex etenim modus dicendi in hac parte verſatur. Primus eſt Fonſecæ hic cap. citato, quæſtion. 12. ſection. 1. aſſerentis Deum ita eſſe primam cauſam in omni genere cauſæ; vt omnes cauſæ illi in ſuis proprijs cauſalitatibus ſubordinentur, ab illoque poſsint ſupleri earum cauſalitates, ne dum quoad effectus, ſed etiam quoad modos ipſos cauſandi ſecluſis eorum imperfectionibus. Vnde quia materia cauſat compoſitum intrinſece componendo illud, & cauſat formas ſuſtinendo illas, & in prima cauſalitate inuoluitur imperfectio repugnans Deo, non vero in ſecunda, ideo cauſalitatem ſuſtinendi poteſt Deus in genere primæ cauſæ materialis perſe ipſum exercere. Secus vero cauſalitatem compartis componentis, & idem aſſerit proportionabiliter de forma, quod poteſt Deus in eius cauſalitatem, quoad munus actuandi, & continendi ſubiectum, licet non quoad munus informandi

mandi & componendi. Suadet ſuam opinionem præfactus autor, primo argumento facto ex accidentibus Euchariſtiæ, quia Deus ſolus ſuſtentat illa, & non medio concurſu dum taxat actiuo, non enim ibi interuenit ſola actio antiqua, qua prius in pane ea conſeruauerat. Neque alia noba actio, ſiquidem, neque nobus terminus ibi fit de nobo: ergo concurſu materiali per modum ſuſtentantis illa. Secundo, quia omnis cauſalitas (etiam materialis) eſt à Deo ſicut enim non ſubterfugit conceptum entis creati, ita neque Dei concurſum: ergo poteſt Deus ſe ſolo illam ponere in eſſe. Tertio, quia ſuplere effectum alicuius cauſæ eſt non ſolum facere eius effectum ſine illa; ſed facere & effectum, & cauſalitatis modum exercere. Etenim modus cauſalitatis vnius generis, nequit per modum alterius generis ſupleri. Sed Deus vere ſuplet in caſu poſito effectum cauſæ materialis: ergo.

Deus nequit ſuplere cauſalitatẽ, cauſæ formalis, aut materialis, in eodem genere.

30 Secundus modus eſt huic oppoſitus aſſerens Deum nedum cauſalitatem materiæ, aut formæ intrinſecæ, ſed neque extrinſecæ, poſſe per idem genus cauſæ, aut per eundem modum cauſalitatis ſuplere: poſſe nihilominus effectum cauſæ materialis extrinſecæ, abſque illa facere, in alio genere cauſalitatis, nempè cauſalitate effectiua, & quia hic modus dicendi verior & communior eſt à nobis acceptatur cum Suario diſputari. 22. Methaphiſicæ ſectione prima, & probatur primo: nam munus cauſæ materialis adeo intrinſece inuoluit imperfectionem, vt abſque illa nequeat inueniri: ergo ſemper Deo repugnat. Antecens, nam cauſalitas materiæ in ſuo conceptu includit ſuſtinentiam per modum ſubiecti, ſeu potentiæ actuabilis per formam, vel tenentis ſe ex parte huiuſmodi ſubiecti, vt ſic actuabilis, ſicut ſe tenent materiales diſpoſitiones. Sed habere ſe per modum ſubiecti, ſiue potentiæ actuabilis, ſiue diſpoſitionis illius eſt imperfectio Deo repugnans: ergo. Secundo non minus repugnat puro actui ſub eſſe formæ, quam puræ potentiæ actuare aliud ſubiectum, ſed materiæ primæ quæ eſt pura potentia repugnat actuare aliud per modum formæ propterea, quod eſt in ſummo potentialitatis: ergo etiam Deo, qui eſt purus actus repugnabit ſuſtinere formam, aut illi ſub eſſe, quia eſt in ſummo actualitatis.

31 Probatur ſoluendo argumenta contrariæ ſententiæ, quia non conuincunt. Ad primum enim. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quod Deus ſuſtentat quantitatem medio concurſu non materiali, ſed actiuo qui quatenus terminatur ad eandem panis quantitatem eſt idem ſecundum rem atque antiquus, quatenus vero terminatur ad illam ſub nobo modo, ſcilicet, prout eſt ſeparata, & ſubeſt cuidam modo eſſendi perſe, & ſuſtentandi, *vt quod*, reliqua accidentia, quæ antea inherebant pani, & tantum, vt ſubiectum, *quo* eius accidentia ſuſtentauat; eſt nobus concurſus modaliter. Vel poteſt dici, quod eſt nobus quidem non ex additione alicuius nobi modi, ſed ſolùm ex ſub tractione antiqui concurſus quo Deus ſimul quantitatis inhærentiam conſeruabat. Hoc enim ſubtracto per miraculum, alter ſolus remanſit ad ſolam entitatem quantitatis terminatus. Ad ſecundum nego conſequentiam. Multi namque modi conueniunt cauſis ſecundis & procedunt à Deo medijs illis, qui à ſolo Deo nequeunt immediate produci, vt vitalitas meæ viſionis, cõtingentia mei curſus, à ſolo Deo inmediate nequeunt produci, ita neque ſuſtinentia ſubiectiua poteſt à Deo exhiberi immediate, quia ſicut illi modi ad cauſas proximas, vitalem, & impedibilem, ita hæc ad cauſam materialem dicunt ordinem eſſentialem. Ad tertium nego maiorẽ nam ſuplere, tantum eſt cauſam ſuperiorem præſtare eundem effectum numero, quem præſtaret inferior, licet illum præſtet ex vi alterius cauſalitatis. Vnde quando Deus produxit humanitatem Chriſti in vtero virginis materiam miniſtrantis, vere ſupleuit concurſum viri, & tamen id præſtitit alio genere concurſus, ſcilicet miraculoſi, & ſupernaturalis, atque æquinoci, qui ſi præſtaretur a viro eſſet naturalis, & vninocus, vt pote ab agente vninoco procedens.

32 Ad confirmationem nego minorẽ. Ad probationem dico, eidem entitati conuenire poſſe eſſe formam & ſubiectũ reſpectu diuerſorum, vt eadem anima quæ eſt forma corporis organici, eſt ſubiectum reſpectu gratiæ & eadem quantitas reſpectu ſubſtantiæ corporeæ eſt forma dans illi eſſe quantum, & reſpectu aliorum accidentium eſt ſubiectum proxime ſuſceptiuum. Secũdo arguitur principaliter de quocunque dicitur principaliter ratio ſuperior, debet dici & ratio eſſentialiter inferior, ſed de ſubſtantia completa dicitur per prius ratio ſubſtantiæ & ratio entis, quam de materia prima que eſt ſubſtantia incompleta: ergo etiam debet per prius dici de illa quam de iſta ratio cauſæ materialis quæ eſt inferior eſſentialiter ad rationem ſubſtantiæ, vel ſaltem ad rationem entis. Reſpondetur prænotando duo, ſcilicet in analogis aliquando analogatum minus principale in eſſe entis, per prius nomen & ratio-

nem analogam ſubire. Vnde iuſtitia commutatiua quæ in eſſe virtutis eſt ignobilior, quam miſericordia, & quam pœnitentia per prius tamen rationem analogam iuſtitiæ participat, illis enim tantum ſecundum quid. Huic vero ſimpliciter conuenit ratio iuſtitiæ. Rurſus quoties ratio ſuperior non deſcendit ad duo analogata per aliquam rationem inter mediam, ſed aliunde, poſſe tunc rationem inter mediam conuenire per prius ei, cui ratio ſuperior conuenit per poſterius, & è contra, vt in caſu poſito, quia ratio virtutis non deſcendit ad penitentiam & miſericordiã media ratione iuſtitiæ eis defficienter conuenienti, ſed medijs ſuis differentialibus rationibus. Ideo ratio virtutis eis poteſt per prius conuenire quibus ratio analoga iuſtitiæ per poſterius conuenit. Quo ſupoſito diſtingo maiorem, quando ratio inferior eſt vniuoca, vel eſſentialiter inferior quatenus comprehendit ſub ſe vtrumque analogatum concedo: ſecus vero nego illam, & quia ratio cauſæ materialis, vt ſic eſt analoga, & alias ratio entis non deſcendit per illam ad ſubſtantiam completam ſiquidem illi conuenit ens ſimpliciter, & cauſæ materialis ratio ſecundum quid; per habitudinem, ſcilicet ad materiam: ideo licet per prius ſubeat rationem entis, & ſubſtantiæ per poſterius poteſt ſubire rationem cauſæ materialis.

23 Tertio arguitur, ignis verbi gratia, in genere cauſæ materialis præcedit calorem, vt octo: ergo calor, vt octo qui eſt diſpoſitio ad ignem nequit præcedere ipſum in genere cauſæ materialis, & per conſequens cauſalitas diſpoſitionis non eſt cauſæ materialis. Patet conſequentia, quia implicat idem præcedere aliud, & præcedi ab illo in eodem genere cauſæ. Reſpondetur negando conſequentiam, quia quando genus cauſandi continet ſubſe plures ſpecies ſubalternas, imo quando eſt non vniuocum, ſed analogum ſuperius quale eſt eſſe cauſam materialem reſpectu materiæ, ſubſtantiæ & diſpoſitionum bene poteſt, idem præcedere aliud & præcedi ab illo. Quia non eſt illa præcedentia mutua in vno eodem vniuoco modo cauſalitatis. Ex quo argumento potius probatur quarta concluſio, quam improbetur tertia. Vltimo arguitur, nam materiæ primæ corporum cœleſtium non conuenit per prius cauſalitas materialis: quia illa nullam in formam cœleſtem exercet cauſalitatem, ſiquidem neque infieri dependet ab illa cum productæ ſint ambæ ex vi eiuſdem cœli productionis: ergo ruit quarta concluſio in qua docemus materiam primam eſſe primarium cauſæ materialis analogatum.

Ad hoc argumentum reſpondens Suarez, diſputat. 13. citata ſection. 13. aſſerit tria. Primum eſt materiam cœli exercere duplicem cauſalitatem alteram infacto eſſe media vnione, alteram infieri media productione formæ, ita vt infieri, & infacto eſſe dependeat forma ab ipſa. Secundum eſt productionem cœli non eſſe omnino ſimplicem, ſed conflari ex duplici actione, altera ad materiam: altera ad formæ introductionem terminata. Tertium eſt, nihilominus totam cœli creationem dici ſimplicem & indiuiſibilem, quia duplicem illam partem inſeparabiliter continet.

Sed hæc ſolutio defficit, primo quia iam ſupra probauimus cauſalitatem materiæ infieri & infacto eſſe, non eſſe diuerſam, & neutiquam eſſe agentis productionem. Secundo, quia vna & eadem actio ſimplex poteſt ad cœlum & ad eius partes terminari. Ita vt ſit creatio totius, & concreatio partium: ergo fruſtanea eſt illa actionum diuiſio. Antecedens: nam creatio terminatur ad eſſe, ſed eſſe totius cœli eſt vnum & ſimplex: ergo & creatio. Tertio terminus formalis cum quo identificatur creatio cœli, non eſt materia, & forma diuiſiue, ſed vt ſub ſunt eidem eſſe, & eidem formalitati totius: ergo bene poteſt eſſe eadem actio licet cum ſuo termino totali & formali identificetur. Quarto quia poſt quam illæ actiones gaudent ſuis diſtinctis entitatibus, ſicut termini, cum quibus identificantur, non eſt curã Deo non poſſint ſeſeparari. Quinto, quoniam ſequeretur formam cœli fuiſſe eductam de potentia materiæ: nam ad huiuſmodi eductionem (vt tomo 2. videbimus ex eodem autore) ſat eſt formam produci dependenter à materia ex vi alterius actionis producta & præſupoſita, & hoc contingeret in noſtro caſu: ergo.

34 Vera igitur ſolutio eſt, quod materia cœli media vnione cauſat compoſitum per modum componentis, & per modum recipientis exercet cauſalitatem in formam ſuſtentando eam, ſicut de cauſalitate materiæ corruptibilium dictum eſt. Vnde ad formam argumenti nego antecedens. Ad probationem dico, quod forma cœli dependet à materia infieri, & conſeruari, non quia fieri vnius ſit diſtinctum à fieri alterius, & vt ſic diſtinctum dependens ab illo (vt putauit Suarez) ſed quia talis forma fuit producta in tali materia, & modo in illa conſeruatur media vnione, per quam in illa ſemel recepta ſuſtentatur. Sicut intellectus dependet ab anima in genere cauſæ materialis ſuſtentantis, licet ex vi eiuſdem animæ creationis fuerit creatus.

QVÆS-

QVÆSTIO III.

De natura, ſiue ratione atque cauſalitate cauſæ formalis in 3. articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

An ratio cauſandi in actu primo formalis cauſæ, ſit eſſe actum informatiuum ſubiecti?

1 IN hoc articulo duplex verſatur ſententia. Prima aſerit rationem cauſandi formæ in actu primo eſſe actualem ipſius entitatem, vt includẽtem exiſtentiam. Ita vt exiſtentia formæ ingrediatur rationem formalem actus primi illam conſtituentis in eſſe cauſæ formalis, quia non diſtinguitur ab illius entitate. Conditionem vero cauſandi formæ: eſſe propinquitatem illius ad materiam, atque diſpoſitiones quibus materia diſponitur, & â proximatur ad formæ ſuſceptionem. Ita Suarez diſputat. 15. ſect. 6.

Secunda ſententia aſerit formam conſtitui in ratione cauſæ per hoc quod ſit actus terminans, *vt quo*, generationem per quem id quod fit habet eſſe. Ita vt ratione ſolius ſuæ entitatis ſit eſſendi principium, neque ipſi compoſito, quod per formam cauſatur præexiſtat, aut præuia ſit entitas formæ cum exiſtentia. Ita docet Soto, lib. 7. Phiſico, quæſt. 3. Sed quia Soto tantum videtur fuiſſe loquutus de forma informante per generationem naturalem in materiam introducta. Ideo alij latius rationem formæ accipientes dicunt cauſam formalem eſſe illam quæ eſt principium eſſendi. Vnde ſolet diffiniri forma per hoc, quod ſit actus per quem res in aliquo eſſe ſpecifico cõſtituitur. Hijs fauet Caietanus qui 1. part. quæſt. 12. artic. 2. §. *ad euidentiam huius*, ait formam eſſe principium eſſendi, & ea tenus eſſentiam diuinam eſſe formam intelligibilem intellectus beati quatenus eſt principiũ intellectionis, ſicut forma eſt principium eſſendi.

Quid ſit ratio cauſe formalis intrinſecæ.

2 Reſp. dicendum primo. Rationem cõſtituentem formalem cauſam phiſicam & intrinſecam; eſſe, entitatem informatiuam ſubiecto per modum partis compoſitiuæ. Hæc concluſio probatur quoad ſingulas partes. Nã cauſa formalis intrinſeca & forma intrinſeca per idem conſtituuntur, ſed forma intrinſeca conſtituitur adæquate per entitatem informatiuam ſubiecti, & compoſiti reſultantis cõpoſitiuam, eo quod ſicut actus primus materiæ habet hos duos reſpectus, ſcilicet ſuſceptiui ad formam, & compoſitiui; ad compoſitum, ita forma hos duos debet habere & informatiui actus ad materiam, & compoſitiui ad compoſitum, & quia duplici cauſalitati, quam habet huiuſmodi forma, duplex tãtum reſpectus ex parte actus primi debet correſpondere in quo illa duplex cauſalitas præhabetur, quam articulo ſequẽti declarabimus: ergo per idipſum conſtituitur cauſa formalis intrinſeca. Rurſus nam forma phyſica, & intrinſeca duplex eſt, alia accidentalis, vt albedo, & quantitas, alia ſubſtantialis, vt forma hominis, v. g. anima rationalis, vtriuſque ratio conſtitutiua eſt ſua entitas, quia per illam habet informare vna quæque ſuum ſubiectum, & habet componere ſuum concretum, ſiue accidentale, ſiue ſubſtantiale: ergo nihil amplius ad cauſam formalem deſideratur niſi entitas quæ ſit ſubiecti informatiua, & alicuius totius compoſitiua. Deinde quia forma intrinſeca condiſtinguitur ab extrinſeca qualis eſt idea, & exemplar reſpectu artificiati. Vnde Philoſophus 2. Phiſico. text. 28. ait deſcribens, & ſimul diuidens formam eſſe ſpeciem & exemplum ſiue exemplar denotans aliam eſſe formam intrinſecam dantem eſſe ſpecificum compoſito, & alteram extrinſecam menſurantem artificiata, ſed diſtinctiuum illius ab iſta non eſt aliud niſi, quia illa eſt informatiua ſubiecti per intrinſecam ſui ipſius traditionem, ſecus vero illa, & etiam differunt, quia illa compoſitiua eſt alicuius totius perfe. Hæc vero nullius compoſiti, vt ſic compoſitionem ingreditur: ergo. Denique quia hoc explicant diffinitiones formæ ſupra relatæ: nam eſſe terminum quo generationis dantem eſſe ſpecificum, ſiue eſſe actum conſtituentem rem aliquam incerto eſſe ſpecifico: idem eſt atque ipſa dare ſpeciem rei, hoc eſt eſſe eſſentiæ, propter quod à Philoſopho forma (vt vidimus) nomine ſor effectus (id eſt ſpecies) fuit appellata, ſed dare eſſe eſſentiæ formaliter prouenit ex hoc quod eſt actus intrinſece actuans ſubiectum, cum illoque componens vnam naturam illo eſſe ſpecifico gaudẽtem: ergo in hoc conſiſtit ratio formæ ſiue cauſæ formalis phiſicæ & intrinſecæ in actu primo conſideratæ.

3 Dico ſecundo, exiſtentia non ingreditur huius actus primi conſtitutionem. Hæc ſtatuitur contra Suarez, & probatur: nam omnis actus primus præcedit ſecundum, & eſt cauſa atque principium illius, ſed exiſtentia formæ, neque præcedit exiſtentiam compoſiti, neque eſt cauſa illius;

illius: ergo. Minor, quia prius exiſtit compoſitum, quam forma, vt potè cui ex vi generationis, prius communicatur eſſe, quam partibus. Et hæc cauſalis eſt vera, quia totum exiſtit, partes exiſtunt, & cum exiſtentia totius ſit eadem atque formæ, vt ſuo loco oſtendemus, nequit hæc eſſe illius cauſa, quia nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſa. Confirmatur, nam cauſalitas formæ intrinſece, eſt vt ſtatim videbimus informare materiam, & componere cum illa, per intrinſecam ſuæ entitatis traditionem, at totum hoc præintelligitur exiſtentiæ: ergo ad eius cauſalitatem non concurrit exiſtentia. Minor patet in generatione ignis vbi in illo priori in quo forma intelligitur introduci in materiam intelligitur eius cauſalitas, & completus actus primus aquo talis cauſalitas emanat, & nondum intelligitur exiſtentia formæ, aut compoſiti: ſed tan illa quamiſtæ intelliguntur in via ad exiſtendum. Quod adhuc magis perſpicuum fit in Chriſti humanitate, cuius forma, ideſt, anima rationalis, vt præintellecta aſumptioni ad eſſe hipoſtaticum informauit materiã, & compoſuit humanitatem, & tamen vt ſic præintellecta non habuit exiſtentiam; quia nullum habuit eſſe niſi hipoſtaticum Verbi diuini, quod per aſumptionem, & non ante illi aduenit.

4 Dico tertio, rationem cauſæ formalis in tota ſua latitudine, vt abſtrahit ab intrinſeca, & extrinſeca, in hoc conſiſtere, quod ſit principium, quo aliqua res actuatur, determinatur, & in eſſe ſpecifico conſtituitur. Patet hæc concluſio, nam D. Thom. 1. contra gentes capit. 51. hac ratione ait eſſentiam diuinam eſſe formam intelligibilem intellectus beati, quia licet non informet illum; actuat tamen illum, perficit, & determinat ad ſpeciem operationis talis, ergo. Et quia ratio formæ, vt ſic eſt eſſe principium formale, & ſpecificatiuum, at huius propriũ eſt eſſe id aquo res accipit ſpeciem, & in ſpecifico eſſe conſtituitur. Vnde & forma per actum ſpecificandi diffinitur, vt diximus: ergo. Denique id patet, nam ratio cauſæ formalis eſt illa, quæ ab omnibus cauſis formalibus abſtrahitur, & in qua omnes conueniunt, ſed omnes cauſæ formales tan extrinſecæ quam intrinſecæ conueniunt in hoc quod eſt eſſe principium ſpecificatiuum, dans eſſe ſpecificum rei ſpecificatæ, & hæc eſt ratio quæ ab illis abſtrahitur: ergo hæc eſt ratio cauſæ formalis vt ſic.

Dico tertio, diſpoſitiones, licet ſint conditio ſine qua non ad formam intrinſecam, nõ tamen tenent ſe ex parte cauſæ formalis, ſed ex parte cauſæ materialis. Explicatur hæc cõcluſio, nam ad omnem cauſam præter rationem cauſandi deſideratur aliqua conditio, vt à proximatio, & propinquitas, cauſæ ad paſſum, ſiue ad effectum, quæ in cauſa efficienti ſit per aplicationem phiſicam & localem à gentis ad paſſum: in finali per aprehenſionem proponentem bonum appetitui, in cauſa vero materiali, & formali intrinſeca fit mediis diſpoſitionibus quibus materia ſit apta ad formam, & forma à propinquat materiæ, habet igitur rationem conditionis, non autem ex hoc ſequitur illas tenere ſe ex parte cauſæ formalis, aut ad illam reduci, quia diſpoſitio (vt diximus) reducitur ad genus cauſæ materialis, & diſponere materiam eſt concurrere materialiter ad formam, quæ non niſi in materiam diſpoſitam introducitur. Quod ſi dicas terminum generationis formalem eſſe formam, & generationem terminari ad eſſe; ac proinde exiſtentiam ingredi terminum formalem generationis, ſaltem ad illius complementum, vel conditionem. Reſpondetur quod terminus formalis generationis eſt forma quoad ſuam entitatem, vt materiæ vnitam, ſiue eſſe eſſentiæ à forma prouenientis vt præuenit exiſtentiam: quia tamen exiſtentia ſequitur ad formam eſtque illius effectus ſecundarius, etiam eſt terminus ſecundarius generationis & creationis, eſtque quædam conditio formæ ad ſuam cauſalitatem concomitans in eodem inſtanti in quo, non tamen intrinſeca pars, aut complementum præ requiſitum in cauſa formali ad formalem cauſalitatem exercendam.

ARTICVLVS II.

An cauſalitas formæ intrinſecæ, ſit duplex: altera ad materiam: altera ad compoſitum terminata, & quæ ſit vtraque?

5 IN hoc articulo duplex verſatur ſententia. Prima negat formæ cauſalitatem circa materiam, & ſolam reſpectu compoſiti concedit illi cauſalitatem. Ita maior in 2. diſtinction. citata, qui pariter de forma atque de materia ſuam protulit ſententiam, cui ſubſcribit Suarez, dum loco ſupracitato aſerit probabilius eſſe, quod forma nullam in materiam exercet cauſalitatem, ſed ſolum incompoſitum illamque in vnionis modo cõſiſtere. Secunda aſerit duplicem eſſe formæ cauſalitatem, alteram in materiam, & alteram incompoſitum terminatam. Ita Soto quæſ. 3. citata 2. phiſicorum, Conimbricenſes, ibidem, quæſt. 8. art. 1. & Fonſeca,

in

in hoc lib. quæſt. 1. capitis ſecundi lectio 3. & quæſt. 2. ſect. 2. in aſſignanda autem huiuſmodi duplici cauſalitate, & effectu formæ. Variant præfati auctores. Nam Soto ait conſiſtere in hoc quod forma informet, & componat informando: illius quidem cauſalitatis (denotans) terminum eſſe materiam informatam. Huius vero eſſe compoſitum. Fonſeca, vero ait eſſe actuationem materiæ, cauſalitatem formæ. Et illius effectum eſſe materiam vt actuatam. A quo parum, aut nihil diſentiunt Conimbricenſes, quatenus dicunt conſiſtere formæ cauſalitatem in eo quod actuet, & formatiue excolat materiam.

Cauſalitas formæ extẽditur in materiã & incõpoſitum.

6 Reſpondeo dicendum primo, formam duplici gaudere cauſalitate, & in materiam, & incompoſitum, ſola ratione diſtincta. Prima pars ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ, & probatur, primo: nam forma cauſat informando, & componendo. At informare, & componere duo actus ſunt ſaltem duobus conceptibus ſeu ratione diſtincti, vt pote cum terminis non ſinonimis ſignificentur. Et quia diuerſis terminis diuerſæ habitudines correſpondent. Cum igitur alius terminus ſit informationis, ſcilicet materia. Et alius compoſitionis, ſcilicet compoſitum. Ipſæ quoque habitudines informationis, & compoſitionis diuerſæ deuent eſſe ſaltem diuerſitate rationis. Quod autem ſola ratione diſtinguãtur. Patet, tum quia in materiæ cauſalitate ſola ratione aliæ duæ habitudines diſtinguntur. Ergo idem dicendum hic, ſiquidem rationes ibi factæ pariter de vtraque cauſalitate conuincunt. Tum etiam, quia cauſalitas formæ aut in vnione, aut in ipſa formæ traditione conſiſtit. At tam vnio, quam traditio vnius ſimplex modus eſt cum entitate formæ identificatus: ergo. Dico ſecundo. Probabile eſt hanc cauſalitatem non in aliquo modo vnionis ex natura rei diſtincto à forma conſiſtere. Probabilius tamen eſt oppoſitum. Prima pars huius concluſionis ſtatuitur, pro Caietano qui prima parte, quæſtion. 76. articul. 1. §. *In reſponſione ad ſextum*, ait cauſalitatem formæ intrinſecæ conſiſtere non aliquo modo inter materiam, & formam mediante, ſed in hoc quod eſt formam dare eſſe formaliter ſubiecto; quod nihil eſt aliud quam ipſam eſſe actum ſubiecti. Verba autem Caietani, ne aliquis de mente eius ambigus ſit. Hæc ſunt. *Breuiter dicitur, quod quemadmodum cauſa effectiua diſtinguitur in actum primum, ſcilicet formam, quæ eſt principium agendi, & in actum ſecundum, qui eſt eius cauſalitas. Ita cauſa formalis diſtinguitur in ipſam cauſam formalem, & eius cauſalitatem formalem quæ nihil aliud eſt quam dare eſſe formaliter ſubiecto, quod nihil aliud eſt, quam actualiter eſſe id, quod ſubiectum eſt ſubſtantialiter; vel accidentaliter. Et quoniam vnio fundamentalis animæ nihil aliud eſt quam cauſalitas formalis ipſius in corpore. Id circo ſicut vana eſt quæſtio de cauſalitate formali. An ſit ſubſtantia vel accidens, ita de vnione. Conſtat enim quod cauſalitas formalis eſt velut operatio per modum actus ſecundi ipſius cauſæ formalis. Et quod nihil ſupra cauſam formalem addit, niſi ipſam formam eſſe actum ſubiecti, quod non eſt ipſa forma; neque ipſum ſubiectum; neque aliquod ens medium, quia eſſet proceſſus in infinitum; ſed eſt ſubiectum & forma in eſſe tali indiuiſa eſſe. Seu ſubiectum eſſe, ſimpliciter, vel ſecundum quid tali forma, &c.* Et pacis interpoſitis ſubdit idem Caietanus in hæc verba. *Et quoniam communia ſunt omnibus formis, conuenire quoque eſt neceſſe animæ intellectiuæ: vnde adquæſitum dicitur, quod vnio iſta eſt cauſalitas formalis animæ intellectiuæ reſpectu corporis, quæ eſt dare eſſe formaliter, & cum dicitur, aut eſt ſubſtantia vel accidens, dico quod proprie loquendo dicendum eſſet, quod eſt cauſalitas ſubſtantiæ. Tamen vt quærenti ſatisfiat. Dicatur quod non ſignificat vnam ſubſtantiam ſimpliciter; ſed vnam in alia, ſcilicet formam in materia.* Hactenus Caietanus in ſua ſententia qui licet aſſerat cauſalitatem formæ in vnione conſiſtere, negat tamen hanc vnionem eſſe medium aliquod ens à forma ex natura rei diſtinctum. Poteſtque explicari exemplo humanitatis aſſumptæ. Quæ media vnione cõſtituit Chriſtum in eſſe hominis ſpecifico. Nec tamen illa vnio eſt modus diſtinctus ab humanitate, ſed eſt ipſa humanitas per actionem vnitiuam Verbo diuino coniuncta vt explicat idem Caietanus 3. p. quæſt. 2. art. 7. & art. 10. ſimiliter vnio formæ, eſt ipſa forma per actionem vnitiuam in ſubiectum introducta. Sed quod licet hæc poſitio ſit probabilis, oppoſita tamen quæ cauſalitatem formæ in modo vnionis formaliter diſtincto conſtituit probabilior ſit.

7 Probatur primo, quia per quamlibet actionem vnitiuam producitur in extremis vnitis aliquis modus vnionis proportionalis, ſubſtantialis ſi fuerint ambo extrema ſubſtantialia; ſiue accidentalis, ſi alterum illorum fuerit accidentale. Ergo cum generatio compoſiti tam ſubſtantialis, quam accidentalis ſit actio vnitiua, debet per illam produci aliquis modus vnionis ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis. Secundo quia

forma

forma vt vnita dicit aliquid quod non importat ſolitarie ſumpta. Quia vt vnita componit, & actuat atque informat materiam quod non habet ſeparata, & ſecundum ſe. Sed hoc de nobo importatum nequit eſſe niſi vnio: ergo. Tertio quia forma, verbi gratia anima rationalis eſt indifferens vt ſit vnita, & non vnita, & hanc indifferentiam habet de ſe. Ergo per aliquid ſuperadditum tollitur hæc indifferentia quando eſt vnita. Neque valet dicere quod tollitur per ſolam actionem generantis vnitiuam. Nam cum hæc actio ſit tranſiens, & productiua, in ipſa anima debet habere aliquem terminum productum. Et quia vel anima ex vi illius actionis mutatur intrinſece, vel manet intrinſece immutata. Si primum habeo intentum quia illa intrinſeca immutatio ab aliqua noba, & ſuperaddita formalitate debet prouenire. Si ſecundum ſequitur quod anima manet poſt actionem generatiuam hominis eodem modo ſe habens ſicut ante, & perconſequens non vnita. Nam eadem res abſque ſui mutatione nequit denominationem realem, & abſolutam ſubire quam ante ſubibat, & talis eſt denominatio vniti: ergo. Ex ijs ſequitur formæ etiam duplicem effectum correſpondere, compoſitum ſub ratione totalitatis, & materiam vt actuatam expertem antiquæ potentialitatis, atque carentiæ formæ actuantis, & vtrumque claudi in toto materialiter ſumpto ſecundum omnia quæ includit, cauſalitatem vero tam in fieri quam in facto eſſe in vnione conſiſtere, quæ vt terminatur ad materiam informatio dicitur, & vt ad reſultantiam totius terminata dicitur compoſitio per modum actus.

8 Neque huic deciſioni abſtant, quæ aliquibus obſtare videntur. Nempe; quia ad ſaluandam mutationem, & tranſitum illum quo anima de non vnita ſit vnita ſufficit mutatio facta in toto compoſito qua tranſit de non eſſe, ad eſſe, vel ſufficit ſola temporis mutatio. Sicut ad ſaluandam mutationem qua humanitas aſumpta de non vnita verbo facta eſt vnita, ſufficit (vt multis placet Theologis) vel totius perſonæ Chriſti compoſitæ noba reſultantia, vel ſola temporis ſucceſio. Rurſus nam modus rei identificatur cum ipſa re, ſed vnio animæ rationalis ad materiam nequit identificari cum illa: ergo. Minor patet quia anima rationalis eſt ſpiritualis, & iſte modus eſt corporalis quia cauſatur ab homine generante, qui eſt agẽs corporeum, ac per conſequens incapax ad producendum principaliter aliquem effectum ſpiritualem. Sed cum re ſpirituali nequit identificari modus materialis. Ergo non datur talis modus vnionis animæ ſuperadditus, & ſi in anima rationali non requiritur, neque in alijs formis erit requiſitus. Non inquã hæc obſtant. Nam ad primum reſpondetur neutram mutationem ſufficere, non quidem primam, quia ante reſultantiam totius compoſiti, præintelligitur forma vnita. Ideo enim reſultat compoſitum, quia eius partes vniuntur, & vna componit cum altera. Sed id quod eſt poſterius nequit eſſe cauſa, aut fundamentum prioris. Ergo quod anima ſit vnita, nequit prouenire ex eo, quod compoſitum tranſit de non eſſe ad eſſe, non ſecundam, quia anima rationalis in quolibet tempore poteſt non eſſe vnita, vt ſi crearetur ſeparata, & quãdo egreditur à corpore. Igitur quodlibet tempus eſt indifferens, vt in illo ſit vnita, & non vnita, aliquid ergo amplius requiritur præter temporis mutationem, vt determinate ſit in hoc tempore, & non in alio, vnita, & quia ad ſubeundam denominationem realem, & abſolutam non ſufficit ſola temporis mutatio licet ſufficiat ad ſubeundum nobum reſpectum rationis. Vnde falſam exiſtimo ſententiam Gregorij in 2. diſtinctione 28. ad 17. & 18. Valentiæ tertia parte, quæſtione ſecunda, puncto 5. §. *Aliter ergo*, quorum alter ad ſaluandam denominationem vniti de nobo aduenientem humanitati Chriſti, ait ſufficere.

9 Ad ſecundum nego minorem. Ad cuius probationem variæ ſolent aſsignari ſolutiones, quidam enim dicunt modum vnionis animæ rationalis eſſe materialem, & nihilominus identificari cum anima ſpirituali: Alij autẽ vt Suarez tomo ſecundo, tertia partis diſputatione 44. ſectione tertia dicunt modum illum eſſe ſpiritualem, ſed à ſolo Deo, & non ab homine produci. Sed prima ſolutio reicitur argumento facto, quia forma ſpiritualis nequit cum modo materiali identificari, & eſſe ſubiectum illius per modum permanentis. Secunda vero deficit. Tum quia eſt contra Diuum Thomã, qui de potentia quæſtione tertia, articulo nono, ad ſextũ, ait quod homo generans eſt cauſa vnionis animæ rationalis ad materiam. Tum etiam, quia omne generans debet attingere formam, vel producendo illam, vel vniendo eam materiæ, vt cauſa principalis, ſi fuerit generans principale. Sed homo vt cauſa principalis generat hominem: ergo vt cauſa principalis debet attingere animam

rationa-

rationalem, non quidem producendo illã in eſſe, ſed vniendo eam materiæ: vera igitur ſolutio eſt quod ille modus vnionis animæ rationalis eſt ſpiritualis, & poteſt cauſari ab agente corporeo, non quidem vt agente propria actione corporis vt ſic: ſed vt participat aliquid de cauſalitate & modo operandi agẽtiũ ſpiritualiũ ſuperiorum quibus ſubordinatur in tali actione, ſi enim ex hac ſubordinatione eſt potẽs cauſare ſine motu ſpecies intentionales vt docet D. Th. opuſc. 34. & q. 3. de potentia ar. 8. nihil mirũ quod ex eadem ſubordinatione quã participat homo præ alijs propter animam rationalẽ poſsit modum ſpiritualem in anima geniti producere.

ARTICVLVS III.

An ratio cauſæ formalis de omnibus annumeratis formis vniuoce dicatur?

10 IN hoc art. facilem determinationem aſsignabimus, ſuppoſita ea quam art. 3. quæſtionis præcedentis ſtatuimus. Ratio enim cauſæ formalis quoad modum abſtrahendi à ſuis inferioribus cũ cauſæ materialis ratione eſt parificãda: pro cuius declaratione ſequẽtes ſtatuo concluſiones.

Datur inter omnes cauſas formales analogia proportionis.

Prima ſit cauſa formalis vt ſic comparata ad extrinſecam & intrinſecam analogice dicitur analogia proportionis, patet prima pars: quia quando aliqua ratio conuenit Deo & creaturis nequit dici vniuoce: ſed analogice tantum poteſt prædicari de illis ſi propriè ſaluetur in vtroq; vt docet D. Th. 1. p. q. 13. ar. 6. ſed ratio cauſæ formalis ſaluatur in diuina & in creata natura, propriè, quia illa proprie eſt obiectũ cognitionis & volitionis, & vtitur in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui creato, ꝙ eſt exercere propriè munus cauſæ formalis extrinſecæ, in ordine ad cognitionẽ hęc vero proprie etiã informat & ſpecificat: ergo ratio cauſæ formalis vt ſic dicta de vtraque analoga eſt. Cõfirmatur: nã ratio cauſæ formalis (ſicut & aliarum cauſarum) deſumitur ex cauſalitate formali ad quã dicit ordinem: ſed cauſalitas intrinſeca & cauſalitas extrinſeca ſunt modi per ſe primo diuerſi quibus nihil vniuocũ poteſt eſſentialiter conuenire cũ illa ſit intrinſeca informatio hęc vero extrinſeca ſpecificatio, illa perfectione & dependẽtiam inuoluit, hæc vero quia eſt cauſalitas exemplaris, & menſuræ à tali imperfectione atque dependentia vindicatur: ergo.

11 Secunda pars patet: quia analogia proportionis interuenit vbi ratio per nomen ſignificata ſaluatur propriè & ſecundum formalem prædicationem in vtroq; analogato. Sed ratio cauſæ formalis ſaluatur propriè (vt dictum eſt) tam in forma intrinſeca, quàm in extrinſeca licèt cum quadam proportione: ergo.

Dico ſecundo cauſa formalis comparata ad accidẽtalem & ſubſtantialem intrinſecam analogice dicitur analogia proportionis, & per prius de hac quam de illa. Prima pars probatur: nam ratio entis eſt ſuperior ad rationem cauſæ formalis intrinſecæ & dicitur analogice de ſubſtãtia & accidenti: ergo etiam & ratio cauſæ formalis quæ eſt ſuperior ad vtrãque & inferior eſſentialiter adens. Conſequentia patet: quia implicat rationem analogam media aliqua ratione vniuoca eſſentialiter inferiori deſcendere ad ſua analogata. Secundo: quia ratio cauſæ formalis ex cauſalitate formali, vel potius ex ordine ad illam eſt deſumenda. Sed cauſalitas formalis formæ ſubſtantialis eſt talis ſimpliciter vtpote quæ dat eſſe ſimpliciter, & componit totum per ſe ſimpliciter. Secus verò cauſalitas formæ accidentalis, quæ tantum dat eſſe ſecundum quid, & componit totum accidentale: ergo non eſt vniuoca talis cauſalitatis ratio, & conſequenter neque ratio cauſæ ab illa deſumpta vniuoca erit. Deinque: quia ſubſtantiali enti & accidentali nulla ratio vniuoca eſſentialis poteſt conuenire præſertim quæ ſit abſoluta, vel non reſpiciens aliquem extrinſecum terminũ eiuſdem rationis: ſed ratio cauſæ formalis intrinſecæ nihil eiuſdem rationis reſpicit: quia tantum reſpicit cauſalitatem formalem vt ſic & eius effectum, quæ vniuoca non ſunt & alias eſt eſſentialiter conueniens ſubſtantiæ & accidenti: ergo nequit eſſe vniuoca. Maior patet: quia ſubſtantia & accidens ſemper & vbique ſunt primo diuerſa.

Secunda pars patet, quia tam in forma ſubſtantiali, quàm in accidentali, ſaluatur ratio formalis cauſæ, ſecundum prædicanem formalem. Tertia verò relinquitur manifeſta ex probationibus factis pro prima parte concluſionis.

12 Ex dictis ſequitur rationem cauſæ formalis dici analogice de forma naturali & ſupernaturali: & per prius dici de cauſa formali intrinſeca, quàm de extrinſeca, inter extrinſecas verò per prius dici de

illa quæ datur in Deo, quã de illa quæ ſaluatur in creaturis. Declarantur ſingulæ huius corollarij partes. Prima quidem pars patet: nam vt ſupra iam inſinuamus enti naturali & ſupernaturali (cum ſint diuerſi ordinis, & magis diuerſa quam ſubſtantia & accidens eiuſdem ordinis) nihil vniuocum eſſentiale poteſt conuenire. Secunda pars probatur, & declaratur: quia ratio cauſæ formalis abſolute ſaluatur in forma intrinſeca videturque in ſuo conceptu inuoluere imperfectionem, propterea enim Deo repugnat eſſe: primam cauſam formalem intrinſecam in eſſe entis ſicut probat D. Thom. 1. p. q. 3. artic. 8. contra duos errores, quorum alter ponebat Deum eſſe animam mundi: alter verò aſſerebat Deũ eſſe principium formale omnium rerum, ſumma autem rationum Diui Thomæ, hæc eſt: quia quod eſt primum efficiens, per ſe primo agens vt quod, & primum ens in participatum nequit eſſe forma & á fortiori neque materia vtpote cũ forma intrinſeca debeat diſtingui à cauſa efficienti ſui & non ſit agens vt quod, neque ſit primum ens in participatum, ſed Deus eſt primũ efficiẽs, agens vt quod, & ens in participatum, ideſt, per eſſentiã: ergo nequit eſſe forma intrinſeca cõpoſitionẽ ingrediens totius, aut materiæ ex quo liquet D. Tho. pariter à Deo excludere formalis atq; materialis cauſæ rationem propter imperfectionem quam in ſuo cõcepcu vtraque inuoluit: cauſa autem formalis extrinſeca ſolũ ſecundũ quid videtur eſſe cauſa formalis, ſiquidẽ declinat ab integra formalis cauſæ cauſalitate, defficit enim à cõpoſitione, modo quoddã ſpecificandi retento. Denique tertia pars patet: nã quidquid dicitur formaliter de Deo & de creaturis: per prius de illo quã de iſtis teſte D. Th. 1. p. q. 13. ar. 6. ſed ratio cauſę formalis extrinſecę (ideſt ideæ & exemplaris) ſaluatur formaliter & proprie in Deo, in quo ſunt omnium rerũ ideales formæ teſte D. Tho. 1. p. q. 15. ar. 2. & 3. & ipſe Deus eſt primum omnium exẽplar: quia omnia entia ad eius aliqualem ſimilitudinem determinatã ſortiuntur ſpeciem, vt probat D. Tho. 1. p. q. 44. ar. 3. ſubditque D. Tho. *poſſunt etiam in rebus creatis quædam aliorum exemplaria dici, ſecundũ quod quædam ſunt ad ſimilitudinem aliorum*, ſubintelligens rationem exemplaris in Deo tanquam in primo analogato, in creaturis autem ſecundario ſaluari.

13 Sed contra arguitur ſic: nã in Deo ſaluatur ratio cauſæ formalis intrinſecæ: ergo hæc nõ inuoluit in ſuo conceptu imperfectionem: antecedens probatur, multis: primo: quia Deus vnitur intellectui beati in ratione ſpeciei in intelligibilis: ſed ſpecies eſt forma intrinſeca intellectus, reducens illũ de potentia ad actũ primũ intrinſecũ immutantem ipſum intellectũ. 2. quia D. Th. 3. cõtra gen. c. 51. dicit diuinã eſſentiã poſſe eſſe formã intellectus creati in genere intelligibiliũ & ſi nullius poſsit eſſe forma in eſſe phiſico, forma autẽ intelligibilis intrinſeca eſt intellectui, & ſi reſpectu intellectionis extrinſeca ſit. 3. quia ſubſiſtentia, & exiſtentia Verbi diuini, vnita fuerunt humanitati in genere cauſæ formalis intrinſecæ: ergo. Antecedens patet hac ratione, illud quo aliqua res perficitur intrinſece & eſt in actu, & quo operatur eſt forma intrinſeca: ſed ſubſiſtẽtia & exiſtentia ſunt id quo Chriſti humanitas perficitur, eſt in actu & operatur vt forma: ergo. Mai. patet quia perficere & eſſe in actu ſunt actus formę intrinſecę, & quia anima eſt id quo viuens operatur, probat Ariſtoteles 2. de anima text. 4. quod ſit forma. 4. Deus poteſt vniri cauſæ ſecũdæ in ratione auxilij: ſed tunc vniretur in ratione formę intrinſecæ in eſſe phiſico: ergo. Mai. admittitur à multis Theologis, vt quæſtione ſequenti videbimus. Cõfirmatur 1. Deus poteſt ſuplere vicẽ cauſę formalis intrinſecę & non niſi gerendo munus illius: ergo. Mai. patet: quia poteſt ſuplere vicem ſpeciei creatæ, v. g. ſpeciei lapidis per eſſentiã enim diuinã in ratione ſpeciei poteſt beatus habere cognitionẽ lapidis, habet etiam humanitas Chriſti eſſe ſine exiſtẽtia creata: ſed habere effectum ſine cauſa formali creata eſt illam ſuplere: ergo. Min. vero patet: quia vnum genus cauſæ per cauſalitatem alterius nequit ſupleri, non enim ſupletur cauſa loco cuius alia eiuſdem generis non ſuſtituitur.

14 Confirmatur 2. Ratio cauſæ formalis dicitur de Deo propriè & per prius quã de creaturis: ſed nequit ſic dici niſi ſaluetur in illo cauſæ formalis intrinſecæ ratio: ergo. Mai. patet ex dictis, & ratione D. Th. 1. p. q. citata, quod enim de Deo & de creaturis prædicatur propriè & formaliter analogice dici debet: quia dicitur de cauſa & de effectu nullatenus ad rationem cauſæ ſiue perfectionem pertingente. Minor verò probatur. Nam quæ de Deo dicuntur tantum metaphorice & de creaturis propriè contrario ordine dicuntur, de illo enim ſecundario, & de hijs per prius prædicantur, vt docet idem D. Thom. in eodem articulo quæſtionis 13. & exemplis relinquitur

linquitur manifeſtum: nam ideo, lapis, ignis, leo &c. hijs ſimilia quæ Deo attribuuntur de illo per poſteriùs affirmantur: quia in illo metaphoricè dumtaxat & in creaturis propriè pònunt rem ſignificatam.

Ad hoc argumentum, reſpondetur primo negando antecedens, & ad primã probationem, dico cum Caietano 1. p. quæſt. 12. artic. 9. §. *Ad hæc breuiter* ſpeciem eſſe terminum intellectus terminus autem nõ eſt cauſa formalis, neque munu- terminandi repugnat Deo, cum vniatur intellectibus beatorum per modum verbi & humanitati Chriſti vnitur diuini verbi ſubſiſtẽtia, & exiſtentia, quia verbi, ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ munus eſt terminare, quod nullam implicat imperfectionem, quod autem & tale ſit munus ſpeciei, probat Caietanus quia implicat eundem intellectum pluribus ſpeciebus in actu actuari ſiue terminari, ſicut & idem corpus diuerſis ſimul figuris figurari quæ propoſitio eſt Doctoris Sancti in 1. 2. q. 54 art. 1. ad 3. ſic igitur ſe habet ſpecies quæ eſt in actu ad intellectum ſicut figura ad corpus. Hæc autem terminus eſt corporis, ſicut pũctus lineæ. Ad ſecundam dicendum eſt, quod eſſe formam in eſſe intelligibili non extrahit ſpeciẽ â ratione termini, ſicut eſſe formam figurantem corpus non extrahit figuram à ratione termini.

15 Ad tertiam nego antecedens: quia vt dictum eſt ſubſiſtentia & exiſtentia dũtaxat in eſſe termini vnita fuere. Ad cuius probationem dico quod id quo aliqua res intrinſece perficitur & eſt in actu, eſt forma quando eſt ens incomplectum ex natura ſua dicens ordinem ad componendam aliquam naturam ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem inde reſultantem: ſecus verò ſi non habeat huiuſmodi conditiones. Rurſus id quo aliqua res operatur eſt forma, quando eſt principiũ formale quo operandi phiſice: ſecus verò quando ſolum eſt conditio, aut eſt principiũ mórale, ſiue præſuponens virtutẽ phiſicam potentiæ operatiuæ, vnde quia perſonalitas verbi vt vnita humanitati (idem dico de exiſtentia) nõ eſt ens in complementum ordinatum ad compoſitionem tertiæ naturæ reſultantis, cum ſolũ reſulteat ex eius ad humanitatem vnione ſupoſitũ humanatũ, neque per informationẽ, ſed per meram terminationẽ, humanitate perficit ſicut punctus lineã; ideo non eſt forma reſpectu humanitatis, & quia non eſt principiũ *quo* phiſice operandi, vt ſic vnitum: cum virtus humanitatis proximè, & ipſa humanitas remote vt *quo*, elliciant operationes: ſed tamtum eſt conditio vt ei tribuãtur operationes vt ſupoſito operanti *vt quod*, & ſi influit verbi perſonalitas aliquid in actiones Chriſti meritorias, ille influxus moralis dumtaxat eſt à dignitate Verbi diuini vt á principio morali ſuponente phiſicã virtutẽ phiſice influente in ipſa humanitate, procedens: ideo difficiũt illi conditiones ad rationem formalis cauſæ intrinſece neceſſariæ. Ad quartam nego maio. de quo quæſtione ſequenti rediqit ſermo.

16 Secũdo poteſt dici quod antecedẽs eſt verũ ſi intelligatur de cauſa formali eminẽter ſumpta & ſecluſis imperfectionibus, & quia forma intelligibilis nõ adducit ſe cũ imperfectiones informationis, incõpletionis & reſultantiæ vnius tertij quas adducit forma in eſſe phiſico, eo quod ad formã intelligibilẽ ſatis eſt quod per illam fiant cognoſcens & cognitũ vnũ, ita quod vnũ in alterũ transformetur abſque reſultantia vnius tertij & propterea dixit Commentator 3. de anima, text. 5. ex obiecto & intellectu fieri magis vnũ quã ex materia & forma: quia materia nunquã fit forma, intellectus autem fit res intellecta: ſed hoc pacto eſſe cauſam formaliẽ, non eſt eſſe formam in eſſe phiſico, de quo eſſe loquuti ſumus quãdo diximus in cõceptu cauſæ formalis inuolui imperfectionẽ: itaq; vt in ſũma dicã cauſæ formalis intrinſeca ratio implicat imperfectionẽ, in genere phiſico, vnde nequit propriè talis ratio in Deo ſaluari formaliter, cauſa verò formalis in eſſe intelligibili nullã inſuo cõceptu dicit imperfectionẽ, vnde poteſt in Deo ſaluari ſecũdũ proprietate. Ad reliquas anteced. probationes ſatis ſuperque dictũ eſt in prima ſolutione.

17 Ad primã cõfirmationẽ nego mai. quia ſuplere eſt cautare eundẽ effectũ nomẽ vel ſpeciẽ abſq; cauſa ſecunda, quæ cauſaret cauſa ipſa ſecunda, licèt ſub alio modo cauſandi aut agẽdi, effectus ille ponatur in eſſe, vnde ſi Deus produceret hominẽ ſine homine generante vere ſupleret hominis generãtis cauſalitatẽ, licèt homo genitus à Deo æquiuoce producatur, qui ab homine alio vniuoce, id eſt, vt à cauſa vniuoca produceretur: & quia cognitio lapidis habita per eſſentiã diuinã eſſet alterius valde diuerſæ ſpeciei (imo & generis diuerſi) â cogitatione lapidis quã propria ſpecies lapidis eſt nata facere, ſimiliter humanitatis Chriſti eſſe, eſt diuinũ, ſicut & ſubſiſtere ac proinde longe aliud ab eſſe quod illi præſtaret exiſtentia creata, ideo in illis eſſe

ctibus Deus non ſuplet cauſam formalem creatã, niſi terminus ab vti vellimus vtquoties ſit effectus abſque cauſa creata, analogice conueniens cum effectu cauſæ creatæ dicamus ſupleri illam à Deo. Adiderim etiam quod neque cauſa formalis extrinſeca, vt obiectũ, exemplar &c. poteſt à Deo ſupleri: quia ablata cauſa formalis extrinſeca, auferri opus eſt ordinẽ ad illã, à quo ordine formaliter & intrinſece ſpecificatur effectus, & ſic ad ſuplere cauſam formalẽ extrinſecã ſequitur ſuplere intrinſecã, quę in ſuplebilis eſt ex eo q̃ eſt intrinſecũ conſtituiuũ abſque quo nequit conſiſtere cõſtitutum. Ex quo licèt colligere falſo etiam in hac parte dixiſſe Fonſecã vbi ſupra, quatenus exiſtimauit cauſam formalem, quæ expers eſt imperfectionis informandi ſuplebilem eſſe à Deo munus illius ſubeunte: ſicut dixerat proportionabiliter de cauſa materiale. Ad ſecũdam dico duas in cauſa formali interuenire rationes analogas, alia enim eſt ratio cauſæ formalis phiſicæ, in eſſe phiſico concurrens formaliter & propriè & per prius in creaturis, in Deo autem cauſaliter vel metaphorice tantum ac proinde ſecundario ſaluatur. Alia autem eſt ratio cauſę formalis intelligibilis, ab ſpecie creata & increata abſtrahens, & hæc per prius in Deo, quam in creaturis ſaluatur, abſolute verò: quia ex vſu & acomodatione cauſæ formalis à philoſophis ad cauſam phiſice cauſantem eſt acomodata: non debet ratio & nomen cauſæ formalis Deo attribui ſimpliciter abſque præfata de cauſa formali in eſſe phico & in eſſe intelligibilis diſtinctione, qua præmiſſa hæc Deo ſimpliciter vt ſupremo analogato attribuetur, illa verò ab eo ſimpliciter remouebitur.

QVÆSTIO IIII.

De ratione cauſalitate, atque diuiſione cauſæ efficientis, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

In quo conſiſtat, ratio & cauſalitas cauſæ efficientis?

1 IN hoc artic. ſicut & in præcedentibus de alijs cauſis, duo de cauſa efficienti inquirimus, alterum quid ſit illud per quod in actu primo conſtituitur, & hoc accipimus in nomine rationis. Alterum, quid ſit actus eius ſecundus, q̃ ſub nomine cauſalitatis intelligimus. Sed antequam ad hæc deſcendamus operæ prætium eſt diffinitionem cauſæ huius aſſignare in qua omnes tenentur conuenire, vt ex ipſo quod quid eſt propriam illius rationẽ venemur atque cauſalitatem. Philoſophus igitur in 2. phiſicor. tex. 29. hanc nobis tradidit cauſæ efficientis diffinitionem. *Eſt primum principium vnde incipit motus*: in qua, & genus commune cum alijs cauſis & proprium ab illis diſtinctiuum explicatur. Nam primum principium dicitur quatenus in hoc cõuenit cum alijs cauſis habentibus tum rationem principij paſſibi motus ſeu naturæ, cum etiam rationẽ cauſæ: materiæ namque & formæ ſubſtantiali entis naturalis, vtraque & naturæ, & cauſæ conuenit ac proinde & primi, ideſt, radicalis principij motus ratio in illis reperitur, in quo ab accidẽtalibus formis diſcriminantur quæ & ſi proxima motus principia ſunt, tamen neque radicalia, neque prima dici poſſunt. Rurſus per illam particulam: *vnde* denotatur quod motus non paſſibe ab illa cauſatur, ſed actiuè, egreſſum enim & influxum ſignificat actiuum, qua propter in hoc explicatur eius ab alijs diſtinctiuum neque enim materia, aut forma, aut finis eſt id vnde primo incipit motus, non quidem materia, quæ ab agente expectat formam ſuſcipiendam in generatione ſubſtantiali, neque forma, quæ per agentis actionem debet introduci, neque finis: quia licèt ſit primum mouens in intentione, eſt tamen vltimum in executione. Primum autem vnde motus egreditur eſt primum via executionis cum actualis influxus & inceptio motus neceſſario involuat executionem, per motum autem denotatur ſecundum rigoroſam ſignificationem actio quæ fit cum moto, aut mutatione, cuius modi eſt actio quæ in qualitatis, quantitatis maioris, ac ſubſtantiæ genitæ involuitur productione, in qua acceptione ſoli cauſæ efficienti corporeæ agenti per motũ poteſt hæc diffinitio philoſophi adaptari, vtpote à philoſopho cõcernenti in libris phiſicorum materiã & motum aſſignata. Sed ſecundũ mitiorem, ex acomodatione, motus acceptionem, quælibet actio poteſt nomine motus importari, ideoque in hac mitiori motus acceptione poteſt præfata diffinitio omnibus cauſis efficientibus adaptari: quo ſuppoſito, ratio cauſæ efficientis debet eſſe illa, per quam in actu primo conſtituitur ad mouendum ſiue ad agendum, vel per quam conſtituitur in eſſe principij, vnde primo egrediatur actio, ſiue motus.

Expenditur diffinitio cauſæ efficiẽtis.

motus. Hanc autem formam eſſe agentis in eſſe entis conſtitutiuam omnes philoſophi ateſtantur, quorum ſententiã docet & explicat Soto in 2. phiſico. quæſt. 4. concluſione 2. In explicanda autem eius actuali cauſalitate diuiſi ſunt philoſophi in duos modos dicendi. Alij namque dicunt conſiſtere in quoddam modo diſtincto ex natura rei ab ipſa actione & motu, & ab ipſa cauſa efficienti in qua recipitur illam de potentia ad actum reducendo, de quorum numero fuere Herueus quodlibeto 2. quæſt. 2. & Xauelus in 5. metaphiſicor. quæſt. 4. & Fonſeca lib. 7. metaphiſico. c. 8. quæſt. 3. ſectione 4. Alij autem dicunt eſſe ipſam actionem à qua cauſa, agens ſiue efficiens denominatur. Ita Conimbricenſes 2. phiſico. cap. 3. quæſt. 7. art. 1. idemque ſentire Soto, puto dum in 2. phiſico. quæſt. 3. ait modum concurrendi cauſæ efficientis, eſſe omnium cõpertiſsimum eo quòd eſt concurrere influẽdo in effectum, quòd nihil aliud eſſe videtur quam ipſum agere ſeu ipſa actio productiua.

Reſpondeo dicendum primo. Rationẽ cauſæ efficientis in actu primo conſtituti uam eſſe formam, qua agens agit: quæ duplex poteſt eſſe, aut ſubſtantialis, quæ eſt principium radicale operandi, vt igni, homini & aquæ, formæ ſubſtãtiales ſunt principia quibus radicaliter operantur. Ignis quidem calefaciendo, homo generando ſibi ſimilem & aqua infrigidando, aut accidentalis, quæ eſt proxima ratio agendi ſiue ſit alia radicalis, ſiue non, vt calor aquæ eſt principium calefaciendi, nullũ in aqua radicale præſuponẽs, quod tamẽ præſupponit in igne. Concluſio igitur ſic declarata probatur primo, quia philoſophus 2. phiſico. text. 17. appellat ſpeciem, hoc eſt, formam, principium motus: ſed non intelligit eſſe principium *vt quod*: ergo ſentit eſſe principium motus vt *quo*, ideſt vt rationẽ agendi, conſtituentẽque agens in actu primo. 2. Nam eodem res operatiua conſtituitur in actu, quo agit, quia vnumquodque agit in quantum eſt in actu, & propterea materia prima eſt inepta ad agendũ, quia eſt ex pers formæ & actus de ſe: atque ens aliquod quandiu eſt in potentia dumtaxat obiectiua, vt Antichriſtus, nequit agere: quia nõ dũ habet formã per quã in actu cõſtituatur, ſed vnaquęque res eſt in actu per ſuã formã, per quã determinatã ſpeciẽ ſortitur: ergo hæc eſt illi ratio agendi. 3. Nam omnis effectus aſsimilatur ſuo agẽti in eo quod ſibi ratio agẽdi eſt, hic enim eſt ſenſus illius vulgaris dogmatis, *vnumquodque producit ſibi ſimile*, ideſt omne agẽs ſi ad alicuius effectus perfingat productionẽ, producit illũ ſibi ſimilem modo ſibi poſsibili, nõ in ſuppoſito aut hipoſtaſi, neque in exiſtentia aut aliis individualibus conditionibus, ſed in eo quod eſt ei ratio agendi: ſed aſsimilatio effectus ad agens fit in ipſa forma igitur illa eſt agenti ratio agendi, ac proinde illius in actu primo conſtitutiua.

Dico 2. phiſica exiſtentia, licèt non ſit ratio agendi, eſt tamen illius intrinſica conditio atque complementum. Prima pars, ſcilicet quod non ſit ratio agendi patet. nã exiſtentia non eſt operatiua aliàs vnus homo poſſet per ſuam exiſtentiam alterius hominis exiſtentiam generare ſiquidem generantis exiſtentia operatiua eſſet & æque nobilis cum exiſtentia geniti, quod tamen eſt falſum: quia exiſtentia hominis eſt ſpiritualis ſicut anima rationalis cuius eſt effectus & actus, & ideo eſt per generationem improducibilis ſicut ipſa anima rationalis. Deinde probabile eſt exiſtentias rerum non produci à cauſis ſecundis, niſi inſtrumẽtaliter quatenus ſunt primæ cauſę inſtrumẽta vt infra latius diſputabimus. Sed ſi eſſent operatiuæ exiſtentiæ cauſarũ ſecundarum nulla eſſet ratio quare ab illis exiſtentiæ effectuum non producerentur principaliter cum illæ iſtis ſint æque nobiles. Denique duplex eſt ratio agendi, altera per modũ principij radicalis & hæc eſt forma conſtituens eſſentiã agentis, altera per modũ principij proximi: & hæc eſt virtus per ſe ad operandum ordinata. Sed exiſtentia nõ eſt ratio agendi radicalis cũ ſit actus accidentalis extra conceptum eſſentiæ rei creatæ, neq; eſt ratio proximẽ operatiua: quia per ſe primo ad eſſe tantum & non ad operandum ordinatur ergo.

Secunda pars probatur 1. ex diſcrimine quod inter reliquas cauſas & efficientẽ ponitur. Aliæ nãque vel nullã phiſicã exiſtentiã ad ſuam cauſalitatẽ, vt finalis, vel tantũ requirunt illã concomitanter, vt materialis & formalis, at efficiens necũ concomitanter, ſed etiã vt præuenit ſuã operationẽ, illam præ requirit. 2. quia omnis conditio extrinſeca eſt ſuplebilis adeo: ſed exiſtentia agentis nequit ſupleri. Vnde nequit Deus facere etiã de potẽtia abſoluta vt ignis non exiſtens calefaciat, quod enim nõ exiſtit realis efficientiæ incapax eſt neque diuinæ præmotioni ad agendum omninò, requiſitæ ſubordinari poteſt: ergo. Tertio: nam propterea humanitas Chriſti & eius paſsio in patres antiquos phiſico gratiam influere nequiuit influxu: ſed ſo-

lum morali, meritoque, vel per modum finis (vt alij volunt) qua operabatur in illos, vt futura & non dum exiſtentis rei aut futuræ, & nõ dum exiſtentis influxus phiſicus uequit eſſe: ergo.

4 Dico tertio. Cauſalitas cauſæ efficientis eſt actio ipſa de prædicamento actionis & non modus aliquis diſtinctus ab illa. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus primum modum explicandi cauſalitatem efficientis cauſæ, & eius authores, & probatur primo, quia cauſalitas agentis eſt forma illa à qua agens denominatur agens atque efficiens: ſed hæc eſt actio ipſa, cuius agens eſt concretum, omne autem concretũ denominatur ab illa forma, quam importat de formali: ergo. Min. declaratur: nam ſicut denominatur album ab albedine cuius eſt concretum: quia illam importat de forma ſic agens eſt concretum actionis quam importat de formali: ergo ab illa denominatur tale. Secundo nam ignis, v. g. ex vi calefactionis producit calorem, ſed calefactio eſt actio: ergo ex vi actionis producit illum, ac proinde actio eſt ipſa productio, & efficientia, quæ eſt cauſalitas agentis. Maio. patet quia calefactio eſt productio caloris, ſicut generatio hominis eſt productio hominis: ergo ex vi calefactionis producitur calor. Tertio nam modus ille in quo prædicti authores conſtituunt agentis cauſalitatem, aut præcedit actionem, aut illam ſubſequitur, aut eſt ipſa actio, quæ quia nõ eſt entitas cõpleta dicitur modus. Primum non poteſt dici: quia aliàs ignis in illo priori iam produceret calorem & ſic antecedenter ad calefactionem calefaceret quòd eſt impoſsibile, non ſecundũ quia aliàs antecedenter ad illum modum iam ignis, v. g. ageret & calefaceret, & ex vi actionis antecedentis, & ſic modus ſuperfluereret: quod autem nõ poſsit dici tertium probabitur infra contra Fonſecam dum actionem eſſe formam completã veri prædicamenti conſtitutiuam probauerimus. Nunc autem hæc vnica ratio pro multis ſufficiat. Nã actio eſt perfectio & finis potentiæ cuius eſt actio, & virtutis à qua procedit, nullamque in ſuo cõceptu inuoluit imperfectionem Deo repugnantem, at ſi eſſet modus iſte incompletus, neque perfectio, neque finis potentiæ agentis eſſet, neque eſſet expers imperfectionis: ergo. Mai. patet: quia virtus operatiua eſt propter ſuam operationẽ: imò vnumquodque agẽs creatum dicitur vulgo propter ſuam operationem, & in Deo ſaluatur vera ratio actionis: nullus enim huiuſque negauit intellectionem atque volitionem actiones eſſe, & ſi prædicamẽtales illas nõ dicat. Min. probatur: quia modus incompletus nequit eſſe finis, etiam proximus potentiæ quæ eſt completum, & propter ſui incompletionem dicit imperfectionẽ quæ à Deo eſſet releganda.

5 Sed aduerſus hanc concluſionem: obicies; quia actio tranſiens non manet in agente ſed recipitur in paſo, at cauſalitas cuiuslibet cauſę debet recipi in illa cauſa cuius eſt cauſalitas cum ſit actus illius illam de potẽtia ad actum intrinſece in mutãs: ergo aliquis modus relinquitur in agẽte ex vi cuius operetur. Secundo quia aliquando reperitur vera efficientia abſque actione: ergo alia eſt cauſalitas efficientiæ ab actione. Antecedens patet in triplici caſu. Primus eſt quando motus grauis, v. g. efficitur â generante non exiſtente in rerum natura, quòd iam nequit veram actionem exercere. Secundus eſt quando Deus aliquid creat, vere efficit, & tamẽ creatio nõ eſt vera actio, ſed ſola relatio dependentiæ actualis ad Deum creantem, vt dicere videtur D. Thom. 1. p. q. 45. artic. 3. & Caiet. ibidem & eadem 1. p. q. 25. art. 1. quorum ratio eſt: quia ſecluſo motu non remanet niſi relatio. Tertius eſt in reſultantia paſsionum ab eſſentia, quæ vere ab illa efficiuntur per quendam modum naturalis, ſcilicet reſultantiæ abſque vera actione: ergo. Tertiò obicit Fonſeca vbi ſupra, quod cauſalitas non eſt ens, ſed modus entis, vnde in cauſa finali & formali atque materialitantum ſunt modi concurrendi, earũ cauſalitates: ergo etiam cauſalitas efficientis eſt modus, quod confirmat: quia aliàs potentiores eſſent iſtæ cauſæ quam efficiens ad cauſandũ ſiquidem abſque entitate noba poſſunt cauſare, ſecus verò efficiens. Rurſus: quia aliàs cauſa efficiens prius erit actu cauſa quam ſit actu cauſa, conſequens vtrumque eſt falſum: ergo. Prima pars ſequelæ patet: quia potentior eſt; illa cauſa quæ ſe ipſa poteſt cauſare; quam illa quæ indiget noba entitate ad cauſandum. Secũda verò probatur: nà ſi actio, v. g. tranſiens eſt accidens receptum in paſo & diſtinctũ ab entitate agentis & effectus producti: ergo efficitur ab agente, & eſt verus illius effectus, & per cõſequens agens eſt vera cauſa efficiens illius in illo priori naturæ quo illud cauſat, at in illo priori nulla eſt cauſalitatis ratio à qua ſit actu cauſa, aliàs daretur huiuſmodi accidentium proceſſus infinitus. Igitur eſſet prius actu efficiens, quã actu efficeret.

Sed

Sed ad hæc facile respondetur, ad primum enim dico, quod actio transiens est obiectiue in passo: quia sat est fuisse egressam ab agente & illi vniri nõ vt subiecto, sed vt principio à quo, vt per illam depotentia ad actum reducatur: non enim reducitur ad actum sui, sed alterius nempè passi perfectiuum. Vnde agens licèt ex aliquibus concomitantibus mutetur, ex vi tamen transeuntis actionis intrinsece non mutatur. Ad secundum nego antecedens. Ad primum exemplum quod sicut tũc generans non agit per actionẽ præsentaneã, ita neque per aliquem modum phisicum præsentaneum: nam de effectu phisicæ existentiæ pariter ad actionis & ad motus susceptionem redditur incapax. Agit igitur per actionem primam qua dedit grauiformam & esse, quæ licèt formaliter iam fuerit transacta, mansit tamen in virtute dum manet virtus in genito ad suum esse quietum per motum recuperandum. Ad alterum exemplum de creatione dico, quòd creatio est actio imanens in diuino intellectu practico quæ est adeo efficax vt effectũ ad extra producat nõ minori efficacia quã si esset formaliter transiens. Verũ est quod in effectu creato solam ponit rationem dependẽtię prętер ipsius effectus entitatem, at hæc dependentia nequit efficientiæ aut causalitatis rationem habere: quia dependentia nõ denominat causam sed effectũ, causalitas autem denominat causam, & illam constituit in actu secundo, cõcursus enim actualis constituit causam in actu, & actualis dependentia cõstituit effectum in esse dependentis actu, Diuus igitur Thomas solum intendit, quod in recreata præter entitatẽ sola relatio dependentiæ recipitur absque aliqua actione aut mutatione in effectu recepta sicut cõtingit in hijs quę fiunt per motum aut per mutationem, nõ tamen negat in Deo dari veram actionem imanentẽ formaliter & virtualiter transeũtem in qua saluatur vera ratio actionis & diuinæ causalitatis. Ad tertiũ exemplũ dico, quòd vbi est vera efficientia, & vera actio debet interuenire, secus verò vbi sola resultãtia interuenit, quæ est modus quidam diminutus efficientiæ, vnde sufficit ibi modum actionis saluare. Ad tertiũ Petri de Fonseca, respondetur negando antecedens, ad probationem dico quod in alijs causis causalitates sunt modi, quia nõ causant in quantum entia completa & in actu existentia: finis namque vt aprehensus, materia vero & forma, vt partes & entia in cõplęta concurrunt, efficiens verò vt ens cõpletum & existens in actu: vnde illis modis quibusdam sat est causare. Huic verò perfectior causalitas debet conuenire. Ad cõfirmationem nego sequelam. Neque existentia entis modalis ad causandum prouenit ex eo quod potentiores sunt, sed ex eo quod non per influxum præsupponentem in causa phisicam existentiam entis perfecti habent causare. Ad replicam eiusdem authoris nego iterum sequelam: quia actio cum sit ipsa causalitas actualis se ipsa fluit & efficitur ab agente non vt effectus; sed vt ratio efficiendi effectum. Nisi sit actio nullus termini productiua (vt visio corporalis) hęc enim se ipsa producitur vt actio & vt effectus estque sui ipsius productio. Vnde per illam constituitur potentia visiba agens & non ante illam, similiter quoduis agens per suam actionem & non ante illam constituitur in ratione efficientis illam, & per illam effectum.

ARTICVLVS II.

An causa efficiens rectè, & adequatè in principalem & instrumentalem diuidatur?

7 IN hoc art. celebrem habemus diuisionem causæ efficientis in principalem & instrumentalem examinãdam, quæ licèt nõ habeatur expressa apud philosophum in 2. phisic. vbi ex professo diuisiones causæ efficientis assignauit, tamen illam assignant ibi inter alias diuisiones cuncti eius interpretes præsertim recẽtiores: colligiturque ex eodè philosopho, in 2. de Anima text. 50. vbi instrumentum à causa principali condistinxit, de illaque agunt D. Thom. ibidem lectione 9. & 2. cõtra gen. c. 21. & de malo, q. 4. art. 1. & 1. p. q. 45. ar. 5. & 1. 2. q. 66. art. 6. ad 3. & 3. p. q. 62. art. 1. & in 4. d. 1. q. 1. art. 1. & alias fæpè: Soto in 2. phisic. q. 3. vbi videantur alij recentiones, & Suarez in 1. tom. metaphi. disp. 17. sect. 1. Igitur vt certa ab incertis separemus duo sunt in quibus omnes habent conuenire, alterũ est: quod hæc diuisio potest dupliciter fieri, & vtroque modo est adequata, potest namque diuidi causa efficiẽs in tota sua latitudine, vel potest diuidi dũtaxat causa particularis (vt ait Soto) & quouis modo est adequata. Primo quidè: quia nulla causa efficiens est quę subalterno mẽbro non cadat. Omnis nãque aut principaliter efficit aut instrumentaliter, quod si tantum diuidatur causa particularis a fortiori

Status quæstionis declaratur.

tiori diuiſio adequata erit, quia ex cauſis particularibus aliquas, cõtingit, eſſe inſtrumentales nempè illas quæ nõ propria virtute operantur, reliquas verò eſſe principales. neque aliquod mediũ poteſt, inter hæc duo extrema aſsignari, ſicut neque inter hæc duo, ſcilicet propria virtute, aut non propria virtute operari. Neque plato oppoſitum ſenſit, cauſas particulares omnes inſtrumenta primæ cauſæ nuncupãdo. Solum enim de inſtrumento quoad modum, & quandam imitationem loquebatur: & quia omnes cauſæ ſecundæ dum operãtur, mouentur a prima & agunt per virtutes a prima cauſa receptas (licèt ipſis proprias) quendam modum inſtrumentorum ſubinduunt ratione cuius à Platone inſtrumenta fuerunt appellatæ, ab Ariſtotele verò & eius ſectatoribus conſiderantibus in cauſis ſecundis virtutes proprias, permanentes atque æque nobiles cum effectibus cauſæ principales nuncupantur, & merito: quia ab eo quod vnaquæque res eſt ſimpliciter & abſolutè, debet ſumi eius denominatio. Secundo omnes methaphiſici cõueniunt in eo quod inter huiuſmodi membra formalis appoſitio reperiri debet qualis exigitur à membris legitimæ diuiſionis, quæ ſuis debent formalibus gaudere diſtinctiuis, per quæ etiam conſtituantur ad inuicem.

Sed in aſsignãdis huiuſmodi cauſæ principalis ac inſtrumẽtalis diſtinctiuis, diſentiunt: in treſque partiuntur modos dicendi. Alij namque dicunt cauſam principalem conſtitui in eſſe talis per hoc quod ei tribuitur effectus, inſtrumẽtalem verò eſſe illam cui effectus non tribuitur. Alij verò dicunt principalem eſſe in illam quæ influit in effectum per formam nobiliorem, aut ſaltem æque nobilem cum ipſo effectu in hocque diſtingui ab inſtrumentali, quæ per formam minus nobilem influit in effectum, de horum numero eſt Suarez 1. to. methaph. diſp. 17. ſect. 1. Magiſter verò Soto vbi ſupra relatus atque diſcipuli Diui Thomæ qui viam regalem peripateticamque doctrinam ſequuntur, ſufficienter ſe huiuſmodi diſtinctiua tradidiſſe putãt, dũ cauſæ vtriuſque principalis ſcilicet, atque inſtrumentalis nobis diffinitiones huiuſce modi tradunt, illius quidem, quòd ſit cauſa agens per propriam virtutem intendens ſibi aſsimilare effectum. Huius verò quod neque propria virtute operatur, neque effectum ſibi intendat aſsimilare. Ex hijs modis dicendi vt verum à falſis elligamus ſequentes ſtatuo concluſiones.

8 Reſpondeo dicendum primo, cauſam principalem & inſtrumentalem nõ ſatis neque verè diſtingui penes hoc quod alteri attribuatur effectus, qui alteri non tribuitur, neque per hoc quod eſt agere per formam æque vel minus nobilem. Prima pars ſtatuitur aduerſus primũ dicendi modum & probatur. Nam multoties effectus tribuuntur inſtrumentalibus cauſis, at diſtinctiuum cauſæ principalis debet eſſe ipſi proprium & inſtrumentali incommunicabile: ergo non benè aſsignatur ab authoribus primi modi vtriuſque cauſæ diſtinctiuum. Antecedens probatur. Nam Chriſtus vt homo tantum fuit cauſa phiſica inſtrumentalis miraculorũ, vt docet D. Tho. 3. p. q. 13. art. 2. Et nihilominus ei attribuũtur miracula, de ipſo etenim dicitur. Ioan. 2. *hoc fecit initiũ ſignorum* Ieſus, & rurſus, *videntes ſigna quæ faciebat*, & c. 6. dicitur de turbis, *videbãt ſigna quæ faciebat*, & c. 20. *hæc quidem & alia ſigna fecit* Ieſus. Marci 7. *bene omnia fecit multos loqui &c.* & de eiſdem miraculis dicitur Actor 10. *qui pertranſit bene faciendo*. Rurſus etiam effectus attribuũtur cauſis moralibus quæ nõ ſunt phiſicæ principales: ergo hoc non eſt proprium diſtinctiuum cauſæ principalis phiſice influentis de qua modo eſt ſermo. Antecedens patet: nam ideo miracula ſanctis attribuuntur quę ſolus Deus ad illorum deprecationem opperatus eſt. Vnde dicitur Actorum 5. *quod per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa implebe*, & primi Paralipomenon 4. dicitur de quodam, *qui ſtare fecit Solem*: cum tamen ſolus Deus huius ſolis ſtationis ſicut & alterius factæ tempore Ioſue ſolus Deus extiterit cauſa phiſica principalis. Denique: quia prius eſt cauſam principaliter agere in effectum, quam ei tribui effectum ex eo enim ei attribuitur effectus: quia ad ipſum concurrit vt cauſa principalis, ſiue vt inſtrumentalis: ergo antecedenter ad effectus attributionem, habet veram rationem cauſæ, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis & per conſequens antecedenter, debet vtraque ſuo gaudere diſtinctiuo.

Secunda pars ſtatuitur aduerſus Franciſcum Suarez & probatur primo. Nam cauſæ principalis diſtinctiuum in aliqua vna ſimplici ratione debet conſtitui, & non in aliquo diſiuncto cuius vtraque pars diuiſiue illi accidat: ſed agere per formam æque nobilem vel nobiliorem eſt diſiũctum cuius vtraque pars accidit cauſæ principali vt ſic, quæ aliquando agit nobiliori, & aliquando æque nobili forma: ergo in aliquo alio debet eius conſtitui primordiale diſtin-

ſtin-

ſtinctiuum. 2. quia diſtinctiuū eſſentiale eſt ipſum rei cuiuſque conſtitutiuū ac proinde in proprietate conſequta non conſiſtens. Sed ratio maioris, æqualis ac minoris nobilitatis eſt proprietas ad formales rationes cauſandi conſequta, ab illa enim cauſa non *quæ*, ſed qualis denominatur: ergo.

Statuitur vtrū diſcrimē inter principalem & inſtrumētalem cauſā.

9 Dico tertio. Propria ratio cauſę principalis eſt illa, quam aſsignat tertius modus dicendi. Nempè agere virtute propria aſsimilando ſibi effectum: ſicut & ratio inſtrumenti eſt agere non virtute propria, neque ſibi effectum aſsimilare. Hæc concluſio probatur primo. Nam cauſæ principalis ſufficiens & exacta eſt hæc diffinitio: quod eſt illa quæ virtute propria agit in effectum illumque ſibi aſsimilat, & inſtrumentalis cauſæ exacta diffinitio eſt, quod ſit illa quæ in virtute alterius agit in effectum illumque, ſibi non aſsimilat, at in diffinitionibus explicantur rerum diſtinctiua: ergo hæc quæ hijs diffinitionibus declarantur ſunt huiuſmodi cauſarum diſtincti ua. Maior patet: nam præter quam quod diffinitiones debent eſſe communi omniū philoſophorum conſenſu acceptatæ: probatur, quia omnia quæ ſibi ex proprijs vendicant huiuſmodi cauſæ hijſce diffinitionibus declarantur: etenim proprium eſt cauſæ principalis agere ex ſua forma & virtute, ideſt, nō per ſolam virtutem alterius, in ſola motione conſiſtentem. Neque vt alterius virtus alteri vſus vi ſubiecta. Sed opus eſt vt virtus qua agit ſit permanens in illa, vel ſaltem recepta aut connaturalis eius ratio agendi deſeruiens: cui effectus aſsimilatur, & ex hoc ſequitur quod ſit nobilior, vel æque nobilis: quia effectus non niſi formę nobiliori aut æque nobili aſsimilatur, at hæc omnia declarantur in prædicta diffinitione. Rurſus proprium eſt cauſæ inſtrumentalis concurrere vel per ſolam motionē alterius, vel vt alterius virtus ac proinde non ſibi ſed alteri cuius eſt virtus aſsimilare effectum: ex quo ſequitur quod non agit per virtutem æque aut magis ſed minus nobilem cui propterea effectus haut quaquam eſt aſsimilandus, quorum omniū præfata diffinitio eſt exacte explicatiua: ergo. Secundo id probatur: nam ſi aliquid obſtaret huic concluſioni eſſet argumentum Suarez deſumptum ex aliquibus exemplis in quibus aliqua inſtrumenta videntur cauſare virtute propria: at hoc non obſtat: ergo, Minor. nam facilis eſt ſolutio ad illa. Adducit nāque exempla de calore naturali inuiuente & in igne: ille virtute propria nutrit. & iſte generat ignem, & tamē vterque concurrit inſtrumentaliter (ait ipſe) rurſus adducit exempla depipere, & cauſa ſecunda mota à Deo: quorum illud non agit niſi alteratum, & hæc non niſi mota, & tamen concurſu principali. Facilis inquā ad hęc eſt ſolutio: nam calor viuentis non nutrit virtute propria, ſed virtute ab anima ſibi communicata, ratione cuius calor ille naturalis in ratione cauſæ ac naturalis proprietatis eſt diuerſæ ſpeciei à ſe ipſo vt eſt inſtrumentum ac naturalis proprietas ignis, licèt abſolutè ſumptus ſola natura caloris expectata, eiuſdē ſpeciei ſit, ſicut gratia habitualis quæ in Chriſto & nobis, eiuſdem ſpeciei eſt in ratione gratiæ perſonalis, tamen in ratione cauſæ eſt diuerſæ ſpeciei à noſtra: illa enim propter virtutem influendi in membra ex cōiunctione ad verbum acceptam ſubinduit rationem gratiæ capitis, & phiſici inſtrumenti ad aliorum hominum gratiam producēdam, quam nō ſubinduit noſtra gratia: ſimiliter cogitatiua hominis ſecundum multorum probabilem ſententiam eiuſdem ſpeciei eſt cum animalis bruti cogitatiua (cum hæc identitas in alijs ſeruetur potentijs ſenſitiuis) tamen diuerſa eſt ab illa ſecundum ſpeciem modalem, eo quod participet modum quendam ex coniunctione ad intellectum, ratione cuius poteſt circa ſingularia diſcurrere, quem non participat cogitatiua brutorum: haut diſsimiliter calor naturalis in animali accipit ab anima virtutem nutriēdi inſtrumentaliter, quam non habet calor ignis. Ad aliud exemplum de calore ignis dico quod non propria virtute producit ignem, ſed in virtute formæ ſubſtantialis ignis aqua dimanat: ſumpta illa dictione non intranſitiuè, eo quod pro tanto dicitur calor in virtute ignis generare alium ignem, pro quanto eſt ipſa virtus ignis, & quia inſtrumentum quando eſt ita coniunctum agenti principali vt ab illo dimanet per modum naturalis propriotatis non indiget alia ſuper addita motione aut virtutis extrancæ receptione: cum hæc ab intima coniunctione dimanationis præneniatur, ideo calor eſt ignis inſtrumentum agens in virtute illius, ideſt, vt virtus illius, abſque alterius virtutis ſuper additione, quod amplius infra declarabibus cum de modo quo accidens poteſt attingere ſubſtantiæ productionem diſputemus: deinde ad alia duo exempla depipere & cauſa ſecunda. Dicendum eſt in-

influxui cauſæ principalis in illis non obſtare præuiam motionem ad concurſum in ipſis requiſitam : nam antecedens ad actualem alterationem ſeu motionem extrinſeci alterantis , vel primi mouentis, iam habent virtutem in qua effectus præhabeatur & cui aſsimilari debeat, & per motionem ſolum illis accedit vel actualis aplicatio , aut aliqua conditio requiſita ad actualiter operandum. Sicut calor: qui (vt melius placet) per ſe ipſum & non per lucem adiunctam eſt aptus mouere viſum, abſque illa non mouebit viſiuam potentiam , eo quod poſtula lucem in medio receptam, vt conditionem ad actualem immiſsionem ſpecierum requiſitam.

Virtæ vtriuſq; cauſæ diuiſionis.

10 Dico quarto inſtrumentum ſubdiuiditur aliquibus diuiſionibus: multis autem cauſa principalis. Prima pars concluſionis declaratur : teſte D. Thom. loco citato de Anima & 3.par. quæſt. 62. artic.5. & 4.contra gen. cap. 41. inſtrumentum diuiditur prima ſui diuiſione in coniunctum & ſeparatum , & coniunctum etiam iuxta diuerſas rationes coniunctionis poſſe ſubdiuidi iam paulo ante inſinuauimus. Hæc autem duo membra diſtinguit Soto penes hoc quod coniunctum non agit per virtutem permanentem : bene autem ſeparatum: ita docet loco ſupra citato , qui in quæſt. 1. eiuſdem libri 2. phiſicorum ad 4. aliud diſcrimen aſsignauerat dicens coniunctum actiue, ſeparatum verò paſsiue tantum concurrere ad effectum agentis principalis , præſertim quando effectus non eſt in alio ſubiecto diſtincto ab ipſo inſtrumento producendus qua ratione putat ibi ad motum grauium & leuium virtutes ipſorum grauium & leuium , quæ ſunt agenerantium inſtrumenta ſeparata , paſsiue dumtaxat concurrere. Sed neutrum diſcrimen mihi placet : primum quia multa ſunt inſtrumenta ſeparata , quæ carent virtute permanenti, vt ſunt illa quæ artibus deſeruiunt alia etiam ſunt coniuncta quæ gaudent virtute permanenti, vt ſunt calor ignis ad alterius ignis productionem & calor animalis ad nutritionem comparatus. Secundum verò non placet : quia nullum inſtrumentum habet paſsiue tantum concurrere , quoniam cum ſit de genere cauſæ efficientis actiui concurſus nequit eſſe expers. Neque illum defficere grauibus & leuibus reſpectu ſuorum motuum ſuo loco oſtendemus. Quare aliter dicendum eſt , nempè penes hoc diſtingui, quod inſtrumentum coniunctum eſt illud quod immediate mouetur aut accipit virtutem à cauſa principali, ſeparatum verò mouetur ſiue accipit virtutem à cauſa principali mediante coniuncto. Hanc differentiam conſtituit D. Thom. 3. par. quæſt. 62. artic. 2. ponitque exemplum in baculo qui medio brachio mouetur ab homine ideòque ille ſeparati , hoc autem coniuncti inſtrumenti rationem habet : vnde etiam in ſemine , grauitate, ac leuitate hæc ratio inſtrumenti ſeparati ſaluatur : eo quod à generante non immediate , ſed mediante virtute generatiua coniuncta ipſi generanti virtutem ſuſceperunt ad generationem ſiue ad motum : penes hanc etiam differentiam humanitas Chriſti inſtrumentum cõiunctum , & ſacramenta inſtrumenta ſeparata ad gratiæ productionem nuncupantur. Diuiditur etiam inſtrumentum, in animatum , & inanimatum , quæ diuiſio coincidit cum illa qua diuiditur ininſtrumentum excellentiæ , & inſtrumentum communiter dictum. Ita habet D. Thom. 3. p. quæſt. 7. artic. 1. ad 3. & quæſt. 64. artic. 8. ad 1. & in 2. d. 13. quæſt. 1. artic. 5. & in 3. d. 13. quæſt. 1. artic. 1. ad 4. de veritate quæſt. 29. ad 9. & 1. 2. quæſt. 68. artic. 3. ad 2. in quibus locis diſtinguit D. Thom. inſtrumentum animatum ab inanimato in duobus : tum quia debet habere habitualem formam in qua effectus præhabeatur : tum etiam quia debet habere aliquam intentionem per quam ſe ſubijciat agenti principali , & ad effectum illius operationem ſuam dirigat , & vtriuſque rationem ait eſſe vnam ſcilicet nobiliorem modum operandi , in quo excedit inſtrumentum inanimatum , in eo conſiſtentem quod ita moueatur vt etiam quodam modo ſe moueat & agat mouens motum vt ſeruetur dictum Dioniſij, quod ſupremum infimi agentis , ſcilicet , inſtrumentalis , attingit infimum modum operandi ſupremi agentis, hoc eſt , principalis , quod in cauſis ſecundis agit etiam mouens motum, hac de cauſa requiri in Chriſti humanitate noſtræ gratiæ cauſa inſtrumentali habitualem gratiam , & in miniſtris Sacramentorum intentionem & caracterem habitualem D. Tho. ateſtatur: quia in illis ratio inſtrumenti ſaluatur animati.

11 Dices ex hijs ſequi inſtrumenta animata eſſe cauſas principales deſtruique in illis rationem inſtrumenti per conditiones

tiones aſsignatas: idque oſtenditur ſpecificatim in Chriſti humanitate gratia atque virtutibus. Nam cauſa exemplaris alicuius effectus non eſt inſtrumentalis, ſed principalis: quia eſt illa cui effectus aſsimilatur: non aſsimilatur autem niſi cauſæ principali. Sed gratia & virtutes Chriſti & humanitas ratione illarum, ſunt cauſæ exemplares noſtrarum: ergo ſunt cauſæ principales. Minor ſequitur ex dictis conditionibus, ſunt enim inſtrumenta (vt diximus) xcellentię, & animata, quę præhabent formam cui aſsimilatur effectus operanturque ex intentione aſsimilandi ſibi effectum.

Reſpondetur nihilominus negando ſequelam, & ad argumentum factum dico multoties inſtrumentum habere formam cui effectus aſsimilatur, ideſt, eiuſdem rationis cum forma effectus ratione cuius poteſt eſſe cauſa illius exemplaris, exempla ſunt apotiſsima. Manus enim pictoris depingentis ſuam manum & penicillus quo alium depingit: & martelus quo Faber Ferrarius alium conficit martellum ad ſimilitudinem primi, ſunt cauſæ exemplares de pictæ manus, de picti penicilli, & martelli fabricati, & tamen ſunt illorum cauſæ inſtrumentales: exemplares quidem, quia præhabent formas eiuſdem rationis quibus effectus aſsimilatur: inſtrumentales autem, quia illæ formæ non ſunt de ſe taliũ effectum operatiuæ, ſed ex motione & virtute impreſſa ab artifice, quæ tantum inſtrumentalis eſt. Haut diſsimiliter imò à fortiori inſtrumentis animatis (huiuſmodi ſunt humanitas, gratia, & virtutes Chriſti Domini) iſtæ duæ rationes, exemplaris ſcilicet, & inſtrumenti reperiuntur, exemplaris quidem, quia habent formam eiuſdem rationis cum effectu aliquando & ipſis aſsimilatur effectus eo quod animata ſunt ſeu excellentiæ quoddam modo in hac conditione perfectionem cauſæ principalis attingentia: inſtrumenti vero, quia illorum formæ non ſunt de ſe, ſed per motionem & virtutem inſtrumentariam ſuorum effectuum effectiuæ, vnde ad formam argumenti neganda eſt maior.

Secunda pars concluſionis patet: nam cauſa principalis diuiditur prima ſui diuiſione in primam & ſecundam, prima eſt illa quæ nulli alteri, in cauſando ſubordinatur. Secunda vero quæ primæ ſubordinata agit: ſecunda item cauſa poteſt ſubdiuidi in cauſam per ſe & cauſam per accidens, in cauſam vniuerſalem & particularem. Rurſus in cauſam æquiuocam & vniuocam: licèt etiam huiuſmodi diuiſiones cauſæ vt ſic immediate adaptari poſſunt, vt de facto adaptat Soto vbiſupra quæſt. 3. ſaluando in Deo qui eſt cauſa prima, rationem cauſæ per ſe, vniuerſalis, & æquiuocæ, ſed qualitercunque diuiſio fiat adequata inuenietur, & per oppoſita membra legitimè aſsignata. Cauſa enim per ſe eſt illa quæ virtute ſuæ propriæ formæ producit effectum vt expreſſe docet D. Tho. 1. 2. q. 85. ar. 5. loquens ſpecialiter de cauſa per ſe in genere efficientis: nam vniuerſaliter ſumpta prout ad omnia genera cauſarum extenditur eſt illa ad quam per ſe & ex propria natura ſequitur effectus, cauſa verò per accidens eſt illa quæ non per ſe requiritur ad effectum ſed per accidens coniungitur cum cauſa per ſe, ideſt quia aut accidit cauſæ vt muſicus ſtatuarius dicitur cauſa ſtatuæ, per ſe quidem ratione artis, per accidens autem ratione muſicæ arti coniunctæ in eodem ſuppoſito, aut accidit effectui, & hoc multipliciter, re mouendo prohibens, vel attingendo effectum per ſe intentum ad quem ſequitur alius non per ſe intentus, vel attingendo aliquam effectus diſpoſitionem, ſi primo modo attingat dicitur cauſa remouens prohibens: ſi ſecundo modo dicitur fortuna, & ſi tertio, occaſio nuncupatur. Rurſus cauſa vniuerſalis eſt illa quæ ad plures effectus mediis aliis cauſis particularibus ſuum extendit concurſum, quæ hac ratione remota ſolet appellari. Cauſa autem particularis eſt illa quæ ad vnius vel alterius ſpeciei dumtaxat effectus ſuum contrahit concurſum & nõ mediis aliis cauſis ſibi ſubordinatis quæ proinde proxima dici ſolet, denique cauſa æquiuoca eſt quæ producit effectũ ſibi diſsimilem informa (hoc eſt eiuſdem rationis) nõ producit, vniuoca vero quæ effectum ſibi ſimilem informa (hoc eſt eiuſdẽ rationis) producit, ad quẽ reducitur alia diuiſio cauſæ, in illam aqua effectus dependet tantum in fieri, & illam aqua effectus dependet in fieri & conuerſari, quæ poſtremæ diuiſionis eſt explicatio vt vult Soto vbiſupra, miſas facimus alias diuiſiones philoſophi aductas à philoſopho 2. phiſicorum text. 32. & à Diuo Thoma ibidem lectione 5. nempè in cauſam conſiliantem, ſuadentem (quæ ad genus moris pertinent) & cauſam adiuuantem atque diſponentem. Rurſus in cauſam totalem & partialem, in ſimplicem & com-

complexam: & alias huiuſcemodi, quæ ad prædictas tanquam ad primordiales diuiſiones reduci poſſunt & ex illis ſufficiéter explanari. Quarum eas quæ maiores & grauiores exhibent difficultates in ſequentibus articulis agredimur diſputandas.

ARTICVLVS. III.

An diuiſio cauſæ in æquiuocam & vniuocam ſit legitimè aſsignata, eiuſque membra rectè declarata.

13 IN hoc artic. licèt omnes conueniant in primo puncto, nempè quod diuiſio adequata ſit, nihilominus in ſecundo, ſcilicèt in aſsignando formalem rationem vnius & alterius membri diuiſionis conſtitutiuam duplex verſatur ſententia. Prima enim aſſerit rationem cauſæ vniuocę conſtitutiuam non in eo ſitam eſſe, quod effectus ſit eiuſdem rationis, aut à ſua cauſa dependens ſolum in fieri. Sed in hoc quod ex meritis talis effectus (ſiue eiuſdem ſiue diuerſę rationis ſit) poſsit per longum tęporis interſticium abſque cauſa vniuoca conſeruari, è contra vero rationem cauſæ æquiuocæ conſtitutiuã eſſe in eo quod (ſiue eiuſdem ſiue diuerſæ rationis ſit) per longam temporis moram nequeat abſque cauſa conſeruari vnde infert hęc ſententia ſub effectu vniuoco & illum qui eiuſdem, & illum qui eſt diuerſæ ſpeciei comprehendi, & ſimiliter ſub effectu æquiuoco eandem latitudinem contineri. Ita docet Suarez 1. tom. Metaphiſic. diſp. 21. ſectione 3. Secunda ſententia communis eſt afferentium cauſam vniuocam eſſe illam quæ perfectè in eadem ſpecie aſsimilat ſibi effectum, æquiuocam vero è contra illam, quæ effectum diſsimilem in ſpecie producit, ex quo infert hæc ſententia oppoſitum corollarium, nempè ſub effectu vniuoco, tãtum effectum eiuſdem ſpeciei & ſub æquiuoco effectum diuerſæ ſpeciei contineri dumtaxat. Rurſus ex natura huiuſcemodi æquiuocationis & vniuocationis colligi docet hæc ſententia omnem effectum æquiuocum à ſua cauſa in fieri & conſeruari dependere vniuocum autem, dumtaxat dependere in ipſo fieri. Ita docet Soto vbi ſupra quæſtione 3. §. *Et hinc ortum habet ſeptima diuiſio*, quæ doctrina eſt Caietani 1. p. q. 104. art. 1. atque D. Thom. ibidem.

14 Reſpondeo dicendum primo, cauſam adequate diuidi in vniuocam & æquiuocam, quarum rationes penes effectus eiuſdem ac diuerſæ rationi productionem conſtituuntur. Prima pars probatur. Nam vel productio ad effectum eiuſdem rationis, vel ad effectum diuerſe rationis terminatur: ſicut enim inter effectum eſſe eiuſdem aut diuerſæ rationis non eſt dare medium, ita neque inter hoc quod eſt productionem ad effectum eiuſdem vel diuerſæ rationis terminari: ergo in vniuerſum (ſiue cauſam ſecundam, ſiue cauſam in tota ſua latitutidem diuidamus) duplex modus cauſandi tantum reperitur penes duplicem aſsimilationis effectus ad cauſã modũ, alter quo effectus eiuſdem rationis, ideſt, vniuocus, & alter quo effectus diuerſæ rationis, ideſt æquiuocus cauſatur, ab illoque cauſæ vniuocæ, ab iſto vero cauſæ æquiuocæ ratio deſumitur.

Secunda pars probatur: nam vniuocatio eſt conditio ad vnam rationem pluribus conuenientem cõſequuta, & æquiuocatio eſt conditio quę ad diuerſitatem rationum quibus plura diſconueniunt conſequitur: ergo ratio cauſæ vniuocæ vt ſic, per effectus eiuſdem rationis productionem, & ratio cauſæ æquiuocæ per effectus diuerſæ rationis productionem, vel per ordines ad huiuſmodi productiones ſunt cõſtituendæ.

Dico ſecundo, proprietas cauſæ vniuocæ eſt producere effectum in fieri ſolum dependentem ab ipſa: cauſæ vero æquiuocæ eſt producere effectum ab ipſa in fieri, & conſeruari dependentem: vnde effectus illius in ſolo fieri, huius verò in fieri & conſeruari, dependet. Hæc concluſio probatur: nã ex eo quod agens in primit in effectum formam eiuſdem rationis prouenit quod effectus in ſolo fieri dependeat à ſua cauſa & ex eo quod imprimat in effectum formam diuerſæ rationis prouenit quod effectus in fieri & conſeruari dependeat à cauſa: at iſtæ ſunt rationes cauſæ vniuocæ, & æquiuocæ: ergo iſtæ ſunt illarum proprietates, ſiue cõditiones aut modi, ne fiat quęſtio denomine. Antecedens eſt Diui Thomæ, in loco allegato, nempè 1. part. quæſt. 104. artic. 1. & probatur ab illo: quia cauſa producens effectum eiuſdem rationis, ſeu perfectè ſimilem dat illi formã æque perfectam cum ſua, vnde ſicut propria agentis vniuoci forma non dependet in eſſe ab ipſo effectu, ſed abſq; illo poteſt conſeruari, ita effectus per ſuam formam

po-

poteſt abſque cauſa vniuoca conſeruari, & ſolum infieri depẽdet ab illa, quia ab illa producitur, è contra vero effectus cauſæ æquiuocæ accipit formam diuerſæ rationis, atque deficientem ſecundum eſſe a forma cauſæ æquiuocæ, vnde etiam ab ea dependet ſecundum eſſe, ac proinde ſine illa nequit conſeruari. Declaratur hoc amplius forma dependens, ſecundum eſſentiam ab aliqua cauſa in omnibus ſuis indiuiduis depẽdet ab illa, quia quod alicui conuenit perſe, ideſt ſecundum eſſe, ſiue ſecundum eſſentiam ſemper & vbicunque illi conuenit, ſed talis dependentia ſupponit effectus formam eſſe diuerſæ rationis â forma cauſæ, aliâs in cauſa ipſa talem ſubibit dependentiam a ſe ipſa cum ſit cauſa vnum de multis indiuiduis talis formæ, quando autem forma effectus eſt in capax talis dependentiæ reſpectu alicuius cauſæ, & ſolum reſpectu illius ſubit dependentiam infieri, id prouenit ex eo quod forma effectus, & cauſæ eſt eiuſdem rationis ex quo fit nullam dependentiam perſe, & ſecundum eſſe vni conuenire, quæ alteri non conueniat. Confirmatur inductione: nam propterea homo ab homine, & ignis ab igne, & equus ab equo generante infieri tantum dependent, quia recipiunt formas eiuſdem rationis, ac proinde ſunt effectus vniuoci, qui ab aliis indiuiduis eiuſdem ſpeciei nequeunt ſecundum eſſentiam dependere. Et propterea omne corpus ſublunare à cœlo, & omnis creatura à Deo dependent ſecundum eſſentiam & inconſeruari, quia ſunt effectus diuerſæ rationis formam aliam a forma ſuæ cauſæ, atque illa imperfectionem recipientes, ac proinde ſecundum eſſentiam poſtulant, dependere, quæ dependentia in omnibus indiuiduis, hoc eſt in omni corpore ſublunari reſpectu cœli, & in omni creatura reſpectu Dei reperitur.

15 Dices non omnem effectum æquiuocum participantem formam diuerſæ rationis â ſua cauſa ſubire talem dependentiam ſecundum eſſe, neque omnem effectum vniuocum participantem formam eiuſdem rationis a ſua cauſa, eſſe experem talis dependentiæ, & ſola dependentia in fieri eſſe contentum, non igitur æquiuocatio, aut vniuocatio eſt adæquata ratio dependentiæ ſecundum eſſe, aut dependentiæ tantum infieri. Antecedens pro prima parte, patet in duobus exemplis, ſcilicet muli, & equi horum enim animalium cauſa vniuoca, & eiuſdem rationis non datur, illius quidem nunquam, quia ſemper ex aſina, aut equa debet generari. Huius vero aliquando non datur, quia aliquando ex aſina, & equo generatur, & tamen ſolum infieri dependent à talibus cauſis, vt experientia perſpicum eſt. Secunda pars antecedentis, probatur alijs duobus exemplis, ſcilicet lucis & caloris. Lux enim aeri impreſſa a ſole eſt effectus vniuocus ſolis, vt pote eiuſdem rationis cum illius luce, & tamen dependet ab illo inconſeruari, vnde ab hemiſpherio remouetur ad abſentiam ſolis. Rurſus lux diffuſa ab aliquo luminoſo, vt a cereo, vel face, aut lampade luceenſa, eſt eiuſdem rationis cum ipſa luminoſi luce, & tamen nequit abſque illa conſeruari: ergo. Deinde idem argumentum fit de calore, qui eſt eiuſdem rationis, cum calore ignis, & tamen nequit in abſentia ignis perfectæ, & per longam temporis moram conſeruari, niſi ali quantula mora, & in via corruptionis ſemperque decreſcens: ergo. Sed hoc argumentum non obſtat veritati noſtræ ſecundæ concluſionis: nam falſum eſt quoad vtramque partem antecedens: neque exempla aliquid conuincunt, ſed explicant ſenſum concluſionis, & ad prima duo: dico quod mulus & equus per accidens producuntur ab aſina, ſcilicet ex eo quod mixtio ſeminis duorum animalium diuerſæ ſpeciei mutuo ſe impedientis ne ſimilis in eadem ſpecie effectus produceretur, aliud diuerſæ ſpeciei produxit animal, præter generantis particularis, intentionem, licet non præter cauſarum vniuerſalium, ſcilicet Dei & corporum cœleſtium intentionem. Concluſio autem debet intelligi de effectu ad cauſam æquiuocam perſe illum producentem comparato, non autem de illo comparato ad cauſam per accidens, & veluti ſuplentem vicem atque deffectum cauſæ vniuocæ, quia ergo illi effectus prædicti per accidens ab agente particulari, & perſe ab agente vniuerſali producuntur reſpectu huius, & non reſpectu illius dependentiam in conſeruari ad æquiuocum effectum conſequuntur retinent.

16 Ad tertium de luce dico, & ſimiliter ad quartum cum Diuo Thoma, vbi ſupra in citato, articul. 1. quæſtionis 104. quod propterea aer non conſeruat lumen remoto luminoſo, quia non eſt aptus natus recipere impreſionem luminis ſecundum eandem rationem, ſecundum quam eſt in agente perſe productiuo luminis, quod conſtat non eſſe ignem, ſed quintam eſſentiam, hoc eſt corpus ſolare, ſecundum autem eſſe quod habet lumen in ſole nequit recipi in aere, ideo eſt effectus æquiuocus lumen productum in aere a quouis luminoſo, ac proinde dependens ab illo infieri & conſeruari. Et hanc conſtituit differentiam D. Tho. inter effectum vniuocum & æquiuocum, quod quoties effectus eſt natus recipere impreſio-

nem agentis seu similitudinem secundum eã dem rationem, quam habet in agente tunc effectus est vniuocus, & quoad fieri tantũ dependens ab agente, quoties vero effectus non est natus recipere impressionem, ac similitudinem agentis secundum eandem rationem secundum quam prehabetur in agente, nunc est effectus causę æquiuocæ, & propterea quo ad esse à sua causa dependens, sed vt hæc differentia quæ est huius dubitationis vnicum fundamentum eluceſcat magis: nõ nullæ sunt aduersus illam obiectiones proponendæ, ex quarum solutione veritas assignatæ à D. Thomæ doctrinæ patefiet. Primo arguitur sunt quidam effectus, qui neque dependent in solo fieri, neque absolute dependent in conseruari, sed medio modo se habent, ideoque possunt aliquanto tempore in absentia causarum suarum conseruari: ergo erunt medij inter vniuocos & æquiuocos, ac proinde diuisio assignata tam ex parte causæ, quam ex parte effectus pœnes vniuocum, & æquiuocum non est adæquata. Consequentia patet, quia sicut dependentia in solo fieri constituit quo ad nos effectum vniuocum, & æquiuocum dependentia in conseruari, siue in esse, dependentia, reuera siue media etiam effectum medium, siue neutrum constituet pro quo media causa inter vniuocam, & æquiuocam erit assignanda. Antecedens autem probatur, impulsus lapidi proiecto impressus, neque dependet in solo fieri a proiciente, neque omnino inconseruari, quia paulatim cessat in absentia illius. Idemque iudicium est de habitibus ociosis, qui per non vsum paulatim amittuntur: ergo. Dices hos effectus absolute vniuocos esse, & tantum dependentes in fieri, vnde sicut paulatim, ita diu ex vi suæ productionis possent permanere nisi aliunde impedirẽtur, impetus enim lapidis proiecti impeditur à propria lapidis grauitate renitente, & similiter habitus ab actuum cessatione, vt a quodã contrario impeditur ne diu permaneat, sed cõtra: nam neque lapis proiectus recipit impetum illum neq; est natus recipere secundum eandem rationem secũdum quam est in proiciente, quod est viuens, neque habitus potest ad perfectam suæ causæ v. g. intellectus, aut voluntatis pertingere similitudinem, igitur non saluatur in illis assignatum a D. Tho. effectus vniuoci distinctiuum. Confirmatur, nam effectus artificiosi, vt figura domus, Cathedræ & vasis, sunt effectus æquiuocis agentis per artem vt potè, qui formã artis secundũ rationem in artifice existentem recipere non sunt apti, & tamen non dependent ab illo in esse siquidem absq; illo diu conseruantur: ergo ruit assignatum discrimen.

17 Ad hoc argumentũ Suar. vbi su. resp. huiusmodi dependentias, in solo, scilicet, fieri, vel inconseruari non ad effectus vniuocationem, aut æquiuocationem, sed ad naturam ipsorũ accidentium fere reducenda. Ex natura enim aliquorum accidentium prouenit, vt licet sint diuersæ rationis à suis causis, conseruentur nihilominus sine illis, vt potè quibus in absentia causarum debetur diuinus concursus illorum conseruatiuus, cuius generis, sunt accidentia numerata, eiusdemque esse (ait) calorem impressum in aqua, ab igne, qui nisi a frigiditate aquæ natiua citius expellere tur, diu posset in illa conseruari, ex aliorum autem natura prouenit, vt non obstante identitate rationis cum suis causis nequeant absque illis conseruari, vt potè quibus concursus conseruatiuus in absentia causarum non debeatur: sed hæc solutio defficit, quia non explicat quare talis in illis potius quam in istis accidentibus reperiatur, aut enim exigentia concursus conseruatiui in absentia causæ propriæ prouenit ex natura communissima accidentis, vt sic, aut ex natura speciali talis accidentis, non primum alias in omni accidẽ ti esset talis concursus exigentia: ergo secundum, ac proinde debuit explanare quæ esset hæc specialis natura aliquorum accidentium quæ non est alia, nisi quod sit accidens eiusdem rationis cum sua causa, aut postulans necessario produci secum formam eiusdem rationis cum sua causa. Rursus non solum in aliquibus accidentibus reperitur exigentia diuini concursus conseruatiui in absentia causæ propriæ, sed etiam in effectibus substantialibus, debet igitur hęc exigentia reduci ad aliquam communem rationem accidentibus, & substantijs, quæ non est alia nisi vniuocationis conditio, & non exigentiæ, siue exclusionis diuini concursus conseruatiui erit alia ratio etiam cõmunis, scilicet æquiuocatio, siue rationis diuersitas inter effectum, & causam eius propriam.

18 Vnde aliter respondetur negando antecedens ad probationem, dico quod impulsus ille fit perse à proiciente, vt est loco motiuum & agens corporeum leuitatis, aut grauitatis particeps, licet per accidens ab aliquo alio possit imprimi proiectis, & ideo potest secundum eandem rationem secundum quã prehabetur in sua causa perse in grauibus, & leuibus proiectis participari: habitus vero nũquam absq; sua causa saltem in adequata conseruantur, qui enim in intellectu, aut voluntate generantur ex huiusmodi potentiarũ actibus, ab intellectu etiã, atq; a voluntate effectiue producuntur, & absque eis haut quaquam conseruantur. Vnde respectu potentiæ

tiæ in qua recipitur, & aqua producitur habitus habet rationem effectus æquiuoci ad eius perfectam similitudinem nunquam perueniens. Ad cõfirmationem respondetur, quod D. Thom. prædictum discrimen non assignat nisi inter effectus naturales: ait enim: *Quandocunque naturalis effectus est natus, &c.* Ac proinde ex ipso cõtextu effectus artificiales a prædicto discrimine excludũtur. Cuius ratio potest esse illa, quam sub obscure tradidit Soto vbisupra dicens artificialia cum nihil aliud sint quam compositio rerum naturalium, aut earum figura, infieri tantum dependent ab arte, in esse vero a subiecto naturali, aquo conseruantur: quæ ratio potest adiubari per aliã, quæ ex diuersa ratione agentis per artem desumitur, agens enim per artem est agens per intellectum, cui effectus non assimilatur in esse physico, sed in esse intentionali secundum ideam siue formam aprehensam, ad similitudinem autem in esse intentionali non sequitur physica depẽdẽtia effectus, sed potest stare cum illa independentia in esse reali a causa illa quæ tantum habet assimilare sibi effectum in esse intelligibili, secus vero in effectibus naturalibus quos causæ naturales in esse naturali & physico intendunt assimilare.

19 Secundo arguitur lumen productum à sole in aere est effectus vniuocus, vt potè eiusdem speciei cum luce solis, vt docet D. Tho. opusc. 51. & opuscul. 60. cap. 36. vbi asserit, quod sicut claritas Christi in transfiguratione fuit eiusdem speciei cũ claritate, quam in resurrectione accepit, cum hoc discrimine, quod illa fuit transiens, & hæc permanens ita lux aeris, & solis sunt eiusdem speciei, diuerso modo essendi pœnes transiens & permanens gaudentes, & tamen dependet à sole non in solo fieri, sed etiam in conseruari: ergo. Dices ad effectum æquiuocum satis esse, quod forma effectus deficiat à forma causæ in modo essendi, licet quod substantialem perfectionem non deficiat. Vnde cum lux aeris deficiat à luce solis in modo essẽdi, ideo est illius effectus æquiuocus ac proinde ab illa in esse dependens, quod præsertim ex eo patet, quia non est apta nata suscipere formam solis substantialem a qua causatur perse: sed contra arguitur: nam id quod est natum recipere aliquam formam secundum rationem specificam, etiam est natum illam recipere secundum modum, secundum quem est in causa: igitur si diaphanum illuminatum à sole est natum recipere formam lucis secundum eandem rationem, secundum quam est in sole etiam erit natũ recipere illam secũdũ eundẽ modũ quem habet in sole. Præterea lux producta ab igne, nedum secundum rationem specificam eandem, quam habet in igne formaliter ratione caloris, & radicaliter ratione formæ substantialis, est nata illi assimilari: verum etiam secundum modum, & nihilominus dependet omnino in conseruari ab illa: ergo aptitudo ad perfectam assimilationem, tam quoad rationem specificam, quã quoad modum non est adæquata ratio excludens prædictam dependentiam, neque illam inducit effectus talis aptitudinis, scilicet ad assimilationem quoad modum. Denique quia sic comparatur lux causata ab igne ad ignem vt luminosum atque calor causatus ab igne ad eundem ignem, vt calefactiuũ, illius enim, & huius ad ignem est assimilatio in ratione specifica, cum diuersitate essendi per modum transeuntis, extra ignem, in quo sunt per modũ habitus & permanenter, atqui hac diuersitate essendi modali non obstante calor non dependet in conseruari ab igne: ergo neq; lux ab illo propter diuersitatem in modo essendi in conseruari dependebit. Neque valet dicere cum Soto vbisupra lucis & caloris ad ignẽ non esse eandem comparationem, quia calor est dispositio ad formã ignis substantialem, & ideo est quedam illius participatio inchoata. Lux vero non est dispositio ad formã ignis, ac proinde, neq; illius inchoatio, & ex hac differentia sequi quod calor, & non lux a dependentia in conseruari vindicetur: nam etiam lux est dispositio ad formã ignis, & ad formas gemiarum, ad illam enim, & ad has, lux incerto gradu est proprietas connaturaliter consequuta, & quia D. Th. dependẽtiæ huiusmodi in conseruari positionem ad diuersitatẽ specificam, & dependentiam in solo fieri ad specificam effectus cum causa perfectam similitudinem reducit: ergo non sunt ad esse dispositionem, vel non esse dispositionem reducẽdæ, quia sunt valde diuersæ rationes.

20 Ad argum. à principio fateor nõ esse sufficientẽ solutionẽ illã quæ inter arguendũ fuerat assignata. Vnde illa omissa nego cõsequentiã, quia vt ibi insinuatũ est, vt effectus sit vniuocus atq; à sua causa dependens in solo fieri debet esse natus recipere formam suæ causæ quæ est ei adæquata ratio agẽdi, & quia hæc in sole nõ est sola qualitas lucis, sed forma substantialis mediãte luce sibi cõ naturali, seu totũ ex vtraq; cõflatũ, illã vt principiũ quo, radicale & principale, & hãc, vt principiũ quo proximũ & veluti instrumentale, includens & in aere illuminato forma solaris corporis nequit recipi, ideo lux in aere recepta est effectus æquiuocus, & non natus recipere formam suæ causæ secundum eandem rationem secundum quam in illa continetur. Ad primam replicã iuxta hanc solutionẽ resp. quod

nihil contra nos, quia lux aeris non eſt effectus æquiuocus reſpectu lucis accidentalis ſolis, ſed reſpectu lucis radicalis quæ eſt forma ſubſtantialis, corporis ſolaris conſtitutiua & ita nihil obſtat, quod lucem formalem ſolis poſsit quoad ſpeciem, & modū lux aeris participare. Secundo reſpōdetur negando maiorem: multæ enim formæ ſunt quoad ſubſtantiam & non quoad modum communicabiles exempla ſunt apotiſsima in gratia Chriſti, in diuinis perfectionibus, & in ipſa luce ſolis. Gratię nāq; habitualis Chriſti Domini quoad eſſentialem & ſpecificam rationem aſsimilatio reperitur in puris hominibus iuſtis, modis autem infinitatis & dignitatis cāpitis conueniens illi ex coniunctione ad verbū eſt puræ creaturæ incommunicabilis. Similiter diuinæ perfectiones, deitatis, diuini intellectus, voluntatis atq; bonitatis in gratia habituali participantur quoad earum eſſentiam, ſecundum vniuerſam theologorum ſententiā, qui gratiam eſſe totius diuinæ naturę formalē participationem ateſtantur, modos vero diuinarū perfectionum v.g. infinitatem, omnipotētiam, & ſummā actualitatem a gratia non participari, a multis aut improbabiliter defenſatur, ac demū lux ſolis, quę in luce aeris quoad eſſe ſpecificum exprimitur illam ſibiſimilem in ratione ſpecifica producēdo, nequit ei modum permanentiæ, connaturalis proprietatis & effectiuæ qualitatis cōmonicare, imō neque extra corpus cœleſte poteſt illū retinere.

Ad ſecundam & tertiam vt reſpondeamus opere prætium eſt prænotare doctrinā Caietani in art. citato quæſt. 104. §. *ad vtramq; obiectionē*, qua eaſdem ſoluit obiectiones, vbi ait quod cum iudicium de rebus non niſi ex proprijs & perſe eis cōuenientibus fieri debeat. Idque rebus ſimpliciter & optime attribuitur quod conuenit eis ex proprijs cauſis, ſiue in ordine ad illas, quod autē in ordine ad cauſas per accidens ſeu cōmunes competit illis, aut reſecatur ab arte, aut propriorum iudiciū non impedit. Vnde cum calor & lumen in hoc diferant quod calor ſecundum eſſe quod habet in propria cauſa, quam conſtat eſſe ignem ſit ſecundum eandem rationem participabilis ab hijs inferioribus per calefactionē, & lumen ſecundum eſſe quod habet in propria cauſa, quam conſtat eſſe quintam eſſentiam, ſcilicet ſolem, ſiue quamlibet cœleſtis corporis illuſtratam partem, non ſit participabile per illuminationem, ideo optima ratio quare calor remanet in abſentia ignis, vel ſolis, ſecus vero lumen, eſt, quia ille ſecundū eſſe quod habet in cauſa propria per calefactionem eſt participabilis ſecūdum eandem rationē, ſecus autē lumen, qua propter calor à ſole productus eſt effectus vniuocus ſimpliciter, quia reſpectu cauſæ perſe, ſcilicet ignis eſt vniuocus, vt pote aptus natus ſuſcipi à materia aeris ſecundum eſſe quod habet in propria cauſa, licet non ſit participabilis ſecundū eſſe quod habet in cauſa cōmuni, ſcilicet in ſole, reſpectu cuius per accidens, & ſecundū quid poteſt dici effectus æquiuocus, cū per accidens ad illum comparetur. Lumē vero productum à lucerna eſt effectus æquiuocus ſimpliciter dependens inconſeruari à ſua cauſa, quia eſt talis forma quæ non eſt nata recipi in materia aeris ſecundum eandem rationē, quam habet in ſua cauſa propria & perſe, quæ eſt corpus cœleſte. Lucerna enim tantū eſt cauſa luminis per accidens & quatēus participat de natura cœleſti, vnde in ordine ad illam poteſt dici lumen effectus vniuocus ſecundū quid & per accidens quod non obſtat denominationi ſimpliciter effectus æquiuoci quā ſubit per ordinē ad cauſam propiam & perſe luminis, quæ eſt natura cœleſtis, hijs ſu poſitis quæ eleganter nobis tradidit vbi ſupra Caiet. Reſp. ad formā ſecundæ obiectionis negando maiorē: nam licet defacto tā calor, quā lux cauſetur ab igne & à ſole tamē diuerſimode ad ignem & ad ſolē vterq; effectus cōparatur. Lux enim ad ignē, vt effectus per accidens, quæ ad ſolē, vt ad cauſam perſe cōparatur, è contra calor cōparatur ad ſolē vt ad cauſam cōmunē, ad ignem vero vt ad cauſam propriā, & quia eſſe huius, & non eſſe illius eſt ſuſceptibile in materia aeris, ideo calor & non lux in abſentia ignis & ſolis conſeruatur.

21 Ex quibus patet ſolutio ad tertiā replicā quæ ſolutioni Magiſtri Soto inter arguendū aſsignatæ videtur aduerſari: nā licet ſolutio illa prima facie alia à doctrina D. Th. eſſe videatur, re tamen bene inſpecta, vel non eſt alia, vel ſaltē non eſt amente D. Tho. aliena, & quod non ſit ab eius mente aliena patet ex 1. p. q. 67. ar. 3. ad 1. vbi aſsignans rationē quare aliquæ qualitates permaneant in ſubiecto in abſentia ſuarū cauſarum, ſecus autē lux reducit diſcrimen adhoc quod in illis reperitur quædā formæ ſubſtantialis inchoatio, vt pote quæ parant viā ad illius ſuſceptionē ſecūdū eandē rationem, quā habet forma ſubſtantialis in ſua cauſa, ſecus vero in luce quæ formæ ſubſtantialis eiuſdē rationis cū forma ſuę cauſæ nullatenus eſt in choactio diſponens ad eius ſuſceptionem, verba autem Diui Tho. hæc ſunt: *Ad primum ergo dicendum quod cum qualitas conſequatur formam ſubſtantialem diuerſimode ſe habet ſubiectum ad receptionē qualitatis, ſicut ſe habet ad receptionem formæ. Cum enim materia perfecte recipit formam firmiter ſtabilitur*

bilitur etiam qualitas consequens formam, sicut si aqua conuertatur in ignem. Cum vero forma substantialis recipitur imperfecte secundum inchoationem quandam, qualitas consequens manet quidem aliquandiu, sed non semper, sicut patet in aqua calefacta, quæ redit ad suam naturam, sed illuminatio non fit per aliquam transmutationem materiæ ad susceptionem formæ substantialis, vt fiat quasi inchoactio aliqua formæ, & ideo lumen non remanet nisi ad præsentiam agentis, in quibus verbis D. Tho. docet triplicem gradū esse statuū quos qualitates sortiūtur in subiecto:

22 Primum esse perfectæ permanentiæ, & hunc habere quando forma substantialis, cuius proprietas est qualitas perfectè recipitur in subiecto, secundum esse alicuius saltem imperfectæ permanentiæ, & hunc habere qualitatem, quando forma substantialis cuius est proprietas recipitur inchoatiue in subiecto, mediante aliqua sui dispositione. Tertium esse nullius permanentiæ nisi ad præsentiam agentis, & hunc habere qualitatem, quando nullatenus est formæ substantialis inchoactio. Quod autem hæc solutio non sit alia ab illa, quam tradit D. Thom. in eadem 1. part. quæst. 104. potest probari ex eo quod Caietanus, in loco citato doctrinam Diui Thom, circa discrimen assignatum inter calorem, & lumen perpendens, memmit huius solutionis ex quæst. 67. aductæ dicens: *Quamuis etiam aer neque eius materia possit per illuminationem peruenire ad habendum lumen secundum eandem rationem quo est in luceruna sed per aliquā aliam actionem.* Neque dictio, *quamuis*, aduersatiua aliam denotat solutionem, sed maiorem eiusdem explicationem, quæ addi solet sæpe sæpius per dictionis aduersatiuæ apositionem? & etiam ex eo quod esse effectum pro prium alicuius causæ, & formæ substantialis eiusdem rationis proprietatem pro eodem reputantur. Nec non pro eodem accipitur, esse qualitatem aliquam, in choactionem formæ atque ad illius introductionem dispositionē, & esse effectum receptibilem in subiecto secūdum eandem rationem, quam habet in sua causa & ē contra negatio illius, huius etiam infert negationem, quia subiectū receptiuū ipsius formæ substantialis: & ē contra subiectum quod huius est incapax, & illius quoq; incapax debet esse. Vnde respondetur solutionem à Soto assignatam validam & constantem esse. Ad cuius primam improbationem, dico quod lux est dispositio ad formam ignis non propria, neque ex proprijs ad illam consequuta, sed quatenus est naturæ cœlestis quoddam participium, ideoque sola lucis productio in aliquo subiecto, numquam secum aducet ignis productionem, sed est quoddā accidens ab igne inseparabile, eius formam exornans, ad illam ex participatione naturæ superioris consequutā, quod poterit proinde dispositio quædam communis, seu concomitans ignis appellari, & pari modo gemmatū est dispositio, quatenus in illis cœlestis natura quoddammodo participatur. Ad secundam nego consequentiam, quia effectum aliquem esse receptibilem in subiecto secundum eandem rationem qua est in sua causa perse, & esse qualitatem, vel formam accidentalem disponentem ad introductionem formæ substantialis secundum eandem rationem, quam habet in sua causa ex vna parte, at que esse effectum non aptum sic recipi, & esse accidens non sic dispositiuum ex altera pro eodem reputantur, & per consequens ad idē principiū fit prædicti discriminis reductio.

23 Vltimo arguitur: nam quando Petrus generat Paulum, aliquid causat in illo diuersæ rationis videlicet conditiones indiuiduantes, & eccetetatem pauli, quæ sunt primo diuersa â conditionibus & eccetetate Petri, & tamen Petrus non est causa æquiuoca Pauli, neque Paulus à Petro dependet in conseruari: ergo diuersitas illa rationis non arguit causam æquiuocam, neq; dependentiam effectus inconseruari. Confirmatur adhuc si Petrus causaret eccetatem & indiuiduationē Pauli, vt causa æquiuoca, & causalitate causæ perse nō sequeretur quod produceret illā in omnibus indiuiduis eiusdem rationis cū Paulo, ac proinde in se ipso: ergo nō est de ratione causæ æquiuocæ & perse producere formā effectus in omnibus indiuiduis cōsimilibus, quod tamē fatetur D. Th. in discursu prealleg. articuli quæst. 104. Antecedens patet, quia indiuiduatio Pauli soli Paulo potest cōuenire, cū sit per illā indiuisus in se & diuisus aquilibet alio. Ad argum. resp. distinguendo maiorē, quando Petrus generat Paulum producit primo & perse in illo aliquid diuersæ rationis, nego maiorem. Secundario & cōcomitanter concedo illā, sicut enim non producit primo & perse ratione cōmunē animalis aut hominis, sed secūdario, ita nō producit perse primo indiuiduationē & eccetatē Pauli, sed secundario, determinat tamen materiā quæ est principiū indiuiduationis ad esse huius hominis, & sic tātum Paulus pendet perse à Petro quoad fieri: non quoad esse. Vnde cōcessa minori nego cōsequentiā, quia sola diuersitas rationis perse primo causatæ est quæ cōstituit effectū dependentē in esse à sua causa. Potest etiā dici, quod sicut homo generat hominem perse primo, idest, quod effectus inmediate homini generāti correspōdens est homo. Ita hic homo inmediate generat hūc hominē, &

Petrũ scilicet & Paulum, ac proinde perse, perseitate termini immediati, nõ tamẽ perseitate essentialis dependẽtiæ. Ad cõfirmationẽ respõdetur dupliciter, primo negãdo antecedẽs formaliter intellectũ. Nã cũ individuatio Pauli non sit nata esse nisi in Paulo. Eo ipso quod ab aliqua causa, perse, produceretur in Paulo, produceretur in omnibus individuis consimilibus secundum illam in quibus est nata reperiri. Respondetur secũdo quod adhuc antecedens est falsum de alijs individuis Paulo similibus in principio individuationis intellectum. Nam agens causans perse ideſt causalitate essentialis dependentiæ individuationem Pauli, deueret causare principium ipsum individuationis quod est materia signata quantitate, in omnibus illam habentibus, & cum illam habeant omnia individua materialia, nedum in Paulo produceret Petrus materiam cum quantitate, sed in seipso & in alijs consimilibus individuis materialibus.

ARTICVLVS IIII.

An causa secunda in ratione causæ per dependentiam & subordinationem ad primam, constituatur, à primaque essẽtialiter distinguatur?

24 HIC incipimus explicare diuisionem celebrem causæ principalis efficientis in primam, & secundam, ab vtriusque membri diuidentis diffinitione, & quia in diffinitione causæ primæ diximus esse illam quæ ab altera non dependet neque alteri subordinatur, & in diffinitione causæ secundæ è contra esse illam quæ à prima dependet & ei subordinatur in causando, inquirimus modo, an hæc dependentia, & subordinatio ad primam sit constitutiuũ atque distinctiuum causæ secũdæ, vt sic eiusdem diffinitionis rectitudo patefiat, & alterius extremi nempe causæ primæ ratio, concursus, & independentia ex notioribus causæ secundæ declarentur. Ac dæmum quoniã non solum per independentiam, sed etiam per maiorem immediationem causa prima à secunda distinguitur. De primo distinctiuo hic articulus, & de secundo sequens articulus disputabit. Igitur sensus huius articuli est an causa secunda sic petat subordinari primæ & ab illa dependere in sua actuali causalitate, vt à concursu seu causalitate primæ causæ essentialiter dependeat? In quo quatuor versantur sententiæ.

Stat⁹, & titulus quæstionis pandũtur.

prima asserit causas secundas nihil agere, sed solam causam primam effectus producere, quos in ipsa prima rerum creatione pepigit facere ad præsentiam creaturarum, quas propterea causas secundas appellamus, quia sunt conditio sine qua non fierent effectus, & qua posita statim propter statutam legem producitur effectus à Deo, sicut Sacramenta antiquæ legis eatenus dicebantur gratiam dare quatenus ad præsentiam illorum Deus ipse gratiam conferebat. Hæc fuit opinio quorundam antiquorum Philosophorum quos refert D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 4. quibus postea subscripsit Gabriel in 4. d. 1. q. 1. ex horum autem sententia plane sequitur causas secũdas nedum à Deo dependere in causando, sed potius totã causalitatẽ, atq; effectuũ productionẽ à Deo exhiberi, ipsis per modum conditionis duntaxat concurrentibus. Eandem fuisse sententiam Aucembronis in lib. Fontis vitæ testatur D. Thom. q. 3. de potentia art. 7.

Secunda opinio siue error in alio extremo fuit aliorum asserentium effectus à causis secundis produci, absque vlla dependentia, aut exigentia diuini concursus huius erroris authorem fuisse. Nembrot (de quo meminit scriptura Geneſis 10.) refert Augustinus lib. de hæresibus cap. 88. & Hieronimus lib. 2. contra Pelagianos, quem fuere sequti alij relati ab eodem Augustino lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 20. de quibus dictum fuisse videtur illud Ecclesiastici 16. *Non exorauerunt pro peccatis*, quia scilicet ad effectum suæ salutis (nedum ad alios) diuino concursu se non indigere putabant.

Tertia sententia media asserit causas secũdas agere dependenter à Deo; sed non dependere à Deo per actualem influxum concurrenti, nisi duntaxat concurrenti ad productionem, & conseruationem virtutum, & potentiarum ipsis causis secundis congenitarum. Ita vt ignis in productione caloris solo calore sibi connaturali indigeat dato à Deo in prima ignis productione, & postea ab illo cõseruato vsque ad ipsam caloris productionem: igitur vt vnico verbo totali hæc sententia declaretur: ignis ad calefaciendum dependet à Deo; quia Deus in illo produxit calorẽ illiusque conseruat. Ità Durandus in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. quæst. 1. paruinque ab hac sententia recedit, Gregorius de Valentia in 1. 2. d. 8. q. 3. puncto 3. & alij relati à Sarez lib. 3. de auxilijs cap. 4. qui docent in causis secundis naturalibus auxilia Dei quibus indigent ad suorũ effectuum productionem esse virtutes operatiuas eis innatas, in causis vero liberis ad actuum elicientiam esse potentias cum habitibus.

tibus. Quarta sententia media, etiam asserit causas secundas agere in suos effectus, ad quorum productionem indigent actuali primæ causæ concursu distincto ab earum virtutibus innatis & habitibus: illumque requiri ex essentiali causarum secundarum ad primam causam subordinatione, atque dependentia in esse atque in operari. Hæc sententia sic vniuersaliter intellecta est cõmunis, & illam docent D. Thom. de potentia, quæst. 3. artic. 7. & Philosophus 8. physicorum, text. 28. vbi probat receptum axioma, omne quod mouetur, ab alio moueri: ideſt omne mouens secundum, siue mobile omne ab alio moueri, illud quidem vt motum moueat, & hoc, vt moueatur, ac solum primum mouens motũ alterius non indigere, eandem sequitur Scotus in 1. distinct. 39. Soto 2. physicorum, quæstion. 4. & lib. 8. quæst. 4. & lib. 1. de natura & gratia, capit. 16. Conradus in 1. 2. quæstion. 9. artic. 6. & Medina ibidem, quæstion. 109. articul. 2. & vniuersi Neoterici, infra citandi, qui licet in explicanda natura & qualitate dependentiæ causarum secundarum à causa prima, atq; huius concursu & auxilio ad illarum causalitatem requisito discriminentur: tamẽ in quæstione, an est: nempe in admitenda tali dependentia & aliquali primæ causæ auxilio exigẽdo non disentiunt. Vt igitur tria suo ordine de hac dependentia, subordinatione, & concursu examinemus, nempe an fit? quid, sit? & qualiter cum causis secũdis a temperetur salua earum libertate, siue contingentia, primæ quæstioni in præsenti articulo: secundæ & tertiæ indubio appendice decreuimus satisfacere.

Subordinatio causarum secundarũ ad primã hõ tollit earum influxum.

25 Respõdeo dicendũ primo: causas secũdas, sic primæ subordinari, vt nihilominus vere influant in suos effectus: neque illius subordinationem harum tollere causalitatem. Hæc conclusio statuitur contra authores primæ opinionis, & probatur primo, esse certam de fide: nam in sacra scriptura sæpè sæpius de causis secundis dicitur quod operantur suos effectus, sed huiusmodi testimonia nequeunt saluari in sensu litterali & proprio (qui semper nisi sequatur inconueniens sustinendus est) nisi reuera influant in suos effectus: ergo. Maoir patet, nam Genes. 1. *habetur germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignũ pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*, Genes. 5. de Noe dicitur: *Noe vero cum quingentorum esset annorum genuit Sem Cham, & Iaphet*, & Cant. 1. dicitur: *Ficus protulit grossos suos vineæ florentes dederunt odorem suum*, vbi grossi appellantur fui, & odor vinearum dicitur suus, quia fuerunt producti ab ipsis, ac Math. 1. in Christi genealogia refertur successiua generatio ab Abraham, vsque ad Christũ sub his verbis: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, &c.* Verbum autem generandi verum importat influxum: ergo. Confirmatur: nam alias neque Christus esset verus filius Mariæ, neque Isaac verus filius Abrahæ consequens derogat scripturæ quæ dicit Mathæi, 1. de qua natus est Iesus, & Abraham genuit Isaac, atque Genes. 22. *Tolle filium tuũ vnigenitum quem diligis Isaac, &c.* Ergo conclusionis nostræ oppositum etiam derogat fidei. Sequela autem patet, nam relatio filiationis fundatur in passiua generatione & relatio paternitatis, atque maternitatis in vera actione generatiua, qua ablata à causis secundis etiã remouetur passiua generatio ad cuius remotionem funditus relatio filiationis labefactatur. Vnde si Beata Virgo non vere genuit Christum, neque Abraham vere genuit Isaac, neque Christus Virginis, neque Isaac Abrahæ vere esset filius. Secundo probatur, quod sit nota lumine naturali: nam res naturales sunt factæ â Deo propter suas operationes, sed si nullum influxum haberent, ad nullas operationes suas ordinarentur: ergo vere operantur illas operationes ad quas à Deo ordinantur. Maior patet, quia vnum quodq; est propter suam operationem, vt sol propter illuminationem, ignis propter calefactionem, & animalia propter productionem sibi similium ad speciem suarum debitam conseruationem, & hoc petit suauis Dei dispositio ad quam pertinet creaturas, sic ad fines suos ordinare, vt suis operationibus illos cõsequantur, & eas otiosas, atque superfluas in rerum natura non permitere, huc etiam spectat illud Geneſis 1. *Germinet terra, &c.* quasi ad germinandum sit ordinata, & illa benedictio Geneſis 9. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, quæ insita hominibus inclinationem ad generationem speciei humanæ conseruatiuam declarat, atque extrinsecam Dei, & illius legis antiquæ ordinationem ad filiorum propagationem hominibus intimatam exprimit. Tertio: nam nulla esset maior ratio quare Deus cum igne calefaceret, & cum sole illuminaret, quam cum alijs causis: consequens est à vera philosophia omnino alienum: ergo. Sequela patet: nam talis ratio nequit ex natura ignis, aut solis accipi: neque ex solo Dei pacto: ergo. Antecedens, quod non ex naturæ ipsarum rerum probatur, quia suponit contraria sententiam res ipsas ex suis naturis nõ esse operatiuas, & quod non ex pacto probatur: quia vel pactum calefaciendi cum igne & illuminandi cum sole fuit mere voluntarium atque superadditum naturis rerum sicut fuit pactum conferendi

gratiam ad præsentiam circuncisionis in lege veteri: vel fuit debitum ipsis naturis rerum, & in illis fundatum: si primum, sequitur, quod idem pactum potuit fieri cum lapide, aut ligno, ac proinde nulla assignatur ratio, nisi libera Dei voluntas. Si secundum: sequitur, quod iam ignis ex se habeat naturam aptam calefacere, & sol ad illuminationem, qua caret lapis, aut lignum; ratione cuius naturæ debeatur igni concursus ad calefaciendum, & soli ad illuminandum, qui non debetur lapidi, aut ligno: sed hoc est naturam ipsam ignis esse calefactiuam, & solis naturam illuminatiuam, secluso omni pacto & libera Dei ordinatione: igitur causæ secundæ in se ipsis habent intrinsecas virtutes quibus suos effectus operantur.

26 Dico secundo, causæ secundæ intrinsecè, & ex meritis sui modi causandi indigèt concursu Dei: ab illoque dependent. Hæc conclusio statuitur aduersus secundam opinionem, siue errorem. Et probatur primo: nam sicut ens est forma vniuersalissima, quã nullum ens potest subterfugere: ita Deus est vniuersalissimum agens cuius causalitetem, & dependentiam nullum ens creatum potest subterfugere: ergo omnis effectus causæ secundæ terminare debet Dei causalitatem, siue concursum, quod est causam secundam in causando à concursu primæ dependere. Antecedens probatur, quia agens & forma proportionantur quoad hoc quod agens extendit suam causalitatem ad omnes effectus, quibus potest suam formam communicare, vel quos suæ formæ potest assimilare, quæ est ei ratio agendi v.g. ignis suam extendit causalitatem ad omnia calida, cœlum ad omnia corpora sublunaria: & sic Deus, qui est vniuersalissimum agens, vniuersalissimam debet habere causalitatem, circa omne ens creatum. Ratio est Diui Thom. 1. part. quæstion. 19. articul. 6. Secundo probatur: nam in agentibus & motoribus subordinatis: primum mouet secundum, & secundum mouet tertium in virtute primi ad agendum, sed Deus, causa vniuersalis, secunda, & particularis: verbi gratia cœlum & ignis sunt mouentia subordinata: ergo primum quod est Deus mouet alia vsque ad vltimum ad agendum. Maior, quia de intrinseca ratione ipsius subordinationis, est vt ex pluribus subordinatis secundum suponat primum & ab illo dependeat in ea ratione in qua subordinantur: alioquim labefactaretur ordo quem inuoluit subordinatio, at primum & secundum mouens inmouendo seu in agendo subordinantur: ergo. Minor vero probatur: quia Deus est causa prima, cœlum vero & ignis sunt causæ secundæ: ergo primæ causæ quæ est Deus subordinantur siquidem inter primum & secundum mouens esse debet subordinatio. Ratio est Diui Tho. 3. contra gentes, cap. 66. & 1. part. quæstion. 105. art. 5. & 1. 2. quæst. 109. articul. 1. videtur que sumpta ex philosopho 8. phisicorum loco supra allegato. Tertio: nam ad omnes effectus ad quos se extendit finalizatio vltimi finis, extenditur etiam causalitas primi agentis, quia ordò finium est secundum ordinem agentium, & ad inuicem finis & agens sibi proportionantur, sed Deus qui est vltimus finis finalizat omnes effectus causarum secundarum, omnes enim fiunt ordinati in Deum, qui vniuersa propter semetipsum operatur: ergo ad omnes se extendit eius effectiua causalitas. Consequentia patet, quia sicut Deus est vltimus finis & vniuersalimus in finalizãdo, ita est primum efficiens & vniuersalimũ in agendo, ipse enim est A. & O. Idest principium & finis. Ratio est Diui Thom. 1. 2. quæstion. 109. artic. 6. Quarto, quia alias causa secunda esset prima causa consequens est absurdum: ergo: sequela, prima causa est quæ alterius concursu non indiget, sed ab illo est independens, talis esset quælibet causa secunda si se sola absque concursu Dei posset operari: ergo. Minor hæc patet: nam si sol posset illuminare absque concursu Dei sol esset primum illuminans, nulli alteri subordinatum, & consequenter esset independens in operari, ac in esse, quod est proprium solius Dei. Igitur ne dicamus dari plures causas primas in esse & in operari independentes debemus in causis secundis admittere intrinsecam ad causam primam subordinationem. Confirmatur: nam propterea actiones causarum secundarum attribuuntur Deo, & vere fieri ab illo dicuntur ad denotandum, quod ab illo egrediuntur, vt à primo motore: ergo concursus primi agentis ad omnes operationes causarum secundarum extenditur. Antecedens probatur, ex illo Math. 6. *Qui oriri facit solem suum super bonos & malos, &c.* in quo denotatur Deum esse primum illuminans & non solem. Et Iob. 10. *Pelle & carnibus vestisti me*, vbi Iob attribuit Deo, vt primo agenti opus causæ secundæ, scilicet, sui genitoris, cui consonat illud Esaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis domine*, & Ioa 5. *Pater meus vsque modo operatur, &c.* In quibus testimonijs vniuersa opera causarum secundarum à Deo fieri dicuntur, ne dum a causis secundis.

Causæ secundæ indigentcõcursu primæ actuali.

27 Dico tertio, dependentia causarum secundarum a prima non solum est, quia ab illa acceperint in principio virtutes operatiuas, sed quia actualem illius influxum ad suas operationes requirunt. Hæc conclusio, quæ est

contra

contra Durandum, & alios Authores tertiæ sententiæ, & pro Authoribus quartæ, probatur primo. Nam aliàs Deus non operaretur modo actuali concursu cum causis secundis: sed tantum virtualiter in virtute concursus præcedentis & mediati quo virtutes impressas in causis secundis conseruat: sicque opera nostra non possent illi vere atribui: neque posset dici de illo, quod, *omnia opera nostra operatur*: & quod, *pelle & carnibus vestit nos*; neque Patrem vsque modo operari: sed conseruare virtutes horum effectuum operatiuas: consequens autem est falsum: ergo & antecedens. Secundo probatur rationibus tactis pro secunda conclusione, illæ enim sicut probant causas secundas indigere concursu Dei: ita conuincunt huiusmodi Dei concursum nedum esse potentias siue habitus operatiuos à Deo productos, & conseruatos, sed etiam aliquem eius actualem influxũ ad operationes, & effectus ipsarum terminatos. Nã aliàs vniuersalius esset ens creatum in sua causalitate formali quam Deus in causando effectiue, siquidem operatio, & effectus causæ secundæ subterfugeret immediatam Dei causalitatem, quæ tamen entis formalem susceptionem non subterfugiunt: quod tamen est contra primam rationem, & similiter primum agens non moueret secundum, quando actu operatur, cum tamen tunc illi sit subordinatum in sua actuali operatione: quod esset labefactare secundam rationem. Nec non labefactaretur tertia, siquidem actualis operatio creaturæ finalizatur à Deo, & est ex motione vltimi finis: quæ tamen non terminaret ipsius Dei vt primi agentis effectiuam motionem. Tertio probatur ratione D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & 1. 2. q. 109. art. 1. Quæ reducitur ad hanc formam, sicut Deus est prima forma in essendo, ita est prima virtus motiua in operãdo: sed ex eo quod est prima forma in essẽdo depẽdet ab illo operatio causæ secundæ, vt à dante, & conseruãte formam, & virtutem operatiuam: ergo ex eo quod est prima virtus motiua depẽdet ab illo omnis motiõ, & operatio vt ab actuali motore influenti in ipsã operationẽ. Maior patet quia cũ operari sequatur ad esse: sicut mouentia graduantur in esse, ita graduantur in operari. Vnde Deus qui est primũ in esse, est quoque primum in operari. Minor autẽ patet, quia à primo in vnoquoque genere mensurantur, & causantur reliqua illius generis, igitur à Deo quatenus à primo in esse & posse, debet mensurari, & prouenire omnis forma quæ dat creaturis esse & posse, & consequentia ex eodem principio relinquitur nota. Quoniam ab eodem Deo vt à primo inoperari debet prouenire omnis creata operatio per distinctum influxum, & dependentiam ab illa qua prouenit ab illo forma, & virtus siue potentia siue habitus causæ secundæ. Nam à primo diuersorum generum qualia sunt genus essendi, & genus mouendi siue operandi, secundã illorum debent diuersis dependentijs causari.

28 Vltimo probatur ratione Doctoris Angelici q. 3. de potentia art. 7. vbi postquã retulisset quorundam sententiam asserentiũ sic Deum agere in omni operatione creaturæ, quod creatura nihil ageret, sed solus Deus ad præsentiam illius: statuit quandam conclusionem mediam inter horum, & aliorum sententiam asserentium, quod solæ creaturæ agerent absque Dei actuali concursu. Nẽ pe sic Deũ operari in omni operatione creaturæ, quod ipsa natura vel voluntate creaturæ operante Deus etiam operatur. Hanc cõclusionem probat vnica ratione, quæ reducta ad formam sic habet. In modo concurrendi Dei ad operationes causarum secundarũ debent reperiri absque imperfectione omnes modi concurrendi, qui in causis secundis inueniuntur dispersi: hoc enim debitum est causæ primæ propter eius excellentiam: sed quatuor sunt modi concurrendi in alijs causis inuenti, quorum vnus est concursus actualis ad operationem distinctus à concursu dãte atque conseruante virtutem operatiuam: ergo Deus quatuor concurrit modis ad operationem cuiuslibet causæ secundæ: quorũ vnius debet esse influxus in talem operationem distinctus à productione, & conseruatione virtutis ipsius causæ secundæ. Minor probat D. Thom. inductione. Alius enim est modus concurrendi tribuendo virtutem operatiuam sicut 8. phisicorum tex. 23. & 32. dicitur generans mouere graue, & leue in quantum dat ei virtutem per quam cõsequitur talis motus. Alius modus est concurrendi ad aliquem effectum per conseruationem cõtinuam virtutis productiuæ: qua ratione Medicinæ faciũt videre, quia conseruãt visum. Tertio modo dicitur vna res causare actionẽ alterius in quantum mouet, & aplicat eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuæ: sed aplicatio virtutis ad actionẽ, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod aplicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum. Quarto modo vnũ est causa actionis alterius quatenus per suum motum dat ei virtutem talis operationis factiuam, sicut agens principale est causa operationis instrumenti: ergo Deus est causa cuiuslibet operationis creaturæ, in quantum dat ei virtutem

agendi

agẽdi & in quant cũonſeruat eã, & in quantum aplicat illam ad actionem, & in quantũ eius virtute omnis alia virtus agit. Qui ſunt quatuor modi quibus gaudet diuinus concurſus in tota ſua latitudine conſideratus tot enim modis Deus eſt cauſa operationum creaturarum, & quia dat eis virtutes actiuas quas cõſeruat, quia cauſat quoad fieri & eſſe, & rurſus quia mouet & aplicat eas ad operandum: eo quod eſt primum mouens, & reliqua mouentia mouent mota ab alio vſque ad ipſum qui eſt primus motor immotus: & quia eſſe, eſt effectus communiſsimus, ac proinde ſolius primi agentis proprius & ad effectum proprium alicuius cauſæ alia non poſſit operari per propriam virtutem niſi per virtutem participatam ab illa cauſa cuius effectus eſt propriùs: ideo etiam Deus eſt cauſa operationis cauſæ ſecundæ quatenus producit eſſe ſui effectus ſicut agens principale dicitur eſſe cauſam operationis, & effectus inſtrumenti quod ab ipſo mouetur, & accipit virtutem participatam. Vnde dicitur in libro de cauſis intelligentiã non dare eſſe niſi prout eſt in ea virtus diuina. Hæc eſt ratio Doctoris Angelici, & proculdubio conuincens quatuor modis operationes cauſarum ſecundarum â Deo dependere, & non ſolum illis duobus primis à Durãdo & ſequacibus, recenſitis.

29 Sed aduerſus hæc dices. Primo ſolus Deus eſt cauſa totalis effectuum cauſarum ſecundarum: atque ex vi ſui concurſus eſt ſufficiens, & potens illos efficere: ergo ſuperfluit concurſus cauſarum ſecundarum. Conſequentia patet, quia concurſus ille ſuperfluit quo defficiente nihilominus idem ſequeretur effectus. Confirmatur: concurſus cauſæ primæ eſt prior quam concurſus cauſæ ſecundæ: ſed in illo priori attingit efficaciter effectum producendo illum: ergo cauſa ſecũda inuenit effectum iam productum, ac proinde nihil producit. Rurſus quãdo ignis calefacit non producit ex vi ſui concurſus calorem in paſſo, cum vnum accidens in aliud ſubiectum tranſmigrare non poſsit: ergo ille calor à ſolo Deo producitur de nouo ac proinde ruit prima concluſio.

Dices ſecundũ aduerſus ſecundã concluſionem: quod Deus ad effectus cauſarum ſecundarum (ſi in eis admitamus verum influxum) non concurrit immediate, ſed mediantibus ipſis cauſis ſecundis: ergo Deus eatenus cauſat tales effectus quatenus dat cauſis ſecundis virtutes operatiuas, quas etiam in illis conſeruat: iſte enim concurſus ſolus poteſt eſſe mediatus. Antecedens probatur diſcurſu Durandi. Nam ſi Deus ageret immediate ad effectum ignis, v. g. vel ageret eadẽ actione qua ignis, vel alia: non eadem, propter duo: tum quia ſupoſita conſeruatione formæ ignis & virtutis eius calefactiuæ ſufficiẽter ab illa elici poteſt calefactio, quia eſt actio non excedens virtutem ſui agentis ſed illi proportionata. Tum etiam, quia implicat eandem numero actionem eſſe à duobus vt pluribus agentibus, ita vt à quolibet perfecte, & immediate procedat niſi eadem numero virtus ſit in illis, quam conſtat in Deo & creatura non poſſe reperiri. Vnde cum actio creaturæ procedat immediate à creatura, immediate à Deo procedere non poteſt. Quod non alia actione; probatur: Nam vel vtraque actio ſimul immediate attingeret totum effectum productum, vel vna prius altera: ſi primum, altera illarum ſuperflueret cũ vna ſit ſufficiens ad totum producendum: ſi ſecundum: tunc altera illarum nihil produceret; cum inueniret effectum totum productum, vt ſi præcederet actio Dei: tunc actio creaturæ nihil produceret, & ê contra, &c. Confirmatur: nam ordo agentium ordini finium correſpondet: ſed vnius effectus nequeunt eſſe duo fines immediati & perfecti: ergo neque duo agentia immediata, & perfecta, niſi ſint partialia, & ſuplentia vicẽ vnius ſicut contingit in duobus trahentibus lapidem, & in duabus lucernis ſimul illuminantibus. Rurſus confirmatur: nam ad actionem naturalem, v. g. ad calefactionẽ ſufficit virtus actiua ex parte agentis, & paſsiua ex parte recipientis, ſed vtraque virtus hæc habetur ex vi concurſus quo Deus naturam produxit cum omnibus neceſſarijs ad eſſendum, & agendum: ergo non requiritur diuinus cõcurſus immediate ad operationem creaturæ terminatus. Maior patet: nam virtus actiua eſt principium agendi in aliud, ſecundum quod aliud, & paſsiua eſt principium patiendi ab alio teſte Ariſtotele lib. 5. tex. 17. ergo huiuſmodi virtus eſt ſufficiens principium agendi ſiue patiendi.

30 Sed nihilominus, hæc non obſtant veritati noſtrarum concluſionum. Ad primum: namque ſuponendum eſt duplicem eſſe Dei concurſum â effectum cuiuſlibet cauſæ ſecundæ, alterum mediatum quo influit in ipſam cauſam dando ei eſſe, & poſſe operari, atque vtrumque in illa conſeruat; alterum immediatum, quo attingit immediate effectum, & ratione cuius eſt intime in illo per eſſentiam, præſentiam, & potentiam vt poſtea declarabimus cum de eius immediata exiſtentia in omnibus rebus diſputationem inſtituamus; ratione primi concurſus Deus non eſt cauſa ſufficiens ad effectus productionem

nem ſiquidem illam mori attingit: ratione vero ſecundi eſt cauſa totalis in ſuo ordine & quoad ſufficientiam potens ſe ſolo effectum producere, ſed quoad efficaciam & actualem aplicationem nolluit ſe ſolo producere, ſed dependenter potius â cauſis ſecundis inſtituit effectus produci, vt ſic cauſas ſecundas ſuauiter diſponeret, illas ad ſuos effectus ordinando per ipſarum in illos influxum, reliquendoque illas agere iuxta ſuas naturas, ſibi cooperatrices efficeret: in quo bonitas ſplendet diuina, quam (quia ſui maxime eſt communicatiua decet) creaturas Deo nedum in eſſe, ſed in agere, fieri ſimiles, & ſicut ſtat optime Chriſti mortem in decreto Dei exiſtentem, fuiſſe pro Angelorum redemptione ſufficientem, de facto vero non fuiſſe pro illis efficacem pro quibus Deus nolluit illam aplicare: & pro adultis pro quibus fuit aplicata & efficax, nõ excluſit eorum actus quibus ſuam ſalutem vltimam promerentur, ita ſtat bene concurſum Dei eſſe ſufficientem ſe ſolo effectus producere cauſarum ſecundarum: & non eſſe aplicatum, vt ſufficientem ſe ſolo, ſed vt aſociatum concurſui illarum, quo ſupoſito diſtingo antecedens argumenti: Deus ex vi concurſus immediate attingentis effectum cauſæ ſecundæ eſt potens ipſum ſe ſolo producere quoad ſufficientiam, ideſt de ſe & veluti in actu primo eſt ſufficiens concedo: eſt potens ſe ſolo illum producere quoad actualem efficaciam & aplicationem, ideſt ex modo quo illum aplicuit a temperando & a ſociendo illum concurſui cauſæ ſecundæ, nego antecedens: nam efficaciam, quam de ſe habebat, nolluit, vt illam, niſi dependenter à concurſu cauſæ ſecundæ exerceret. Ad confirmationem primam: non nulli illo argumẽto conuicti (de quorum numero fuit Molina 1. part. in locis infra citandis) negarunt concurſum Dei prius attingere effectum cauſæ ſecundæ, quam ipſa cauſa ſecunda, ſed dumtaxat concomitanter cum illa, alij vero dicunt prius Deum attingere effectum cauſæ ſecundæ quatenus in illo rationes quaſdam producit communiores verbi gratia entis, & eſſe quæ ſicut communiores, ita priores ſunt rationibus particularibus quas producit cauſa ſecunda: vel quatenus Deus attingit effectum ſub ratione priori, ſcilicet entis, quæ eſt ratio obiectiua ſuæ omnipotentiæ: cauſa autem ſecunda non niſi ſub ratione particulari talis entis, ſed vtraque ſolutio deficit a veritate.

31 Prima quidem, quia aduerſatur Diuo Thomæ, quæſtion. 3. de potentia, articul. 7. in corpore & ad quartum vbi aſſerit Deũ prius agere in effectum quam creaturam, & quod licet ambo agant immediate, ordinantur tamen ſecundum prius & poſterius, & quia in libro de cauſis propoſitione prima dicitur, quod virtus cauſæ primæ prius agit in cauſatum & vehementius ingreditur in ipſum: ergo. Suadetur etiam ratione: nam concurſus cauſæ primæ non ſolum eſt immediatus, ſed ſubordinans ſibi concurſum cauſæ ſecundæ, non per accidens, aut diſparate ſe habet ad illum: ergo ordine quodam ſe habent: ac proinde ſecundum prius & poſterius, & cum cõcurſus creaturæ alias dependeat à concurſu cauſæ primæ & illi ſubordinetur, ille erit prior & non è contra: rurſus, quia diuinus cõcurſus in effectu non ſolum eſt ſimultaneus, ſed etiam eſt præuius aplicans, & determinans cauſam ad agendum, vt docuimus ex D. Thom. ergo prius natura & cauſalitate effectus ægreditur ab ipſo, quam a cauſa ſecunda. Conſequentia patet, quia aplicatio cauſæ ſecundæ præcedit eius operationem, etenim eſt cauſa illius & in illo priori, iam egreditur à cauſa prima effectus, quia illa aplicatio eſt via ad effectum, & quoddam fieri illius: ergo eſt quædam inchoata ægreſſio effectus a cauſa prima. Secunda deficit, quia Deus non ſolum attingit immediate & concurſu præuio rationem entis, ſed omnes alias rationes particulares effectus: ergo reſpectu illarum eſt prior diuinus concurſus, quam concurſus creaturæ, dicendum igitur eſt cum Soto vbi ſupra, quæſtion. 4. concluſion. 1. infine, quod licet Deus prius agat quam creatura, hæc prioritas eſt cauſalitatis & naturæ ſeu, *quia*, quæ non obſtat inſtantis in quo, ſeu temporis ſimultati: ſed potius cum illa compatitur, & ideo non eſt verum dicere Deum agere quando cauſa ſecunda non agit, ſed verũ eſt dicere Deum mouere cauſam ſecundam ad agendum, & hoc eſt illum agere prius ad effectum quam cauſa ſecunda. Et hæc prioritas non tollit quin ſimul idem effectus à cauſa ſecunda producatur: quia quando ſimul tẽpore plures cauſæ, ſiue diuerſi, ſiue eiuſdem generis concurrunt ad vnum effectum prioritas vnius in ſuo genere, aut ordine, non excludit aliorum cauſalitates, & quo ad primam confirmationem neganda eſt conſequentia, ad aliam negatur antecedens. Ad cuius probationem dico ignem producere in paſſo calorem ſimilem in ſpecie calori quem ipſe habet, non tamen eundem numero: & hoc requirebatur, vt vnum accidens migraret de ſubiecto in ſubiectum, quod neutiquã fit in productione caloris.

32 Ad ſecundum Durandi: nego antecedens. Ad probationem conceſſa maiori, nego minorem pro ſecũda parte, alia enim eſt actio

Dei

Dei, & alia actio creaturæ & ad eundem effectum vtraque terminatur: quia ordine quodam ſecundum prius & poſterius & non exæquo effectum attingunt, ſolutio eſt Doctoris ſancti in dict. articul. 7. de potentia ad 3. & 4. quod etiam patet, quia actio & ic̃o curſus Dei quo Deus agit eſt immanens formaliter in ipſo Deo & tantum virtualiter tranſiens in ipſum effectum, vt etiam infra declarabitur. Vnde ad primam replicam dico, quod vtraque actio ſimul inmediate attingit effectum, ſed vna quæque in ſuo ordine, & actio creaturæ dependenter ab actione Dei & illi ſubordinata & ea poſterior: quia hic eſt modus debitus cauſæ ſecundæ in attingendo ſuos effectus. Ad ſecundam, quod neque ex hac inmediatione ſequitur alteram illarum ſuperfluere, neque ex dicta ſubordinatione & ordine prioris & poſterioris, ſecundum cauſalitatem ſequitur alteram nihil producere, vt ſupra docuimus in ſolutione ad primũ. Ad primam confirmationem diſtingo minorem: vnius effectus nequeunt eſſe duo fines totales eiuſdem ordinis, & ex æquo inmediati, concedo, nequeunt eſſe duo fines totales diuerſi ordinis & quorum vnus alteri ſubordinetur, nego minorem: ac proinde in eodem ſenſu nego conſequentiam. Ad ſecundam reſpondetur, cum D. Thom. vbi ſupra ad primũ, & ad quintũ, quod ad actionem cauſæ ſecundæ ſufficit in ſuo ordine virtus actiua illius & paſſiua ex parte paſſi; hoc eſt, ſufficit ad agendum per modum cauſæ ſecundæ, ac proinde virtuti primæ cauſæ ſubordinatæ: ex meritis tamẽ talis ſubordinationis indiget concurſu cauſę primæ: qui ne dum illam producat, & conſeruet: ſed eam aplicet, moueat ad operandum & eius effectum attingat inmediate, vt dictum eſt.

Dubium appendix eſt: An ad operationes, & effectus cauſarum ſecundarum, tam ordinis naturalis, quam ſupernaturalis Deus vltra ſimultaneum, etiam præuium concurſum præſtare debeat?

33 IN hoc dubio omnes Theologi, & phyloſophi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniũt quidem in eo quod Deus cum cauſis ſecundis in actu primo ſufficienter conſtitutis, concurrat concurſu concomitante actuali in ipſam operationem, ſiue effectum inmediate terminato. Hęc ſuppoſitio ſtatuitur aduerſus Durandum, qui mere, vt vidimus, Philoſophico procedens in ſecundo diſtinct. 1. quæſtion. 5. & diſtinct. 37. quæſtion. 1. negat cauſas ſecundas, ſiue naturales, ſiue liberas indigere ad ſuas operationes aliquo concurſu actuali, primæ cauſæ ſuperaddito virtutibus operatiuis, quas in ſui prima productione acceperunt à Deo: quaſi his ſemel acceptis atque à Deo conſeruatis abſque vllo actuali cõcurſu poſſent in ſuas operationes prodire, & quia per huiuſmodi dependentiam virtutis cauſæ ſecundæ à cauſa prima in eſſe, & conſeruari, ſufficienter ſaluatur debita ſubordinatio cuiuslibet cauſæ ſecundæ, ergo primam in eſſe, & operari, eo quod operari ſequitur ad eſſe. Idemque tenetur Durandus affirmare de homine habitibus infuſis elenato in ordine ad ſupernaturales actus, more Pelagianorum, qui initio ſuæ hæreſis omne auxilium actuale diuinæ gratiæ ad ſupernaturales actus ab homine remouebant. Sed noſtra ſuppoſitio tanquam dogma certum ne dum Philoſophiæ, ſed etiam fidei conſonum, probatur primo, ex generali documento, & principio Philoſophiæ, qua docemur cauſas ſecundas naturales in ſuis operationibus dependere à prima hoc eſt à Deo authore naturæ, non ſolũ, quia ab illo naturas, & virtutes operatiuas acceperunt, ſed etiam quia ſimul cum illis actualiter concurrit, & cooperatur in earundem operationes, & effectus influendo: hoc perſpicuum verbis tradit Philoſophus 8. phiſic. text. 33. dicens: *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum & vltimum mouentium, ſed magis primum, illud enim, mouet vltimus, ſed non hoc primum, & ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc, vt baculus non mouebit, niſi moueretur ab hoc, &c.* Id ipſum tradit D. Thom. pluribus in locis præſertim, quæſtion. 3. de potent. artic. 6. in corpore dicens Deum operari multiplicitur in natura, & voluntate operantibus: primo quidem: quia dedit eis virtutes per quas agere poſſunt ſecundo in quantum eas conſeruat, tertio in quantũ mouet eas ad agendum, &c. Quod quidem non niſi de aliquo actuali concurſu diſtincto ab illo, quo primo rerum naturas, ac virtutes earum operatiuas produxit, & ab illo quo eas conſeruat, verificari poteſt, & in ſecundo diſtinct. 37. quæſt. 2. artic. 2. ad ſecundum ſubdit: Deus influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & in ſolutione ad tertium extendit hoc documentum ad cauſas liberas reſpectu bonorum actuum dum ait: in bonis actibus vtrũque influit (ſcilicet Deus) vt agat, & vt bene agat, & prima ſecundæ, quæſtion. 109. artic. 1 & artic. 9. eandem repetit doctrinam. Quod axioma ne dum ex philoſophiæ, ſed etiam ex illo Euangelij teſtim. Ioan. 15. authoritatem

accipit:

accipit: vbi inquit Chriſtus: pater meus vſq; modo operatur, & ego operor denotans operationem Dei non in rerum ipſarum productione & conſeruatione ſiſtere, ſed etiam ad earū operationes extendi. Secundo probatur ex teſtimonijs Scripturæ & Eccleſiæ diffinitionibus, quibus intractatu de auxilijs diuinis q. 3. dub. 1. oſtendim⁹ homines ad operaſuper naturalia concurſu actuali gratiæ adiuuantis & cooperantis indigere vltra virtutes infuſas, & dona gratiæ habitualia, quibus iuſti exornantur: nam alias fruſtra & ſine cauſa homines iuſti poſtularent a Deo adiutorium diuinæ gratiæ ad rectè operandum, & acceptis habitibus bene vtendum, ſiquidem nullum eſſet adiutorium ſuperadditum, ac nouum ſupra habitus infuſos neceſſarium, conſequens autem eſt contra morem Eccleſiæ, quæ ſæpe pro ſuis filijs huiuſmodi adiutorium Dei poſtulat dicens cum Regio vate in Pſalm. 26. *Adiutor, & protector noſter eſt*, & Pſalm. 32. *Adiutor meus eſto ne de relinquas me*, & 34. *Exurge in adiutorium mihi*, & 69. *Deus in adiutorium meū intende*, &c.

Status cō troueꝛſiæ.

34 Hac igitur præmiſſa ſuppoſitione diſcriminantur authores contra præuium concurſum in duas ſententias. Prima negans eſt, quam ex antiquis ſequuntur Gabriel in 2. diſtinct. 1. quæſtion. 2. artic. 2. & diſtinct. 37. quæſt. 1. artic. 1. Marſilius in 1. diſtinction. 41. art. 2. Alenſis, 1. part. quæſt. 28. membro 1. art. 1. & ex Neotericis Catherinus lib. de prædeſtinatione Suarius 1. tomo Methap. diſput. 22. ſect. 2. & 3. & lib. 3. de auxilijs, capit. 8. & 13. Molina 1. part. quæſt. 14. artic. 13. diſp. 7. Velarminus lib. 4. de gratia & lib. arbit. capit. 4. Læſius, diſputation. de gratiæ efficacia, capi. 9. Fonſeca, lib. 6. Methaph. capit. 2. quæſt. 5. ſection. 8. 10. & 13. & Conimbricenſes, 2. phiſicorum, cap. 7. quæſt. 13. artic. 2. & quæſtion. 15. art. 2. Quorum fundamenta ad hæc quatuor reducuntur. Primum deſumitur exprincipijs philoſophiæ, inter quæ notiſsimum eſt illud quo docemur cauſam primam non agere in ſecundam, ſed dum taxat in effectum cō curſu ſimultaneo, qui eſt idē reſpectu vtriuſque ſola ratione diſtinctus. Nam calefactio verbi gratia, (idemque de operationibus aliarum cauſarum ſecundarum, dicendum eſt) quatenus egreditur à Deo dicitur actio, & concurſus Dei, quatenus vero dimanat à cauſa ſecunda, ſcilicet ab igne dicitur, & eſt concurſus, & actio ignis, qui nullo alio concurſu præuio indiget ad ſuas operationes: ergo idem pariformiter dicendum eſt de alijs cauſis ſecundis: antecedens probatur a Suario vbiſup. quadrupliciter: Tum quia ſine tali concurſu præuio, cum ſolo concurſu ſimultaneo ſaluatur ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad cauſam primam illiuſque effectus, & operationes ab iſta debita dependentia, vitaturque periculum admittendi plures cauſas primas dum enim creatura non poteſt operari niſi dependēter à concurſu ſimultaneo Dei, & mediante eſſe accepto ab illo, tā primi entis, quam primi agentis rationem ſubterfugit, nam ſicut ad rationem primi entis eſſe omnino independens requiritur: ita ad rationem primi agentis operatio omnino independens à quouis concurſu alterius deſideratur: ergo omnino ſuperfluus, & ficticius eſt præuius concurſus. Tum etiam, quia nullus excogitabilis eſt effectus quē poſſit præſtare cauſæ ſecundæ, aut enim, illam redderet applicatam, ac determinatam ad operandum, aut motam, aut virtuoſam, ſiue in actu primo conſtitutam: non primum: quia ſi eſt cauſa libera, ipſa ſe applicat, & determinat iure ſuæ libertatis: ſi autem eſt naturalis, ex naturali inſtinctu determinatur ab extrinſeco agente ad operandum: neque ſecundum, quia talis motio ad nullam ſpeciem motus reuocari poteſt: neque terminus aliquis determinatus ei aſsignari poteſt. Neque tertium, quia quæuis cauſa ſecunda habet ſufficientem virtutem ad ſuas operationes. Tum etiam: quia iſte concurſus præuius ſiſtit in cauſa ſecunda, aut tranſit vlterius in eius effectum: neutum dici poteſt: non primum, quia coincidit in opinionem Durandi iam refutatam. Neque ſecundum, quia derogat virtuti cauſæ primæ, quæ perſe ipſam immediate eſt efficax, & non indigens medio illo concurſu in cauſis ſecundis recepto: ergo. Tum denique ab inconuenientibus quæ ex poſitione huiuſmodi concurſus præuij ſequuntur. Primum eſt, quod poſito iſto concurſu per modum actus primi in cauſa ſecunda, vel per modum complementi actus primi, vt aduſtruunt Thomiſtæ, adhuc poteſt Deus impedire operationem, & effectum cauſæ ſecundæ ſiquidem Deus poteſt de potentia abſoluta omnem actum primum, ſiue potentiam ab illius effectu impedire: quod tamen eſſe falſum patet, quia poſito concurſu Dei actuali implicat eius effectum non ſequi. Secundum eſt quod iſte concurſus cum ſit creatus, & actus primus cauſæ ſecundæ adhuc erit indifferens ad iſtam, vel illam operationem, ſiue non operationem, indigebitque proinde determinari ab alio priori concurſu præuio, & ſic erit proceſſus in infinitum, quia tamen omnino eſt alienus à Philoſophia. Tertium eſt, quod concurſus cauſæ primæ, potius determinatur à concurſu cauſæ ſecundæ, quam è

contra cum de ſe ſit indifferens, & non egrediatur determinatus à cauſa prima, adhunc numero, vel ſpecie effectum potius, quam ad alium niſi prout determinatur, & modificatur medio concurſu cauſæ ſecundæ, quem tamen determinaret ille ſi eſſet præuius. Quibus poſſumus addere, & quartum nimirum, quod tolleretur contingentia cauſarum ſecundarum naturalium, vt poté cum poſito huiuſmodi concurſu præuio earum effectus maneant inimpedibiles, remota autem ab eis conditione impedibilitatis remouetur, & contingentia, quæ in illamet conditione conſiſtit: quod tamen derogat efficatiæ, & ſuauitati primæ cauſæ quę concurrendo cum ſingulis cauſis ſecundis proprios earum modos operandi nimirum contingentiam in contingentibus, libertatem in liberis, & neceſsitatem in neceſſarijs illæſos conſeruat. His motus Suarez vbi ſupra, ſimultaneum dum taxat concurſum primæ cauſæ agnoſcit, neque alium, ſubdit, cognitum fuiſſe à D. Thom. prima parte, quæſtion. 105. artic. 5. & 1. 2. quæſtion. 109. niſi dicamus illum iſtum concurſum ignoraſſe, & alium præuium finxiſſe. Secundum eſt negatiuum: eo quod neque Concilia Eccleſiæ Africanæ quæ contra Pelagianos acuratius neceſsitatem auxiliorum gratiæ commendarunt: neque Patres, vt Auguſtinus, Chriſoſtomus, Origenes, & alij citati à præfatis authoribus alicubi, auxilium præuium efficaciter prædeterminantis meminerunt: neque Tridentina Synodus, ſeſsione 6. capit. 5. recenſens cuncta neceſſaria ad conuerſionem hominis, vllam talis auxilij mentionem facit: & quamuis Auguſtinus aliquando efficaciſsimam gratiam commendet, nullibi tamen illam præuiam appellat, ſed tamen congruam ex congruitate quæ in eo conſiſtit, vt homines vocentur à Deo eo modo, quo Deus ſcit illis congruere, ità vt vocantem non reſpuant: vt videre eſt apud ipſum lib. 1. ad ſimplicianum, quæſtione 2. His adiungit Fonſeca teſtimonia D. Thom. & Scoti in quibus huiuſmodi præuiam motionem efficacem videntur excludere. Nam Diuus Thom. prima ſecundæ, quæſtione nona, articulo ſexto, ad tertium, ſic habet: *Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, &c.* Statim ſubdit: *ſed homo per rationem ſe determinat ad volendum hoc vel illud, &c.* Vbi Diuus Thomas diſtinguit motionem à determinatione, & hanc tribuit ipſi voluntati, & non Deo dicens: quod voluntas facta in actu per intentionem finis ſe determinat ad hoc vel illud bonum particulare. Illam vero tribui Deo dicens: quod Deus mouet voluntatem ad bonum, quantum eam inclinat in ipſa eius creatione, conferendo ei inclinationem ad bonum, vel quatenus eam effectiue inclinat ad quoſdam affectus naturales, ad quos ipſa voluntas ſimul cum Deo concurrit libera quidem à coactione, ſed non libera à neceſsitate: & articulo quarto, eiuſdem quæſtionis ait: quod voluntas mouet ſe ipſam per hoc quod ex volitione finis reducit ſe ipſam ad volendum ea quæ ſunt ad finem, conſilio mediante: *Hoc autem non eſt procedere in infinitum: vnde neceſſe eſt ponere, quod in primum motum voluntatis prodeat voluntas ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis, &c.* Ex Scoto autem adducit primum teſtimonium, ex primo diſtinctione, 8. quæſtione quinta §. *ad argumenta*, pro opinione Philoſophorum, vbi inquit: itaque huius quæſtionis, quare voluntas voluit hoc? Nulla eſt cauſa niſi, quia voluntas eſt voluntas, &c. In quibus verbis haud obſcure ſignificat voluntatem noſtram à ſe ipſa effectiue determinari. Rurſus in ſecundo diſtinctione 37. quæſtione vnica, §. *ad ſolutionem*, ſubdit: cauſam ſecundam maximè liberam determinare concurſum cauſæ primæ, non quaſi voluntates creatæ aliquid cauſent in diuina, ſed quia hæc finit illas concurſu ſuo indifferenter vti, &c. Et tandem in 4. diſtinctione prima, quæſtione prima, diſtinguit cauſas principales ſecundas ab inſtrumentalibus pœnes hoc, quod illæ non mouentur actuali motione prædeterminata à prima: illæ vero mouentur actu à cauſis principalibus; quia nequeunt mouere, niſi moueantur. In quo videtur corrigere eam ſententiam, quam alibi tenuerat, nempe omnes cauſas ſecundas, etiam liberas determinandas fuiſſe à prima & ſecunda ageret ex neceſsitate naturæ, illamque ad ſolas cauſas inſtrumentales videtur reſtringere quæ habent agere, ſolum vt motæ: ergo. Tertium deſumitur ex illo axiomate communi à Theologis recepto non eſſe multiplicanda auxilia gratiæ ſine neceſsitate: atqui poſsito huiuſmodi auxilio gratiæ præuio, & efficaci proculdubio multiplicarentur ſine neceſsitate auxilia gratiæ: tribus enim, indigeret homo auxilijs gratiæ ad quamlibet operationem ſupernaturalem præter habitus infuſos, nimirum auxilio ſufficienti, quod tribuit poſſe, & auxilio efficaci præuio, quod tribuit applicationem ad operandum, & tandem auxilio concomitanti, quod coadiu-

uat

uat ad operandum, vt quod autem opus eſt tria hæc auxilia admittere ne dum numero, ſed ſpecie diſtincta ad eandem numero operationem? Si quidem, neque ex parte ipſius effectus, quia eſt ſupernaturalis operatio exiguntur, qui ſub vna, & eadem ratione formali attingitur ab omnibus illis, cum tamen ſi ſpecie diſtincta ſint, implicet eandem formalem rationem vnius effectus attingere: neque ex parte hominis deſiderantur, vt potè, qui per auxilium ſufficiens, & maximè per habitus infuſos eſt ſufficienter potens, & cum auxilio ſimultaneo habet efficaciter operare, illud enim eſt actualis influxus in operationem, aut ipſamet operatio prout à Deo egrediens: ergo. Quartum deſumitur ab inconuenienti triplici: primum eſt quod huiuſmodi auxilium prævium ſubordinaretur voluntati in qua recipitur per modum actus primi, omne enim, primum formale quo operatur agens ſubordinatur ipſi qua ratione probant Theologi, prima parte, quæſtion. 12. articulo ſecundo, eſſentiam diuinam vnitam intellectui beatorum in ratione ſpeciei intelligibilis non concurrere effectiue ad producendam viſionem beatificam, ne ſubordinetur in agendo intellectui creato, cuius eſt forma: quod tamen eſſe inconueniens in auxilio prævio patet, nam alias prævium, & prædeterminans non eſſet, ſed potius ſubordinatum determinationi, & vſui libero voluntatis, eiuſque pediſequum. Secundum eſt, quod ſuperflua, & otioſa eſſent auxilia moralia ad conuerſationem hominum peccatorum, ſiquidem ſine hoc auxilio prævio efficaci illa nihil prorſus efficient: illo autem præſente etiam ſi cætera adſint, ſequetur quidem conuerſio, & non iuxta auxiliorum moralium; ſed potius iuxta ſolius auxilij efficacis prævium quantitatem: quod tamen eſſe inconueniens patet, ex vocationibus, conſilijs, prædicationibus, ac miraculis quibus Deus, & eccleſia ſolent peccatores ad penitentiam inducere, quæ tamen alias inania & fictitia redderentur. Tertium eſt quod in cauſis contingentibus contingentia, & in liberis libertas læderetur: vt potè: quia tam de contingentia: quam de libertis ratione eſt deffectibilitas effectus ſeu operationis: quæ tamen non compatitur, cum efficatia huiuſmodi prævij concurſus, cum quo non eſt coniungibilis negatio effectus, aut operationis: ergo.

Sententia affirmans prævium cõcurſum.

35 Secunda ſententia affirmans eſt, quam ſequuntur omnes veri diſcipuli Diui Thomæ, cum ſuo authore agnoſcentes huiuſmodi concurſum prævium efficacem in omnibus cauſis ſecundis tam liberis, quam neceſſarijs, tam in ordine naturæ, quam gratiæ ad earum operationes neceſſarium. De quorum numero ſunt Capreolus in ſecundo, quæſtione ſecunda, articulo primo, tractatu quarto de Sacramento penitentiæ, quæſtione, 13. Caietanus, prima parte, quæſtion. 45. articulo quinto, & quæſtione 106. articulo ſexto, vbi quibuſdam teſtimonijs ſui authoris conuictus priorem ſententiam, quam inſinuauerat ſupra quæſtione 14. articulo 13. & quæſtione 19. articulo octauo, aut corrigit, aut moderatur: Ferrarienſis, libr. tertio contra gentes, capite ſeptimo, Soto libro primo de natura & gratia, capit. 16. Conradus, prima ſecundæ, quæſtione octaua, articulo primo, & quæſtione nona, articulo ſexto, Medina, ibid. quæſtione 109. articulo ſecundo, Cabrera, tertia parte, quæſtione 17. articulo quarto, diſputatione ſecunda, Aluarez, libro tertio de auxilijs, diſputatione 18. & 19. Auila, capite nono, & 21. Nazarius, prima parte, quæſtione 23. articulo tertio, controuerſia ſecunda, Albelda ibidem, diſputatione 58. ſectione ſecunda & tertia.

Pro cuius declaratione, dico primo. Omnes cauſæ ſecundæ ordinis naturalis, tam neceſſariæ, quam contingentes, & liberæ in agendo indigent ne dum ſimultaneo, ſed etiam prævio cõcurſu primæ cauſæ eiuſdẽ ordinis, medio quo ad ſuos effectus, ſiue operationes aplicentur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ. Et ſuadetur primo ex illo communi principio tradito a phyloſopho, libr. 7. phyſico, capit. 1. & libr. 8. capit. 5. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, ex quo deducit deueniendum eſſe ad vnum primum mouens, quod reliqua agentia moueat, & ipſum ab alio non moueatur, ne detur proceſſus in infinitum. Quod amplius ibi textu 33. declarat exẽplo baculi, qui ſicut non mouet niſi moueatur ab homine, ita ſecundum mouens non mouet niſi à primo moueatur, in eodemque ſenſu in libro de cauſis propoſitione 1. & 16. ſubdit virtutem primæ cauſæ eſſe virtutem omnium cauſarum, quia coniungit cauſas ſecundas, cum ſuis effectibus, vt Angelicus Doctor interpretatur. Neque valet duplex aduerſariorum ſolutio, nimirum quod Philoſophus, loquitur, vel de motione prævia qua cauſæ ſecũdæ producuntur, & conſeruantur â cauſa prima, â qua, vt à principio ſimul cũ eſſe, virtutes operatiuas acceperunt: vel de motio

ne actuali, & ſimultanea, qua ſimul cum cauſis ſecundis concurrendo dicitur illas mouere, ideſt adiuuare. Neutra, inquam ſolutio valet. Non prima propter duo: tum quia non coheret contextui, & exemplo baculi adducto à Philoſopho: baculus enim vltra entitatem, & virtutem datam à generante recipit actualem motionem à mouente, ſine qua non mouet. Tum etiam, quia cauſæ ſecundæ, dum ceſſant ab omni operatione, retinent virtutem, & eſſe acceptum à cauſa prima, a qua tamen, tunc non mouentur actualiter ad operandum: ergo motio, quam Philoſophus exigit in cauſis ſecundis, omninò diuerſa eſt ab illa, qua in ſuo eſſe, & virtute congenita producuntur, & conſeruãtur. Neque ſecunda, quia vel iſta diuina motio adiuuans cauſas ſecundas, illas vere reducit de actu primo ad ſecundum, & applicat ad operandum, vel non: ſi primum, habemus intentum, & ſolum inter nos, & aduerſarios erit verbale diſcrimen, ſiquidem talis motio, & cooperatio diuina vere erit præuia, vt pote antecedens influxum cauſæ ſecundæ ordine naturæ, & cauſalitatis, ſicut cauſa antecedit ſuum effectum: ſi ſecundum, neutiquam ſaluatur cauſas ſecundas moueri à cauſa prima, niſi tantum illam concurrere cum illis concurſu ſimultaneo, ad inſtar illius, qui cum altero ſimul portat lapidem, quorum neuter alterum mouet, aut in alterum influit, neque facit, vt in effectum prodeat, licet vterque mutuo ſe adiuuet ſimul influendo mutuis concurſibus in effectum: quod principium nedum philoſophia, ſed etiam eccleſia recipit, & confirmat; quæ in Cathechiſmo Romano, ex Decreto Concilij Tridentini, & iuſſu Pij Quinti, ædito, parte prima, de primo articulo ſimboli, numero. 22. ſic habet: *Non ſolum autem Deus vniuerſa, quæ ſunt prouidentia ſua tuetur atque adminiſtrat, verum etiam cum mouentur atque agunt aliquid, intima virtute admotum, atque actionem, ita impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen: cum eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodum ſapiens teſtatur, attingat à fine vſque ad finem fortiter, &c.* ergo. Secundo ſuadetur ex teſtimonijs Angelici Doctoris, qui vt fidelis Ariſtotelis interpres, de eiuſque philoſophia, bene meritus, hanc præuiam motionem in cauſis ſecundis ſæpiſſime agnoſcit, vt quæſtion. 3. de potentia, articul. 7. dicens: Deus triplicitèr operatur in natura, & voluntate: primo quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt: ſecundo in quam conſeruat virtutem naturalem in eſſe. Tertio in quantum mouet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio, aut conſeruatio virtutis actiuæ, ſed applicatio virtutis ad actionem, ſicut homo, & cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo, quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipſum, &c. Et in ſolutione ad ſeptimum ſubdit virtutem illam quæ rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata eſt, habere eſſe completum, ratum, & permanens in natura: ſed id quod à Deo fit in re naturali, vt actualiter agat, eſt veluti intentio ſola habens eſſe incompletum per modum quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis. Eandemque ſententiam quoad ſenſum repetit in 2. diſtinction. 37. quæſtion. 2. articul. 1. & 3. contra gentes capit. 66. ratione. 4. & capit. 70. quæ teſtimonia adeò manifeſta ſunt, vt aduerſarij exiſtiment Diuũ Thomam, huius fuiſſe tunc ſententiæ, ſed illam poſtea mutaſſe prima parte, quæſtione 105. articulo quarto, & quinto, vbi recenſens cunctos modos dependentiæ cauſæ ſecundæ à cauſa prima, non meminit huius vltimi quæ in præuia motione conſtituerat. Sed hoc voluntariè dici conſtat ex verbis eiuſdem articuli: ibi enim in corpore ait: Deus mouet res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum: Et in ſolutione ad tertium repetit eandem propoſitionem dicens: applicat res ad agendum, &c. Et in eadem prima parte, quæſtione ſecunda, articulo tertio, Inquit: *Mouentia ſecunda non mouent niſi per hoc quod ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouet niſi per hoc quod eſt motus à manu*, & quæſtione 83. articulo primo, ad tertium ſubdit: *Liberum arbitrium non eſt ſufficiens ad aliquod volendum niſi moueatur, & iuuetur à Deo, quia eſt prima cauſa mouens naturales cauſas, & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis mouendo eas non aufert quin actus earum ſint naturales, ita mouendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit, operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem, &c.* Et prima ſecundæ, quæſtione 109. articulo primo & nono, & totâ quæſtion. 110. docet cauſas ſecundas præter formalitates, & virtutes à Deo acceptas, indigere ad operandum motione diuina ad ipſas cauſas ſecundas terminata, quæ procul dubio præuia eſt: igitur voluntariè dicitur,

D. Thom. hanc sententiam mutasse, quam toties in summa quæ est eius testamentum confirmatam reliquit.

36 Tertio probatur duabus rationibus eiusdem S. Doctoris. Prima est, qua vtitur prima parte, quæstion. 19. art. 3. ad quintum, & prima secundæ, quæst. 9. articul. 4. sub hac forma: ab illo quod est indifferens ad vtrum libet, siue quod quandoque est actu operans, & quandoque tantum in potentia, nequit prodire determinata operatio nisi moueatur, & determinetur ab aliquo priori mouente per cuius motionem talis indifferentia removeatur, & potentialitas ad actum secundum reducatur: sed talis est omnis causa secunda, vt perspicuum est: ergo indiget motione præuia. Maior patet: nam etiam si causa secunda, libera posset se ipsam determinare: tamen hoc est vt liberum secundum subordinatū motioni primi: quam nequit subterfugere: alioquin non vitaretur inconueniens admittendi duo prima principia libera. Neque enim, hoc inconueniens vitatur propter dependentiam, quam habēt causæ secundæ à Deo in esse recepto, & conseruato ab illo, & propter dependentiam, quam habet in operando ab eius concursu simultaneo: quia vt ait D. Thom. in loco alegato ex secundo sententiarum: *Licet per hanc responsionē, euitaretur quod creatura non esset primum simpliciter, hoc est in ratione entis; non tamen euitaretur quin esset primum agens, si eius actio in aliud primum agens non reduceretur, sicut in causam.* Ad hanc autem reductionem non sufficit concursus simultaneus: quia ex vi illius non minus, prima à secunda, quam secunda à prima causa dependeret: nam dum prima causa influit in aliquem effectum concursu simultaneo, non potest sine consortio, & concursu causæ secundæ influere: sicut è contra: ex quo tamen neque illi dicitur subordinari, neque ab illa proprie dependere: ergo. Secunda est, qua vtitur in locis præalegatis de potentia, & tertij contra gentes, sub hac forma: in omni operatione, & effectu causæ secundæ duo sunt conditiones, nimirum existentia, & actualitas ob quas indiget ipsa causa secunda compleri, & actuari motione præuia diuina, vt eis proportionetur: ergo animis potentia de existentia, quidem: quia propter sui vniuersalitatem est effectus, ita proprius vniuersalissimi agentis, vt nulla causa secunda, eius productionem attingat, nisi vt instrumentum Dei, ac proinde, vt motum ab illo: de actualitate vero patet, quia omnis potentia, & virtus connaturalis causæ secundæ potentialior, & imperfectior est actualitate reperta in operatione creata, ac proinde est illius productioni improportionata, nisi præuia motione adiuetur: ergo.

37 Dico secundo, huiusmodi concursus præuius, neque ex parte Dei, neque ex parte causæ secundæ distinguitur secundum rationem à concursu simultaneo. Hæc conclusio statuitur aduersus eosdem authores, qui negantes concursum præuium, & admittentes simultaneum, planè vtrumque distinguunt: & aduersus alios ex discipulis Diui Thomæ, qui admittentes vtrumque, illos distinguunt secundum rem, sicut actum primum ab actu secundo, sed nostra conclusio probatur prænotando concursum ex parte Dei, esse ipsam actionem Dei, qua operatur ad extra cum causis secundis, quia nominibus concursus influxus, & operationis idem omnino signatur, nisi illis abuti velimus: actiones autem Dei quibus operatur ad extra esse intellectus, & voluntatis, ac proinde formaliter immanentes constat ex perspicuis testimonijs Angelici Doctoris, vt ex secundo cōtra gentes, cap. 9. & 16. prima parte, quæst. 25. artic. 2. opusculo 11. articul. 13. ac per consequens diuinus concursus formaliter & ex parte Dei consideratus est ipsa Dei operatio formaliter immanens, & virtualiter transiens. Si autem consideretur terminatiue, & ex parte effectus est illa motio seu passiua applicatio, quam causat in causa secunda, dum illam applicat ad operandum: aut est ipsa operatio causæ secundæ, vel eius effectus, vt egreditur à Deo. Quo prænotato ostenditur, prima pars conclusionis: nam concursus præuius Dei est ipsa actio Dei, qua Deus præmouet, & applicat causam secundam ad operandum, verbi gratia, ignem ad calefaciendum: & concursus simultaneus est operatio qua Deus concurrit cum igne ad calefactionem, siue calorem producendum: atqui eadem actione vult Deus hic & nunc applicare ignem ad calefaciendum, atque eius calefactionem, sicut eadem actione, diuina, increata & immanente, qua vt author gratiæ vult voluntatem hominis diligere, aut conteri, vult etiam eius dilectionē, aut cōtritionem: ergo eadem actio secundū ré quæ prout terminatur ad causam est cōcursus præuius, prout terminatur ad eius operationes, vel effectū est cōcursus simultaneus: licet sub diuersa cōsideratione, ac terminatione. Deinde secūda pars, sic ostenditur: cōcursus præuius terminatiue, & ex parte termini, siue effectus est motio illa quā Deus sua actione imprimit causæ secundæ, quā aliquid discipuli D. Th. volūt esse motionē secūdū esse: alij verò volunt esse motionē tantū secūdū

Distinctio concursus præuij a simultaneo.

dici, & ſecũdũ eſſe fluidã qualitatem habẽtẽ ſe ad inſtar motionis tranſeuntis. Quibus magis ſubſcribo: tum quia huiuſmodi motio eſt virtus actiua, & tribuit poſſe operari: quod eſt munus proprium qualitatis, primæ aut ſecundæ ſpeciei. Tum etiam, quia vel hæc motio oponitur terminis intrinſicis in potentia animæ præmota, verbi gratia in voluntate, vel non: ſi primum ergo iſte terminus, vel eſt de genere ſubſtantiæ, vel vbi, vel quantitatis, vel qualitatis: ſiquidem ad hæc quatuor prædicamenta, dum taxat datur perſe motio, & cum non poſsit eſſe de genere ſubſtantiæ, vbi vel quantitatis, quæ formæ operatiuæ non ſunt, erit de genere qualitatis, quod eſt intentũ. Si ſecũdum, aut hæc motio eſt ipſa actio Dei mouentis, & applicantis hominem, verbi gratia, ad bene operandum, & hoc eſſe impoſsibile patet: quia cum actio Dei ſit omnino extrinſeca potentijs hominis, neque tamen illas intrinſice eleuare, & conſtituere poteſt ad bene operãdũ, aut eſt motio paſsiua diſtincta ab ipſa actione Dei intrinſice quæ recepta eſt in potentia hominis præmota: & ſic neceſſe eſt ponere aliquem terminum in eodem ſubiecto, quia omnis motio, ſiue motus ponit aliquid in mobili, quod ſit eius terminus: & cum iſte terminus ſit per quẽ formaliter cauſa ſecunda applicatur ad ſuos effectus, & potentia hominis eleuatur, & pariter applicatur ad bene operandum: conſequens eſt quod non ſit motio formaliter, ſed terminus ipſius motionis, atque de genere qualitatis. Tum denique, quia in huiuſmodi qualitatibus fluidis conſiſtere auxilia diuinæ gratiæ, nec non virtutem inſtrumentariam communicatam ſacramentis nouæ legis ad communicandam gratiam, & humanitati Chriſti ad patrandã phyſice miracula conſtabit ex dicendis in tractatu de auxilijs, & tertia parte, quæſtione 13. articul. 2. in tractatu de potentia animæ Chriſti: ergo pariter philoſophandum eſt de motionibus præuijs, & adiutorijs communicatis ab authore naturæ cauſis ſecundis eiuſdem ordinis. Sed huiuſmodi præmotio, & fluida qualitas, quæ prout applicat cauſam ſecundam dicitur præuia, quatenus influit ſimul cum cauſa ſecunda in eius operationes, vel effectum dicitur ſimultanea: quemadmodum auxilium datum homini ad eliciendum actum ſupernaturalẽ, verbi gratia fidei, quatenus eius intellectum excitat, & præmouet dicitur præuium, & gratia operans: & idem quatenus cum intellectu cooperatur ad talem aſſenſum dicitur auxiliũ ſimultaneum, & gratia cooperans, ſeu coadiuuans.

38 Hinc colligo falſo Lorcam, prima ſecundæ, diſputation. 21. cum alijs ſuperioribus diſtinguere concurſum præuium à ſimultaneo terminatiue, pœnes hoc quod eadem met. operatione cauſæ ſecundæ, verbi gratia liberi arbitrij hominis, quæ, prout egreditur à Deo prius natura, & cauſalitate, quam ab ipſo libero arbitrio, dicitur concurſus præuius Dei, & pariter adiutorium præuium Dei: prout autem egreditur à libero arbitrio, dicitur concurſus ipſius, & ſimultaneus Dei. Falſa in quam eſt hæc ſententia: quia licet verum dicat in eo quod ait concurſum præuium à ſimultaneo non diſtingui ſecundum rem niſi tantũ modaliter, vel ſecundum rationẽ, tamen falſum aſſerit dum conſtituit vtrumque concurſum in ipſa operato ne cauſæ ſecundæ, cum præuius ſaltem in ipſa cauſa ſecunda recipiatur, & ad illam terminetur prius natura, quam ad eius operationem, & quia confundit concurſum Dei cum eius auxilio: cum ille formaliter ſit ipſa actio Dei, & iſtud ſit terminus talis actionis, nimirum motio, vel qualitas fluida recepta in cauſa ſecunda.

Diſtinctio concurſus generalis ab ſpeciali.

Dico tertio, vterque concurſus tam præuius, quam ſimultaneus diuiditur in generalem & ſpecialem, quorum ille eſt debitus, vel quaſi debitus cauſis ſecundis, iuxta communem earum conditiones operãdi: ſecus autem iſte. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus tres modos explicandi hanc diſtinctionem communiter receptam concurſus cauſæ primæ in generalem & ſpecialem, quorum primus eſt eorum, qui dicunt concurſum generalem eſſe illum quem Deus, vt cauſa prima influit in effectum cauſæ ſecundæ, quæ habet reſpectu talis effectus in ſe ipſa integram, & completam virtutem, nullo alio intrinſeco complemento indigentem: concurſus vero particularis ſiue ſpecialis eſt quo Deus immediate, & vt cauſa proxima immediate conſortio cauſæ ſecundæ, ſupplens eius vices producit illum. Secundus eſt Capreoli, in 2. diſtinction. 28. quæſtion. 1. ad argumenta Gregorij, contra 4. & Medinæ, 1. 2. q. 62. artic. 1. aſſerentium concurſum generalẽ eſſe ordinis naturalis quẽ Deus præſtat cauſis ſecundis, vt author naturæ ad effectus eiuſdem ordinis: ſpecialem vero eſſe illũ quẽ Deus, vt author gratiæ præſtat cauſis ſecũdis ad ſupernaturales effectus. Tertius eſt Molinæ 1. p. q. 14. ar. 13. diſp. 7. & in concordia diſput. 26. & Suarij lib. 1. opuſcul. cap. 9. & lib. 3. capit. 16. aſſerentium concurſum generalem quem cõ comitantẽ dũ taxat eſſe volunt, eſſe omnino eiuſdẽ rationis, & indiferẽtẽ prout egreditur à Deo, circa omnes operationes & effectus, vel etiã diuerſorũ ordinũ, vt vult Mol. veleiuſdẽ

ordinis

ordinis tantum vt vult Suarius: specialem vero esse illum qui datur à Deo determinate ad aliquam determinatam operationem.

39 Sed nostra conclusio ostenditur, secundo nam licet concursus supernaturalis respectu illius qui est ordinis naturæ possit dici specialis, tamen hoc nō obstat quominus absolute, & simpliciter sine vlla comparatione in vnoquoque ordine, tam naturæ quam gratiæ sit concursus generalis, & specialis: non autem eorum distinctio potest aliunde sumi nisi, ex conditionibus debiti, vel quasi debiti, & omnino indebiti, vt nomina ipsa generalis, & specialis præseferunt: ergo. Maior est nota, quis enim, negabit in ordine gratiæ Paulū, & latronē speciali auxilio, & alios iustos Ecclesiæ per Sacramenta iustitiā assequtos, generali auxilio esse conuersos. Quis iterum negabit ignem generali concursu calefacere, aut hominem sine concursu speciali modo per trecentos annos fore victurum? Minor verò ostenditur: nam cum auxilia sint comprincipia cum ipsis potentijs, & ad earum operationes, & effectus per se ordinata, oportet ex ordine ad tales effectus, & operationes distingui: sicut, & potentiæ quas adiuuant distinguntur, & ex modo illas adiuuandi; ac proinde in ordine naturæ auxilium generale pro causis naturaliter, & necessario operantibus est illud quod ipsis debetur sicut igni ad calefaciendum, & aquæ ad infrigidandum debetur ab Authore naturæ generalis concursus, quando aliàs sunt huiusmodi causæ debite applicatæ, & expeditæ: vnde quando ignis debite applicatus non calefacit, vt contigit igni fornacis Babilonis miraculosa est talis suspēsio calefactionis, quia contingit, ex defectu alicuius debiti requisiti, quod absque miraculo, & dispensatione naturalis legis defficere non potest: similiter quando Deus vt author naturæ concurrit cum causis liberis ad effectus proportionatos virtuti ipsarum, v. g. cum homine ad loquendum, ad ambulandum, vel ad legendum, eis præstat adiutorium generale, quod licet non sit debitum indiuiduo hic & nunc tamen est debitum speciei humanæ, vel indiuiduo pro aliquo loco, & tempore vage sumpto. In eisdem verò causis liberis contingit inueniri auxilium speciale, quod scilicet datur ad aliquas operationes vltra virtutem, quæ in omnibus indiuiduis speciei inueniri solet, vt quando homo elicit dilectionem Dei Authoris naturæ, & quando vincit aliquam grauem tētationem, probabile est ad hos actus non requiri etiam in natura lapsa auxilium supernaturale, sed sufficere speciale eiusdem ordinis, & ad assequendam in breui tempore perfectam cognitionem alicuius scientiæ, verbi gratia, Philosophiæ, aut Methaphisicæ, certum est sufficere; & requiri auxilium speciale ordinis naturæ, vtpote quia neque ad huiusmodi opus ita perfectum debetur tale auxilium hominibus, neque omnium eorum qui litteris operam dant, est communis, & generalis conditio, vt ad talem perfectionem perueniant. Proportionabiliterque in causis eleuatis ad ordinem gratiæ etiam sunt auxilia generalia, vt quando homo cum habitu infuso fidei, verbi gratia, mouetur ad eliciendum actum iuxta intensionem ipsius habitus: & specialia, vt quando mouetur ad eliciendum actum supra intensionem habitus. Sunt insuper in hoc genere alia auxilia specialiora, quibus mouentur homines ad operandum nedum vltra virtutem habituum, sed etiam supra legem ordinariam Authoris gratiæ: cuiusmodi fuit auxilium datum Paulo, & latroni vt repente conuerterentur: quorum proinde conuersiones, vt miraculosas veneratur Ecclesia.

40 Secundo probatur labefactando singulos modos dicendi. Primus enim defficit in eo quod nō agnoscit cōcursum specialem, nisi quātō Deus solo producit effectus: cum tamen hoc genere specialis concursus admisso, etiam aliud sit admittendum, quando cum ipsis secundis concurrit vt ostēsum est. Deinde secundus defficit, quia in solo ordine supernaturali agnoscit auxilia specialia, & ab illo remouet generalia: cum tamen neque ista ab illo, neque illa ab ordine naturæ remouenda sint. Denique tertius defficit; quia diuersi sunt concursus Dei vt naturalis atque vt supernaturalis Authoris, eo modo quo actiones Dei virtualiter transeuntes distingui possunt nimirum ex connotatione diuersorum effectuum, sicut & ipsi ordines creati sunt diuersi, & eorum fines: Deus enim vt finis supernaturalis differt à seipso virtualiter, vt fine naturali: & consequenter etiam in ratione agentis quia ordo agentium correspondet ordini finium: sed hæc distinctio virtualis in Deo petit distinctas operationes, & concursus pariter quibus oportet in rebus creatis correspondere terminos proportionatos, & realiter distinctos: nimirum in causa secunda naturali illud adiutorium, quod sit naturale; & in homine eleuato per habitus infusos ad actus supernaturales, illud adiutorium quod sit supernaturale alioquin, neq; Deus vt Author supernaturalis distinctum concursum haberet, neque aliqua ratione differret à seipso vt Authore naturali, neque pro-

portionato modo concurreret cum cauſis ſecundis: neque proportionatum concurſum illis præſtaret: quæ non ſunt admittenda: ergo. Et quia in vnoquoque ordine ſunt diuerſi actus, & effectus tam genere quam ſpecie, oportet pro eorum diuerſitate diuerſos quoque concurſus, & motiones præuias conferri, vtpote quæ ad inſtar principiorum operatiuorum diuerſificantur ab obiectorum, operationum, & effectuũ diuerſitate.

Soluuntur iuniorum argumenta contra præuiũ conuerſum.

41 Ad primum in contrariũ reſpõdetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem negandum eſt ſaluari in ſolo concurſu ſimultaneo debitam cauſarum ſecundarum ſubordinationem ad primam aut vitari periculum admittendi plura prima principia in ratione agendi. Ad ſecundam nego antecedens: eo quod effectus formalis præuij concurſus, & motionis eſt applicare, ac determinare cauſam ſecundam ad operandum reducendo illam ad actualem operationem: & cum hoc ſtat cauſam liberam applicare ſeipſam per modum ſecundi liberi, quod vt ſic nec ſubordinationem ad primum, neque eius præuiam motionem poteſt ſubterfugere. Stat etiam cauſam naturalem eſſe ex naturali inſtinctu ad vnum genus operationis determinatam in actu primo cum indigentia motionis præuiæ per quam de actu primo, ad ſecundum reducatur. Ad tertiam fateor præuium concurſum ſiſtere quidem in motione cauſæ ſecundæ: virtualiter tamen tranſire ad eius effectum: neque ideo incidimus in opinionem Durandi: qui illum concurſum cauſæ primæ duntaxat in cauſam ſecundam agnouit, quo à principio accepit eſſe, & innatam virtutem à Deo: alium verò ſuperadditum quo præmouetur ad actualiter operandum, prorſus ignorauit. Ad quartam dicendum eſt nullum ſequi ex adductis in conuenientibus: non primum, quia cum hæc præuia motio ſit actus primus vltimus, & ipſa formalis ratio applicandi potentiam ad actum ſecundum, inſeparabilis eſt ab illo ſecundum rem: qua ratione ex duobus neceſſario connexis licet realiter diſtinctis vnum ab altero ſeparari non poteſt. Neque ſecundum, propter eandem rationem: nam ſicut exiſtentia non indiget alia ſuperaddita ad exiſtendum, quia ipſa eſt formaliter ratio exiſtendi: ita neque præuia motio indiget alia ſuperaddita vt applicetur, quia ipſa eſt vltima, & formalis ratio applicandi potentiam ad operationem. Neque tertium, quia huiuſmodi concurſus, vt egreditur à cauſa prima non eſt indifferens, ſed determinatus, ratioque determinandi, & applicandi ipſas cauſas ſecundas ad earum operationes: à quibus proinde determinationem non accipit, niſi tanquam ab obiecto, à quo ſpecificatur. Neque quartum, quia contingentia cauſarum ſecundarum non conſiſtit in eo quod earum effectus ſint impedibiles prout egrediuntur à Deo: ſed tantũ prout ab ipſis egrediuntur: idem enim, effectus qui ſunt euitabiles, & impedibiles reſpectu cauſæ ſecundæ in quo conſiſtit contingentia, ſunt ineuitabiles, & inimpedibiles reſpectu diuinæ prouidentiæ cuius efficax decretũ, & concurſus impediri non poteſt. Ad ſecundum principale reſpondetur huiuſmodi præuiũ auxiliũ in Concilijs, & Patribus fundamentum habere, dum gratiæ operantis, & præuenientis meminerunt: vt latius in tractatu de auxilijs oſtendo.

42 Neque obſtant teſtimonia obiecta à Fonſeca ex D. Thom. qui non congruentius, explicari poteſt quam per ſeipſum: is igitur prima parte, quæſtione 83. articulo primo ad tertium explicans illam propoſitionem, Ariſtotelis: *liberum eſt quod ſui cauſa eſt* ſic ait: liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum mouet ad agendum, non tamen hoc eſt de neceſsitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt: ſicut neque ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius requiritur quod ſit prima cauſa eius: Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias, &c. Quando igitur D. Thom. in adductis locis aſſerit voluntatem noſtram determinare ſeipſam ex præconcepto fine ad electionem medij, loquitur de voluntate prout eſt agens morale, & plene liberum, cuius proprium eſt mouere ſe ex præconcepto fine: quo pacto non ſic ſe mouet ad primam finis intentionem, ad quam applicatur à Deo: quia tamen voluntas mouet ſe, vt liberum ſecundum ſubordinatum primo, non negat D. Thom. quod dum ſe mouet, ſimul moueatur à primo libero, ſed potius hoc ſub intelligit. Neque Scotus huiuſmodi præuiam motionem negauit: nam in primo teſtimonio ſolum tribuit voluntati noſtræ poſſe mouere ſe ad vtrumlibet, vt liberum ſecundum motioni primi ſubordinatum: ſed quia dum mouetur à Deo non ſe habet voluntas præciſe, vt mota ſed ſimul vt mouens ſeipſam vitaliter, & libere, ſubdit Scotus eſſe indeterminatam in determinatione virtutis actiuæ. In ſecundo vero, tantum probat quod ad actum malumq uantum ad malitiam, & defectum voluntas determinatur à ſe, & non à

Deo,

Deo, quia in hoc genere est primum liberum: quod nos fatemur; in tertio denique solum vult Scotus causas secundas, principales non ita moueri a prima, vt tota ratio agendi in illis sit ipsa passiua motio, sicut contingit in instrumentis in quibus sola motio eis impressa ab agente principali est tota ratio cooperandi cum illo ad eius effectum. Ad tertium admitto axioma illud communiter receptum à Theologis: nego tamen sine necessitate tria recensita auxilia multiplicari. Quorum necessitas fundatur in duobus nimirum indiuersis rationibus terminandi repertis in effectu. Vna enim, & eadem operatio supernaturalis secundum actualitatem specificam, qua gaudet terminat auxilium sufficiens: secundum verò actualitatem numericam, & singularem, ideſt quatenus in singulari exercetur petit, & terminat auxilium efficax simultaneum, & tandem secundum applicationem potentiæ ad eius exercitium petit, & terminat præuium, atque in ipsa causarum secundarum subordinatione, & distincto vniuscuiusque modo concurrendi, vt enim causa secunda possit, requirit auxilium sufficiens, vt applicetur requirit præuium, & vt iam applicata coadiuuetur indiget simultaneo: concurritque sufficiens tribuendo posse, & virtutem agendi, præuium applicando, & simultaneum cooperando: sicut necessitas, ac distinctio concursus Dei, solis, & generantis circa eundem hominem genitum fundatur in diuersis rationibus terminandi ex parte ipsius hominis, qui secundum gradum entis terminat influxum Dei, secundum verò gradum genericum corporis, influxum solis, & tandem secundum specificum, vel indiuidualem talis hominis terminat actionem generantis: atque in diuerso modo concurrendi harum causarum ex quarum collectione homo dependet: Deus enim concurrit, vt prima causa, sol, vt causa secunda; vniuersalis, homo verò generans, vt causa secunda particularis.

43 Ad quartum respondetur, nullum sequi ex illis inconuenientibus: non primum: quia huiusmodi præmotio efficax, cum sit vltima, & formalis ratio applicandi potentiam ad exercitium operationis, neque quoad speciem actus ob rationem communem alijs virtutibus, & formis operatiuis quæ cum sint determinatæ ad speciem actus, quoad illam non subordinantur potentijs, quibus insunt benè tamen quoad exercitium: neque quoad istud, ob hanc particularem rationem subordinatur potentiæ, sed potius illum sibi subordinat: sicut virtus ad instrumentum ab agente principali deriuata, non illi, sed huic soli subordinatur: & talis est prævia motio respectu Dei mouentis humanam voluntatem. Neque secundum, quia auxilia extrinseca, & moralia non superfluunt, quando efficaci inueniuntur associata: quia eorum apparatu Deus more humano hominis admirabilium cognitionem, & amorem, ex sensibilium visu, tactu, & auditu producit, vt late contra semipelagianos Hilarius in Epistola ad Augustinum, & ipse Augustinus in libro de correctione & gratia, capite tertio & quarto, prosequuntur. Neque tertium, quia verâ ratio concordiæ huiusmodi motionis efficacis Dei cum libertate, & contingentia causarum secundarum est, quam assignat Diuus Thomas, prima parte, quæstione decimanona, articulo octauo, & in dicta, quæstione 83. articulo primo ad tertium dicens ex efficacia motionis, & subordinationis primæ causæ prouenire, vt causæ secundæ, suos effectus nedum, quoad substantiam, sed etiam cum tali modo, nimirum necessitatis, contingentiæ, & libertatis operentur. Tantum igitur abest, vt hæc prævia motio, qua prima causa præmouet, & actu sibi subordinat secundas, vt illis contingentiam, aut libertatem lædat, quod potius eam constituit, & stabilit, dum facit eas suos effectus, cum tali modo operari.

Hinc soluuntur tres difficultates, siue obiectiones, quæ explicatione indigent. Prima est: nam suppositio antecedens videtur tollere à voluntate libertatem: suppositio autem huiusmodi præmotionis est omnino antecedens respondetur voluntatis hominis, illam recipientis à Deo, & non potentis eam impedire: ergo tollit libertatem. Secunda est, nam cum libertas consistat in aliqua indifferentia, vel contrarietatis, vel exercitij, vbi neutra manet indifferentia, nulla relinquitur libertas: sed hæc præmotio ob sui determinationem, neutram relinquit indifferentiam in voluntate: non primam, quia voluntas præmota ad amandum, verbi gratia, non manet indifferens ad actum contrarium, scilicet, odium: neque manet indifferens ad negationem actus, scilicet ad non amandum: ac proinde, neque manet cum indifferentia exercitium: ergo. Tertia desumitur ex efficacia huiusmodi motionis, & conditionibus contingentiæ, & libertatis: nam

causa

cauſa contingens eſt quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt eius operationem impediri: & cauſa libera eſt illa, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere, vt tradit Soto libro primo de natura & gratia capite 16. excommuni deſcriptione cauſæ liberæ a Theologis recepta, ſed cum hac præuia motione efficaci ad operandum hic & nunc: neque cauſa naturalis poteſt impediri à ſua operatione, neque cauſa libera poteſt non agere: ergo lædit illius contingentiam, & huius libertatem. Sed nihilominus dicendum eſt, quod huiuſmodi ſuppoſitio motionis præuiæ efficacis non tollit contingentiam, aut libertatem à cauſis ſecundis, ratione antecedentiæ, vt intendit prima obiectio: nec ratione determinationis, aut efficatiæ, vt intendit ſecunda & tertia obiectio: quod amplius manifeſtabitur, ſingulis obiectionibus reſpondendo.

Cur ſuppoſitio antecedens nõ tollat libertatem.

44 Ad primam itaque reſpondetur, quod ſuppoſitio antecedens prouenies à prima cauſa, cum efficatia in ſubſtantiam, & modum operationis, ſiue effectus, non ſolum non lædit, ſed potius ædificat modum operandi in vnaquaque cauſa ſecunda: ſiue contingente, ſiue libera, & talis eſt ſuppoſitio præuiæ monitionis de qua eſt ſermo.

Ad ſecundam reſpondetur negando minorem: quoniam licet hæc præuia, & efficax motio data à Deo ad vnum quemque effectum determinate, habeat in ſe determinationem ad effectum ſibi proportionatum, ita vt motio data igni ad calefaciendum non ſit indifferens prout egreditur a Deo ad alium effectum, & motio data voluntati ad actum amoris Dei, egrediatur à Deo omnino determinata ad huiuſmodi actum: tamen relinquit in voluntate hominis poteſtatem antecedentem ad non amandum, & ad actum oppoſitum: ac proinde relinquit in voluntate indifferentiã contradictionis, & contrarietatis, qua poteſtate antecedente, vel in ſenſu diuiſo poſsit in oppoſitum illius, ad quod ex vi motionis eſt determinata: relinquit etiam indifferentiam iuditij proponentis tale obiectum voluntati tanquam, nec ſummum bonum, nec habens neceſſariam connexionem cum ſummo bono: in qua radicatur formalis libertas voluntatis: quamuis ab illa tollat indifferentiam ſuſpenſionis, & poteſtatis conſequentis, ſiue ſenſus compoſiti: eo quod huiuſmodi motio præuia tollit ſuſpenſionem actus ab ipſa voluntate reducendo illam de potentia ad actum ſecundum, & cum ea non poteſt voluntas poteſtate conſequente, ideſt conſequente ex natura, & inclinatione ipſius motionis atque in ſenſu compoſito componente ipſam motionem cum actu oppoſito, vel cum negatione actus ad quem datur, operari oppoſitum, aut non operari: quæ tamen indifferentia ſuſpenſionis non eſt de eſſentia libertatis, vt per ſpicuum eſt, ac proinde illa ſublata poteſt manere illæſa eſſentia libertatis.

Ad tertiam quoad primam partem de cauſa contingente dicendum eſt, quod cauſa contingens eſt illa quæ poſitis omnibus requiſitis poteſt impediri in ſua operatione, vel effectu prout egreditur ab ipſa, non autem prout egreditur a cauſa prima, & per comparationem ad eius motionem: nam conditio contingentiæ, & impedibilitatis conuenit rebus per ordinem ad cauſas earum proximas, quæ ſunt impedibiles ab alijs, & non per ordinem ad cauſam primam quæ à nulla alia poteſt impediri, vnde idem effectus, verbi gratia, productio fructus arboris, qui per comparationem ad ipſam arborem eſt contingens, & impedibilis, per comparationem, ad Deum eſt infallibilis, & impedibilis, ſicut idem euentus, qui reſpectu cauſæ ſecundæ eſt per accidens, & fortuitus, reſpectu Dei cuius intentionem ſubterfugere non poteſt eſt perſe intentus, & præuiſus.

In quo cõſiſtat ratio liberi arbitrij.

45 Deinde quoad ſecundam partem ſtatuenda eſt diffinitio libertatis quæ non conſiſtit in hoc quod voluntas in quocumque ſtatu, & facta quacunque ſuppoſitione poſsit operari, & non operari: ſed teſte Diuo Thoma, prima ſecundæ, quæſtione prima, articulo primo, eſt facultas rationis, & voluntatis: quam diffinitionem liberi arbitrij deſumpſit ex Magiſtro, in ſecundo diſtinctione 24. capite quinto, & Auguſtino in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, capite 20. dicitur autem facultas rationis: quia cum nihil ſit volitum quin præcognitum, ex indifferentia iuditij intellectus proponentis obiectum, vt medium, quod neque eſt ſumme bonum, nec neceſſario connexum cum ſummo bono, veluti ex radice oritur indifferentia in voluntate quæ eſt formaliter libera: ac proinde liberum arbitrium dicitur facultas rationis, veluti radicaliter, & facultas voluntatis veluti formaliter. Igitur, aut negandum eſt illam deſcriptionem eſſe legi-

timam

timam diffinitionem cauſæ liberæ, ſiue liberi arbitrij: aut in eo ſenſu admittenda eſt in quo ad aſignatam diffinitionem reducatur: & ideo ſic eſt explicanda: cauſa libera eſt quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum ex parte intellectus proponentis, & iudicantis cum indifferentia, & ex parte voluntatis quantum ad actum primum, poteſt operari, & non operari: vel vt ait Diuus Thomas, prima ſecundæ, quæſtione 10. articulo quarto, liberum arbitrium eſt facultas quæ poſitis omnibus requiſitis, & propoſitis mediis ad finem præconceptum, poſsit illa eligere, & non eligere: nam formaliter loquendo voluntas non eſt liberum arbitrium circa finem, ſed circa media, circa quæ eſt facultas electiua in qua formaliter ratio liberi arbitrij conſiſtit: quæ diffinitiones, aut non verificantur ſuppoſita motione efficaci in voluntate ad operandum, vel eligendum: eo quod motio efficax non ſe tenet omnino ex parte actus primi, ſed ſimul, & potius ex parte actus ſecundi, quia eſt applicatio potentiæ ad operationem medians inter vtramque, & ſecum infalibiliter adducens ipſam operationem: cum qua non oportet, quod maneat facultas ad non operandum: ſicut enim omne quod eſt, dum eſt, neceſſario eſt, ita & voluntas dum operatur, iam neceſſe eſt, quod operetur abſque læſione libertatis ipſius in actu primo. Aut admiſſo motionem tenere ſe ex parte actus primi, etiam verificantur prædictæ diffinitiones, quia cum illa adhuc manet voluntas potens non operari, ſiue non eligere poteſtate antecedente, aut in ſenſu diuiſo, propter indifferentiam iuditij intellectus: cui non obſtat determinatio in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione motionis conueniens voluntati, ſic præmotæ.

ARTICVLVS V.

An cauſa prima immediatius, quã cauſa ſecunda, attingat effectus?

46 IN Hoc articulo tres verſantur ſententiæ prima ait Deum non concurrere immediatione ſuppoſiti ad illos effectus, quos producit mediis cauſis ſecundis, niſi tantum ad illos quos producit ſe ſolo: ita Ferrara, libro tertio, contra gentes, capite 70. & Soto, libro ſecundo phyſico. quæſtione quarta, cui affinis eſt ſententia Durandi, in prima diſtinctione 37. quæſtione prima, articulo primo, dum negat Deum producere actu cum cauſis ſecundis earum effectus, & ſi illos immediatè conſeruet, quæ ſuadetur primo: quia ſi Deus immediate immediatione ſuppoſiti produceret aliquid in effectibus cauſarum ſecundarum maxime exiſtentiam, & rationem entis: ſed hæc duo immediate producuntur â cauſis ſecundis: quæ ad productionem entis, & actus eſſendi adminus concurrunt, vt inſtrumenta Dei, ſicut ſerra reſpectu artificis: ergo ſicut hæc mediat inter artificem & artificiatum: ita & illæ mediant inter Deum, & prædictos effectus: quos proinde non producet immediatione ſuppoſiti. Secundo ex teſtimonijs Philoſophi, ac Diui Thomæ: quorum ille, libro de mundo ad Alexandrum inquit: non decet Deum perſe concurrere cum cauſis ſecundis ad earum effectus: quaſi hæc immediata Dei cauſalitas ſit eius deſcenſus ac proinde indecens diuinam maieſtatem. Ille vero prima parte, quæſtione 104. articulo ſecundo, ait Deum aliter res a principio creaſſe, & aliter eas modo conſeruare: quia creauit ſe ſolo, & conſeruat eas mediis cauſis ſecundis: quod diſcrimen nullum eſſet ſi conſeruatio rerum fieret immediate a Deo immediatione ſuppoſiti. Tertio: nam concurrere immediatione ſuppoſiti ad aliquem effectum: eſt illum attingere ea immediatione quæ excludit mediationem alterius ſuppoſiti agentis: ſed Deus dum concurrit media cauſa ſecunda, verbi gratia, igne ad productionem alterius, ſiue concurſu prævio, ſiue ſimultaneo, concurrit mediante creato ſuppoſito agente: ergo non immediatione ſuppoſiti. Secunda ſententia eſt Caietani, prima parte, quæſtione octaua, articulo primo, aſſerentis Deum attingere omnes effectus cauſarum ſecundarum immediatione ne dum virtutis, ſed etiam ſuppoſiti: non quidem totaliter, ſed quoad aliquam partem, vel rationem in effectu repertam: quia nullius eſt effectus cauſæ ſæcundæ in quo non ſit aliquid productum immediate a ſolo Deo, verbi gratia, aut materia prima, aut exiſtentia, aut gradus entis. Tertia vnſuerſaliter aſſerit Deum concurrere ad omnes effectus cauſarum

Concurſus immediatus immediatione ſuppoſiti tribuitur Deo.

ſarum ſecundarum ſecundum omnes partes, & gradus vtraque immediatione, virtutis, & ſupoſiti. Quæ eſt Diui Thomæ, in dicto articulo ſeptimo, de potentia, & prima parte, quæſtione octaua, articulo primo, & tertio contra gentes, capit. 68. & in prima diſtinctione 37. articulo primo, & in libro de cauſis, lectione prima Bañeſij, & Zumelis in commentario dicti articuli primi, quæſtione octaua Suarij 1. Metaphiſicæ, diſputatione 22. ſectione prima, atque Fonſecæ, libro quinto, capite ſecundo, quæſtione nona, ſectione ſecunda, & ſequenti. Quæ proindè à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et pro prima parte probatur, quia immediatio virtutis in eo conſiſtit, quod cauſa operetur per propriam virtutem ab alio non aceptam Deus autem agit per propriam virtutem omnes effectus ad extra: ergo eos operatur immediate immediatione virtutis, & eo immediatius, quo eius virtus eſt prior, & magis independens: vt omnes citati authores fatentur. Deinde pro ſecunda parte in qua eſt diſidium inter illos, probatur aduerſus authores primæ ſententiæ: primo, quia immediatio ſupoſiti conſiſtit in excluſione alterius ſupoſiti agentis, vt quod diſtincti ab illo quod dicitur agere immediate: ita vt inter iſtud & effectum non mediet aliud agens diſtinctum deferens influxum agentis immediati ad effectum: ſed hæc immediatio inuenitur in Deo reſpectu omnium effectuum ad extra: ergo. Minor patet, quia Deus non ſolum concurrit ad hos effectus concurſu præuio terminato ad cauſas ſecundas immeediatè vt illas aplicet ad operandum: ſed etiam concurſu ſimultaneo, qui immediatè & ſine vllo interuallo directè ad ipſos effectus terminatur. Secundo probatur ratione qua vtitur D. Tho. quæſtion. 3. de potentia, articul. 7. nimirum, quia vbi ſupoſitum agens eſt idem, cum ſua virtute, immediatio virtutis ſimul eſt cum immediatione ſupoſiti: Deus autem eſt ſua virtus actiua, ſicut & eſt ſuum eſſe, & ſua operatio: ergo ſicut operatur, cum cauſis ſecundis immediatione virtutis: ita & operatur immediatione ſupoſiti. Tertio probatur ratione qua D. Thomas, vtitur, prima parte, quæſtion. 8. articul. 1. ad demonſtrandam intimam preſentiam Dei in omnibus rebus, ſcilicet, per eſſentiam: quia immediate operatur in omnibus illis, quæ ratio non procedit ex ſola immediata operatione immediatione virtutis, vt falſo Ferrara, & Soto, exiſtimarunt, hæc enim etiam conuenit ſoli, qui immediatione virtutis operatur in omnibus corporibus ſublunaribus: quibus tamen, neque eſt præſens per eſſentiam: neque ab illis in diſtans: ergo procedit ex immediata operatione immediatione ſupoſiti: vel ſola vel ſimul cum immediatione virtutis. Denique pro tertia parte aduerſus ſecundam ſententiam oſtenditur eiſdem rationibus: quoniam concurſus ſimultaneus Dei immediate ad omnes partes, rationes & gradus entis creati terminatur: & in omnibus Deus eſt preſens, & indiſtans per eſſentiam: ergo omnes operatur immediate.

Ad primum, nego conſequentiam, quia, vltra concurſum præuium quo Deus mouet cauſas ſecundas ad operandum, habet alium ſimultaneum immediate terminatum ad effectus: in quo differt ab humano artifice, qui ſolo concurſu quo mouet inſtrumentum agit in artificiatum.

Ad ſecundum reſpondetur, nihil conuinci ex illis teſtimonijs: non ex primo, quia indecentia ſolum oritur ex concurſu immediato, qui fit per contactum quantitatiuum, vel per motum: qualis non eſt diuinus. Neque ex ſecundo, quia Deus ſimul conſeruando res cum earum cauſis ſecundis æquiuocis, eas etiam conſeruat immediate: quas tamen âprincipio ſe ſolo produxit. Ad tertium admiſſa maiori neganda eſt minor pro ſecunda parte. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur Deum quamcunque rationem entis immediate producere in effectu creato, vt dictum eſt, gradum autem entis, & actum exiſtendi producit quidem immediate: non quia ſe ſolo illos producat, vt falſo exiſtimauit Fonſeca, ſectione quinta, cum etiam cauſæ ſecundæ eorum productionem attingãt ſaltem vt inſtrumenta Dei, vt libro precedente oſtendimus: ſed propter rationes aſignatas. (.?.)

ARTICVLVS VI.

An à duabus cauſis totalibus poſsit idem effectus prouenire?

47 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ & vna media. Prima eſt Suarij in Metaphiſic. diſputatione 26. ſectione 4. & 5. & 3. part. diſputatione 5. ſectione 4. aſſerentis eundem numero effectum poſſe à duabus cauſis nedum inſtrumentalibus, ſed etiam principalibus totalibus prouenire. Quam ſuadet qua dupliciter: primo quia idem effectus poteſt à duabus cauſis totalibus diuiſim prouenire: vt hæc numero lux producta ab illo ſole, poſſet ab alio ſole produci quem Deus crearet: & idem calor productus ab illo igne, poſſet eo deficiente, ab alio conſeruari eidem ſpatio aplicato: ſed nulla eſt repugnantia quominus ſimul vterque ſol, vel ignis aplicetur à Deo, ad eandem lucem vel eundem calorem producendum: ergo. Secundo arguitur ſuppoſita doctrina Diui Thom. 1. part. quæſtione 52. aſſerentis Angelum eſſe in loco per operationem quam exercet ad extra vt cauſa cõpleta & totalis alicuius motus ſiue effectus producti: quia non repugnat plures Angelos ſimul in eodem ſpatio ad eundem effectum aplicari: imo de facto ita contigiſſe videtur quando plures Angeli apparuerunt paſtoribus, de quibus dicitur Lucæ 2. *& ſubito facta eſt cum eo multitudo militiæ, cœleſtis &c.* ſcilicet ad eundem effectum cauſandum, & quando plures demones idem corpus humanum obſident & cruciant, nec non illi duo Angeli qui reſte Diuo Thom. 1. part. quæſtione 113. artic. 2. ad cuſtodiam eiuſdem perſonæ publicæ deputantur: ergo in his caſibus idem effectus à duabus cauſis totalibus ſimul prouenit. Tertio: quia non minus repugnat concurſus plurium cauſarum inſtrumentalium totalium, quã principalium, quia ex meritis totalitatis vna pariter dicit excluſionem alterius: ſed hoc non obſtante idem effectus poteſt à pluribus inſtrumentis totalibus non ſubordinatis produci: vt quando idem infans à pluribus miniſtris ſimul baptizatur, & eadem hoſtia à pluribus ſacerdotibus ſimul conſecratur: ergo. Quarto quia eadem actio poteſt ſimul ex pluribus motiuis, aut finibus totalibus cauſari, aut cum quis ſimul ex motiuo miſericordiæ, & pœnitentiæ elargitur eleemoſynam, quam ex quocunque illorum ſeorſum non minus eſſet elargiturus, & quando Samuel iuit in Bethleem vt vngeret Dauid in regem, & propterea tulit lenticulam olei, vt refertur 1. regum 16. & vt ſacrificaret Deo, nam propterea dixit: *ad immolandum Domino veni*: quorum motiuorum quodlibet erat ſufficiens, totale & alteri non ſubordinatum, efficaciterque illatiuum totalis itineris: nec non eadem beatitudo cõfertur à Deo, ex duplici motiuo, ſiue titulo totali, non ſubordinato, ſcilicet titulo filiationis vt hereditas, & titulo meriti, vt merces: ergo pariter in volontate diuina ſunt duo motiua totalia non ſubordinata reſpectu eiuſdem effectus.

Secunda ſententia eſt Caietani, 3. part. quæſt. 67. art. 6. §. *ad penultimam*, aſſerentis poſſe quidem eundem effectum produci ſimul à duabus cauſis totalibus non ſubordinatis inſtrumentalibus, non tamen principalibus. Vt in caſu poſito argumenti tertij: in quo miniſtri ſimul producunt eundem characterem baptiſmalem, vel eandem conſecrationem tanquam duo inſtrumenta totalia, quorum neutrum alteri, ſed vtrumque ſoli Deo & Chriſto ſubordinatur: in quibus proinde totalitas vnius non excludit conſortium alterius, quia operantur non virtute propria, ſed virtute agentis principalis quæ vnica eſt in ipſis participata: ac proinde ſequens non ſunt duo totalia dualitate virtutis, ſed dualitate ſubſtractorum defferentium eandem virtutem: huiuſmodi autem totalitas non dicit excluſionem alterius concauſæ: ergo.

48 Tertia ſententia, primæ extremè oppoſita eſt quam tuentur Albert. 2. phiſic. tract. 2. cap. 6. D. Thom. 1. p. quæſt. 52. art. 3. Scot. in 3. diſput. 1. quæſt. 1. Fonſeca 5. metaphiſic. cap. 2. quæſt. 15. ſect. 2. Ferrara 3. contra gent. cap. 68. & Vazquius tom. 1. 3. p. diſput. 29. cap. 4. & tom. 2. diſput. 148. ca. 3. aſſerentes neutiquam poſſe duas cauſas totales non ſubordinatas phiſicas, tam principales quam inſtrumentales ad eundem effectum concurrere. Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione & pro prima parte probatur aduerſus primam ſententiam: ex ipſa ratione totalitatis, quæ in ſuo conceptu dicit excluſionem alterius: ac proinde eſſe aliquam cauſam totalẽ huius effectus v. g. ignis: eſt illam ſine conſortio alterius talem ignem cauſare, alterius in quam eiuſdem ordinis, & quod hic ignis dependeat à tali cauſa totali, nihil aliud eſt, quam quod taliter ab illa dependeat,

Refertur cõcurſus duarũ cauſarum totaliũ nõ ſubordinatarum

deat, quod non ab alia eiuſdem ordinis: ſeu quod habeat ſuum eſſe â ſola iſta & nõ ab alia: alioquim idem eſſe acceptum iam ab vna, iterato acciperet ab altera. & ſic ſe mel productũ reproduceretur, & iã actũ, iterum ageretur: quæ ſunt abſurda, nullatenus admittenda: ergo ex hac fundamentali ratione licèt inferre duas cõtradictorias ſimul veras, quæ ex cõcurſu duarũ cauſarũ totalium eiuſdem ordinis ad eundem effectum manifeſte ſequntur: nimirum iſtæ: hic ignis dependet totaliter ab iſta cauſa, & non dependet totaliter ab iſta cauſa: prima namque eſt vera ex hypotheſi, & ſecunda etiam eſſet vera, quia ſi dependet ſimul ab alia totali: ergo ab illa ſola: totalis enim dependentia vnius excludit dependentiam alterius: & illa cauſa quæ dependentiam huius effectus totaliter terminat, excludit omninò quod altera eiuſdem ordinis illam terminet: ac proinde dum effectus dependet totaliter ab alia concauſa, bene ſequitur quod non dependeat ab iſta primo ſignata, quod ſi cauſæ iſtæ totales ſint per ſe cauſantes effectum, ſequuntur iſtæ veræ: hic effectus dependet per ſe ab iſta cauſa, ſeu indiget concurſu illius cauſæ: & non indiget illo: prima enim eſt vera ex hypotheſi: & ſecunda etiam eſt vera, quia dum dependet per ſe totaliter ab altera, nequit indigere illius concurſu, ſicut neque poteſt dependere ab illo, & idem eſt dependere per ſe ab vna cauſa, atque eius concurſu indigere. Deinde ad hominem ſumitur argumẽtum ex eo quod Suarius concedit nullatenus poſſe eãdem actionem à duobus agentibus totalibus procedere: quo conceſſo, non poteſt ad ipſum de effectu negare: quia non minus repugnat eundem effectum quam eandem actionem à duobus agentibus totalibus prouenire: eo quod effectus, vt ipſe fatetur, includit in ſua indiuiduatione actionem qua hic & nunc producitur: & alias ſicut duo agentia totalia non poſſunt ab eadem actione denominari, aut illam terminare: ita nec poſſunt dependentiam vnius effectus terminare nec duæ actiones totales poterunt ad eundem effectum terminari. Deinde pro ſecunda parte, aduerſus ſecundam ſententiam probatur concluſio, quia Diuus Thomas vbi ſupra abſolute, & ſine diſtinctione ait impoſsibilem eſſe cõcurſum plurium cauſarum totalium eiuſdem ordinis reſpectu eiuſdem effectus: ex quo infert duos Angelos non poſſe in eodem loco formaliter, hoc eſt operando eundem effectum, ſimul repetiri: ità enim arguit prima parte quæſtione 52. art. 3. & quæſtione 3. de potentia articulo 7. ergo. Secundo: quia cauſa totalis ſecundum ſe & in ſuo conceptu importat exclusionem conſortij alterius concauſæ eiuſdem ordinis: ergo ſemper & vbicumque tam in genere cauſæ principalis quam inſtrumentalis, talem excluſionem importabit: conſequentia patet quia quod conuenit alicui ſecundum ſe, ſemper & vbicumque debet illi conuenire, ac per conſequens in caſu poſito plurium miniſtrantium idem baptiſma, aut conſecrantium eandem hoſtiam, talis effectus licèt proueniat ab illis vt â cauſis totalibus quoad ſufficientiam: non tamen quoad efficatiam: quia ſic miniſtri illi ſunt inſtrumenta partialia, partialitate quidem non effectus, ſed cauſæ. Dices, tunc aliqua cauſa eſt partialis quando concurrit dependenter ab alia concauſa eiuſdem ordinis, & quando effectus ſine illa non fieret eodem modo: atque fit cum illa: ſed in dicto caſu vterque miniſter operatur baptiſmum ſiue conſecrationem independenter ab altero, vt pote ex vi inſtitutionis Chriſti; ex qua cuilibet miniſtro ſeorſim, independenter à conſortio alterius promiſſa eſt cauſalitas ſacramenti & effectus illius: nec non ille effectus à quocumque ſeorſim, fieret eodem modo: ergo ſignum eſt illos non eſſe tunc cauſas particulares. Hoc argumento conuictus Vazquius vbi ſupra fatetur miniſtrantes tunc eſſe quidem cauſas totales non tamen phiſicas, ſed ſed morales dumtaxat: quia exiſtimat cum nominalibus miniſtros ſacramentorum & ſacramenta ipſa nouæ legis dumtaxat eſſe cauſas morales: in quo genere cauſandi non implicat concurſus duarum cauſarum totalium eiuſdem ordinis ad eundem effectum, quia dependentia effectus ab vno agente morali non eſt per ſe, aut ex indigentia: & ideo ſine illo poſſet idem effectus fieri. Sed ſi totalitas vnius cauſæ ſecundum ſe dicit excluſionem conſortij alterius, cur illam non dicet in genere moralis cauſæ? Et hæc eſt ratio implicationis in concurſu plurium agentium totalium phiſice influentium in eundem effectum quare hac ſolutione reiecta, & retenta cauſalitate phiſica miniſtrantium & ſacramentorum nouæ legis, dicendum eſt, quod in dicto caſu idem character baptiſmalis & eadem conſecratio corporis Chriſti diuerſimode fit à pluribus mini-

miniſtris ſimul: atque fieret ab vno ſeorſum, & hæc diuerſitas non eſt preter, ſed ſed iuxta inſtitutionem Chriſti, qui ſicut ſingulis miniſtrantibus ſeorſum promiſit productionem effectus ſacramentalis inde pendenter ab altero: ita duobus vel pluribus ſimul miniſtrantibus, virtualiter promiſsit eiuſdem effectus productionem, vt agentibus partialibus ſe inuicem attemperantium & cum dependentia vnius ab altero: quia hæc eſt natura plurium cauſarū, non ſubordinatarū cōcurrentium ad eundem effectum: quam gratia non debuit deſtruere ſed perficere mediante Chriſti inſtitutione.

Ad primum pro prima ſententia admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia propter aſsignatam implicationem. Ad ſecundum reſpondetur in illis caſibus plures Angelos ſimul aplicari, vel ad effectus formaliter diſtinctos vt agentia totalia, vel ad eūdē effectū, vt agentia partialia quoad efficaciam, licèt ſint totalia, quāntū ad ſufficientiam. Ad tertium nego minorem: ad cuius probationē patet ex dictis. Ad quartum nego antecedens, quia in primo caſu, vel ex illis duobus motiuis vnum alteri ſub ordinatur, vel ſi vtrumque moueat equaliter ad dandam eleemoſynam eſt quidem duplex partialis finis ex quibus vnus talis conflatur: vnde altero illorum deficiente, non fieret illa electio, quæ fit ex vi vtriuſque vt docet Diuus Thom. 1. 2. q. 12. art. 3. ad ſecundum, in ſecundo vero reſpectu iuueris Samuelis teſte Caietano ibidem immolatio non fuit finis primarius, ſed tantum ſecundarius, quia primarius fuit ſola vnctio Dauidis. In tertio denique illi duo tituli ſunt diuerſæ rationis, & vnus alteri ſubordinatus, quia ius meritorium fundatur in filiatione gratiæ: cauſis autem diuerſæ rationis & ſubordinatis licèt totalibus bene poteſt tam in phiſicis, quàm in moralibus idem effectus correſpondere. Ad fundamentum autem ſecundæ ſententiæ patet ex ſecunda parte concluſionis.

QVÆSTIO V.

De cauſa finali, in tres articulos diuiſa.

IVxta tria quæ in huiuſmodi cauſa veniunt conſideranda, nimirum eius ratio formalis finalizandi actualis cauſa litas ſiue finalizatio, & multiplex illius ſpecies ac modus: ſingula, articulis ſingula, ſunt examinanda.

ARTICVLVS I.

An ratio formalis finalizandi, ſit realis bonitas finis, vel ſola aprehenſio?

49 IN quo duæ venſantur ſententiæ extreme oppoſitæ, prima conſtituens rationem formalem mouendi & finalizandi in ſola aprehenſione, vel finis aprehenſibilitate fuit Auicenæ 6. metaphiſicorum cap. 5. Soncinatis lib. 5. quæſtione 3. Caietani 1. 2. quæſtione 30. artic. 3. & Medinæ ibi quæſtione 1. art. 1. dubio 4. quæ ſuadetur tripliciter primo ex conditionibus rationis formalis: nam hęc eſt illa quæ diſtinguit potentias & actus appetitus, cum horum diuerſitas formalis ſumatur ex diuerſitate obiecti & motiui formalis: & qua variata, variantur eſſentialiter actus voluntatis & à qua actus voluntatis depender eſſentialiter: ſed iſtæ conditiones ſaluātur in ſola aprehēſione: ergo. Minor patet quia ex diuerſitate aprehenſionis diſtinguit Diuus Thomas 1. parte quæſtione 80. artic. 1. & 2. duos appetitus in homine: & 1. 2. quæſtione 30. artic. 3. & quæſtione 31. art. 3. diſtinguit actum gaudij à deſiderio ex diuerſa aprehenſione eiuſdem boni, diuerſimode repreſentati: nimirum vt preſentis vel vt abſentis: ex qua iſti actus eſſentialiter diſtinguntur: nec non quia actus voluntatis eſſentialiter dependet ab actu intellectus & à regula, menſura & principio formali dimanationis: eo quod ſicut voluntas dimanat ab anima mediante intellectu, ita operatio voluntatis dimanat mediante operatione intellectus, ex quo principio infert Diuus Thomas 1. parte quæſtione 27. artic. 3. ad tertium proceſsionem diuini amoris ſupponere per ſe proceſsionem intellectualem verbi. Secundo, quia ſola aprehenſio habet vim mouendi voluntatem ſiue appetitum: ergo in ſola illa ſaluatur ratio formalis mouendi: cōſequētia eſt nota: & antecedens probatur, quia multoties contingit voluntatē moueri ad ſuos actus liberos, & nō à bonitate vera aut reali: ergo à ſola aprehēſione, cōſequētia patet, quia dum mouetur ab obiecto aprehenſo

& non à bonitate illius, neceſſe eſt à ſola aprehenſione illam moueri, cum in obiecto aprehenſo, ſolum bonitas, & aprehenſio inueniantur, antecedens autem pro ſecunda parte probatur in illo cuius voluntas mouetur ad inquirendum rem impoſsibilem quam exiſtimat poſsibilem, vt montemaureum aut aduænandam ſæram compoſitam ex æquo & Leone: cuius obiecti bonitas cum ſit fictitia nequit mouere, & in egroto qui mouetur ad ſumendam potionem amaram ex appetitu ſanitatis forte non futuræ: & in illo qui peccat ex ſola cõcientia erronea putans eſſe illicitum obiectum, quod elligit, & alias eſt bonum in ſe: aut è contra elligit vt bonum illud quod re vera eſt prohibitum bona fide procedens: cuius modi electiones non à bonitate aut malitia obiectiua, quæ nulla eſt: ſed à ſola aprehenſione poſsit diſtingui in eſſe boni aut mali moralis. Tertiò, quia reſpectu noſtræ voluntatis eleuatæ per charitatem diuina bonitas eſt finis & obiectum, non ſecundum ſe: ſed prout aprehenſus: eademque ratio eſt de alijs habitibus & actibus voluntaris verſantibus circa bonum aprehenſum: ergo. Antecedens patet, quoniam teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 4. Deus eſt obiectum claritatis, prout eſt obiectũ beatitudinis: non eſt autem obiectum beatitudinis quantum ad aliquam rationem abſolutam, niſi ſecundum rationem reſpectiuam beantis nos, & aprehenſibilis ab intellectu: rurſus ipſa formalis beatitudo quæ eſt finis vltimus eſt ſola aprehenſio ideſt viſio Dei, ideoque beati nuncupãtur comprehenſores: ergo.

50 Secunda ſententia conſtituit formalem rationem finalizandi in ipſa bonitate obiecti aprehenſi ſiue in eius conuenientia, reſpectu cuius ſe habet aprehenſio vt conditio quædam intrinſeca & in ſuplebilis, quam tuentur communiter diſcipuli D. Thom. vt Ferrara primo contra gẽtes cap. 44. Flandria lib. 1. quæſt. 9. art. 3. & lib. 5. quæſt. 2. art. 1. & 2. Bañez 1. p. quæſt. 5. artic. 4. dub. 2. & quæſt. 80. artic. 2. dub. 1. cui fauet Caietanus in eadem 1. p. quæſt. 5. artic. 4. & 1. 2. quæſt. 1. artic. 1. Fonſeca 5. huius cap. 2. quæſt. 11. ſectione 3. Suarius diſput. 23. ſectio. 5. & ſequentibus, & Vazquius 1. 2. diſput. 2. cap. 2. Quæ ſententia diſtinguit tria in fine, nimirum aprehenſionem ex parte intellectus proponentis, bonitatem ex parte obiecti & cõuenientiam: ex quibus ait aprehenſionem eſſe conditionem, non quidem mere extrinſecam ad inſtar localis aplicationis agentis, vt adſtruere videntur Soto 2. phiſicor. quæſt. 3. Conimbricenſes ibidem quæſt. 24. art. 1. & Scotus in 1. diſt. 4. quæſt. 1. ſed intrinſecam & in ſuplebilem ad inſtar exiſtentiæ in cauſa efficiente: bonitatem vero eſſe rationem *quæ*, & conuenientiam eſſe rationem formalem *ſub qua*: ita vt integra ratio formalis finalizandi ſit bonitas realis finis vt conueniens, ſicut integrum obiectum formale viſus eſt color vt lucidus, ratio finalizandi non aprehenſio ſed bonitas eſt. In quo ſenſu ſtatuitur pro concluſione: & pro prima parte oſtenditur primo, quia cõditiones rationis formalis finalizandi non conueniunt aprehenſioni: eſt enim finis teſte Ariſtotele 2. phiſic. text. 24. id cuius gratia aliquid fit, & text. 31. eſt bonum cuius deffectu fruſtratur agens: & ideo bonũ honeſtum quod proprie habet rationem finis diffinitur à Cicerone 2. Rhetoricæ, eſſe illud, quod ſua vi nos allicit & nos atrahit: nec non à D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 4. diffinitur bonum eſſe idem quod finis, obiectum voluntatis & terminus appetitus; & art. 6. ad 2. ſubditur honeſta dici quæ in ſe ipſis habent, vnde deſiderentur: ſed neque aprehenſio eſt cuius gratia aliquid fit, neque id quod nos allicit, neque id quod appetimus aut deſideramus &c. ergo. Secundo, quia alias charitas viæ ſpecie diſtingueretur à charitate patriæ ſi aprehenſio bonitatis eſſet ratio formalis: quia regulantur à diuerſis aprehẽſionibus quibus per fidem in via, & per viſionem beatam in patria diuina bonitas repreſentatur: cõſequeus autem eſſe falſum oſtendit D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 6. ex Paulo 1. ad Chorint. 13. aſſerente charitatem viæ numquam excidere, ſed eandem permanere in patria: nec non 2. 2. q. 23. art. 5. oſtendit virtutẽ charitatis Theologicæ eſſe vnius ſpeciei: ergo. Deinde pro ſecunda parte oſtenditur, ex prædictis conditionibus: eo quod finis ratione bonitas realis habet eſſe bonum, & terminum appetitus, & optimum cuius gratia aliquid fit, & propter quem mouetur agens, & tandem cuius deffectu fruſtratur operatio agẽtis: & alias cum id nõ preſtet bonitas vt abſoluta ab omni reſpectu, niſi ſub reſpectu conuenientis: imo in hoc conſiſtit rem eſſe bonam vel malam formaliter, quod ſit conformis vel diformis, conueniens vel diſconueniens ſubiecto: ergo bonitas finis vt conueniens & appetibilis eſt ratio formalis finalizandi.

51 Ad primum admiſa maiori, nego minorẽ ad cuius probationẽ primã dicẽdum eſt vno ex duobus modis, vel quod propter ea

tereà ab aprehensionibus distinguantur essentialiter potentiæ & actus appetitus & voluntatis, non quidem quia sit aprehensio ratio formalis: sed quia est vel intrinseca & in supplebilis conditio: vel quia est ratio radicalis & veluti causa aplicans effectiue obiecta ex quibus actus & appetitus formaliter specificantur: ex cuius proinde variatione variatur quoque ipsa ratio formalis finalizandi quæ est bonitas sic vel sic aprehensa & representata. Ad secundam probationem respondetur actum voluntatis dependere essentialiter ab actu intellectus non quidem vt tenet se ex parte obiecti & finis amati quatenus est applicatio illius, quia vt sic aprehensio est sola conditio licet intrinseca & inexplebilis: sed quatenus tenet se ex parte principij agẽtis, & prout exequitur munus principij, siue dimanationis, siue determinationis hoc est determinantis actum voluntatis quantum ad specificationem: in hac enim cõparatione inuenitur essentialis dependentia inter actus voluntatis & intellectus sicut & inter ipsas potentias: ni si mauis dicere etiam in prima comparatione saluari dependentiam actus voluntatis ab actu intellectus vt à conditione intrinseca & essentiali. Ad secundum nego antecedens ad cuius probationem respondetur in nullo ex illis casibus mouere solam aprehensionem: non quidem in primo, nã tunc in bono apparente bonitas vera & realis per species montis & auri, v.g. representata falso tamen aplicata illi subiecto cui vere non conuenit, est quæ mouet appetitum & voluntatem & nõ sola aprehensio: hanc autem falsam aplicationem multoties operatur intellectus ex virtute qua potest adunata diuidere, & separata adunare, nec non tertiam elicere speciem ex duabus disparatis, nec in secundo: quia ratio mouendi infirmum tunc est sanitas aprehensa ex parte finis, & ex parte medij est vtilitas conducens ad sanitatis cõsequtionem, nequit tertio: quia tunc electo accipit malitiam moralem à malitia obiectiua quæ in se vere malitia est, tamen falso huic obiecto applicatur per intellectũ: & eadem ratio est de electione bonæ rei pectu obiecti mali quod bonum existimatur. Ad tertium nego antecedens: quia bonitas diuina est obiectum charitatis secundum se: dicitur autem à D. Thom. esse obiectum charitatis in quãtum est obiectum beatitudinis, non reduplicatiue seu specificatiue ac si diceret quod bonitas diuina, quæ videtur a beatis, est obiectum charitatis & vltimus finis noster increatus, beatitudo autem formalis etiam est vltimus finis creatus: quia simul est aprehensio seu visio summi boni, & bonitas conueniens & amata ac proinde in illa aprehensio vertitur in ratione formalem finalizandi, quatenus bonitas quedam est.

ARTICVLVS II.

An causalitas finis sit motio metaphorica, vt distinguitur contra phisicam & realem?

52 IN quo tres versantur sententiæ, prima affirmãs esse motionem metaphoricam & intentionalem, quæ finis mouet causam efficientem per modũ obiecti allicientis vt eius gratia operetur, iuxta illud Poetæ, *tradit sua quenque voluptas*: est Fonsecæ 5. huius c. 2. quæst. 10. sect. 4. & 5. quã existimat fuisse Aristotelis, Auicenæ, D. Th. & Scoti sententiam, eo quod Aristoteles 1. de generatione c. 7. Auicena 6. metaph. tract. 5. c. 5. D. Tho. de potentia q. 5. art. 1. & Scotus in 1. dist. 4. q. 1. absolutè affirmant finem metaphorice & improprié mouere causam efficientem. Secunda asserit causalitatem finis esse quidem motionem metaphoricã in ratione motionis vel respectu finis: realem vero & phisicam in ratione causalitatis siue respectu agentis: quam sustinent Conimbricenses 2. phisic. q. 10. art. 2. & duabus sequentibus ar. 1. & 1. & Suarij disp. 24. sect. 4. Cum hoc tamen discrimine quod illi existimãt huiusmodi motionem finis preuenire actionem causæ efficientis: iste verò existimat eandem cum illa ita vt eadem actio prout procedit ab agente sit causalitas efficientis. & prout monetur à fine, sit causalitas finis, quod suadet Suarius: tum ex testimonio D. Th. q. 22. de veritate art. 2. & q. 5. de potentia art. 1. Tum etiam exemplo intellectionis, quæ vna cum sit prout est actiuè ab intellectu, est eius actio, & prout dependet ab obiecto, est causalitas obiectiua & methaphorica. Tertia sententia asserit causalitatem finis esse metaphoricam & simul realem, atque phisicam secundum diuersas considerationes; nam respectu existentiæ intentionalis quam solum petit finis ad mouendum dicitur eius causalitas methaphorica, respectu verò dependentiæ effectus finalizati, est phisica & realis. Quæ sententia quia veritati, ac D. Thom. conformior est, statuitur

pro concluſione de qua videndus eſt Bañez 1.p.quæſt.80.art.2.dub. 1. & oſtenditur labefactando duas priores ſententias. Prima namque defficit quia cum in fine debeant diſtingui, tria, nimirum ratio mouendi in actu primo, motio actualis, & effectus, ſicut in cæteris cauſis proportionabiliter hæc tria diſtinguntur, ratio cauſandi, actualis cauſalitas & effectus: hæc ſententia non ſatis diſtinguit actualem motionẽ finis á ratione mouendi. Tum etiam quia motio finis non eſt formaliter ipſum cognoſcit appeti, vt hęc ſententia adſtrui: cum iſtæ ſint denominationes rationis. Tum denique: quia confundit cauſalitatem finis cum cauſalitate obiecti: quæ vt ſic eſt formalis extrinſeca & exemplaris: ac proinde diſtincta à cauſalitate finis. Neque obſtat modus loquendi Philoſophi, Auicenæ D. Thom. & Scoti appellantium: motionem finis methaphoricam: quia neque ideo illã confundunt cum cauſalitate obiecti, neq; diſtingunt à phiſica cauſalitate: ſed dumtaxat appellant methaphoricam ratione exiſtentiæ intentionalis: aut quia quædam ſimilitudinariè efficientia eſt. Deinde ſecũda ſententia prout defenditur à Conimbricenſibus deficit, in eo quod diſtinguit motionem finis ab eius cauſalitate cum tamen eadem omnino ſit: & in eo quod dicunt illam preuenire actionem cauſæ efficientis: à qua tamen in ſeparabilis eſt ita vt vna ſine altera actualiter non ſit ponibilis in eſſe, prout vero defenditur à Suario deficit propter duo: tum quia non ſatis diſtinguit cauſalitatem finis à cauſalitate agentis: cũ tamen diuerſæ ſint. Tum etiam quia aliquã do actio voluntaris eſt effectus cauſatus à fine ac proinde ſuponens eius cauſalitatẽ: vt patet in actionibus electi eius mediorum, quas voluntas elicit ex intentione finis amati: ergo non omnis actio agentis eſt cauſalitas finis. Neque id afferit D. Thom. in locis citatis: in quibus dumtaxat ait finẽ eſſe veram cauſam cuius influere eſt appeti & deſiderari, ſicut influere agentis eſt agere.

Ex quibus patet veritas tertiæ ſententię à ſufficienti aliarum impugnatione. Quæ amplius declaratur quo ad vtranque partem: prima namque probatur quia motio cauſantis ſecundum quod habet eſſe in anima, merito dicitur intentionalis, quia dumtaxat exigit eſſe intentionale, & cauſat ſecundum quod habet tale eſſe in aprehenſione, & non ſecundum quod habet eſſe exiſtentiæ realis: qua ratione cauſalitas prototypi exiſtẽtis in mẽte & idea artificis reſpectu arte facti eſt intentionalis & methaphorica: quia non exigit eſſe reale extra animam, ſed tantum intẽtionale in anima. Hanc autem motionem explicuit D. Thom. in locis citatis actiuè & paſsiuè dicens illam conſiſtere in hoc quod eſt finẽ appeti à voluntate, nec non in eo quod eſt finem mouere & allicere voluntatem: & merito: quia vt interpretatur Caietanus 1. p.q.27.art.3.§. *ad ſecundam* amari ſeu appeti non eſt rem amatam trahi à voluntate amante ſed potius eſt trahere ad ſe voluntatem amantem: & quia illam trahit per modum termini inclinationis ſeu ponderis: propterea dicitur mouere voluntatem vt operetur. Deinde ſecunda pars probatur: quia dependentia effectus ſiue actionis à fine eſt realis: ſed hæc eſt ipſa cauſalitas finis vel de conceptu illius: ergo & hęc eſt realis. Maior patet in electione mediorum quæ realiter depẽdet à fine ſicut & ab agente: & minor probatur in eadem electione quæ ſicut eſt cauſalitas agẽtis prout eſt actio illius, ita & eſt cauſalitas finis prout dependet ab illo & mouetur ab eo nimirum quatenus ex eius intentione mouetur agens liberum vt eligat media propter finem. Id ipſum contingit proportionabiliter in agentibus naturalibus, nam cum opus naturæ ſit opus intelligentiæ, eorum quoque operationes mouentur ex fine intento & aprehenſo ab ipſo ductore & autore naturæ qui naturales cauſas ad fines ipſis proportionatos, & à ſe pręconceptos dirigit & ordinat.

53 Hinc colligo primo, cauſalitatem finis extendi ad omnes operationes creatas ſiue naturales, ſiue liberæ ſint, ſiue ellectiones mediorum, ſiue etiam intentiones finis ſint, nec non & ad ipſa agentia, hoc corollarium ſtatuo aduerſus non nullos exiſtimantes cauſalitatem finis, neque in intẽtionem, neque ad agentia extẽdi. Primum tenent Herueus quodlib. 1.q.8. Gregorius, Gabriel in 1.diſ.1.artic.2. & Vazquius 1.2. diſp.3.cap.2. Secundum verò tenet Fonſeca 5.huius q.10.ſect.4. Sed noſtra ſententia defenditur communiter à Durando in 2.diſ.1.quæſt.6. Medina 1.2.q.1.art.2.dub. 1. Bañez 1.p.q.80.art.2. Suario tomo 1.methaph.diſ.23.ſect.10. & diſp. ſequenti per totam, Conimbricenſibus 2. phiſic. q.21. art.1. & 2. & à Caiet. 1.p.q.44.art.4. & quã tum ad actiones eſt expreſſa D.T. 1.2.q.1. art.1. ad 2. de veritate q.22.art.2. & 3.contgent.cap.2. afferentis nedum ellectionem, ſed etiam amorem ipſius finis cauſari ac dependere ab ipſo fine, oſtenditurque ex eo quod

quod finis vt cõſtat ex eius diffinitione ſupra adducta, eſt ad cuius gratia aliquid fit: ergo eius cauſalitas extenditur ad omnia, quæ fiunt propter ipſum: tunc vltra, ſed propter finem non ſolũ fit electio ſed etiã intentio: quia non ſolum eliguntur media propter bonitatem finis, ſed etiam bonitas ipſa finis amatur gratia ſui & propter ſe ipſam: ergo nedum electiones ſed etiam intẽtiones dependent & cauſantur à fine. Neque tamen media appeti propter bonitatem finis & eius amabilitatẽ excludit ſemper abiliis intrinſecam bonitatem & amabilitatem, vt falſo aduerſarij exiſtimarunt eo quod teſte D. Thom. 1. p. q. 19. art. 2. media ſunt in duplici genere, alia quidem in quibus eſt propria bonitas & amabilitas vltra illam quæ eſt in fine, vt in potione aut cibo dulci, alias conducente ad ſanitatem egroti, alia vero in quibus nulla reperitur intrinſeca bonitas & amabilitas preter illã quæ eſt in fine ob quam amantur & eligũtur, vt potio amara quæ propter ſanitatem eligitur ab infirmo. Deinde quantum ad agentia probatur: quia cauſalitas finis cõſiſtit in eo quod moueat metaphorice vt dictum eſt agens ad operandum: ergo iam agens ipſum eſt terminus motionis finis. Rurſus cum finis ſit cauſa cauſarum, eius cauſalitas precedit cauſalitates omnium aliarum ac proinde eſt cauſa aplicationis earum ad cauſandum: ergo eſt cauſa huius quod agẽs aplicetur ad agẽdum ac per conſequens agens ex motione finis monetur & applicatur ad operandũ. Colligo ſecundo, quod licẽt Deus agat & operetur ad extra omnes ſuos effectus propter finem tamen eius increata actio non eſt propter finem, hoc eſt vere non cauſatur à fine, vt minus vere putauit Soncinas 5. huius q. 2. 1. pars probatur à D. Thom. 1. p. q. 44. art. 4. ex eo quod Deus eſt finis vltimus omnium rerũ iuxta illud Apocal. 21. Ego ſum Alpha & Omega, ideſt primũ efficiens & vltimus finis: omniaque operatur ex intentione ac proinde propter finẽ ſibi proportionatum, hoc eſt vltimum & propter ſe ipſum iuxta illud Prouerb. 16. *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Deinde ſecunda pars probatur primo: quia teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 19. ar. 1. ad primum, Deus non eſt finis ſuæ entitatis vel ſubſtantiæ increatæ: quia hæc omnino indepẽdens eſt à cauſa: ſed actio increata Dei eſt idem cum eius entitate & ſubſtãtia: nam quidquid eſt in Deo eſt Deus: ergo pariter ſubterfugit dependentiam a fine: ſecundo, quia alias quando Deus vult vnum propter aliud, daretur cauſa ſiue ratio diuinæ voluntatis ex parte Dei & non ſolũ ex parte obiecti voliti: & ſic eſſet verum dicere: Deum velle finem eſt cauſa ſeu ratio quod velit media ad talem finẽ: quod tamen negat D. Thom. in dicta q. 19. artic. 2. dicẽs nullatenus dari cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus: niſi tantũ ex parte obiectorum ita vt cum dicitur Deũ velle vnam creaturam propter aliam ſenſus ſit quod Deus vult vnam creaturam eſſe propter alteram tanquam propter finẽ non quidem Dei ſed ipſius creaturæ.

ARTICVLVS III.

An ratio & cauſalitas finis, omni fini vniuoce conueniat?

54 IN hoc artic. duo inquirimus, vnũ eſt de multiplicate finis; alterũ vero de modo, quo ſuis inferioribus conuenit vniuoce, vel analogice, nec ne? Pro cuius declaratione. Dico primo, variis modis, ideſt, nouem diuiſionibus diuidi ſolet finis in tota ſui latitudine: primo namque diuiditur in vltimum, & non vltimum. Deinde in principalem, & ſecũdariũ: rurſus in finem operationis, & illũ, qui eſt ipſa operatio: nec non in illum, qui præcedit, & illum, qui ſubſequitur operationem: atque in finem proximum, & remotum: rurſus in finem improportionatũ, & proportionatum: rurſus in finem qui & cui & cuius, vel propter quem: vltimo in finem operis, & in finem operantis, ſiue in finem operationis, & rei factæ. Quarum prima explicatur tanquam adequata à D. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & in 2. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. de potentia q. 7. art. 2. ad 10. de malo quæſt. 1. ar. 1. quia ordo finium eſt ſecundum ordinem agentiũ: eo quod omne agens operatur propter finem proportionatum: ſed agens adequate diuiditur in primum & ſecundum: ergo & finis in vltimum, & non vltimum: vnde ſicut Deus eſt primum agens, ita eſt vltimus finis. In cuius ſignum teſte Philone lib. de Victimis, olim victimæ apud Hebreos in fruſtra ſecabantur: & iterum, in vnũ collecta in rogum ignis comburenda mitebantur: vt ſic lex illa teſtaretur Deum eſſe vltimũ finem vtpote à quo omnes res egreſſæ, ad ipſum regrediebantur. Id ipſum oſtendit Ariſtot. lib. 12. huius cap. 6. & eth. c. p. 2. ratione hac naturali: non ſolum dabilis eſt bonitas particularis ad quam vna vel altera pars vniuerſi ordinetur: ſed etiam vni-

uerſalis ad quam omnes partes vniuerſi ordinentur cui nihil defficiat de plenitudine bonitatis: hoc autem commune bonum in ſolo Deo realiter exiſtit: ergo. Vltimo, ſuaderetur ratione qua vtitur D. Thom. 1. huius lect. 1. & 1. p. q. 12. ar. 1. deſumpta ex appetitu creaturæ rationalis: nimirum: quia cum omnis creatura appetat ſuam perfectionem quæ conſiſtit in aſequtione ſui finis & coniunctione ad illum: finis autem in cuius aſequtione & coniunctione conſiſtit vltima perfectio & felicitas creaturę rationalis eſt Deus quem actibus intellectus & voluntatis apta eſt conſequi: hinc eſt vt in illum tanquam in vltimum finem ordinetur; eo quod cum appetitus naturę rationalis nequeat in infinitũ abire, ne fruſtretur, oportet eum ad aliquem vltimum finẽ peruenire poſſe, & in quo quieſcat & veluti herculeam columnam figat ſui deſiderij: hunc autem eſſe Deum teſtatur Dauid Pſalmo 15. dicens: *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Dices, Deus non vult creaturas propter ſuam increatam bonitatem tãquã propter vltimum finem: tum quia alias bonitas creata eſſet volita Deo & vt bonum Dei ac proinde exindigentia contra illud Pſalmi: *bonorum meorum non indiges.* Tum etiam, quia minueretur diuina liberalitas erga creaturas rationales, ſi illas Deus vellet propter ſe ipſum: ergo cum Deus ſit ordinate volens, ſignum eſt illum non eſſe vltimum finem. Huic obiectioni nego antecedens, ad cuius primam probationem reſpondet Durandus vbi ſupra § *ſed hoc eſt* bonitates creatas eſſe quidem bonum Dei nõ formaliter ſed tanquam ſignum bonitatis formalis, ſicut honor eſt bonum hominis virtuoſi, quia eſt ſignum reuerentiæ illi debitæ ratione bonitatis formalis quã habet: bonum in quam Dei eſt bonitas creata illo modo, non vtile vel delectabile, quod argueret indigentiam: ſed honeſtum ſecũdum decentiam quia deceret diuinam bonitatem communicari ſe creaturis in earũ productione & eas ſic amare in eſſe naturę. Ad ſecundam reſpondet Caietanus 1. p. q. 19. ar. 2. § *quoad ſecundum*, quod non minuit liberalitatem & amorem Dei erga nos, quod velit noſtram bonitatẽ propter ſe ipſum: quia neque bonum noſtrum maioris amabilitatis eſt capax: neque aliter amare deceret diuinam voluntatem, quæ doctrina colligitur ex D. Thom. ibidem q. 44. ar. 4. ad primum aſſerente quod agere propter indigẽtiam eſt agentis imperfecti quod natum eſt agere & pati: ſed hoc Deo non competit: & ideo ipſe ſolus eſt maximè liberalis, quia non agit propter ſuam vtilitatẽ, ſed propter ſuam bonitatem dumtaxat. Deinde ſecunda diuiſio ſic declaratur, vt per finem principalem intelligatur ille cuius gratia aliquid fit: per ſecundarium vero ille qui ad alium finem ordinatur, vt docet D. Th. quodlibeto 5. ar. 19. & quodlib. 8. art. 11. & q. 8. de malo art. 1. ad 9. & 2. 2. q. 23. art. 7. eo quod finis principalis iſte ille qui non ordinatur ad alium proximum: licèt ordinetur ad vltimum: ergo ſecundarius erit ille qui ordinatur ad alium proximum finem, & ratione illius appetitur tanquam vtile ad illum. Ex quo patet ſufficientia huius diuiſionis: & inſufficientia aliarum explicationum, quarum prima fuit gloſſæ l. 1. ff. de negot. geſt. Hoſtienſis & Ioannis Andræ in cap. *poſt translationem* de renuntiatio. aſſerentium finem principalem eſſe illũ quo ceſſante ceſſat operatio &c. Secũda eſt Bartoli l. *ambitioſa* nu. 19. ff. de Decretis & ordinar. facien. aſſerentis finem principalẽ eſſe illum in quem intellectus principaliter rendit, ſecus verò ſecundarium. Tertia eſt Abulenſis Matth. 5. q. 23. aſſerentis finẽ principalem eſſe intentionis ſiue operantis, ſecundarium verò eſſe finem operationis: prima tãque defficit quia multa ſunt requiſita ſine quibus non fieret operatio: & tamen non ſunt fines principales illius: vt patet in inſtrumentis artium: & in præmio temporali ſine quo ceſſaret multi ab operibus virtutum iuxta illud iuuenalis ſatira 10. *virtutem quis amplectitur ipſam: præmia ſi tollas.* Secunda etiam defficit quia nõ intellectus ſed voluntas eſt quæ intendit finem. Tum etiam, quia quãdoque plures concurrunt fines principales partiales in quos intellectus & voluntas ex æquo ferũtur. Denique tertia defficit: quia aliquãdo finis operationis eſt principalis & cuius gratia fit operatio: vt patet in obiectis virtutum. Rurſus tertiæ diuiſionis ſufficiẽtia colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. & q. 13. art. 4. & in 4. diſt. 49. art. 1. quęſtiuncula 2. & Ariſtot. 1. ethic. c. 1. conſtatque ſi per finem operationis intelligatur ille qui per operationem producitur aut attingitur: per finem vero qui eſt operatio intelligatur illa quæ nos alicui fini extrinſeco cõiungit: & licèt Suarius diſp. 23. ſect. 2. & diſput. 47. ſect. 2. admittat hanc diuiſionem in alio ſenſu dicẽs nullam dari actionem quæ nõ ſit productio alicuius termini, ac proinde quæ ratione ſui ſit finis appetibilis condiſtinctus à termino productio. Nihilominus ſuſtinenda eſt dicta diuiſio in ſenſu aducto ex mente Ariſtotelis ac D. Thom.

quo-

quoniam viſio corporalis & aliæ operationes ſenſuum externorum non producunt aliquem terminũ: vtpote quia illo nõ indigent ad ſuplendum deffectum vnionis obiecti cum potentia, propter phiſicam eius preſentialitatẽ: ergo huiuſmodi actiones ratione ſui poſſunt eſſe fines operantis. vt etiam fatetur D. Tho. 1. ethic. lect. 1. Tum etiam quia licèt actio producat terminum, adhuc per ſe ipſam poteſt eſſe finis operãtis quia teſte Philoſopho lib. 2. de celo text. 17. vnum quodque eſt propter ſuam operationem, & teſte D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. potentiæ & habitus ſunt propter actus, & poſſet quis appetere artem citarizãdi, v. g. propter eius vſum & exercitium preciſè, ac tandem intellectio nõ ordinatur ad verbum à ſe productum: ſed potius illud ordinat ad ſe: ergo ipſa ratione ſui eſt finis intelligentis. Quarta verò diuiſio eſt adequata finis vt ſic: & non ſolum ſub diuiſio finis cuius vt falſo putauit Suarius vbi ſupra, quod colligitur ex Ariſtotel. lib. 12. huius text. 36. & 2. de cœlo text. 64. atque ex D. Thom. 3. contra gent. c. 18. & in 2. d. 1. q. 2. art. 1. & de potentia quæſt. 3. art. 15. ad 14. qui huiuſmodi diuiſionem tanquam adequatam finis in tota eius latitudine apoſtrophauerunt. Deinde quia multoties finis conſequens operationem eſt finis cui: nec nõ finis cui aliquando eſt antecedens: vt homo eſt finis cui omnium creaturarum corporalium: iuxta illud Pſalm. 8. *omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*: qui tamen fuit productus Geneſ. 1. poſt alias creaturas: dux quoque eſt finis *cui*, exercitus: & eſt antecedes reſpectu illius. Circa quintam diuiſionem dicendum eſt illam eſſe nõ quidem penes diuerſas rationes formales eiuſdem finis, *cuius* vt exiſtimauit Suarius in dicta ſect. 2. ſed aſſignari penes diſtinctos fines entitatiuè. vt videre eſt in D. Thom. in 2. d. 40. q. 1. artic. 2. & 1. 2. q. 12. art. 2. & q. 21. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 23. art. 7. & ratio id perſuadet, quia dabilis eſt aliquis finis proximus ita vt ſub nulla ratione ſit remotus aut vltimus: ſed potius ſit appetibilis propter aliũ vlteriorem: ita vt in illo ſub nulla ratione quieſcat appetitus. Similiter finis remotus & vltimatus vt Deus, v. g. non dicitur talis per cõparationem ad medium dumtaxat, ſed per comparationem ad alios fines proximos: ergo. De ſexta diuiſione finis in proportionatum & non proportionatum: conſtat ex D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. & q. 62. ar. 4. & in 2. d. 38. q. 1. ar. 1. & de veritate q. 14. ar. 3. ad 4. illam eſſe adequatam: quia ſumitur ex ordine agentium cui proportionabiliter reſpondet ordo finium: neque eſt aliquis finis qui non ſit proportionatus hoc eſt aſequibilis ab agente per propriam virtutem: aut improportionatus hoc eſt aſequibilis non propria, ſed ſuperioris agentis virtute. Septima diuiſio finis traditur à D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 8. q. 5. art. 2. & q. 34. art. 3. & 2. phiſic. lect. 4. & 2. de anima lect. 7. à quo finis *cuius* dicitur ille cuius gratia fit operatio, & ideo hic debet eſſe nobilior his quæ ad illum ordinantur: ſubdiuiditur que tãquam in duas rationes, in finem *qui*, & *quo*: finis vero, *cui*, eſt ille cui aduenit vtilitas ex ordinatione agentis: quo pacto creatura eſt finis *cui*, diuinæ prouidentiæ: & ſalus humani generis eſt finis *cui*, incarnationis Chriſti, licet inferior ſit illa. Tandem de octaua & nona diuiſione videndi ſunt Philoſoph. 2. phiſic. cap. 7. & 2. de cœlo text. 17. ac D. Thom. in 2. d. 1. q. 2. art. 1. & in 4. diſt. 8. art. 1. qla. 1. & 22. q. 123. art. 7. & quæſt. 141. art. 6. ad primum.

55 Dico ſecũdo ratio finis & eius cauſalitas non vniuoce ſed analogice tantum in omnibus recenſitis modis ſaluatur. Hęc concluſio oſtenditur: tum quia ratio propria cauſandi ſiue in actu primo, ſiue in actu ſecundo (has enim oportet proportionari) in alijs cauſis latitudinem analogicæ diuerſitatis patitur: neq; ſuis inferioribus ſecundum vniuocam rationem conuenit: ergo eandem diuerſitatem patietur ratio finis reſpectu ſuorum inferiorũ. Tum etiã quia vt dictum eſt ex Durando, haud ſine probabilitate in fine *cui* non ſaluatur vera ratio finis, ac proinde neque vera finis cauſalitas. Sed dumtaxat improprie, & ſecundum quandam ſimilitudinem. Et adhuc admiſſa ſententia Caietani, quam veram exiſtimo, Durando repugnanti: licèt finis *cui* ſit verè finis, non tamen vniuoce, & ſecundum eandem rationem, & quod non propter ſe ſed propter aliud ad quod ordinatur habet appeti & finalizare: ſicut licèt accidens verè, & ſimpliciter ſit ens, tamen non vniuocè cum ſubſtantia quia eſt entis ens. Denique huic analogiæ finis atteſtatur dependentia vnius ab alio fine in ratione finalizandi: preſertim in genere cauſæ formalis extrinſecæ, ſiue exemplaris: omnes etenim fines creati ab increato dependent, vtpote à quo exẽplãtur: vnde illis, & huic nihil vniuoce eſſentialiter poteſt conuenire, & adhuc de finibus creatis inter quos ſimilis dependentia inuenitur, nequit ratio finis vniuocè prædicari: bene tamen de illis inter quos talis dependentia non interuenit: vnde rationem principalis, vel finis

Ratio nem finis analogam eſſe.

cuius

cuius, puto de finibus creatis, vniuoce dici ſiue in ſubſtantia aut accidente, ſiue in fine operis aut operantis, ſiue in fine *qui*, aut *quo* reperiatur: quia diuerſitates iſtæ materiales ſunt: & rationes illæ formaliter ſumptæ, dictæ dependentiæ ſunt ex partes.

Argumentum libri noni.

QVoniam Philoſophus lib. 5. ca. 7. duplicem diuiſionem entis propoſuerat examinãdam. Alteram, qua diuiditur ens in decẽ prædicamenta. Alteram qua diuiditur in potẽtiam, & actum. Relicta iam prima hucuſque in præcedentibus libris exacte declarata: dum in illis principale analogatum entis, quod eſt ſubſtantia, & cætera entia ſecundum quid per analogiam ad illud, eorumque naturas, ac proprietates exacte patefecit. Reſtabat illi vt in hoc lib. alteram explanaret entis diuiſionem, quod vt opere compleret, totum librum in vndecim lectiones apud Sanctum Thomam, vel in vndecim capita apud alios, aut duodecim apud quoſdam iuniores, in quibus & tractatum de potentia & actu in tres partes partitus eſt. A prima namque vſque ad ſecundam agit de potentia ſecundum ſe: varios eius modos, ac rationes explicando. In hac ſexta agit de actu, quod eſt alterum diuiſionis atque comparationis membrum. A ſeptima vero vſque ad vltimã de vtriuſque ad ſe inuicem comparatione contemplatur. Huius autem ordinis ratio eſt manifeſta, quia ſcilicet abſolutum præcedit reſpectiuum, ſicut perfectũ imperfectum, ac proinde conuenienter duæ priores cõſiderationes præponuntur tertiæ: inter illas vero duas priores ſtatuitur conſideratio de potentia, quia via generationis ab imperfectioribus ad perfectiora fit progreſſus: potẽtia autẽ eſt imperfectior actus ac proinde præcedit illum via generationis; & licet in diuerſis ſubiectis impliciter actus potentiam præcedat, tamen in eodem, quod educitur de potentia ad actum, ipſa potentia actum præcedit: vnde merito illius ſpeculatio, huius conſiderationem ſecundũ doctrinæ ordinem debuit præcedere. Præmittit igitur Philoſophus varias potentiæ acceptiones ſecundũ quod nomen hoc æquiuoce dicitur de ſuis ſignificatis: & illis prætermiſſis præcipuum elligit in hac conſideratione analogatum, quod eſt potentia agendi vel patiendi, illamque deffinit ab illis verbis lectionis primæ; *quod igitur multipliciter &c.* dicens eſſe principiũ trãſmutationis in alio in quantũ aliud eſt. Hãc vero ait eſſe principium tranſmutationis paſſiuę in patiente ab alio in quantũ aliud eſt, & quia paſſio cauſatur ex actione, & illam ſupponit: concludit actiuam & paſſiuam potentiam eſſe quodammodo vnam: dicẽs. *Manifeſtum igitur eſt quod quodam qui dem vna eſt ipſius facere & pati potentia &c.* eo quod paſſiua præſupponit actiuam, & actiua petit paſſiuam in quam operetur, & quæ illi ſubijciatur, & per conſequens ſecundum ordinẽ, & reſpectum vnius ad alteram reputantur pro vna & eadem. Deinde ab illis verbis lectionis ſecundę *cum autem quædam in animatis talia, talia principia inſunt &c.* diſtinguit omnes potentias ex parte ſubiectorum in quibus reperiuntur, & quia res habentes potentias actiuas, & paſſiuas ſunt in duplici differẽtia aliæ ſcilicet animatæ, & aliæ inanimatæ, ideo potẽtias diuidit Ariſtot. in rationales, & in irrationales, ſeu rationis expertes, inter quas hoc aſsignat diſcrimẽ, quod rationalis potentia eadem ſe habet indifferenter ad oppoſita: ſicut eadem ars medicinæ, quæ eſt quędã potentia, indifferẽter ſe habet ad ſanitatem & infirmitatem faciendam: irrationalis vero ad vnum dumtaxat effectum eſt determinata: vt virtus calefactiua ſolis ſolũ eſt cauſa per ſe calefaciendi, per quã diuiſionem Ariſtoteles indifferenter potẽtias actiuas, ac paſſiuas diuiſit, vt ex cõtextu patet, licẽt Fonſeca immerito ſentiat ſolum fieri diuiſionem potentiarum actiuarum, irrationales quoque ſubdiuiduntur in illas quæ corporibus inanimatis, & eas quæ corporibus animatis conueniunt. Poſtea à cap. 5. diſtinguit actum in ordine ad quem dicitur potentia in eum qui eſt âpota actiua, ſiue cũ motu, ſiue ſine motu fiat: & eum qui eſt paſsio, cuius principium eſt potentia paſſiua. Deinde à cap. 7. vſque in finem comparat actum & potentiam ſecũdum triplicem comparationem: hoc eſt, ſecundum ordinem prioritatis ac poſterioritatis, ſecundum bonum & malum, dicitque actum in bonis eſſe meliorem, & priorem diffinitione, quam potentia, nec non ſecundum ordinem veri ac falſi, quod fundant. Ad quorum exactam declarationem quinque quæſtiones ſunt examinandę. Prima circa diſtinctionem actus à potentia: ſecunda diſtinctionem potentiarum congenitarum à ſuis ſubiectis perueſtigabit: tertia verſatur in examinanda vtriuſque potentiæ, nimirum actiuę à paſſiua diſtinctione, mutuoque vnius ad alteram reſpectu.

Quarta

Quarta examinabit discrimen inter rationales & irrationales potẽtias assignatum. Quinta denique id ipsum in supernaturalibus potentias inquiret, vbi simul de potentia obedientiali in creaturis erit sermo: videbiturque an actiua sit ad supernaturales effectus operandum: aut tantùm passiua ad supernaturales formas recipiendas: an subiectiue supernaturalis sit, vel extrinsece & terminatiue dumtaxat nec ne?

Explicit argumentum libri noni.

QVÆSTIO I.

De distinctione inter actum & potentiam, in duos articulos diuisa.

DIuisionis huiusce, entis in actum & potentiam, sicut & aliarum, integritas ex tribus dependet conditionibus à Petro Hispano lib. 2. minoris dialecticæ c. 4. assignatis minorum, quod membra diuidentia adequentur cum diuiso, quod singula sub illo contineantur, vt inferiora sub suo superiori, & quod suis rationibus formalibus opponantur, siue distinguantur: quarum vltima in priori, prima verò in posteriori art. est examinanda.

ARTICVLVS. I.

Qua & qualis distinctio inter actum & potentiam versatur?

1 IN quo tres versantur sententiæ. Prima est Scoti & sequatium in 2. d. 12. & 16. q. 1. Ochami quæst. 24. Herici quodlib. 1. q. 10. & quodli. 3. q. 9. asserentiũ non omnem potentiam distingui realiter à suo actu: nam (inquiunt) datur potentia obiectiua media inter actiuam & passiuam quæ à suo actu sola ratione differt. Secunda est Fonsecæ hic c. 1. quæst. 1. sect. 1. & 2. asserentis in hac diuisione diuidi ens in potentiam & actum, non tanquam superius in partes subiectiuas: neque vt totũ in suas partes integrãtes, sed vt subiectum in accidentia modalia, intelligè, tanquam in modos & status eiusdem rei formaliter dumtaxat & ex natura rei distinctos, quo pacto lignum quod modo est statua in potentia, posteà sub imagine Cæsaris ex ipso cõpicta, est statua in actu: & eadem res quæ dum est in causis, dicitur in potentia, posteaquam exiit à parte rei, dicitur in actu. Hæc sententia suadetur primo, quoniam actum nihil aliud esse præter modum rei, ideſt, nihil esse aliud quam eadem rem quæ fuerat in potentia, aliter se habere per hoc quod fit in actu testantur Philosoph. hic c. 5. & lib. 8. c. 6. tex. 15. & Auerrois dicens ibi, potentiam & actum rei non facere multitudinẽ, hoc est distinctionem. Secundo, quia potentia & actus eidem enti possunt conuenire: ergo non sunt entitates distinctæ. Antecedens patet, tum in qualibet naturali potentia, v. g. calore, frigiditate &c. quæ cum sit qualitas, simul est forma & actus, atque potentia: tum etiam, quia in perpetuis teste Aristot. 3. Phisic. tex. 32. idem est esse & posse: sed esse dicit actum sicut posse nominat potentiam: ergo. Tertio, quia in Deo datur potentia actiua vere & propriè, nimirum creatiua in ordine ad res ad extra, nec non generatiua & spiratiua ad intra: quæ tamen non est principium actionis à se realiter distinctæ, nam neque actio creãdi distinguitur à potentia creatiua, neque actio generandi ab intellectu, neque spiratio distinguitur a voluntate: quia diuina potentia est suus actus, sicut quælibet diuina perfectio est summa actualitas: ergo non omnis potẽtia actiua distinguitur realiter ab actu cuius est principium. Tertia asserit potentiam & actum quatenus diuidũt ens distingui realiter, & opponi suis rationibus formalibus: nedum modalibus, quæ cõmuniter defenditur à Thomistis, de qua videndi sunt Flandrensis hic q. 1. ar. 2. q. 6. ar. 2. & Soncinas q. 1. ideoque à nobis statuitur pro conclusione. In qua assero tria. Primo quod ens creatum adequatè diuiditur per actum & potentiam. Secundo quod hæc se habent respectu entis, vt partes subiectiuæ. Tertio quod distinguntur ex natura rei saltem tanquam suis rationibus formalibus siue realitatibus.

Adequate diuiditur ens in actũ & potẽtiã.

2 Prima itaque pars asserti probatur, supponendo diuisum in hac diuisione esse ens creatum, idem omninò quod Philosophus lib. 5. in decem diuiserat prædicamẽta, & licèt horum vnumquodque possit cõgruenter diuidi per actum & potentiam quæ sunt partes integrantes, quia vnumquodque prædicamentum constat ex materia & forma, aut ex essentia & existẽtia, aut in suis inferioribus, ex genere & differentia: nec nõ quodlibet genus entis diuidi potest per actum & potentiam, ideſt per modos illos essendi intra vel extra causas: tamen diuisio per actum & potentiam prout partes subiectiuæ realiter distinctæ soli enti creato vt sic, potest adaptari. Potentia

quoque

quoque ſubdiuiditur in actiuam & paſsiuã ex duobus generibus cauſalitatis, ſcilicet efficientis ac materialis deſumptas (neque enim ex alijs duobus generibus, ſcilicet cauſæ formalis ac finalis poteſt deſumi tertium genus potentiæ) & vtraque adhuc ſubdiuiditur in eam quæ eſt cum motu, & eam quæ eſt ſine motu. Rurſus actus prout hic conditinguitur contra potentiam, eſt duplex in genere, nimirum aut primus, aut ſecũdus: ſi primus, aut eſt actus eſſendi qui eſt exiſtẽtia, quæ actualitas actualitatum merito nũcupatur, quia omnis forma eſt in potẽtia reſpectu illius: aut eſt forma ſubſiſtens, vt Angelus: aut informans, vt anima equi, & albedo, ſi ſit actus ſecundus, aut eſt cum motu qualis eſt actio tranſiens, v.g. calefactio, ſub quo etiam paſsio comprehenditur: aut eſt ſine motu, qualis eſt actio immanens, ſiue ſpiritualis, vt volitio & intellectio. Quo ſuppoſito, oſtenditur prima pars: quoniam hic diuiditur ens creatum commune ad decem genera, vt dictum eſt: ſed nullum eſt ens creatũ in particulari, quod non ſit actus aut potẽtia, aliquo ex modis recenſitis: vt inductione cõuinci poteſt: ergo adequata eſt dicta diuiſio. Deinde ſecunda pars noſtri aſſerti probatur contra ſecũdam ſententiã; tum quia à D. Tho. quæſt. 1. de potentia art. 1. & lect. 1. huius, hæc diuiſio entis aprobatur, quatenus actus & potentia ſupponũt pro diuerſis rebus, inferioribuſque ad ens. Tum etiã quia nullum eſt ens prædicamentale, quod in re, non ſit, vel potentia actiua, vel paſsiua, vel actus primus, aut ſecundus: ſi enim aliquod eſſet, maximè compoſitum naturale ſiue artificiale, vt vult Fonſeca: ſed hoc non ſubterfugit rationem potẽtiæ vel actus: quia compoſitum naturale ſubſtantiale adminus eſt potentia paſsiua reſpectu accidentium: accidentale vero aut eſt concretum potentiæ actiuæ, vt calidũ, aut paſsiuæ vt quantum: aut eſt actus concretiuè, quia eſt actuatum per formam: ergo membra huius diuiſionis ſunt partes ſubiectiuæ entis. Denique tertia pars probatur. Tum quia teſte Philoſopho ca. 7. huius, actus & potentia comparantur ſecundum ordinẽ prioris & poſterioris, cauſæ & effectus, principij & principiati: quæ comparatio ſupponit, vel arguit realem diſtinctionẽ: nihil enim ad ſe ipſum poteſt comparari, vt prius, vel vt cauſa: ergo. Tũ etiam, quia Philoſophus arguens hic text. 6. cõtra eos qui dicebant nihil eſſe in potentia niſi quãdo eſt in actu, infert pro inconuenienti, quod alias idem eſſet actus & potentia. Inter quæ etiam 2. de anima text. 6. ait verſari non paruam diſtãtiam. Tum denique quia obiectum & terminus potentiæ actiuæ, eſt actus, quia eſt id quod producitur & ponitur extra cauſas: ergo non poteſt conſtituere alterum membrum oppoſitum diuiſionis quod eſt potentia: ac proinde neque eſt potentia obiectiua media inter actũ & potentiam.

3 Ex hoc patet ad fundamentum primæ ſententiæ. Ad primum autem ſecundæ reſpondetur nihil conuinci cõtra nos ex illis teſtimonijs, quia illa dictio in accipitur à Philoſopho intranſitiue, ita vt ſenſus ſit quod res ipſa quæ antea erat in potẽtia, modo aliter ſe habet, ideſt, quia eſt alia res ſcilicèt ipſe actus vel ens actuale. Commentator autem propterea ait actum & potentiam non facere multitudinem, quia ex materia & forma de quibus agebat, conſtituitur vnum ens per ſe ſcilicet compoſitum. Ad ſecundum reſpondetur eidem enti conuenire actum & potentiam, vel ſecũdum diuerſas partes, vel reſpectu diuerſorum: ex quo paret ad primam probationẽ antecedentis, quia eadem qualitas quæ per ordinem ab ſubiectum eſt actus, per ordinem ad ſuam operationem eſt potẽtia. Ad ſecundam reſpondet D. Tho. in dicto art. 1. de potentia ad 6. vel quod potentia & actus in perpetuis, ideſt in Deo ſunt idem, quia in illo potentia & eſſe ſunt idem formaliter, vel quod in perpetuis ideſt in Angelis & corporibus celeſtibus potentia & actus ſcilicet eſſentia & exiſtentia ſunt idẽ ſecũdum durationem, quia vtriuſque eadẽ eſt duratio: ſed non ſecundum realitatem. Ad tertium reſpondetur, vel admiſo antecedente negando cõſequentiam: quia hic diuiditur ens creatum, ac proinde potentia diuina non comprehenditur ſub diuiſo huius diuiſionis, vel admiſo quod etiam cõprehẽdatur, quatũ diuiſum ſit ens vt abſtrahit à creato & increato, tunc dicendum eſt potentiam diuinam actiuam ſaluari quidẽ propriè teſte Caiet. 1. p. q. 41. art. 4. non reſpectu actionis elicitæ cuius non eſt principium, ſed reſpectu ſolius termini producti cuius vere potentia eſt principium productiuum, & à quo realiter diſtinguitur: vt potentia creatiua à creatura, & generatiua à filio realiter diſtinguitur, ſicut diſtinguitur paternitas ab ipſo filio, quia potẽtia generatiua non eſt intellectus abſolute conſideratus, ſed vt affectus paternitate & illi aſſociatus, qui vt ſic eſt notionalis & proprius Patri, à Filioque diſtinctus, & illi nequaquam communicatus.

Arti-

ARTICVLVS. II.

An præter potentiã actiuã, & passiuã detur alia quæ appellatur obiectiuã?

1 EX præcedenti articulo constat ens diuidi per actum & potentiam tanquam per membra realiter distincta, quorum illud actus primus & secundus. Hoc vero potentias reales actiuam, scilicet, & passiuam dumtaxat comprehendit, vt igitur manifestum fiat hanc diuisionem adequatam esse, restat omnem aliam potentiam & actum à prædictis excludere, & quia ex scholasticis non nulli actus & potentias obiectiuas distinctas arcensitis in articulo superiori, addiderunt, opere prætium est nũc ad controuersiam descendere, eorumque sententiam redarguere, & fundamenta labefactare: in hac igitur controuersia. Tres versantur sententiæ, prima Scoti, Ochami & Alensis, quos supra recensuimus, asserentium dare præter actiuam & passiuam potentiam & actus eis correspondentes, potentiam quandam realem obiectiuam & actum entitatiuum ei correspondentem: vocant autem potentiam obiectiuam, illam quam habet vna quæque creatura antequam existat, & secũdum quam est possibilis, habens quoddam esse obiectiuum, vel actum vere entitatiuum dicunt esse, eandem rem cum actu existit in rerum natura. Secunda sententia est Fonsecæ huic affinis, hic, quæst. 3. sect. 3, asserentis quod sicut datur potentia actiua ex parte causæ efficientis, & potentia passiua ex parte causæ materialis: ita ex parte causæ finalis datur potentia obiectiua, & sicut alia est causa finalis à materiali & efficienti: ita alia est potẽtia ab illis quæ secundum materialem & efficientem desumuntur, subditque hoc inter esse discrimẽ quod potẽtia actiua & passiua sicut & causa efficiens ac materialis tantum sunt rerũ existentium, obiectiua autem cum sit potentia finis est rerum antequam existant, sicut & finis potest finalizare antequã habeat esse in rerum natura.

In duobus tamen à sententia prima discriminatur auctor huius secundæ, primo in eo quod non admittit res faciendas esse in potentia sui ipsarum antequam existant quod tamen admittunt & suponunt auctores primæ tententiæ. Secundo in eo quod nõ credit ideo res creabiles esse possibiles: quia secundum se & sine respectu ad diuinam omnipotentiam sunt possibiles sicut tradunt auctores primæ sententiæ, ipse vero Fonseca ait res omnes infra Deum, ideo dici & esse possibiles, quia dependent ab illo essentiali dependentia, tanquam acausa finali, exemplari & efficienti. Tertia sententia nullã admittit realem potentiam, ab actiua & passiua distinctam. Ac proinde asserit potentiam obiectiuam, aut nullã esse, aut à passiua & actiua nullatenus distingui. Hanc late docent & pluribus exornant Caietanus 1. p. q. 14. artic. 5. Soncinas hic q. 2. & 4. Capræolus in 1. d. 3. q. 3. art. 2. & in 2. d. 13. q. 1. ad quintum, Scoti 2. loco contra primã, & Bañez 1. de generatione c. 1. dub. vltimo. ¶ Respondeo dicendũ 1. nullam dari potentiam obiectiuam realem secundum quam res faciendæ aut fictibiles antequam fiant, habeant aliquod esse reale à suis causis distinctum, hæc conclusio statuitur aduersus auctores primæ sententiæ & probatur 1. quia Philosofus & Commentator qui in locis supra allegatis ens per actũ & potentiam diuisserunt talem potentiam obiectiuam nec agnouerunt nec nominarunt, & licèt argumentum ab auctoritate, negatiue non semper teneat tamẽ recte tenet quando ab auctoritate eorum qui sciẽtiam & eius obiecti notitiã sufficienter tradere debuerunt vt egregie adnotat Soncinas: ergo cũ Philosofus & eius veteres interprætes dum de potentiarum & actuum distinctione sufficientem & exactam notitiam tradere intendebant, obiectiuam potentiam omisserunt, signum est illã esse omnino fictitiam. Secundo: nam potentia obiectiua solũ ponitur vt det rebus antequã fiant, esse possibile obiectiuum; sed ad hoc nõ est necessaria: ergo est prorsus inutilis. Maior supponitur ex sententia quam impugnamus, & probatur minor: quia possibile obiectiuum aut est obiectum potentiæ actiuæ aut passiuæ: ergo sufficit actiua potentia & passiua ad dãdũ tale esse possibile. Antecedens patet: quia nullum obiectum producibile potest esse respectu sui producibile, sed necesse est quod sit obiectũ producibile respectu alterius à se, in quo sit principiũ per quod possit res possibilis poni in esse, principium autẽ hoc, aut est potentia actiua, aut passiua: ergo. Tertio nullum implicans contradictionẽ potest poni differẽtia entis realis: sed huiusmodi potentia obiectiua implicat cõtradictionẽ: ergo nequit poni differẽtia entis realis à passiua & actiua potẽtia cõdistincta. Min. probatur: quia potẽtia obiectiua rei possibilis est ad se ipsam: ita q̃ idẽ numero est potentia & actus succesiue, secũdũ prefatos auctores. Rursus potentia vt sic reste Commẽta-

tore hic commento ſecundo dicit ordinem ad aliquem actum cum carentia illius diſpoſitionis quam habet res dum eſt in in actu, ſicut dum oculus eſt in potentia ad videndum ſubeſt carentiæ actualis viſionis. Sed res poſsibilis ante quam fiat nequit habere carentiam illius diſpoſitionis quam per ſui productionem eſt adquiſitura: quia habere talem carentiam ſupponit ſubiectum ſiue ſubſtractum illius: res autem quæ per creationē fit ex nullo præſuppoſito ſubiecto nequit eſſe antequam fiat ſubiectum talis carentiæ: ergo implicat manifeſtam cōtradictionem poſitio talis potentiæ obiectiuæ.

Quarto probatur, ab inconuenienti. Ex illa enim ſequitur deſtrui creationem, & anihilationem rerum, atque poni aliquid reale extra Deum in creatum & illi coæternum, hæc autem ſunt inconuenientia repugnantia ſanæ doctrinæ: ergo & illud ex quo ſequuntur: oſtendo ſingulas partes conſequentis, quod enim deſtruatur creatio patet; nam ſi mundus antequam productus fuit, habuit aliquod eſſe reale obiectiuum poſsibilitatis: ergo eius productio non fuit ex nihilo, omnino ſed de aliquo eſſe ipſius mundi quod tamen repugnat rationi creationis quæ eſt productio totius entis ita vt nullū eſſe præſuponat rei producendæ: quod autem & anihilatio redatur impoſsibilis patet: nam quacumque creatura per Dei omnipotentiam deſtructa ſecundum totam eius entitatem: adhuc talis creatura retinet eſſe obiectiuum poſsibile: quia adhuc Deus habet omnipotentiam ad illam reproducendam: ergo ſi illud eſt aliquod reale eſſe, nequit Deus deſtruere totum eſſe rei creatæ: ac proinde anihilatio eſt impoſsibilis: quia importat omnimodam entis deſtructionem. Denique probatur tertium inconueniens: nam vel illud eſſe obiectiuum fuit creatum à Deo in tempore, vel abæterno, nō primum: quia ante temporalem productionem creatura poſsibilis habuit eſſe poſsibile obiectiuū: non ſecundum: nam abæterno nulla res fuit producta ad extra, eſt enim articulus fidei Deum omnia feciſſe in tempore. Rurſus ab æterno actus diuini intellectus nihil produxit, ſolum enim exequebatur munus actionis inmanentis, ſcilicet, intellectionis quæ vt ſic nihil producit ad extra, ſed ſolum denominat extrinſeca denominatione obiectum cognitum, & in hoc deceptos exiſtimo fuiſſe Scotum & Henricum, quod extrinſecam denominationem rei poſsibilis, verum ac poſitiuum eſſe ipſius rei poſsibilis fecerunt: ex quo vltimum deſumitur aduerſus eos argumentum, res antequam fiat ſolum dicitur poſsibilis per extrinſecam denominationem à ſuis cauſis ſiue à potentia cauſæ in qua continetur: ergo nullum eſſe habet diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ. Conſequentia patet; quia denominatio extrinſeca nullum eſſe reale ponit diſtinctum à forma denominante, qua ratione eſſe viſum proueniens à viſione nullum eſſe ponit in obiecto viſo diſtinctum à viſione. Antecedens autem probatur, ſicut enim res denominantur cognitæ & viſæ extrinſice à cognitione & viſione alterius: ita à potentia alterius denominantur poſsibiles, vnde ſicut poſita viſione & obiecto aplicato abſque alio eſſe reali, obiectum erit viſum: ita poſita & aplicata potentia facientis ad operandum ſequetur productio rei quæ antea non erat abſque alio eſſe reali obiectiuo. Confirmatur nam ſicut creatura antequam fieret ex nihilō denominabatur cognita extrinſece à diuino intellectu qui illam cognoſcebat: ita denominabatur poſsibilis, vel creabilis à potentia Dei creatiua quæ illam poterat creare: ergo ſicut ad illud eſſe cognitum non oportet ponere aliquam potentiam obiectiuam diſtinctam à diuino intellectu: ita neque ad eſſe obiectiuum creabile oportet ponere aliquam potentiam obiectiuam diſtinctam à potentia creatiua Dei. Antecedens probatur: quia ſicut cognitio intellectiua nedum diuini, ſed etiam humani intellectus eſt potens denominare per ſe ipſam rem cognitam: quin producat aliquid reale in illa: ita potentia factiua etiam creata (nedum increata Dei) eſt potens per ſe ipſam denominare rem factibilem quin in illa aliquid reale producat. Hijs adde, quod cum denominatio creabilis aut factibilis proueniat à potentia factiua ſiue creatiua in actu primo, prout præuenit omnem actum ſecundum, nequit eſſe aliquod eſſe reale iure denominata, a potentia enim operatiua prout præuenit omnem actū ſecundum nihil reale poteſt produci.

5. Dico ſecundo, nulla datur potentia obiectiua cauſæ finalis, ab actiua & paſsiua conditincta: hæc ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo: nam totum eſſe obiectiuum rei poſsibilis antequam fiat eſt denominatio extrinſeca à cauſis exiſtentibus in quibus virtualiter præhabetur

betur proueniens vt dictum eſt, huiuſmodi autem cauſæ ſolum ſunt efficiens ſecundum quam ſumitur potentia actiua, & materialis cuius eſt potentia paſsiua (formalis namque extrinſeca vt idea reducitur ad efficientem, intrinſeca vero, vt forma informans tenet ſe ex parte actus per quem effectus reducitur de potentia ad actum) ergo ſuperflua & ocioſa eſſet omninò alia potentia cauſæ finalis. Secundo: nam finis proximus rei faciendæ eſt ipſa res prout ponenda extra cauſas, vel eſt forma illius, finis enim generationis ignis eſt forma ipſius ignis: ſed ignis antequam fiat nullum eſſe habet diſtinctum à cauſa efficienti & materiali quæ ipſius productioni præſupponuntur: ergo. Neque finis ignis producendi antequam exiſtat habet aliquod eſſe reale diſtinctum à cauſa efficienti & materiali. Tertio nam nulla res antequam fiat poteſt dici eſſe in potentia illius, quod nõ exiſtit vt ipſe Fonſeca admittit vbi ſupra, §. *duo tamen*: ſed finis proximus antequam res fiat non exiſtit à parte rei: ergo effectus poſsibilis non poteſt dici quod exiſtat in potentia ſui finis: quia ſicut finis ipſe dum eſt in intentione nullum eſſe reale habet: ita neque potentia illius habet aliquod eſſe reale diſtinctum ab actiua & paſsiua potentia, quæ effectui producendo debent præſupponi (ſi tamen à materiali cauſa dependens ſit, alioquim ſola cauſa efficiens de neceſsitate præſupponitur.) Denique arguitur ad hominem: nam ipſe Fonſeca, §. prælegato ait: ſe non conuenire cum auctoribus primæ ſententiæ in eo quod aſſerunt rem faciendam antequam fiat eſſe in potentia ſui ipſius. Sed admittens potentiam obiectiuam cauſæ finalis, tenetur admittere rem faciendam eſſe in potentia ſui ipſius: ergo ſibi non conſtat. Minor patet: quia potentia finis ſecundum hunc auctorem eſt ipſamet res antequam exiſtat obiecta, vt res facienda, & actus entitatiuus eſt eadem res, vt iam effecta & poſsita extra cauſas, verbi gratia, ſanitas aprehenſa ab infirmo prout obiecta illi & potens illum mouere ad ſui adquiſitionem eſt potentia finalis obiectiua, & eadem ſanitas prout extra cauſas eſt actus entitatiuus: ergo ſi ſanitas in primo ſtatu fuit potentia ad ſe ipſam, in ſecundo eadem fuit in potentia ſui ipſius. Sed contra arguitur primo: nam in omni ſubiecto eſt duplex potentia altera ad formam, & altera ad eſſe formam, verbi gratia, in materia ligni eſt potentia vt poſsit tranſmutari ad formam ignis, & eſt potentia vt aliquid ibi fiat forma ignis: ſed licèt prima potentia ſit ipſa materia, tamen ſecunda potentia, non eſt ipſa materia, quæ nequit eſſe forma: ſed eſt id quod poteſt eſſe forma: ergo cum hæc potentia non ſit paſsiua ſicut potentia materiæ: nec actiua, quia non eſt in agente, erit obiectiua, & aliàs cum ſolum id poſsit eſſe forma, quod eſt idem cum forma, ſcilicet forma poſsibilis, potentia obiectiua ab actu entitatiuo non diſtinguitur niſi penes modos diuerſos ſe habendi. Confirmatur: nam potentia dicitur in ordine ad actum: ſed quælibet res antequam producatur poteſt produci: ergo reſpicit actualem ſui productionem tanquam actum ad quem reducitur de potentia poſsibilitatis, quando actu producitur. Ad hoc argomentum quod eſt potiſsimum fundamentum primæ ſententiæ, reſpondetur negando maiorem: nam potentia ad tranſmutari, & ad eſſe formæ, eadem eſt ſecundum rem licèt explicetur per diuerſos reſpectus ad plures terminos, ſicut & reſpectus materiæ ad formam hominis, alius eſt à reſpectu quem dicit ad formam Leonis, alius in quã alietate rationis, quæ non obſtat identitati ſecundum rem, vnde ſicut potentia ad trãſmutationem non eſt aliquid motus, ſed eſt materia ipſa: ita potentia ad eſſe formæ nõ eſt aliquid formæ, ſed eſt ipſa materia de qua poteſt educi forma.

Ad confirmationem diſtinguo minorem, quælibet res antequam producatur poteſt produci per potentiam ſibi intrinſecam & identificatam nego minorem, poteſt produci per potentiam agentis & materiæ, concedo illam & in eodem ſenſu cõcedo conſequentiam, quod potentia agentis & materiæ reſpicit productionem talis aut formæ quæ erat antea poſsibilis. Secundo arguitur materia prima, licèt ſit expers actus informantis, tamen non eſt expers actus entitatiui ſiquidem actu eſt producta extra cauſas, & per ſuam entitatem actu terminabit creationem, ſiue concreationem: ergo ante huiuſmodi actum entitatiuum fuit in potentia: patet conſequentia: quia omnem actum præcedit aliqua potentia, tunc vltra: ſed illa potentia non fuit niſi obiectiua per quam materia habuit eſſe obiectiuũ poſsibile: ergo. Ad hoc argumentũ reſpondetur quod admiſſo in materia prima eſſe talem actum entitatiuum ad quem ſuadendum auctores primæ ſententiæ totum negotium huius controuerſiæ ſuſceperunt: re enim ve-

actus ille entitatiuus non eſt aliud ab entitate potentiali materiæ primæ, neque extrahit illam à ratione puræ potentiæ ſicut neque actus methaphiſicus, ideſt vltimæ differentiæ quem nos ſuperius illi adſcripſimus: neganda eſt conſequentia ad mentem horum auctorum, vel diſtinguendum eſt conſequens in hunc modum præceſſit aliqua potentia actiua per quam eſſet poſsibilis produci hic actus entitatiuus concedo, præceſſit aliqua potentia intrinſeca ipſi materiæ & diſtincta à potentia agentis, nego conſequentiam: quinimo ſi talis potentia præceſſiſſet non poſſet creari materia prima, aut fieri ex nihilo vt oſtenſum ſatis eſt. Tertio arguitur, res antequam fiant ſunt poſsibiles fieri in actu, & non ſunt poſsibiles præciſe: quia poſsint effici per potentiam agentis, ſed ex ſe ſunt poſsibiles, ita vt circonſcripta omnipotentia agentis & extrinſeco denominantes adhuc ab intrinſeco ſunt poſsibiles: ergo per aliquod ſibi intrinſecum, ac proinde habent intrinſecam aliquam poſsibilitatem à qua dicantur & ſint poſsibiles, quę non eſt alia à potentia obiectiua, ſecundum quam obijciuntur potētiæ agentis vt poſsibiles. Confirmatur hoc argumentum tripliciter, primo quia omnis non repugnantia eſt aliqua potentia, vel fundatur in illa: ſed creaturæ poſsibiles antequam fiant habent intrinſecam non repugnantiam: ergo habent aliquam potentiam intrinſecam in qua talis non repugnantia fundetur. Secundo quia teſte Diuo Thoma 1. part. quæſtione 25. artic. 3. poſsibile quod eſt obiectum omnipotentiæ, non eſt illud quod denominatur poſsibile ab extrinſeca Dei omnipotentia. Cuius rationem aſsignat dicens: quod ſi poſsibile ad quod extenditur diuina omnipotentia eſſet illud quod Deus poteſt facere, diffiniretur idem per idem, atque indiſſinitione obiecti, & ipſius omnipotentiæ committeretur nugatio, ſiue inanis repetitio: nam idem eſſet dicere omnipotentia eſt potentia extendens ſe ad omnia poſsibilia, atque dicere, eſt potentia extendens ſe ad omnia quæ poteſt diuina omnipotentia, & ſimiliter dicere, poſsibile eſt quod poteſt Deus facere, eſſet idem atque dicere, poſsibile eſt id quod poteſt diuina omnipotentia, & ſic diuinam omnipotentiam extendi ad omnia poſsibilia, eſſet idē atque illam extendi ad omnia ad quæ ſe poteſt extendere. Et cum hoc ſit inconueniens, illo reiecto colligit Diuus Thomas poſsibile obiectum diuinæ omnipotentiæ eſſe illud quod in ſe & ex ſe eſt poſsibile & non inuoluens contradictionem: quia ſcilicèt prædicatum ſubiecto non repugnat, ex quo teſtimonio tale deducimus argumentum, obiectum diuinæ omnipotentiæ ab intrinſeco eſt poſsibile, & non per extrinſecam denominationem ſumptam à diuina omnipotentia: ſed creaturæ antequam fierent fuerunt obiectum diuinę omnipotentiæ ſub ratione poſsibilis: ergo ab intrinſeco fuerunt poſsibiles ac proinde fuit in illis potentia obiectiua per quā ſub ratione poſsibilis diuinæ omnipotentiæ obijciebantur.

Tertio nam res ſunt impoſsibiles non quiā à Deo fieri non poſſunt, ſed ab intrinſeco & ex ſe repugnant fieri: ergo ſimiliter erunt poſsibiles non quia à Deo fieri poſsint, ſed quiā ab intrinſeco & ex ſe ſunt poſsibiles, patet conſequentia: quia nō eſt maior ratio, quare poſsibilitas reducatur in potentiā extrinſecā facientis, & impoſsibilitas nō reducatur in negationē extrinſecę potētiæ ſeu in impotentiā facientis, quinimo ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio debet eſſe cauſa negationis, & ē cōtra: vnde ſi poſsibilitatis ratio eſt potentia extrinſeca facientis, etiam ratio impoſsibilitatis rerum debet eſſe extrinſeca negatio potentiæ facientis, ſeu impotentia illius, & è contra ſi impoſsibilitas reducitur in intrinſecam rei repugnantiam, etiā poſsibilitas debet reduci in intrinſecam rei potentiam ſiue non repugnantiam. Reſpondetur ad hoc argumentum prænotando quod quando dicitur rem aliquam, verbi gratia, hominem exiſtere, eſt poſsibile antequam fiat, illud verbum *eſt* dupliciter poteſt accipi, poteſt enim, & abſolui à tempore, & ſic ſolam connexionem prædicati cum ſubiecto, ſeu aptitudinem ad exiſtendum prædicat de homine ſecundum ſe: & poteſt non abſolui à tempore & ſic importat eſſe quoddam actualis exiſtentię: & cum homo antequam fieret, nullum habuerit eſſe intrinſecum exiſtentiæ realis in ſe: ſed tantum in ſuis cauſis, propterea per illud eſſe dumtaxat ſuarum cauſarum potuit eſſe poſsibilis realiter, hoc ſuppoſito ad formam argumenti diſtingo minorem pro ſecunda parte ex ſe ſunt poſsibiles, ſi ly, *ſunt*, dicat ſolam eſſentialium prædicatorum connexionem concedo: quia ſicut hoc pacto dicimus rerum eſſentias eſſe æternas, ita poſſumus dicere eſſe ex ſe poſsibiles & factibiles, ſi vero

ly,

ly, ſunt, dicat eſſe exiſtentiæ, nego minorem: quia ſecundum huiuſmodi eſſe, non ſunt in ſe poſsibiles, ſed dumtaxat per eſſe quod habent in potentia Dei, quod eſt diuinum eſſe, & cum hoc ſit extrinſecum rebus, propterea per extrinſecam denominationem dicuntur eſſe poſſibiles antequam fiant. Ad primam confirmationem nego maiorem, vel diſtingo illam, omnis non repugnantia eſt potentia logica, ſiue negatiua eſt potentia phiſica realis & poſitiua nego. Hæc enim non eſt niſi in cauſa aliqua exiſtente materiali, ſcilicet aut efficienti præhabente virtualiter effectum: illa autem negatio repugnantiæ cum rationis quidpiam ſit, non requirit pro fundamento rem ipſam actu exiſtentem: ſed conſequitur ad eſſentialem prædicatorum ipſius rei etiam non exiſtentis connexionem, ſicut negatio lapidis fundatur in eſſentia hominis, independenter ab eius exiſtentia ita vt hæc ſit æternæ veritatis homo eſt non lapis, ſicut hæc homo eſt rationalis. Ad ſecundam dico quod Diuus Thom. ſolum vult obiectum omnipotentiæ Dei quæ diffinitur per hoc quod ſit potentia ad omnia poſsibilia abſolute ſe extendens, non eſſe ipſas res, ſecundum illud eſſe exiſtentiæ quod habent in diuina omnipotentia, & à quo extrinſece denominantur poſsibiles, ſed ſecundum eſſe eſſentiæ quod ex ſe habent ſi verbum *habent* etiam abſoluatur à tempore, & idem denotet quod verbum *conuenit*, etenim res factibiles adeo ſecundum eſſe eſſentiæ fundantes negationem repugnantiæ ſunt poſsibiles poſsibilitate eſſentiali, & prædicamentali, vt ſic loquamur, quæ poteſt dici poſsibilitas logica ſeu negatiua, comparatione facta ad potentiam, ſeu poſsibilitatem phiſicam rei factibilis non ſolam ſed vt negationi repugnantiæ aſsociatam: tum etiam quia conuenit rebus antequam exiſtant, nullumque eſſe exiſtentiæ expoſcit vt illas denominet poſsibiles: cum hoc tamen ſtat, quod ſecundum eſſe phiſicum & poſitiuum talis poſsibilitas non conueniat rebus niſi prout in diuina omnipotentia ſunt, & ab illa denominantur iuxta quam diſtinctionem diſtinguenda eſt maior argumenti deſumpti ex teſtimonio Angelici Doctoris. Ad tertiam reſpondetur diſtinguendo ſimiliter conſequens, res erunt poſsibiles, quia ex ſe & ab extrinſeco poſſunt fieri, poſsibilitate logica, ſeu negatiua quę per negationem repugnantiæ completur & ad eſſentialium prædicatorum connexionem conſequitur, concedo conſequentiam, erunt poſsibiles ab intrinſeco, & ex ſe poſsibilitate poſitiua, & phiſica ab aliqua poſitiua & reali potentia prouenienti nego, huiuſmodi enim poſsibilitate, tantum ſunt poſsibiles poſsibilitate extrinſeca à potentia extrinſeca facientis prouenientes: & ratio diſcriminis eſt manifeſta inter impoſsibilitatem, & huiuſmodi poſitiuam poſsibilitatem: quia cum impoſsibilitas in negatione entis conſiſtat nequit contineri in aliqua cauſa, & ideo nequit ex virtute alicuius cauſæ ad res ipſas deriuari, ſed eis, hoc eſt non entibus ex ſe, & ab intrinſeco conuenit: at poſsibilitas poſitiua & realis, ab aliqua potentia in cuius virtute res aliqua præhabetur, ad rem ipſam poteſt ac debet deriuari.

Quarto arguitur: nam potentia & actus ſunt in eodem genere teſte Philoſopho in hoc libro capite 5. ſed hoc nequit habere verum de potentia actiua & paſsiua, ſuperficies namque eſt in potentia ad albedinem, quæ eſt alterius prædicamenti ab illa: ergo debet intelligi de potentia obiectiua, & de hac eſt verum quod alibi dixit Philoſophus, ſcilicet tertio phiſicorum text. 3. & 6. quod actus & potentia ſicut diuidunt ens, ita & quolibet genus entis, hoc enim ſolum de actu entitatiuo & potentia obiectiua poteſt verificari, alioquin multa ſunt genera in quibus non reperiuntur ſimul actus & potentia actiua vel paſsiua vt etiam ſuperius aduertimus; ergo. Cõgruentius hoc argumentum quæſtione ſequenti ſoluetur vbi de veritate huius axiomatis ex profeſſo dicturi ſumus.

QVÆSTIO II.

De diſtinctione potentiarum congenitarum à ſuis ſubiectis in duos articulos diuiſa.

QVIA potentiam eſſe eiuſdem generis cum actu ad quem ordinatur, teſtatur Philoſophus in hoc libro, eſtque axioma vulgare ab omnibus Philoſophis & metaphiſicis acceptum, actus autem aliquando eſt accidentalis, hoc eſt, de genere accidentis, ex quo fit conſequens & potẽtiam debere eſſe de genere accidentis, ſicut & quando

eſt actus ſubſtantialis, potentia degenere ſubſtantiæ debet eſſe, & conſequenter ſi potentia quæ eſt ſubſtantię proprietas & paſsio ad eius eſſentiam conſecuta, eſt eiuſdem generis cũ actu accidentali, debet eſſe accidens, vel eiuſdem vel diuerſi prædicamenti: ac proinde debet à ſubſtantia cuius eſt potentia ac proprietas, realiter diſtingui, opportet in præſentiarum examinata iam diſtinctione qua potentiæ ab actibus diſtinguntur, illam examinare qua potentię à ſubiectis diuerſificãtur vt ex illius examine veritas præfati axiomatis pateſiat, quod vt opere compleamus duos articulos incontrouerſiam adducemus, in quorũ altero videndum eſt quãta & qualis diſtinctio inter potentiam ordinatam ad actum accidentalem, & ſubiectum illius verſetur, in altero vero an tanta ſit vt poſsint ad inuicem per potentiam Dei abſolutam ſeparari.

ARTICVLVS. I.

An potentiæ naturales ſubſtantijs congenitæ ab ipſis realiter diſtinguantur?

IN hoc dubio tres verſantur ſentẽtiæ. Prima nominalium aſſerentium vniuerſaliter potentias congenitas à ſubiectis ſola ratione diſtingui. Cui ſententię expreſſe ſubſcribit Durandus in 1. d. 3. q. 4. in 2. parte diſtinctionis, dum aſſerit potẽtias vegetatiuas inuiuentibus ſola ratione diſtingui ab animabus, & in 2. d. 5. q. 5. ait eſſentiam Angeli & potẽtias eſſe idem realiter ſolaque ratione diſtingui.

7 Secunda eſt Scoti in 2. d. 16. q. 1. & in 4. d. 12. q. 3. atque eius diſcipulorum in eiſdem locis aſſerentium cum ſuo autore potẽtias regenitas & earum ſubiectum entitatiue eſſe eidem, diſtingui tamen ex natura rei ſuis rationibus formalibus. Tertia aſſerit diſtingui realiter entitatiue ita vt alia ſit potentiæ entitas, & alia ſit entitas congenitæ potentiæ, hanc docet D. Tho. pluribus in locis potiſsime 1. p. q. 77. art. 1. q. de anima artic. 13. & in hoc libro lect. 5. quem ſequitur Caietanus & Bañeſius in articulo præallegato 1. partis, Flandrenſis 5. huius q. 13. art. 1. q. 15. art. 3. & in hoc nono q. 1. art. 4. & quæſt. 6. art. 2. Capræolus quoque in 1. d. 3. q. 3. art. 2. ad primum Scoti & d. 8. q. 2. ad tertium, & Soto in logica cap. de proprio q. 2. Reſpondeo dicendũ primo potẽtiam ordinatam ad actum ſubſtantialem poſſe formaliter identificari cũ re cuius eſt potentia: ſecus autem quando eſt potentia ad actum accidentalem ordinata, hæc concluſio quoad primam partem eſt communis, trium recenſitarum opinionum auctoribus, & probatur: nam quando potentia ad actum ſubſtantialem ordinatur, debet eſſe ſubſtantialis, ſicut & actus ad quem ordinatur, potentia autem ſubſtantialis, nõ eſt cur diſtinguatur ex natura rei à ſubſtãtia cuius eſt potentia, quo pacto potentia materiæ primæ ad recipiẽdas formas ſubſtantiales non ponit in numero cum materia prima ſed eſt ipſa materiæ primæ entitas prout apta nata formas ſubſtantiales recipere: ergo quando potentia ad actum ſubſtantialem ordinatur non debet ex natura rei à ſubiecto cuius eſt potentia diſtingui. Secunda verò pars ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, & probatur primo: quia nulla ſubſtãtia creata eſt ſua potentia ad actum accidentalem proximè ordinata: ideſt per quam vel proxime operatur, vel proxime patitur aut recipit formam accidentalem: ergo nequit potentia actiua aut paſsiua ad actum accidentalem proximæ ordinata eſſe idem formaliter cum re: ideſt cũ ſubiecto cuius eſt potentia: antecedens probatur quia ſubſtãtia creata non eſt immediate operatiua, cuius ratio eſt quia ſubſtantia ſecundum ſuã eſſentiam reſpicit eſſe, & ſolum ordinatur ad eſſe & non ad operari aut pati: ergo potentiæ quibus proxime operatur aut patitur habent ſe ex additione reali ad illam. Confirmatur: nam hac ratione D. Tho. 1. p. q. 6. art. 3. probat Deum eſſe bonũ & perfectum per eſſentiam quia eſt ſua operatio & ſua potentia operatiua. Sed ſolius Dei eſt proprium eſſe bonum per eſſentiã: ergo ſolius diuinæ ſubſtantiæ eſt identificare ſibi ſuam operationem & potẽtiam. Secundo nam alias idem pateretur & ageret ſecũdum idem formaliter conſequens eſt prorſus impoſsibile: ergo & antecedens, ſequæla probatur: nam quando aqua frigefacit aliquod paſum, & ſimul repatitur ab illo, tunc ſecundum ſuam ſubſtãtiam eſſet agens, & ſecundum eandẽ formaliter eſſet patiens quia eius ſubſtantia eſſet ſimul potentia actiua & paſsiua, ratio agendi & ratio recipiendi. Tertio nam ſequitur quod potentiæ actiuæ & paſsiuæ, animæ & potẽtiæ organicę, atque non organicæ non diſtinguerẽtur ex natura rei, eõſequẽs eſt falſum: ergo. Sequela, probatur quia illę potentiæ ſunt idem quæ identificantur cum vno tertio; ſed potentiæ prædictæ ſecundum

Quæ potentiæ à ſuis ſubiectis diſtinguãtur.

dum

dum oppoſitam ſententiam identificantur cum tertio ſcilicet cum anima igitur plane identificarentur inter ſe: ſiquidem extrema eũ nequeunt rationes formaliter diuerſæ vni tertio formaliter identificari: minor autem patet: quia apud Philoſophum 5. huius cap. 12. & in hoc 19. ca. 1. potentia diuiditur in actiuam & paſsiuam, tanquam in mẽbra formaliter diuerſa, & eodem pacto in libris de anima in organicam & non organicam ſecatur: ergo. Quarto probatur rationibus quibus in ſequenti concluſione oſtenditur potentiam per ſe ad actum accidentalem ordinatam realiter entitatiue diſtinguidebere, ex quibus colligo falſo Valẽtiam 1. p. q. 54. art. 3. puncto 2. exiſtimaſſe poſſe de potentia ſaltem abſoluta Dei dari ſubſtantiam creatam, quæ formaliter cum ſua potentia proxime operatiua identificetur, quia ſicut repugnat lapidem eſſe Leonem ex parte facti, licèt eſſe Leonem non involvat perfectionẽ infinitam, ita repugnet ſubſtantiam creatam eſſe potentiã proximè operatiuam, ex parte facti licèt eſſe talem potentiam nõ ſit perfectio infinita. Et hanc repugnantiam conuincunt rationes factæ, quibus oſtenſum eſt de eſſentia & conceptu talis potentiæ eſſe quod ſit accidens, eius generis tranſcendentalis cum ſuo actu, eo quod in ſolo Deo ſit ſubſtãtia, accidens autem & ſubſtantiam formaliter identificari, aut ſubſtantiam creatam eſſe bonam & perfectam per eſſentiam manifeſtam inuoluit repugnantiam. Dico ſecũdo inter ſubſtantiam creatam & eius potẽtias congenitas tam actiuas quàm receptiuas, diſtinctio realis entitatiua debet intercedere, hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo ex illo Philoſophi axiomate, actus & potentia ſunt in eodẽ genere, quod in hoc articulo ex profeſſo declarandum ſuſcepimus, triplicem nãque ſortitur explicationem: ſecundum triplicem acceptionẽ horum terminorum *actus & potentia*, poſſunt enim accipi tranſcendenter & communiter ſecundum quod ſunt partes entis diuidentes ens, & quodlibet genus entis, & iuxta hanc acceptionem actus & potentia eatenus ſunt in eodem genere, quatenus ſunt eiuſdem prædicamenti non quidem directè: hoc enim oſtendimus impoſsibile veri ficari in non nullis prædicamentis. Sed tãtum indirecte & reductiue, in quo ſenſu hoc axioma explicat & interpretatur D. Thom. in quæſtione de anima, art. 13. dicẽs quod illa potentia quæ per ſe ordinatur ad actum accidentalem eſt in genere accedẽtis per reductionem ſicut principium reducitur ad prædicamentum principiati. Quo pacto vnumquodque prædicamentũ diuiditur per potentiam & actum, quorum alterum directè & complete & alterum indirecte & incomplete in tali prædicamento, conſtituatur, & ita potentia, homo, eſt in genere ſubſtantiæ, & potentia album, ideſt potẽtia factiua albi eſt in genere qualitatis ſaltem reductione. Conſentit enim huic expoſitioni Caietanus 1. p. q. 77. art. 1. Secundo poſſunt accipi actus & potentia minus propriè ſcilicet pro potentia obiectiua & actu entitatiuo, quo pacto homo poſsibilis eſt homo in potentia, & homo exiſtens eſt actu homo & in hac acceptione nedum ſunt eiuſdem generis ſed ſunt idem numero vnde cum Philoſophus potentiam & actum contraponat ac diſtinguat tanquam membra diuiſionis entis, & alias ſolam generis identitatem eis tribuat ſignum euidens eſt ipſum nunquam de iis in hanc ſecunda acceptione prædictum axioma intellexiſſe. Tertio poſſunt accipi actus & potentia entitatiue ſecũdum ſuas rationes proprias directè in prædicamentali linea collocatas. & ſic potentia ordinata ad actum accidentalem eſt in genere determinato, ſcilicet qualitatis, & iuxta hanc acceptionẽ actus & potentia dicuntur eſſe in eodem genere non prædicamentali, ſed tranſcendentali entis quatenus membra primæ diuiſionis entis ſcilicet ſubſtantia & accidens dicuntur genera non ſimpliciter: ſed cum addito, ſcilicet entis, genera etenim, entis vocantur partes primo diuidentes illud, partes autem primo diuidentes ens ſunt ſubſtantia & accidens. Vnde ſi actus ſit accidens potentia eiuſdem generis dicetur illa quæ fuerit accidens etiam ſi alterius ſit prædicamenti, qua propter ſenſus huius axiomatis erit, actus & potentia ſunt eiuſdem generis entis, ideſt vel ſubſtãtię, vel accidẽtis, & in hoc ſenſu illud aprobant & interpretantur D. Tho. 1. p. q. 77. art. 1. & in 1. d. 1. q. 4. art. 2. Capræolus in 1. d. 3. q. 3. art. 2. ad primum Scoti & d. 8. q. 2. ad tertium & ad iſtantiam Gregorij, Flandrenſis hic q. 16. art. 2. & lib. 1. q. 4. art. 1. Bañelius in commentario articuli proximè allegati atque Soto vbi ſupra, quo ſupoſito tale deducimus argumentũ, actus & potentia ſunt eiuſdem generis adhunc ſenſum quod ſi actus fuerit ſubſtantialis potẽtia proxime & per ſe ad illum ordinata eſt de genere ſubſtantiæ, & ſi fuerit actus accidentalis potentia proxime & per ſe ad illũ ordinata eſt accidentalis, hoc eſt, in aliquo

genere accidentis collocata: ſed quęuis potentia cõgenita ſubſtantiæ eſt ad aliquem actum accidentalem per ſe & proxime ordinata, vt reſibilitas ad ridendum, intellectus ad intelligendum, calor ad calefaciendum & ſic de alijs: ergo debet eſſe de genere accidentis, tunc vltra ſed accidens maxime abſolutum & completum quale debet eſſe potentia ad agendum, vel ad recipiendum per ſe ordinata entitatiue diſtinguitur à ſubſtantia: ergo. Confirmatur nã hac ratione probat D. Thom. 1. p. q. prælegata potentias animæ realiter entitatiue ab anima diſtingui, & q. 54. art. 4. oſtendit potentiam intellectiuam non eſſe idem realiter cum eſſentia in Angelis. Secũdo probatur concluſio rationibus factis, pro ſecũda parte præcedentis concluſionis quæ pariter & iſtam cõuincunt. Tertio probatur: nam alias anima noſtra ſemper actu intelligeret quod tamen & veritati & experientiæ repugnat. Sequela autem patet quia cũ ex vna parte anima ſit actus & ex alia ſit potentia intellectiua ſecundum aduerſarios, habens animam ſemper haberet potentiã intellectiuam reductam ad actum ſecundum, ac perconſequens ſemper actu intelligeret.

8 Sed contra arguitur primo: nam potentiæ animæ non diſtinguntur ex natura rei ab illa: ergo defficit prima concluſio, antecedens probatur dupliciter primo quia teſte Diuo Thoma in prologo metaphiſicæ intellectus eſt formale hominis conſtitutiuum, explicans enim illud axioma *omnes homines ſcire deſiderant*, ait ſic, *cum igitur intellectus à quo homo eſt id quod eſt &c.* & propterea homo dicitur ſuapte natura, etiam vt omnibus ſuperaditis accidẽtibus præintellectus intellectiuus, quod nõ eſſet niſi intellectus eſſet idem cum anima per quam homo conſtituitur in eſſe intellectiui. Secundo nã potẽtia generatiua & nutritiua ſunt principia generationis & nutritionis: ſed principium harum operationũ proximum & immediatum eſt anima cum enim ſint actiones ſubſtantiales per quas ſubſtantialis forma in materiam introducitur principium immediatum illarum debet eſſe ſubſtãtiale ac proinde anima ipſa: ergo potentiæ iſtæ formaliter cum anima identificantur, minor declaratur & probatur amplius: nam immediatum principiũ eſſendi atque generandi eſt idem: cum generatio terminetur ad eſſe, anima autẽ eſt immediatum eſſendi principium quia eſt forma. Rurſus propterea receptio formæ ſubſtantialis immediate tribuitur materiæ quia eſt illius cauſalitas reſpectu proprij effectus ſcilicet formę ſed etiam generatio actiua eſt propria cauſalitas formæ generãtis: ergo debet ei tribui vt immediato principio agendi in proprium effectum, ſicut receptio tribuitur materię vt principio immediato recipiendi. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens ad primam probationem dico Sanctum Doctorem propterea de homine affirmaſe quod ab intellectu ſit id quod eſt: non quia intellectus ſit ipſum hominis ſecundum ſe conſtitutiuum: ſed quia quoad nos diſtinguit hominem à cæteris animantibus, & eſt paſſio, effectus & ſignum formalis conſtitutiui quod eſt anima intellectiua. A qua homo dicitur intellectiuus radicaliter, ſicut ignis à forma ſubſtãtiali in qua virtualiter præhabetur calor, dicitur calefactiuus, ideſt potens radicaliter calefacere: ſed nõ proximè potens, ſic enim à calore qui eſt formalis potentia calefaciendi denominatur potens. Ad ſecundam nego minorem, quia licèt generatio & nutritio ſiue â generatio ratione termini producti dicãtur actiones ſubſtantiales extrinſece & terminatiue, tamen formaliter & ſubiectiue ſunt actus accidentales de prædicamento actionis, & propterea potentię per ſe ad illas ordinatæ, accidentia quoque debent eſſe animæ ſuperadita. Vnde & libro 7. docuimus ad productionem ſubſtantiæ concurrere proximæ accidens in virtute ſubſtantiæ in tranſitiue, vel quatenus eſt virtus ſubſtantiæ ita vt tota ratio proxima agendi in generatione ſubſtantiali ſit accidentalis potentia vt virtus congenita generanti, in generatione, v.g. ignis eſt calor, & in generatione hominis eſt potentia generatiua ad animam generantis conſequta. Secundo arguitur non ſemper actus & potẽtia ſunt in eodem genere etiam ſi præfatum axioma in tertio ſenſu accipiatur: ergo nulla eſt ratio aſſeuerandi potentias congenitas realiter à formis ſubſtantialibus diſtingui. Antecedens probatur nam æterna diuinĩ Filij generatio eſt relatio, generare enim in diuinis eſt ad aliquid, potentia vero generatiua eſt quid abſolutum in omni generante, & in diuino Patre eſt quid abſolutũ & ſubſtantiale, qua ratione D. Thom. conuictus in 1. d. 7. q. 1. art. 1. ad ſecundum fatetur quod nõ ſemper potẽtia præſertim actiua eſt in eodem genere cum ſuo actu: ergo. Confirmatur primo eſſentia Angeli & anima rationalis ſunt potentiæ ordinatæ per ſe ad operationes proprias naturæ intellectiuę & rationalis, & non ſunt in eodẽ

gene-

genere entis cum illis, ergo: maior patet: quia solum potentiæ possunt ac debent distingui ex ordine ad operationes quas per se respiciunt, essentia autem animæ rationalis sic ab essentia Angeli distinguitur teste D. Thom. 1. p. q. 75. art. 7.

Secundo nam essentia substantiæ est potentia receptiua per se & proxime ordinata ad esse, ideſt ad actum essendi recipiendũ, sed actus essendi est accidens: ergo non est de genere substantiæ ad quod pertinet potentia cuius est informatiuus. Maior est Doctoris Sancti in loco prælegato primæ partis, scilicet q. 54. art. 3. vbi asserit essentiam Angeli, esse potentiam proxime actus essendi illius receptiuam. Minor vero probatur: quia si actus essendi esset substantialis & non accidentalis essentia substantiæ, v. g. hominis vel Angeli esset pura potentia sicut materia prima, illud enim, quod est potẽtia ad esse simpliciter, & substantiale, quod nullum esse suponit in subiecto, debet esse pura potentia qua ratione D. Thom. articulo proximè citato ad tertium, & quæstione de anima art. 13. probat matetiam primam esse puram potentiam passiuam, quia immediate respicit actum substantialem. Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad probationẽ quod D. Thom. ibi accipiens identitatem generis inter potentiam & actum, in primo sensu conuenienter dixit non semper actum & potentiam esse eiusdem generis, scilicet prædicamentalis, quod satis cõprobauit exẽplo diuinæ generationis, quæ est ad aliquid, cum tamen generatiua potentia sit quid absolutum denotans identitatem generis inter actum & potentiam non debere esse eiusdem prædicamenti, ita quod si actus est ad aliquid potẽtia sit ad aliquid, & huius affert instantiam in diuinis, nó tamen ex hoc negat identitatem generis inter actum & potentiam debere esse: quam in tertio sensu diximus requiri. Imò etiam indiuinis (vbi hoc axioma non stricte sed proportione quadam verũ habet cũ ibi neq; genus, neq; generis distinctio aut identitas reperiatur) verificatur actum generandi & generatiuam potentiam esse eiusdem generis, quantum ad hoc quod sicut generatiua potentia, ita & actio generandi est substantiæ patris identificata, ad primã cõfirmationem nego maiorem, ad probationẽ dico quod essentia animæ rationalis ab essentia Angeli per operationes à posteriori, & quo ad nos quasi per effectus quorum sunt radicalia principia: sed non quasi per actus quos per se respiciunt, distinguuntur, potest etiam dici illas distingui ex ordine ad operationes, non quidẽ ex ordine principij, proximè & per se ad illas ordinati: sed ex ordine radicalis principij illas præhabentis, & medijs potẽtijs operãtis. Ad 2. respondetur cum Capræolo vbi supra ad missa maiori, negando minorem. Existẽtia namque substantiæ cum sit immediatus actus illius atque eius complementum, ad idem genus substantiæ pertinet reductiuè, non vt completũ ens per se, neque vt pars essentialis, sed vt eius actualitas. Ad probationem negatur antecedens, materia enim est pura potẽtia: quia immediate est receptiua, primi actus substantialis, scilicet formæ, ad quam nullus alius præsupponitur, essentia vero est potentia immediate susceptiua existentiæ, quæ est veluti actus substantialis secundus, primum scilicet formã præsupponens & propterea non sequitur illam esse puram potentiam. Tertio arguitur essentia & proprietates ab illa dimanãtes comparantur vt potentia passiua & actus, est enim essentia hominis respectu suarum passionum, & substantia corporea respectu quantitatis potentia passiua, proximè & immediatè illas sustentans in genere causæ materialis, ad quod pertinet potẽtia passiua vt dictũ est: ergo sicut essentia hominis & corporis sunt de genere substantiæ: ita prædictæ proprietates erunt de genere substãtiæ, ac proinde minimè à subiecto realiter distinguentur. Cõfirmatur primo, substantiæ conuenit proximè operari, sed hoc est munus potentiæ actiuæ: ergo non oportet potentiam congenitam à subiecto cuius est potentia realiter distingui. Maior probatur: quia cui conuenit modus nobilior operandi, quam formæ accidentali, debet etiam nobilior modus influendi, & principiandi actionem conuenire: sed substantiæ agentis creati cõuenit nobilior modus operandi, quam eius accidentibus, hijs namque conuenit operari vt quo, & illi vt quod: ergo debet illi cõuenire modus nobilior influendi in operationem & effectũ, tunc vltra sed nobilior modus influendi, est illius agentis quod influit per modũ principij proximi: ergo substantiæ conuenit esse principium proximum operationis. Minor patet: nam sicut agere per modum causæ principalis est nobilior modus quam agere instrumentaliter: ita agere proximè est nobilior modus quã agere remote & radicaliter: ergo sicut concursus causæ principalis tribuitur substantiæ, & non accidentali formæ: ita influxus proximus substantiæ atribui debet. Confirmatur secundo

cundo: nam propterea concurrere ad productionem effectus principaliter eſt modus nobilior operandi quam cõcurrere inſtrumentaliter: quia ille modus concurrendi eſt perfectio ſimpliciter cõueniẽs Deo, qui eſt primum in ordine agentium: ſed influere proximè etiam eſt perfectio ſimpliciter conueniens Deo, vnde D. Tho. 1. p. q. 6. art. 3. & 25. art. 1. ex maxima Dei perfectione probat diuinam eſſentiam eſſe proximè operatiuam per ſe ipſam, identificareque ſibi ſuam potentiã actiuam: ergo nobilior modus operandi eſt ille qui cõuenit principio proximè influenti: ac proinde iſte modus non debet accidentibus cõcedi, & ſubſtantiæ denegari. Reſpondetur ad argumentum negãdo antecedens: quia eſſentia ſubſtantiæ non datur per ſe ad agendũ, vel ad recipiendum accidẽtia, ſed ad eſſendum, & ideo ſolum habet rationem potentiæ ex ordine ad eſſe, & non ex ordine ad propria accidentia. Ad 1. confirmationẽ nego maiorem, ad probationẽ cõcedo primam conſequentiam, nempe quod ſubſtãtiæ conueniat nobilior modus operandi, & influendi: ſed nego minorem ſubſumptã, non enim nobilior modus operãdi eſt principij proximi *vt quo*, qui conuenit formæ accidentali, ſed eſt operari *vt quod*, & vt cauſa principalis agens, ſecũdum propriã virtutem licèt remote dumtaxat, & mediãte aliqua potentia accidentali influat in effectum & operationem. Ad ſecundam diſtinguo minorẽ influere proximè eſt perfectio ſimpliciter conueniens Deo, ſi ſit influxus agentis principaliter & *vt quod*, cõcedo, ſi ſit influxus agentis inſtrumentalis, vel principij *quo*, nego, vnde Deus non eſt ſume perfectus: quia proximè agit per ſuã eſſentiam *vt quo*: ſed quia eius eſſentia ſimul eſt ratio agendi proximè, & eſt agens proximum ſubſiſtens & *vt quod*, ſic enim eſt modus agendi omnium perfectiſsimus & ideo ſoli perfectiſsimo enti poteſt conuenire, imperfectiſsimus autem eſt modus agendi proximè *vt quo*, ſiue inſtrumentaliter, & in virtute alterius, & propterea hic modus conuenit enti imperfectiſsimo, quod eſt accidens, ſubſtantiæ vero creatæ conuenit modus inter illum & iſtum medius qui eſt modus agendi, *vt quod* & principaliter mediante potentia & virtute accidentali, vt ſicut ſubſtantia creata inter Deum & accidens habet medium in eſſendo: ita habeat & medium in agendo.

ARTICVLVS II.

An tanta ſit inter eſſentiam, & potentias congenitas diſtinctio, vt iſtæ ab illa poſſint ſeparari?

9 IN hoc articulo duæ verſantur ſententiæ, altera negans poſſe fieri talem ſeparationem etiam depotentia Dei abſoluta, quam ſequuntur Caietanus 1. p. q. 54. art. 3. & 7. de ente & eſſentia, q. 15. dub. 16. & Flandrenſis 5. metaphiſicæ q. 15. art. 3. & in hoc 9. q. 6. art. 2. Altera affirmans eſt, quam ſequuntur Soto in cap. de proprio q. 2. ad quintum Candidianus Bolanus lib. 2. de Anima, Valentia 1. p. diſput. 6. q. 5. pũcto 2. Bañeſius 1. p. q. 77. ar. 1. dub. 1. Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 65. & Fonſeca 5. huius cap. 5. q. 1. ſect. 5. & quia hæc veritati conformior eſt, pro eius declaratione prænotandum eſt primo, nomine potentiæ congenitæ accipi quamlibet propiam paſsionem realiter à ſubiecto diſtinctam & ab eius eſſentia vere dimanantem, accidens namque congenitum & proprium eſt in duplici differentia, aliud quidem eſt indiuiduale, quod indiuidui principia conſequitur quo pacto peculiaris inclinatio ad vnam artem ſiue diſciplinam magis quam ad aliam eſt proprietas huius vel illius hominis, ad eius indiuidualem complexionem conſequta, & virtus productiua lacis in fœmina eſt accidens proprium, quod ad animam ſub fœmineo ſexu indiuiduatam conſequitur. Aliud vero eſt ſpecificum quod ad principia eſſentialia, ſpeciei ſequitur, quo pacto quantitas gradũ corporeitatis: & riſibilitas differẽtiam ſpecificam hominis conſequitur naturaliter, & de hijs procedit diſputatio noſtra, non autem de alijs accidentibus communibus, quæ accidentaliter tranſmutabiliter ſubiectis conueniunt: atque de eis de prędicatione quinti prædicabilis dumtaxat prædicãtur, cuius generis ſunt nigredo corui, albedo cigni, & alia huiuſmodi, nulla eſt controuerſia cum certum ſit poſſe etiam citra miraculum (nedum de potentia Dei abſoluta) à ſubiectis ſuis ſeparari. Secundo nota triplicem eſſe, aut intelligi poſſe ſeparationem accidentis proprij & potentiæ cõgenitæ à ſubiecto, aliam cum corruptione ipſius accidentis & ſubiecti illius, quæ contingit in cuiuslibet ſubſtantiæ ſublunaris corruptione. Eoquod deſtructis primis ſubſtantijs neceſſe eſt deſtrui omnia quæ in primis ſubſtantijs ſubiectantur, aliam ve-

Status quæſtionis declaratur.

ro

ro cum falsificatione propositionis in qua tale accidens de subiecto in secundo modo dicendi per se praedicatur, & haec contingeret si separatum ab homine risibilitate, haec propositio redderetur falsa, homo est risibilis. Aliam denique quae in sola remotione accidentis à subiecto consistit alterò illorum, vel vtroque non rem naturam remanente licet propositio primi modi dicendi per se non falsificetur, & quidem in primo sensu experientia quotidiana compertum est proprias passiones à subiectis separari in secundo autem sensu etsi quibusdam dialecticis visum fuerit talem separationem posse fieri: eo quod in ea fuerunt opinione vt putarent nullam esse propositionem aeternae veritatis, nullamque dari naturalem suppositionem: ac proinde omnem propositionem affirmatiuam siue primi, siue secundi modi dicendi per se, cuius subiectum non existeret in rerum natura, vel cuius praedicatum actu non inesset subiecto esse falsam. Tamen quia iam alibi horum sententiam refutauimus, communemque secuti sumus cum D. Thom. de veritate q. 6. art. 1. ad 9. Alberto libro de causis c. 18. Henrico quodlib. 10. q. 32. Herueo quodlibet. 3. q. 1. Soncinate hic quaest. 5. Soto lib. 2. dialecticae minoris c. 10. lectio. 3. Caietano 1. 2. q. 100. art. 8. & Ferrariensi lib. 2. contra gentes c. 96. pro constanti habentibus propositiones affirmatiuas tàm in primo quam in secundo modo dicendi per se, etiam non existentibus rebus per illarum extrema significatis, esse veras propter naturalem nexum eorum suppositionem: & ideo quod copula verbi *est* non existentiam, sed essentiam atque naturalem denotat connexionem: absoluitur namque à tempore, vt aiunt dialectici. Vnde quantumuis risibilitas, verbi gratia ab homine separetur, siue homo existat sine illa, siue statim definat esse in rerum natura, adhuc ista esset vera praedicatio, homo est risibilis: quoniam solùm denotat naturalem risibilitatis cum homine connexionem. Propterea neque in hoc sensu, sed in tertio dumtaxat procedit nostra disputatio: nimirùm in homine superiitce (idemque dicendum puta de alijs subiectis ad proprias passiones congenitas comparatis) posse Deum physicè & realiter risibilitatem ab illo remouere, aut illam extra hominem conseruare?

Elligitur sententia admittes po-

Respondeo affirmatiuè dicendum cum auctoribus secundae sententiae: quam ostendo primo: nam Angelicus Doctor in 4. distinctione 10. quaest. 1. art. 2. quaestiuncula 3. ad tertium huiusmodi separationem de potentia Dei absoluta factibilem esse, ibi persuadet ex miraculosa separatione accidentium panis & vini à substantia in mirabili ac sacrosancto Eucharistiae Sacramento: in illo enim accidentia propria manent sine subiecto, color, sapor, & quantitas. Ex quo tale deducimus argumentum: per miraculosam panis in corpus Christi conuersionem separata manent à substantia panis, accidentia eius: illa autem accidentia non solum sunt communia, sed etiam propria & congenita atque ad eius essentiam naturaliter consequta, talia namque sunt quantitas, quae ad gradum corporeitatis consequitur, & sapor atque virtus nutriendi hominem, quae adeo propria panis sunt, vt illi soli, omni, & semper videatur conuenire: ergo possibilis est de potentia Dei absoluta accidentium proprium ab eorum subiectis separatio, argumentum hoc potissimum est in hac parte cum illius maiorem fides, minorem philosophia docear, & consequentia dialectica legitimam faciat. Huic accedit, secundum nec minus efficax argumentum ex misterio incarnationis deductum, in hunc modum: si aliquid obstaret huic separationi, quominus per diuinam omnipotentiam posset fieri, esset naturalis connexio accidentis proprij cum suo subiecto, per quam illi per se conuenit & ab illo per se dependet: sed haec non obstat: ergo. Maior admittitur à contrariae sententiae auctoribus, qui huic nituntur fundamento. Minor autem probatur, nam humanae naturae personalitas non est minus connexa cum illa nec minus ab ea dependens, quam passio congenita à subiecto, & haec non obstante naturali connexione & dependentia fuit humanitas in misterio incarnationis à sumpta à verbo sine illa. Tertio probatur, quia licèt Deus secundum legem & potentiam ordinariam nequeat suplere dependentiam accidentis proprij à subiecto, potest, tamen de potentia absoluta illam suplere: ergo potest illud sine subiecto conseruare. Antecedens probatur: nam dependentia haec aut est tantum vt à subiecto sustentante: & hanc suplet in conseruatione accidentis communis: quodlibet enim accidens etiam commune naturaliter nequit extra subiectum conseruari: dependerque ab illo vt à sustentante: hunc autem concursum de fide est de facto suplerj adeo in Eucharistiae Sacramento: aut est simul dependentia vt à principio connaturali dimanationis: & hanc dependentiam, vel potest Deus suplere cum sit causae efficientis

tetias ab esse tia separabiles.

ficientis, vel admiſſo quod illam non ſupleat hoc non tollit quin poſsit accidens, quod ſemel in ſui fieri, atque prima productione a ſubiecto dimanauerit, poſtea ab eodem ſubiecto ſeparare: ergo. Cõfirmatur: nam maior eſt dependentia qua accidens commune depẽdet à ſubiecto in ſuo eſſe & cẽ ſeruari, quam illa qua ſubiectum dependet à ſuis accidẽtibus proprijs, quia accidẽtis eſſe, eſt in eſſe, & accidens eſt poſterius ipſa ſubſtantia veluti modus & affectio illius: ſubiectum autem eſt prius accidentibus congenitis & illorum cauſa: ac proinde ab illis magis independens, & tamen non obſtante dependentia accidẽtis communis a ſubiecto Deus poteſt illud ſeparare: ergo nõ obſtãte depẽdentia minori ſubiecti ab accidentibus proprijs, Deus poterit illud ſine iſtis conſeruare. Quarto: nam quando aliqua duo gaudent ſuis entitatibus diſtinctis, & alias non eſt inter illa eſſentialis connexio aut dependentia qualis inter duo correlatiua, & inter materiam primam, ac formam verſatur, ex nullo capite repugnat mutua vnius ab altero ſeparatio in ordine ad potẽtiam Dei abſolutã, at potentia congenita, & ſubſtantia cuius eſt potẽtia gaudent diſtinctis entitatibus: cum realiter entitatiue diſtinguantur vt articulo præcedenti oſtendimus, & alias hæc eſſentialis connexio aut dependentia non aparet ex meritis ſubiecti, aut accidentis congeniti: ergo non eſt mutua vnius ab altero ſeparatio diuinæ omnipotentiæ deneganda. Ex hijs collige cum duabus limitationibus noſtram concluſionẽ eſſe intelligendam. Prima eſt, quod hanc ſeparationẽ ſolum potentiæ Dei abſolutæ poſsibilẽ fateamur, potẽtiæ vero ordinariç prorſus impoſsibilem. Secunda ſit, quod ſolum illam ad accidentia congenita realiter entitatiue diſtincta à ſubiecto extendamus quibus ex alio capite talis ſeparatio non repugnet ratio primæ limitationis, quia iuxta leges naturæ omnis propria paſsio eſt à ſubiecto inſeparabilis cum quo habet naturalem connexionẽ & cui per ſe intrans mutabiliter conuenit: ratio vero ſecundę eſt quia deſſectu entitatiuæ diſtinctionis redditur accidens inſeparabile à ſubiecto: licèt ſubiectũ ſit ab accidenti ſeparabile, qua ratione relatio ſimilitudinis non poſſet à fundamento ſeparata conſeruari ſi cum illo entitatiue identificatur de quo alias propriam explicuimus ſententiam, licèt fundamentum v. g. albedo poſsit etiam naturaliter ſine ſimilitudine conſeruari: poteſt etiam proprię paſsiõi admiſceri vitalitas ratione cuius redditur omnino inſeparabilis à ſubiecto quãtum ad conſeruari extra illud quo pacto naturalis intellectio Angeli extra ſubiectum non poteſt conſeruari, de potẽtijs vero intellectus, ſcilicet & voluntate fortaſe non eſt eadem ratio cum illarum vitalitas non ſit per modum actus ſecũdi, ſed per modum actus primi, quæ proinde non videtur tali ſeparationi miraculoſe obſtare.

10 Sed contra arguitur primo: nam nedum miraculoſe, ſed naturaliter ſeparatur propria paſsio à ſubiecto, & ſine illa ſubiectum quandoque conſeruatur: ergo inepta eſt prima aſſertionis limitatio. Antecedẽs probatur inductione, virtus enim illuminatiua ſolis eſt paſsio illius, & motus cœli, eſt etiam illius accidens proprium vt notat Soto 2. phiſicorum, quæſt. 1. & tamen Sol & cœlũm fuerunt ſine hijs accidentibus naturalibus vſque ad quartum diem in quo Deus ornauit cœlos vt colligitur ex Geneſeos cap. 1. in quo etiam Deus contulit cœlis virtutem ſignificatiuam futurorum euentuum naturalium: quæ tamen eſt illarum propria paſsio: ergo. Confirmatur: nam in ſtatu iuſtitiæ originalis ſine miraculo Deus ſeparauit à primis parentibus propriam paſsienem, ſcilicèt proximas potentias ſubeundi mortẽ: atque paſſionem conſeruando illos immortales: atque impaſsibiles, ſicut etiam in ſtatu reſurrectionis, quando noſtra mortalia corporea ſuſcitẽtur immortalia huiuſmodi proprietates ab eis ſunt remouendæ: ergo non repugnat propriam paſsionem à ſubiecto naturaliter remoueri. Reſpondetur ad hoc argumentum negando antecedens ad probationem negatur minor: nam Deus quarta die licèt ornauerit cœlos & aſtra, non tamen ornauit illos, proprias eis paſsiones infundendo: ſed eaſdem virtutes quas à principio creationis ſuæ habuerant perficiendo ac decorando; de quo videndus eſt D. Thom. 1. p. quæſt. 70. Ad confirmationem reſpondetur, negando antecedens: illa enim impaſsibilitas & immortalitas conueniens hominibus in ſtatu iuſtitiæ originalis, nihil intrinſecum aut congenitum eis adimebat, erant enim per naturam homines tunc corruptibiles & paſſibiles, ſicut fuerunt poſt peccatum: ſed ſolum illos ab extrinſecis læſiuis & corruptiuis amouebat: atque ſic eos paſsionis & mortis innoxios conſeruabat. De quo videatur D. Thom. 1. p. quæſt. 79. Secundo argui-

arguitur. Nã ea quæ habent neceſſariam habitudinem, & connexionem ſiue dependentiam, licet entitatiue diſtinguantur, per nullam potentiam poſſunt ſeparari, qua de cauſa vnum relatiuum ſine alio, & materia prima ſine forma nequit per diuinam omnipotentiã conſeruari, ſed ſubiectũ & paſsio propria habẽt neceſſariã connexionẽ, & habitudinem: ergo nequeunt à ſe innicem ſeparari. Confirmatur nam propterea Deus nequit producere ſubſtantiã quim ad illã ſequatur & cõmittetur relatio dependentiæ, & ſeruitutis creaturæ ad creatorẽ, quia huiuſmodi relatio cõſequitur naturaliter rẽ creatam, & illi neceſſario connectitur. Sed omnis potẽtia congenita conſequitur naturaliter ſubſtãtiam, & illi neceſſario connectitur: ergo neque Deus poterit ſine illa producere aut productum conſeruare ſubiectum. Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo maiorem. Si habitudo & connexio eſſentialis ſit, concedo. Si ſit connaturalis, & neceſſaria neceſsitate ſecundi modi dicendi perſe dum taxat nego maiorem talis autem eſt connexio, & habitudo propriæ paſsionis ad ſubiectum. Ad confirmationem, nego maiorem. Non enim illa eſt adequata ratio quare Deus non poſsit creaturam ſine illa relatione conſeruare. Sed quia aliàs illa relatio identificatur cum entitate cuiuslibet entis creati, ſiue de accidentis, ſiue de ſubſtãtiæ genere ſit illud. defectu autem realis entitatiuæ diſtinctionis poteſt reddi accidens inſeparabile à ſubiecto. Licet ſubiectum ſit ſeparabile aliquando, & aliquando etiam ipſum ſubiectum poteſt eſſe à tali accidente ſibi identificato inſeparabile. Poteſt etiam, negari maior quatenus ſuponit falſum. Falſum enim eſt Deũ non poſſe creaturam ſine omni relatione prædicamentali de potentia abſolata conſeruare. Poſſet enim Deus ſubſtantiam hominis, v. g. conſeruare ſine omni accidente, ac proinde ſine relatione ſubiectionis ac ſeruitutis prædicamentali. Non tamen ſine ordine tranſcendentali quo vt ens creatum. Dependet à Deo & illi ſubijcitur, in quo prædicta relatio fundatur. Tertio arguitur quod implicat contradictionem nequit fieri à Deo, ſed ſubiectum eſſe ſine propria paſſione implicat manifeſtam contradictionẽ: ergo nequit fieri à Deo. Minor probatur primo ex teſtimonijs Doctoris Sancti: qui ait ſepe ſepius impoſsibile eſſe quod ſubiectum maneat ſine ſuis paſsionibus connaturalibuſque accidentibus. Ita enim docet 8. phiſicorum, l. 21. 1.2. quæſt. 110. art. 4. ad 4. q. vnica de ſpiritualibus creaturis art. 11. ad 7, & quæſt. vnica de anima art. 12. ad 7. Secundo quia ſequuntur iſtæ duæ contradictoriæ, ſcilicet. *Hoc ſubiectum eſt ſine propria paſsione, hoc ſubiectum non eſt ſine propria paſsione.* Nam affirmatiua in caſu quod propria paſsio ſit ſeparata à ſubiecto eſt vera, & negatiua probatur vera, quia perſe conuenit propria paſsio ſubiecto, & de illo adhuc vere prædicaretur: ergo ſubiectum eſſet conjunctum cum ſua paſsione, declaratur hoc data hipoteſi, quod homo aliquis eſſet ſine riſibilitate adhuc hæc propoſitio eſſet vera, hic homo eſt riſibilis. Sed veritas propoſitionis ſummitur ab eo quod res eſt, vel non eſt: ergo â parte rei homo ille eſſet riſibilis ac proinde conueniret ei riſibilitas quod eſt ipſi coniunctam eſſe riſibilitatem. Confirmatur. Nam aliàs hæc propoſitio homo eſt riſibilis falſificaretur: conſequens eſt impoſsibile: ergo & antecedens: minor patet, quia hæc propoſitio eſt neceſſaria, & demonſtrabilis à Philoſopho per Philoſophiæ lumem quod ad enunciabilia, quæ aliter ſe habere non poſsunt, inclinat. Sequela autem probatur, quia falſificaretur, ſecundum quod prædicat riſibilitatem actualiter homini, inhærentem. Si enim actu eſſet ſeparata ab homine, non inhæreret illi actu ſed aptitudine, ſed vt ſic, quatenus actu inhærens homini eſt propria illius paſsio, perſe & neceſſario ei conueniens: ergo quatenus propoſitio neceſſaria, & perſe, falſificaretur. Dices hanc propoſitionem non eſſe neceſſariam quatenus prædicat de homine riſibilitatem actu inhærentem. Sed quatenus prædicat riſibilitatem aptitudine inhærentem. Ideſt, quatenus facit hunc ſenſum. Homo aptus natus eſt, eſſe riſibilis, vel riſibilitas, eſt apta nata conuenire homini, & ex eius eſſentia fluere, & in hoc ſenſu eſſe in falſificabilem. Sed contra arguitur. Nam ſequitur hanc propoſitionem ſolum eſſe neceſſariam in vi modalis iſtius, homo poſsibiliter eſt riſibilis, & non tantum in vi ſimplicis cathegoricæ quod eſt contra communem ſententiam quam Alberto, Doctori Angelico, & vniuerſæ Methaphiſicorum Scolæ atribuimus. Sequitur etiam illam eſſ in primo modo dicendi, quia prædicaret aliquid eſſentiale de homine, ſcilicet aptitudinem radicalem ad habendam riſibilitatem. Et ſequitur tertio hanc *homo eſt albus*, etiam eſſe neceſſariã, & demoſtrabile, quia prædicaret de homine aptitudinẽ ad albedinẽ. Deinde arguitur, & declaratur amplius vis, & efficacia huius argumenti, ſemper eſt verum dicere hominem eſſe riſibilẽ etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutã. Sed hæc neceſsitas fundatur in hoc quod

coniuncta ſit riſibilitas cum homine, & non ſolum in hoc quod conueniat ei aptitudo ad riſibilitatem : ergo non poteſt non eſſe illi coniuncta riſibilitas ac proinde non poteſt ab illo ſeparari. Minor patet, quia hominem eſſe riſibilem eſt effectus formalis riſibilitatis, & non aptitudinis ad riſibilitatem: effectus autem formalis nequit eſſe coniunctus ſubiecto ſine forma, quæ communicat ſuum effectum illi per ſui intrinſecam communicationem. Ad hoc argumentum reſpondetur præ notando cum Caietano vbi ſupra quod propoſitio perſe, ea ratione, qua eſt perſe, & neceſſaria atque cadens ſub lumine ſcientiæ naturalis non eſt falſificabilis. Neque eius oppoſitum vt ſic formaliter quatenus ſub tali lumine cadit contingere aut verificari poteſt. Quo pacto hæc propoſitio mortuus non poteſt reſurgere prout dicit negationem potentiæ naturalis nequit falſificari, quia vt ſic eſt à Philoſofia demonſtrabilis; eadem ratione hæc eſt in falſificabilis. Innocens nequit licite occidi : ſecundum quod negat priuatam authoritatem occidendi innocentem, quia vt ſic eſt perſe nota pertinens ad ſinderesim. Quæ eſt habitus practicus primorum principiorũ, vnde quando Deus de potentia abſoluta mortuum ad vitam reuocat aut innocentem iubet occidi abſque leſione veritatis harum propoſitionum id facit; eo quod mortuum miraculoſe reſurgere, aut innocente licite occidi ex iuſſu eius, qui eſt Dominus innocentis non contradicit huic quod eſt mortuum non poſſe naturaliter reſurgere; aut huic quod eſt, innocentẽ priuata authoritate non poſſe occidi, ſimiliter abque læſione veritatis neceſſariæ huius propoſitionis *homo eſt riſibilis*, poſſet Deus hominem miraculoſe producere, aut conſeruare, ſine riſibilitate, quia huic quod eſt, hominem eſſe ſuapte natura, ideſt relictum ſuæ naturæ riſibilem, qua ratione hæc propoſitio eſt demonſtrabilis à ſcientia naturali, non contradicit miraculoſa ſeparatio, aut miraculoſa carentia riſibilitatis. Qua propter etiam hac admiſſa verum eſſet dicere hominem eſſe riſibilem ſuapte natura, atque ſuæ relictum naturæ, ſemper habere riſibilitatem. Quo ſuppoſito ad formam argumenti nego minorem. Ad primam probationem, Sanctum Doctorem ſolum in illis teſtimonijs loqui de ſubiecto; & proprijs illius paſſionibus in ordine ad potentiam Dei ordinariam & leges naturæ ſecundum quas merito fatetur talem ſeparationem eſſe impoſsibilem. Ad ſecundam nego antecedens. Nam data illa hypotheſi: affirmatiua & negatiua ſimul non eſſent veræ in eodem ſenſu & ſecundum eandem rationem ſed ſecundum diuerſas, quo pacto haut quaquam contradicerent. Affirmatiua enim eſſet falſa intellecta de ſubiecto ſuapte natura conſiderato, & in hoc ſenſu negatiua eſſet vera. Si autẽ ex ſuppoſitione miraculi accipiantur, affirmatiua erit vera, ſed negatiua falſa. Ad confirmationẽ negatur antecedẽs. Ad cuius probationem nego maiorem, non enim eſt neceſſaria illa propoſitio ſolum quatenus prædicat aptitudinem ad riſibilitatem ſed etiam quatenus prædicat de homine riſibilitatem formalem ſuapte natura ei conuenientem, abſtrahendo ab actuali in hærentia, quam non importat copula, *eſt* quando abſoluitur à tempore. Vnde ad hunc ſenſum poteſt ſolutio ibi aſignata ſuſtineri. Ad cuius improbationem primam non eſt opus reſpondere, quia falſæ ſuppoſitioni innititur quam nos non admittimus, non enim admittimus illam propoſitionem ea ratione dumtaxat eſſe neceſſariam, & in falſificabilem, quatenus prædicat de homine radicalem riſibilitatem, ſed neque aſſerimus illam eſſe neceſſariam quatenus prædicat riſibilitatem cum actuali in hærentia, ſic enim eſt propoſitio mere accidentalis, æquipollens huic: homo exiſtit riſibilis, vel huic; riſibilitas actu ineſt homini, quod itaque aſſerimus eſt illam propoſitionem eſſe neceſſariam & perſe, quatenus prædicat formalem riſibilitatem ideſt proximam ridendi potentiam de homine ſuapte natura illi conuenientem, ſiue actu in illo exiſtat, ſiue non. Vnde nullis hominibus exiſtentibus: hæc eſt vera, homo eſt riſibilis, nec tamen tunc riſibilitas actu homini in hæreret, ſiquidem neque à parte rei exiſteret. Ad ſecundam diſtinguo minorem : hæc neceſsitas fundatur in hoc quod coniuncta ſit cum homine riſibilitas, id eſt quod ei actu inhæreat, nego ; fundatur in hoc quod ſit coniuncta per naturalem connexionem, & conuenientiam ab actuali exiſtentia abſtrahentem, concedo minorem : & nego vltimam conſequentiam. Neceſsitas namque illius enunciabilis ſolum conſiſtit in hoc quod homini ſecundum ſe, & relicto ſuæ naturæ conueniat riſibilitas, & quod ex ſuis meritis nunquam exiſtat quin ei inhæreat riſibilitas: ſalua tamen hac neceſsitate ſtat optime quod vel homo non exiſtat, vel quod homo exiſtens, miraculoſe non habeat riſibilitatem.

QVAE-

QVÆSTIO III.

De distinctione potentiæ actiuæ â passiua, ac mutua inter agens, & patiens distinctionis habitudine: in quatuor articulos diuisa.

OCasionẽ huius quæstionis præbuit Philosophus, hîc cap. 1. circa mediũ ab illis verbis, *patet igitur modo*, dicens esse quodam modo vnam, & eandem potentiam actiuam & passiuam, in cuius textus expositione variæ sunt Metaphisicorum interprætationes quæ omnes, ad hanc sumam reuocantur, vt non realem, sed ordinis, & habitudinis, siue dependentiæ identitatẽ, vellit Phylosophus inter actiuam, & passiuam potentiam constituere qua propter de illarũ distinctione, primus, & de earum mutua habitudine secundus articulus, est in controuersiam ad ducendus deffectu cuius distinctionis, non viuentia non moueri â se ipsis, neque viuentia in primo motu, idest, cordis in tertio, & quarto articulo ostendetur.

ARTICVLVS I.

An potentia actiua â passiua realiter distinguatur.

11 COmunis sentẽtia affirmans est, quam in comentario huius primi capitis tuentur Alexander, Alensis, D. Thomas, Fonseca, Flandrensis, quæstion. 1. ar. 4. & alij. Illam quæ statuo pro certa, & indubitata conclusione, si fiat sermo de potentia vere, & proprie passiua, quæ ad recipiendum aliquid in se ipsa ordinatur, & probo eam primo. Ratione phylosophi: nam illa quæ sunt in diuersis subiectis distinguntur realiter, sed actiua est in â gente, & passiua in passo, agens autem, & passum distinguntur realiter: ergo & potentia actiua, & passiua distinguntur realiter. Secundò arguitur, quia sunt principia diuersorum actuum, ac prædicamentorum: actiua enim est principiũ actionis aqua specificatur: passiua vero respicit passionem maxime si est passiua cum motu, & mediante motu: passio autem, & actio duo prædicamẽta sunt: ergo & potentiæ quæ ab illis specificantur debent differre ex natura rei ad minus. Tertio intellectus agens, & possibilis diferunt realiter, & non nisi ex meritis potentiæ actiuæ, & passiuæ: ergo potentia actiua, & passiua ex proprijs meritis realiter distinguntur: neque valet dicere intellectum possibilem simul esse potentiam actiuã respectu suorum actuum quos actiue vitaliter recipit, & passiuam respectu specierum, quas ab intellectu agente accipit; nam licet intellectus non solum sit passiua, sed etiam actiua potentia: tamen secundum aliam, & aliam rationem, est enim passiua secundum se respectu specierum: actiua vero sui actus, non se solo, sed quatenus actuatus speciebus intelligibilibus, & hoc est verum, quod respectu intellectus a gentis est potentia pure passiua: quia per illum reducitur de potentia ad actum: & propterea ab illo distinguitur realiter, quia vt sic est principium patiendi ab alio: & si secundario, & concomitanter habeat actiui principij rationem respectu suarum operationum, quod amplius statim patebit. Quarto ex ipsis potentiæ actiuæ, & passiuæ diffinitionibus, hic â phylosopho assignatis, illa enim dicitur esse principium agendi in aliud: hæc vero principium patiendi ab alio: ergo alietas, ac proinde distinctio realis inter actiuam, & passiuam potentiam versatur. Huic rationi accedit, quod inter agens, & patiens, inter mouens, & motum requiritur ex proprijs meritis agentis, & passi, mouentis, & mobilis realis distinctio, vt articulo sequenti demonstrabitur eo quôd impossibile sit idem perse primo, moueri â se ipso alioquim simul esset in actu, & potentia respectu eiusdem, quod in voluit repugnantiam. Confirmatur, nam propterea materia, & efficiens non coincidunt in idem numero teste phylosopho secundo, physicorum capit. 7. quia materia se habet, vt patiens, efficiens verò vt agens; igitur agens, & patiens debent realiter distingui, ac proinde passiua, & actiua potentia, quæ sunt formales rationes per quas formaliter actiuum, & passiuum constituuntur.

12 Sed contra hanc conclusionem arguitur primo ex testimonio philosophi, hic asserentis modo quodam vnam esse faciendi, & patiendi potentiam, sed hoc facile soluitur, cum D. Thoma, quia non de vnitate realis identitatis, sed tantum de vnitate ordinis, loquutus fuit philosophus, quod etiam illa dictio, *modo quodam*, denotat; quæ sicut diminutiua est, ita vnitatem diminutam indicat inter illas versari; quatenus mutuo se respiciunt, & in agendo, ac patiendo mutuo â se inuicem dependent. Secundo arguitur; non omnis potentia actiua respicit passiuam: ergo nullum est fundamentum distinctionis realis desumptũ ex eo quod potentia actiua, & passiua mutuo se respiciũt, & ad se mutuo ordinantur. Antecedens patet, in potẽtia creatiua, cui non correspondet aliqua potentia passiua ex parte creatura. Et in potentijs

notionalibus diuinã perſonarum, generatiua ſcilicet, & ſpiratiua, quibus nulla paſsiua cor reſpondet: hæc enim imperfectionẽ importat Deo repugnantẽ. Reſpondetur cum Cai. 1.p.q.41.art.3. quod potentiæ actiuæ ſunt in duplici diferentia, aliæ quæ ſunt ſimpliciter productiuæ, ideſt ſine motu, & independenter à ſubiecto. Cuius generis ſunt creatiua, & notionales potentiæ in Deo: & hijs ſatis eſt ſi reſpondeat terminus productus abſq; alicuius potentiæ paſsiuæ imperfectione. Aliæ vero ſunt productiuæ cum motu, vt potentia generatiua, vel ſaltim dependenter à ſubiecto, licet abſque motu phyſico, qualis eſt intellectus agens, & hijs debet correſpondere aliqua potentia paſsiua eiuſdem ordinis. Tertio arguitur, intellectus poſsibilis, & voluntas, ſunt potentiæ actiuæ ſiquidem ſunt principia agendi, & elicitiua ſuarum operationum, & ſimul ſunt potentiæ paſsiuæ, quia ſuas operationes recipiũt: ergo diſtinctio potentiæ actiuæ a paſsiua non eſt realis. Conſequentia patet, quia intellectus poſsibilis eſt potentia vnica ſimpliciſsima ſecundum ſuã eſſentiam, ſimiliter voluntas: ergo abſque leſione ſuæ formalis vnitatis, ac ſimplicitatis includunt rationem potentiæ actiuæ, & paſsiuæ. Propter hoc argumentum eſt triplex modus dicendi. Primus eſt Argentinæ in 2. diſti. 25. quæſtion. vnica, artic. 1. aſſerentis intellectum poſsibilem, & voluntatem eſſe potentias pure paſsiuas, qui & hunc modum attribuit Ægidio ſuo Doctori. A quo neque Durandus omnino abhorret in eodem 2. diſtin. 24. quæſt. 2. Rationes, quibus hic modus dicendi nititur, ſunt tres. Prima quia mouens, & motum ſunt diſtincta realiter, & vnum refertur ad aliud, ſed intellectus, & voluntas mouentur in ſuis actibus: ergo mere paſsiue ſe habent ad illos. Secunda. quia efficiens, & materia ſeu agens, & paſſum non coincidunt in idem numero; vt traditur in ſecundo Phyſicorum, ſed huiuſmodi potentiæ habent rationem ſubiecti patientis reſpectu ſuarum actionum: ergo. Tertia, quia ſi voluntas, verbi gratia, eſſet cauſa efficies ſui actus nobilior eſſet effectus, quam ſua cauſa. Cõſequens fieri nequit ſaltem in cauſis æquiuocis, qualis fuit voluntas ſi eſſet productiua ſuorũ actuũ: ergo: Sequela patet, quia effectus illius eſſet voluntas actu: at voluntas volens actu nobilior eſt quam ſola voluntas: ergo. Secundus modus eſt Fonſecæ hic capit. 2. quæſt. 5. ſect. 3. aſſerentis intellectum, & voluntatem eſſe potentias actiuas, & nihilominus ſimul eſſe paſsiuas, hoc eſt, ſuarum actionũ receptiuas. Tertius modus aſſerit, quod intellectus poſsibilis ſimpliciter loquendo eſt potentia paſsiua, ſcilicet perſe primo, & reſpectu primi actus, qui eſt ſpecierum receptio, licet perſe ſecundo habeat concurſum actuum reſpectu illarum operationum, quibus intelligit: voluntas vero, quia perſe primo habet eſſe ſuorum actuum elicitiuam, & ſecundario, ac concomitanter, ſiue perſe ſecundo habet illos recipere propterea eſt potẽtia ſimpliciter actiua, & ſecundũ quid paſsiua. Pro cuius declaratione notandũ eſt quod diuiſsio hæc potẽtiæ in actiuã & paſsiuã poteſt fieri dupliciter. Primo in potẽtijs quę reſpiciũt motũ, & in huiuſmodi, diuiſsio eſt adæquata, & eſſentialis daturq; per mẽbra realiter, & eſſentialiter diferẽtia nequit enim in eandẽ potẽtiã coincidere actiuũ & paſsiuũ per motũ: ſecũdo poteſt fieri in potẽtia creata perſe primo ad aliquẽ actũ realẽ ordinata, ſiue per motũ phyſicum, qui eſt actus imperfecti, ſiue per actionem immanentẽ, quæ eſt actus perfecti, ad actũ reducatur: & ſic poteſt aliquis dicere actiuũ & paſsiuũ ſeorſum nõ eſſe diferentias adæquate diuidẽtes potentiã; eo quòd in potentijs vitalibus, & maxime in ſpiritualibus adunantur in vna ratione formali: quo pacto ſpeculatiuũ, & practicũ formaliter nõ diuidũt adæquatehabitũ in tota ſua latitudine, ſed tantũ habitum naturalẽ: ſupernaturalis nãq; ſub vna ratione formali eminentiori præhabet ſimul rationẽ practici, & ſpeculatiui: ac proinde diuiſionẽ hãc hic a Philoſopho aſsignatã ſolũ eſſe potẽtiæ materialis ordinatæ ad actũ, qui eſt cum motu. Sed nihilominus nos dicimus actiuũ, & paſsiuũ eſſe diferẽtias eſsẽtiales, & adæquate diuidentes potentiã in tota ſua latitudine: nã actiuũ, quod eſt diferẽtia cõſtitutiua potẽtiæ actiuæ, nõ eſt actiuum qualiter cũq; ſed illud quod perſe primo ad agendũ proxime ordinatur: & paſsiuũ ſimiliter, quod potẽtiã paſsiuã cõſtituit nõ eſt illud, quod qualiter cũq; recipit, ſed quod per ſe primo ad recipiẽdũ ordinatur. Vnde actiuũ & paſsiuũ ſecundũ quod ſunt diferẽtiæ eſſentiales potẽtiæ, nequeunt eidẽ ſecũdũ eandẽ formalitatẽ cõuenire: quia nequit eadẽ potentia perſe primo ad agendũ & patiendũ ordinari, bene tamẽ illa quæ per ſe primo: eſt actiua poteſt ſecundario eſſe receptiua, & è contra: & hoc modo in potẽtijs vitalibus actiuũ & paſsiuũ ſimul reperiuntur. Cũ quo tamen ſtat quod, aut ſimpliciter actiuæ, aut ſimpliciter paſsiuæ ſint, & iuxta hũc dicẽdi modũ, qui veritatis cõformior nobis videtur, patet ſolutio ad argumentũ, vt autẽ rationibus quibus nititur, primus modus dicendi faciamus ſatis opportet explicare quo pacto repugnet idẽ ſecũdũ idẽ eſſe agens, & patiens mouens, & motum, quod in ſequenti articulo præſtamus.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An ex proprijs meritis actiui, & passiui, mouentis & mobilis repugnet idem â seipso secundum idem pati, aut moueri.

13 IN hoc articulo tres versantur sententiæ. Prima affirmans est, quam sequitur Scotus in 1. dist. 2. quæst. 10. & in hoc lib. quæst. 14. & Antonius Andreas, ibidem, quæst. 1. atque Maior in eodem 1. dist. 14. quibus subscribunt Suarez tom. 1. Methasi. disput. 18. sect. 7. & Vazquez 1. 2. disp. 38. cap. 2. asserentes non requiri distinctionem inter agens, & patiens, siue suppositorum, siue partium integralium, siue potentiarum, quarum vna sit ratio agendi, & alia sit ratio paciendi, ac proinde posse optime ex meritis agentis, & passi, actus, & potentiæ idem à se ipso secundum idem suppositum, & secundum eandem partem, ac rationem formalem moueri: licet ex aliquibus causis peculiaribus aliquando inter mouens, & mobile aliqua ex dictis distinctionibus requiratur. Secunda sententia ex altero extremo negat idem â se ipso posse pati, aut moueri secundum idem: sed necessario ex meritis actus, & potentiæ exigi inter partem, aut potentiam perse primo mouentem, & motam perse primo realem distinctionem, quam docent hîc comentator, c. 2. Albertus Magnus, Aberoes, Flandrensis, quæst. 1. artic. 5. Soncinas, & alij discipuli sancti Doctoris, inter quos potissimè videndi sunt Caietanus, 1. part. quæst. 18. artic. 1. & 2. de anima, cap. 10. Ferrara, 1. contra gent. cap. 97. Capreolus in 2. distinct. 6. quæstion. 1. & Soto 9. physicorũ, quæstion. 3. quibus subscribunt Conimbricenses 7. physicor. capit. 1. quæstion. 1. art. 4. & lib. 8. cap. 1. quæstion. vnica articul. 4. Tertia sententia & veluti media est Fonsecæ, hic capit. 1. quæstion. 5. section. 5. qui ait illud cõmune pronuntiatum: *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, verissimum esse in viuentibus, & non viuentibus, si intelligatur de motu proprie dicto: non autem si intelligatur de operatione in manente quæ est actus perfectus, vt inferius patebit, &c. In quibus verbis denotat inferius in aliquo speciali loco ostendere potentias operantes, siue mouentes per actus in manentes posse perse primo secundum idem agere, & pati, & fortasse se refert ad illam lectionem 3. quæstion. 5. capit. 2. vbi (vt vidimus) asserit voluntatem, & intellectum potentias esse actiuas simul & passiuas, & si non nullam adhuc in eis admittat distinctionem, vt secundum aliquid sui patiantur, & secundum aliud sint rationes agẽdi; subditque potentiæ actiuæ diffinitionem, hic insinuatam à philosopho, nempe quod sit principium agendi in aliud debere intelligi de potentia actiua agentis principalis, & nõ de illa quæ est principium velut instrumentale agendi: hæc enim bene potest agere in ipsum, cuius est potentia.

Idem àse ipso moueri non potest.

Resp. dicendũ 1. nõ posse idẽ â se ipso moueri, aut pati motu physico, siue fit successiu⁹, siue instantanea mutatio: secũdum idem: hæc conclusio statuitur aduersus auctores primæ sententiæ, & probatur prænotando duo, primum est motum esse, & physicum, qui fit cũ aliqua mutatione, siue successiue sicut motus localis, & alterationis, siue instantanee: sicut corruptio, & generatio, & esse motum large qui supponit pro quacunque actione immanenti quæ non identificatur, cum motu, neque est actio prædicamentalis, vt alias docuimus: sed dicitur actus perfecti ad distinctionem alterius, qui dicitur, actus imperfecti propterea, quod est actus entis in potentia prout in potentia, &c. De motu igitur primo modo, procedit nostra conclusio: de motu enim in secunda aceptione procedit tertia. Secundum est quod, *ly*, secundum idem; potest denotare identitatem, aut suppositi, aut partis integrantis, si primum, fit sensus, quod idem suppositum, nequit moueri ab eodem supposito. Et sic sensus planè est falsus, quia idem medicus curat se ipsum, & idem animal mouendo se localiter, mouet se ipsum. Si secundum, fit sensus, quod idem suppositum secundum eandem partem integralem, nequit esse mouens, & motum, & hoc est, quod appellat D. Thom. lib. 7. physicorum, lection. 1. moueri aliquid à se perse primo, prout *ly*, perse, distinguitur contra per accidens, & contra hoc quod est moueri secundum partem integralem, quod enim mouetur à sua parte mouetur perse, ideſt non per aliud numero, sed per aliquid sui: non tamen dicitur moueri perse primo, nisi in eadem parte sit virtus mouendi, & principium patiendi seu recipiendi motum, & in hoc sensu procedit nostra conclusio. In qua asserimus idem secundum, idem â se ipso moueri non posse ad hunc sensum, quod idem suppositum, nequit secundum eandem partem esse mouens, & motum; agens & patiens. Probatur primo, quia in hoc lib. cap. 1. asserit philosophus, haud semel potentiam actiuam, & passiuam esse indiuersis subiectis, ac proinde diuersas esse re ipsa, & propterea ait libr. 5.

huius, cap. 12. lib. 7. phyſicorum, c. 1. & lib. 8. text. 28. mouens, & motum diſtingui realiter nihil quo à ſe ipſo ſecundum idem poſſe moueri ex quibus teſtimonijs, depromptum fuit à phyloſophis illud vulgare axioma: *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, in quibus perſpicuum eſt philoſophum loqui de illo, quod mouet, & mouetur per motum phyſicum, qui apud phyloſophos nomen motus promeretur: ergo. Secundò, nam tripliciter aliquid poteſt moueri à ſe ipſo motu phyſico. Primo modo libere prout homo dicitur moueri à ſe quoties aliquem motū externum libere exercet. Secundo, ſponte id eſt affectu apetitus ſpontaneo quo pacto animalia bruta mouentur à ſe. Tertio modo, contingit aliquid moueri à ſe, quia à ſe ipſo poſt quietem, motum incoat: qua ratione nedum animalia, ſed etiã plantæ à ſe mouentur dum â ſe ipſis pro certis temporibus floreſcunt; flores & fructus emittunt. Et hoc triplex genus mouendi ſe eſt viuentibus proprium. Sed in omnibus hijs modis non contingit quod viuens perſe primo moueatur à ſe, quia nunquam idem ſecundum ſe totum eſt quod primo mouet, aut quod primo mouetur: ſed ſecundum vnam partem primo mouet, & ſecundum aliam, vel ſecundum totum mouetur: ergo non ſaluatur, quod idem ſecundum idem perſe primo, à ſe ipſo moueatur, patet minor, quia in omnibus viuentibus ad prædictos motus eadatur partium integrantium diſtinctio, vt alia ab alijs moueri poſsint motumque incoare, vt tradit etiam philoſoph. 1. de anima, capit. 2. lib. 2. cap. 2. text. 13. & 8. phyſicorum, cap. 4. tex. 29. vbi in hoc diſtinguit viuentia à non viuentibus, quod illa ſe moueant aliquo ex præfatis modis ſemouendi propter partiũ integrantium diſtinctionem, ac ætherogeneitatem: ſecus autem iſta, defectu talis partium diſtintionis, igitur ſi ſola viuentia à ſe ipſis poſſunt moueri, & hæc non mouentur â ſe ſecundum idem manifeſte ſequitur, nihil poſſe â ſe ipſo ſecundum idem moueri. Tertio arguitur: quando aliquid mouetur à ſe ipſo, vel illud ſecundum ſe totum eſt mouens, & motum, vel ſecundum vnam partem eſt motum, & ſecundum alteram mouens. Non poteſt dici primum, quia ſic idem ſecundum idem eſſet in actu, & in potentia: quia vnum, quodque mouet, & agit ſecundum, quod eſt in actu, & mouetur, ac patitur ſecũdum quod eſt in potentia, quod eſt impoſsibile. Si dicatur ſecundum: ergo iam non mouet ſe ſecundum idem, neque idem mouetur â ſe perſe primo, ſed per alterum, ſcilicet, per partem. Neque obſtat ſolutio Scoti, & ſequatium qua vim huius rationis enneruare conantur. Dicentes idem non poſſe eſſe ſimul in actu, & potentia formali: bene tamen in actu virtuali, & in potẽtia formali: & quia actio mouens eſt æquiuoca non procedit ab actu formali, ſed ab actu tantum virtuali, ſicut enim piper per calorẽ virtualem quem habet poteſt alterare linguam, & cauſare in illa calorem formalem, ita ad cauſandum calorem, verbi gratia in ſe ipſo ſufficeret calor virtualis, qui compatitur, cum potentia formali: ad calorem. Non in quam hæc ſolutio valet, nam vnum quodque agit in effectum per ſuam formam, per quam ſi eſt formaliter tale, qualis eſt ſuus effectus, nequit eſſe in potentia ad illam. Si autem eſt virtualiter, ſiue eminenter tale, vt contingit in agente æquiuoco, eo ipſo quôd habet formam, virtualiter præhabentem formam effectus nequit eſſe illius ſuceptiuum, quo pacto ſol nequit calorem ſuſcipere, quia habet formam in qua calor præhabetur virtualiter: ergo, tam cum actu virtuali, quam cum formali repugnat potentia formalis ad eandem formam, ac proinde argumentum manet in concuſſum. Quarto probatur: nã duæ relationes reales, oppoſitæ nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto ſecundum idem eo quod oppoſita nequeunt eidem ſecundũ idem conuenire. Sed motiui ad mobile, ſiue mouentis ad motum ſunt duæ relationes reales, & oppoſitæ: ergo non poſſunt eſſe in eodem ſecundum idem; quod tamen ſequeretur ſi idem à ſe ipſo perſe primo, vel ſecundum idem numero moueretur. Minor probatur prænotando ex Conrrado 1. 2. q. 9. ar. 3. ad 1. Capreol. in 2. diſt. 24. ad argumenta contra concluſionẽ quintã, & Fland. vbi ſ. quod relationes oppoſitæ ſunt in triplici diferẽtia. Aliæ quidem ſunt in compoſsibiles in eodem ſubiecto, & natura, vt relationes cauſæ, & cauſati, generantis, & geniti, producentis & producti, &c. Et huius ratio eſt; quia cauſatũ realiter depẽdet in fieri, vel etiam in eſſe ſimpliciter à cauſante: nihil poteſt autẽ à ſe ipſo realiter dependere. Vnde perſpicuum fit, quod motu generationis, aut actionis productiuæ, per quã mobile accipit ſuũ eſſe, nihil poteſt moueri à ſe ipſo. Aliæ vero ſunt relationes in cõpoſibiles in eodẽ ſuppoſito, ſed non in eadẽ natura, & huiuſmodi ſunt relationes producentis, & producti abſque dependentia, & cauſalitate in diuinis perſonis, quatũ vna origine tantũ eſt prior alia: ſunt deniq; aliæ relationes cõpoſibiles in eodẽ ſuppoſito, & natura: ſed non ſecundũ eandem partẽ, & huiuſmodi ſunt relationes agentis, & paſsi, mouentis, & mobilis: ergo nequit idẽ ſecundũ idem moueri à ſe ipſo, ſicut nequit ſecundũ idem eſſe fundamentum huiuſmodi oppoſitarum

relatio-

relationum mouentis, scilicet, & mobilis.

Vnde huius impossibilitas oriatur.

14 Dico 2. hæc impossibilitas, vt idem à se ipso secundū idem moueatur motu, aut mutatione physica oritur ex meritis agentis, & passi mouentis, & mobilis. Hæc conclusio statuitur aduersus eosdem auctores primæ sententiæ, & probatur primo: nā cōmunis effectus in cōmunem causam debet reduci: sed nihil tam in viuentibus, quā in non viuentibus potest moueri secundū idem â se ipso: ergo hæc impossibilitas incōmunem aliquam causam debet reduci: nulla autē aparet, nisi mutua distinctio, quā postulat agens, & passū, mouens & mobile, & mutua habitudo, qua vnum postulat esse in actu, & aliud esse in potentia: ergo. Secundo: nā agens, & passum ex proprijs meritis debent esse dissimilis dispositionis, sed dissimilis dispositio arguit distinctionem inter subiectū virtutis actiuæ, & subiectū potentiæ passiuæ: ergo hæc erit ex meritis agētis, & passi. Minor est nota, & maior probatur, quia omne agens, cū nitatur assimilare sibi id in quod agit nō potest agere in omnino simile. Similitudo enim obstat actioni: qua ratione calidum, vt quatuor nequit agere in aliud calidū eiusdem gradus caloris, vt alias ostendimus. Requiritur ego dissimilitudo inter agens, & passum; & cū nihil sit similius vnicuiq; rei quā ipsa sibi: nulla dissimilitudo, eiusdē rei ad se ipsam repetitur: ac propterea nulla res in se ipsam, primo agere; nullaq; se ipsam secundū idem mouere poterit. Tertio, nā ex meritis agētis, & passi mouentis, & mobilis deductū fuit illud cōmune, & receptissimū, apud physosophos axioma: *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, & illa diffinitio, quā philosoph. in hoc c. & 10. lib. 5. potētię actiuæ assignat. Dicēs potētiā actiuā esse principiū mutationis in aliud in quantū aliud est: igitur ex meritis agentis, & passi requiritur alietas inter mouens, & mobile, neq; non inter potētiā actiuā, & id circa quod agendo versatur.

Dico tertio, nihil potest se ipsum primo mouere motu illo, qui est actus perfecti, siue immanens operatio, ita vt eadē sit ratio mouendi, & recipiendi motū. Hæc concl. statuitur, aduersus authores tertiæ sentētiæ. Et probatur primo, nā sicut ex meritis mouentis, & mobilis, actus, & potentiæ, in his quæ mouentur a se ipsis motu physico requiritur partiū integrantiū distinctio, & propterea nihil primo, se ipsum potest mouere, ita vt idē secundū se totū sit mouens & motū. Ita ex meritis agentis, & passi respectu actionis immanentis quæ fit sine physico motu requiritur distinctio saltē rationū formaliū, licet non designetur distinctio partiū integraliū: ergo intentū. Confirmatur, nam nihil potest esse secundū eandem rationem in actu, & in potentia, vt ostendimus in prima assertione. Si autem motu, qui est actus perfecti: posset eadem res secundū eandem rationem formalē esse agens, & patiens, idem secundū eandem rationem esset in actu, & in potentia; quia vnum quodque agit in quantum est in actu, & patitur in quantū est in potentia, etiā si passio, sit actus perfecti receptio: ergo. Tertio, nam etiā mouens, & motū per motū, qui est actus perfecti fundant relationes mouentis, & moti, agentis, & passi: quæ sunt incōpossibiles in eadem potentia, & ratione formali: illa enim petit pro fundamento rationē agendi, siue potentiā actiuam. Hæc vero rationē patiendi, siue potentiā passiuam inter quas aliqua formalis distinctio ex natura rei debet interuenire: ergo. Quarto: nā si in aliquibus coincideret ratio agendi, & patiendi motū, qui est actus perfecti: maximē in intellectu, & voluntate: sed in hijs potentijs, etiā alia est ratio agendi à ratione patiendi. Et enim D. Th. 1. 2. q. 9. art. 3. ad primū, illud axioma receptissimū: *Omne quod mouetur ab alio mouetur*. Docet saluari in volūtate, quia secūdū aliud mouet se ipsam, & secuudū aliud mouetur. Quia secundum, quod est actuata per volitionem finis reducit se ad actū volitionis, eorū quæ sunt ad finem. Et in quæst. 6. de malo art. 1. idē asserit pariter de intellectu, & voluntate dicens in hæc verba. *Quantū, ad exertitiū actus manifestū est, quod voluntas mouetur à se ipsa: sicut enim mouet alias potentias, ita & se ipsam mouet, neq; propter hoc sequitur, quod voluntas secundū idem sit in potentia, & in actu. Sicut enim homo secundū intellectū in via inventionis, mouet se ipsum ad scientiā in quantū ex vno noto, venit in aliquod ignotum ita per hoc quod homo vult aliquid in actu, mouet se ad volendū, aliquid aliud in actu. sicut per hoc quod vult sanitatem mouet se ad volendū sumere potionē, &c.* Vnde & Capr. egregie vbis. ad primū cōtra conc. 5. aducit illā diffinitionē potentiæ actiuæ, quod sit principiū transmutādi aliud, & si a physosopho solū pro potentia trāsmutatiua physicæ materiæ assignetur posse nihilominus extēdi ad intellectū, & volūtatē, quia secundū aliud, & aliud sunt rationes agendi, & recipiendi. Ex quibus patet nō infringi hāc rationē à Suar. dū illā nititur solvere dicens potētiā actiuā esse principiū agēdi in aliud, quę est actiua per motū, & actionē transeuntē: secus autē illā quæ est actiua per actū immanentē, nā etiā de hac est verū, quod est principium agendi in aliud formaliter loquendo, vel quasi in aliud, quia agendo in se ipsam secundū aliam rationem, agit quasi in aliud. Vnde & phys. 8. huius txt. 17. diffuntiue potētiā actiuā diffiniuit dicēs, quod potestas

eſt principiũ mouendi in altero, aut in quan tũ alterũ, denotans, idem poſſe eſſe ſui ipſius tranſmutatiuũ, licet aliter, & aliter. Confirmantur hæc omnia tripliciter. Primo, quia alias nulla ratione poſſet demonſtrari, primũ motorẽ debere eſſe purũ actum omnino immobilẽ: ſiquidem poſſet idẽ ſecundũ idem agere in ſe ipſum, quod tamen eſt à vera phyloſophia alienum. Secundo propterea probat phyloſophus. Tertio de anima, vt ſæpius dictum eſt & D. Thom. 1. p. quæſt. 79. artic. 7. diſtinctionem intellectus agentis, & poſsibilis ex meritis, ſcilicet agentis, & paſsi, etiam ſecundum motum, qui eſt actus perfecti. Tertio, quia vt egregie notat Caie. in loco præallegato, tertio de anima ad actiones corporeas, quia inſident organis determinatis requiritur diſtinctio virtutis, & partis integralis cui in eſt virtus illa. Vt in oculo eſt virtus & pars mouens reliquas, in auditu ſimiliter, &c. Et in viuente eſt pars, & virtus augmentatiua augens perſe alias partes, & ſe ipſam per accidens ad augmentum totius, ad actiones verò ſpirituales quæ fiunt ſine motu phyſico ſufficit diſtinctio ſecundum conſiderationem ſeu rationem agendi, quæ eſt principium quo, & rationem patiendi, &c.

15 Sed contra hoc arguitur: primo, nam in cauſis æquiuocis idem poteſt eſſe in actu virtuali ſecundum formam, ſcilicet eminentiorem, & in potentia ad formam inferiorem neque enim illis repugnat carentia formæ inferioris, & potentia ad illam cum forma eminentiori: ergo ex meritis actus, & potentiæ non requiritur diſtinctio inter mouens, & motum, niſi tantum in agente vniuoco, quod mouet ad productionem formæ omnino eiuſdem rationis. Confirmatur, nam piper, qui eſt virtualiter calidus, ſicut calefacit linguã, cui aplicatur, ita etiam poteſt calefacere ſe ipſum, vnde etiam aplicatus linguæ, iam calidæ mutuo ab illa recipit calorem, quem ipſe illi impreſerat: ergo inmediate potuiſſet in ſe ipſo cauſare calorem eundem. Reſpondetur ad hoc argumentum, quod nedum in vniuocis, verum etiam in æquiuocis agentibus repugnet, idem eſſe mouens, & motum ex meritis agentis, & paſsi, actus & potentiæ, quia ſicut actus formæ talis, verbi gratia, caloris excludit à calido formaliter potentiam ad ſuſcipiendum calorem à ſe ipſo, ita actus formæ eminenter præhabentis calorem remouet potentiam ad ſuſcipiendum calorem à ſe ipſo. Et enim, aut connaturaliter, aut violenter, & præter naturam ſuam debet illius eſſe ſuſceptiuum: neutro modo, nõ violenter, & præter naturam, quia omnis violenta mutatio debet prouenire ab extrinſeco, paſſo non conferente vim. Non connaturaliter, quia numquam forma inferior eſt connaturalis illi, quod habet formam ſuperiorem virtualiter præhabentem illam. Quo pacto ſol eſt in capax recipiendi calorem, quem prehabet eminenter. Et piper & ſi non ſit incapax recipiendi calorem, quem præhabet virtualiter, eo quod violenter poteſt illum ab extrinſeco a gente recipere, tamẽ nequit illum connaturaliter recipere. Et quia ſi à ſe ipſo illum reciperet, eſſet connaturalis, talis receptio, propterea nequit à ſe ipſo illum recipere, & ſicut natura refugit, hoc quod eſt agere in ſui corruptionem, etiam refugit proportionabiliter in ſingulis ſuppoſitis tribuere eis potentias quæ perſe agant in ſui tranſmutationem phyſicam eò quòd omnis motio, ac mutatio diſpoſitio ſit ac veluti quædam corruptionis participatio, quo ſuppoſito ad formam argumenti negatur antecedens. Ad cõfirmationem negatur ſimiliter antecedens, licet enim piper poſsit à lingua calefacta calefieri, quia omne agens naturale, dum agit repatitur: tamen in hac mutatione non mouetur à ſe, ſed à lingua ſicut poſſet tranſmutari ab igne ſi eſſet illi propinquus: à ſe autem ipſo nequit calorem inmediate recipere, quia aut calor ille produceretur ab ipſius forma per naturalem reſultantiam, vt proprietas illi connaturalis. Et ſic tribuetur eius productio non piperi, ſed generanti. Sicut generanti, aquam tribuitur reſultantia frigiditatis in aqua: aut produceretur, vt accidens extraneũ per veram tranſmutationem, & hoc modo nequit fieri productio caloris, niſi ab extrinſeco a gente: hoc enim eſt, quod refugit natura, dare non viuentibus potentias inmediate ad ipſorum transmutationem ordinatas. Siue quia ſunt in actu formali: ſiue quia ſunt in actu virtuali eminentioris formæ: ex quo oritur, quod non ſint in potentia ad ſuceptionem talis formæ connaturalem, qualis eſſet illa quæ fieret ab eorum naturalibus potentijs. Secundo arguitur, dantur potẽtiæ ſimul actiuæ, & receptiuæ reſpectu eorundem actuum in manentium, verbi gratia, intellectus & voluntas: ergo in iſtis idem omnino eſt mouens & motum. Conſequentia patet, quia intellectus eſt principium actiuum intellectionis, & receptiuum eiuſdem. Similiter voluntas ſecundum ſe totam eſt ratio eliciendi volitionem, & ſecundum ſe totam eſt ratio recipiendi illam: ergo, ſimul ſecundum idem eſt mouens, & mota. Confirmatur, nam voluntas, & ſi reſpectu electionis mediorum non ſit ipſa ſola ratio agendi: tamen reſpectu volitionis finis eſt ipſa ſola ratio agendi, cum illa volitio à ſola voluntate actiue phyſice, & libere

libere quoad exercitium procedat. Et simul est ratio illam recipiendi: ergo saltem respectu talis volitionis est secundum idem mouens & mota. Ad hoc argumentum quantum attinet ad potentiam intellectiuam respondetur facile, quod ratio agendi in illa distinguitur â ratione recipiendi realiter, sicut includens ab incluso: est enim ratio agendi non solus intellectus, sed intellectus actuatus speciebus solum: vel simul speciebus, & habitibus. Ratio autem recipiendi est solus intellectus in quo omnes intellectiones immediate recipiuntur, & in hoc conuenit Suarez, nobiscũ. Sed quod attinet ad voluntatem triplex est modus dicendi, primus est ipsius Suarez asserentis voluntatẽ secundũ idem esse mouentem, & motã in multis actibus. Secundus est Sonzinatis in hoc 9.q.17. allerentis quod etiã in voluntate ratio agendi distinguitur a ratione patiẽdi, sicut includens ab incluso, quia ratio agendi est voluntas cum aprehensione obiecti actiue etiã concurrente ad elicientiã volitionis. Eundem modũ dicendi sequitur Caietanus 1.p.q.27.art.4. & q.80.art.2. & 1.2.quæst.9.art.2. & q.22.art.2. Conrad. 1.2. q 9.art.1. Medina ibid. dub. 2. concl. 2. Durandus in 2.distin.24.q.2. Gregorius Gabriel, & Dionisius Cistercienſis, in 25.distinct.2. sententiarũ quibus Fonseca subscribit, hic cap. 2.q.6.sect. 2. Tertius modus & tum veritati, tum sancto Doctori conformior est, quod ratio agendi in voluntate respectu actuum circa media, est ipsa voluntas, vt actuata per volitionem finis, & ratio patiendi est sola volũtas. Respectu vero actus circa finem non mouet, sed mouetur a Deo in sensu inferius explicando. Hic modus est proculdubio Doctoris sancti in locis prealegatis, nempe in 1.2.q 9.a.3. ad primum, & quæst.6. de malo art.1. & 3. contra gentes, cap.89. quem sequuntur Capreol. in 2.distin.25.quæst.1.art.3. & Ægidius in eodem 2.distin.25 quæst.5. Ferrar. 1.contigentes, cap.44. fauet Caietanus, q.9. prealegata, arti.3. & probatur primo, impugnando alios duos priores modos dicendi. Primus nãque deficit, quia inter agens, & patiens, mouens, & motum etiam respectu motus, qui est actus perfecti debet dari aliqua distinctio realis in absolutis antecedẽter ad relationes ipsas: ergo & in volũtate debet dari talis distinctio, vt secũdum aliquid sit principiũ actiuũ, & secundum aliud sit passiuum sue actionis. Et cũ non possit in voluntate dari talis distinctio, vt alia sit pars mouens, & alia sit pars mota sicut datur in viuentibus, debet dari distinctio formæ seu rationis agẽdi, & illius in quo talis motio recipitur. Cõfirmatur, quia alias nõ posset voluntas fundare relationẽ agentis & passi: istæ enim relationes secundũ idẽ ne queunt in eodem subiecto fundari, vt dictum est: ergo assignanda est in volũtate ratio actiui distincta ab eo quod recipit, vt saluentur alterius rationum distincta, ac debita fundamenta. Secundo modo deficit, quia supponit aprehensionem obiecti effectiue cõcurrere ad actũ voluntatis: quod tamen authores tertij modi nõ admittunt & merito, quia aprehensio tãtum cõcurrit per modum cõditionis proponẽtis obiectũ, quod probatur multis rationibus, primo quia D. Tho. 1.p.q.27.ar.4. cõ distinguens voluntatẽ ab intellectu, ait illã cõstitui in actu primo per intrinsecã inclinationẽ, & non indigere aliquo extrinseco sicut indiget intellectus, qui per similitudinẽ obiecti extrinseci cõstituitur in actu primo, & q.82.a.4 ait voluntatẽ moueri a bono aprehenso, vt a fine & 1.2.q.9.ar.1. dicit moueri a bono aprehenso, vt a principio formali extrinseco, atq; vt ab obiecto, igitur in sententia Doctoris sancti nullã efficientiã habet bonum aprehẽsum respectu volũtatis qua re falso a Fons. adducitur pro eius sententia. Secũdo, quia aliquando mouetur volũtas a bono aparenti, quod non existit aparte rei, vel abete rationis aprehẽso sub ratione boni; sed quod nõ existit realiter quit effectiue causare: ergo neq; valet dicere quod tũc causalitas effectiua cõuenit obiecto aprehẽso, nõ ratione sui, sed ratione aprehensionis: nã aut aprehensio cõcurret effectiue vt instrumentũ volũtatis, aut vt causa principalis, sed neutrũ potest dici, nõ primũ, quia tunc aprehensio esset inferioris naturæ, & cõditionis, quã voluntas cui deseruit, vt instrumẽtũ: nõ secundũ, quia aliàs amor charitatis regulatus aprehensione obscura in via, & regulatus cognitione clara in patria differrent specie siquidẽ differrent tãquã effectus duorũ principiorũ efficientiũ specie distinctorũ quod tamen est falsum: ergo. Tertio, nã causæ cõpletæ, & integræ rationi agendi nequit fieri alterius additio: sed volũtas actuata per charitatẽ v.g. est integrũ, & cõplerũ principiũ: pro vitalitate enim sufficit volũtas, & pro tali vitalitate, & actione, scilicet supernaturali sat est charitas: tota igitur vitalitas, & supernaturalitas præhabetur in volũtate, vt sic actuata. Quarto, quia alias in eodẽ genere causæ volũtas moueret intellectũ, & moueretur ab illo, scilicet in genere causæ efficientis, qđ tamẽ repugnat veræ Philosophiæ: ergo & antecedens. Hac ratione vtitur D. Th. in artic. prealegato, q.82. ad probandũ volũtatẽ a bono aprehẽso, solũ vt a fine moueri. Quinto: nã respectu actus charitatis in via nequit effectiue principaliter actus fidei concurrere, aut obiectũ per illũ aprehẽsũ: ergo idẽdicẽdũ

est

est de alijs. Antecedens patet, quia actus fidei, & eius obiectū, quod est veritas prima, vt aprehēsa à viatore minus perfecta sunt, quā dilectio charitatis, & bonitas diuina secūdum se, quæ est obiectum charitatis, causa autem effectiua principalis debet esse nobilior suo effectu, aut saltē æque nobilis cum illo: ergo nullo pacto aprehensio est ratio agendi potentiæ apetitiuæ, qua propter dicendum est iuxta tertium modū dicendi voluntatem ab obiecto aprehenso, vt à fine & tanquā à causa formali extrinseca, ab aprehensione vero tanquam à conditione aplicante proponente, & necessario requisita moueri, sed nihilominus, quia respectu volitionum mediorum non est sola voluntas ratio agendi, sed volūtas actuata per volitionem finis, propterea non saluatur, quod idem secundum eandem rationem sit mouens, & motum. Fundamentis autē quibus probant authores primi, & secundi modi dicendi suas sententias, & si non sit huius loci de hijs, disputare, obiter tamē satisfaciam: ad fundamentum enim primi modi dicendi, quia nullū aliud est, quā quod aprehensio nō concurrit effectiue ad volitionē, & volitio finis non semper præsupponatur ad actum voluntatis, nullaq; ratio agendi resset, nisi sola voluntas, illa sola erit ratio agendi, & recipiēdi, saltem respectu volitionis non præsupponentis amorem finis; dicetur in solutione cōfirmationis: nunc autē dicamus ad argumenta secundi modi, quorum primum desumitur ex testimonijs philosophi, ac sancti Doctoris: Philosophus namq; tertio de anima text. 55. ait, quod appetibile in anima est mouens non motū, mouens autem est de genere efficientis, & fauet D. Tho. 1. 2. q. 9. ar. 10. qui ait quod voluntas mouetur ab intellectu, quoad specificationem, & 1. p. q. 27. ar. 3. ad tertium, ait: quod verbum substātiale, scilicet, diuinū est principium amoris actiuum, & cum substantiæ ratio non variet genus causæ, videtur idem sensisse de quolibet conceptu. Secundo arguitur ex cōditione intellectus, qui mouet volūtatem per imperium quod est actus practicus, sed talis motio est effectiua: ergo. Tertio, ex indifferentia ipsius volūtatis quæ vt sic est principiū comune, & indiferens ad plures actus etiā diuersos specie: vt ergo magis hunc actū talis speciei elliciat aliquod aliud principiū debet à sociari voluntati, & nō est aliud nisi aprehensio: ergo. Quartò, ex actibus primo primis, qui à voluntate simul cum notitia, seu ab obiecto cognito effectiue producuntur, quia cum sint naturales, & necessarij, eorum necessitas non aliunde prouenire potest nisi ex efficacia obiecti cogniti: ergo idem dicendum est de liberis. Ad primum respondetur ex illis testimonijs, solum conuinci aprehensionem, seu obiectum vt aprehensum concurrere, vt exemplar, vt causa formalis extrinseca mensurans, & vt finalis finalizans, quæ vt sic est mouens non mota. Ad secundū quod motio imperij potest considerari dupliciter, primo modo vt est propositio, & aprehensio obiecti, (si forte vtrumq; præstet eadem actio intellectus, scilicet imperare, & proponere, quod puto aliter se habere) & sic tenet se ex parte obiecti, & tantum cōcurrit, vt conditio obiecti, & finis, vt hucusque dictum est, mouetq; voluntatem quoad specificationem actus. Secundo modo, vt imperans voluntati hic, & nunc operis seu elle ctionis exequutionem, & sic mouet eam effectiue. & tantum quoad actus exercitium, quia hac motione mouet intellectus nodum volū tatem, sed cæteras potentias, vt motus a volū tate, quia vt sic est practicus: & propterea de primo ad vltimū voluntas est primū mouens quoad exercitium, & hunc secundū modum motionis effectiuæ quoad exercitium, nō negamus intellectui practico respectu voluntatis, & aliarū potentiarū. Ad tertiū resp. quod voluntas, vt determinetur quoad actus specificationem non indiget principio determinā te, ac mouente effectiue, sed tātum principio determinante formaliter extrinsice, quia specificare, & determinare speciē actus proprie loquendo, nisi terminis abutamur, nō effectiui, sed formalis principij est. Ad quartū quod actus primo primi à sola propensione naturali volūtatis circa bonū aprehensum, nec dum deliberatū elliciuntur, quod amplius ex solutione cōfirmationis patebit. Ad quæstionē vt respōdeamus, & simul fundamētū primi modi dicendi eneruemus varios modos dicendi oportet breuiter recensere: longioré huius negotij discusionem in quæst. 9. 1. 2. vbi hæc disputatio de primo motu voluntatis, circa finem habet propriam sedem, reseruantes.

Varijmodi dicendi de primo motu voluntatis.

16 Primus igitur modus dicendi est Capr. in 2. d. 24. q. 1. ar. 3. ad argum. cōt. 5. & d. 25. q. 1. a. 3. ad arg. Henr. & Sco. cōtra primā, asserētis, quod primus motus volūtatis a solo Deo producitur effectiue in volūtate, tātū ad illū passiue se habente; sicut lapis respectu motus deorsum tantū passiue se habet. Vnde iuxta hāc sententiā ratio agendi illū actū est Deus, & ratio patiendi est voluntas, ac proinde aliud est mouens, & aliud motū. Huic sententiæ fauet Vega, lib. 6. Cōc. Trid. c. 8. dicens omnē motū nō deliberatū, qui dicitur primo primus esse effectiue a solo Deo. Secūdus est Marsil. in 2. d. 16. ar. 3. asserentis solā cognitionē obiecti esse principiū efficiens a quo producūtur in volūtate illæ volitiones primariæ & naturales

les, quibus subito tãgitur ipsa volũtas. Tertius est Ferrar. 3. cõt. gent. c. 89. 9. *ad euidentiã huius rationis*, principiũ effectiuũ *quod*, illius primæ volitionis esse Deũ; principiũ vero, *quo*, effectiuũ mediãte quo Deus producit illã, esse ipsam voluntatẽ, quo pacto principiũ proximũ, *quo*, mediante quo generans producit naturale motũ in corpore graui, aut leui est ipsa grauitas, aut leuitas, & iuxta hanc sententiã etiam saluatur distinctio inter mouens, & motũ, quia voluntas se habet in illo actu vt mota, & generans, nẽpe Deus, vt mouens principale. Quartus est, Patris Iorcæ Cistertiensis, in 1. 2. disp. 14. sect. 2. §. *hijs ergo*, asserentis primũ actũ aliquando, licet per accidens, cadere sub consilio & deliberatione; propterea, quod contingit finis bonitatẽ imperfecte â nobis pro hoc statu cognosci, & sic contingit illã cadere sub dubitatione, consilio, &c. Et tunc volũtas se mouet in virtute alterius actus quo deliberat ad finis volitionẽ, quæ tunc per accidens non est actus primus: at perse & ex proprijs meritis volitio finis est actus primus præueniens omnẽ deliberationẽ: & quando adest perfecta cognitio finis de facto est primus actus præueniens consiliũ, & deliberationẽ, & tunc volũtas in illo nõ se mouet, sed mouetur à Deo. Sed omnes isti modi dicendi defficiunt âveritate, primus quidẽ, quia primus actus volũtatis est volũtarius, vitalis, spontaneus, & aliquando liber quoad exercitiũ, ac proinde capax meriti, & demeriti: ergo procedit actiue à voluntate. Tum etiã quia voluntas, vt natura habet principiũ efficiens suorũ motuũ naturaliũ: quod enim alijs motibus naturalibus non defuit, volũtati vtpotẽ naturali minime deesse potuit. Tum quia exemplũ defficit: grauibus enim, & leuibus denegat virtutẽ actiuã suorũ motuũ, quã nos articulo sequenti ostendemus illis conuenire. Secundus etiã defficit propter easdẽ rationes, & quia cũ primus actus circa finẽ sit liber quoad exercitiũ, & meritorius, vel demeritorius: in voluntatẽ, vt in principiũ proxime agens debet reduci, & nõ in solã cognitionẽ. Tum quia cognitio vt ostensum est, quatenus est mera obiecti aprehensio seu propositio, nullũ in volũtatẽ habet cõcursum effectiuũ. Tertius defficit, quia si volũtas est principiũ, *quo*, proximũ actiuũ, & aliàs est virtus, & potentia animæ seu hominis, in hominẽ, vt principiũ *quod*, debet reduci talis volitio; vnde absolute homo est, qui dicitur velle finẽ & bonũ in communi, sicut etiã motus lapidis, quia actiue procedit â grauitate, vt â principio, *quo*, proximo, à graui ipso procedit, vt à principio, *quod*, licet nõ principali. Quartus deniq; defficit à veritate: primo, quia D. Tho. absolute in 1. 2. q. 9. a. 3. dicit voluntatẽ nõ se mouere in primo actu, & cũ negatio sit malignantis naturæ; fit sensus quod nũquã in primo actu qui est volitio finis, se mouet: ergo nõ est admittenda illa exceptio. Secũdo quia teste D. Tho. ibid. q. 14. ar. 2. cõsiliũ, & deliberatio tãtũ sunt de hijs quæ versantur circa media, quod si aliquãdo est de fine; hoc contingit quãdo finis est proximus, & accipitur vt mediũ ad vlteriorẽ finẽ: ergo nunquã in primã volitionẽ finis, vt finis est, cadit consiliũ, & deliberatio. Quare quintus modus dicendi, & veritati, ac sancto Doctori in loco prælegato quæst. 9. cõformis, asserit, voluntatẽ in primo actu qui est finis amor, siue comunis, & vniuersalis, quẽ homo proponit sibi prosequendum à principio suæ vitæ, siue particularis â quo incipit quod libet negotiũ, nõ se mouere, sed moueri à Deo: licet talis actus effectiue physice, vt potè vitalis, & volũtarius, à voluntate egrediatur. Hunc sequuntur discipuli sancti Doctoris, cũ suo authore in loco prælegato, Caiet. Conrad. & Med. dub. 1. quibus subscribũt Fõsec. hîc, c. 2. q. 5. sect. 2. Vazq. 1. 2. disp. 38. cap. 3; & si nõ nullis adiectionibus implicent suã sententiã, quarũ censurã in alĩ locũ reseruamus: re tamen ipsa idẽ atq; Caiet. Cõrad. ac Medi. sentiunt, duobus tamen modis id explicatur, primo vt in prima volitione finis distinguam rationẽ aplicationis, qua volũtas aplicatur, & rationẽ integri cõsensus, quo supposito, dicũt quidã iuniores Thomistæ, quod respectu primæ volitionis, vt est integer cõsensus, voluntas se mouet: & ratio agendi nõ est sola voluntas, sed volũtas vt actuata per illã volitionẽ, vt aplicatio est, quæ vt sic præcedit se ipsam in ratione consensus: at respectu illius vt aplicatio est, à solo Deo mouetur. Potest hæc sententia suaderi primo, quia qui libet actus volũtatis est simul cõsensus, & aplicatio: & Deus prius natura nos aplicat, quã nos metipsos aplicemus ad volendũ, & per suũ auxilium caulat primã aplicationẽ nostræ voluntatis: vnde in effectibus gratiæ operãtis, ita videtur esse dicendum, quia prima volio, qua volũtas incipit à malo cõuerti in bonũ vt aplicatio; est à Deo, & vt consensus est à nobis, vnde & vt sic est actus liber, & laudabilis: ergo. Secũdo quia hãc distinctionẽ videtur fecisse Pau. c. 7. ad Rõ. vbi loquens de motibus volũtatis primo primis sic ait: *Nõ enim quod volo bonũ hoc facio, sed quod nolo malũ hoc ago, si autẽ quod nolo illud facio: iã nõ operor, sed quod habitat in me peccatũ, &c.* quasi diceret, quod licet isti motus sint ab homine eliciti, tamẽ illi nõ tribuũtur, sed peccato habitãti in homine, a quo veluti homo aplicatur, & inclinatur ad hos motus: ergo idẽ dicendũ est do alijs motibus primis, voluntatis. Sed quia difficile est distinguere rationem cõsensus, & aplicationis, in eadẽ volitione, cũ illa præcẽdentia assignata quod prout aplicatio, sit prior se ipsa, & veluti causa sui in ratione cõsensus: & alias D. Tho.

Præfertur Caietanus dicens illũ aplicatiue à Solo Deo esse, siue morãliter.

Thom. abſolute negat volũtatẽ in primo actu ſe mouere, & vt cõſenſus eſt primus actus; propterea aliorũ placet ſolutio qui dicunt volũtatẽ nõ ſe mouere moraliter in illo primo actu, quo vel vult finem in comuni, vel quo incipit quod libet negotiũ in particulari; hoc eſt, quia nõ ſe mouet vt agens morale, de cuius ratione eſt, vt ſic quod ſe moueat ex præconcepto aliquo fine, quod eſt principiũ mouendi in moralibus, ſicut anima eſt primũ principiũ agendi in viuentibus. Nihilominus mouet ſe phyſicè, quia ille actus vitaliter, & libere phyſice egreditur à volũtate in genere cauſæ phyſicæ principalis. Quia tamen quãdo volũtas erat veluti quieſcens ab omni amore finis, & incipit velle magis hunc quã illũ finẽ, nõ mouetur præciſe à ſe ipſa, neq; ex aliquo præuio affectu ad finẽ, ſed ab aliquo extrinſeco excitãte, ſiue ſit ſenſus exterior, ſiue phãtaſia, ſiue imaginatio, ſiue tãdem ipſa diuina prouidentia, quæ bona vel mala fortuna ab effectu ſolet nuncupari, ad quã pertinet voluntatem humanã hic & nunc ad talis, vel talis finis volitionẽ, ſiue perſe immediate, ſiue per aliud creatũ mouens excitare, & ſic partim ab extrinſeco excitatur: ideo ratio mouendi in illo actu nõ eſt ſola volũtas, ſed voluntas cum illo extrinſeco excitãte; ac proinde motu excitatiuo nõ ſe mouet etiã phyſice, bene tamen motu determinatiuo, & hæc eſt mens ſancti Doctoris, à Caiet. vbiſup. & q. 111. ar. 2. & Conrad. ac Med. declarata, quod patet quia D. Th. adducit teſtimonium Phyloſophi ex 7. Ethic. ad Eudemum, c. 18. & lib. 2. magnorum moralium, c. 8. aſerentis, voluntatẽ in primis motibus moueri ab aliquo inſtinctu exterioris mouentis. Tùm etiã, quia prædicti Thomiſtæ dicunt, & vere, hos actus eſſe vitales, & voluntarios, ac liberos quoad exercitiũ, licet nõ deliberatos deffectu præuij cõſilij, & affectus ad finẽ: ergo ſentiunt illos elici effectiue phyſice principaliter à voluntate, & alias dicunt nõ debere tribui voluntati, ſed Deo; ergo ſentiunt illos tribuendos eſſe Deo, vt excitãti morali, & nõ voluntati, quia nõ ſe mouet moraliter, hoc eſt, impellendo ſe ex præuio affectu, & ex fine præcepto.

17 Si autẽ roges quo pacto voluntas ſe mouet phyſice reſpectu illius primi actus, ſiquidẽ cõſiderãdo phyſicũ influxũ, ipſa ſola eſt ratio agẽdi, & ipſa ſola eſt ratio patiendi, & ſic licet reſpectu motionis moralis per deliberationẽ quæ eſt propria agentis liberi ſaluemus diſtinctam eſſe ex parte rationem mouendi, à ratione patiẽdi, quia ratio mouendi eſt volũtas cũ extrinſeco excitatiuo, & ratio patiẽdi eſt ſola volũtas, tamẽ reſpectu phyſicæ motionis, ipſa ſola eſt ratio mouendi, & ratio patiendi. Ad hoc reſpõdet Vazq. c. 2. verũ eſſe intentũ argumenti, quia nõ requiritur (ait ille) diſtinctio inter partẽ perſe mouentẽ, & motã etiã in entibus naturalibus, ac proinde minus requiri in voluntate diſtinctionem inter rationem agendi phyſice, & rationem patiendi. Sed facile reſpõdetur ex dictis, quod excitatio qua Deus voluntatẽ aplicat, & excitat ad finis volitionẽ, nõ ſolum eſt per modum finis, aut obiecti, ſed etiã per modũ efficientis, imprimẽdo illi quãdã motionẽ, ſiue qualitatẽ tranſeuntẽ, quæ voluntati impreſſa, aplicat illã per modum actus primi ad volitionẽ finis; vnde non ſola voluntas eſt ratio agendi phyſice, ſed vt ſubeſt tali motioni, & aplicationi; quæ ex parte actus primi, & rationis agendi ſe tenet, & cũ ratio recipiendi ſit ſola volũtas, planũ relinquitur quo pacto ratio agendi adhuc reſpectu primi actus voluntatis, diſtinguitur realiter â ratione patiendi, ſicut includens ab incluſo. Ex quo patet ad cõfirmationem. Vltimum argumentũ deſumitur ex motibus illis naturalibus quibus elementa abſq; partis mouentis, & motæ diſtinctione adquirunt ſua loca naturalia, in quibus tamen videntur ſe mouere, quia nullũ adeſt agens proximum, cui tales motus atribuãtur, & idẽ argumentũ fit, de motu cordis animaliũ, in quibus cor ſecundũ ſe totũ mouet, & mouetur. Sed ad huius exactã declarationẽ duo ſequentes articuli, in diſputationem vocantur.

ARTICVLVS III.

An grauia, & leuia in ſuis naturalibus motibus, â ſe ipſis moueantur?

Varia de motu grauium & leuiũ placita.

IN hoc articulo quatuor verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & aliæ duæ mediæ, quarũ prima affirmat, à ſe ipſis moueri, tãquã à cauſis principalibus proximis ſui motus, quã ſequuti fuere Scot. in 2. d. 2. q. 10. Greg. d. 6. q. 1. & Maior, d. 14. q. 6. quibus ſubſcripſere Ianduno 8. phi. q. 12. Alber. de Saxonia, q. 6. Ninphus, & Buridanus in cõmentarijs eiuſdẽ libri c. 4. Achilinus, lib. 3. de elementis, q. 2. Abulenſis ſuper Math. c. 22. q. 224. Pererius lib. 7. phi. cap. 16. Valleſius in cõtrouerſia 11. & 42. ad Tirones, & Gabriel Vazq. 1. 2. q. 6. in annotatione art. 1. dicit quod grauia & leuia habẽt principium principale effectiuum ſui motus, ac proinde moueri à ſe, neque ſanctum Doctorem, aut phyloſophum oppoſitum velle, ſed tantum quod non ſe moueant, cum cognitione finis, quia hic eſt proprius modus cognoſcentium. Secunda aſerit illa moueri omnino ab extrinſeco, ſiue à trahente, ſiue impellente, quam ſequuti ſunt quidam antiqui relati a Richardo in 2. diſtinction. 14. artic. 2. quæſtion. 4. & Zimara libr. 2. de anima ad textum 14. eo

quòd

quod hij putabant, in locis naturalibus esse vim attractiuã, à qua per modũ attractionis naturalia corpora mouerentur: aut etiam in locis extraneis esse vim expulsiuam per quam per modũ expulsionis ejicerẽtur, & ad sua loca naturalia impellerẽtur. Tertia assirmat in esse hijs corporibus respectu naturaliũ motuũ principiũ dũtaxat passiuũ, ratione cuius tales motus sint eis naturales, actiuũ vero omnibus modis extra illa existere, scilicet, in generãte. Ita Magister Soto lib. 2. phi. q. 1. & lib. 8. q. 5. in solutione ad 1. & Bañez 1. de gen. c. 4. q. 10. ar. 2. Quarta omniũ receptissima est sententia, asserens grauia & leuia â suis generantibus ad loca naturalia moueri, nihilominus in esse eis principia actiua, veluti instrumẽtalia, tum quietis, tũ naturalis illius resultantiæ, quæ fit per motũ: hæc procul dubio est sententia Arist. lib. 8. phi. tex. 17. 19. & 33. & lib. 5. tex. 18. atque lib. 2. de cœlo, c. 2. text. 9. & lib. de motu animaliũ c. 3. Cõmentatoris ibidem quã amplexi sunt Alb. 8. phi. tract. 2. c. 4. & D. Th. in eisdẽ locis, & 1. p. q. 28. art. 1. & 1. 2. q. 6. ar. 1. & li. 1. cõtra gẽt. c. 97. Caiet. Cõrad. & Ferrar. in suis ad præfata loca, Commentarijs: quibus subscribunt fere omnes iuniores, præcipuè Suarez 1. to. meth. disp. 18. sect. 7. Fõseca in hoc 9. c. 1. q. 5. sect. 4. & lib. 5. cap. 4. q. 2. sect. 7. Conimbricenses 8. phisic. c. 4. q. 1. & ibidẽ Toletus, pro cuius declaratione sequẽtes statuere placet assertiones.

18 Respõdeo dicẽdũ 1. grauia & leuia, siue quæcũq; mixta, aut simplicia corpora, in illis motibus quibus ad sua loca naturalia ferũtur, nõ moueri à se: hæc assertio statuitur aduersus autores primæ opinionis & probatur 1. quia est expressa sententia philosophi, ac S. Doctoris in locis citatis, suntq; sententia expressa Platonis lib. 10. de legibus & in phædro vbi sic habet: *cui forinsecus est moueri, id in animatũ est: cui vero intrinsecus sibi ex se animatũ*: Secũdò quia moueri à se tã quã à principali, & intrinseca causa, est perfectio propria viuentiũ, per quã à nõ viuẽtibus discriminantur: vnde cõmuni modo loquẽdi illa corpora inanimata, quæ continuo motu agitantur, cuius principiũ vulgus ignorat, viua nuncupantur: vt aquã viuam, & argentum viuum appellamus, in quibus continuus ac perennis cernitur motus, sed propria perfectio viuentiũ nequit in animatis attribui: ergo nequeunt à se ipsis tanquã ab intrinseca & principali causa moueri. Tertio: nã in omni eo, quod à se tã quã à præcipua, & proxima causa mouetur debet distingui pars per se primo mouens & per se mota, vt in superioribus docuimus, sed in non viuentibus nequit hæc partiũ distinctio reperiri, cum enim sint inanimata, sunt homogenea: ac proinde partibus gaudent eiusdẽ rationis: ergo nequeũt à se ipsis moueri.

Dico secundo, mouentur in animata in huiusmodi naturalibus motibus à generante, hæc conclusio statuitur aduersus autores secundæ opinionis, & probatur primo; nam teste D. Thoma 1. p. q. 18. art. 1. ad secundum, motus grauis, siue leuis est naturale complementum naturæ ipsius, vnde non mouentur motibus naturalibus, nisi quando sunt extra naturalem suam dispositionem: quam habent in suis naturalibus locis, sed ad generans pertinet tribuere naturam rei genitæ, & eius complementum: ergo. Minor patet: quia generantis munus est producere rem cum debita perfectione, atque complemento, eiusdem enim est dare formam, & consequentia ad formam, vnde nisi impediatur actio generantis, vtrumque tribuit & formam, & formæ complementum: ergo sicut natura corporis grauis est à generante, ita quies in loco naturali, quæ est eius complementum, & consequenter adeptio, siue resultantia illius quæ fit per motum naturalem debet tribui generanti. Secundo: nam motus siue operatio, siue perfectio quæ incipit cum esse rei, debet tribui autori, à quo talis res habet esse: hac enim ratione probat Sanctus Doctor 1. par. quæst. 63. art. 5. primam Angeli operationem fore Deo attribuendam: ac proinde illam non potuisse esse peccaminosam, quia incipit cum esse, ipsius Angeli: & eodem modo tribui motum ignis sursum, eius generanti: cum igitur cum esse corporis grauis, aut quies naturalis, aut motus ad illam, debeat incipere, debet tribui generanti: illa quidem vt perfectio ipsius grauis, hic vero vt naturalis resultantia & adeptio quietis. Tertio: nam grauia & leuia mouentur ab extrinseco, si quidem non mouentur à se ipsis vt à principali & intrinseca causa, sed non mouentur à loco extraneo per modum expulsionis, neque à loco naturali per modum attractionis: ergo mouentur à generante. Consequentia patet à sufficienti diuisione, & probatur minor, quod non à loco extraneo: quia aliàs motus isti grauium, & leuiũ, nõ essent naturales, sed violẽti, fierẽt enim ab extrinseco, passo nõ coferente vim, quod tamẽ à veritate alienũ procul dubio est, & licèt demus passum in illo motu conferre vim, solũ id esset per principium

paſsiuum,ſicut cœlum reſpectu ſui motus ferrum reſpectu atractionis magnetis vim confert,adhuc nõ ſaluatur modus quo motus grauium, & leuium ſunt naturales, non enim ſolum ratione principij paſsiui, ſed etiã reſpectu principij actiui ſunt naturales,vt ſtatim oſtendemus:ergo nõ eſt dicẽdũ fieri tales motus à locis extraneis per modum expulſionis,& eadem ratione conuincitur nõ prouenire à locis naturalibus, per modũ atractionis ſicut à magnete prouenit motus ferri atracti. ¶ Dico tertio, grauia & leuia habent in ſe ipſis principiũ quodãmodo actiuum ſui motus,hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus autores tertiæ ſententiæ.Et probatur primo: nã ita dicit D. Th. q.5.de poten.art.5.ad 12. vbi hoc aſsignat diſcrimen inter motũ cœli,& motũ elemẽtorũ quod ille eſt naturalis ratione principij paſsiui dũtaxat:hic eſt etiã ratione principij actiui quod in eſt elementis: cui cõſonat id quod habet 1.p.q.70.art. 3. in corp. & ad 4.vbi aſſerit motũ naturalẽ cœli eſſe, no à natura,quia alias eſſet tantũ ad vnũ, ſicut eſt motus elementorũ:ſed ibi nõ negat eſſe à natura,vt á principio paſsiuo,cũ hoc affirmet in ſolutione ad 4. ergo negat motũ cœli eſſe â natura vt â principio actiuo, & hoc ipſum affirmat de motu elementorũ,quod denegat motui cœleſtis corporis. Secundo probatur:quia eo modo & in eodem genere quo aliquid eſt cauſa cauſę,eſt cauſa cauſati,ſed forma ſubſtãtialis corporis grauis eſt in genere efficientis per dimanationem,cauſa grauitatis, â qua cauſatur motus:ergo in eodem genere eſt cauſa motus,ſed ſicut reſpectu grauitatis non eſt agens principale abſolute,per veram actionem,ſed tantum eſt aut minus principale, vtpote generanti ſubordinatum,per quandam naturalem dimanationem cõcurrens ad ſuas potentias & naturalem motum,aut veluti inſtrumentum quoddã naturale generantis quatenus eſt virtus illius ad paſsionum & naturaliũ motuũ reſultãtiã:ita reſpectu motus & quietis naturalis,non eſt actiuũ principiũ principale per verã actionem.ſed eſt actiuum minus principale per dimanationem, vel inſtrumentalis virtus generantis.Tertio probatur: quia quando lapis mouetur deorſum eſt aliquis effectus actu in rerũ natura,qui antea non erat, nẽpè motus,ſed nequit eſſe effectus actu in rerum natura,niſi adſit actu aliqua cauſa,vel virtus proxime illũ cauſans effectiue:ergo cum pro illo tunc tam non adſit generans actu,neque aliud principium effectiuum â quo proxime dependeat motus ille,niſi ipſa lapidis natura,& eius naturalis grauitas dicendum eſt ab his, procul dubio effectiue dependere.Sed contra arguitur primo, ex teſtimonijs philoſophi,in quibus inſinuat elementa à ſe ipſis moueri: quorũ primũ habetur 2.phi.tex.3.vbi ait,in eſſe elementis principia ſe ipſa mouendi,eo quod naturã habent quæ eſt principiũ motus & quietis,huic conſonat ſecũdũ quod habet 1.de cœlo tex.2. & 24. vbi aſſerit grauia & leuia habere in ſe ipſis quaſi momenta ſuorum motuũ & 3.phiſ.text. 10.aſſerit omne quod mouetur ab alio,aut pelli, aut trahi, aut circumuolui,ſed motus grauium,& leuium,nõ pertinent ad has tres ſpecies motus,ſcilicet pulſus,tractus & vertiginis: ergo ſentit moueri à ſe,& non ab extrinſeco mouente.Confirmatur:nã D.Th.1.2.q. 6. ar. 1.ait,grauia & leuia habere principium intrinſecum ſui motus, & nihilominus nõ moueri à ſe,quia non habent cognitionem finis,in quo parificat illa plantis:ergo ſolũ vult non moueri â ſe elementa cum cognitione finis:cũ quo tamen ſtat quod ſe moueant ſicut plantę ſe mouent:conſonat id quod habet 3.cõtra gent.c.23.& lib.4.contra gent.c.vlt.& 12.q.36.art.2.in quibus locis ait motũ naturalem elementorũ eſſe à forma, ſed motus qui eſt à forma mobilis, eſt ab intrinſeco:ac proinde mouet ſe mobile in illo:ergo.Reſpondetur ad hoc argumentũ quod philoſophus in teſtimonijs recenſitis,ſolũ intendit noſtrã tertiã concluſionem,nempè motũ naturalem grauiũ & leuiũ non eſſe omninò ab extrinſeco principio actiuo,ſicut eſt motus cęleſtis,qui in corpore cæleſti nullũ actiuum principiũ intrinſecũ ſupponit. Ad confirmationẽ dico,quod S.Doctor, vt patet ex contextu, quatuor diſtinguit genera mobilium virtualiter,licèt explicite triũ dumtaxat mentionẽ faciat,alia nãque ait eſſe, quæ ab extrinſeco omninò mouẽtur,quo pacto mouentur illa,quæ violentum motũ recipiũt, vt lapis quando mouetur ſurſum,alia vero quæ habent principiũ intrinſecũ ſui motus ſiue actiuum,ſiue paſsiuũ,& ex his,alia eſſe quæ mouẽtur cũ cognitione finis:& alia quæ non habent finis cognitionem,ex hijs autẽ colligit D. Tho.illa ſe mouere perfectè,quæ mouent ſe cũ cognitione finis,alia vero minime,dum autẽ ſubdit illud aduerbium,perfectè denotauit non ſolum illa ſe mouere quæ habent finis cognitionẽ, ſed hæc mouere ſe perfecte à ſe ipſis:alia tamẽ eſſe quę ſe mouent minus perfectè,vt ſunt plãtæ,cũ quibus cõmunicant grauia & leuia,in hoc q̃ eſt habere principiũ intrinſe

cum

cũ etiã actiuũ sui motus: diferunt tamen in hoc quod nõ habent principiũ actiuũ principale à quo se moueãt, & licèt D. Tho. eis nõ denegauerit explicite principiũ se mouendi absolute, sed tãtũ principiũ se mouendi cũ cognitione finis: tamen nõ inde sequitur attribuisse eis principiũ se mouendi primo modo, scilicet, absque cognitione finis neq; enim probabile argumentũ ex autoritate negatiua desumi potest. Ad reliqua testimonia respondetur tantũ ex illis cõuinci grauibus & leuibus in esse principium actiuum sui motus, iuxta sensum tertiæ cõclusionis.

Secũdo arguitur, aqua actiue se reducit ad pristinã frigiditatẽ, quãdo ab agente calefactiuo separatur: quia talis reductio est adeptio sibi debitæ perfectionis, sed etiam motus ad locũ naturalẽ est adeptio in graui sibi debitæ perfectionis, ergo pari modo mouet se graue in tali motu. Cõfirmatur: nã quies naturalis in centro transacto motu attribuitur lapidi, verè enim lapis à se ipso quiescit, & tamẽ est perfectio naturalis: ergo hoc non obstat quominus motus ad quietem tribuatur etiãipsi lapidi. Respõdetur ad argumentũ cũ Caiet. 1. p. q. 54. ar. 3. circa finem, & Soto 2. phis. versus finẽ quę est. primæ, aquã in recuperatione pristinæ frigiditatis, moueri à generãte, quia à generãte in est illi virtus per quã secluso impedimento ad cõnaturalem perfectionem se reducat: de virtute autẽ ista ait Suarez vbi sup. & Eóseca hic q. 6. sect. 1. esse ipsam formã substãtialem à quæ, quæ etiã omni frigiditate destituta, potest illã recuperare per naturalem resultãtiã: sed Caiet. cui magis assentiendũ puto, ait haud quaquã, posse a quã ab omnimoda frigiditatis priuatione per naturalem resultãtiã vindicari: sed semper formã aquæ aliquẽ frigiditatis gradũ retinere, quẽ ad sui, petit cõseruationem, & propterea huiusmodi diminutã frigiditatem esse virtutem generãtis, per quã aqua ad pristinũ gradũ & perfectionem frigiditatis ab ipso generãte reuocatur: sicut grauitas est virtus generãtis media qua graue ad naturalem quietẽ perducit, semoto impedimento. Cuius rationes sunt illæ quæ à nobis pro prima & secũda cõclusione factę sunt cũ enim partes aquæ calidæ sint æque frigidæ & æque calidę, nequit saluari distinctio partis per se mouentis, ac per se motæ vt aqua se ipsã mouere possit. Rursus hanc perfectionem mouendi se propter partiũ æthero genitatem diximus esse viuentiũ propriã: & alias cũ frigiditas in tali gradu sit cõnaturalis aquæ perfectio ad eius debitã cõseruationem requisita, sequitur in reductione vsque ad illu gradũ, nõ ate sed à generãte cuius est effectus, debitam ac cõnaturalem tribuẽte perfectionem: aquam reuocari.

Tertio arguitur si motus grauiũ, v. g. lapidis, esset à generãte, esset per modum impulsus: generans enim nõ moueret lapidem illũ in eius locũ impellendo, sed hoc nõ potest dici: ergo neque illud ex quo sequitur. Sequela patet: quia omnis motus qui est ab extrinseco, & nõ est per modũ attractionis, vel circũuolutionis, est per modum impulsus. Min. autẽ probatur multipliciter, primo quia esset motus violentus sicut motus proiectorũ nullatenusque ab illius generis motu discriminaretur: secũdo quia nullus impulsus imprimitur lapidi à generãte, impellens enim talẽ in principio motus debet esse præsens formaliter, vt phisico contactu proiectũ tãgat: generãs autem in principio motus lapidis, sæpe sæpius nõ adest, neque est superstes in rerũ natura. Tertio quia impulsus adquiritur per motũ in his, quæ impulsu mouentur, vnde per motum voluntatis in rẽ amatã, producitur in ipsa impulsus quidã & amor ratione cuius terminatur ad intra actio volũtatis, & vltimate fertur ad rem ad extra: sed per motũ lapidis nullus impulsus generatur in lapide: ergo nõ fertur ad locũ ratione impulsus. Declaratur hoc amplius, licèt voluntas inclinetur ad bonũ naturaliter, tamen quando actu fertur in illud ex vi talis motus voluntarij, generatur in ipsa terminus aliquis intrinsecus, scilicet impulsus: ergo licèt grauitas sit naturalis inclinatio ad locũ deorsum, tamen quãdo graue actu mouetur in illũ, debet ex vi talis motus aliquis intrinsecus impulsus in illo generari: quod si non generatur, signũ est, graue non moueri per modũ impulsus ã generante. Respondetur negando minorem ad primã probationem negatur assumptum, non enim omnis motus per modum expulsionis, siue impulsus est violentus, expulsiones enim quibus fœtus à vulua matris, & superfluũ alimẽti foras emittuntur, & fructus arborũ atque flores erumpunt, non sunt violentæ: tã enim partus, & florum, atque fructuum eruptio, & excrementorum emissio, sunt motus vitales atque naturales. Ad secundam, negatur antecedens: grauitas enim ipsa, impulsus, & inclinatio graui est impressa à generante, ad eius naturalem locum sicut enim in proiectis imprimitur impulsus à proijciente, in quo perseuerat virtus proijcientis, ita in grauibus & leuibus im-

primitur grauitas, ſiue leuitas quæ eſt virtus generantis. Licèt cum hoc diſcrimine, quod impulſus proiectis impreſſus eſt violętus, & per paruum tęporis ſpatiũ durãs: virtus autem grauibus & leuibus impreſſa eſt naturalis & ab eis inſeparabilis. Ad tertiã reſpondetur, nõ omnem impulſum adquiri per motũ, ſed tantũ illum, qui habet modũ termini. Pro cuius declaratione aduerte duplicem eſſe impulſum, alterũ quidem per modum principij & actus, primi, & huiuſmodi eſt grauitas & leuitas, & impulſus relictus in proiectis, in cuius virtute fit motus illorum, & tunc per tales motus nullus alius impulſus cauſatur, ſed tamen adquiritur aliquis terminus intrinſecus in mobili, nempè ipſum vbi: quo mobile eſt nouo loco cõmenſuratum, & ab illo circunſcriptũ: alterũ verò eſſe impulſum per modũ termini, ſiuè actus ſecundi, & huiuſmodi eſt ille quem producit actio volũtatis, eo quod per illum veluti completur, & intrinſece terminatur, & mediante illo fertur in rem amatã ad extra: volũtatis igitur, elementorũ, atque proiectorũ motus indigẽt impulſu per modum actus primi, ſiue permanentis ſiue facile tranſeuntis, à quo eorum motus principientur. Sicut autem in elementis grauitas & leuitas, & in proiectis vis impulſiua: ita in voluntate amante, voluntas ipſa habet rationem impulſus per modũ principij & actus primi, impulſu autem terminante motũ propriũ ſola voluntas indiget, eo quod eius motus eſt immanẽs, nullũ aliũ terminũ habẽs intra voluntatem, quo terminetur, & cõpleatur.

Quarto arguitur, grauibus & leuibus nõ in eſt principium actiuum ſuorũ naturaliũ motuũ, ſed tantũ paſsiuum: ergo falſa eſt tertia concluſio. Antecedens probatur tripliciter, primo ex teſtimonio philoſophi, q. 8. phiſic. c. 4. text. 32. qui videtur eis attribuere tantum principiũ paſsiuum iuxta interpretationem S. Doctoris in cõmentario eiuſdem loci, & lib. 2. de gener. & corrupt. c. 2. expreſſe affirmat elementa ad ſuos motus principia actiua non habere: ergo. Secundo probatur ex teſtimonijs Angelici Doctoris, qui perpetuus videtur eſſe in hac ſententia, etenim 12. q. 58. ar. 1. ad quartum ait nullum accidens habere actiuum cõcurſum circa ſuum ſubiectũ, quod non aſſeueraret, ſi grauitas actiue ad motum ſui ſubiecti concurreret & 3. p. q. 32. ar. 4. principiũ dũtaxat paſsiuum in grauibus, dicit, reperi idque ipſum in cõmentario textus prælegati ex 8. phiſ. affirmauerat: ergo. Tertio, nam grauitas eſt id mediante quo graue recipit motum à generante, & mouetur ab illo: ergo eſt principium tantum paſsiuum, ſicut id mediante quo agens agit, eſt principium actiuum. Confirmatur: nam cæleſtibus corporibus ad ſuos naturales motus non eſt datum principũ actiuũ, quo actiue mouerentur à ſuo autore, vel, à motrice intelligentia: ergo neque etiam debuit tale principiũ actiuum dari elementis quo actiue à generante, & in illius abſentia ad locũ naturalem mouerẽtur: ſed ſicut cæleſtibus corporibus ſufficienter prouiſum fuit, per collationẽ principij paſsiui, ita exacte elementis prouiſum foret per ſimilis principij collationem. Reſpõdetur negando antecedens, ad primam probationẽ dicendũ eſt, quod philoſophus tantum voluit grauibus, & leuibus principium actiuum principale *quod* ſiue operans per veram actionẽ denegare, quale eſt illud quod habent ad operandum circa aliud ſubiectũ hoc enim verſatur diſcrimen inter motũ clementi, v. g. ignis, naturalem, quo petit concauum lunæ, & inter calefactionem qua agit in lignum: quod reſpectu motus naturalis qui in ipſo recipitur & eſt adquiſitio debitæ perfectionis, ac naturalis cõplementi, tantum habet principiũ actiuum inſtrumẽtale, vel principale ſecundum quid, ſcilicet, per naturalem dimanationem vt dictũ eſt: tamen reſpectu calefactionis habet principiũ actiuum principale, per verã operationem, ratione cuius talis actio ipſi attribuitur & nõ generanti: eo quod calefactioneque eſt adquiſitio propriæ ac debitæ perfectionis, neque ordinatur ad ipſius ignis complemẽtum, & perfectionem, ſed tantũ ad alterius nempè paſsi perfectionem, data autem eſt elementis principalis actiua virtus ad aliorum, & non propriã perfectionem in ſe ipſis cauſandam. Sed illud principium actiuũ reſpectu proprij motus: quia non eſt principale, & ſimul diſponit ad motus receptionẽ, merito aut negatur actiuum ſimpliciter, aut abſolute dicitur paſsiuum, & eadem ſolutio eſt adhibenda, ad ſecundã probationem ex teſtimonijs Angelici Doctoris deſumptã: ad tertiã diſtingo antecedẽs, grauitas eſt id mediante quo graue recipit motum preciſſe: nego, eſt id mediante quo ſimul recipit & producit motũ in ſe ipſo in virtute generãtis hoc eſt vt virtus illius; cõcedo antecedens, & ſub eadẽ diſtinctione diſtinguẽdũ eſt cõſequens, grauitas nãq; poteſt ad ipſum graue, & ad generãs cõparari, vt egregie Ferrariẽſis vbi ſup. adnotauit, ad graue quidẽ cõparata, paſsiue ſe habet quia ſic eſt ratio recipiẽdi motũ à generante,

rãte, vel cõditio ad illius disponens receptionem comparata vero ad generans quatenus est virtus illius, vt secluso impedimento perducat graue ad locũ naturalem, est principium actiuum ad sensum explicatũ. Ad confirmationem transeat antecedens, & negatur consequentia. Ratio discriminis est quod corpora cælestia, à principio suæ creationis indefectibiliter consequta sunt suas naturales ac debitas perfectiones hæc enim indefectibilis ac inimpedibilis naturaliũ perfectionum asequtio, pertinet ad eorũ incorruptibilitatem, & supra alia corpora excellentiã, vt tradit D. Th. 1. p. q. 55. art. 2. in quo illa substantijs, separatis parificat, vt sicut istæ à principio sine discursu, suâ perfectionem consequtæ fuere, ita & illa, corpora autem sublunaria nõ habẽt indefectibiliter à principio generationis suæ, omnem debitã perfectionem, ex quo prouenit frustraneã illis, & inutilem fore potentiã ac virtutem, adquisitiuã propriæ perfectionis: his autem valde necessariam: quia igitur elementa possunt carere ratione superuenientis impedimenti ad eorum corruptionem disponentis, debita qualitate, ac debita quiete in locis naturalibus, propterea conueniens fuit, illis dari iuxta ipsorum naturas, virtutes actiuas quibus in virtute generantis, ad debitas qualitates, & ad naturalem locum possent reuocari, frustranea autem esset talis virtus in corporibus cælestibus: quæ neque a debita qualitate, neq; à loco cõnaturali extrahi possunt, propria incorruptibilitate, atque excellẽtia, quæ nec dispositionẽ aliquã ad corruptionẽ patitur, illa ab hac iniuria vindicãte.

20 Quinto arguitur, neque eleméta ad suos motus naturales hac indigent virtute actiua quæ vt instrumentũ generãtis, in absentia illius potest motũ causare: ergo præfata solutio est nulla. Antecedẽs probatur tripliciter: primo quia ad motus quibus mouentur ad ocupãdum vacuũ, licèt naturales sint, non habent virtutem actiuã à generante: quia neque tales motus ascribũtur generanti, sed naturæ vniuersali: ergo. Secundo: quia si aliqua eis in esset virtus esset quidem grauitas & leuitas, quæ sunt veluti quædã pondera & inclinationes in loca eorum naturalia, sed istæ non: quia natura ipsa grauis & leuis per se ipsam secluso impedimento ad suum locũ rediret, sicut ipsa ad pristinã qualitatem, sine aliqua præuia virtute proxime actiua à generãte reuocatur: ergo. Tertio: quia ad agẽdũ in alia datur elementis virtus actiua, secus ad agendũ in se ipsa: quia omnis potentia actiua est principiũ agendi in aliud: sed in recuperatione amissæ qualitatis, aut amissi loci naturalis nõ agũt elementa in aliud: ergo nulla indigẽt actiua virtute, ac proinde tantum passiue se habebunt.

Respõdetur negãdo antecedens: ad primã probationẽ quidã iuniores dicunt, elementa aut mixta in illo motu, passiue se habere dũtaxat: quia talis motus ad replendũ vacuũ, prouenit immediate à causa vniuersali ad quã pertinet vniuersi defectibus subuenire. Sed nostra sententia est: eodem modo de illo atque proprio motu ad locũ naturalem loquendũ esse, cũ hoc tamẽ discrimine, quod motus proprius ad locum est à generãte particulari, cuius actione producta fuit peculiaris inclinatio ad locũ, scilicet, grauitas, vel leuitas; motus autẽ ad replendũ Vacuũ est à causa vniuersali, cuius actione & concursu fuit cõproducta inclinatio etiam actiua, ab bonũ totius, vt illud quærat etiã cũ dispẽdio proprij: sicut enim ignis secundũ differentialem gradũ ad quẽ consequitur leuitas, habet produci à generante particulari: ita secundũ gradũ cõmunem corporis, ac partis vniuersi ad quem consequitur inclinatio ac virtus actiua cõmunis, scilicet, respectu boni cõmunis fit à generante vniuersali. Vnde sicut per illã mouetur à generante ad proprium locũ: ita per hanc mouetur ad replendum Vacuum à causa vniuersali. Possumus etiam dicere eandem grauitatem, siue leuitatem secundũ rem, subire duplicem rationẽ, virtutis actiuæ, & inclinationis, vt enim est virtus particularis generãtis, est potentia actiua, & inclinatio ad motũ loci proprij adquisitum, vt autem est virtus agentis vniuersalis, est potentia actiua & inclinatio ad motũ pro Vacuo replendo, cum enim illi motus vt naturales non sint cõtrarij, neque ex æquo respecti, sed vnus alteri cẽdẽs, propterea non petunt principia proxima distincta secundũ rem. Ad secundum duplicem in solutione ad secundũ dicendi modũ reconsuimus, Suarez namque & Fonseca, dicunt, ad recuperationem amissarum qualitatum, aut amissi status illarũ non requiri in elementis aliquas virtutes accidẽtales, præter eorũ substantiales naturas, eo quod in tali recuperatione non agunt in aliud, sed tantũ in se ipsa & quia restitutio qualitatis amissæ, est magis naturalis elementis, illiq; magis facilis, quam ocupatio proprij loci, quia locus est perfectio externa, qualitas vero, interna, vnde cũ ocupatio loci nõ sit adeo naturalis, & aliàs per motũ localẽ agãt eleméta in corpus mediũ, remouẽdo illud

ad agendum autem in aliud detur illis actiua virtus ſuperaddita, ſicut datur ad proprias operationes, ſcilicet, calefactionem, frigefactionē &c. propterea ad reſtitutionem proprię qualitatis non datur virtus naturæ ſuper addita, bene autem ad loci proprij occupationem. Secundus tamen & veritati conformior eſt Caietani, & aliorum aſſerentium, etiam ad reſtitutionem amiſſi ſtatus qualitatis, dari virtutem ſuperadditam, nempè ipſam qualitatem, quæ ſecundum aliquem gradum eſt inſeparabilis, & naturaliter inamiſibilis: fateor nihilominus quod ſi ab elemento aliquo, propria qualitas omninò ſepararetur, relictum poſteà ſuæ naturæ, illam recuperaret, ſicut homo relictus ſuæ naturæ per naturalē reſultātiam amiſſam reſibilitatem recuperaret: quia natura ipſa hominis tunc eſſet ſufficiens virtus generantis vt ex illa amiſſa riſibilitas reſultaret, & in hoc ſenſu, verum aſſerit primus dicendi modus ipſam, ſcilicèt naturam elementi, ſi miraculoſe propria qualitate non deſtitueretur, eſſe ſufficientem virtutem generantis, vt talis qualitas iterum ex ipſa reſultaret, de facto tamen & ſecundum ordinariam legem, tenet dictū Caietani, nempè quod forma ſubſtantialis elementi, mediante qualitate in aliquo gradu ei inſeparabiliter conuenienti, reducitur ad amiſſum ſtatum eiuſdem qualitatis. Et iuxta hanc ſolutionem neganda eſt minor ad formam ſecundæ probationis. Ad tertiam dicendum eſt, quod ad operādum in alia per actionem verè & propriè datur in elementis potentia, verè & propriè actiua, quæ eſt principium agendi in aliud, ſicut igni ad calefaciendum datur calor, & aquæ ad frigefaciendum datur frigiditas, & propterea talis operatio non tribuitur generanti, vt dictum eſt: quia neque eſt debibita perfectio elementi pro inſtanti ſuæ generationis. Imò neque eſt eius: ſed alterius nēpè paſsi perfectio, in ordine vero ad reſtitutionem amiſſæ qualitatis, & ad recuperationē naturalis loci, quia tribuuntur generanti, eo quod fiunt non per veram actionem, ſed per naturalem reſultantiam, & ſunt perfectiones debitæ elemento pro inſtanti ſuæ generationis, tam qualitas propria quam quies in loco naturali, propterea non datur eis potentia actiua per actionem vere, & propriè, ſed actiua per naturalem reſultantiam: & hæc non eſt ratio agēdi in aliud, ſed in ſe ipſo, quia actiuitas per reſultantiam naturalem conuenit ſubiecto, reſpectu propriarum paſsionum, atque debitarum perfectionum.

ARTICVLVS IIII.

An cor animalis à ſe ipſo moueatur, motu dilatationis & conſtrictionis.

Varia de motu cor diſplicita.

21 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. Prima eſt affirmans cor moueri à ſe ipſo, non quidem propter diſtinctionē partis per ſe mouentis & per ſe motę, quæ in ipſo non debet admitti, cū ſe toto ſit prima pars mouēs reliquas in animali: ſed propterea quod in ipſo eſt ratio mouendi, diſtincta ab ipſo, quod mouetur per ſe. Quæ ſententia dupliciter defenditur à ſuis authoribus. Alij namque ex antiquis Philoſofis ſupreſo nomine relati à D. Thoma opuſculo 35. voluerunt rationem agendi eſſe calorem innatum, qui primam ſedem habet in corde, & per ſpiritus generatus mouet ipſum cor. Vnde hac ratione dicitur cor moueri à ſe ipſo: quia mouetur ab huiuſmodi virtute & retione agendi, quæ eſt in ipſo. Alij vero dixerunt moueri tanquam à cauſa principali & proxima ab anima vegetatiua: cum ſit pars ſubſtantialis, tum animalis, tum etiam cordis, poteſt & totum animal, & ipſum cor ita mouere, vt vtrumque dici poſsit verè ac propriè, à ſe ipſo moueri, tametſi animal non ſolum ab anima, ſed etiā à corde moueatur. Alios etiam refert D. Thom. in opuſculo præallegato, aſſerentes eſſe hunc motum ab anima ſenſitiua, mediante appetitu & aprehenſione. Tandem ex iunioribus ſunt non nulli qui velint, illū eſſe ab anima ſenſitiua, mediante virtute, ſeu potentia quadam motiua in ipſo corde exiſtente. De quorum numero ſunt Suarez vbi ſupra diſp. 18. ſect. 7. & Conimbricenſes 7. phiſic. c. 1. q. 1. art. 4. & lib. 8. c. 4. q. vnica art. 4.

Secunda ſententia aſſerit, cordis motū, nec vitalem, nec ab anima vegetatiua, aut ſenſitiua, tanquam à cauſa principali & intrinſeca prouenire: ac proinde, non viuenti, ſed generanti eſſe tribuendum. Hanc ſuſtinent non nulli ex medicinæ artis peritiſſimis, de quorum numero eſt Petrus Garcia, Complutēſis primarius, & regalis protomedicus, ſuper fen primam Auicenæ diſp. 50. c. 4. num. 27.

Tertia afferens, hunc motum eſſe vitalē, & nihilominus non ipſi viuenti, ſed generanti eſſe tribuendū: eſt proculdubio Sancti Doctoris, in opuſculo præallegato, vbi ait, hunc motum eſſe ab anima ſenſitiua, non quidem medio appetitu & aprehenſione, ſed quia ab illa, vt eſt forma corporis animalis dimanat, licèt ex diuerſis affectio-

ctionibus alteretur: comparatque illum motui cœlestis corporis, à quo reliqui motus vniuersi dependent, & causantur licèt ab illo deficiat, in eo quod nec sit ad voluntatis imperium, nec vniformis, neque perfectè circularis, aut continuus est, & si quo dammodo eius imitetur proprietates. Cõparat quoque illũ motui, seu Imperio Monarchico gubernatoris ciuitatis, qui est primus, & à nullo alicuius ciuis motu dependens, cæteri autem ciuium motus dependent ab ipso. Ex quibus haut obscure colligitur mens Sancti Doctoris hæc esse, quod motus hic quatenus est proprius animæ sensitiuæ sit vitalis, quatenus verò ab illa dimanat naturaliter, & est primus à cæteris independens, terminansque omnium aliorum dependentiam, sit à generante tanquã à præcipua & proxima causa productus, sicut dictum est de motibus naturalibus grauium, & leuium. Idem expressius habet D. Thomas 12.q.17.art.9.ad 2. eandem sententiam sequuntur discipuli omnes qui sui auctoris mentem legitime ad hunc sensum interpretantur, præsertim Caietanus 1.p.q. 66.art.2. Capræolus in 2.d.7.q.2. Ferrariensis 1.contra gentes cap.97. & lib.2.ca.95. & Soto 8. phisic. q.3. ad 3. quibus Durandus in 2.d.14.q.2. & Fonteca in hoc 9.ca.1.q.7. sect.2. consentiunt. Et quia hæc est vera sententia, pro eius declaratione nõ nulla prænotanda sunt. Primo nota cor solum in viuentibus sensitiuis perfectisque habere locum, in quibus est prima pars, per quam viuens ipsum, seu eius anima cæteras partes mouet: quia de causa motus cordis à D. Th. motui rectoris ciuitatis, atque motui, cœlestis corporis comparatur: in quo nihilominus, cum homo geneum sit, nequit distingui pars per se mouens à per se mota, ahàs totum cor non esset prima pars integrans, cæteras mouẽs: sed sola illa pars per se mouens, de qua iterum rediret eadẽ quæstio, an illa moueretur â se ipsa? Secundo in quo etiam omnes relati authores conueniũt, quod motus quo ipsum cor mouetur, pulsu & tractu, siue duplici parte constat, & integratur; quarum altera est, per modũ dilatationis, seu impulsus, à medicisque, dyastoles, nuncupatur: quia per illum motum partialem, cor impellitur, & dilatatur. Altera vero pars eiusdẽ motus sit per modum tractus & constrictionis, quia contrahit atque cõstringit ipsum cor, dicturque à medicis, syistoles. Tertio huiusmodi partiales motus, quia sunt ab eodem in idem, efficere vnum motum totalem, ad instar circularis eo quod in cõtractione trahitur cor, ad eundem locum, secundum totum: licèt diuersum secundum partes, & in dilatatione similiter fertur ad eundem secundum totum, & secundum partes diuersum: in quo assimilatur motui circulari, sed nõ perfecte, quia defficit ab illo in hoc quod non circa aliquod punctum aut in aliquo vertice mouetur, sed potius contractio & dilatatio eius directo, licèt opposito tramite fiunt, in quo motũ rectum imitatur. Rursus deficit â circulari motu cęlesti, quia hic est perfectè cõtinuus: partes enim eius nulla morula interciduntur: ille verò licèt sit perpetuus, & continuo durans cum vita animalis, tamen non est proprie cõtinuus, quia illius partes per mediam quietem, & morulam quamdam vt tradit D. Thom. in adducto opusculo, intersecantur: eo quod ita necessitas naturæ postulat, & finis ad quem ordinatur, qui nullus alius est, quam trahere aerem, vt generet spiritus vitales, & corpus refrigeret, & vt expellat fuligines nociuas: primum quidem præstat, mediante tractu, siue constrictione: secũdum verò mediante pulsu, seu dilatatione: & quia hæc munia ad vitam, ac vitales alios motus sunt prærrequisita; propterea motus cordis ad illos est prærrequisitus. & ex his communibus principijs philosophi in diuersas inciderunt opiniones. Alij namque ipsum prærrequisitum ad vitam contemplantes, naturalem merè, & non vitalem fecerunt, generanti tribuentes. Alij autem contrarietatem eius attendentes vitalem concesserunt, & merè naturalem negarũt, ac proinde viuenti tribuerunt, secundum virtutem elementarem, vel secundum animam vegetatiuam, vel secundum sensitiuam. Alij denique verumque attendentes ipsum mixtum quodam modo faciunt, vitalem quidẽ quatenus est ab anima, & animalis proprius, & partibus contrarijs, vel quasi contrarijs constans: & naturalem, generantique tribuẽdum, quatenus primus, ad vitam requisitus, & perpetuus est.

22 Respondeo dicendum primo, motum cordis non prouenire â principio intrinseco, tãquam à principali, & proximo mouente, hæc conclusio statuitur aduersus auctores primæ sententiæ, & omnes modos illam defendendi. Et probatur primo nam hoc principiũ proxime mouens principaliter, aut esset aliqua pars per se mouens, & hoc à nemine admittitur, estque contra cordis homogeneitatem, vt docuimus in primo notabili: aut esset calor innatus, siue aliqua alia elementaris virtus: at hoc reijcit D. Thomas, quia motus cordis

eſt proprius animalis, & primus omnium, qui in ipſo animali reperiuntur, ſed alteratio ſecundum calorem, neque eſt propria animalis, neque primus eius motus: ergo non eſt cauſa motus cordis, ſed potius cauſatur ab illo. Tum etiam: quia animal perfectum aſsimilatur vniuerſo, vnde eius primus motus, qui eſt motus cordis, eſt localis primus enim vniuerſi motus eſt localis: ergo motus alterationis potius ſupponit ipſum, ac proinde nequit eſſe principium illius. Tum denique, qua calor nō mouet per ſe localiter, niſi tantum per accidens: per ſe enim eſt caloris, alterare: per accidens autem mouere ſecundum locum, ſed motus cordis eſt localis: ergo in aliud principium per ſe motiuum ſecūdum locum debet reduci, quod ſit prius quam calor: quia quod eſt per ſe, eſt prius quam illud quod eſt per accidēs. Aut eſſet eius principium anima vegetatiua, & hoc reijcit, quia eſt, animalium proprius, quæ ſenſitiuam animam habent. Et quia operationes animæ vegetatiuæ, tantum ſunt, generare, alimento vti, aumētatio, & diminutio, quarū nulla eſt motus cordis: ergo aut eſt anima ſenſitiua, mediante appetitu, & aprehenſione, & hoc reijcit D. Thomas. Tum quia motus procedens ab anima ſenſitiua mediante appetitu, & aprehenſione, eſt voluntarius, ideſt, ex affectione proueniens: ſed motus cordis eſt omnino inuoluntarius: ergo. Tū etiam quia non cauſatur ab anima ſenſitiua per veram operationem: ſed per dimanationem, quatenus ex illa vt eſt forma naturalis corporis dimanat: ergo non fit mediante appetitu & aprehenſione. Secundo probatur cōcluſio, nam eſto anima, vel calor innatus, ſit principiū quo, & ratio proxima agendi talem motum, adhuc non ſufficit hoc, vt cor ſe moueat, ſed aſsignandū eſt principium quod proximum: nempè aliqua pars integrās, quæ habeat per ſe mouere cor ipſum: hæc autem non eſt aſsignabilis, vt dictum eſt, etenim calor innatus & anima æqualiter & vniformiter, ac ſecūdum eandem omnino rationem informāt cunctas partes cordis. Quod ſi dicas, dari partem aliquam compoſitam ex materia & forma, per ſe mouentem cor, nempè portionem ſubſtantiæ calidę ſpirituū vitaliū, & quod hæc nomine caloris innati accipitur ab auctoribus primæ ſententiæ. Cōtra hoc eſt, quod ſicut calor, ita & hæc ſubſtantia calida ſpirituum vitalium, eſt poſterior motu cordis vtpote cum ab illo gignatur: ergo nequit eſſe primus motus ipſius cordis.

Aliter reſpondent Suarez, & Conimbricenſes, dicentes in motu viuentis partialis, quale eſt cor, non requiri diſtinctionem inter partem per ſe mouentem, & per ſe motam: hæc enim ſolum requiritur in illis motibus, quibus totum animal mouetur: ſed ſatis eſt ad hunc motum, diſtinctio rationis agendi à parte ſubſtantiali quæ mouetur. Sed contra hoc arguitur tertio: nam ſequuntur eadem inconuenientia ex hoc, atque ex eo quod in motu totius, non detur pars diſtincta per ſe mouens: quia eadem pars eſſet ſimul in actu, & in potentia, ſecundū idem, & etiam ſecundum idem eſſet mouens, & mota: ergo dicendum eſt, non minus pro motu partis: quā pro motu totius requiri talē diſtinctionem, in his, quæ phiſicō, & corporeo motu mouentur, vt ſupra oſtendimus: ſolumque ab hac regula excepimus illas potentias ſimul actiuas, & paſsiuas, quæ motus improprie dictos, nempè, actiones immanentes cauſant, in ſe ipſis, in quibus ſufficit, diſtinctio inter rationem agendi, & rationem recipiendi. Quarto arguitur, nam motus qui tribuitur generanti nō habet principium intrinſecum â quo principaliter elliciatur, ſed motus cordis tribuitur generanti vt agēti principali: ergo non prouenit ab aliquo principio intrinſeco principali. Maior patet ex dictis articulo præcedenti, circa motum grauiū, & leuium, & minor probatur triplicer: primo quia eſt proprietas quædam animalis perfecti, vnde ſemper omni, & ſoli illi conuenit, pertinetque ad illius debitam, ac cō naturalem perfectionem, atque eſt ad eius vitæ conſiſtentiam requiſitus, ſed id quod habet rationem paſsionis propriæ, & pertinet ad debitam perfectionem, pro primo inſtanti generationis, & requiritur ad rei genitæ conſiſtentiam, tribuitur generanti: etenim comproducitur ex vi actionis generatiuæ quæ dat formā, & naturaliter conſequentia ad formam: ergo. Secundo: quia ſi eſſet per veram actionem productus ab anima ipſius viuentis, deberet dari aliqua potētia operatiua, in corde, media qua anima efficeret illum motū, nequit enim ſubſtantialis forma eſſe immediate operatiua, ſed hæc potentia eſt omnino fictitia: ergo. Maior admittitur ab autoribus vltimi modi defendendi primam ſententiam, & minor probatur, quia eſſet vniformiter ſparſa per totum cor: ergo nequit per ſe ordinari talis potentia ad mouendum localiter ipſum cor, quin etiam ordinetur ad mouēdum ſeipſum, quod eſt impoſsibile: præter quam quod talis potentia innominata eſt,

&

& hucuſque à nullo ex antiquis philoſo-fis, aut medicis inuenta. Tertio quia licet motus cordis exerceatur per quandam potentiam motiuam localiter, vt etiam exercetur motus elementorum, nempè per grauitatem, & leuitatem, tamen hoc nõ eſt per veram actionem, ſed per quandam naturalem reſultantiam, eo quod motus ille eſt proprietas naturalis, debita cordi pro primo inſtanti ſuæ generationis, ac proinde dimanat ab anima mediante potentia motiua: qua ratione vna proprietas ſolet ab eſſentia animę mediante alia profluere, teſte D. Thoma. 1. p. q. 77. ar. 4. at hic modus mouendi actiue, non tollit quin talis motus tribuatur generanti. nec petit in corde potẽtiam verè & propriè operatiuam, quæ eſt principium agendi, in aliud: ergo.

Dico ſecundo, motus cordis eſt vitalis nihilominus, vitalitate intrinſeca ac propria, per quam à non vitalibus eſſentialiter diſcriminatur. Hæc ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo ex perſpicuo teſtimonio Angelici Doctoris ex 1. 2. præallegato ar. ſcilicet 9. q. 17. vbi in ſolutione ad ſecundum ſic habet: *Principium autem corporalis motus eſt à motu cordis, vnde motus cordis, ſecundum naturã eſt, & non ſecundum voluntatem, cõſequitur enim ſicut per ſe accidens vitam, quæ eſt ex vnione corporis, & animæ ſicut motus grauium & leuium, conſequitur formam ſubſtantialem ipſorum: vnde & à generante moueri dicuntur, ſecundum philoſophum, 8. phiſicorum, & propter hoc, motus iſte vitalis dicitur, vnde Gregorius Niſenus lib. 4. c. 15. dicit, quod ſicut generatiuum, & nutritiuum, non obedit rationi: ita nec pulſatiuum, quod eſt vitale: pulſatiuum autem appellat motum cordis, qui manifeſtatur, per venas pulſatiles.* Ecce Sanctum Doctorem pro noſtra concluſione, ad argumentum quod nitebatur probare, omnem actum vitalem imperari poſſe à ratione: reſpondentur aliquos eſſe actus vitales talis imperij expertes, cuiuſmodi ſunt generatio nutritio & motus cordis, qua propter miror valde primarium medicinæ artis Complutẽſem, virum alias doctum, & in D. Thoma: verſatum illum pro ſua ſententia adducere, quod mihi euidens argumentum eſt, eum in hac parte non legiſſe. Secundo probatur: nam expreſſe contradicit eius ſententia Ariſt. philoſophiæ principi, cui iure optimo medicinæ ars debet ſubalternari. Ariſt. namque in lib. de motu animalium, c. 8. ait, cor eſſe veluti quoddam animal ſeparatũ quaſi in ſe ipſo habens internum motorem, idéque repetit lib. 3. c. 4. de partibus animaliũ; quod non diceret, niſi in ſuo motu vitaliter moueretur. Cõſonat his id quod habet lib. 2. de anima c. 2. dicens animam eſſe illud, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, vbi deffinit animam per ordinem ad motus vitales: ſed cor mouetur ab anima: ergo motus ille vitalis eſt. Confirmatur: nam omnis motus actiue ab anima procedens eſt vitalis, depẽdet enim à principio vitæ, in quo vitalis actus conſiſtit: ſed motus cordis actiue egreditur ab anima, vt ſtatim oſtendam, anima enim teſte eodem philoſopho 2. de anima c. 4. nedum formalis, & finalis, verum etiam efficiens cauſa eſt ſuorum motuum omnium, quorum vnus & primus eſt motus cordis, Et ſi ab illa nõ per veram actionem, ſed per naturalem dimanationem procedat: ergo. Tertio probatur: nã ſi aliquid obſtaret eius vitalitati maxime quod ſit primus, & cauſa omnium aliorum vitalium, & tributus generanti, ſed hæc ratio non obſtat: ergo. Minor probatur tripliciter: primo quia valde rationi conſentaneum eſt, vt ſicut viuentia, in quantum grauia & leuia mouentur à generantibus: ita, in quãtum viuentia habeant aliquem motum peculiarem, qui tribuatur generanti.

Secundo: quia ſatis ſaluatur diſcrimen eſſentiale inter viuentia, & non viuentia per hoc quod viuentia à ſe ipſis moueãtur, in motibus quibus ipſum totum mouetur licèt in alicuius partis motu, non à ſe ipſis, ſed à generantibus moueãtur. Tertio quia ita natura comparatum eſt, vt ſupremum infimi ordinis, attingatur ab infimo ſupremi ordinis, & cum hoc ſit verũ in vno quoque ordine, etiam in ordine motus vitalis ac naturalis debet ſaluari: ergo etiam oportet in aliquo vno motu aliquid vtriuſque ordinis admiſceri, ac proinde in infimo ſupremi ordinis, qui eſt motuum vitalium, debet admiſceri conditio ordinis motuum naturalium: infimus autem motuum vitalium, eſt motus cordis, via originis & cauſalitatis primus aliis omnibus animalis motibus deſeruiens: ergo in illo etiam conditio motuum naturalium, admiſceri debet: ac per conſequens tribui poteſt & debet generanti abſque læſione ſuæ vitalitatis: vnde hac de cauſa ſolet à nonnullis hic motus, mixtus ex vitali, & naturali nuncupari: quia cum ſit vtriuſque ordinis confinium, vtriuſque etiam ſub eadem ratione formali ſapit cõditiones. Et quia teſte philoſopho lib. 2. de partibus animalium, c. 1. in cæteris animalibus imperfectis (imò etiam in plantis) loco cordis eſt aliquid quod cor-

di

dis eſt aliquid quod cordi proportionabiliter correſponder, tanquam prima aliarū partium motrix, idem de illa dicēdum eſt, nempè eius motum vitalem eſſe, & nihilominus non à viuente ipſo, tanquam à principali proxima cauſa: ſed à generante prouenire.

23 Dico tertio, motus cordis procedit effectiue ab anima, & potentia loco motiua, quæ cordi inſidet: hæc concluſio ſtatuitur pro authoribus tertiæ ſententiæ, & probatur prima pars. Primo: quia teſte Diuo Thoma, in opuſculo citato, eſt motus naturalis, cum ſit perpetuus, & ad vitæ conſiſtentiam requiſitus, nullum autem violentum eſt perpetuum, aut ad naturæ conſiſtentiam requiſitum: ergo habet principium intrinſecum naturale in viuente, & non ſolum principium paſsiuum: ergo actiuum. Minor hæc ſub ſumpta probatur: quia eſt naturalis per modum propriæ paſſionis: propria autem paſsio eſt à principio intrinſeco paſsiuo, & actiuo: ergo. Secundo: quia ſi eſſet naturalis dumtaxat ratione principij paſsiui, non ſemper conueret viuenti, ſed tantum in præſentia generantis. Quod enim neque in ſe, neque in ſua virtute actiua eſt præſens, nequit motum efficere: quod tamen falſum eſſe manifeſte conſtat: etenim eſt motus perpetuus, per totam vitam animalis durans, etiam extincto generante. Dices illum eſſe ab agente vniuerſali impreſum, ſicut motus fluxus, & refluxus in aqua maris, fit per impreſsionem lunæ, aqua paſsiue ſolum ſe habente: agens autem vniuerſale numquam defficit, quominus motum illum poſsit imprimere. Contra hoc arguit Diuus Thomas: nam motus qui in corporibus inferioribus ex natura vniuerſali cauſantur, non ſemper eis adſunt, ſed variantur ad vniuerſalis agentis variationem: ſicut influxu, & refluxu maris patet, qui ſequitur motum lunæ: motus autem cordis, ſemper illi vniformiter ad eſt: ergo habet principium actiuum particulare. Confirmatur: nam omnis motus vitalis eſt à principio actiuo intrinſeco, ſed probatum eſt hunc eſſe vitalem: ergo intra viuens habet principium actiuum, & nedum paſsiuum, à quo procedat. Secunda pars concluſionis probatur: quia motus cum ſit actus ſecundus, nequit immediate ab anima procedere: ergo debet ab illa mediante aliqua potentia procedere, & alias cum ſit localis, petit potentiam loco motiuam, quæ ſic ad talem motum inclinetur, ſicut grauitas, & leuitas in elementis ad naturales eorum motus inclinantur. Tertia pars, nempè quod hæc potentia inſit cordi, patet: quia inſidet parti quæ eſt primum aliarum partium integrantium motiuum, hæc autem eſt cor. Et quia eiuſdem eſt actus, cuius eſt potentia ad actum, actualis autem motus eſt cordis, & in illo receptus: ergo & potētia ad illum motum inſidere debet cordi. Ex hoc autem quod pertinet ad debitam viuentis perfectionem, & complemētum habet conſequi ad eius formā per modum naturalis proprietatis, & conſequenter per dimanationem: ergo ex eadem radice habet tribui non viuenti, ſed generanti, vnde & ſimili de cauſa motus naturales grauium, & leuium, non ipſis, ſed generantibus docuimus eſſe tribuendos.

Sed hijs non obſtātibus verior mihi ſem per viſa eſt ſententia pluriū medicorū aſſerentium hunc motum cordis eſſe ab anima ipſius viuentis, quod mihi perſuadeo hac ratione, motus cordis ſiue dicatur à generante, ſiue ab anima viuentis procedere, nō poteſt non ellici mediāte aliqua naturali potentia motiua inſita cordi: nā ab anima (cū ſubſtantia nō ſit in doctrina D: Th. operatiua) neceſſe eſt vt prouenīat mediante aliqua virtute, ſiue potētia operatiua ſeu motiua, ſecundū dilatationem & conſtrictionem: à generante quoque nō mouetur mobile niſi mediante aliqua potētia actiua ipſius, vt patet in grauibus & leuibus, quæ medijs ſuis potētijs grauitatis & leuitatis, mouentur deorſum ſiue ſurſum: igitur pariter cor media aliqua potētia propria quę ſit aut generātis, aut animę quaſi inſtrumētū debet affici hoc motu, tūc vltra: ſed hęc potentia cū ſit propria viuentis & animantis, ab eius anima debet dimanare ſecundū aliquem eius gradū vitæ: ergo eſt vel vegetatiua, vel ſenſitiua: primo loco motiua, vel rationalis: nō eſt rationalis, alioquin in brutis non inueniretur: neque pure vegetatiua, alioquin reperiretur in plātis: ergo vel eſt ſenſitiua, vel loco motiua animalis: ac proinde eſt potentia vitalis, ſecundum quā anima ipſa vitaliter mouet cor, quod à generāte tamen immediate dicitur moueri hoc eſt, quia nullū aliū motū ſupponat intra ipſum viuens, niſi ipſam generātis motionem, in quo à cæteris motibus nutritionis, ſenſationis &c. Diſcriminatur qui motum cordis ſupponunt. Confirmatur amplius hæc ratio: nā ab eodē principio proprie effectiuo, oritur motus iſte dilatationis & reſtrictionis cordis: atque motus arteriarū, ſiue pulſationis: quī licēt neceſſariā connexionem & comomitantiam cum

mo-

motu cordis: sed iste motus pulsationis oritur ab anima media virtute animali, siue loco motiua per arterias dispersa, vtpote cum sit vere vitalis, & animalis proprius: ergo pariter & motus cordis à simili virtute cordi insita debet prouenire. D. autē Thomas solum vult inter motum cordis & actionem generantis, nullum alium motū interuenire.

24 Restat nunc fundamentis primę, & secūdæ sententiæ satisfacere: Autores primæ sententiæ arguunt in hūc modum. Primo: quia cor mouetur ab intrinseco, ergo non à generante. Antecedens probant, tū ex loco prælegato libri de animaliū motu, vbi philosophus ait de corde, esse quasi animal se iunctum, proprium habens motum: quod non esset verum nisi moueretur, ab intrinseco, & c. 7. eiusdem lib. comparat structuram animalis, ciuitati legibus bene institutæ, ex quo infert, quod sicut ciuitas non eget separato Monarcha, cui tribuantur, quæ intra eam fiunt, sed vnusquisque ciuis præstat quæ sui muneris sunt, pari ratione animal non indiget externo motore: sed vnaquæque pars, quæ sui muneris sunt facit, vt à natura est ordinatum: at proprium cordis munus, propriaque operatio est motus dilatationis, & cōstrictionis, per quem in perfectione debita conseruatur: ergo ad illum exercendum non indiget externo motore, cui tāquam proximæ, & particularis causæ tribuatur. Secundo arguūt, ex discrimine inter viuentia & non viuentia, illa namque se mouent, sunteque principalis causa sui motus, hæc vero ab alio recipiunt motum, sed cor est præcipua pars viuentis perfecti: ergo à se & non ab alio debet moueri. Tertio arguunt, ex vitalitate ipsius motus, ad vitalitalitatem enim actus requiritur, quod à principio intrinseco principali, saltim radicali procedat: igitur cum ille motus sit vitalis, debet ab anima radicaliter, vt à causa principali, & à virtute motiua instrumēraliter & proxime procedere. Quarto arguunt labefactando fundamentum nostræ sententiæ: quod duplex est: alterū ex distinctione partis per se mouentis, & per se motæ, quæ defficit in corde, & alterum ex eo quod hic motus sit debita perfectio animalis in primo instanti suæ generationis: sed vtrumque (aiūt illi) defficit, primum quidem: quia illa distinctio partium solum exigitur ab Arist. respectu motus totius viuentis, & non respectu motus particularis cuiuslibet partis. Quemadmodum de solo mobili completo intellexit theorema illud, quidquid mouetur ab alio mouetur: alioquin daretur processus in infinitum in motoribus viuentiū nisi sistendum foret, in parte prima se mouente, cuius motum in progenitorem referri impossibile est. Secūdū verò defficit quia talis motus non pertinet ad perfectionem debitam viuenti, in instāti generationis, vt propterea generanti sit adscribendus, sed posteà sequitur, sicut cęteri motus verbi gratia, nutritionis, aumentationis, & respirationis, qui etiam sunt necessarij ad viuentis consistentiam, siue perfectionem & hoc non obstante non tribuuntur generanti, sed viuenti: etenim stultum esset negare, quod viuens à se ipso nutriatur, augeatur, & respiret: ergo. Quinto arguunt, quod non sit eadem ratio de motu cordis, & de motibus naturalibus elementorum, differunt enim in multis: motus enim pure naturalis est ad vnum: eo quod natura est ad vnum determinata: sed motus cordis est ad oppositā, siquidem constat dilatatione, & constrictione: ergo est vitalis, & ipsi viuenti attribuendus. Consequentia patet, nam hac ratione probat philosofus 2. de anima c. 4. aumentum plantarum esse vitale, & plantis tribuendum, animamque vegetatiuam esse vere principium vitæ, quia fit ad plures differentias positionis, videlicet, sursum, deorsum, & ad latus. Confirmant adhuc suam sententiam, ex eo quod motus grauium, & leuium tendit ad naturalem perfectionem ipsorum, scilicet ad quietem in proprijs locis, motus autē cordis non est via ad aliquam naturalem viuentis perfectionē. Nec valet dicere quod tendit in vitę conseruationem: nam etiam nutritio & respiratio incipiunt extrinsece ab instanti generationis animalis, & durāt per totam illius vitam, sunteque ad eius cōseruationem necessarij actus: & tamē: quia non tendunt, ad perfectionē debitam animali pro primo instanti generationis non tribuuntur generanti: ergo neque generanti tribuendus est motus cordis.

Ad hæc nihilominus facile respondetur. Ad primum quidem distinguo antecedens, cor mouetur ab intrinseco principio, quod sit principale, & per veram operationem, nego: ab intrinseco, quod sit principale per dimanationem, vel instrumentale respectu generantis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad primam probationem ex primo testimonio philosophi, dicendum est, propterea cor comparari animali se iuncto, non quia

se

ſe ipſum moueat, ſed in hoc quod habeat motum ſibi proprium, & peculiarem, ad inſtar animalis ſeiuncti, ad quem etiam cõcurrat actiuê, per potentiam motiuam localiter vt dictum eſt. Vnde: quia non abſolute in hoc quod eſt moueri à ſe vt à cauſa principali, aſsimilatur cor animalis ſeiuncto, ſed ſecundum quid in hoc quod eſt habere proprium motum, & illum actiue per potentiam motiuam cauſare, licèt in virtute generantis: propterea philoſophus dixit non abſolute, ſed cum limitatione, eſſe quaſi quoddam animal, vt per dictionem limitatiuam, *quaſi* imperfectam ſimilitudinem denotaret.

Ad ſecundam ex ſecundo teſtimonio reſpondetur, illam comparationem tenere quoad actus regiminis, & directionis, & quoad motus totius animalis: ſecus autem quoad motus proprios aliquarum partium ſicut enim ciuitas quoad regimem, dirigitur capite, & magiſtratibus ex quibus componitur, & non eget extrinſeco gubernatore, ita directio animalis, fit mediis ſenſibus, & aprehenſione, in qua nullo extrinſeco dirigente indiget, ſed ſicut hoc non obſtante, in alijs functionibus vitæ, requiſitis ad regimem poteſt Reſpublica agere externo motore: ſunt enim ciuitates, & prouintiæ quam plurimæ, quæ licèt ſibi in regimine ſufficientes ſint: in rebus tamen neceſſarijs, vt victu, & veſtitu, & præſidio, ab alijs dependent: ita non obſtante quod animal ſibi in regimine ac directione ſufficiat, in motu cordis, qui animalis gubernationem, antecedit, & ad cæteros motus vitales exequendos præ requiritur, ab extrinſeco motore dependet. Rurſus licèt in hoc motu, quia eſt proprius vnius partis ab extrinſeco motore moueatur: tamen quia in alijs quibus totum animal mouetur, non eget externo motore, cui tales motus tribuantur, propterea ipſum animal cum ciuitate rectè comparatur. Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum argumentum: quod ſufficienter illud diſcrimen ſaluatur penes, hoc quod motus alij, qui ſupponunt primum, & quibus totum viuens mouetur, ipſi tribuantur.

Ad tertium dicendum eſt vitalitatem in infimo actuum vitalium admiſcere conditionem motus naturalis: ac proinde non obſtare quominus talis actus generanti tribuatur: vnde ſi de hac vitalitate fiat ſermo, negandum eſt antecedens. Ad quartum negatur minor, & ad improbationem primi fundamenti. Reſpondetur illam diſtinctionem in omni motu phiſico requiri: ac proinde explicationem philoſophici theorematis voluntariam eſſe, qua propter eadem facilitate à nobis reijcitur, qua â præfatis junioribus confingitur. Ad improbationem ſecundi negatur antecedens, quod enim motus cordis extrinſece incipiat, ideſt, per vltimum non eſſe, in primo inſtanti generationis animalis, quod incipit per primum ſui eſſe non obſtat quominus ſit perfectio debita animali pro primo inſtanti generationis: ac proinde generanti attribuendus, motus enim cœli eſt naturalis perfectio cœli, quæ intelligentiæ tribuitur, & ſimiliter ſe habet motus lapidis ad centrum, quando extra illud producitur licèt tam motus cœli, quam lapidis incipiant extrinſece, per vltimum non eſſe, quia hæc eſt debita inceptio ſucceſsiuorum competens naturæ. Neque eſt eadem ratio de reſpiratione, nutritione, ac digeſtione. Reſpiratio namque & ſi neceſſaria ſit ad vitæ animalis conſeruationem, & perpetuo à primo inſtanti, extrinſece per totam vitam duret, tamen ſupponit animal in ſua naturali, ac debita perfectione conſtitutum, ſupponitque facultatem motiuam, & ipſum motum cordis: etenim ex motu cordis, & pulmonis cauſatur reſpiratio, ſicut motus progreſsiuus, & alias eſt motus ſpontaneus, & agit in aliud, nempè in aerem quem impellit, & atrahit: ad agendum autem in aliud, nedum viuentia, ſed etiam elementa habent virtutem ſufficientem principalem, ratione cuius tales actiones ipſis ſunt tribuendæ. Omnes autem iſtæ rationes deficiunt motui cordis: neque enim ſupponit debitam animalis perfectionem, neque potentiam verè operatiuam, quæ ſit principium agendi in aliud, neque habet conditionem ſpontanei, vnde nihil obſtat, quominus tribuatur generanti, ſimiliter nutritio & digeſtio ſupponunt animal conſtitutum in debita perfectione pro primo inſtanti generationis: fiunt enim dependenter, à motu cordis, & alias procedunt à potentia nutritiua, quæ eſt principium agendi in aliud, nempè in alimentum, vt ex vi nutritionis, ac digeſtionis, cõuertat illud in ſubſtãtiam alitiue: ac proinde poſſunt ac debent ipſi animali attribui: & eiſdem rationibus tribuenda eſt illi aumentatio: atque generatio: tum etiam quia neutra harum

rum operationum eſt perpetua, & ad vitæ cõ ſeruationem neceſſaria: illa enim adquiſito ſtatu perfecto, & perueniens ad certum terminum augmenti, ceſſat. Hæc vero ante ſtatum perfectum, ab animali nequit exerceri. Ad quintum reſpondetur, quod tantum conuincit, motum cordis non eſſe pure naturalem, ſed eſſe vitalem, quod nos concedimus, præterquam quod, neque illi duo motus contractionis, ſcilicet, & dilatationis, ſunt duo totales, & ad terminos contrarios omnino terminati, ſed tantum ſunt duæ partes eiuſdem motus, ex quibus vitalis motus cordis integratur: ad inſtar motus circularis, ſe habens, quatenus ad eundem terminum, ſecundum totum, & ad diuerſos, ac aliquo modo oppoſitos ſecundum partes terminatur. Ad confirmationem, nego antecedens. Ad primam probationem reſpondetur, quod cum perfectio naturalis viuentium, potius in motu, quam inquiete conſiſtat; motus ipſe cordis pertinet ad naturalem, & debitam animalis perfectionem, non ſicut via ad illam, ſed ſicut id in quo animalis perfectio formaliter conſiſtit, atque completur. Ad ſecundam probationem, patet ex dictis in ſolutione ad quartum.

Deinde arguunt authores ſecundæ ſententiæ aduerſus noſtram ſecundam concluſionem in hunc modum. Primô, quia motus cordis eſt ſimilis motui compræſionis, & dilatationis cerebri, at hic non eſt vitalis, ſed mere naturalis, procedens ex peculiari cerebri natura, atque ex innato calore, aut ex alia ſimili virtute elementari: ergo & motus cordis. Secundo, quia omnis motus vitalis, vel eſt operatio animæ vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ, vel rationalis, ſed motus cordis nulla harum eſt; ergo. Maior patet à ſufficienti principij vitalis enumeratione, minor vero probatur: nam operationes animæ vegetatiuæ, tantum ſunt tres, ſcilicet, generatio, nutritio, & augmentatio; animæ autem ſenſitiuæ operatio, eſt ſentire; & intellectiuæ intelligere; ſed motus cordis, neque eſt generatio, nutritio, aut augmentatio, neque eſt ſenſatio, aut intellectio: ergo. Tertio, quia tribuitur generanti, vt proprietas ipſius animalis, conueniens ex vi generationis, per quam habet eſſe à generante: ſed motus, qui eſt à generante, cum ſit ab extrinſeco nequit eſſe vitalis, quod confirmant authoritate prealegata Angelici Doctoris: ergo.

Quarto, quia cor non habet partem perſe mouentem, diſtinctam à parte perſe mota, quæ tamen diſtinctio ad actam vitalem eſt apprime neceſſaria: ergo. Maior probatur, quia ſi aliqua eſſet in corde pars perſe mouens, eſſet pars fibrarum, ſed etiam hæc pars fibrarum mouetur, motu cordis: fibræ, enim, ſicut, & reliquum cordis, dilatantur, & comprimuntur: ergo nequit talis pars eſſe perſe mouens. Sed ad hæc iam ex dictis, haut difficilis erit ſolutio. Ad primum, enim reſpondetur negando minorem. Eodem enim modo de motu cerebri dicendum eſt, illum eſſe vitalem vitalitate imperfecta, quæ reperitur in infimo motuum vitalium, eo quôd etiam eſt ab anima ſenſitiua actiue, licet per modum naturalis dimanationis. Ad ſecundum nego minorem, & ad probationem dico illam diuiſionem, ſolum comprehendere operationes vitales, quæ vere ac proprie, ideſt per veram ellicientiam ab animabus, & earum potentijs vitalibus, efficiuntur. Præter has autem, ſunt alij motus, qui procedunt per dimanationem ab anima ſenſitiua, quatenus eſt naturalis forma corporis organici, & huiuſmodi ſunt motus cordis, & cerebri. Ad tertium, negatur minor: cuius & rationem oſtendimus, & ſanctum Doctorem pro noſtra eſſe ſententia. Ad quartum reſpondetur, quod in motu vitali, qui fit per dimanationem ab anima, & tribuitur generanti, vt motori principali, non exigitur diſtinctio partis perſe mouentis, à perſe mota: cum abſque hac diſtinctione ſaluetur, mobile ab alio moueri. Iuxta vltimam tamen opinionem, quam inſinuauimus, ad hæc omnia vnico verbo dici poteſt, motum cordis eſſe ab anima mediante virtute loco motiua: & ei tribui: nihilominus illum Diuus Thom. tribuit generanti, quia nullus mediat inter ipſum, & actionem generantis: & ſic immediate eſt à generante, ideſt, nullo alio motu mediante: eo quod nullus, vt dictũ eſt, mediat motus in animali inter motũ cordis, & generatiuam actionem.

QVÆSTIO IIII.

De diſcrimine, quod inter potentias rationales, & irrationales verſatur, intres Articulos diuiſa.

PRæmiſſa diuiſione entis in actum, & potentiam Philoſophus ſtatim in 2. cap. ſubdidit potentiam ex parte ſubiecti in rationalem, & irrationalem, ſiue rationis expertem: nomine autem potentiæ: non ſtricte illam, quam ad ſecundam qualitatis ſpeciem docent Methaphyſici pertinere, ſed communiter rationem principij agendi, ſiue patiendi, acipit, ſub qua tan qualitatis primæ ſpeciei, ideſt habitus, quàm qualitates ſecundæ ſpeciei, id eſt naturales potentiæ continentur, eo quòd omnes in ratione principij agendi in aliud, vel patiendi ab alio conueniant. Licet ſuis gaudeant diferentijs, ac modis diuerſis reſpiciendi actum ſecundum. Et propterea exemplis vtriuſque ſpeciei, vtitur vt explicet, quæ ſit potentia rationalis. Hanc que ab irrationali in hoc diſcriminat, quod in contrarijs verſatur, ſecus autem iſta. Veluti medicinæ ars in ſanitate, & morbo. Pro cuius diuiſionis, ac diſcriminis declaratione, tria diſputanda ſunt. Primum: namque ipſa diuiſio cum aſignato diſcrimine membrorũ diuidentium. Secundum libertatis ratio, diſſinitio, ac præcipuum ſubiectum. Tertium denique modus determinationis rationalis potentiæ ad actus liberos in controuerſiam vocabitur.

ARTICVLVS I.

An prædicta diuiſio, ac membrorum diuidentium diſcrimen aſignatum exacte tradantur.

Status & titulus quæſtionis panduntur.

25 PRo huius declaratione non nulla præmitenda ſunt. Primô hic non diuidi potentiam in tota ſua latitudine, ſed tantum prout amplectitur, quodcumque principium agendi: accidentale, ſiue ad primam, ſiue ad ſecundam qualitatis ſpeciem pertineat: quod patet ex verbis ipſius phyloſophi in initio capitis ſecundi vbi ſic exorditur: *Cum autem huiuſmodi principia partim in rebus inanimatis, partim in animatis inſint atque adeo in anima eaque animæ parte, quæ eſt rationis particeps: illud perſpicuum eſt, fore vt potentiarum aliæ ſint rationis expertes aliæ cum ratione, &c.* In quibus verbis haud obſcure denotat phyloſophus ſe non illam potentiam ſub diuidere, quam indiuiſione entis per actum, & potentiam actui cõtrapoſuerat. Sed illam quæ eſt ratio agendi, maxime, quia ſubiecta enumerat; animata, ſcilicet, & inanimata, quæ potentiarum quarum libet actiuarum capatia ſunt, & aquibus aliæ rationales, aliæ vero rationis expertes eſſe habent, ex eiſdem verbis colligitur præmitendum ſecundo, rationales potentias eſſe illas, quæ rationalis animæ propriæ ſunt; ſeu quæ rationis ſunt participes. Et quia intellectus cum habitibus intellectualibus, in ipſo receptis eſt rationalis per eſſentiam, aquo voluntas, & apetitus participant rationem; propterea rationales potentiæ ſunt induplici diferentia aliæ quidem per eſſentiam, vt intellectus, & habitus, qui in illo recipiuntur, videlicet ſapientia, ſcientia, & prudẽtia, &c. aliæ vero ſunt rationales per participationem, quarum principem locum habet voluntas quæ eſt propinquior intellectui, ſecundum apetitus ſenſitiuus prout eſt in homine. Et tertium tenent cogitatiua, & phantaſia quæ ſunt ſenſus interiores, & apti intellectus ductum ſequi, & immitari, ac eius imperio obedire. Cæteræ autem potentiæ, verbi gratia vegetatiuæ, & motiuæ exteriores rationalium nomen minime promerentur, illæ quidem, quia rationis imperio non ſubijciuntur iſtę vero, quia more ſeruorum rationis imperio obediunt, ſine aliqua diſcurſus, aut imperij rationis participatione. Cogitatiua namque diſcurſum participat circa ſingularia: fantaſia vero etiam mouet, ac imperat ſenſui conmuni, & ſenſibus exterioribus, eiuſdemque motionis actiuæ eſt particeps, ac proinde merito rationales per participationem nuncupantur. At ſenſus communis, ſiue exteriores, executiuæ quoque exteriorum membrorum virtutes, & alitrices facultates, aut non obediunt rationi, aut ſi obediunt minime modum rationis immitantur, quia ſic habent obedire ſuperioribus potentijs, vt alias inferiores mouere, aut eis imperare non poſsint, ac proinde merito rationis expertes appellantur. Tertio, quod cum ſecundum rem eadem ſit potentia rationalis quæ eſt & libera: ſicut libertas verſatur incontrarijs, in eiſdem quoq; rationalis potentia verſatur. Contraria autem in quibus libertas verſatur: aut ſunt extrema poſsitiue oppoſita, vt album, & nigrum in colore elligendo veſtis, ſedere, & ambulare, calidum, & frigidum in aqua potanda. Aut priuatiue, ſiue contradictorie oppoſita, vt ſedere, & non ſedere, ſpeculari, & non ſpeculari, eligere, & non eligere hoc medium ad finis propoſiti conſequutionem, quæ large contraria nuncupantur eo quòd nunquam pura negatio proponitur ab intellectu elligenda, niſi ſub ratione alicuius boni adiũcti poſsitiui, aut veri, aut aparẽtis; & quia contraria, circa

quæ

quæ versatur libertas, atque rationalis potentia sunt induplici differentia; quædam positiua contrarietate opposita, quædam autem cõtradictionis extrema, propterea duplex quoque potest exerceri libertas. Altera contrarietatis quæ in indifferentia ad vnum contrariorum prosequendum, & alterum fugiendum consistit. Et altera contradictionis quæ ad vnum, & idem eligendum, vel non eligendum indifferentiam ponit, siue quæ in indifferentia ad actus exercitium, vel negationem actus consistit. Quarto præmittendum est potentias rationis expertes illas esse ac dici, quæ de se sunt ad vnum determinatæ, vel nullam habent in se ipsis indifferentiam, cum enim contrariorum eadem sit ratio, rationales autem potentias ostendimus esse liberas, ad contraria indifferentes: consequens est, vt irrationales quæ rationalibus opponuntur illas dicamus, in quibus nulla indifferentia ad contraria attingenda, sed omnimoda ad vnum determinatio inuenitur. Vnde hijs suppositis, ac præmissis sentus articuli est, an potentia in tota sua latitudine prout est agendi, vel patiendi principium, adæquate & exacte, tanquam per membra formaliter opposita per rationalem, & rationis expertem potentiam diuidatur.

Defenditur adequatam esse diuisionem.

Respondeo dicendum primo adæquatam esse, hanc diuisionem potentiæ in tota sua latitudine. Hæc assertio est communis, apud interprætes Philosophi in hoc capitulo secundo, & probatur primo: nam omnis potentia ad actum realem perse primo ordinata, aut est in subiecto animato, aut in subiecto inanimato: sed omnis potentia quæ in illo siue in illo subiecto recipitur adæquate per rationalem, & rationis expertem diuiditur, vt patet ex primo notabili: ergo. Secundo diuisio potentiæ in liberam & naturalem est adæquata, sed eadem est secundum rem diuisio potentiæ in rationalem, & rationis expertem: ergo etiam hæc est adæquata: maior patet, quia omnis potentia, aut est ad vnum determinata, aut ad plura indifferens. Tertio probatur, nam esse rationalem, & rationis expertem, determinatam ad vnum, & indeterminatam ad plura sunt extrema contradictorie opposita, inter quæ non est medium aliquod assignabile in genere potentiarum: ergo adæquate diuidunt illed. Consequentia, quia tunc aliquod genus, aut superius diuiditur adæquate, quando membra diuidentia modis contradictorijs constituuntur, inter quos non est dabilis modus contrahens rationem superiorem diuisam, quo pacto ens per actum, & potentiam, per esse perse, & in alio diuiditur adæquate, quia actus & potentia atque etiam esse perse, & esse in alio sunt modi habentes vim contradictionis, inter quos nullus modus, essendi medius potest assignari.

Dico secundo, hæc duo membra suis rationibus formalibus opponuntur: hæc colligitur ex prima: illa enim formaliter opponuntur, atque diuersificantur quæ modis contradictorijs constituuntur; sed rationale, & rationis expers sunt huiusmodi: ergo. Confirmatur liberum, & naturale formaliter distinguntur in ratione potentiæ. Vnde alia est potentia libera, & alia naturalis in ordine ad actus adæquatos, licet enim eadem voluntas quæ est essentialiter potentia libera sit etiam in ordine ad aliquem actum naturalis, quatenus ad bonum in communi, & ad vltimum finem naturaliter inclinatur, circa quem in patria omnibus modis necessitatur. Tamen naturalis potentia, siue rationis expers non dicitur, nisi illa quæ circa omnes suos actus determinationem ac necessitatem habet. Rationalis vero, siue libera illa est quæ circa idẽ obiectum, aut respectu, eiusdem actus habet indifferentiam: ergo formaliter hæc diuidentia membra distinguntur, ac proinde, neque hæc conditio formalis distinctionis, siue oppositionis deficit quominus sit prædicta diuisio legitime assignata. Declaratur amplius hæc ratio, versari in contrarijs, secundũ quod est formale constitutiuum potentiæ rationalis, non est quod eadem potentia possit vnũ veluti prosequi, & aliud fugere seu vitare, nam etiam potentia rationis expers hoc habet. Calor enim calorem producit, & frigiditatem expellit, & vnum quodque per eandem virtutem per quam inclinat ad aliquod bonum intendit eius contrario resistere. Neque consistit in eo quod sit indifferens ad diuersa obiecta materialia, & contraria sub vnica ratione formali prosequenda, vel positiue attingenda. Sic enim etiam visus, qui est potentia rationis expers, est aprehensiuus albi, & nigri, quæ sunt cõtraria in genere coloris. Neque consistit in eo quòd non sit talis potẽtia ad vnum obiectum adæquatum, siue ad vnam operationem adæquatam determinata, voluntas enim, & intellectus quæ potentiæ rationales sunt; ad vnum in genere prosequẽdum determinantur, illa quidem ad bonum: hic autem ad verum in commuui. Sed in eo cõsistit, quòd circa idem numero obiectum, aut materiam singularem, & sub eisdem tẽporis ac loci circunstantijs rationalis potẽtia possit contrarias actiones exercere, aut modo cõ

trario ſe habere hoc eſt illud proſequendo, aut reſpuẽdo, vel illud elligendo, aut actum electionis ſuſpendendo: è contrario autẽ conſtitutiuũ potentiæ, rationis expertis in eo cõſiſtit quod circa eandem materiã ſingularẽ, & ſub eiſdem circunſtantijs, neque contrarias actiones exercere neque modo contrario valeat ſe habere: hæc autem conſtitutiua perſpicuum eſt, formaliter, & ex natura rei diſtingui: ergo. Dico tertio hæc diuiſio potentiæ eſt vniuoci in vniuocata ſiue generis in ſpecies. Probatur hæc concluſio nam potentia quæ hic diuiditur eſt principium agendi, ſiue patiendi ad actum realem accidentalem ordinatum quod à prima, & ſecũda ſpecie qualitatis abſtrahitur. Hoc autem eſt genus quodam à prima, & ſecunda ſpecie qualitatis abſtractũ: ergo. Confirmatur nã à quacunque eſſentiali conuenientia formarum eiuſdẽ generis poteſt abſtrahi vnicus cõceptus vniuocus, & vnitate generis gaudẽs; ſed talis eſt cõueniẽtia potentiarũ rationaliũ, & irrationaliũ in ratione potẽtiæ: ergo ab illis eſt abſtrahibilis vniuocus, & genericus conceptus pòtẽtiæ. Minor patet, quia potentiæ rationales, & irrationales cõueniũt in genere qualitatis, & nõ ſolũ in generaliſsimo qualitatis, ſed in genere illo ſub alterno quod à qualitatibus primæ & ſecundæ quæ habent ordinem principij ad operationem abſtrahitur: neque enim hic potentiæ ſubſtantialis, qualis eſt potentia paſsiua materiæ primæ ad recipiendam formam ſubſtantialem à Philoſo cõprehẽduntur: ſed ſolũ illæ quæ ſubiectũ animatũ, aut in animatũ qualificant, & exornãt: his autẽ, proculdubio eſſentialiter cõuenit vnica ratio generica qualitatis, principij, actus primi, atque potentiæ: ergo.

26 Sed cõtra has cõcluſiones poteſt obijci primo ex philoſophi teſtimonijs; illud quod habet primo ethicorũ capite vltimo vbi hac diuiſione ſolũ potẽtias animæ diuidit ex quibus ait alias eſſe rationales, & alias rationis, expertes: ergo non eſt diuiſio adæquata potẽtiæ accidẽtalis in tota eius latitudine. Confirmatur, nã potẽtia accidẽtalis adæquate diuiditur in actiuã, & paſsiuã, vt habet philoſophus ad calcẽ capitis primi: ergo diuiſio penes rationalẽ, & rationis experrẽ nequit eſſe potentiarũ adæquata. Cõſequentia patet dupliciter, primo quia aliàs dãretur eiuſdẽ diuiſi duplex diuiſio adæquata, & eſſentialis, quod eſt prorſus impoſsibile, quia rationale, & rationis expers ſiue naturale, & liberũ tantum ſunt differentiæ potẽtiæ actiuæ: ergo non diuidũt adæquate potentiam vt ſic. Poteſt obijci ſecundo, quod aliud ſit liberum à rationali, & naturale ab irrationali in genere potentiæ, nã ſi idẽ eſſent ſequeretur voluntatẽ eſſe maxime rationalẽ, quia eſt maxime ideſt per eſſentiam, ſeu formaliter libera, quod tamen eſt falſum, rationalis enim per eſſentiã, non eſt voluntas, ſed intellectus: ergo ruit tertium notabile, & conſequenter fundamẽtum potiſsimum primæ cõcluſionis. Tertio aduerſus diſcrimẽ aſsignatum inter membra diuiſionis obijcitur quod nõ ſit eſſentiale: tũ quia naturale, & liberum tantum ſunt differentiæ modi agendi, & non potentiæ: vnde eidem potentiæ poſſunt conuenire, & de facto diuinæ, & noſtræ conueniunt voluntati teſte. D. Tho. 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. & 1. 2. q. 10. art. 1. tum etiam quia teſte D. Tho. ibidẽ q. 8. art. 3. ad 2. potentia rationalis propterea ſe habet ad oppoſita, quia poteſt proſequi illa oppoſita quæ ſub ſuo obiecto conuenienti continẽtur, ex quo infert, quod voluntas ideo ſe habet ad oppoſita proſequenda, quia poteſt proſequi bona oppoſita ſub bono in cõmuni comprehenſa ſicut moueri & quieſcere, loqui & tacere, ſed etiã viſus poteſt aprehendere oppoſitos colores, & virtus caloris oppoſitos effectus in cera, & in luto operatur, quæ tamen irrationales potentiæ ſunt: ergo. Quarto aduerſus tertiam concluſionem poteſt obijci quod rationalis potentia analogice de rationali per eſſentiam, & rationalibus per parcicipationem prædicatur, hoc autem vniuocationi ſuperioris videtur derogare, quo enim pacto ſub aliquo ſuperiori, vniuoco inferius analogũ poterit eſſentialiter cõtineri. Ad primã obiectionẽ nihilominus reſpõdetur Philoſophũ in illo loco hãc diuiſionem potẽtijs animæ aplicaſe. Hæc tamẽ aplicatio nõ obſtat quominus ipſa diuiſio ſecundũ ſe latius pateat, & omnes potẽtias cõprehẽdat. Ad cõfirmationẽ Fonſeca ſuper literã cap. 2. §. *atque ex quidẽ*, ait hac diuiſione nedũ actiuas, ſed etiã paſsiuas à Philoſopho cõprehẽdi eo quod omnes potentiæ paſsiuæ: ſunt rationis expertes, & ad vnũ determinatæ, ſed hic modus dicendi veritati, & Philoſophi menti contradicit: veritati quidẽ, quia intellectus poſsibilis ſimpliciter eſt potentia paſsiua, vt art. 1. quæſt. ſequentis docemus, & tamen eſt rationalis nõ igitur omnes potentiæ paſsiuæ, ſunt rationis expertes. Philoſophi autẽ mẽti quia diffiniẽs potẽtiã rationis experrẽ ſic ait. *Quæ autẽ ſunt rationis expertes vna vnius eſt quo pacto calidũ calefaciendi ſolũ vim habet, &c.* Ac ſi diceret vt ipſe paulo infra ſe explicat rationis experrẽ eſſe illã, quæ operatur per formam naturalem ad vnum determinatam: rationalem vero per formam rationis quæſit oppoſitorũ operatrix: de mente igitur Philoſophi rationales, & rationis expertes potentiæ ſunt operatiuę, quare melius Caiet. 1. p. quæſt. 41. art. 2.

art. 2. §. circa diſtinctionem voluntatis, & §. aduerte, ait hanc diuiſionem tãtum eſſe potentiarum actiuarum ſecundum quod à Philoſopho traditur naturale, & liberum quæ ſub nominibus rationalis, & irrationalis potentiæ à Phyloſopho accipiũtur in hoc 9. Methaphiſicæ ſunt diferentiæ principij actiui, ſiue modi agendi eiuſdem ſententiæ, eſt Scotus in 2. d. 2. q. 7. & d. 10. q. 1. atq; in quodlibetis, q. 16. quia tamen naturale, & rationis ex pers poſſunt potentijs paſſiuis adaptari illas nanq; potentias quæ nullius ſunt actiuitatis neceſſe eſt nullius quoq; eſſe libertatis, ac proinde rationales ſeu rationis expertes eſſe ſaltem negatiue, quia nõ carent perfectione debita eis ſecundum genus proximum hoc eſt ſecundum genus potentiæ actiuæ, ſed ſecundum genue remotum, nempe ſecundum rationem communiſſimam potentiæ abſtrahentem ab actiuis, & paſsiuis: propterea poteſt hæc diuiſio Philoſophi ad omnes illas extendi ſumpta potentia naturali, ſeu rationis ex parte non ita ſtrictè ſicut à Philoſopho fuit accepta: nempe prout dicit principium operandi carens in diferentia, atque libertate, ſed magis large, nempe quatenus importat principium non operans libere: ſiue aliter operatiuum ſit, ſiue tantum paſsiuum.

Ad ſecundã negatur ſequela, nã licet ſint idem ſecundũ rem adhuc ſenſum, quod omnis potentia rationalis aliquo modo, eſt etiã aliquo modo libera, & ê contra potentia quæ eſt rationis ex pers etiam eſt ex pers libertatis, tamen non ſunt idem ſecundum rationẽ formalem, & propterea non oportet potentiam quæ eſt per eſſentiam rationalis, eſſe maximè liberam.

Ad tertiam triplex eſt modus dicendi primus eſt Scoti, in locis prealegatis aſſerentis naturale, & liberum diſtinguere actus, & potentias, & propterea voluntatem quæ eſt potentia libera nullatenus, eſſe potentiam naturalem. Secundus eſt Fonſecæ hic capi. 2. q. 1. ſection. 4. ad primum aſſerentis naturale, & liberum, ſiue rationale, & rationis ex pers nõ diſtinguere potentias in genere potentiæ niſi ſecundum rationem, ita vt hac ratione diſtinguantur potentiæ rationales à rationis expertibus quod omnis rationalis potentia quatenus talis indeterminata eſt ad oppoſita omnis autem rationis expers in quantum huiuſmodi determinata eſt ad vnum, & ſi alia ratione ſit illa ad vnum determinata, & hæc ad oppoſita indiferens: vnde ſecundum hunc authorem voluntas in ordine ad obiecta ad quæ naturaliter inclinatur eſt potentia rationis ex pers & rationalis in ordine ad medias ad quæ nõ naturaliter inclinatur. Tertius & verus modus dicendi eſt Doctoris ſanctiꝺe veritate q. 22. a. 5. ad ſextum aſſerentis, quod naturale ſumitur dupliciter vno modo cum præciſione, & ſic realiter, ac formaliter diſtinguitur contra liberum ſicut animal diſtinguitur, cum præciſione ab animali rationali: alio modo accipitur abſq; præciſione, & ſic non diſtinguitur cõtra liberum, ſed potius præſupponitur ad illud, & includitur in illo, ſicut animal includitur in homine; quia igitur potentia rationis ex pers eſt naturalis cum præciſione propterea eſſentialiter, & formaliter diſtinguitur à potentia rationali, ſiue libera: eandem ſententiam ſequitur Caietanus in loco prealegato ex 1. p. §. *aduertere*, 2. vbi ait, quod naturale, & liberum abſolute nõ diuerſificant potentiam, ſed modum operandi, ſcilicet naturaliter, & libere, & quia eadem potentia poteſt habere reſpectu diuerſorũ vtrũque modum operãdi propterea eadem poteſt eſſe ſecundum diuerſas rationes partiales ſolo intellectu diſtinctas naturalis, & libera, ſed nihilominus naturale, & liberum præſuponunt diuerſitatem realem potentiarum, nempe aliquã quæ ſit mere naturalis, & aliã quæ ſit libera nõ quidẽ cum excluſione omni modo naturalis: oportet enim ſemper in poſteriori includi id quod eſt prius, & infimũ inferioris participare ſuperius, qua de cauſa voluntas quæ ſecundũ ſui ſupræmũ habet rationem naturæ ſecundũ reliquũ, eſt potentia libera: idem habet Cõrad. 1. 2. q. 8. ar. 1. ad 1. & prouatur hic modus dicendi primo, quia abſolute phyloſophus hic dicit alias eſſe potentias naturales, & rationis expertes, quod de alietate eſſentiali, & formali ex natura rei debet intelligi: hanc denotat relatiuum alietatis.

Tertio, quia naturale, quod eſt rationis ex pers adæquate nõ eſt quomodocunq; naturale, ſed eſt naturale per omnimodã excluſionẽ liberi, ac proinde cõſtituit potentiã mere naturalem nõ tantũ circa vnam partem ſui obiecti, ſed circa omnia obiecta partialia: potentia autem mere naturalis eſſentialiter, & realiter a potentia aliquo modo libera diſcriminatur: ergo. Quarto, nã licet diſcurſiuum noſtri intellectus includat intellectiuum large ſumptum: tamen intellectiuum, cum præciſione aceptum quale in Deo, & Angelis reperitur eſſentialiter à diſcurſiuo diſtinguitur, ac proinde eſſentiali diuiſione intellectiuum communiter ſumptum diuiditur per intellectiuum tantum, & diſcurſiuũ: ſed eodẽ modo comparatur liberum ad naturale, quo diſcurſiuum ad intellectiuum: ergo, licet liberum voluntatis includat naturale communiter ſumptum, tamen naturale adæquate & cũ præciſione eſſentialiter a libero diſtin-

guitur. Vltimo probatur in pugnando duos priores modos dicendi, primus nãq; deficit, quia ponit naturale qualecunq; essentialiter distingui a potentia libera: quod ostensum est falsum esse. Et quia ex illo sequitur voluntatẽ, quæ est potentia libera nullam habere rationem naturæ, ac proinde beatos libere frui, & gaudere de Deo in patria, eumq; libere amare: neq; & non spiritum sanctum libere procedere à Patre & Filio: quæ licet ab Scoto videantur admitti; absurda tamen sunt: ergo & antecedens. Secũdus deficit: tum quia tollit realem alietatem, & essentialem, ac formalẽ diuersitatem membrorum huius diuisionis: quod Philosopho nõ consonat. Tum etiam, quia nullum naturale agnoscit, quod essentialiter a libero distinguatur: quod tamen est falsum: illud enim naturale quod libertatis est expers, omnino circa adæquatum obiectum essentialiter a libero differt: & hoc apellauit Philosophus rationis expers. Et per hæc patet ad formam argumenti, negando antecedens primæ probationis: vel distinguendo illud iuxta assignatam distinctionem. Ad secundam explicandus est D. Th. iuxta dicta in secunda conclusione.

Ad quartam obiectionem negatur minor: multoties nãq; ea quæ sub vna ratione essentialiter vniuocãtur, sub alia etiã si secundum rem nulla inter illas distinctio actualis detur, contingit analogari: cuius ratio est, quod rerum analogia non tam ex ipsis rebus: quam exordine ad nomen & rationem, ac modum sub quibus significãtur desumitur. Vnde prouenit quod illa quæ in ordine ad vnum nomẽ vniuocãtur, in ordine ad aliud analogentur, quo pacto animal, medicina, & vrina, quæ in ordine ad hoc nomen *sanum*, analogantur sub isto nomine *respitiens sanitatem*, vniuocantur quod non sanitatem, sed respectum ad sanitatem formaliter importat, in quo illa tria vniuoce conueniunt: similiter virtutes respiciẽtes alterum, v.g. liberalitas, misericordia, penitentia, & comutatiua, atq; distributiua, iustitia, sub nomine & ratione comuni virtutis vniuocantur, sed sub nomine, & ratione iustitiæ analogantur, eo quod iustitia importat rationem debiti, quæ in sola cõmutatiua distributiua, & legali saluatur simpliciter, haut dissimiliter, licet rationalis, & rationis expers potentia sub nomine, & ratione potentiæ quæ tantum dicit principium operandi vniuocentur, tamen sub nomine potentiæ rationalis, seu liberæ possunt analogari illæ potentiæ quæ inæqualiter sunt rationales. Vnde rationale in hac diuisione potentiæ nõ est diferentia potentiæ simpliciter vna, sed est multiplex diferentia simpliciter iuxta diuersos modos habendi modum rationis, ac libertatis proportione tamen vna est: deberet namque absque alicuius analogiæ implicatione sic tradi: potentiarum aliæ rationis expertes, aliæ rationales per essentiam, & aliæ rationales per participationem, harumq; diferentiarum singulæ sunt vniuocæ, & essentiales, duas tamen posteriores Phylosophus, sub vnius nomine propter analogam conuenientiam comprehendit.

ARTICVLVS. II.

Quid sit libertas, & in qua potentiarũ rationaliũ potissime saluetur?

27 IN hoc articulo ante omnia præmitendum est, quid nominis, & quid rei ipsius libertatis. Igitur libertatis nomen primo à manu missione seruorum fuit impositum, qua serui à Domini liberabantur potestate: postea vèro ad multa fuit translatum præcipue ad ingenuitatem significandam: teste enim Hermogene, lege 40. ff. de liber. caus. illud ingenue dicimur facere, quod libere facimus? & ê contra illam quæ sic diffinit Florentinus in lege, *libertas*, ff. de statu hominum: *Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet nisi quod vi, aut iure prohibetur*: & Cicero in Paradox. *Libertas est potestas viuendi, vt vellis*: in hisq; homo dicitur liber proprie, in quibus habet dominiũ suorum actuũ. Apud Theologos quoq; libertas accipitur tribus modis: primo pro libertate, & seruitute, quo pacto ciuitates liberæ dicuntur, quæ alijs iure seruitutis subiectę non sunt: & hoc modo homines nõ sumus liberi, quia Deo seruitutis iure subiecti sumus: secũdo sumitur libertas pro spõtaneitate, & liberum pro spontaneo, quod opponitur coactioni, quo pacto libere beati amant Deũ in patria, ideſt, voluntarie & sponte sua, etiã si necessario: imo Spiritus sancti processio dicitur à D. Thom. q. 10. de potentia artic. 2. ad quintum libera; non quia non sit naturalis & necessaria, sed quia est maxime voluntaria, & spontanea, atq; omnis coactionis expers. Tertio modo accipitur strictè, prout importat in diferentiam cõtra rietatis, aut cõtradictionis oppositam necessitati, & in hac acceptione diffinitur sic ab illis: *Libertas est facultas rationis, & voluntatis ad oppositа*, aut etiam sic: *Libertas est facultas quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest oppositа operari, vel operari, & non operari*, in qua aceptione procedit nostra disputatio: ita vt sensus sit, in quo huiusmodi libertas, quæ necessitati opponitur, consistat, & in qua potentia rationali, in voluntate, scilicet, an in intellectu saluetur.

In

In qua disputatione tres versantur sententiæ, iuxta numerum ternarium eorum quæ in rationali anima reperiuntur; teste enim Philosopho 2. ethicorum capite 5. hæc tria in anima reperiuntur, affectus, scilicet siue actus, habitus, & potentia. Vnde prima sententia asserit libertatem siue liberum arbitrium in duobus actibus, voluntatis altero, & altero intellectus consistere. Ita Herbeus quodlibeto primo, eo quod putat nomen liberi arbitrij esse nomen actus, & istud liberum arbitrium esse iudicium liberum quod est cogitatio deliberandi: hæc autem volitionem deliberandi antecedit. Secunda sententia, cui fauet Albertus in capite summæ quæstione 91. membro 1. & in 2. distinctione 24. art. 5. & Bonauentura in 2. distinctione 25. art. 1. asserit liberum arbitrium esse quendam habitum congenitum, & naturalem communem intellectui, & voluntati, quorum fundamentum est, quod libertas quæ diffinitur, esse facultatem intellectus, & voluntatis ad operandum, & non operandum, est superadita entitatibus intellectus, ac voluntatis, sic enim diffinitur à Magistro in secundo distinctione 24. dicitur autem facultas; quasi facilitas ad eligendum facilitas autem est habitus, quod confirmant ex Augustino Epistola 106. & libro de spiritu & anima cap. 48. asserente liberum arbitrium delicto primorum parentum in posteris imminutum remansisse: potentiæ autem integræ post peccatum remanserunt, tum etiam ex Bernardo in libro de gratia, & libero arbitrio, qui diffinies liberum arbitrium, ait esse habitum animi liberum sui. Tertia sententia & comunior inter Theologos asserit liberum arbitrium hactenus diffinitum non in actu aut habitu aliquo superaddito: sed in potentia intellectus, aut voluntatis; aut in vtraque simul consistere. In huius tamen explicatione Theologi diuiduntur in quatuor modos dicendi, quidam enim relati à D. Thom. q. 24. de veritate art. 4. dixerunt liberum arbitrium esse quandam potentiam superiorem intellectu, & voluntate, ac illis dominantem, horum fundamentum nullum aliud erat, nisi quod existimarēt dari potentiam quandam superiorem intellectu, & voluntate, ex cuius imperio, & participatione, in ijs & alijs aliquis actus liber elicitus aut imperatus inuenitur. Alij vero de quorum numero est Durandus in secūdo distinct. 24. quæst. 3. dicunt libertatem in intellectu potissime, ac formalissime consistere. Huius opinionis fundamenta tria sunt: primum ex maiori independētia intellectus desumitur, quia illud est magis liberum quod est magis independens eo quod libertas seruituti opponitur, quæ est maxima subiectio & dependentia, sed intellectus est magis independens cum sit prior voluntate: ergo. Secundum procedit ex maiori: intellectus indifferentia, nam indifferentia voluntatis oritur ex indifferentia iudicij intellectus propterea enim electio voluntatis circa media est indifferens, quia iudicium de illis est indifferens; atque cum indifferentia proponit quæ conducunt, vel non conducunt: ergo. Tertium ex prioritate actus intellectus ducitur primus, namque actus liber est iudicium intellectus, quod deliberatum concludit dū intellectus ex multis medijs propositis vnū aprouat, & aliud reijcit, post hūc autem actū sequitur electio, quæ est primus actus liber voluntatis, in volitione enim circa finem, vt finis, non est libertas, aut deliberatio: ergo. Hijs accedit ipsa nominis liberi arbitrij ethimologia ab arbitrio seu arbitrari est desumptum, arbitrari autem idem est atque iudicare, quod est opus intellectus. Alij rursus quos refert, & refutat Argentinas in 2. dist. 24. quæstione vnica art. 3. volunt libertatem in vtraque potentia intellectus, scilicet ac voluntatis ex æquo fore constituendam, eo quod diffinitur à Magistro ex æquo esse facultas rationis, & voluntatis, & quia ex æquo intellectus & voluntas sunt incapaces patiendi violentiam, & coactionem, in quo præstant cæteris potentijs, deinde quia mutuo vna ab altera in actibus liberis dependet, ita vt actus intellectus præcedentes omnem actum voluntatis pure naturales sint. Denique alij volunt libertatem potissime in voluntate & minus principaliter in intellectu saluari & hæc est proculdubio sententia nostri Doctoris in prima parte quæst. 83. art. 4. & in 2. distinct. 24. quæst. 1. quem sequūtur Scotus, Capreolus, Argentinas, & communiter Scolastici super eandem distinctionem, Henricus quodlibeto 1. quæst. 16. & Fonseca, hic cap. 2. q. 2. sectione 3. Pro cuius declaratione respondeo dicendum primo: liberum arbitrium nō consistere in aliquo realiter superaddito potentijs intellectus & voluntatis. Hæc assertio statuitur aduersus primam & secundam sententiam, atque primum modum defendendi tertiam, & probatur primo, nam liberum arbitrium est illud quo prius natura quā operemur possumus operari, & nō operari, vt constat ex eiusdem diffinitione à nobis assignata: ergo est potentia aliqua rationalis, & cum non sit alia præter intellectum & appetitum, aliqua ex his debet esse. Secundo probatur labefactādo illas tres sententias, & quod non sit actus secundus patet, quia liberum arbitrium hominibus etiam dormienti-

Liberū arbitriū est idem cū intellectu & voluntate.

bus adeſt, ita vt verum ſit dicere illos qui dormiunt liberos eſſe, ac libertatem habere, ſed tunc nullus actus liber illis in eſt: ergo, non conſiſtit in actu ſecundo liberum arbitrium. Confirmatur, nam dominium, quod eſt facultas vtendi rebus in vſus permiſſos eſt quid fixum, & permanens in hominibus, & fundatur in libertate, vel eſt ipſa libertas ſecũdum rem: ergo, etiam libertas, atque liberum arbitrium eſt aliquid permanens, ac proinde non eſt actus facile tranſiens, quod autem non ſit habitus patet, quia omnis habitus maxime cõgenitus, & naturalis tantum inclinat ad vnũ, ſed liberum arbitrium eſt indiferens ad oppoſita: ergo nõ eſt habitus, eo vel maxime, quod habitus congenitus in parte intellectiua non eſt præter habitum primorum principiorum qui non eſt liberum arbitrium, & tandẽ quod non ſit potentia ſuperior ad intellectum, & voluntatem patet, quia talis potentia non datur, cũ ſit omnino inutilis, & ſuperflua, ſufficiunt, namque ad actiones omnes liberas intellectus, & volũtas ille quidem ad iudicium, & cognitionem. Hæc vero ad mouendum, & aplicandum: ergo,

28 Dico ſecundo, & ſi liberum arbitrium in potentia intellectiua, ac volitiua adæquate conſiſtat, potiſsime vero in volitiua. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſecundum & tertium modum deffendendi tertiam ſententiam & probatur prima pars, quia liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, quod tamen non diceretur, niſi ad vtranque potentiam pertineret libertas. Tùm etiam, quia de liberatio vtriuſque facultatis operationem includit. Tùm denique, quia origo, & fons libertatis voluntatis eſt intellectus: ergo. Secũda vero pars probatur primo ex teſtimonijs ſcripturæ in quibus potiſsime voluntati attribuitur opus libertatis, propterea enim dicitur Eccleſiaſtici 15. *Si volueris mandata ſeruare conſeruabunt te*, vbi non dicitur ſi iudicaueris, aut ſi intellexeris, ſed ſi volueris, vt opus liberum potiſsime ad voluntatem reducatur, & primæ Corinthiorum 7. de homine ait Paulus: *Non habens neceſsitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*, denotans libertatem magis ad voluntatem quam ad intellectũ ſpectare, hijs accedit quod peccatũ ea tenus, homini imputatur quatenus eſt voluntarium ideſt libertate admiſſum voluntatis qua de cauſa Auguſtinus libro de vera Religione, capit. 14. ait peccatum ſi voluntarium non ſit peccati rationem non habere: ergo. Secundo probatur, nam illa potentia eſt maxime libera quæ primatum tenet in mouendo alias, hęc enim illis maxime dominatur, ſed voluntas eſt huiuſmodi eſt enim quæ intellectum, & cæteras mouet, & aplicat ad operandum tollendo earum indiferentiam, atque illas actiuas reducendo de potentia ad actum per modum mouentis, & inclinantis qua de cauſa teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 82. artic. 4. & 1. 2. quæſt. 9. art. 1. voluntas eſt primum mouens quoad actus exercitium, ideſt per modum atque motoris actiui, & agentis, & ſi per modum obiecti, & finis intellectus moueat ipſam: ergo in voluntate maxime ſaluatur libertas, tertio probatur, & confirmatur præcedens ratio: nam dominium maxime ſaluatur in voluntate per illam enim homo maxime ſeruis, ac rebus ſibi ſubiectis dominatur, ſed ex eodem, habet homo eſſe liber, atque dominari: ergo. Maior probatur, quia facultas vtẽdi rebus in qua conſiſtit dominatiua potentia formaliter eſt voluntas, eo quod vſus teſte D. Thom. 1. 2. quæſt. 16. art. 1. eſt aplicatio rei ad operationem, & propterea eſt actus volũtatis, cuius eſt aplicare omnes potentias ad ſuas operationes: ergo. Quarto probatur, nã propter, quod vnum quodque tale, & illud magis, ſed intellectus eſt liber in ſuis operationibus, quia mouetur à voluntate vnde illæ operationes intellectus quæ præcedunt omnem actum voluntatis, neque ſunt in noſtra poteſtate, ac proinde, neque liberæ; motio igitur voluntatis eſt ratio propter quam operationes intellectus ſubduntur noſtræ poteſtati, & hoc eſt ratio libertatis earum eo quod liberum, eſt quod operantis ſubiacet poteſtati: ergo voluntas eſt maxime libera. Quinto probatur ex maiori indiferentia, atque libertate a coactione, & neceſsitate quæ in voluntate reperitur, in hunc modum, eo aliqua potentia eſt magis libera quo eſt magis indiferens ad oppoſita, & quo minus de coactione, atque de neceſsitate pati poteſt, ſed talis eſt voluntas: ergo eſt magis libera, quam intellectus. Maior patet, quia libertas proprie acepta in indiferentia, quæ coactionem, ac neceſsitatem excludit conſiſtit: ergo ſecũdum, quod aliqua potentia graduatur in indiferentia, atque coactionis, & neceſsitatis excluſione debet graduari in libertate. Minor autem probatur, nam voluntas eſt indiferens, circa omnia media non neceſſaria ad vltimum finem conſequendum etiam ſi euidenter cognoſcantur ab intellectu proponente, ita vt illa poſsit eligere, aut reijcere, intellectus autem circa omne verum euidenter cognitum, vt tale, eſt determinatus ad aſſentiendum, quoad ſpecificationem: & circa omne falſum euidenter cognitum eſt determinatus ad diſenſum. Cuius ratio eſt, quod euidenter verũ nulla ratione poteſt cognoſcenti euidenter eſſe falſum, neque ẽ contra

euiden-

euidenter falſum poteſt aparere verum: bonũ autem non habens neceſſariam connexionẽ, cum vltimo fine poteſt ſub alia ratione eſſe malum, aut diſconueniens, & è cõtra malum, & diſconueniens ad vnum finem poteſt ſecundum aliam rationem eſſe bonum, vel cõueniens ad alium finem, ac proinde illud poteſt respuere voluntas, & hoc patet amplecti non obſtante vtriuſque euidenti cognitione: ſecus autem intellectus. Similiter voluntas teſte D. Thom. 1. 2. quæſtion. 6. artic. 4. quoad actus ellicitos nullo pacto cogi poteſt eo quod eſt naturalis inclinatio totius ſuposi ti, ac proinde omnis eius actus debet eſſe inclinatio ab intrinſeco procedens principio; intellectus vero, & ſi ſecundum ſe cogi non poſsit ſimpliciter quoad actus ellicitos, quia omnes illi debent eſſe à principio intrinſeco, & iuxta ipſius inclinationem tamen poteſt multa aprehendere contra ſupositi inclinationem, quo pacto demones coacti euidentia ſignorum diuinæ potentiæ credunt, & cõtremiſcunt, vt Iacobus à teſtatur eo quod, cũ intellectus non vt inclinatio totius ſupositi intelligentis, ſicut eſt voluntas poteſt coactionem pati apræhendendo aliquid contra inclinationem totius ſuppoſiti: ſecus autem voluntas quæ eſt totius ſupositi inclinatio; excedit quoque voluntas intellectum ex parte minoris neceſsitatis, licet enim in patria pariter circa ſumum verum, ac ſumum bonum neceſsitentur, & in via circà actus primo primos: & à neceſsitate quoad exercitium circà alios pariter liberentur tamen neceſsitate quoad ſpeciem actus circa plura neceſsitatur intellectus, quam voluntas. Hæc enim ſolum circa bonum incomuni, circa vltimum finem, & illa quæ cum hoc habent neceſſariam connexionem vt eſſe, viuere, &c. quæ ad conſiſtentiam naturalem ſunt neceſſaria, ſine quibus vltimus finis haberi non poteſt, vt tradit noſter Doctor 1. 2. quæſt. 1. art. 1. & arti. 2. ad tertium quoad ſpeciem actus determinatur: intellectus autem nedum circa prima principia per ſe nota, & concluſiones ex illis demonſtratas: verum etiam circa omnia enuntiata de quibus euidentiam habet, eſt à Deo determinatus, vt illi diſentire minime poſsit. Dico tertio, intellectus tantum eſt liber radicaliter: ſola voluntas autem eſt formaliter libera. Hæc concluſio ſtatuitur pro autoribus, quarti modi defendendi tertiam ſententiam, & probatur prima pars: nam intellectus eſt minus liber, quam volũtas, vt conſtat ex præcedenti concluſione, & hæc minor libertas non conſiſtit in alio niſi in hoc quod tantum ſit radix, & origo libertatis, & non ſit ſubiectum, cui formaliter in eſt libertas: ergo. Confirmatur dupliciter, primo: nam teſte D. Th. 1. 2. quæſt. 17. artic. 1. & Caietano ibidem intellectus eſt radix, & origo indiferentiæ voluntatis in qua formalis libertas ſaluatur: ergo eſt radix libertatis. Antecedens patet, quià ex iuditio quo intellectus obiectum indiferens iudicat, ac proponit, & ex mediorum, cũ fine, & inter ſe comparatione, quam facit intellectus, prouenit in voluntate indiferentia ad oppoſita elligendum, & ad vnum elligendum, & ad alterum reſpuendũ: ergo. Secũdo nam omnis electio, & libera actio voluntatis dirigitur, ac regulatur ab intellectu eiuſque actum præſuponit aquo mouetur, quoad actus ſpecificationem in genere cauſæ formalis, & finalis: mouetur que ad obiecta propoſita ab intellectu, ſicut ab illo ſibi proponuntur: ergo tota libertas, ac indiferentia voluntatis originatur ab intellectu, & in illius iuditio, & apræhenſione radicaliter præhabetur. Secunda vero pars, patet ex dictis, cum enim aliqua potentia rationalis debeat eſſe ſubiectum formalis libertatis, & hæc non ſit intellectus, vt dictum eſt, neque apetitus ſenſitiuus, qui non eſt rationalis formaliter, ſed tãtum participatiue, vt de ſe manifeſtum eſt relinquitur per ſpicuum ſolam voluntatem eſſe ſubiectũ formalis libertatis, ac proinde ſolam illam eſſe potiſsime, & maxime liberam.

29 Ex his haut difficile erit ſoluere argumenta aduerſariorum, ad primum enim quo Herbeus ſuam nitebatur probare ſententiam. Reſpondetur prænotando, tria in libertate inueniri, quæ hoc nomine ſolent gaudere, nempe ipſum actum ſecundum, qui eſt opus factum, cum indiferentia, ſtatum libertatis, qui eſt proxima expeditio potentiæ, & excluſio omnium impedimentorum ad libere operandum, & liberum arbitrium, quod pro ipſa facultate, & potentia voluntatis ſupponit; quo ſuppoſito dicẽdum eſt, neque cogitationem actualem, nec actum deliberationis eſſe liberum arbitrium proprie aceptum, ſed eſſe tantum actum liberum, qui tamen ſupponit libertatem formalem actus primi. Ad ſecundum quod eſt alterius ſententiæ fundamentum, negatur antecedens, neque enim facultas accipitur pro facilitate potentiæ, ſed pro ipſa potentia operatiua. Ad primam confirmationem ex Auguſtino deſumptam reſpondetur debere intelligi teſtimonium Auguſtini de ſtatu libertatis, quia liberum arbitrium quoad entitatem potentiæ non fuit diminutum bene tamen quoad ſtatum, eo quod in primis parentibus erant potentiæ propter iuſtitiam originalem magis promptæ, expeditæ, ac faciles ad vſum liberi arbitrij: in nobis autem propter originalem culpam minus promptæ;

promptæ, ac magis difficiles, & tardæ ſunt in actuum liberorum exequutione. Ad ſecundã ex Bernardo reſpondetur illum nomine habitus ſumpſiſſe potentiam ipſam quæ propterea, quod eſt actus primus permanens, & principium operandi quo vtimur, quando volumus nomine habitus quandoq; ſignificatur. Ad fundamentum primi modi defendendi tertiam ſententiam patet ex dictis friuolum eſſe: manifeſtum namque eſt talem potentiam intellectu, & voluntate ſuperiorem fictitiam eſſe. Ad ea vero quibus Durandi ſententia comprobatur reſpondetur. Ad primum quidem negando maiorem, licet enim illud quod eſt magis independens ſit magis liberum ea libertate quæ opponitur ſeruituti: ſed non illa, quæ opponitur neceſsitati. Poteſt etiam negari minor inſenſu formali, nam licet intellectus ſit minus dependens in eſſe potentiæ phyſicæ; tamen moraliter & in eſſe potentiæ liberæ magis dependet a voluntate quam è contra, eo quod per analogiam ad voluntatem, & dependenter ab eius motione libera, ſunt liberæ actiones intellectus. Ad ſecundum negatur conſequentia, non enim ex eo quod indiferentia voluntatis oriatur ex iudicio, & indiferenti propoſitione intellectus ſequitur intellectum eſſe magis liberum formaliter, quia formalis libertas non conſiſtit in indiferentia quacunque, ſed tantum in indiferentia ellectionis, per quam formaliter homo eſt dominus ſuarum actionum. Vnde ſicut ſanitas licet oriatur, & cauſetur ex virtute medicinæ, quia tamen non ſaluatur formaliter in medicina, ſed in animali non dicitur medicina magis ſana, quam animal, ſed potius è contra: ita quia indiferentia intellectus formaliter non eſt libertas, licet eſt cauſa, & radix libertatis exiſtentis in voluntate non ſequitur intellectum eſſe magis liberum, quam voluntatem, ſed è contra. Ad tertium dicendum eſt, quod primus actus formaliter liber non eſt iudicium, aut arbitrium cõcluſiuum, vt enim hic actus libere elliciatur ab intellectu præcedit aliqua motio voluntatis, qua ipſum mouet ad deliberandum: poſt iudicium autem ſequitur ellectio quæ eſt formaliter libera, vt autẽ denotaretur dependentia, & connexio ellectionis liberæ cum iudicio intellectus appellatur libertas voluntatis liberum arbitrium cõplexe, quo, & indiferentia iudicij precuntis, & indiferentia voluntatis in qua formaliter eſt libertas ſignificaretur. Ad primum tertij modi defendendi tertiam ſententiam. Reſpondetur non exæquo poni facultatem rationis, & facultatem voluntatis indiſinitione libertatis, ſed illam poni, vt radicem hanc vero, vt formalem rationem illius. Ad ſecundũ negãdum eſt antecedens iuxta ſuperius dicta vel admiſo antecedenti negatur conſequentia, quia libertas magis oſtenditur penes indiferentiam, & excluſionem neceſsitatis, quam penes exclusionem coactionis in illis autem non parificantur intellectus, & voluntas. Ad tertium diſtinguendum eſt aſumptum, licet enim actus voluntatis dependeant phyſice, & quoad eſſe naturale ab actibus intellectus tamen moraliter, & in ratione liberi è cõtra res, ſe habẽt actus intellectus dependent ab actibus voluntatis hij autem cum ſint formaliter liberi à nullo alio priori libero dependent niſi à primo per eſſentiam, quod eſt diuina, & in creata voluntas.

ARTICVLVS. III.

Quo pacto potentiæ liberæ ad ſuos actus liberos aplicentur, ac determinentur?

PRo intelligentia tituli opere prætium eſt aduertere in præſentiarum nomine potentiarum rationalium omnes illas inconſiderationem venire quæ quomodolibet libertatem participant, atq; modum operandi libere, quas iam articulo precedenti recẽſuimus, nomine autem liberorũ actuũ, eos accipimus, qui cum indiferẽtia fiunt, vel contrarietatis, vel contradictionis (neque eſt alius modus libertatis) propterea quod ad actus neceſſarios, ac mere naturales nulli dubiũ eſt potentias etiã rationales à natura ipſa eſſe propenſas, ac determinatas, ad liberos tamẽ actus cũ ſint indiferẽtes indigent determinari ab aliquo quod ab eis tolat indiferentiã, & illas ad operandũ aplicet, atq; ad alteram partẽ determinet, determinatio autem hæc duplex eſt ſicut, & indiferentia liberarũ potentiarũ eſt duplex altera quoad exercitium agẽdi, vel non agendi, & altera quoad ſpeciem, huius aut illius operationis ſic alia eſt determinatio quoad exercitiũ, & alia quoad ſpeciẽ operationis, & de vtraq; procedit preſens diſputatio, ita vt ſenſus ſit, an potentiæ rationales, ac liberæ quæcunq; ſint illæ in ordine ad actus liberos determinentur, quoad exercitiũ & ſpecificationem operationis à voluntate, aut ab intellectu, aut aquo vis alio determinante, nec nec?

30 In quo duplex verſatur ſententia, prima aſſerit vniuerſas potentias libertatis participes in ſuis actibus liberis tan quo ad exercitiũ, quam quoad ſpeciẽ operationis determinari à voluntate determinatione quidẽ libera, ſed non naturali, ita docet Fonſec. hic c. 2. q. 3.

q.3. sect.2. & eadem repetit infra q.6. sect.2. pro cuius declaratione aduertit duplicem dari determinationē actuū quoad speciem: alteram naturalē quæ potestati voluntatis nō subiacet alterā vero liberā quæ libere à voluntate exercetur: qua supposita distinctione, ait omnes actus cognoscendi, & appetēdi ex ordine ad obiecta sumere speciem ac naturam suuā, ab illisque naturali quadam determinatione determinari, eo quod obiectum actus etiā vt cognitū, non habet potestatem determinandi voluntatē ad aliam speciem actus, quā ad illam, quæ in illud suapte natura tendit: libera tamen determinatione omnes rationales potentias ad speciem actus à voluntate, & ipsam voluntatem à seipsa determinari. Cuius fundamentū hoc vnicum est quod licet detur in voluntate naturalis determinatio ad quosdam actus liberos quo ad specificationem sine determinatione quo ad exercitiū, vt in actu quo vult bonū vt sic, & in illo quo reicit malum (hanc enim determinationem habet voluntas etiā tunc cum nihil operatur) nunquam tamen datur determinatio libera in ordine ad aliquem actum, quin simul detur determinatio quo ad exercitium illius, sed sola voluntas est quæ mouet cæteras potentias rationales quo ad exercitium agendi, & non agendi, vt omnes admittunt: ergo sola illa est quæ mouet easdem quo ad speciem cuiuscunque actus liberi. Confirmat hoc quia sicut potentiæ naturales vt sic à natura determinantur vtroque modo, & quo ad speciem, & quo ad exercitium actus ita vt remotis omnibus impedimentis statim necessario operentur. Ita rationales quatenus liberæ, mouentur, & determinantur à voluntate, quæ est primum subiectum libertatis: ergo ab illa determinantur vtroque modo, ita ut seclusis impedimentis statim, libere tamen operentur. Secunda sententia asserit à voluntate quidem quo ad exercitiū precise determinari rationales potentias ab intellectu vero easdē determinari quo ad speciem operationis, ita docet procul dubio D. Tho. 1.p.q. 82. art.4. & 1. 2. q.9. art.1. quem sequuntur Caietanus, Conradus, Medina ibidem dubio 1. & tota Theologorum Scola. Sed quia neque voluntas quo ad exercitium, neque intellectus quo ad speciem potest determinare actum nisi mediante aliqua obiecti cognitione: in explicāda huiusmodi cognitione mediante qua voluntas mouet quo ad exercitium intellectum aut alias potētias rationales triplex versatur modus dicendi primus Scoti in 2. dist.6. & Marsilij ibidem quæst.15. art.1. asserentium sufficere simplicem obiecti aprehensionem, vel iudicium inefficax, & conditionatum vt voluntas ad complectēdum, vel ad reiciendum tale obiectum sic aprehensum possit alias potentias, & seipsam mouere. Huic subscribit Fonseca hic cap.2. quæst.3. sect.4. Secundus est Durādus in 2. distinct.24. q.2. num.23. & q.3. nu. 18. & Belarminij lib.3. de Gratia, & libero arbitrio cap.8. asserentium requiri ad motionem voluntatis, & aliarum potentiarum rationalium ex parte intellectus iudicium practicum, quo intellectus omnibus inspectis iudicat hoc, vel illud, hic & nunc esse faciendum: quo posito necessario ex suppositione sequitur operatio, quia est vltimum vltra quod non est aliud expectandum vt sequatur actus. Tertius modus asserit requiri vltra hoc iudicium practicum, imperium, seu iudicium intimatiuum, ac præceptiuum, quo intellectus intimādo dicit, fac hoc, vel hoc est tibi hic & nunc faciendum. Hæc est sententia communis Thomistarum, quam sequuntur illi qui vt vidimus supra lib.8. q.1. art.4. docent imperium esse actum intellectus practici requisitum ad mouendas potentias liberè ipsius imperantis quo ad exercitium: de quorū numero est Medina 1.2. q.9. art.1. dubio 3. & Iauelus hic quæst.4. In explicanda etiam cognitione qua obiectum cognitū ab intellectu determinat voluntatem, & cæteras rationales potentias, siue libera siue naturali determinatione quoad actus specié tres modi dicendi versantur, quidam enim dicūt non requiri ad omnem actum volūtatis præuiam cognitionem intellectus, sed posse dari etiā in hac vita aliquā operationem voluntatis adeo excellētem, vt à nulla prædia cognitione depēdeat. Non tamen esse liberā aut meritoriā, sed omnino necessariam, ita Bonauentura in opusculo de mistica Theologia, & itinerario animæ, Gerson Alphabeto 6. litera O. quibus fauent Palud. in 4. dist.49. q.1. art.2. & Fōseca hic cap.2. q.5. sect.7. quorū ille admittit de potētia absoluta posse elici actum voluntatis sine vlla præuia cognitione. Hic vero ait posse elici de potētia absoluta affectum in voluntate liberum cum sola sensus apræhensione. Secundus est Scoti, & Marsilij vbi supra, nec non Gabrielis in 2. q.8. art.3. & Holcot. q.3. asserentiū requiri ad omnē actū voluntatis præuiā intellectus cognitionem quæ nedū ad actus naturales, vt iunt motus primo primi, sed etiā ad actus liberos potest esse simplex aprehēsio, vel vt alij interprætātur, iudiciū simplex & speculatiuū de conueniētia boni, aut de disconueniētia mali. Tertius modus requirit ad omnem actum liberū iudicium practicum quo permodum affirmationis siue negationis iudicetur

tur, hic & nunc obiectum conueniens, vel disconueniens: ad actus vero naturales simplicem cognitionem intellectiuam tantum sufficere, ita D. Thom. 1. 2. quæstion. prealegata articul. 1. Caietanus, ibidem & quæstio. 30. artic. 3. Durandus vbi supra Ferrariensis 3. contra gentes cap. 89. & Enricus, quodlibeto 1. quæst. 15. quibus subscribunt Medina in loco prealegato, & fere omnes iuniores Theologi, sed pro huius declaratione sequentes appono assertiones.

Determinatio quo ad speciē actus sit ab intellectu.

Respondeo dicendum primo, determinare voluntatem quoad specificationem actus est proprium munus intellectus, & nullo modo conuenit voluntati, hæc assertio statuitur aduersus autorem primæ sententiæ, & probatur primo ratione Doctoris sancti in locis prealegatis quæ reducitur ad hanc formam: solus intellectus mouet ac determinat voluntatem ex parte obiecti aprehensi, ac representati, sed obiectum representatum determinat voluntatem quoad specificationē, specificat enim illius operationes: ergo & intellectus solus est, qui cum obiecto repræsentato determinat specificando. Minor admittitur ab omnibus, & patet maior, quia intellectus determinat voluntatem præsentando ei obiectum, cuius concursus est causæ formalis extrinsicæ aqua actus sumunt speciem: ergo. Secundo, nam concursus principij determinantis ad speciem seu specificantis tantum est formalis: specificare enim est proprius actus formæ: sed concursus voluntatis ad determinandas alias potentias est effectiuus, & non formalis: ergo, nequit esse principij specificantis, ac proinde voluntas, nequit illas ad speciē actus determinare. Tertio probatur, nam si propterea voluntas est primum mouens quoad specificationē, quia non datur determinatio ad actum liberum, quin simul determinetur eius exercitium eadem ratione intellectus esset primū mouens, quoad speciem, & quoad exercitium, quia etiam nunquam determinatione naturali determinatur actus liber quoad speciē ab obiecto aprehenso, quin simul determinetur ipsum actus exercitium: quod tamen prædictus autor non admittit: ergo. Quarto probatur nostra conclusio satisfaciendo eius argumento: etenim, licet specificatio qua obiectum semel aprehensum, & voluntati præsentatum est naturalis specificat, tamen ipsa obiecti aprehensio, & præsentatio libera est, illam enim exercet intellectus motus à voluntate, modum ita vt quemadmodū aliquando actus liber pendet à naturali, motus enim brachij, & motus appetitus sensitiui imperati à voluntate sunt liberi, qui tamen pendent a motu naturali cœli, ita è contra quando actus, siue effectus naturalis alicuius formæ pendet, vt à conditione ab aliquo exercitio libero quo pacto repræsentatio imaginis artificiatæ ad similitudinem archetipi depictæ à libera operatione artificis ipsam depingentis pendet in fieri, & per liberam Dei actionem diuina essentia se intellectui beatorum vnit quibus tamen postea naturaliter se ipsam, & nō nullas creaturas representat: haut dissimiliter aplicatione obiecti libere præsupposita potest obiectū ipsū sic aplicatū, & aprehensū actū voluntatis naturaliter specificare, neq; alia specificatio libera est dāda. Ad cōfirmationē patet ex dictis manifestū discrimen inter actus liberos, & naturales ad hos enim sola natura est principium determinans omnibus modis: ad illos vero nedū voluntas, sed intellectus habent rationē determinantis. Confirmantur, prædictæ rationes: nam teste D. Tho. 1. 2. q. prealegata art. 2. voluntas mouetur quandoque in suis actibus liberis ab appetitu sensitiuo indirecte, quoad speciem actus quatenus ex passione appetitus obiectum diuersimode aprehenditur, & repræsentatur voluntati, & propter eandem rationem etiā indirecte potest a corpore cœlesti voluntas moueri quoad speciem actus mediante obiecto aprehenso, iuxta passionis inclinationem teste eodē D. Thom. art. 5. sed si voluntas esset præmouens primum in homine quoad speciem actus, nec appetitus, nec corpus cœleste indirecte determinarent voluntatem, quia nihil ad talem determinationem cōduceret variatio aprehensionis obiecti: ergo. His accedit aliud testimonium nostri Doctoris in artic. 3. & 4. eiusdem quæstionis vbi in hoc distinguit motionem quoad specificationē à motione, quoad exercitium actus volūtatis, quod illa reducitur in exterius principium, nempe in obiectum a quo voluntas, vt à principio formali extrinseco determinatur, hæc vero reducitur in principium interius: quia quoad exercitium mouetur volūtas à se ipsa, & ex proprio motiuo propter innatam libertatem, nisi quod ad primum actum, qui est volitio finis excitatiua motio fit ab exteriori principio, nempe ex instinctu, & impulsu alicuius exterioris mouentis, vt supra docuimus: ergo voluntas nequit esse primum mouens quoad speciem actus, quia hoc debet esse extrinsecum voluntati, & actibus illius.

31 Dico secundo, voluntas est quæ primo determinat intellectū, & alias potentias ad actus liberos determinatione quoad exercitium. Hæc conclusio ab omnibus tam primæ, quam secundæ sententiæ autoribus recipitur: in qua tamen nomine primi determinā

tis

tis intelligimus, primmũ abſolute hoc enim eſt Deus, qui cũ ſit primũ liberum habet mouere effectiue, ꝙ ad exercitiũ noſtras voluntates efficaciter abſq; læſione earum innatæ libertatis, vt lib. 8. oſtẽdimus, ſed tantũ loquimur de primo mouẽte ac determinante quo ad exercitiũ ex his quæ in creatura rationali inueniuntur apta illã determinare ad operis executione liberã, & in hoc ſenſu aſſerit concluſio voluntatẽ eſſe primũ motorem quoad exercitiũ liberorũ: probaturque 1. ratione D. T. in locis præallegatis, ſcilicet illa potentia cæteras determinat quoad exercitiũ, quæ illas mouet per modũ agentis, ſiue effectiue aplicat ad operandum, mouere enim quoad exercitiũ actus eſt mouere actiue, ſicut mouere per modum finis, vel formę extrinſecæ eſt mouere quoad ſpeciẽ actus: ſed voluntas eſt quæ omnes alias, & ſe ipſam mouet per actiuã aplicationẽ: ergo. Min. oſtendit D. T. quia in omnibus potentijs actiuis ordinatis, illa quæ reſpicit finẽ vniuerſalem mouet actiue alias, quæ reſpiciunt fines particulares: ꝙ patet inductione: tũ in naturalibus: tũ in politicis facta: cœlũ enim quod agit ad vniuerſalẽ cõſeruationẽ generabiliũ & corruptibiliũ mouet omnia corpora inferiora quorũ vnũquodque agit ad conſeruationẽ propriæ ſpeciei vel etiam indiuidui. Rex etiam: quia intendit bonũ cõmune totius regni mouet per ſuũ imperiũ ſingulos præpoſitos ciuitarũ qui ſingulis ciuitatibus regiminis curã in pendunt: cũ igitur obiectũ volũtatis ſit bonũ vniuerſale & finis vltimus: ad illã pertinet mouere actiue cæteras potentias (quæ vel reſpiciũt bona particularia, vt viſus colorẽ, & auditus ſonũ, vel nõ reſpiciũt ipſam rationẽ boni licèt reſpiciãt aliquid vniuerſale, vt intellectus ens & verũ) ad ſuas operationes. 2. probatur, ex modo quo cõparatur voluntas ad aliarũ potẽtiarũ actus & ad proprios: ad hos enim cõparatur vt elliciens & cõſequenter ad illorũ exercitiũ 1. mouet ſe ipſam: ad illos vero cõparatur, vt imperans, quia mediãte imperio intellectus illos exercet: ſed motio quæ fit per imperiũ eſt actiua & quoad exercitium: ergo. 3. ex poteſtate ac dominio volũtatis ſupra alias perentias & actus earũ, ipſa enim eſt ſub cuius dominio, & poteſtate nedũ proprij ſed aliarum actus ſubiacent, acproinde eius motioni ſubiacet eorũ executio, ac prohibitio, ſed motio quo ad exercitiũ in ordine ad actus liberos, illius potẽtiæ eſt propria ſub cuius dominio ac poteſtate continẽtur: ergo. 4. ex eius libertatis excelẽtia: eũenim ſit formaliter libera ipſius ſolius eſt ellectio omnis circa alterã partem contraditionis: ſed determinatio omniũ potentiarum rationalium ad operandum, vel non operandum ad illam ſpectat quę eſt maximè libera & cuius eſt elligere: ergo.

De neceſſitate actus imperij.

Dico 3. quãdo voluntas mouet ſe aut alias potẽtias quoad exercitiũ cuiuslibet actus liberi, hoc exercet mediãte imperio intellectus practici in hunc modũ præcipientis aꝯ; intimantis: *fac hoc*, ſiue *hoc eſt tibi hic & nunc faciendũ*, aut, *hoc nõ eſt faciendũ*: hęc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos explicãdi ſecundã ſententiã, quorũ authores hũc actũ imperandi in intellectu practico nulla tenus agnoſcunt maximè in ordine ad potẽtias eiuſdẽ cognoſcentis, ſequi aut reicere: ſtatuitur quoque aduerſus, nonnullos iuniores, qui licèt admittant exercere poſſe imperiũ inter potentias eiuſdẽ ſupoſiti illudque exercere ab intellectu & vtile eſſe vt facilius & alacrius, facultates ſubiectę operẽtur nõ tamen eſſe neceſſariũ, & probatur noſtra cõcluſio. 1. quia multis oſtẽdimus lib. 6. q. 1. ar. 4. hoc imperiũ eſſe actum intellectus practici & neceſſariũ ad efficaciter aplicandã voluntatẽ, & alias potentias rationales ad operis executionem, ibidẽque explicuimus quo pacto nedũ ad vſum, ſed etiã ad ellectionem ſit præuium, & prerequiſitũ. 2. probatur: nã non ſolũ prudentia economica & politica, quæ ad eſt alios, ſed etiã monaſtica quę reſpicit virtutes morales & actus propij ſuppoſiti eſt præceptiua & alias eſt virtus neceſſaria homini virtutibus prædito: ergo requiritur eius actus qui eſt præceptiuus in ordine ad potentias & virtutes proprij ſuppoſiti. 3. quia efficax motio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum trahit ſecum intellectum ad aprobandum & imperandum illum actum, quem voluntas ellicit, ſiue alium alterius potentiæ mõtæ ab ipſa voluntate: ergo ad efficacem volitionem, atque operis executionem requiritur imperium. Quo autẽ pacto requiratur imperium ad ipſam ellectionẽ quæ voluntas mouet ipſum intellectũ ad operandũ diximus in loco præallegato, vnde in meritò Fonſeca poſtquam q. 7. ſect. 1. admiſit imperium requiri ad omnes actus voluntatis, excepto illo quo intellectus mouetur â volũtate, ad imperandum, q. 4. ſect. 4. dixit cũ ſolo iudicio in efficaci, & cõditionato poſſe volũtatẽ libere operari: tũ quia iudiciũ efficax & abſolutum, quo intellectus vltimo iudicat hic & nunc eſſe aliquid faciẽdũ vel non faciendũ eſt liberũ: ergo voluntatis actum liberum ſupponit: ac proinde iã ad illum actũ nõ requiretur: tum quia ſi requiritur ad actus liberos voluntatis: ergo poſito illo voluntas poterit operari & nõ operari, acproinde non erit efficax,

vel ſi efficax eſt tollit intrinſecā cōditionē libertatis: tū quia experiētia quotidiana cō ſtat nos ſtāte vno iudicio abſoluto,&in particulari de tali obiecto faciendo ad aliud diuertere & illi 1. repugnare v. g. ſtante iudicio defruenda voluntate hac,hic & nūc propter legem carnis vt eā vocat Paulus ad Rom.7.diuertit intellectus motus à voluntate ad alterū iudiciū negatiuū, ſcilicet de de nō fruenda tali voluptate propter legē Dei. Deniq; ſufficere aliquādo cōditionatū aut abſolutū in efficax probat:quia cum mercator tēpeſtate oppreſſus nōproiicit merces in mare iudicāte intellectu abſolute omnibus inſpectis fore proiciēdas,ſequitur aliud iudiciū cōditionatū de non proiciēdis mercibus propterea,ꝙ poteſt malle ſe mortis periculo committere, quā euadens mortē ſummā inopiā laborare,& quia poteſt quis habere qualēcūq; diramen corrigēdæ vitæ virtutis,aut honoris conſequēdi cauſa,illud q; ſequi,cū tamē habeat ſimul iudiciū aliud abſolutum de nō corrigeda,vt quibus aſſuevit voluptatibus perfruatur:1. autē eſt abſolutū in efficax:ergo. Sed in hoc nec ſibi; nec veritati cōſtās fuit Fōſeca,nō ſibi quia admittit poſtea requiri imperiū efficax ad actus liberos voluntatis ſaltē ad illos qui pertinēt ad operis executionē:neq; propterea exiſtimauit efficaciā huiuſmodi imperij lædere libertatē voluntatis:nō veritati:quia ſolū iudiciū nequit ſufficere inclinare voluntatē ad opus ſi ſit inefficax, ſiue cōditionatū, ſiue abſolutum & maximē in cōſpectu alterius oppoſiti abſoluti & efficacis,ꝙ ſi iudiciū in ſingulari de hic & nūc operādo, vel nō operādo eſt efficax,iā adducit ſe cū imperiū,vt ipſe fatetur,& ſic ratione imperij cōcomitātis efficaciter mouet voluntatē:vnde ad eius fundamēta facili negocio reſpōdetur:quorū primū ſoluimus vbi ſupra, & ſimiliter ſecundum.

32 Ad 3.vero dicēdū eſt verā eſſe experiētiā illā,quando iudiciū eſt cōmune & indeterminatū:quia tūc nō ſe cū adducit imperiū ſecus autē,quādo iudicū eſt efficax propter adiūctū imperiū. Ad 4 negatur antecedens pro vtraq; parte: neq; enim ſtante iudicio abſoluto de mercibus proiciēdis, hic & nūnc poteſt cū ſolo cōditionato mercator illas nō proicere,niſi quia retractato 1. & de poſita intentione primi finis,ſcilicet ſeruādi vitā,elicit aliud iudiciūabſolutum & particulare,ſimulq; habet actū preceptiuum quo imperat voluntati ne illas proiciat in virtute alterius intētionis quā tunc haberet ſcilicet contēnendi propriā vitā aut vitādi vitā inopiq; miſeriæ laborioſam:neque in 2.illud iudiciū, ꝙ ſequitur homō vitioſus eſt in efficax,ſed vel ratione ſui, vel ratione imperij adiūcti efficax eſſe debet alioquim ipſum non ſequeretur.

Dico 4.implicat etiā de potētia abſoluta volūtatē operari,abſque prēuia intellectus cognitione quæ ad actus liberos ſpeficandos debet eſſe iudicatiua ac diſcretiua boni à malo per modū affirmationis,vel negationis:probatur 1.pars, quia aprehenſio intellectus adminus eſt cōditio intrinſeca ad determinādos actus voluntatis per modū finis & obiecti ſicut realis exiſtentia requiritur ad efficiētis cauſalitatē:ſed huiuſmodi cōditio nequit per diuinā potētiā ſupleri: ergo. 2.quia volūtas nequit operari niſi circa obiectū ſibi aplicatū & preſens cū operetur per actiones inmanētes,ſed ipſa nequit facere obiectū preſens,niſi per intellectum qui trahit res ad ſe:ergo indiget operatione prāuia intellectus, qua ratione dicitur volūtas potētia cæca,quæ nō niſi in obiectū cognitū poteſt ferri: neq; valet dicere cū Foſeca hāc aplicationē & præſentiā ſufficiēter poſſe fieri per cognitionē ſenſus per quā aprehēditur bonū ſingulare corporeū ad ꝙ ſic aprehēſum poteſt ferri volūtas:nā ſenſus cū ſit corporeus ſolū præſentat obiectū aprehēſum appetitui corporeo:ergo nō volūtati,quæ ſpiritualis apetitus eſt: ac proinde ferri volūtatē in bonū aprehēſum ſolū per ſenſum idem eſſet atq; illā ferri in obiectū nec cognitū,nec ſibi repreſentatū: nō enim eius obiectū eſt bonū quomodocūque aprehenſum,ſed modo ſpirituali & immateriali per intellectū aprehenſum:ita vt aprehenſio intellectus vertatur in cōditionē formalē obiecti illius. 3. quia omnis actus volūtatis eſt ſpōtaneus & vitalis à principio intrinſeco procedēs,ꝙ ſua innata virtute illū elicit:ac proinde ſi circa incognitū abſolute aut circa incognitū intellectualiter operaretur volūtas hoc haberet, ex innata virtute ſua,& ſic ſuapte natura poſſet circa incognitū operari ꝙ eſt impoſsibile: ergo in nullo caſu poteſt obiectū omnibus modis ab intellectu in cognitū attingere. 2. pars probatur ſupponendo hoc eſſe diſcrimen inter actus neceſſarios ſiue naturales, & actus liberos voluntatis in quos cadit deliberatio:quod ad illos ſufficit aprehenſio, ſeu cognitio ſimplex qua tamē repreſentatur obiectum proſequendū ſub ratione boni & conuenientis,& fugiendum ſub ratione mali,& diſconuenientis:quia obiectū voluntatis eſt bonū & conueniens:vnde quidquid appetit,debet aprehendi,non ſolum ſub ratione entis, ſed ſub ratione boni ac

con-

conuenientis, ſiue cõfuſe, ſiue explicite repreſentetur, & quidquid fugit debet ei repreſentari ali quo modo ſub ratione mali, ad hos vero vltra hãc aprehenſionẽ ſub ratione boni requiritur iudicium, per modũ affirmationis & negationis non ex ſola naturæ propenſione, ſed ex aliqua deliberatione ortũ: nomine autem deliberationis intelligimus illã cognitionem qua intellectus per diſcurſum inquirit media conuenientia ad propoſiti finis conſequutionem, vt ex illis voluntas eligat cõuenientius. Et quia hic diſcurſus poteſt eſſe duplex, nimirùm formalis ſeu expreſſus, & virtualis cũ ſine diſcurſu expreſſo intellectus proponit media aut rationes oppoſitas ex quibus alterũ cũ indifferentia voluntas poſsit eligere: ideò deliberatio etiam eſt duplex, ſcilicet formalis, atque virtualis. Quo ſuppoſito probatur 2. pars concluſionis: nã actus perfectè liberi ſunt illi in quos cadit deliberatio: hos autem nequit volũtas elicere aut imperare, niſi mediante prꝛuio iudicio affirmante, vel negante, hoc vel illud mediũ eſſe conueniens: quia huiuſmodi iudicium eſt concluſio diſcurſus deliberatiui: ergo tale iudiciũ eſt ad illos ſpecifiandos prærequiſitũ. Huc adduci poſſent non nullæ diſputationes aliæ quæ cũ huius articuli controuerſia habent connexionẽ, videlicet, quo pacto voluntas ab bonũ, & ad quæ bona quo ad ſpecificationẽ ſit determinata: & quare quoad exercicium ad nullũ bonũ in via determinetur: an voluntas tantũ ad proſequendũ bonũ ſub ratione boni ſit determinata: ex quo prouenit ipſum actũ voluntatis proſequtiuũ & abſolutũ nõ poſſe ferri in impoſsibile ſimpliciter vt tale cognitũ: in quos actus cadat deliberatio: an etiã in primã volitionem finis in qua libere & vitaliter mouetur voluntas, & qua ratione fiat deliberatio ac quo ordine huiuſmodi intellectus & voluntatis actus eliciãtur; quæ ve oppoſita debeant proponi ab intellectũ deliberanti voluntati, vt poſsit cũ indifferentia alterũ elligere? ſed ab illis conſulto abſtinendũ fore iudicauimus: tũ quia eorũ non nulla iã expedita ſupra ſunt à nobis: tũ etiam, quia eorum exactam diſputationem in propriũ locũ, nempè in comentarium, q. 9. 1. 2. reſeruamus.

QVÆSTIO V.

De potentia quæ in creaturis in ordine ad ſupernaturales formas, ſiue actus reperitur, in tres articulos diuiſa.

SIcut diuiditur in naturalibus ens per actũ & potentiã: ita & in ſupernaturalibus eo quod etiã in ordine ſupernaturali, aliæ ſunt formæ quæ habent rationem actus, aliæ vero ſunt quæ habent rationem potentiæ, videlicet habitus ipſi infuſi, qui licèt nõ ſint propriè potentiæ, nihilominus quatenus principia habitualia & permanentia ſunt operationũ, ſ. poſſunt communiter potentiæ nuncupari. Character ſimiliter potentia ſupernaturalis eſt ad actus ſupernaturales ordinata. Sed de his potentijs modo non habendus eſt ſermo, ſed de potentia illa quã vnaquæque creatura habet ſibi innatã & congenitã ad operãdũ, vel recipiẽdũ formas, vel effectus ſupernaturales, quę obedientialis ſolet ad ordinem quę ſupernaturalem pertinet, quatenus ordo ſupernaturalis à naturali diſtinguitur; De hac ergo diuiſione potẽtię tres articuli inſtituuntur diſputandi: in quorũ primo: an detur huiuſmodi obedientialis potentia congenita ipſis rebus à naturali condiſtincta, & in quo ab illa diſtinguatur, videndũ eſt: in ſecundo admiſſo illã dari diſputabitur an ſit actiua vel dũtaxat paſsiua. Tãdem in tertio excluſa actiua, de paſsiua inquirendũ erit an ſupernaturalis ſubiectiue & formaliter, vel tantũ terminatiue: ſit.

ARTICVLVS. I.

An neceſsarium ſit dari in rebus creatis aliquã potentiam obedientialem ad formas & actus ſupernaturales, quæ & rebus ipſis ſit congenita & à potẽtia naturali aliquo pacto diſtincta?

1 IN hoc art. duæ verſantur ſententiæ 1. Scoti in q. 1. prologi ſententiarũ & in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 46. q. 1. aſſerentis, tres tantum eſſe potentias rebus congenitas, videlicet, naturale quæ ad actũ inclinat, violentã quę actui repugnat: & neutrã: ac proinde cũ obedientialis potentia ſit reſpectu actuũ ſupernaturaliũ reſpectu quorũ natura rei creatæ (ait ipſe) habet inclinationem, apud Scotũ erit potentia naturalis & ſic nulla dabitur apud ipſum potentia obedientialis. 2. ſententia eſt cõmunis apud Theologos dari in rebus congenitã potentiã naturalem dũtaxat & obedientialem: illã autem quã Scotus vocat violentã nõ ſupponere, aliã vero quã vocat neutrã, eſſe vel naturalem ſi ordinetur ad actus naturales, vel obedientialem reſpectu naturaliũ formarum: ita docent Caiet. in opuſculo de potentia neutra artic. 1. ideſt, quæſt. 2. tractat. tom. 3. opuſculorum & 1. p. quæſt. 1.

art.1.Ferrar.1.cõtra gent.c.5.&.2. contra gent.c.156.Hiſpaléſis, Pallude & Capreolus in 4.diſtinct.1.& Bonau.ibidẽ diſtinct. 10.art.2.q.2.ad 2.Fonſeca in hoc 9. cap.1. q.4 ſect.1. eandem ſequuntur Aureolus in 1.diſtinct.41.q.1.art.3.& Medina 1.2.q.3. art.8.ad 1.In cuius explicatione hi authores in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim de quorum numero ſunt Aureolus & Ferrarienſis dicunt huiuſmodi obedientialem potentiam in creaturis reperrã eſſe potentiam obiectiuam,ac in ſola nõ repugnantia conſiſtere,à qua non ſimpliciter & abſolute ſed obedientialiter res dicuntur potentes reſpectu actuum ſupernaturalium.Alij vero dicunt cõſiſtere in vera ac poſitiua habitudine potentiæ ſiue actiuæ, ſiue paſsiuæ (ab vtraque enim diſputatio huius articuli abſtrahit) per quam res dicũtur ſimpliciter & abſolute potentes reſpectu formarũ ſupernaturaliũ,& poſitiue reſpiciunt illas.Alij denique de quorum numero ſunt Medina & Capreol.in 1. d.42. q.1.ad 5.contra 4.conſtituunt illam in entitate ipſius creaturæ prout ſubeſt relationi ſeruitutis & ſubiectionis ad Deum, vel prout ſubeſt extrinſeco Imperio Dei:& ſecundum hos diuerſos modos explicandi potentiam obedientialem,diuerſę quoque extant illius diffinitiones:à quibuſdã enim diffinitur,quod ſit potentia qua quælibet creatura obedit Deo , ſupra ſuam naturã in ſola negatione repugnantię conſiſtens: ita illam diffinit Fonſeca vbi ſupra ſect.4. Ab alijs verò diffinitur , quod ſit vera potentia,per quam creatura verè & propriè ad actus ſupernaturales ſiue elliciendos,ſiue recipiendos ordinatur: & à Capreolo, Medina,& alijs quod ſit capacitas & aptitudo creaturæ ſubiectionis ad Dei omnipotentiam, vt in illa & per illã faciat quid quid ſupra leges naturæ voluerit operari.

Reſpondeo dicendũ, in omnibus rebus creatis dari potentiam reſpectu formarũ, ſiue actuum ſupernaturalium, quæ neque neutra,neque naturalis abſolute,ſed obedientialis debet nuncupari. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Scotum authorem, 1.ſententiæ,& probatur quoad primã partem,1.ratione Doctoris Sancti 1.p. q.115. art.2.ad 4.vbi ait in rebus creatis eſſe virtutes paſsiuas,vt in eis fieri poſsit quidquid Deus mandauerit præter quas nõ fiunt miracula:Ex quo ſic argumẽtor,in rebus creatis fiunt miracula,ſcilicet reſurrectio mortui,illuminatio cæci &c.Sed hæc miracula nõ fiunt præter virtutes paſsiuas ipſarũ creaturarũ in quibus fiunt: ergo dantur in illis virtutes ac potentiæ ſaltẽ paſsiuæ ad opera miraculoſa.2.probatur :nam omnis natura creata eſt aſſumptibilis ad eſſe hypoſtaticũ vt probat D.Th.3.p.q.4.ar.1. eo quòd omnis natura eſt capax vt aſſumatur à diuina perſona,ſed hæc capacitas attẽditur penes ordinẽ ad formas ordinis ſupernaturalis:ergo datur in rebus talis potentia.3.quia cuilibet potẽtiæ actiuæ reſpondet aliqua receptiua, ſiue capacitas in ſubiecto circa quã operari poteſt, ſed omnipotẽtia ſecũdum quod ſupra & præter ordinem naturæ poteſt operari reſpicit omnes creaturas in quibus aliquid ſupra & prę ter naturæ ordinẽ efficere poteſt : ergo in ſingulis creaturis aliqua potẽtia ſiue capacitas reſpondet omnipotentiæ Dei , vt ſic operatiuę.Confirmatur ex D.Th.3.p.q.1. art.3.ad 3.vbi duplicem in humana natura (& idem de alijs dictũ puta) diſtinguit capacitatem:vnã quidem ſecundum ordinẽ potentiæ naturalis,quæ à Deo ſemper impletur , qui dat vnicuique rei ſecundum eius capacitatem naturalem:aliam verò ſecundũ ordinem diuinæ potentiæ: cui omnis creatura obedit ad nutum:& hanc non oportet à Deo impleri : alioquim Deus non poſſet facere in creatura,niſi quod facit,ꝙ falſum eſt,&c. eſt igitur in vnaquaque creatura capacitas,vt in illa & per illã Deus faciat,quidquid voluerit ſupra leges naturæ.2.pars,quod hæc capacitas non debeat dici neutra probatur : quia nulla talis potentia datur in rerum natura,vt conſtat ex dictis nulla enim eſt potentia , quæ ſiue actiua,ſiue paſsiua ſit in rerum natura, vel non reſpiciat aliquem actum naturaliter, vel eius contrariũ (ſi fiat ſermo de potentijs rerum in ordine ad actus naturalis ordinis)ſed ſi naturaliter reſpiciat actũ erit potentia naturalis:ſi reſpiciat cõtrarium,erit etiã naturalis reſpectu cõtrarij: dicetur tamen violenta reſpectu talis actus cuius cõtrarium reſpicit,quia violenter ſe habet ad illũ.3.pars,ſcilicet quod hæc potentia non ſit naturalis,ſed obedientialis:probatur aduerſus Scotum:1.quia vnaquæque potentia ab effectu formali debet ſpecificari & nominari,ſed effectus formalis huiuſmodi potentię eſt cõſtituere creaturã ſubiectã & obediẽtẽ diuinæ omnipotẽtię in ordinę ad effectus ſupernaturales,vt cõſtat ex allatis diffinitionibus:ergo obedientialis eſt & nõ naturalis.2.quia potentia naturalis eſt illa, quæ ordinatur ad effectus naturales cõcurſu naturali producendos:hæc autẽ ſumitur per ordinem ad effectus ſupernaturales, & per concurſum naturalem producendos:

ergo

go est naturalis. Tertio: nam sequitur quod miracula fiunt præter potentiam insitam rebus, quia fiunt præter omnem potentiã naturalem ipsam: & quod potentia atque capacitas hominis, v.g. à Deo impleatur, siquidem naturalis potentia quã homo & vnaquæque creatura habet ad suas perfectiones naturales, fere semper à Deo impletur: consequens patet esse falsum ex testimonijs præallegatis S. Doctoris: ergo & antecedens. Quarto, quia alias creatura rationalis ad nullũ finem supra suã naturã ordinaretur, nõ enim dicitur finis supra naturã rationalem, ille ad quem talis natura habet potentiã naturalem: cõsequens autem ostẽ ditur falsum à Doctore Sãcto 1. p. q. 23. art. 1. & q. 62. ar. 4. & aliàs sæpè, vbi probat beatitudinem perfectã creaturæ rationalis esse supra illius naturã, & propterea Angelos & homines ad illam trãsmitti ex vi prædestinationis & illã mediãtibus meritis, & non propria virtute asequi: ergo.

2 Dico secũdo, hæc obedientialis potentia siue capacitas nõ est sola negatio repugnantiæ, sed aliquid positiuũ & reale, quod quidẽ est ipsa entitas creaturæ Deo subiecta: hæc statuitur aduersus authores primi modi deffendendi secundũ sententiam, & probatur primo: nã tribuit effectus formales positiuos & reales: ergo est realis & nõ sola non repugnãtia: antecedens patet: quia tribuit creaturæ esse capacem formarũ supernaturaliũ, esse assumptibilẽ à persona diuina &c. ergo. Secundo probatur: quia est verè causa actuũ supernaturaliũ, vt admittit Fõseca, in omni genere causæ, est enim causa materialis in materia, v. g. in ordine ad receptionem pluriũ formarũ substãtialiũ simul, in forma vero est causa formalis ad plures materias simul informandas: & in instrumentis est causa actiua effectuum supernaturaliũ: sed nequit esse vera causa actiua materialis aut formalis per negationem nõ repugnãtiæ: ergo non in sola hac negatione consistit: ac proinde Fonseca primũ admittens non satis sibi cõstat dũ hoc secundũ admittit. Confirmatur nã in omni sententia ad minus potentia obedientialis, v.g. animæ rationalis est vere causa materialis & physica gratiæ, quæ educitur de potentia animæ: sed per solã negationem nequit esse causa materialis, neque de sola negatione potest fieri eductio gratiæ: ergo. Tertio probatur: nã teste D. Th. q. 3. de potentia art. 1. ad 16. potentia obedientialis i deo dicitur obedientialis respectu diuinæ omnipotentiæ: quia constituit creaturã obedientem & subiectã Deo, sed creatura nõ est subiecta Deo per solã negationem repugnãtiæ, sed per suam entitatẽ cũ respectu subiectionis: igitur in entitate creaturæ, vt subest respectui subiectionis, tanquã cõplemento cõsistit ratio huiusmodi obedientialis potẽtiæ: ac proinde ex duobus cõflatur huiusmodi potentia: ex entitate creata, & ex respectu subiectionis ad Deum: non tamen ex æquo quia ex entitate tanquam ex ratione formali & ex respectu tanquam ex intrinseca conditione & complemento constituitur.

Dico tertio obedientialis potentia quæcunque illa sit nõ denominat subiectũ simpliciter potens propriè loquendo, bene tamen denominat illud simpliciter capax, siue obedientialiter potens. Probatur hæc assertio pro prima parte: primo, quia forma quæ nõ est potentia propriè & simpliciter non potest denominare subiectũ propriè, & simpliciter: sed potentia obedientialis, nõ est propriè & simpliciter potẽtia de genere qualitatis, est enim entitas ipsius creaturæ, quæ in aliquibus est substãtia, in alijs quantitas, & in alijs qualitas, neque ordinatur per se primo ad actum: ergo nõ dat, po potentiæ esse proprie & simpliter. Cõfirmatur: nã cæcus habet potentiam obedientialem ad viuẽdũ, & cadauer Leonis emortui ad resurgendũ: & tamen neque cæcus dicitur propriè & simpliciter potens videre, neque cadauer potens viuere nisi cum illo addito, de potentia absoluta Dei, vel obedientialiter: ergo. Cõfirmatur Angeli, & cœli habent potentiã obedientialem ad sui desitionem, quia possunt desinere per Dei potentiam, & tamen non dicũtur proprie, aut simpliciter corruptibiles, sola ergo potentia obedientialis non sufficit denominare subiectũ potens simpliciter, & si dici possunt simpliciter anihilabiles, hoc est quia anihilabile vt sic dicitur per ordinem ad potentiã infinitã Dei, qui solus potest (principaliter saltem) anihilare, & solã capacitatem, siue logicã potentiã importat. Cõfirmatur 2. nã vir ac fœmina sterilitatis vitio laborantes, siue iam senectute confecti simpliciter dicuntur impotentes generare, quo pacto de Sara Genes. 11. dicitur, *erat autem Sara sterilis* & de Rachel ibidem c. 29. *Sorore sterili permanente*: & de Elizabeth, etiã dicitur Lucæ 1. quod esset Elizabeth sterilis: vnde falsum & contra hæc Sacræ Scripturæ testimonia esset Sarã Rachelem & Elisabetham appellare fœcundas & potentes generare, & tamen habebant obedientialem potentiam ad generãdum: ergo. Pro secunda vero parte probatur

tur:quia vnã quæq; forma poteſt denominare ſubiectũ iuxta naturam & capacitatẽ ſuam, & ſecundum effectum formalem, quem illi tribuit, ſed talis potentia ſolum eſt capacitas ad obediendũ Deo:ergo poterit ſubiectum denominare potens obedientialiter,ſiue capax ad effectus ſupernaturales.

Sed contra arguitur primo: nam homo habet naturale deſiderium ad viſionẽ Dei: ſed naturale deſiderium ſupponit naturalem potentiã:ergo homini in eſt naturalis potentia ad viſionem beatã: & cõſequẽter etiam ad alios actus & formas ſupernaturales: vnde non erit obedientialis potentia cõdiſtinguenda à naturali.Cõfirmatur,dupliciter:primo: quia potẽtia obedientialis in hominis intellectu,ſi aliqua eſſet maximẽ vt ſit per illã beatificabilis,ſed eſt beatificabilis per ſuã naturalẽ entitatẽ, & ſecũdum ſuã athomã & ſpecificã differentiam eſt capax beatitudinis: ergo obedientialis potentia eſt in illo naturalis. Secũdo quia poſſe habere fidẽ naturale eſt homini,teſte enim Auguſtino in lib.de prędeſtinatione ſanctorum,naturę hominũ eſt poſſe fidem ſuſcipere,quod idem eſt atque naturale eſſe homini tale poſſe:ſed eſt naturale illi tãquam potentia naturalis: ergo ad fidem recipiendam, & conſequenter ad alias formas ſupernaturales in eſt homini potentia naturalis.Reſpondetur ad hoc argumẽtum quod naturale deſiderium,ſiue appetitus ad viſionem Dei,vt eſt manifeſtatiua Dei authoris naturæ & primæ cauſæ ordinis naturalis,non ſupponit potentiam naturalem ad talem viſionem:quia cum talis viſio ſit ſimul ſupernaturalis, ab homine niſi per media ſupernaturalia quæ petunt in homine potentiam obedientialem,non poteſt aſequi,de quo alias:nempè lib.1.q.2.art.4.latius diximus, & propriam mentem explicuimus.Ad primam cõfirmationem dicendum eſt quod intellectus hominis eſt beatificabilis per ſuã entitatẽ naturalem,non qualitercumque,ſed cum ordine ſubiectionis ad Deũ,acceptam:entitas autem vt ſubeſt tali ordini non naturalis,ſed obedientialis potentia dici debet,quia nequit per agens naturale,& cum ſolo concurſu naturali ad actum reduci.

Ad ſecundam nego maiorem,aliud enim eſt naturæ hominis eſſe, habere fidem, & aliud tale poſſe eſſe homini naturale: primum enim ſolum denotat naturæ hominis in eſſe talem capacitatem, & hoc ſolũ dixit Auguſtinus,vt notat Caiet.1.p.q.1.ar.§.1.*ad euidentiã huius*,ſecundum autẽ denotat,quod talis capacitas ſit omninò natũ lis,ideſt,per agens naturale & cũ cõcurſu naturali ac debito naturæ hominis in actũ reducibilis,& hoc eſt falſum,& ab Auguſt. minime intentũ:fatemur itaque potentiã obedientialẽ ſubiectiue & quo ad entitatẽ naturalem eſſe,negamus tamẽ,illã terminatiue & quoad modũ eſſe naturale. Secũdo arguitur: nam huiuſmodi potentia tribuit creaturæ eſſe ſimpliciter obedientẽ Deo, & illi ſubiectã,atque ex vi illius natura humana eſt ſimpliciter receptiua gratię,& aſſumptibilis,à diuina perſona ſimpliciter:ſed iſtę ſũt denominationes potẽtis ſimpliciter: ergo abſolute & ſimplicitea dat poſſe & denominationẽ potentis,creaturæ. Reſpõdetur admiſſa maiori, negando minorẽ: nam creaturã eſſe ſubiectã & obedientem Deo ſimpliciter, non eſt illã poſſe ſimpliciter, ſed tantũ eſt illã eſſe capacẽ recipere formã ſupernaturalem à Deo: & ſecundũ hãc capacitatẽ dicitur receptiua veluti radicaliter donorũ ſupernaturaliũ,& in eodẽ ſenſu dicitur aſſumptibilis à perſona diuina, eo vel maxime, quod aſſumptibile dicitur per ordinẽ ad infinitã virtutem Dei potentis aſſumere alienã naturã:vnde ſola capacitas ſufficit vt creatura dicatur aſſumptibilis ſicut & propter ſimilem rationem dicitur Angelus ſimpliciter annihilabilis,cũ enim ſit anihilabilis per Dei omnipotentiam,& anihilabile dicatur per ordinem ad huiuſmodi omnipotẽtiã idem eſt dici Angelum anihilabilem ſimpliciter,atque dici anihilabilem per Dei omnipotentiam.

ARTICVLVS. II.

An obedientialis potentia,quam in creaturis ad formas & effectus ſupernaturales docuimus reperiri,congruenter in actiuã & paſsiuã diuidatur?

4 IN hoc articulo tres verſantur ſentẽtiæ,duæ extremæ,& alia media:prima earũ aſſerit dari potentiam obedientialem actiuam atque paſsiuam rebus innatam,quæ ab ipſis rerũ entitatibus realiter formaliter non diſtinguitur:huius ſententiæ inuentores fuere quidã iuniores de quorum numero & contubernio ſunt Suarez tom.1.ſuper 3.p.ſect.5.& 6.diſp.31.& to.3.diſp.9.ſect.2. & Fonſeca vbi ſupra ſection.4.Suarez autem vult ſuam ſententiã Auguſtino lib.9.de Trinit.& lib. de gratia Chriſti,Bonauenturæ in 4.d.1.ar.2.q.2.ad 2.& Aleſ.4.p.q.34.memb.5.ar.2.adſcribe-

re,

re, ſed immerito: nã Auguſt. Bonauent. & quotquot ex antiquis potentiã obedientialem creaturis cõceſſerũt in ordine ad effectus ſupernaturales, ſolã paſsiuã potentiã cognouerunt, vt inferius oſtendã, duobus autẽ modis iſti iuniores ſuã de obedientiali potentia actiua opinationem defendunt, Fonſeca enim vt articulo præcedenti inſinuauimus illã conſtituit in ipſa negatione repugnantiæ ad concurrendũ cũ Deo ad opera ſupernaturalia, à qua denominãtur potentes obedientialiter operari effectus ſupernaturales, ex quo infert quod ipſa entitas creaturæ cũ huiuſmodi negatione repugnantiæ abſque aliquo principio intrinſeco actiuo quod ſit in ipſa, ſed per principiũ ſupernaturale actiuũ, quod eſt in Deo, & cui ipſa ſubordinãtur, ſufficienter eleuatur & cõſtituitur in actu primo ad operandũ actus & effectus ſupernaturales: fundamentũ Fonſecæ eſt, quod antequã aſſumatur creatura ad productionem effectus ſupernaturalis producibilis ab ipſa, v. g. antequã aqua baptiſmalis aſſumatur ad productionem gratiæ, talis effectus eſt poſsibilis produci actiue ab ipſa aqua, & tunc nihil reale poſsitiuũ eſt in aqua, quod ſit potentia actiua, ſed ſola negatio repugnantiæ: ergo ab hac denominatur aqua potens, & gratia poſsibilis produci. Quod autem poſteà quãdo aſſumitur à Deo vt inſtrumentũ vel vt cauſa ſecũda principalis per ſolã diuinã virtutem in Deo exiſtentem, dicatur cõſtitui in actu primo ad agendũ, probat tripliciter. Primo: quia vt aliqua cauſa dicatur potens ſupernaturaliter agere, & conſtituta in actu primo, ſat eſt quod aliquo modo habeat principiũ ſupernaturale actiuũ pertinens ad ipſam, ſed principiũ ſupernaturale effectiuũ exiſtens in Deo aliquo modo pertinet ad ipſam creaturã, quã Deus ſibi ſubordinat ad productionẽ effectus ſupernaturalis: igitur per diuinã virtutem exiſtentem in ipſo Deo poteſt creatura conſtitui in actu primo &c. dũmodo diuinus cõcurſus ad effectũ ipſum terminetur. Secundo: quia licẽt de facto actus fidei, ſpei & charitatis, & aliarũ virtutũ infuſarum elliciãtur ab ipſis virtutibus, poſt earũ infuſionem, tamen de potẽtia abſoluta poteſt fieri vt à ſola potentia hominis, cũ auxilio & cõcurſu Dei ſupernaturali elliciãtur, & in primo inſtanti infuſionis ſupernaturalium habituũ prius natura ipſi actus à potentia cũ ſpeciali Dei cõcurſu de facto elliciũtur ſine aliquo intrinſeco ſupernaturali principio ex parte potentiæ, nõ obſtante, quod huiuſmodi actus libere, actiuè & principaliter à potentijs elliciuntur. Tertio quia actiones procedentes ab inſtrumentis artificũ nullũ actiuũ principiũ in ipſis inſtrumẽtis, ſed tantũ in artifice ſupponunt, & ſimiliter miracula à Chriſto patrata, nullum principiũ ſupernaturale actiuũ & intrinſecũ in rebus quibus ipſe dominus ad faciendа miracula vtebatur, ſed tãtũ in ipſius humanitate, ſupponebãt &c. Suarez vero ait huiuſmodi potentiã actiuã obedientialem eſſe in vnaquaque creatura ordinem, quẽ ſecundario dicit ad effectus & actus ſupernaturales, qui ordo nec realiter, nec formaliter ab entitate ipſius creaturæ diſtinguitur: ita habet ſect. 6. in ſolutione ad 2. cõuenit autem cũ Fonſeca in ſecundo dicto, dũ ait ſect. 5. ipſe Suarez tit. *impugnatur præcedens ſententia*, & tit. *neceſsitas potentiæ obediẽtialis*: quod talis potentia cõſtituitur in ratione actualis agentis ſine aliqua actualitate intrinſeca ſuperaddita, per ſolũ extrinſecũ concurſum Dei receptũ in effectu. Primũ probat: tũ quia hæc potentia cũ ſit eadem met entitas rei creatæ nõ ſpecificatur à ſua operatione, vel effectu: quia per ſe primo datur ad eſſe, & ſecũdo ad operari, nulla autem forma ſpecificatur ab eo quod ſecundario reſpicit: ex quo prouenit quod ſit idem formaliter cũ rerũ eſſentijs. Tum etiã: quia ſi eſſet ſuperaddita rebus, eſſet vtique ſupernaturalis & nõ tantũ obedientialis: tũ etiã: quia creatura per ſe ipſã eſt Deo ſubiectа ad agendũ in ordine ſupernaturalia, & ſicut dominiũ eſt de cõceptu Dei: ita huiuſmodi ſubiectio & ſubordinatio debet eſſe de cõceptu eſſentiali creaturę: & quia ſicut eſſentia animæ per ſe ipſam eſt potẽtia actiua ſuarũ paſsionũ: ita potentia actiua ſupernaturaliũ effectuũ eſt eadem eſſentia rei creatæ. Secundũ vero dictum in quo cõuenit cũ Fonſeca probat: quia quãdo aliqua virtus actiua in actu primo ſupponitur in cauſa, ſufficit ad hoc vt operetur talis cauſa, quod cõpleatur extrinſeca aſiſtẽ alicuius principij ptæhabentis talem effectũ: vt intellectui eleuato per lumen gloriæ ad elliciendã viſionem beatã ſufficit aſiſtentia eſſentiæ diuinæ vnitæ per modum ſpeciei: ergo etiã creaturæ cui ineſt potentia obedientialis ſufficit ad agendũ extrinſeca diuini Imperij & cõcurſus aſiſtentia. His addit Suarez nõ nulla alia notatu digna: ait enim ſect. 6. in ſ. lutione ad 5. quod hæc potentia obedientialis actiua in omnibus creaturis eſt eiuſdem ſpeciei: dixerat enim in eadem ſectione, illã formaliter abſtrahere à ſubſtãtia & accidente, corporali & ſpirituali, naturali & ſupernaturali: quia

entitas cũ qua formaliter identificatur ab his omnibus abſtrahit, dicit etiã ſect. 5. circ finem, illã nõ denominare ſubiectũ ſimpliciter agere potens, ſed tantũ ſecundũ quid in quo à Fonſeca non diſcriminatur, qui in allegata ſect. 4. fatetur illam non ſimpliciter: ſed tãtum denominare ſubiectum obedientialiter potens.

Secunda ſententia abſolute negat dari talem potentiã actiuã rebus creatis innatã ad effectus ſupernaturales, quam ſequuntur Hericus lib. 1. de Sacram. c. 18. §. 3. Zumel Decanus Salmãtinus 1. 2. q. 112. ar. 1. diſp. 3. & Vincentius lib. de gratia Chriſti q. 6. pagin. 795. quibus ſubſcribit Vazquez 1. p. diſp. 176. c. 4.

Tertia veluti media eſt Cabreræ Hieronimiani 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dub. 6. §. 3. & §. 4. & q. 13. ar. 2. diſp. 4. §. 1. aſſerẽtis potentiã obedientialem actiuam dari in rebus ad actus & effectus ſupernaturales, ſed non eſſe congenitã vel innatã illis, ſed ſuperadditã & infuſam: quia ipſamet entitas creaturæ eleuata per principiũ actiuũ ſupernaturale poteſt obedire Deo ad agedũ, & propterea poteſt dici vere ac proprie potentia obedientialis actiua: quo pacto volũtas per potentiã paſsiuã recipiens habitũ charitatis, & eleuata per illũ, eſt potentia actiua obedientialis ad elliciendum actum charitatis, quatenus Deo ad illius ellicientiã poteſt obedire, & de facto obedit quando illum elicit.

Relegatur à rebus potentia obediẽtialis actiua.

5 Reſpondeo dicendũ 1. nullam dari potentiã obediẽtialem actiuam ad effectus ſupernaturales, quæ in rebus creatis ſit ſola negatio repugnantiæ: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus primũ modum defendẽdi primam ſententiã, quem ſequitur Fonſeca & probatur 1. nam eſſe principiũ actiuum eſt perfectio: vnumquodque enim agit ſecundũ quod eſt in actu, ſed negatio repugnantiæ nõ eſt aliqua perfectio aut realitas: ergo nequit conſtituere creaturam in ratione principij actiui. Cõfirmatur: nã potẽtia actiua obedientialis, vel conſtituit ſubiectum vere potens ad actus ſupernaturales, vel nõ vere, ſed fictè tantum, ſi primũ, igitur nequit eſſe negatio: quia effectus formalis ac vera denominatio potentis agere nequit à negatione prouenire: ſi ſecundũ igitur talis potentia, erit ficta & nomine tenus potentia. Secundo probatur: nam antecedenter ad aſſumptionẽ inſtrumenti, v. g. baptiſmi non habet aqua niſi ſolam non repugnantiam, vt admittit Fonſeca, & poſtquã aſſumitur à Deo vt inſtrumentũ nihil intrinſecũ recipit: ergo non fit potens producere gratiã: ac proinde falſo aſſerit abſque aliquo principio intrinſeco fieri potens. Minor probatur: quia vt ſubiectũ de non potente fiat potens operari debet intrinſece mutari, & aliter ſe habere quã antea & non niſi per actiuam virtutem receptam in ipſo: ergo. Patet maior: quia eſſe ſubiectum potens operari aliquid, eſt effectus formalis alicuius formę realis: eſt enim perfectio agentis prę habere effectum, & poſſe illum ſibi aſſimilare: ac proinde tranſitus iſte de nõ potente proximè, in proximè potens abſque alicuius realis formæ receptione nequit fieri in ſubiecto. Tertio probatur: nã ſequitur voluntatem & intellectum habere quantum eſt de ſe virtutem in actus ſupernaturales ſine aliqua ſuperaddita virtute, ſiquidem de ſe habent hũiuſmodi non repugnantiã ad actus ſupernaturales, quæ eſt quædam actiua potentia ad illos: cõſequens tamen aduerſatur Concilio Trid. Seſſ. 6. cano. 2. & 3. definienti aduerſus Pelagium ſub anathematis pœna neminẽ poſſe ſine gratia, vel ſine dono intrinſeco credere, ſperare, aut diligere: ergo. Deinde probatur rationibus quibus ſententiã Suarez impugnabo, quæ à fortiori Fonſecæ deſtruunt opinionem.

Dico ſecundo, neque ponenda eſt potẽtia obedientialis innata ad actus ſupernaturales in rerũ entitate poſsitiua conſiſtens, quæ ad actũ ſecundũ abſque intrinſeca immutatione poſsit reduci. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus poſitionem Suarez, & prima eius pars. Probatur primo: quia vel huiuſmodi potentia per ſe ordinatur ad actus ſupernaturales, vel non per ſe, ſed per accidens & ſecũdario: ſi primũ, igitur debet eſſe ſupernaturalis & ſuperaddita, quã negat Suarez. Si ſecundũ, igitur nulla talis potẽtia eſt quę verè & propriè actiua ſit, ſed erit remota capacitas vt eleuetur per principij actiui ſuſceptionẽ. Confirmatur: nã potentia hæc aut dat poſſe agere proxime actus ſupernaturales, aut poſſe radicaliter & remote: nõ primum quia alias eſſet vere & propriè potẽtia de genere qualitatis vtpote cũ eſſet ad actũ accidentalẽ proxime ordinata: nõ ſecundũ, tũ quia potentia actiua radicalis & remota eſt illa à qua dimanat potẽtia proxima, quo pacto eſſentia ignis eſt radicaliter caleſactiua: quia profluit ab illa calor, qui eſt proximè caleſactiuus: ab eſſentia autem creaturæ nulla vis proximè actiua ſupernaturaliũ actuũ dimanat: tum etiã: quia potentia radicaliter operatiua ad huc indiget ad actualiter operandũ potentijs proximè actiuis, quo pacto anima indiget

get potẽtijs, & gratia virtutibus: ergo etiã obediẽcialis potẽtia virtute proxime operatiua indigeret. 2. arguitur ad hominem: nam potẽtia miraculorũ factiua, quam habebat Chriſtus Dominus denominabat ipſum ſimpliciter potentẽ: propterea enim dicitur de illo Lucæ. 24. quod erat potẽs in opere & ſermone: ſed obedientialis potẽtia non denominat ſubiectũ ſimpliciter potẽs vt Suarez & Fõſeca fatetur: ergo nõ denominabatur Chriſtus potẽs ab hac potentia obedientiali actiua, ſed ab alia intrinſecã virtute. Tertio arguitur: nam hæc ſententia Suarij tollit à Deo prouidẽtiã & gubernationẽ naturalem: ergo nullatenus eſt ſuſtinenda. Cõſequentia patet: quia impiũ eſt tollere à Deo prouidentiã & gubernationem naturalem de rebus omnibus, vt oſtedit D. Th. 1. p. q. 22. ar. 1. & q. 113. ar. 6. Antecedens autẽ probatur: quia hęc potentia ſecundũ huius authoris opinationẽ, fit à Deo authore naturę, ſecundũ ſuũ eſſe, ſiquidem nec realiter, nec formaliter ab eſſentia entis naturalis diſtinguitur: & tamen nõ ſubditur Deo vt auctori naturali in ſua operatione: eſt enim quoad vſum ſupernaturalis, vt fatetur Suarez: ergo non omnia, quæ procedunt à Deo auctore naturæ ſubduntur eius prouidentiæ, & gubernationi naturali. Confirmatur: nam ſequitur ex hac ſententia, quod in qualibet creatura ſit maius pondus ad gratiã, quã in lapide ad centrũ, & in igne ad concauũ lunæ: cõſequens autem eſt falſum: ergo & antecedẽs, ſequela patet: nam huiuſmodi potentia obedientialis cuilibet creaturæ innata eſt inclinatio, & pondus ad gratiã cauſandã: & alias eſt intrinſeca & eſſentialis ipſi creaturæ, quia eſt de conceptu illius, grauitas autem & leuitas quibus grauia & leuia inclinãtur in ſua loca naturalia ſunt proprietates accidentales eorũ: igitur maior eſſet inclinatio entis grati ad gratiã, quã grauium & leuiũ ad ſua loca cõnaturalia, ſicut maior eſt eſſentialis inclinatio, quam accidentalis. 4. probatur: nã potentiæ ad miracula facienda ſunt gratiæ gratis datæ, quæ apud Paulũ 1. Chorint. 12. numerantur & nũcupantur operatio virtutũ, & gratia ſanitatum, quas (ait Paulus) dari ab Spiritu Sancto vnicuique prout ipſe ſpiritus vult: quod ſi ab Spiritu Sancto infunduntur: virtutes intrinſecæ ſunt, quibus homines in actu primo intrinſece conſtituuntur ad miracula patranda. Rurſus Sacramenta nouæ legis habent intrinſecã virtutem ſupernaturalẽ ad phiſice cauſandã gratiã, & ſanctificandas animas, vt docent expreſſe ſancti Patres præcipuè Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 5. Ambroſ. lib. 1. de Sacramentis c. 5. & Auguſt. lib. de gratia Chriſti ca. 2. igitur neque homines, neque ſacramenta quibus Deus cõcurrit ad operãda miracula, & cauſandam gratiã: operantur per potentiã obedientialem innatã, ſed per huiuſmodi ſupernaturales virtutes à Deo ipſis impreſſas. Ad hoc reſpondet Suarez, tit. *neceſsitas potentiæ obedientialis*, quod huiuſmodi virtus ſupernaturalis ſiue gratiarũ gratis datarũ ad miracula, ſiue Sacramentorũ ad gratiã cauſandã, conſiſtit in extrinſeca deputatione quæ à Deo homines, ſiue ſacramenta ad huiuſmodi effectus deputantur: ac proinde virtus cauſatiua, quã habent non eſt niſi huiuſmodi potentia obedientialis. Sed cõtra hoc eſt quod Santi Patres citati dicunt virtutẽ operatiuã gratiæ dari Sacramentis ab Spiritu Sancto, & cõmunicari ab illo: igitur nõ poſſunt congruenter interpretari de virtute innata, & cõnaturali ipſis inſtrumentis: tum etiã: quia alias humanitas Chriſti Domini, ſacerdotes, & Sacramenta non haberent maiorem virtutem intrinſecã ad cauſandã gratiã, quam lapides & ligna: ſiquidem cõcurſus diuinus ſolũ recipitur ſecũdũ ſententiam Suarij, & Fõſecæ in effectibus ipſis, & deputatio nihil intrinſecũ ponit in rebus deputatis, ſolaque huiuſmodi obedientialis potentia eſt ratio agendi, & hæc æqualiter eſt in omnibus creaturis: cõſequens tamen eſt falſum, & non ſatis conſonat Sacrę Scripturę: ergo & antecedens. Minor patet: nã ſacerdotibus dicitur Ioan. 20. *recipite Spiritũ Sanctũ, quorum remiſſeritis &c.* vbi denotatur eis dari virtutem, & poteſtatem ad ſanctificandas animas, & Math. 10. fuit data Apoſtolis ſpecialis virtus ad patrãda miracula: & humanitas Chriſti Domini teſte D. Th. 3. p. q. 13. ar. 1. & 2. habuit virtutem ad facienda miracula, non innatã, ſed ex gratia vnionis: ergo. Cõfirmatur: nã aliãs nunquã mitteretur Spiritus Sãctus in animas hominũ per gratiã & donũ miraculorũ, quia non facit in illis nouũ effectũ, ratione cuius Spiritus Sãctus nouo modo ſit in illis, quod tamen requiritur ad miſsionem Spiritus Sancti teſte D. Th. 1. p. q. 43. ar. 3. hoc autem non poteſt dici, vt oſtendunt D. Th. ibidem in ſolutione ad tertiũ. & in 1. d. 14. q. 2. ar. 2. & Durandus ibi q. 3. 2. pars cõcluſionis probatur, nempè, quod non ſufficiat extrinſeca aſsiſtentia Dei, aut extrinſeca creaturæ ad Dei imperium ſubordinatio. 1. quia aut hæc extrinſeca ſubordinatio, & diuinus cõcurſus terminatus ad effectũ ſupernaturalem, dat potentiæ obedien-

dientiali totã vim actiuã, vel nullã, vel partem illius: ſi primũ: ergo ante concurſum illum non eſt actiua. Deinde non erit talis concurſus extrinſecus, ſed intrinſece recipietur in cauſa, ſi ſecundũ: ergo iã talis potentia erit ſupernaturalis & cõpleta in ſe: ſiquidẽ nihil recipit ex concurſu diuino. Rurſus nõ fiet magis potens ex tali cõcurſu, fieri enim magis potens eſt effectus formalis virtutis actiuæ, intrinſece receptæ in cauſa, vt dictũ eſt. Si tertiũ, ſequitur quod talis potentia ſit ſupernaturalis in ſe, licèt partialis, ſiquide ex ſe habet partem virtutis ad effectus ſupernaturales: deinde ſequitur, quod concurſus aliquid intrinſecũ ponat in illa, à concurſu enim nihil potente in cauſa, & in effectu recepto, nequit cauſa recipere partẽ virtutis: ergo. 2. probatur: vel efficacia huius potentiæ debet deſumi ex eſſentia ipſius reicreaatæ, vel ex diuina omnipotentia cui deſeruit, & cui ſubordinatur: neutrũ poteſt dici: ergo. Min. pro 1. p. patet, & â Suarez conceditur ſect. 5. ad 8. & quia alias in eſſet rebus virtus permanes ad gratiã cauſandã, & ad miracula faciẽda: ac proinde in genere cauſæ principalis hos effectus operaretur creatura, quia per virtutem connaturalem habentem ex ipſa efficaciã ageret. Pro 2. vero parte probatur: quia diuina omnipotentia ſi nihil intrinſecũ ponat in ipſa, nullam efficaciã ei poteſt cõferre: efficacia enim & vis agendi perfectio potentiæ eſt, quin immo ſi ei ab intrinſeco nõ conueniret efficacia, neque ab intrinſeco eſſet potentia, & ita verũ eſt quod ſicut potentia, voluntas, v. g. accipit à Deo habitũ charitatis, ita ab illo accipit rationẽ & efficaciã potentiæ actiuæ reſpectu actus dilectionis ſupernaturalis, & ſicut aqua ex diuina omnipotentia accipit virtutem ſupernaturalem cauſandi gratiã, ita accipit ab illa id per quod conſtituitur in rationẽ inſtrumenti potentis gratiã cauſare, quod antecedenter ad virtutem acceptam à diuina omnipotentia ſolã capacitatem recepti uam habeat, per quã erat capax eleuari & fieri potens per modũ principij actiui. 3. probatur & arguitur ad hominem: nã ipſe Suarez lib. 3. de auxilijs c. 4. n. 16. & 17. docet auxiliũ aliquando eſſe ipſum Deum extrinſece aſsiſtentem, vel extrinſecam cauſæ ſecundæ ad ipſum Deum ſubordinationem, & hoc quidem contingere quando in cauſa ſecunda non ſupponitur alia virtus & ratio agendi intrinſeca: ſicut contingit in ordine ad actum contritionis, ad quem cũ voluntas non habeat aliquem habitum aut virtutem ſupernaturalẽ, Deus ipſe extrinſece illã ſubordinans ſibi eſt auxilium, quo volũtas ad talem actũ eleuatur. Sed ſic eſt quod potentia obedientialis rebus innata eſt potentia proportionata, ſecũdũ hũc authorem, ad gratiæ & miraculorũ productionem: ergo non ſufficit illa ſola Dei extrinſeca aſsiſtẽtia, ſed indiget alio auxilio intrinſeco, vel hic author eſt ſibi contrarius. 4. probatur: quia concurſus principij actiui ad actus ſupernaturales vitales & liberos, vt ſunt actus charitatis & fidei, atque aliarũ virtutũ infuſarum eſſe debet à principio intrinſeco ſupernaturali, eſt enim omninò in ſuplebilis â Deo per aliud principiũ, cum de ratione intrinſeca actus vitalis & liberi ſit, eſſe à principio intrinſeco: ergo nequit ſola potentia obedientialis intellectus, vel voluntatis cũ extrinſeca Dei aſsiſtentia hos actus ellicere. Antecedens declaratur amplius, & probatur: quia ſupernaturalitas actus vitalis eſt intrinſece vitalis, in hoc enim diſtinguitur à ſupernaturalitate effectus non vitalis: ergo petit procedere â principio intrinſeco vitali & ſupernaturali, aliàs ſi dilectio ſupernaturalis, v. g. procederet à principio intrinſeco naturali, ſcilicet à volũtate, & â ſupernaturali extrinſeco ſcilicet â diuino imperio extrinſece aſsiſtente voluntati, ſolũ à volũtate, haberet vitalitatem naturalẽ, & nõ ſupernaturalitatem: ac proinde ille actus, quo ad intrinſeca, & eſſentialia nõ eſſet ſupernaturalis, quod eſt falſum: Confirmatur: nã aut potentia obedientialis intellectus, & volũtatis ad actus ſupernaturales eſt inſtrumentalis, aut ſe habet per modũ cauſæ principalis; neutrũ poteſt dici: nõ primũ: quia principiũ actus vitalis, & liberi debet eſſe principale: aliàs viuẽs nõ à ſe ſed ab alio mouetur: quo pacto licet nutritio ſit à calore naturali, vt ab inſtrumento, mediante quo anima agit ad nutrionem, tamen operatur in virtute animæ quæ cauſa principalis eſt nutritionis, & eſt intra ipſum viuẽs. Et multo magis actus qui nedum vitalis ſed liber eſt, petit principiũ principale intra ipſum agens liberũ, ſiue proximũ, ſiue radicale, ſiue vtrumque: vnde ſi potentia obedientialis voluntatis tantum eſt inſtrumentalis, cum non agat in virtute animæ, ſed in virtute Dei: neque principium radicale principale habebit actus dilectionis intra hominem, neque ſecundũ poteſt dici: quia cauſa principalis eſt quæ propria virtute, & per propriã formã operatur effectum: potentia autem obedẽtialis, neque per ſe ipſam neque propria virtute operatur: ergo.

Dico. 3. potẽtia eleuata per formã ſuper

naturalẽ

naturalem actiuã, & cõstitutain esse agentis in actu primo, nullatenus est dicẽda potentia obediẽtialis actiua: hæc cõclusio statuitur aduersus 3. sententiã: & probatur. 1. quia potentia obedientialis actiua est secũdũ quid & incõpleta & nõ potens operari propria virtute, in sententia authoris tertiæ sentẽtiæ, atque Suarij, est instrumentalis: sed potentia eleuata per formam supernaturalem actiuã, siue conflatũ ex vtraque, v.g. cõflatũ illud quod ex intellectu & lumine gloriæ resultat est potentia simpliciter & conpleta ad visionem beatificã elliciendã quã virtute propria nẽpe ipsius luminis & ingenere causæ principalis potest ellicere: ergo nequit dici potẽtia obedientialis. 2. nã potentia vitalis cõstituta per formã super naturalem actiuã connaturaliter ellicit actus super naturales, vt egregie aduertit Caie. 1. q. 12. ar. 5. § ad secũdum dicitur: ergo nõ ellicit illos obedientialiter, ac proinde nõ est obediẽtialis: prima pars cõsequentis patet: quia modus elliciendi obediẽtialiter cõdistinguitur à modo elliciendi cõnaturaliter. Secũdo probatur quia obedientialis potẽtia solum est illa quæ modo sibi proprio ellicit actus: ideſt obedientialiter. Cõfirmatur nã alias omnis actus super naturalis fieret anobis per potentiam obedientialem, & instrumẽtaliter: ac proinde nullus fieret principaliter: quod est absurdũ: his accedit, quod potẽtia obedientialis solum datur ad recipiẽdũ: ac proinde solũ est receptiua, vt art. sequenti ostendã: ergo nullũ principiũ actiuũ constitutum in actu primo ad agendũ potest esse aut dici potentia obediẽtialis. Ex his patet solutio ad fundamenta Fõsecæ, & Suarij. Ad primũ enim Fõsecæ quo nititur probare, potentiã obedientialem actiuã in negatione repugnãtiæ cõsistere: Respondetur, quod in illo priori ante quã creatura eleuetur ad productionẽ gratiæ, dicitur gratia possibilis produci à Deo mediãte creatura eleuata per intrinsecam virtutem, nõ autẽ est possibilis produci mediante creatura non eleuata per aliquid intrinsecum. Ad alia tria quibus nitebatur ostendere solã assistentiã extrinsecã sufficere negãdũ est antecedens: si enim cõcursus, siue auxiliũ Dei nihil intrinsecũ ponat in causa creata, numquã hæc produceret effectus supernaturales, sed Deus eos faceret ad præsentiã illius: sicut etiã artifex qui nihil imprimeret instrumento permodũ virtutis actiuæ se solo ad presentiã instrumenti operaretur artificiatũ. Ad 1. ex adductis à Suario fatemur illam potentiã non esse superadditã essentijs rerũ, quia putamus illã tamtũ esse capacitatem receptiuã: si tamen esset actiua, re vera deberet esse super naturalis, & superaddita: vnde Suarez sibi non cõstat. Ad 2. negatur antecedens, vel distinguitur: creatura est per se ipsam subiecta Deo ad agendũ, postquã fuerit eleuata, & cõstituta in actu primo per aliquid intrinsecũ, cõceditur: ad agendũ ante huiusmodi eleuationẽ, negatur: subiectio autem quæ illi conuenit per se ipsam, nõ est immediate ad agendũ, sed ad recipiendum, & in hoc eius subiectio pacificatur dominatiuę Dei: & per hæc patet ad 3. Ad alterũ, probãs sufficere solã assistentiam Dei ad hoc, quod agat hæc potẽtia, negatur assumptũ: neque enim sola assistentia essentiæ diuinæ sufficeret vt intellectus videret Deũ, nisi aliàs esset illustratus aliquo intrinseco lumine supernaturali, & visioni proportionato: ampliusque horũ solutio ex solutionibus aliorum argumentorũ quibus vtitur idem Suarez patefiet: quorũ 1. desumitur ex August. li. 9. de Trin. c. 17 asserente res naturales habere potentias vt Deus faciat in illis, & per illas quidquid voluerit. v.g. vt lignũ aridũ crescat, & quod virga Aarõ floruerit, atque asinã Balahami loqueretur: & lib. de gratia Christi cap. 50. asserit idem August. quod potẽtia nobis innata ad bonũ gratiæ est vitiata, & infirma per peccatũ: potentia autem ad florendũ ad loquendum, & quæ per peccatũ est vitiata nequit esse solũ passiua aut naturalis (hæc enim nõ vitiatur per peccatũ) ergo est actiua, & obedientialis. Confirmatur ex testimonijs Angelici Doctoris in quibus nedum passiuã sed etiam actiuã rebus ad super naturalia potentiam concedit: etenim q. 6. de potentia ar. 9. & in 4. d. 8. q. 2. ar. 3. ad 4 ait, quod sicut creaturæ in est potẽtia vt in ea faciat Deus, quod voluerit: ita etiam vt mediante illa faciat quid quid cõtradictionem non implicat: immo hanc innuit esse diffinitionẽ potentiæ obedientialis vt in illa, & per illã Dei omnipotentia faciat quidquid non implicat contradictionem, hæc autem debet esse actiua, eo quod habitudo illius mediante quo fit aliquid est habitudo causæ actiuæ: fauet id quod habet q. 8. de veritate ar. 12. ad 4. dum ait nostrũ intellectũ per potentiã obedientialẽ cognoscere supernaturalia, cognoscit autẽ illa per potentiam actiuam: ergo. Ad hoc respondetur Augustinum, non loqui de potentia actiua, sed de potentia passiua rebus innata, quæ quoadmodum & exercitium, siue vsum est supernaturalis: hæc enim non nisi à Deo authore supernaturali ad actum reducitur; & propterea etiam

etiam manſit quodammodo per peccatum vitiata in nobis: quia facilius diſponitur ad formas ſupernaturales recipiendas. Ad confirmationem eodem modo dicendum eſt quod D. Thom. loquitur de potentia obedientiali paſsiua: vel de actiua radiliter & remote, mediante forma ſupernaturali actiua illam eleuante, & hanc habitudinem denotat diffinitio aſsignata potentiæ obedientialis; nullatenus autem noſter Doctor, aliam obedientialem potentiam actiuam permanenter rebus inſitam agnouit: nam 3. p. quæſt. 62. artic. 4. & quæſt. 63. artic. 2. docet virtutem inſtrumentalem gratiæ cauſatiuam, repertam in Sacramentis eſſe actualem & facile tranſeuntem, & 2. 2. quæſt. 178. artic. 1. ad primum, docet idem de virtute factiua miraculorum hominibus iuſtis communicata, quod eſt per modum tranſeuntis illis data, ſignum igitur euidens eſt numquam Sanctum Doctorem virtutis permanentis rebus inſitæ ad effectus ſupernaturales, qualis fingitur potentia obedientialis actiua, meminiſſe: ac perconſequens falſo ei à Suario hanc opinionem de potentia obedientialis fuiſſe impoſitam.

Secundo arguitur: nam datur potentia obedientialis paſsiua, quia ad plenum Dominium Dei expectat, vt ſubijciat ſibi plene creaturam omnem in recipiendo: ergo etiam debet dari actiua. Conſequentia patet dupliciter: primo quia omni potentiæ paſsiuæ correſpondet actiua eiuſdem ordinis: ſecundo, quia non minus ſpectat ad plenum dominium Dei vt creatura ſubijciatur illi in agendo: ergo. Confirmatur dupliciter. Primo: quia in alijs rebus ad effectus excedentes earum naturas datur potentia actiua, per quam poſsint in illos, per ſolam extrinſecam ſubordinationem, verbi gratia, calor in animali ex ſubordinatione ad animam poteſt nutrire, & aqua maris ex ſubordinatione ad lunam habet alium motum à ſibi proprio & connaturali in quantum eſt corpus graue: ergo ſimiliter datur potentia actiua, quæ per ſolam ſubordinationem ad agens ſupernaturale poſsit in effectus ſupernaturales. Confirmatur ſecundo: nam alia genera cauſarum habent potentiam innatam, vt ſine alicuius formæ additione obediant Deo, verbi gratia, materia ſublunaris poteſt recipere plures formas ſubſtantiales, & etiam formam cæleſtem, & forma corporis ſublunaris poteſt informare materiam cæleſtem, bonitas creata poteſt finalizare aliquem actum quem de ſe non poſſet: ergo etiam genus cauſæ efficientis habere debet potentiam actiuam, per quam obediat Deo ad actus ſupernaturales efficiendos: aliàs minor obedientia & ſubiectio eſſet in hoc genere, quam in alijs. Reſpondetur, ad argumentum, quod potentiæ obedientiali paſsiuæ quę eſt capacitas creaturæ ad recipiendum formas ſupernaturales à Deo correſpondet potentia actiua eiuſdem ordinis, non quidem in creaturis, ſed in Deo ipſo, cui omnes creaturæ ſubijciuntur: vnde negatur conſequentia, ad probationem primam patet ex dictis: ad ſecundam negatur antecedens, ad plenum enim dominium Dei ſatis eſt, quod omnis creatura ſubijciatur illi immediate ad recipiendũ, & remote ad agendũ circa ſupernaturalia. Ad 1. confirmationẽ nego antecedens, calor enim ex cõiunctione ad animã, virtutem intrinſecã accipit, per quam nutritioni poſsit inſtrumentaliter cooperari. Aqua vero ad motum fluxus & refluxus tãtum paſsiue ſe habet, & propterea nihil recipit intrinſecum præter ipſum motum, quia ad illius receptionem habet in ſe ſufficientem potentiã paſsiuã. Quod ſi cõtendat aliquis nedũ paſsiue, ſed etiam actiue aquam concurrere ad illum motũ, ſicut cõcurrit ad motũ deorſum ſibi proprĩũ: tenetur dicere illã ex impreſsione lunæ aliquã qualitatem connaturaliter accipere, ratione cuius etiam connaturaliter fluat & refluat. Ad 2. Fonſeca vbi ſupra ſect. 4. §. *atque hoc pacto*, admittit in omnibus generibus cauſarum proprias potentias obedientiales reperiri, nẽpè ſpeciales negationes repugnantiæ: ita vt materia ad plures formas ſubſtãtiales ſimul recipiendas habeat potentiã paſsiuã, quæ eſt non repugnãtia & ſimilis potentia ſit in eadem forma, vt ſimul plures materias informet, & quod ad genus etiam cauſæ formalis reducitur potentia, ſiue non repugnantia quam habet idem numero corpus, vt ſimul ſit in pluribus locis, aut in eodem ſimul cum alijs. Sed hic modus dicendi eſt falſus: tum quia forma per ſe ipſam habet informare ſubiectum: & materia per ſe ipſam habet formas recipere: cauſant enim materia & forma per ſuarum entitatem intimam communicationem: igitur cauſalitas formalis & materialis, entitatibus materiæ & formæ, & non negationi correſpõdet: negatio enim repugnantiæ, neque materializare formas, neque informare materias poteſt: tum etiã quia quando materia recipit miraculoſe formam, vt contingit in reſurrectione, & contingeret ſi plures formas ſimul

mul reciperet, aut tunc ad talem miraculoſam receptionem accipit aliquem modum ſupernaturalem à Deo, aut nullum, ſi primũ ſufficit ei potentia paſsiua ad illum modum: & ſimilis potentia ſufficit formæ vt miraculoſam informationem ſubire poſsit: ſi ſecundum: ergo per ſeipſam eſt capax vt Deus in illa informationem miraculoſam vnius aut pluriũ formarum ſubſtantialiũ efficere poſſit, & ſimiliter forma per ſeipſam erit capax, vt Deus in illa miraculoſam efficiat informationem: quod non extrahit ipſam â latitudine potentiæ receptiuæ. Tum denique quia propterea negamus dari potentiam obediẽtialem actiuam ad effectus ſupernaturales, quia nulla creatura habet antequam eleuetur intrinſece, virtutem proxime operatiuam illorum, licet habeat potetiam talis virtutis ſupernaturalis receptiuam. Sed etiam nulla forma habet de ſe antecedenter ad eleuationem intrinſecam virtutem per quam proxime poſsit miraculoſam exercere informationem, licet in ea detur potentia receptiua talis virtutis: ergo ſola potentia paſsiua obedientialis datur in illis. Dices ex hoc ſequi formam non poſſe miraculoſe plures materias informare, v. g. eandem albedinẽ quæ eſt in Petro non poſſe miraculoſe Paulum actuate & reddere album, quod tamẽ eſt falſum, ſequela patet quia ſi albedo inhærens Petro per ſuam entitatem totaliter communicatam reddit Petrum album, & non habet potentiam obedientialem formalem ad inhærendum Paulo nullo pacto ei inhærebit, ſiquidem hæc albedo communicata Petro non poteſt aliter reddere Paulum albũ quã in genere cauſæ formalis, & hoc non per potentiam naturalem, quia miraculum eſt, neque per obedientialem, quia illam non habet: ergo. Reſpondetur nihilominus id nõ ſequi ex noſtra doctrina, quia in caſu poſito vt albedo Petri extendatur ad communicandum Paulo ſuum effectum formalem, per communicationem ſuæ naturalis entitatis ſufficit quod Deus in illa cauſet miraculoſum modum informationis ſuæ cauſalitatis formalis ad quem recipiendum habet paſsiuam potentiam obedientialem, & illo recepto à Deo per ſuæ entitatis communicationem conſtituet Paulum album. Vnde iuxta hanc doctrinam ad formam confirmationis negandum vel diſtinguendum eſt antecedens.

7 Tertio arguitur, nam intellectus & voluntas per ſuam innatam virtutem elliciunt actus ſupernaturales, ſed hæc nequit eſſe pure naturalis: ergo eſt actiua obedientialis. Maior probatur dupliciter. Primo quia intellectus, & voluntas habent vim actiuam innatam quæ ſi eleuetur poſsit ellicere actus ſupernaturales. Secundo quia potentia vitalis ſimul actiue & paſsiue concurrit ad ſuos actus immanentes, vt egregie aduertit Caietanus 1, p. q. 79. art. 2. ſed intellectus per ſuam innatam virtutem obedientialem recipit viſionem Beatam, v. g. ergo per eandem concurrit ad illã actiue, ac proinde eius obedientialis potentia ſimul eſt paſsiua & actiua. Confirmatur dupliciter. Primo quia intellectus ſecundum ſuam innatam virtutem eandem retinet rationẽ potẽtiæ, reſpectu actuũ naturalium, & ſupernaturalium fidei, v. g. & viſionis beatæ. Sed reſpectu illorum dicit habitudinem potentiæ actiuæ: ergo & reſpectu horum. Minor & conſequentia ſunt notæ. Maior autem probatur, quia omnia entia tã naturalia quam ſupernaturalia continentur ſub obiecto adæquato terminatiuo noſtri intellectus. Neque enim per actum fidei extrahitur â latitudine obiecti terminatiui quod eſt ens in tota ſua latitudine: ergo reſpectu illius retinet eandem rationem potentiæ intellectiuæ, ſicut Metaphiſica eadem eſt ſcientia, & eodem formali ordine gaudet ſecundum athomam ſpeciem in attingentia omnium entium naturalium, quia ſpecificatur ab ente vt ſic, tanquam ab obiecto adæquato. Confirmatur ſecũdo, nam intellectus noſter per eundem ordinem reſpicit ens naturale, & ſupernaturale in ratione intelligibilis: ergo eandem habitudinem potentiæ actiuæ & paſsiuæ habet circa actus quibus illa entia attingit. Conſequentia eſt nota, & antecedens ſic oſtenditur. Nam ens ſupernaturale vt tale formaliſsime continetur ſub obiecto ſpecificatiuo intellectus, ſcilicet, ſub entei omnis autem potẽtia eodem ordine quo reſpicit ſuum obiectum debet extendi ad omnes partes ſubiectiuas ſub illo cõtentas: alias ſi duo ordines intellectus eſſent, alter ad entia naturalia, & velut proportionata, & alter ad entia ſupernaturalia vtpotẽ improportionata, eſſent duæ rationes formales intellectus, ac proinde duæ potentiæ intellectiuæ ſpecifice diſtinctæ, quod eſt abſurdum. Declaratur vis huius rationis amplius exemplo ex potentijs naturalibus petito, quia v. g. calor qui eſt naturalis potentia ignis ſolum habet pro obiecto corpus calefactibile vt ſic, nequit ſecundum eandem rationem potentiæ naturalis extendi ad torquendos ſpiritus in inferno; bene tamẽ ſecundũ rationẽ potẽtiæ obedientialis, & propter eandem rationem viſiua potentia nequit Angelum videre, quia â ſolo obiecto colorato ſpecificatur: ſi ergo intellectus reſpicit ſecundum ſuam

innatam virtutẽ ens vt ſic ſub quo naturalia & ſupernaturalia continentur, per eandem poterit tam illa quàm iſta attingere. Vt huic argumento faciamus ſatis opere prætium eſt varios modos dicendi in medium adducere, vt ex illis eum qui eſt veritati conformior, elligamus. Primus igitur modus dicendi eſt Fonſecæ vbi ſupra aſſerentis intellectum, & voluntatem ad actus ſupernaturales ellicien dos habere potentiam obedientialem, quæ eſt mera negatio repugnantiæ, ita vt ratione ſuæ entitatis ſit intellectus ſiue voluntas potentia naturalis potens in actus naturales: ratione autem negationis repugnantiæ ſit potentia obedientialis potens in actus ſupernaturales. Secundus eſt Gabrielis Vazquez 1. p. diſput. 43. cap. 4. & Suarez vbi ſupra aſſerentium intellectum & voluntatem habere reſpectu actuum ſupernaturalium aliquam virtutem innatam, incompletam tamen ſiue inchoatam & innatam partialẽ, quia actus vitalis & voluntarius hoc poſtulat vt ſcilicet non ſolum à principio intrinſeco, ſed etiam vt à principio natiuo procedat. Et ſi hoc diſcrimen inter hos iuniores verſetur quod Suarez hãc inchoatam virtutem obedientialem potentiam actiuam appellat: Vazquez autem inchoatam virtutem actiuam, ſed non obedientialem (quam non agnoſcit) illam nuncupat. Et in eandem ſententiam inclinat Molina 1. p. quæſt. 12. art. 1. diſput. 2. concluſione 5. dum aſſerit nec actiuam nec paſsiuam naturalem dari potentiam in intellectu & voluntate ad actus ſupernaturales, ſed dumtaxat inchoatam virtutem actiuam vt poſsint elleuari ad illos elliciendos, ſubdit tamen quod Deus cadit ſub obiecto noſtri intellectus & voluntatis in quantum eſt cognoſcibilis naturali cognitione, & diligibilis dilectione naturali. Et hoc eſt radix & fundamentum vt illæ potentiæ poſsint ſupernaturalibus donis eleuari, quibus Deum ſupernaturaliter cognoſcere, & dilligere poſsint. Huic affinis eſt ſententia aliorum Theologorum qui dicunt ens ſupernaturale non contineri ſub obiecto adæquato noſtri intellectus, ſed tantum ens naturale; cognoſci tamen ab illo per annalogiam & habitudinem ad ens naturale, qua ratione ens rationis à noſtro intellectu ſolet percipi, licet ſpecificatiui obiecti latitudinem ſubterfugiat. A qua parum differunt alij iuniores qui dicunt obiectum adæquatum noſtri intellectus, & voluntatis eſſe ens in communi, ſiue bonum ſecundum rationem communem & confuſam, ſub qua nequit attingere ſpecialem rationem entis ſupernaturalis ſecundum propria ſupernaturalis, niſi tantum ſecundum communia prædicata entis. Ad propriam autem rationem entis ſupernaturalis dicere habitudinem ſecundum quod eſt eleuatus lumine ſupernaturali, & conſtitutus iam in ordine altioris potentiæ. Quartus modus eſt aliorum qui diſtingunt in illis potentijs coaptationem ad obiectum extenſiuum quæ eſt omnino eadem, & in variata reſpectu omnium partiũ entis, & efficatiam ſeu quantitatem virtutis quæ eſt variabilis, alia enim eſt efficacia intellectus Angelici reſpectu ſui obiecti proportionati, & alia eſt efficatia intellectus humani reſpectu ſui obiecti proportionati. Illius namque obiectum proportionatum eſt omnino immateriale, huius vero eſt concretum materiæ: reſpectu tamen obiecti extenſiui eadẽ eſt in vtroque coaptatio; vnde reſpectu ſupernaturalis entis quod eſt improportionatum habet noſter intellectus coaptationem, non tamen efficatiam, ideſt, per ſe ipſum eſt illi coaptabilis non tamen efficax ad illius attingentiam ſine cognitionem, ſine alicuius luminis ſupernaturalis additione. Vltimus modus dicendi eſt quod intellectus ſecundum eandem rationem formalem habet pro obiecto ens in communi, ſecundum quod continet naturale, & ſupernaturale; nihilominus diuerſimode attingit vtrumque ſecundum propria, ad illud enim habet potentiam completam, & actiuam proxime, ad hoc vero habet potentiam actiuam remote & radicalem dumtaxat, quatenus eſt talis cõditionis & naturæ vt poſsit eleuatus attingere obiectum ſupernaturale, quod pariter dicendum eſt de voluntate. Ita docent Bañeſius 1. p. quæſt. 12. art. 1. dubio 1. in ſolutione ad ſecundum Zumel ibidem, & in poſthumo libro de auxilijs diſput. 3. pag. 59. & alij iuniores Thomiſtæ. Pro quorum ſententiæ declaratione nonnulla prænotanda ſunt. Primo notandũ eſt valde ex Caiet. 1. p. q. 79. ar. 2. hoc verſari diſcrimẽ inter formas actiuas receptas in potẽtijs vitalibus & illas quæ in rebus inanimatis recipiuntur. Iſtæ namque ſunt totales rationes agẽdi, quo pacto calor receptus in aqua vel in terro eſt tota ratio calefaciẽdi aqua vero & ferrũ ſolũ habẽt vicẽ ſubiecti ſuſtẽtatis; ſecus autẽ illæ, nõ enim ſpecies intelligibilis eſt tota ratio elliciendi intellectũ, quia intellectus ipſe eſt potentia vitalis habens vim actiuam ad intellectionem non vt per ſe ipſam, ſed vt actuata per ſpeciem poſsit illam ellicere. Vnde ex ſpecie & intellectu fit vnicum totale principiũ quo, intellectionis, licet diuerſimode, intellectus enim ingreditur illud cõflatũ vt principiũ quo remotũ, ſpecies vero vt principiũ

quo

quo proximum. Secũdo quod intellectus & voluntas propter ſuã perfectionem, & immaterialitatem ſunt potentiæ vniuerſaliſſimæ & tranſcendentes in attingendo, ſicut ens eſt tranſcendens in prædicãdo; vnde illi parificantur & illud reſpiciunt vt obiectum ádæquatum ſub quo continentur entia naturalia, & ſupernaturalia: illa quidem vt obiectum proportionatũ noſtri intellectus; hæc vero vt obiectũ improportionatum, ſiue illa reſpiciat ſub vnica ratione cognoſcibilis vniuoca, ſiue nõ, hoc enim ad intentũ noſtrum parũ aut nihil refert, dum modo ſaluemus intra rationem obiecti adæquati & terminatiui intellectus duas ſpecies ſubiectiuas contineri, quarũ altera ſit proportionata, ipſi intellectui, altera vero improportionata. Tertio nota quod reſpectu partis proportionatæ eſt intellectus per ſua naturalia conſtitutus in actũ primo vt proxime poſsit ellicere cognitionem: at reſpectu partis improportionatæ eſt tantũ remote potens videlicet vt actuatus lumine in proportionato, ideſt ſupernaturali poſsit cognitionem ellicere, & quia eſt potentia vitalis ex ipſo & lumine ſupernaturali fit vnica totalis ratio agendi, ex intellectu quidem vt ex principio quo remoto, ex lumine autem vt ex proximo. Quarto nota quod licet, idem met intellectus ſecundum athomã, & indiuiſibilem rationem, ac perfectionẽ ſit proxime potẽs ad actũ naturalẽ, & remote potẽs ad ſupernaturalẽ, tamen reſpectu naturalis actus dicitur potentia naturalis actiua, & paſsiua: reſpectu vero actus ſupernaturalis dicitur potentia obedientialis paſsiua, & actiua remote, & radicaliter. Sicut eadẽ met eſſentia animæ, quæ eſſentialiter eſt talis forma, eo quòd datur ad tale eſſe, abſq; læſione ſuæ vnitatis eſt potentia paſsiua & actiua per naturalẽ dimanationis actũ ſuarũ paſsionũ. His ſuppoſitis probatur hic vltimus dicendi modus. Primo nam intellectus noſter ſecundũ ſuã athomã differentiã eſt capax videndi Deũ, & beatificabilis: ſed ſecundũ ſuã athomã differentiam eſt potentia actiua vtpote vitalis: ergo eſt beatificabilis vt potentia actiua & vitalis. Tũc vltra ſed hæc habitudo beatificabilis conueniens illi ſecundũ ſe nõ eſt habitudo potentiæ actiuæ proximæ: ergo eſt habitudo potẽtiæ actiuæ remotæ. Secundo nam intra latitudinem eiuſdẽ obiecti vnius potentiæ poſſunt dari aliqua duo quæ diuerſimode reſpiciantur & attingantur à tali potentia, vtpote non exæquo illi proportionata, vt oſtenſum eſt in 2. & 3. notabili: ergo non obſtante identitate noſtri intellectus, & ordinis illius ad obiectũ adæquatũ, poteſt ſaluari quod ens naturale reſpiciat vt principiũ actiuum proximũ, & ſupernaturale, vt principiũ remotũ actiuũ. In quo ſimile intellectui cõtingit, atque potentiæ apræhenſiuæ brachij humani, ſicut enim ſub obiecto apræhenſibili per potentiã brachij vnius hominis cõtinentur omnia poma vnius mali tã illa quæ prope terram, quã illa quæ à terra valde ſunt diſtantia, cũ hoc tamẽ diſcrimine quod propinqua terræ poteſt brachiũ per ſe ipſum capere, diſtantia vero non niſi medio vncino: ideſt remote & mediate poteſt. Ita noſter intellectus poteſt omnia entia apræhenſione capere vtpote ſub ſuo obiecto adæquato cõpræhenſa, diuerſimode tamen, naturalia enim per ſe ipſum proxime, ſupernaturalia vero remote & non niſi mediante ſupernaturali lumine apręhendit. Tertio probatur improbando reliquos dicẽdi modos. Primus enim defficit quia obediẽtialis potentia intellectus, & voluntatis ad actus ſupernaturales vitales eſt vitalis & remote ſaltem influens in illos. Sed negatio repugnantiæ neque potentia vitalis, neq; principij actiui remoti rationem poteſt ſortiri: ergo fictitius omnino eſt ille modus. Secundus vero in eo quod aſſerit hanc virtutem intellectus & voluntatis ad actus ſupernaturales vitales eſſe actiuam, inchoatam, & incõpletam bene dicit quia ſub his verbis denotat quod eſt virtus actiua remote, defficit tamen in eo quod aſſerit eſſe omnino naturalẽ. Tum quia vt dictum eſt talis virtus eſt potentia obedientialis, eſt enim vt ſic capacitas intellectus vt eleuabilis, & vt beatificabilis. Tum etiam quia vt ſic haberet intellectus naturalem inclinationem ad ens ſupernaturale cognoſcendum, ſiquidem ordo potentiæ naturalis vt ſic eſt inclinatio naturalis ad ſuum obiectũ, quod tamen alibi oſtẽdemus eſſe falſum. Eodem vitio laborat prima pars ſententiæ Molinæ. Secunda vero defficit quia coincidit cum tertio modo dicendi, qui negat ens ſupernaturale ſecundum propriam rationem ſub obiecto adæquato noſtri intellectus comprehendi. Modus autem hic falſitatis conuincitur. Tum argumẽto facto, quia ſcilicet non poſſet intellectus noſter ad cognitionem Dei vt authoris ſupernaturalis eleuari, ſicut propter eandem rationem neqdit viſus corporeus ad videndum ſpiritum eleuari. Tum etiam quia duplex eſſet ratio formalis potentiæ intellectiuæ ſecundum ſpeciem diſtincta: alia quidem reſpectu entis naturalis, alia uero reſpectu entis ſupernaturalis, quod eſt falſum, & ſi verum ſit intellectum lumine ſupernaturali eleuatum eſſe principium alterius ordinis ac rationis à ſeipſo ante eleuationem: tamen

Intellectus & voluntas ſecũdum eandem gradum ſpecificũ potentiæ reſpiciũt ens vt abſtrahit à naturali & ſupernaturali.

men ſecundum ſe ſecluſa eleuatione eiuſdem rationis eſt formaliter, licet virtualis diſtinctionis, propter diuerſum modum reſpiciendi partes ſui obiecti aſsignatas, non ſit expers. Tùm denique, quia alias nunquam intellectus cognoſceret ens ſupernaturale per propriam ſpeciem, & ſine ordine ad entia naturalia, qua ratione nunquam cognoſcit ens rationis ſine ordine ad ens reale: conſequens autem eſt falſum: in patria enim Deum perfectiſsima cognitione abſque tali ordine intuetur. Quartus modus etiam deficit: quia efficacia intellectus eſt de eſſentia illius ſiquidem eſſentialiter eſt potentia actiua: ergo eadem gaudet efficacia in ordine ad omnia quæ ſub eius ſpecificatiuo obiecto continentur. Deinde vel nomine coaptationis accipit ordinem principij actiui remoti, & nomine efficacitatis rationem principij proximi, vel aliquid aliud, ſi primum: fruſtra diſtinguit illa, quia actiuum remote, & actiuum proxime reſpectu diuerſorum entium in intellectu non diſtinguntur formaliter niſi ratione tantum, vel virtualiter, ſi ſecundum, non eſt quid poſsit accipi, quod non ſit de eſſentia intellectus, vt dictum eſt: ergo. Ex his facile reſpondetur ad tertium argumentum admiſſa maiori & minori, diſtinguendo conſequens: eſt actiua obedientialis proxima nego, eſt obedientialis actiua remote, & proxime paſsiua, concedo conſequentiam. Ad primam confirmationem diſtinguendum eſt conſequens ſub eadem diſtinctione. Ad ſecundam reſpondetur, quod intellectus eodem ordine formaliter reſpicit ens naturale, & ſupernaturale in ratione cognoſcibilis, qui duplex eſt partialiter ſecundum rationem, vel duplex virtualiter, cum autem diſtinctio rationis, ſiue virtualis non lædat formalem potentiæ vnitatem non ſequitur dari duas potentias intellectiuas, ſed tantum ſequitur eandem virtutem intellectus formaliter, eſſe virtualiter duplicem ſecundum quod diuerſimode naturalia, ac ſupernaturalia entia poteſt attingere: & ſub hac diſtinctione debet diſtingui antecedens. Ad exempla autem ex naturalibus potentijs petita dicendum eſt hoc verſari diſcrimen, quod calor verbi gratia ſecundum quod eſt potentia calefactiua eſt naturalis potentia, quæ propter ſui limitationem tantum reſpicit pro obiecto adæquato corpus calefactibile, & propterea nequit eleuari ad calefaciendum ſpiritum; ad illum tamen torquendum poteſt eleuari, vt potentia obedientialis paſsiua. Eadem ratione viſus addendum Angelum, qui extra eius obiectum continetur, nequit eleuari; poteſt tamen per potentiam obedientialem, vt creatura quædam eſt ſubiecta Deo eleuari ad cauſandum aliquem effectum in Angelo. At intellectus ad cognitionem ſupernaturalis entis, ne dùm vt creatura Dei, ſed ſecundum athomam, & ſpecificam rationem intellectiuæ, ac vitalis potentiæ habet ordinem, non quidem potentiæ actiuæ proximæ, ſed remotæ, ita vt hic ordo non extrahat ipſum à ratione potentiæ naturalis, & vitalis, licet ratione illius potius obedientialis, quàm naturalis potentia debeat appellari, capacitas verò caloris, ſiue viſus ad operandum circa rem ſpiritualem extrahit illos à ratione potentiæ naturalis, vel non vigere dicitur in illis rationem potentiæ naturalis, quo pacto etiam capacitas, quam habet intellectus, vt creatura Deo ſubiecta ad cauſandum ad extra aliquem effectum miraculoſum, verbi gratia, mortui reſurrectionem, vel infirmi repentinam ſanitatem non eſt de ratione illius vt eſt potentia vitalis ac naturalis, cum ad talem effectum non vt potentia vitalis & intellectiua, ſed vt purum Dei inſtrumentum concurrat. Ex his habes potentiam obedientialem actiuam rebus innatam ad effectus ſupernaturales, ſiue per modum non repugnantiæ, ſiue per modum poſsitiuæ, ac realis virtutis fictitiam eſſe, & à iunioribus male, eleuationis modum quo inſtrumenta ab agentibus principalibus, & inferiora agentia à ſuperioribus eleuantur, intelligentibus; falſo inuentam: habes quoque potentiam creaturæ ad actum, ſiue effectum ſupernaturalem efficiendum, aliqua virtute intrinſeca eleuante illam indigere, neque aliter poſſe intelligi actionem efficacem qua Deus ſibi creaturam vnit, & ſubordinat ad ſupernaturalis effectus productionem quam in illa aliquod ſupernaturale principium intrinſ. cum imprimat, quo impreſſo iam talis potentia nequit obedientialis nuncupari, ſed ſupernaturalis dici debet, habes denique in eſſe rebus capacitatem paſsiuam, & cuiuſcumque ſupernaturalis formæ receptiuam, quæ obedientialis potentia paſsiua poteſt, ac debet appellari: & ſi radicaliter, & remote (maximè ad vitales actus) operatiua etiam ſit. De qua nunc, an ſit rebus ſuperaddita, an ſupernaturalis ſit, & proprie in ſpecie potentiæ collocata eſt nobis inquirendum.

ARTI-

ARTICVLVS. III.

De potentia obedientiali passiua, siue receptiua capacitate supernaturalium, rebus innata. An supernaturalis sit & propriæ potentiæ ordinem ingrediatur?

8 IN hoc articul. quatuor versantur sentẽtiæ, prima affirmans potẽtiam obedientialem passiuam rebus in natã formaliter esse supernaturalem, & consequenter ipsis essentijs rerum superadditam, quæ proinde vere & proprie habet rationem potentiæ perse primo, ordinatæ ad formarum supernaturalium receptionem. Hanc sustinent quidam iuniores discipuli D. Tho. quibus fauet Caiet. in locis preallegatis ex tractatu 3. opusculorum & 1. p. in quibus locis nec non in 1.2.q.113.art.10. docet illam esse supernaturalem ex actus, & obiecti quod perse primo respicit supernaturalitate, parumque ab hac sentẽtia differt Cabrera Hieronimianus, qui vbi supra illam etiam in superaddita formalitate constituit, quæ supernaturalis est, licet propter eius imperfectionem, nec naturalis, nec supernaturalis simpliciter appellãda sit, sed medio modo partim, scilicet naturalis ratione entitatis cum qua identificatur, & partim supernaturalis ratione formalitatis superadditæ.

Secunda est huic ex diametro opposita asserens esse huiusmodi potentiam mere naturalem nempe ipsas rerum naturalium entitates, quam sequuntur Scotus in q. 1. prologi & in 4. d. 49. q. 1. & Suar. tom. 1. super 3. part. disp. 31. section. 6. ad secundum.

Tertia est Fonsecæ vbi supra asserentis in sola negatione repugnantię ad recipiendum supernaturalia dona consistere.

Quarta media via procedens ait illam esse entitatiue, & subiectiue naturalem; terminatiue vero esse supernaturalẽ, & nihilominus appellandam esse obedientialẽ. Hanc sequũtur Capreolus in 1. d. 42. q. 1. ad quintum contra quartam Ferra. Med. vbi sup. & Molin. 1. p. q. 12. art. 1. disp. 2. conc. 1. & in solutione ad tertium. Neq; isti authores ad complendam rationem potentiæ obedientialis excludunt, aut negationem repugnantię, aut relationem subiectionis ad diuinam omnipotentiam in ordine ad supernaturalia.

Dari potentiã obediẽtialem passiuã, quæ nõ ponat innumerocũ entitatere i

Respondeo dicendum primo, potentiam passiuam obedientialem, quam res habent ad recipiendum donum aliquod supernaturale, neque superadditam neque supernaturalem esse. Hæc assertio statuitur aduersus authores primæ sententiæ, & pro 1. part. arguitur primo, quia rerum essentiæ se ipsis, seclusso omni superaddito sunt Deo subiectæ, & in hac subiectione consistit potentia obedientialis passiua: ergo talis potentia non se habet ex additione reali actuali ad rerum essentias. Secundo, nam anima rationalis per se ipsam secluſa omni superaddita formalitate est capax gratiæ, & non nisi per potentiam hanc passiuam obedientialem: ergo hæc non ponit in numero cum essentia animæ. Antecedens probatur dupliciter. Primo quia anima secundum id est capax gratiæ per quod est naturæ intellectualis, & imago Dei vt docet D. Thom. 1.2. quæst. 113. art. 10. sed per suam essentiam est imago Dei, & naturæ intellectualis, vnde & per hoc differt essentialiter à creaturis irrationalibus quæ non sunt capaces gratiæ iustificationis: ergo. Secundo: nam D. Thom. in loco prealegato assignat hoc discrimen inter iustificationem ordinariam secundum legem gratiæ, & opera miraculosa, quod iustificatio supponit potentiam naturalem receptiuam in subiecto, scilicet in anima quæ per suam essentiam est receptiua gratiæ: secus autem opus miraculosum, verbi gratia propterea ait D. Thom. iustificationem non esse miraculosam, quia in anima supponitur naturalis, & intrinseca potentia de qua educitur gratia: illuminatio vero cæci propterea est miraculosa, quia non educitur de potentia naturali, & intrinseca ipsi subiecto, quod illuminationem recipit. Sed hoc discrimen nullum esset nisi gratia immediate de essentia animæ educeretur: nam si educeretur proxima de potentia supernaturali superaddita animæ, & mediate ab essentia animæ non discriminaretur ab opere miraculoso, eo quod etiam potentia de qua remote, & mediate educitur illuminatio cæci est ipsa essentia, siue entitas naturalis animalis cæci: propterea enim lapis nequit esse subiectum huiusmodi miraculi susceptiuum, quia non est animal aptum videre in cuius essentia saltem remota capacitas huiusmodi miraculi susceptiua: ergo. Tertio: nam teste D. Thom. prima parte quæstion. 48. artic. 3. idem est subiectum habitus & priuationis, sed anima rationalis perse ipsam est subiectum maculæ peccati quæ est priuatio gratiæ habitualis: ergo & perse ipsam est subiectum gratiæ. Maior probatur à D. Thoma, quia priuatiue opposita versantur circa idem subiectum. Minor vero patet, quia macula immediate recipitur in anima peccatoris, vnde & seclusa omni formalitate posset anima contrahe-

re peccatum originale primorum parentum, & consequenter etiam sine tali formalitate posset iustificari, mundari à macula peccati, & in patria beatificari.

Pro secunda vero parte ostenditur primo, nostra conclusio: nam hoc conuincit illud testimonium Augusti. lib. de prædestinatione sanctorum capit. 5. asserentis posse habere fidem sicut posse habere charitatem naturę est hominum; habere autem fidem quemadmodum habere charitatem gratiæ est fidelium, in quo & si non docet potentiam receptiuam fidei esse naturalem, vt contendit Scotus, denotat tamen illam non esse gratiæ, sed naturæ, at quidquid est supernaturale non est naturæ, sed gratiæ: ergo talis potentia non est supernaturalis. Secundo probatur, nam anima, verbi gratia non perse primo ordinatur ad recipiendas formas supernaturales, sed perse primo ordinatur ad esse & secundario respicit formas supernaturales, vt subiectum capax illas recipere, sed ex ordine secundario ad actum supernaturalem nulla formalitas potentiæ supernaturalis illi potest aduenire: ergo. Maior patet. Tum quia essentia substantialis nequit perse primo ordinari ad actum realem & accidentalem, cum deficiat identitas in genere entis inter actum, & potentiam perse primo ordinatam ad illum, requisita. Tum etiam quia essentia animæ perse ipsam potest recipere formas supernaturales, etiam si non perse primo ordinetur ad illas, quo pacto perse ipsam recipit suas potentias, etiam sine ordine veræ potentiæ ad illarum receptionem. Cur autē capacitas receptiua formarum supernaturalium debet esse in specie potentiæ essentiæ animæ superaddita, si eius essentia non sufficit, & si hęc in illa non requiritur ad suas proprias passiones recipiendas quas vt connaturales recipit? Tum denique, quia anima per suam essentiam recipit gratiam vt dictum est, & vt sic non est potentia supernaturalis perse primo ordinata ad gratiæ receptionem, siquidem per suam essentiam perse primo tantum respicit suum esse, & naturam quam informat. Minor autem probatur, quia ad respiciendum secundario aliquem actum, non requiritur noua formalitas potentiæ superadditæ essentijs rerum, neque enim ab eo quod respicitur secundario specificatur ordo potentiæ propriæ dictæ. Vnde quia materia secundario ordinatur ad recipiendas formas accidentales non sub induit ex tali ordine nouam formalitatem potētiæ distinctam ab illa quam habet ex ordine ad formas substantiales, quas respicit primario, & in essentia substantiæ habitudo subiecti receptiui, aut principij effectiui suarum passionum, nec ipsam constituit in specie potentiæ, nec extrahit a genere substantiæ, quia non primo & perse, sed secundario, & concomitanter respicit illas ex termino autem, siue obiecto secundario nulla sumitur in rebus huiusmodi, specificatio, vt egregie adnotant Caiet. 1. p. q. 54. ar. 3. & Flandrensis 6. Metph. q. 13. art. 1. ad quarum, hanc rationem expendentes: ergo si essentia creaturæ secundario, & concomitanter est receptiua formarum supernaturaliū, nullatenus ex hoc capite debet, aut potest in illa constitui formalitas potentiæ superadditæ ab huiusmodi formis, & actibus specificata. Tertio probatur deducendo plurima incōuenientia quæ ex opposita sententia sequuntur, & eorum non nulla ab eius authoribus deuorantur. Sequitur namque primo admittendam fore ab illis potentiam actiuam obediētialem rebus innatam, quam tamen pro viribus nobiscum negant, & impugnant. Sequela patet, quia cuicunq; potentiæ passiuæ debet correspondere actiua eiusdem ordinis extra Deum, hac enim ratione ostendit Phylosophus 3. de anim. text. 17. dari intellectum agentē extra diuinum intellectum, quia datur intellectus possibilis qui est potētia passiua, & quia character baptismalis est potentia passiua supernaturalis, & susceptiua sacramentorum, recte colligunt Theologi ponendum esse characterem sacerdotalem qui sit potentia actiua potens illum reducere de potētia ad actū. Igitur si datur in rebus creatis potentia vere, & propriè supernaturalis passiua, in eisdem rebus debet dari potentia actiua supernaturalis quæ illam valeat de potentia ad actum reducere. Deinde probatur eadē sequela, quia admissa semel in rebus formalitate supernaturali ipsis congenita, iam damus illis supernaturalitatem per quam cum effectibus supernaturalibus proportionentur, sintq; eiusdem ordinis cum illis. Igitur ne dum ad recipiendū, sed etiam ad efficiendum erunt proportionatæ, & in actu primo constitutæ, eo vel maxime quod cum illa supernaturalis potentia sit actus, & forma congruentius est vt creaturas eleuet ad agendum, & recipiendū simul formas, & actus supernaturales, quam solum ad recipiendum. Sequitur secundo quod ordo supernaturalis secundum hanc potentiam sit perse connexus ordini naturæ, illi debitus, & connaturalis non tantum perfectate physica, sicut existentia perse physice conuenit Angelo ex suppositione productionis ipsius, quę est suppositio accidentalis: sed perfectate logica ideſt orta ex principijs naturæ. Consequens est falsum: ergo & antecedens, sequela admittitur ab aduersarijs, & probatur minor, quia

hæc

hæc perfectas, & necessaria connexio nõ oritur, vt ipsi falso putant, ex necessaria subordinatione Dei vt finis, & authoris naturalis ad se ipsum, vt finis & author est supernaturalis: non enim ex hac subordinatione colligitur quod si aliquid ordinatur in finem naturalem debeat ordinari in Deum vt finem supernaturalem, licet tamen colligere, quod si aliquis de ordinatur à Deo, vt fine naturali de ordinatur ab eodem vt fine supernaturali: quia destructa quoad affectum per peccatum ratio authoris, & finis naturalis oportet quoad affectum destrui rationem authoris, & finis supernaturalis, quæ primę rationi nostro modo intelligendi superuenit, & in illa fundatur. Sequitur tertio dari potentiarum obedientialium processum in infinitum, quia essentia creaturæ respectu illius potentiæ passiuæ obedientialis etiã est improportionata, siquidem est potentia supernaturalis, & ratione supernaturalitatis est improportionata ad recipiendas formas supernaturales perse ipsam. Vnde etiã respectu characterisbaptismalis, qui potentia passiua est, est essentia animę improportionata, quia potentia supernaturalis. Igitur eandẽ habebit improportionem ad recipiendã obedientialẽ si hæc sit supernaturalis, & cõsequenter ad illã indigebit alia, & ad hanc etiã indigebit alia, & sic in infinitũ. Sequitur quarto non posse dari in rerũ natura entitatẽ pure naturalẽ, quim simul habeat sibi identificatã entitatiue hãc formalitatẽ supernaturalẽ, & consequenter sequitur neque Deũ posse aliquam creaturã, vt author naturalis producere, & solo concursu naturali, quin simul ad illã concurrat vt est author supernaturalis cõcursu supernaturali, atque in aranea esse aliquid supernaturale eius essentiæ congenitũ, & productũ ab authore supernaturali, & cũ Deus operetur ad extra per volũtatem, sequitur araneã esse à Deo dilectam dilectione supernaturali: imò quod absurdi⁹ est dæmones ipsi obstinati in malo essent à Deo dilecti huiusmodi supernaturali dilectione, & tandẽ sequitur, neq; hominẽ potuisse creari à Deo in puris naturalibus absq; ordine ad finẽ supernaturalẽ, & solo concursu naturali, quæ omnia indigna sunt omnino vt à viris alias doctis admittantur. Neque puto Caietanum in ea fuisse sententia solũ enim vt se ab Scoto secerneret voluit hanc potentiã supernaturalem appellare, quia terminatiue, & quoad exercitium supernaturalis est, & nõ naturalis in sensu quem contendebat Scotus.

Dico secundo, neque talis potentia est partim naturalis, & partim supernaturalis subiectiue, & ex parte subiecti in quo est. Hæc cõclusio statuitur aduersus alium modũ defendi primã sententiã, parũ à primo discrepãtẽ, & probatur primo, rationibus factis pro prima conclusione, quæ pariter hanc secundã conuincunt. Secundo, quia eadẽ ex illa sequuntur inconuenientia, dũ formalitatẽ supernaturalẽ incõpletã rebus innatã admittit. Tertio, quia eadẽ res simplex nequit esse formaliter corporea, & incorporea, etiã secundũ diuersas rationes: ergo â fortiori nõ potest eadẽ formalitas potentiæ obedientialis esse naturalis, & supernaturalis, siquidẽ naturale, & supernaturale magis distãt, quã corporeũ, & incorporeũ illa enim differũt ordine, secũ vero ista. Quarto: nã gratia iustificans est participatio totius diuinæ naturæ: ergo nullã supernaturalitatẽ supponit in anima recipiente illam. Consequentia patet, quia si aliquam supponeret, iam supponeret aliquam perfectionem diuinam, quam ipsa non participaret, vel illam per quam producit potentiam obedientialem. Quinto, quia naturale & supernaturale adæquate diuidunt ens reale prout amplectitur entia cõpleta, incompleta, & modos, sed huiusmodi obedientialis potẽtia est ens reale modale, vt ille author admittit: ergo vel est ens naturale, vel supernaturale simpliciter, secundum quia ly simpliciter determinat nõ quidem ens, sed naturale vel supernaturale, declaratur vis huius rationis, licet accidens sit ens secundum quid, tamen absolute, & simpliciter, vel est ens naturale, vel supernaturale, & præfatus author admittit, quod accidens simpliciter habet potentiã obedientialem, licet secundum quid sit ens: ergo licet potentia obedientialis sit ens secundum quid, quia est modus superadditus essentijs rerum, tamen simpliciter determinate debet dici naturalis, vel supernaturalis: sicut accidens licet sit ens secundum quid, tamen simpliciter dicitur esse Deo subiectum, & obediens.

9 Dico tertio, licet entitatiue, & ex parte subiecti hæc potentia sit naturalis in rebus ordinis naturæ, nihilominus nõ est dicẽda potẽtia naturalis, sed obedientialis. Hæc cõclusio statuitur aduersus authores secundæ sententiæ & probatur, prima pars: quia cum non sit superaddita essentijs rerum, nec supernaturalis, erit ex parte subiecti, & entitatiue naturalis. Dixi in rebus ordinis naturæ, quia cum sit idẽ cũ essentijs rerũ, & alias reperiatur in rebus naturalibus, & formis supernaturalibus in quantũ Deo subiectis ad effectus miraculosos in ordine gratię, inhis est supernaturalis, sicut entitas cũ qua idẽtificatur realiter & formaliter: in illis vero est naturalis, vnde formaliter sũpta potẽtia obedientialis quoad intrinseca abstrahit, sicut ratio entis à naturali, & super-

Secunda pars probatur primo, quia potentia naturalis dicitur illa quæ reſpicit actum naturalem obiectum naturale, & reducitur ad actum concurſu naturali, & per agens naturale: & obedientialis potentia paſsiua, vt ſic reſpicit ſupernaturales actus, & obiectum ſupernaturale, à ſoloque ſupernaturali agente per ſupernaturalem concurſum eſt redecibilis ad actum: ergo non eſt naturalis. Secundo nam potentia naturalis rei creatæ eſt finita; ſemper à Deo impletur, & lumine naturali ab Angelo: vel etiam ab homine comprehenditur: ſecus autem potentia paſsiua obedientialis, quæ neque ſemper impletur, ſed eſt quodammodo infinita, capax plurium, ac plurium formarum, & actuum ſupernaturalium, & vt ſic nequit lumine naturali comprehendi: ergo non eſt naturalis. Dices dari aliquam potentiam obedientialem naturalē, ac proinde omnes eſſe naturales ſiquidem omnes ſunt eiuſdem rationis: naturalis autem potentia eſt illa quam habet materia ſublunaris ad recipiendas formas cœleſtes, quia terminus aquo ſpecificatur eſt naturalis, nempē forma cœleſtis, licet modus adquirendi illum ſit ſupernaturalis, propterea enim aptitudo cœci ad videndū eſt naturalis, quia terminus quē reſpicit, eſt quoad ſubſtantiā naturalis, & teſte D. Tho. 3. p. q. 33. art. 4. ad primū Chriſtus eſt filius naturalis Beatæ Virginis, quia habet naturam humanam, licet modus habendi illam fuerit ſupernaturalis, nempe per miraculoſam conceptionem ſicut cæcus reſtituta ei potentia viſiua naturaliter videt per potētiam miraculoſe reſtitutam. Sed hoc non obſtat: nam neq; omnes potentiæ obedientiales ſunt omnino eiuſdem rationis, vt ſtatim vidēdum eſt; ſunt namque aliquæ, quæ ſunt receptiuæ actuum, & formarum, quoad modum, & ſubſtantiam ſupernaturalium. Rurſus neque illa quam habet materia ſublunaris ad formā cæleſtem recipiendam eſt naturalis omnibus modis, ſed eſt obedientialis, dicitur tamen naturalis. Tum quia eſt idem formaliter, & realiter, cum entitate naturali materiæ primæ, & hoc pacto omnes potentiæ obedientiales rerum naturalium poſſunt dici naturales, quia ſunt realiter, & ſubiectiue naturales, vt dictū eſt. Tum etiam quia eius terminus eſt quoad ſubſtantiam naturalis, & in hoc ab alijs potētijs obedientialibus diſcriminatur. Aptitudo autem cæci ad viſum in ratione potentiæ reducibilis ad actum etiam eſt obedientialis, & ſi ratione iam dicta appelletur naturalis, & Chriſtus Dominus dicitur filius naturalis à natura quam habet eiuſdem rationis cū alijs hominibus, quia hæc denominatio non fit ab actu conceptionis, ſed â natura accepta per conceptionem: quia tamen denominatio cōcepti, & geniti fit ab actu generationis, & cōceptionis, qui fuit miraculoſus non dicetur ſimpliciter, quod fuit genitus, aut conceptus naturaliter, ſed tantū ex parte termini generationis, ſiue conceptionis, ſcilicet humanæ naturæ. Vltimo probatur: nā ſequitur dari in anima inclinationē, & appetitū naturalē ad beatitudinem ſupernaturalē. Conſequens oſtendimus falſum lib. 1. ergo & antecedens, ſequela patet, quia potentiā naturalē comitatur, & ſequitur appetitus naturalis. Vnde ad omne illud bonū habet homo appetitū naturalē ad quod habet potētiā naturalē, eo enim ipſo quod eſt bonū, & poſsibile ſecundū potentiā naturalē, efficitur poſsibile naturaliter, ac per conſequens deſiderabile naturaliter. Vnde ſi bonū gratiæ eſſet homini poſsibile ſecūdū naturalē potētiā, eſſet ei poſsibile naturaliter, ac proinde naturaliter deſiderabile.

Cum reſpectu ſubicibilitatis ad Deū, quē cōnotat.

Dico quarto, hæc potentia paſsiua obediētialis non conſiſtit in negatione ſola repugnantiæ, ſed in entitate creaturæ vt ſubiecta Deo. Hæc cōcluſio ſtatuitur aduerſus tertiā ſententiā, & pro authoribus quartæ, & probatur quoad primā partē, quia potentia obediētialis paſsiua eſt illa de qua educūtur dona gratiæ, at dona gratiæ nō educuntur de negatione, hoc enim eſſet illa educi ex nihilo, ſeu nō educi; ac proinde haberēt eſſe per creationē, quod eſt falſum, vt ſupra docuimus: ergo & illud ex quo ſequitur. Secūdo, nā alias omnes potētiæ obedientiales eſſent eiuſdē ſpeciei ac homæ, ſiquidē in omnibus negatio repugnantiæ eſt eadē, vt admittit Fonſeca, quod tamen eſſe falſum oſtenditur in ſolutione ad vltimū. Tertio, nā ſequitur hanc potentiā obedientialē nullatenus differre à potentia logica, quia etiā hæc cōſiſtit in nō repugnantia, & ſic potentia qua poſsibile eſt hominē nō habere riſibilitatē eſſe obedientialē: ſiquidē per nō repugnantiā poſsibile eſt hominē amittere riſibilitatē, conſequens eſt falſum: ergo. Ad argumētū reſpōdet Fōſ. vbi ſ. ſect. 8. circa finē, tripliciter differre potētiā obediētialē à potētia logica, primo quod logica cōſiſtit diſiunctiuè inconuenientia, vel nō repugnantia termino rū: obedientialis vero determinate cōſiſtit in nō repugnātia. Secūdo, quia logica eſt ad omnes effectus: ad ſupernaturales vero ſolū, obediētialis potētia. Tertio, quia logica intelligitur proprie in ſola cōplexione terminorū ſignificatiuorū tacta per copulā verbalē, obediētialis autē cernitur proprie in ipſis rebus. Sed hæc ſolutio potius fuga eſt, quā vera ſolutio, vt pote cum nullum verum diſcrimen aſsignet, non primum, quia ad logicā potentiam ſatis eſt non repugnantia, quidquid enim nō

repugnat

repugnat fieri à Deo dicitur merito possibile eius omnipotentiæ per potentiam logicã. Neque secundum, nam ex quo potentia logica saluatur in negatione repugnantiæ, & obedientialis etiam in negatione repugnantiæ dicitur consistere, formaliter erunt eiusdem rationis: distinctio enim quæ ex rebus desumitur quibus huiusmodi negatio applicatur materialis est omnino. Rursus saltem se habebunt sicut negatio talis, nempe circa supernaturales effectus, & sicut negatio repugnantiæ vt sic ad omnes effectus, & sic comparabuntur, sicut inferius & superius, eritque obedientialis potentia species potentiæ logicæ. Neque tertium, quia licet non repugnantia explicetur per terminorum verbalem complexionem, tamen etiam ipsis rebus inest suo modo; homini namque conuenit non repugnantia, vt careat risibilitate, & Angelo conuenit non repugnantia vt à Deo annihiletur. Rursus si obedientialis potentia est sola non repugnantia ad effectus supernaturales; cur potius rebus, quam terminis debet attribui, si omnis alia non repugnantia terminis potius, quam rebus attribuitur? Vnde argumentum manet inconcussum, illique prædictus Fonseca, sicut alter goliat tenetur proprio gladio sucumbere.

Quoad secundam partem probatur: nam constat ex dictis quod hæc potentia obedientialis passiua secundum rem non est superaddita essentijs creaturarum, & alias non esset sola essentia creaturæ; alioquim in rebus naturalibus esset naturalis, quod est impugnatum: ergo est essentia creaturæ, vt subiecta Deo, hoc est, vt subest relationi subiectionis diuinæ omnipotentiæ, ita vt entitas creata sit ratio formalis; subiectionis vero relatio sit complementum seu conditio, ex quibus huiusmodi potentia conflatur, ex quibus consequitur negatio repugnantiæ. Confirmatur: nam in diffinitione potentiæ obedientialis, hæc duo explicantur, scilicet entitas creaturæ, & subiectio siue obedientia ad diuinam omnipotentiam in ordine ad effectus supra naturam: ergo hæc duo sunt de diffinitione obedientialis potentiæ, nõ quidem ex æquo, sed ordine à nobis assignato.

10 Sed contradicta arguitur primo; nam potentia passiua habet supernaturalitatem in ordine ad agens, & actus supernaturales, eo quod debet illis proportionari, sed potentia obedientialis passiua respicit agens, & actus supernaturales: ergo est supernaturalis. Confirmatur dupliciter, primo quia omni passiuæ potentiæ respondet agens eiusdem ordinis, sed potentiæ passiuæ obedientiali respondet proxime Deus, vt agens supernaturale: ergo illa etiam est supernaturalis; alias corresponderet illi agens proximum naturale. Confirmatur secundo: nam aliàs anima esset nobis nota naturaliter quoad potentiam obedientialem ad gratiam, & beatitudinem. Consequens est falsum: ergo & antecedens, sequela patet quia anima est nota naturaliter quoad essentiam, & omnes eius naturales potentias, & ex eius quidditatiua cognitione infertur cognitio omniũ eius naturaliũ proprietatũ: eo quod quidditatiua subiecti cognitio infert omniũ illius proprietatũ quidditatiuam cognitionẽ. Minor autẽ probatur, quia potentia cuius actus & obiectũ est naturaliter ignotũ nequit naturaliter esse nota siquidẽ omnis potentia cognoscitur per ordinẽ ad suũ actũ, & obiectũ: obiectũ autem, & actus huius obedientialis potentiæ, cũ sint supernaturalia naturaliter sunt nobis ignota: ergo. Respondetur ad hoc argumentũ, quod procedit ex falsa existimatione quod detur in rebus naturalibus potentia perse primo ordinata ad actus supernaturales, & supernaturale obiectum, de hac enim sola verificatur proportio, identitas secundum genus, &c. Vnde ad formam argumenti ad missa maiori de potentia quæ vere & proprie est potentia negatur minor, vel distinguo illam, potentia obedientialis respicit perse primo agens, & actus supernaturales nego, respicit illos secundario, & per modum capacitatis radicalis transeat, & nego consequentiam, vel distinguo similiter cõsequens: ergo est supernaturalis entitatiue, & subiectiue, siue quoad rem nego: ergo est supernaturalis quoad modum, quoad exercitiũ & terminatiue, idest ex parte termini in ordine ad quem concipitur, & explicatur à nobis bis concedo consequentiam, & per hoc patet ad primam confirmationem. Ad secundam negatur sequela, vt enim potentia obedientialis sit formaliter ignota naturaliter, non requiritur, quod habeat intrinsecam supernaturalitatẽ, sed satis est quod habeat illã quoad vsum ex parte termini, licet bene possit naturaliter esse nota quoad sibi intrinsecã entitatem naturalem, cui nihil intrinsecum superaddit.

Secundo arguitur: nam potentia obedientialis est formaliter rebus superaddita, sed nõ superaddit aliquid naturale: ergo aliquid supernaturale. Maior probatur, quia essentia rei creatæ v. g. hominis aut equi, est omnino finita, naturalis, naturaliter cognoscibilis, & perse primo producta ab auctore naturæ, sed potentia obedientialis est infinita sincathegorematice, producta ab auctore supernaturali, & lumine naturali ignota: ergo est formaliter distincta ab essentia rei creatæ. Cõfir. nã

non

non eſt naturalis, neque hypoſtatica: ergo, eſt ſupernaturalis. Conſequentia patet, quia non eſt alius ordo rerũ, niſi naturalis, ſupernaturalis, & hypoſtaticus. Antecedens autẽ probatur pro prima parte (pro ſecunda enim nõ eget probatione) quia omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis, illam potens reducere de potentia ad actum, qua ratione probauit Philoſophus 3. de anima tex. 17. intellectui poſsibili debere correſpondere intellectum agentem. Et D. Thom. vtitur eadem ratione in 4. d. 43. q. 1. artic. 1. quæſtiuncul. 3. ad probandum reſurrectionẽ eſſe miraculoſam, quia eius principio paſſiuo quod non eſt ſimpliciter naturale reſpondet actiuum ſupernaturale. Tum etiam, quia potentia paſsiua naturalis remanet imperfecta, & veluti fruſtrata ſi ab actus ſui aſſequutione impediatur, ſecus autem huiuſmodi obedientialis potentia, cui non debetur eius actus, vt patet in natura Angelica, cuius obedientialis potentia ad eſſe hypoſtaticum non manſit fruſtrata, per hoc quod verbum illam non aſſumpſit. Qua ratione etiam vtitur D. Thom. quæſtion. 8. de veritate, art. 4. ad 13. ad probandum, quod licet intellectus Angeli beati non videat omnia quæ latent in verbo, non erit imperfectus: quia nulla imperfectio aduenit creaturæ ex hoc quod careat actu ad quem eſt in potentia tantum obedientiali. Reſpondetur negando maiorem, vel diſtinguendo illã, eſt formaliter ſuperaddita quoad rationem formalem talis potentiæ nego, quoad relationem ſubiectionis completiuam, tranſeat maior. Ad cuius probationem dicendum eſt ſufficere diſtinctionem rationis ad ſaluandas illas diferentias inter eſſentiam creaturæ, & eius potentiam obedientialem. Ad confirmationem, dico quod eſt ſubſtantialiter, & entitatiue naturalis, nec tamen propterea reſpondet illi actiua potentia naturalis, quia proprie non eſt potentia perſe primo ordinata, & inſtitura ad recipiẽdum, ſed eſt capacitas creaturæ perſe primo ſecundum ſuam eſſentiam ordinata ad eſſe, & ſecundario ad formas ſupernaturales. Vnde illi vt capacitati, & non vt potentiæ proprie correſpondet agens infinitum, & ſupernaturale. Et propterea quod eſt capacitas ad recipiendum, quidquid Deus ſupra naturam poteſt agere in illa, non dicitur imperfecta per carentiam ſui actus: quæ tamen imperfectionem pateretur ſi intrinſece eſſet ſupernaturalis, careret enim actu ſibi proportionato, & debito.

Tertio arguitur: nam potentia obedientialis animæ v. g. eſt vera phyſica, & principalis cauſa materialis gratiæ, à qua gratia recipitur, ſuſtentatur, & dependet, ac de qua educitur, ſed non eſt cauſa illius per entitatem naturalem: ergo per ſupernaturalis potentiæ formalitatem. Minor patet, quia cauſa principalis phyſica debet habere proportionẽ cũ effectu, ſed animæ entitas naturalis nõ habet proportionẽ, cum gratia vt poſsit illã cauſare, & eius terminare dependentiã, neq; de entitate naturali animæ poteſt educi gratia.

Quod probatur quadrupliciter, primo quia cauſa debet præſtare aliquid effectui, ſed entitas naturalis animæ nequit gratiæ præſtare eſſe naturale, quod repugnat gratiæ; aut eſſe ſupernaturale; quia hoc nõ prohabet ipſa anima ſecundũ ſuã entitatẽ naturalẽ. Secũdo, quia cauſa gratiæ cõcurrit cum cõcurſu Dei auctoris ſupernaturalis, anima autẽ ſecũdũ eſſe naturale cõcurrit cũ concurſu Dei auctoris naturalis. Tertio, quia alias Deus, vt auctor naturalis eſſet cauſa gratiæ, ſiquidẽ vt ſic eſt cauſa cauſæ ipſius gratiæ, ſcilicet entitatis naturalis animæ, ac proinde vt ſic erit cauſa cauſati. Quarto, quia gratia neq; educitur de reſpectu ſubijcibilitatis, neq; de negatione repugnantiæ, neq; de ſola entitate naturali animæ: ergo neq; poteſt educi de entitate, vt ſubeſt tali reſpectui. Reſpõdetur negando minorẽ, ad cuius probationẽ negatur antecedens, etenim entitas animæ, vt ſubeſt reſpectui ſubiectionis ad agens ſupernaturale, atq; vt illi ſubordinata dicit duo, ex parte ſui, & veluti in recto ipſam entitatẽ ſubiectã Deo auctori ſupernaturali, & ex parte termini cõnotati omni potentiã agentis diuini atq; ſupernaturalis, & vt ſic eſt proportionata gratiæ, vt cauſare illã poſsit principaliter in genere cauſæ materialis, ac ſubiecti receptiui. Hæc enim cauſalitas poteſt cõuenire ordini naturæ reſpectu ordinis gratiæ: ſicut habitudo ſubiecti, materiæ, ac receptiui ſupernaturalis ordinis immediate conuenit ordini naturæ, qui ſuapte natura eſt ſubiectus ordini gratiæ, & perfectibilis per illum. Vnde ad primam antecedentis probationem reſpõdetur, quod cauſa materialis non cauſat præſtando aliquid effectui, ſed potius illum recipiendo: nec materia dat eſſe, ſed recipit, & recipiendo cauſat illud. Si tamen terminis abutamur, & præſtare aliquid effectui accipiatur pro hoc quod eſt cauſare aliquid in effectu: dico animam ſecundum ſuam entitatem naturalẽ, vt ſubiecta præſtare gratiæ eſſe ſupernaturale, cauſando illud in genere cauſæ materialis, in quo poteſt cauſare illud, quod nõ habet. Ad ſecundã, quod entitas naturalis vt ſub induit rationem obedientialis capacitatis, hoc eſt, quatenus ſubiecta Deo agẽtis ſupraleges naturæ, nõ cauſat materialiter niſi cũ

concur-

concurſu ſupernaturali. Ad tertiam negatur ſequela, quia illud axioma cauſa cauſę eſt cauſati, ſolū habet verum quando inter cauſam, priorē, inter mediam, & effectum ſeruatur idem ordo, & genus cauſæ. Vel ſaltem quando cauſa intermedia ſecundum quod eſt cauſa effectus, & quo ad eius cauſalitatē in actu ſecundo cauſatur à priori. Vnde defectu huius non ſequitur, quod ſi Deus eſt cauſa voluntatis humanæ, & hæc eſt cauſa peccati, quod Deus ſit cauſa peccati, quia voluntas ſecundū quod eſt defectibilis eſt cauſa peccati, & vt ſic non cauſatur à Deo. Neque ſequitur, quod ſi artifex conſtruxit domū, & poſtea domus vētorū impulſu agitata corruit, & corruens occidit Petrum; quod artifex ſit cauſa talis occiſionis: quia nō fuit artifex cauſa domus quantum ad ruinam, ex qua Petri occiſio fuit ſequta. Cū igitur in præſentiarū Deus vt author naturæ licet ſit cauſa entitatis animæ abſolute, non tamē eſt cauſa illius, ſecundum quod actu cauſat gratiā; quia hoc habet ſecundū quod ſubeſt diuino concurſui ſupernaturali: propterea non ſequitur quod ſit vt author naturalis cauſa gratiæ. Poteſt etiam dici quod vt id ſequeretur requirebatur quod eſſet vt author naturalis cauſa omniū cauſarum gratiæ, nec ſufficit quod vt ſic ſit cauſa vnius dumtaxat cauſæ. Vnde defectu huius non ſequitur, quod ſi Deus vt creans producit materiā equi, etiam vt creās ſit cauſa totius equi, quia non eſt cauſa per creationem omnium cauſarum equi. Sequitur tamen eundem Deum cauſare equm abſtrahendo à formalitate creantis, & nō creantis, & hoc ipſum ſequitur in noſtro caſu, quod idē Deus qui eſt author naturæ ſit cauſa gratiæ, licet ſub alia formalitate. Ad quartam probationem negatur conſequentia.

11 Quarto arguitur, quidquid cauſatur ab authore ſupernaturali eſt ſupernaturale, ſed huiuſmodi potentia producitur à Deo authore ſupernaturali: ergo eſt ſuper ſupernaturalis. Probatur minor tripliciter. Primo, quia Deus vt author naturæ non cognoſcit hanc potentiam, alias cognoſceret eius finē, & obiectum: & cauſat per cognitionem: ergo vt author naturæ non cauſat illam. Secūdo quia vt author ſupernaturalis producit ordinem rerum ſupernaturalium integrum ac perfectum, cum omnibus ſuis cauſis. Ergo intra hunc ordinem ſaluatur cauſa formalis, finalis, ac materialis, quæ eſt potentia paſſiua. Tertio quia nullum agens poteſt dare alteri inclinationem ad aliquod bonū niſi illud bonū præhabeat, qua ratione probat D. Tho. 1. p. q. 105. ar. 4. & 12. q. 9. art. 6. materiā primā & volūtatem à ſolo Deo poſſe produci, quia ſolus ille præhabet bonum omnis formæ ad quod inclinat materia, & bonum vniuerſale ad quod inclinat voluntas. Sed potentia obedientialis eſt inclinatio ad bonum ſupernaturale quod in ſolo authore ſupernaturali præhabetur. Ergo ſolus ille poteſt illam in rebus cauſare. Reſpondetur ad hoc argumentum negando minorem. Ad primā probationem dico quod Deus vt author naturæ ſicut cognoſcit eſſentiā rei naturalis: ita & cognoſcit eius potentiam obedientialem, quo ad intrinſeca, & eſſentialia, ſiue quo ad id quod dicit in recto: ſecus vero quo ad terminum connotatum, ſiue quo ad id quod dicit in obliquo. Ad ſecundam negatur antecedens, quia cauſa materialis ordinis gratiæ eſt capacitas ipſa ordinis naturalis. Verum eſt nihilominus intra ordinem gratiæ omnia quatuor genera cauſarum reperiri. Datur enim cauſa formalis, ſcilicet in formis ſupernaturalibus quo ad effectus earum formales. Et materialis quatenus vna eſt ratio aliquando recipiendi alterā vt character baptiſmalis, qui eſt potētia aliorum Sacramētorum receptiua, finalis in actibus, & efficiens in auxilijs & habitibus, & in ipſo Deo authore & fine ſupernaturali. Ad tertiam quod maior eſt veta, quando talis inclinatio eſt potentia proprie & perſe primo inclinans ad bonum aliquod, quo pacto voluntas eſt potentia inclinans ad bonum vniuerſale, & materia prima eſt potentia inclinans ad formas ſubſtantiales, ſecus vero quādo inclinatio eſt remota, & radicalis capacitas, qualis eſt potentia obedientialis quæ perſe primo datur ad eſſe, & ſecundario habet eſſe receptiuam formarum ſupernaturaliū.

12 Vltimo arguitur potētia obedientialis eſt eiuſdem rationis ſpecificæ in omnibus rebus at eſſentiæ rerū non ſunt eiuſdē rationis, ſed pluſquā genere diuerſæ, ſolāque ad ſumū analogā cōueniētiā habēt. Ergo illa differt formaliter ab iſtis, ac proinde eſt ſupernaturalis formaliter, & intrinſice. Propter hoc argumentū triplex eſt modus dicēdi. Primus Fōſecæ vbi ſupra ſect. 3. §. his adiunge, aſſerētis potētias obediētiales & ſi in nō repugnātia cōſiſtāt, formaliter differre ſpecie in omnibus creaturis. Secūdus eſt Suarez vbi ſupra ſect. 5. ad 5. aſſerētis eſſe huiuſmodi potētiā eiuſdē rationis in omnibus rebus, & in ſingulis tātū unā. Tertius eſt quorundam Iunioru afferentium eſſe reſpectu formarum eiuſdem ordinis potentiam eiuſdem ſpeciei, & quia dantur tres ordines formarum ſupernaturaliū, ſcilicet, alius formarū naturaliū ſecundū ſubſtantiā, ſed ſupernaturalium quo ad modum, quatenus producuntur ſupra leges naturæ, cuius generis ſunt vita mortuo reſtituta,

tuta, & viſus cœco miraculoſe datus, alius illarum formarum quæ ſunt ſecundum rem ſupernaturales, cuius generis ſunt gratia virtutes infuſæ & actus earum, & alius eſt ordo hipoſtaticus ad quem pertinet vnio hipoſtatica; propterea dantur in rebus tres ſpecies potentiarum obedientialium, quæ in ſingulis rebus reperiuntur eo quod in vnaquaque re eſt potentia ad hos tres ordines. Sed omnes iſti modi dicendi defficiũt à veritate. Primus quidẽ, quia formaliter ſecũdum ſententiam Fonſecæ potentia obedientialis eſt negatio repugnantiæ, ſed negatio hæc in omnibus creaturis eſt eiuſdẽ rationis, ſiquidẽ reſpicit vt ſic diuinã omnipotẽtiã, quæ vna & eadem, ac proinde æqualiter reſpectu illius conuenit rebus non repugnare: ergo. Secundus etiam defficit. Primo quia in ſententia Suarez potẽtia obedientialis abſtrahit ab actiua & paſsiua, ſed potentia actiua & paſsiua nequeunt eſſe eiuſdem rationis & athomæ ſpeciei: ergo. Secundo quia in eius ſententia huiuſmodi potentia formaliter eſt idem cũ eſſentijs rerum. Ergo abſtrahit formaliter â quibuſcũque abſtrahit entitas ſiue eſſentia, ſed entitas, ſiue eſſentia abſtrahit â ſubſtãtia & accidenti, ab ente naturali & ſupernaturali, à corpore & ſpiritu, quibus nihil vniuocũ eſſentialiter ſuperius poteſt dari. Ergo. Tertio nam in conceptu huius potentiæ, vel includitur præciſe ordo ad actus & obiectum, vel includitur ordo eſſentiæ ad eſſe, qui concomitanter & ſecũdario terminatur ad actus & obiectum ſupernaturale. Si primum ſequitur quod talis ordo ſpecificetur ab obiecto, & cum obiectum ſit analogum vtpote abſtrahens à triplici ordine aſsignato, etiam talis potentia erit analoga, ſi ſecundum quod admittit Suarez. ergo iam in conceptu talis potentiæ clauditur eſſentia creaturæ, ac proinde includitur aliquid analogum; quia eſſentia quid analogum eſt: ſicut ratio entis creati analoga procul dubio eſt. Quarto nam ſi eſſet eiuſdem rationis in omnibus, potentia lapidis extenderetur ad idem obiectum & eotdẽ actus, atque potentia animæ rationalis, & ſic lapis eſſet beatificabilis quod tamen eſt falſum: ergo. Tertius tandem modus difficit in multis, primo quidem quia ſupponit vere & propriè obedientialem potentiam ſpecificari ex ordine ad obiectum & actus ſupernaturales, quod tamen eſt falſum, cum talis ordo nõ ſit entitatis perſe primo reſpicientis illos, ſed dumtaxat ordo receptiui radicalis, ſiue entitatis capacis quæ ſecundario, & concomitanter habet recipere formas ſupernaturales, ex tali autem ordine non ſpecificatur vere & propriè aliqua ratio potẽtiæ paſſiuæ, quæ ſit de genere qualitatis ſupernaturalis, aut in ſecunda eius ſpecie collocata: ergo. Secundo, nam admiſſa illa triplici ſpecie potentiæ in ordine ad actus ſupernaturales triplicis ordinis, inquiro an potentia obediẽtialis ſubſtantiæ & accidentis, v. g. Leonis & albedinis ad effectus quoad ſubſtantiam ſupernaturales, ſit eiuſdem athomæ ſpeciei in Leone & albedine; an diuerſæ? Si primum. Ergo aliqua potentia eiuſdem ſpeciei conuenit Leoni & albedini, quod eſſe falſum patet. Tum quia ad eſſentias perſe primo diuerſas quo pacto proprietas eiuſdem ſpeciei & abſoluta poteſt cõſequi? Tum etiam quia huiuſmodi potentia entitatiue identificatur cũ ſubiecto. Vnde entitatiue eſt ſubſtantia in Leone, & qualitas in albedine, ſed enti ſubſtantiali & accidentali nequit dari aliquid comune vniuocum, nedum eiuſdem athomæ ſpeciei. Ergo neque potentia obedientialis illis conueniens in ordine ad actus eiuſdẽ ordinis poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei. Si iecundum iam deſtruitur hipoteſis prædictæ ſententiæ, quæ ponit potentiam ad actus ſupernaturales, eiuſdem ordinis, eſſe in omnibus rebus quantumuis diuerſis eiuſdem athomæ ſpeciei. Tertio difficit, quia admittit in ſingulis rebus eſſe tres potentias paſsiuas ſupernaturales, ad formas ſupernaturales triplicis ordinis, quod quidem eſſe falſum patet. Tũ quia abſurdum eſt tot formalitates ſupernaturales ponere in vnaquaque entitate naturali, quis enim audebit in aranea, in ligno, & in lapide tres entitates ſupernaturales ponere? & totidem in ſingulis partibus integralibus vnius animalis, v. g. in oſſibus, neruis, lacertis, & muſculis reperiri, defendet? quini ex ſuis dictis abſurditatem ſtatim percipiat, & erubeſcentiam capiat? Tum etiam quia potentia obedientialis paſsiua eſt totalis & omnimoda ſubiectio creaturæ ad omnipotentiã Creatoris, ſed totalis & omnimoda ſubiectio nequit eſſe multiplex ſed vnica dumtaxat in vnaquaque creatura; ſi enim eſſet triplex, iam prima non eſſet totalis ſubiectio, ſi quidem relinqueret creaturam adhuc per ſecundam & tertiam Diuinæ omnipotentiæ ſubijciendam. Tum denique, quia ſicuti ex parte Dei eſt vnica dumtaxat ratio dominandi & ſubijciendi ſibi creaturam, ſcilicet Diuina omnipotentia, ſicut ex parte creaturæ vnica dumtaxat debet eſſe ratio ſeruitutis & ſubijcibilitatis. Dicendum igitur eſt quod potentia obedientialis ſecundum id quod importat in recto, nempe ſecundum poſsitiuã capacitatem quam ponit in rebus nõ differt ab illis actualiter aut formaliter, & conſequẽter ſicut ratio entis creati eſt analoga in omnibus

nibus: ita & obedientialis potentia analogice dum taxat conuenit illis, vt pote cum formaliter abſtrahat ab ente perſe, & ab ente accidentali, à naturali, & ſupernaturali, ab ſpiritu & corpore, à quibus abſtrahit ratio entis. Vnde iuxta naturam vniuſcuiuſque entis eſt diuerſa capacitas obedientialis in illo: aliud enim eſt capax beatitudinis, vt homo; & aliud incapax beatitudinis, & capax concurrendi ad mortui reſurrectionem, vt lapis; aliud capax recipiendi viſum miraculoſe vt cæcum; & aliud talem non habet capacitatem, vt planta, licet in ordine ad alios effectus miraculoſos plenè Deo ſubijciatur. Secundum vero id quod connotat, & importat in obliquo, nempe relationem ſubiectionis eſt in omnibus rebus eiuſdem rationis formaliter. Tùm quia omnipotentia, & relatio dominij in Deo eſt eadem cui hæc ſubiectio correſpondet. Tùm quia eſt in vna quaque creatura plena, & omnimoda ſubiectio quæ vt ſic eiuſdem rationis eſt. Tùm quia cum ſit relatio (etiam ſi realis ſit) ad gradum entis creati conſequuta, & non ad propria vniuſcuiuſque creaturæ, poteſt eiuſdem rationis eſſe, non obſtante analogica creaturarum diuerſitate, ſicut propter ſimilem rationem, modus dependentiæ creaturarum à Deo, & relatio ſimilitudinis analogicæ, quam habent cum illo in omnibus eſt eiuſdem rationis, quia ex parte Dei idem terminus, & ex parte creaturarum idem fundamentum illi correſpondet, nempe gradus entis creati, ſiue dependentis: quia tamen huiuſmodi capacitas creaturæ, quandoque ad iſtas, quandoque ad illas formas, & effectus ſupernaturales comparatur, & à nobis per ordinem ad eas concipitur; diſtinguimus in illa per intellectum plures rationes partiales eiuſdem integræ capacitatis, & illas appellamus diſtinctas capacitates, ſiue potentias obedientiales, aliamque dicimus in eſſe homini capacitatem ad gratiam, & aliam ad vnionem hypoſtaticam, cum tamen eadem ſit omnino realiter, & formaliter ſola ratione diſtincta, in quo ſenſu loquutus fuiſſe videtur Caietanus, tertia parte, quæſtione tertia, articulo ſexto. Vnde iuxta hanc ſententiam facile reſpondetur ad formam argumenti: diſtinguendo maiorem, potentia obedientialis quoad importatum in recto eſt eiuſdem rationis in omnibus creaturis, nego, quoad reſpectum connotatum eſt eiuſdem aationis in omnibus creaturis, concedo maiorem, & admiſſa minori, nego conſequentiam.

(.?.)

Argumentum libri decimi.

LIBER Decimus à Philoſopho in duodecim capita diuiditur quod pateret ex eo quod D. Thom. illum diuidit in totidem lectiones; qua propter Fonſeca minus fideliter per 13. capita ipſum partitur, eo quod caput ſecundum in duo capita ſecauit: cum enim hoc caput ab illis verbis incipiat: *maxime autem menſuram eſſe cuiuſque generis primum*, & in illis finiatur, *propter quod indiuiſibile eſt quod vnum*, &c. Apud ſanctum Doctorem, tertium caput exorditurà verbis immediate ſub ſequentibus, *ſecundum ſubſtantiam vero*, &c. Fonſeca tamen voluntarie, hoc eſt abſque fundamento alicuius momenti, caput 2. diuidit, & 3. exorditur ab illis verbis: *non ſemper autem menſura vna eſt numero*, &c. quę ad corpus capitis ſecundi pertinent, & caput quartum exorditur ab illis verbis quibus apud Doctorem ſanctum, incipit caput tertium, & ſic tredecim capita conſtruit ex duodecim, ſed qua de cauſa potius ſecundum, quam cætera in duo ſecauerit, & potius tredecim, quam 24. capita fecerit, cum æque hoc ſecundum ſicut primum potuerit, ipſe viderit, meum enim munus non eſt reddere rationem de voluntarie dictis, aut factis aliorum, ſed fidelis non commentatoris, ſed interpretis circa textus Ariſtotelis expoſitionem, & eius ſententias defendere, ſiue in hoc aut illo, ſiue in vno, aut pluribus capitibus inuentas, & aliorum oppiniones falſas impugnare, quod an hucuſque impræcedentibus libris opere compleuerim iudicet lector: in hoc, itaque libro per duodecim, ſiue capita ſiue lectiones diuiſo: Scopus Phyloſophi eſt explicare naturam, & modos diuerſos vnius, ſiue vnitatis, quia debitum huic operi iudicauit eſſe: quia vnum & ens idem ſunt & eadem vtriuſque eſt natura vſque adeo vtrumque ab hac ſcientia reſpicitur, ſicut eius obiectum vt ipſe Philoſophus libr. 4. docuerat, ac proinde explicata natura entis in libris præcedentibus: etenim de ente incommuni egit libro quarto, & in ſexto, de ente per accidens, & quod ſignificat veritatem propoſitionis in ſeptimo, & octauo, de ente, quod diuiditur in decem prædicamenta, ac denique de illo quod

diuiditur per potentiam, & actum libro 9. tractauit: exacto tractatu de ente debuit tractatum de vno, quod eſt paſsio entis in hoc libro decimo conſumare, quæ diuiditur in duas partes, in prima quem quatuor capita comprehendit à primo vſque ad quartum incluſiue explicat naturam vnius, & eiuſmodos ſecundum ſe nulla facta comparatione ad contrariam multitudinem. Secundus vero tractatus, qui per octo capita protrahitur, & extenditur, agit de vno comparatiue, ideſt per comparationem ad multa, in primo tractatu aſsignat Philoſophus quatuor modos vnius, quorum primus, ac principalis, ad quem cæteri reducuntur eſt per continuitatem qui dicitur à Philoſopho vnitas continuitatis. Secundus eſt vnius ſecundum vnam formam, ſecundum quem modum aliquid eſt totum, ſiue habens ſpeciem. Tertius modus vnitatis eſt eorum, quæ conueniunt in vno conceptu ſeu ratione vnà per modum ſpeciei. Quartus, & vltimus eſt per quem aliquod eſt vnius conceptus ſingularis, & alijs incommunicabilis, vnde concludit Philoſophus quod eatenus aliquid dicitur vnum quatenus, aut continuitate ſecundum materiam, aut totalitate ſecundum formam, aut conceptu: ſicut vniuerſale, aut ſicut ſingulare eſt vnum, quia iſti ſunt omnes modi vnitatis: cuius proprietatem declarans aſſerit eſſe rationem menſuræ: deinde ſecundus tractatus totus verſatur in explicando oppoſitionẽ, quæ inter vnum, & multa verſatur, & per quam vnitas diuiſioni contrariatur cuius ocaſsione declarat diffinitionem contrarietatis, & primum illius ad cæteras oppoſitiones & quæ ſit prima contrarietas, quæ contraria careant medio, & quæ habeant medium, quo pacto contrarietas inter vnum, & multa inter magnum, & paruum, ac æquale ſaluetur, & quod vni vnum tantum contrariatur à capit. 5. vſque ad nonum: deinde tria genera contrariorum diſtinguit alia quæ faciũt differre numero tantum, vt vir & mulier, alia quæ faciunt differre ſecundum ſpeciem vt differentiæ hominis & equi verbi gratia, rationale, & irrationale, cap. 10. & 11. Denique alia quæ faciunt differre genere, vt corruptibile, & incorruptibile, hæc in cap. 12. diſtinguit (*& ait*) *quoniam vero contraria diuerſa ſpecie corruptibile, & incorruptibile contraria, priuatio enim eſt impotentia determinata* neceſſe *diuerſum eſſe genere corruptibile, & incorruptibile*, ac ſi diceret quoniam dantur contraria quæ faciunt differre ſpecie genere illa quæ faciunt differre genere erunt contraria, & huiſmodi ſunt corruptibile, & incorruptibile, eo quod opponuntur ſicut potentia, & impotentia quæ contrariantur, impotentia habet ſe ad inſtar priuationis reſpectu potentiæ, ſed quia de natura vnius, & modis quibus contingit reperiri lib. 4. & 5. ſufficienter fuit tractatum dum de paſſionibus entis, & de ſpeciebus quantitatis continuæ, ſcilicet ac diſcretæ ſermonem inſtituerem⁹: quinimo & ſpecies, & conditiones oppoſitionis, ex quæſtione vltima, quinti libri relinquuntur, ſatis patefactæ. Tria dumtaxat remanent in commentario huius libri declaranda. Primum circa conditiones contrarietatis, ex cap. 7. ad illa verba, quoniam vni vnum contrarium, &c. Et ex capit. 10. ad illa verba *contrariorum contingit aliquod medium eſſe*. Secundum circa priuatiue oppoſita, ex cap. 6. ad illa verba *aut ex priuatione aliqua*, *&c.* Tertium circa differentiam corruptibilis, & incorruptibilis, ex cap. vltimo ad illa verba, *neceſſe diuerſum eſſe genere corruptibile, & incorruptibile, &c.* Quorum ſingula quæſtionibus ſingulis atque iſs temporibus, haut quaquã exacte in Scolis elucidatis, ſunt examinanda, in quarum prima vt primo quæſito ſatisfaciat illud controuertendum eſt, an per aliquã potẽtiã eidem duo contraria poſsint conuenire, præſertim quando abſque medio contrariantur? Et an vnum vno dumtaxat contrario gaudere debeat? In ſecunda vero de poſsibilitate regreſsus à priuatione ad habitum, & de poſsibilitate re producendi, ſemel corruptum erit diſputandum. In tertia tandem diſtinctio corporis corruptibilis ab incorruptibili, & vtriuſque materiæ diuerſitas patefiet, ac cœleſtium corporum, incorruptibilitas in animatio ſeu carentia vitæ, numerus, & alia ad eorum naturam, motum, & conditionem pertinentia fient manifeſta.

QVÆSTIO I.

De contrariorum incompoſsibilitate in tres articulos diuiſſa.

TRia ſunt in hac quæſtione diſputanda, ſuppoſita enim cõtrariorũ diffinitione, ex quæſt. vltima lib. 5. eiuſque ad alias oppoſitionis ſpecies comparatione decla-

declarata, atque diuiſione vulgari admiſſa, qua contraria in medio habentia, & medio carentia, diuiduntur: primi generis per via ſunt exempla album, & nigrum inter quæ mediat viride, calidum & frigidum, inter quæ mediat tepidum. Secundi generis exempla habentur in vero & falſo, in bono & malo, vitio & virtute, &c. tria dūtaxat deſiderantur. Primum eſt an vni vnum ſolum poſsit eſſe contrarium. Secundum quo pacto contraria mutuo ſe ab eodem ſubiecto expellant. Tertium denique an in eodem ſubiecto ſimul compati poſsint ſaltim de potentia Dei abſoluta.

ARTICVLVS I.

An eidem poſsint plura contraria?

1 RAtionem dubitandi pro parte affirmatiua præbuit nobis Philoſophus cap. 5. dicens vnum & multa contrariari, & æquali magnum, & paruum eſſe cōtraria. Quæ proculdubio multa ſunt, & vni dumtaxat extremo contrariantur, ſed nihilominus concludit in eodem capit. in hunc modum. *Ijs enim entibus palam quod non contingit vni plura contraria eſſe*, & ideo hæc ſtatuenda eſt pro communi & vera aſſertione, quam omnes Metaphiſic. hac imponere ampiectuntur, præſertim D. Thom. lect. 5. §. *ſecundum corollarium*, Auerrois cōmento 8. Albertus hic tractatu 2. cap. 4. Soncinas quæſtione 20. & Flandrenſis quæſtione 6. art. 2. & alij quos breuitatis gratia ommitto recenſere. Pro cuius declaratione aduertenda ſunt duo, alterum eſt contrarietatem eſſe prout hic diffinitur à Philoſopho perfectam aliquorum duorum differentiam ſecundum quam verificantur omnes diffinitiones datæ ab alijs de contrarietate ſiue de contrarijs. Quatuor enim ſunt diffinitiones contrariorum ab alijs aſſignatæ quæ communiter circunferuntur, quarum prima eſt quod contraria ſunt quæ plurimum differunt. Secunda eſt quod contraria ſunt quæ plurimum differunt in eodem genere. Tertia eſt quod contraria ſunt quæ plurimum differunt in eodem ſuſceptibili, & quarta eſt quod contraria ſunt illa quæ plurimum differunt ſub eadem potentia prima, ſub eadem arte vel ſcientia. Ex hoc autem quod contrarietas eſt perfecta differentia quæ facit plurimum differre, ſequitur quod contraria ſint quæ plurimum differunt ac proinde, quod de eis verificentur prima diffinitio, & quia maxima differentia eorum quæ ſunt ſub eodem genere eſt perfecta differentia, quæ facit differre ſpecies eiuſdem generis, verifiratur ſecunda diffinitio, & quoniam contrariorum eadem eſt materia eo quod ex ſe inuicem generantur, ſequitur tertia diffinitio contrariorum & quarta colligitur ex eo quod vna ſcientia verſatur circa vnum genus entium, & de contrarijs eadem eſt ſcientia, ac diſciplina, vnde oportet contraria plurimum differre inter ea quæ ad eiuſdem ſcientiæ conſiderationem pertinent: ex ijs autem tum contrarietatis, tum contrariorum diffinitionibus, huiuſmodi diffinitiones exactæ, & ad artem reductæ poſſunt conficī: nempe contrarietas eſt duorum extremorum vltimorum ſub eodem genere in eodem ſuſceptibili ſecundum eandem potentiam, maxima & perfecta diſtantia. Contraria ſunt vero, quæ maxime, & perfecte tanquam vltima diſtant ſub eodem genere: & in eodem vicißim ſuſceptibili ſecundum eandem potentiam, ad hancque reducitur illa vulgaris diffinitio, contraria ſunt quæ ſub eodem genere maxime diſtant & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt: alterum eſt tripliciter poſſe accipi vnum vni tántum contrariari, ſecundum quod contrariū tripliciter accipi poteſt. Primo modo ſumendo contrarium communiter prout extenditur ad id quod eſt quouiſmodo oppoſitum alteri ſeu ab illo diuerſum, & ſic vni poſſunt plura contrariari. Secundo modo proprie, ſed non ſtricte pro eo quod eſt vltimum, & maxime diſtans, & hoc modo plura poſſunt contrariari eidem qua ratione nigro contrariatur album & viride ſiue medius color, vt dicitur libro de ſenſu, & ſenſato cap. 15. quod color medius non contrariatur, vt maxime, & vltimo diſtans, ac proinde tantum contrariatur, ſecundum quid quatenus accedit ad album, & eius conditionem participat: album vero dumtaxat eſt ſimpliciter contrarium reſpectu nigri, vni autem non conuenit plura contrariari hoc modo, alterum ſimpliciter, & alterum ſecundum quid. Tertio poteſt accipi contrarium pro eo quod maxime, & vltimo diſtat ab altero, ſecundum perfectam differentiam, & de huiuſmodi contrarietate procedit quæſtio an vnum contrarium vni dumtaxat contrarietur?

Vni vnū dūtaxat cōtraria ri perfecte.

2 Reſpōdeo dicēdū primo, vni cōtrario vnū dūtaxat ſimpliciter, & perfecte poſſe cō trariari. Hæc aſſertio probatur à Philoſopho duplici ratione quarū prima reducitur

ad hanc formam: Contrarietas perfecta, & rigoroſa eſt maxima diſtantia vltimorum: ſed vnius maximæ diſtantiæ, nequeunt eſſe plura extrema quàm duo, eo quòd vltimo nequit dari vlterius; cum ergo extrema diſtantiæ maximæ habeant rationem vltimi, & vltimum velut in indiuiſibili conſiſtat in vna quaque contrarietate, duo tantum contraria poſſunt eſſe, ac proinde vni contrario vnum dum taxat poteſt ac debet contrariari. Secunda procedit in hunc modum: contrarietas eſt maxima, & perfecta diferentia; ſed omnis diferentia ſi maxima, & perfecta ſit, eſt duorum tantum extremorum: ergo & contrarietas. Maior eſt diffinitio contrarietatis: minor vero probatur: quia ſi detur oppoſitum, verbi gratia, quod diferentia albedinis à nigredine faciat etiam oppoſitionem cum calore medio, verbi gratia viridi, aut hæc oppoſitio ad nigredinem, & viridem colorem eſt ſecundum eandem rationem: & ſic vni dum taxat eſt contraria, nempe viridi & nigro quatenus participant eandem rationem, & ſaltem virtualiter communicant in illa: aut ſecundum diuerſas rationes: & ſic erunt duæ differentiæ; ac proinde duæ contrarietates: vbi autem duæ ſunt contrarietates, non eſt inconueniens: imo eſt neceſſum plura extrema, quam duo reperiri, cum vna quæque contrarietas duobus gaudeat extremis.

Dico ſecundo vni ſecundum diuerſas rationes bene poſſunt plura materialiter, vel etiã plura ſecundum diuerſas rationes cõtrariari. Prima pars huius concluſionis probatur: nam albedini quæ eſt in Petro contrariantur omnes nigredines quæ in alijs corporibus reperiuntur ſecundum ſuas rationes formales, licet enim indiuidualiter ſumptæ nequeant afficere Petrum qui eſt ſubiectũ albedinis, quia nequit accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum tamen ſunt in eodem ſubiecto formaliter, ſcilicet ſecundum gradum corporis mixti, & hoc ſufficit, vt verſentur circa idem ſubiectum, ſunt etiam omnes nigredines eiuſdem ſpeciei, & deſe omnes opponuntur albedini, & ſunt aptæ natæ illam excludere à ſuis ſubiectis, & hoc ſufficit, vt illi contrarientur: tamen omnes habent rationem vnius contrarij dumtaxat, & ſunt plura materialiter contraria: ergo iam vni poſſunt multa materialiter contrariari. Deinde paret hæc eadem pars exemplo Philoſophi aſſerentis vnum, & multa eſſe contraria, quod debet ſic intelligi, quatenus multitudo dicit diuiſionem, ratione cuius multa ſunt diuiſa: vnum vero dicit indiuiſionem, ratione cuius vnum eſt quid indiuiſum, opponuntur, ſicut diuiſibile, & indiuiſibile, ſiue ſicut diuiſum, & indiuiſum, quæ oppoſitio licet ſit priuatiua quantum ad annexam priuationem, quam habet vnum, ſiue indiuiſum, tamen proprie, & ſecundum primam rationem vnius eſt contraria, vt pote verſans inter extrema poſitiua: nam completa ratio vnius non pura priuatio diuiſionis, ſeu indiuiſio, ſed eſt entitas indiuiſa, neque eſt relata cum dicantur abſolute, neque eſt contradictoria, quia datur medium inter vnum, & multa, de quo neutrum verificatur, ſcilicet non ens; quod neque vnum eſt, neque multa; oportet autem ex duabus contradictorijs alteram verificari tam de ente quam de non ente, quia de quolibet affirmatio, aut negatio vera debet eſſe: & eius contradictoria falſa. Sed multa in hac contrarietate habent formaliter rationem vnius contrarij, & ſunt plura materialiter: ergo non eſt inconueniens vni plura materialiter contrariari. Secunda pars probatur dupliciter primo âpriori: nam vbi plura contrariantur vni ſecundum diuerſas rationes, ſunt formaliter plures contrarietates; ſed vbi ſunt plures contrarietates poſſunt, & debent eſſe plura extrema, quam duo vt dictum eſt: ergo. Minor patet: nam ſicut ſunt plures diferentiæ formaliter vbi ſunt plures rationes, ac principia, differendi: ita ſunt plures contrarietates, vbi ſunt plures rationes contrariandi, quando quidem contrarietas eſt modus quidam differendi, & ratio contrariandi, non eſt extra latitudinem rationis differendi. Secundo probatur, inductiue: abundamus namque exemplis, in quibus videmus plura ſecundum diuerſas rationes contrariari. Sic æquali magnum, & paruum ſunt contraria: magnum quidem ſecundum exceſſum, & paruum ſecundum deffectum, & teſte Diuo Thoma, prima ſecunda quæſtione 71. articulo primo, ad primum, eidem virtuti contrariantur ſecundum diuerſas rationes, peccaminoſus actus, malitia, & vitium: etenim peccaminoſus actus contrariatur virtuti, quoad eius actum, ſeu quatenus ipſa eſt operatiua boni actus: malitia vero opponitur ipſi in quantum eſt bona, ideſt, quoad eius bonitatem ad eſſentiam virtutis conſequutam: vitium denique opponitur ei proprie ſecundum quòd eſt virtus, ideſt, quoad eius eſſentialem & primordialem rationem; itaque tres habet contrarietates virtus: nam cum actu peccaminoſo opponitur cauſaliter, cum malitia conſequutiue, & cum vitio contrariatur formaliter, atque directe ſimiliter virtutes morales

morales

morales quæ conſiſtunt in medio vt ex Philoſopho 2. Ethicorum, cap. 2. docet D. Tho. 1. 2. q. 64. art. 1. & de virtutibus q. 1. art. 13. in eodem 2. Ethicor. lect. 7. contrariantur duobus vitijs extremis perfecta contrarietate, verbi gratia, liberalitas auaritiæ, & prodigalitati, quod aliter nequit verificari niſi huiuſmodi contrarietas ſit multiplex formaliter, & ſecũdum diuerſas rationes fundata: ergo neceſſario hæc ſecunda pars noſtræ concluſionis eſt admittenda.

3 Sed contra arguitur primo: multa ſunt contraria quæ non maxime diſtant ſub eodem genere, neque ſunt nata verſari circa idem: ergo diffinitio contrariorũ eſt inſufficiens: antecedens patet, nam verum, & falſum ſunt contraria teſte D. Thom. 1. part. q. 16. art. 4. & ſimiliter bonum, & malum contrariantur, & tamen ſunt in diuerſo genere moris: aliud enim eſt genus mali, & aliud eſt genus boni in moralibus. Rurſus ratio ſufragatur: nam contrarietas eſt maxima, & perfecta differentia: ſed maxima differentia eſt eorum quæ diferunt genere: quæ enim diferunt genere ſunt primo diuerſa, & â fortiori diferunt ſpecie, licet non ê contra: quæ enim diferunt ſpecie non diferunt genere. Denique gratia, & peccatum ſunt contraria: non tamen ſunt in eodem ſuſceptibili: nam gratia eſt in anima ſicut in ſubiecto: peccatum autẽ in voluntate, vel in alia animæ potentia: ergo. Reſpondetur negando antecedens, quoad omnes eius partes, & ad ſingulas probationes dicendum eſt, ad primam quidem quod verum, & falſum ſunt quædam duo genera ſub alterna ſiue reſpectu alterius ſupperioris, videlicet enunciabilis, ſiue iudicij vt ſic, ſunt ſpecies, ac proinde diferunt ſpecie ſub eodẽ genere: & circa idem ſuſceptibile, ſunt circa intellectum qui indiferens eſt ad conformitatem, & diformitatem ſuſcipiendam: ſimiliter bonum & malum morale ſub eodem genere entis moralis continentur, poteſt etiam dici, quod contrariorum diffinitio quæ phyſica ſunt, inter quæ ab vno ad alterum fit phyſica tranſmutatio, petit diferentiam ſpecificam ſub eodem genere, ſi vero ad contraria logice extendatur, petit, vel ſpecificam diferentiam, vel genericam, in qua ſpecifica continetur, id eſt, petit quod contraria ſint maxime diſtantia ſub eodem genere, vel ipſa genera maxime diſtinta dum modo ſint apta nata geri circa idem ſubiectum, qua ratione excluduntur ſubſtantiæ ſpecies, quæ licet maxime, & perfecte diferant: tamen non ſunt aptæ ſuſcipi in ſubiecto, ac proinde deſt eis propria contrarietas, philoſophus tamen hic contrarietatem phyſicã diffiniuit, quæ phyſicæ tranſmutationi deſeruit.

Ad ſecundam reſpõdetur dupliciter, primo iuxta ſolutionem aſignatam: maximam diferentiam eſſe ſpecificam formaliter, vel illam quæ virtualiter continet ſpecificã qualis eſt genericа. Reſpondetur ſecundo, quod generica eſt maxima extenſiue, ſpecifica vero eſt maxima intenſiue, & ideo hæc in contrarijs phyſice, conſtituit contrarietatẽ, quæ penes intenſionem attenditur. Tertio dicitur cum Philoſopho hic quod maxima diferentia eſt illa ſecundum quam inuenitur via trãſmutationis ab vno ad alterum, ſed in hijs quæ diferunt genere non eſt talis via, quia cum non habeant idem ſubiectum, ſiue eandem materiam, nequit vnum fieri ex altero, neque ſubiectum idem poteſt ſub vtroque termino manere, quod tamen petit naturalis tranſmutatio. Rurſus in hijs quæ diferunt genere, vel materia, ſicut nequit fieri tranſmutatio, ita neque poteſt vnum ab altero minus & magis differre, ideſt diferentia vnius ab altero, non ſuſcipit magis & minus: & ita nequit dari maxima diferentia: bene tamen in hijs quæ ſunt eiuſdem generis Phyſici, & communicant in eadem materia, in quibus poteſt fieri ab vno ad alterum tranſmutatio; & conſequenter ſicut datur minus & magis diſtans, datur etiam maxima diſtantia, & conſequenter quando aliquid ex nigro fit viride, & ex viridi rubrũ terminantur huiuſmodi generationes ad aliquid minus & magis diſtans à nigro, ſed quando ex rubro fit album terminatur ad maxime diſtans per vltimum extremum contrarietatis: Philoſop. itaque maximam diſtantiam appellat hic, ſpecificam quæ eſt vltimus terminus, & veluti maximus quod ſic, minoris, & maioris repertæ interminis inter medijs. Quæ autem diferunt genere phyſico non ſunt in hoc ſenſu maxime diuerſa, licet aliàs maxime diferant abſolute non tamẽ comparatiue ad minorem & maiorem diferẽtiam repertam in eodem genere.

Ad vltimam dico: peccatum poſſe ſumi tripliciter, primo pro actu peccaminoſo, qui eſt actualis conuerſio ad obiectum diſonum rationi, & auerſio ab vltimo fine. Secũdo pro habituali de ordinatione & inclinatione ad malũ relicta ex tali actu, aqua homo tranſacto actu denominatur habitualiter peccator. Tertio pro macula etiã relicta, & cauſata ex tali actu quæ eſt carentia nitoris gratiæ. Primo modo gratiæ opponitur peccatũ cauſaliter & diſpoſitiue cõtrarie, quia actꝰ peccaminoſus eſt cauſa maculæ quæ gratiæ opponitur formaliter, & eſt diſpoſitio ad gratię expulſionẽ. Secũdo modo opponitur gratię peccatũ etiã diſpoſitiue

propter rationem aſignatam, ſed tertio modo opponitur formaliter non contrarie, ſed priuatiue, quia macula eſt pura priuatio gratiæ, & in eodem ſuſceptibili, atq; gratia, ſcilicet in anima: peccatum vero primo & ſecundo modo non eſt in anima ſubiectiue, neque oportet ea quæ cauſaliter diſpoſitiue & indirecte contrariantur circa idem omnino ſubiectum verſari: hæc enim conditio eſt propria eorum quæ formaliter & directe opponuntur; ſiue contrarie, ſiue priuatiue.

3 Secundo arguitur: peccato cuilibet opponuntur contrariè ad minus tres virtutes, videlicet, furto contrariatur ſpecialis iuſtitia, quæ redit vnicuique ſuum ius, charitati quæ operit multitudinem peccatorum, & quia in omni peccato eſt odium, & inimititia Dei cui contrariatur directe charitas, & tandem penitentia quæ eſt deſtructiua omnium peccatorum debitam pro eis Deo offenſo cõpenſationem exibendo, & tamen peccatum eſt idem, & eiuſdem rationis, prout hijs virtutibus contrariatur: ſecundum enim vltimam eius rationem quantuncunque præciſſam pugnant cum eo prædictæ virtutes: ergo vni poſſunt multa cõtrariari. Confirmatur dupliciter, primo nam peccato infidelitatis, fides, charitas, & penitentia contrariantur, & tamẽ ſunt indiuerſis ſubiectis, charitas enim, & penitentia in voluntate, fides vero & actus erroris in intellectu ſubiectantur: ergo defficit illa conditio nempè identitas ſuſceptibilis. Confirmatur ſecundo, eidem virtuti contrariantur plura vitia formaliter diuerſa ſecundum eandem omnino rationem inuariatam ex parte virtutis, verbi gratia, fidei Theologicæ contrariantur Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis, quæ ſunt vitia formaliter diuerſa teſte D. Thom. 2. 2. quæſtion. 10. artic. 5. incorpore: & eidem religioni contrariantur plures ſpecies vitiorum, videlicet ſacrilegium, ſuperſtitio, & huius quam plurimæ ſpecies idolatriæ, & diuinationis: ergo plura poſſunt eidem ſub eadem ratione contrariari. Ad argumentum reſpondetur negando maiorem ſi de contrarietate formali, & directa intelligatur: nam teſte D. Thom. 3. part. quæſt. 85. art. 2. ad tertium quælibet virtus ſpecialis formaliter expellit habitum vitij ſpecialis ſibi contrarie oppoſiti, verbi gratia iuſtitia, iniuſtitiam, temperantia, intemperantiam: tamen penitentia deſtruit omnia peccata, & vitia effectiue, & ideo non opponitur omnibus peccatis, & vitijs formaliter, ſed ſolum cauſaliter, & ſecundum rationem offenſæ, quam ipſa penitentia nititur deſtruere & compenſare. Charitas autem, quia virtus generalis eſt in imperando, licet imprædicando ſpecialis ſit, opponitur formaliter ſoli odio rerum diuinarum, cauſaliter vero, & ſecundum rationem mali contrarij bono diuino, opponitur omnibus peccatis prout in illis virtualiter ratio odij, & tranſcendentalis ratio mali diuini reperitur. Vnde furto, quod ex obiecto, & ſecundum rationem ſpecificam eſt in iuſtitia, ſolum contrariatur formaliter, virtus, quæ ex obiecto eſt ſpecialis iuſtitia. Ad primã confirmationẽ deſtingo maiorem iuxta aſignatam diſtinctionem, peccato infidelitatis contrariatur formaliter, & ſecundum eandem rationem, fides, charitas, & penitentia, nego, contrariantur illi virtualiter, vel ſecundum diuerſas rationes, concedo: peccato namque infidelitatis formaliter & ex obiecto ſola fides contrariatur, charitas vero virtualiter, & ſecundum generalem rationem mali diuini cõtra Deum, vt vltimum finem, penitẽtia denique opponitur illi cauſaliter, & quatenus eſt offenſa Dei contra diuinum ius.

Ad ſecundam reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico fidem, & ſimiliter religionem eſſe virtutes ſimplices formaliter: virtualiter tamen eſſe aliqua multiplicitate gaudẽtes quatenus diuerſa exequuntur munia: nam fides, verbi gratia, habet triplicem ſtatum, alium in quo iam ſuſcepta credit miſteria futura ſub ratione futuritionis ſub qua ratione opponitur illi Iudaiſmus, alium in quo credit miſteria, iam præſentia, & executioni mandata, & ſic opponitur illi Hæreſis, poteſt etiam cõſiderari, vt nondum ſuſcepta, ſed vt ſuſcipienda, & ſic opponitur illi Paganiſmus. Reſpondetur ſecundo, Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim materialiter ſolum, & in eſſe actus, aut habitus differre eſſe tamen eiuſdem rationis formalis in eſſe infidelitatis: ſimiliter dicipoteſt illa vitia irreligionis plura, ac diuerſa eſſe materialiter, & in eſſe habitus: formaliter vero, & in eſſe irreligionis, eſſe eiuſdem rationis formalis. Quod ſi contendas illas differre ſpecie, & ſolum cõuenire in vna ratione generica infidelitatis, vel irreligionis. Reſpondetur tertio adæquatum contrarium fidei eſſe genus infidelitatis & ſimiliter adæquatum contrarium religionis eſſe genus irreligionis, ſpecies autem infidelitatis, & irreligionis eſſe contraria partialia, & inadæquata.

Arguitur tertio, huic propoſitioni, *omnis homo currit*, opponuntur plures propoſitiones: opponitur namque hæc vniuerſalis, *nullus homo currit*, & hæc, *aliquis homo non currit* ſecundum eandem rationem: ergo non inconuenit vni ſub eadem ratione plura contrariari. Quod ſi dicas has propoſitiones diuerſi

mode

mode illi vniuerſali affirmatiuæ opponi. Negatiua namque vniuerſalis opponitur contrarie: particularis vero opponitur contradictorie, plura autem vni opponi ſecundum aliam, & aliam rationem oppoſitionis non inconuenit: ſicut inconuenit plura eidem ſecundum idem genus oppoſitionis opponi. Contra hoc eſt, nam vni colori ſecundum idem genus oppoſitionis opponitur, & color extremus, & color medius, albedini namque, & nigredo, & viride contrariatur: ergo neque inconuenit plura vni opponi eodem oppoſitionis genere. Reſpondetur adhoc argumentum non eſſe inconueniens vni plura contraria quorum alterum non ſit maxime diſtans. Vnde etiam ſi eodem genere oppoſitionis: contrarietatis ſcilicet, albedini nigredo, & viride opponantur, non tamen vtrumque opponitur ei, vt maxime diſtans ſub eodem genere: ſola enim nigredo eſt maxime diſtans ab albedine: viride autem opponitur illi, vt minus diſtans. Et hoc nullum eſt inconueniens: cum igitur inter oppoſita dialectice, maximè diſtantia ſint contradictorie oppoſita, ſolum illa propoſitio quæ alteri opponitur vt contradictoria, opponitur, vt maxime diſtans, & reliquæ opponuntur vt diſtantes ſecundum quid, eo ipſo quod alio genere oppoſitionis videlicet, contrarie, aut ſub contrarie opponuntur. Vnde huic propoſitioni, *omnis homo currit*, duplex propoſitio opponitur, ſecundum diuerſum genus oppoſitionis, & conſequenter ſecundum diuerſas rationes. Hæc vniuerſalis negatiua, *nullus homo currit*, vt minus diſtans, & hæc particularis: *aliquis homo non currit*, vt maxime diſtans: & ſecundum diuerſas rationes oppoſitionis: illa enim opponitur contrarie, & hæc contradictorie: ſimiliter huic, *quilibet homo currit*, reſtricto ſubiecto pro maſculis opponitur hæc contrarie, *nullus homo currit*, & hæc contradictorie, *quidam homo non currit*, ac proinde neutra eorum eſt maxime diſtans: non igitur inconuenit vni opponi ſub diuerſis rationibus, plura quorum, vel alterum, vel vtrumque minus diſtet ab illo.

Vltimo arguitur, vnum non opponitur multitudini contrarie: ergo falſo id cum Philoſopho, & D. Thom. hic lection. 4. aſſeruimus, antecedens probatur, multipliciter, primo, quia vnum ſolam dicit indiuiſionem, ac proinde priuationem diuiſionis. Vnde neque perfectionem, neque poſitiuum aliquid importat: ſed extremum vtrumque contrarietatis, poſitiuum debet eſſe, alioquin, oppoſitio erit contradictoria, aut priuatiua: ergo. Maior patet, nam vnum ſupra ens ſolam indiuiſionem dicit, quæ priuatio, aut negatio diuiſionis eſt, teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 6. art. 3. ad primum, qui habet in hæc verba. *Ad primũ ergo dicendum, quod vnum nõ importat rationem perfectionis: ſed indiuiſionis tantum quæ vnicuique rei competit ſecundum ſuam eſſentiam*. Probatur ſecundo, idem antecedens: nam vnum contrarium, nequit ingredi compoſitionem alterius, ſed vnum eſt pars alterius, ſcilicet multitudinis, cum nihil aliud ſit multitudo, quam agregatum ex pluribus vnitatibus. Probatur tertio, vnum contrarium non eſt principium, aut menſura alterius: ſed vnum eſt principium multitudinis: comparatur enim ad illam ſicut punctus ad lineam. Similiter eſt menſura illius, ideo enim numerus eſt multitudo menſurata per vnum, quinimo ex hoc ſequitur potius opponi relatiuè, quam contrarie: oppoſitio enim menſuræ ad menſuratum, & principij ad principiatum eſt relatiua, & non contraria. Probatur quarto, idem antecedens: nam in contrarijs vnum habet ſe reſpectu alterius, vt priuatio, hoc eſt vt minus perfectum, & vt defficiens a perfectione alterius, & ſimiliter vnum debet eſſe prius altero, aut via originis, aut ſecundum dignitatem, quo pacto nigrum ſe habet reſpectu albi: vt defficiens, & vt poſterius ſecũdum dignitatem, & vitium reſpectu virtutis. Sed hæc defficientia, aut poſteriorites nequit aſsignari inter vnum, & multitudinem: nam nequit aſsignari ex parte multitudinis, quæ habet ſe reſpectu vnitatis ad inſtar habitus reſpectu priuationis: neque ex parte vnitatis: quia teſte Philoſopho, hic capit. 2. vnum eſt prius multitudine, & principiũ, quo multitudo conſtituitur, & cognoſcitur: vnum etiam, ſicut eſt magis vnum, ita eſt magis ens quam multitudo: ergo.

4 Ad hoc argumentum reſpondetur prę notando tres eſſe in hac parte modos dicendi quorum authores conueniunt cum Philoſopho, & D. Thom. hic lect. 4. vnum & multitudinem opponi dupliciter, ſcilicet, contrarie, & priuatiue ſecundum diuerſas rationes, vt iam dictum eſt: aſſerit enim Philoſophus vnum, & multa opponi multis modis, & aliàs excludit ab eis oppoſitionem duplicem, ſcilicet, relatiuam, & contradictoriam, ac proinde relinquit aliam duplicem videlicet contrariam & priuatiuam, eo quod priuatiua oppoſitio ſit principium contrarietatis, & participatur ab illa, ſemper enim vnum contrariorum habet ſe ad inſtar priuationis reſpectu alterius. In hoc igitur conuenientes, deuiduntur in tres ſententias. Alij enim dicunt vnum eſſe quid poſsitibum ſecundum ſuam rationem formalem, & habere ſe reſpectu multitudinis ad inſtar habitus, & extremi

perfectioris, ipſamque multitudinem, eſſe priuatiuam vnitatis, quia multa vt multa nō ſunt vnum: ſignificari tamen vnum priuatiue, & cognoſci aposteriori per negationem diuiſionis repertam in multitudine ſicut principiū ſolet cognoſci per effectum â posterio ri, è contra vero multitudinē cognoſci à prio ri per vnitatem: de horum numero fuit Alen ſis. Alij vero dicunt vnum eſſe priuatiuum diuiſionis, & nihil poſitiuum dicere niſi de materiali, & pro ſubſtracto, ſicut cæcum de materiali tantum, & non deformali importat poſitiuum: ac proinde eſſe, quid poſterius diuiſione: & per illam à priori cognoſci. De horum numero eſt Fonſeca, hic in commentario ad cap. 4. §. *priori obiectioni*, vbi eandem ſuſtinet, quam lib. 4. ſuſtinuerat ſententiam. Diſcipulis autem Angelici Doctoris placet dicere, hæc tria, in quibus ſancti Doctoris conſiſtit ſententia. Primum eſt quod vnum dicat priuationem diuiſionis non tamen ſolam, ſed ens indiuiſum, ſiue entitatem, vt ſubeſt priuationi diuiſionis: ſecundum eſt quod in multitudine ſunt duo ſcilicet, ipſa multitudo quæ eſt agregatum ex vnitatibus, & hæc eſt posterior ſecundum ſe, quoniam vnitas eſt diuiſio, & hæc eſt prior ſecundum rationem vnitate, & vno. Diuiſio autem hæc quæ præſupponitur ad rationem vnius tranſcendentalis non eſt diuiſio quantitatis continuæ quæ præintelligitur vni quod eſt principium quantitatis diſcretę, ſed eſt diuiſio entis à non ente, quā cauſat contradictio, prout hoc ens non eſt illud. Vnde in noſtro intellectu primo cadit ens. Deinde diuiſio entis à non ente: deinde vnum quod priuat diuiſionē in ſe ipſo: tandem apræhenditur multitudo entium conſtans ex pluribus vnitatibus, & licet multa ſint diuiſa, & ſint multitudo, & quod libet eorum ſit vnum, tamen ordine quodam naturæ, & rationis prius in eis conſideratur cum fundamento in re ratio entis: deinde ratio diuiſionis, per hoc quod hoc ens non eſt aliud, deinde conſideratur in vno quoque ratio vnius & indiuiſibilis, & tandem attribuitur eis ratio multitudinis aqua habēt quod ſint multa: & ſic vnū mediat inter diuiſionē, & multitudinis rationem, eſt namque hac prius, & illa posterius: ſicut in eodem homine mediat ſecundum rationem gradus ſenſibilis, inter gradum viuentis, & inter gradū rationalis: eſt enim illo posterior, & iſto prior, licet ſimilitudo in alijs conditionibus non teneat. Tertium eſt, quod vnum habet ſe ad diuiſionem, quam negat ad inſtar priuationis, hoc eſt extremi deficientis, & ſecundum ſe eſt illa posterius, & per ordinem ad illa cognoſcitur, atque nominatur dum explicatur per negationem diuiſionis, ad inſtar extremi priuatiui, & licet ſit prius ſecūdum ſe multitudine, ac proinde notius illa ordine naturæ tamen quoad nos, qui prius ſenſibus notiora percipimus, ac proinde prius compoſita, quàm ſimplicia, vt potè cum illa hijs notiora ſint ſenſibus, à quibus humanæ mentis incipit cognitio, prior & notior eſt multitudo quam vnitas. Hæc ſententia quoad primum dictum eſt Angelici Doctoris hic lect. 4. & ſatis relinquitur probata ex hijs quæ circa hāc paſsionem docuimus, paterq; ex teſtimonio proxime allato q. 6. 1. part. vbi ait vnū quodque ens per eſſentiam eſſe vnum & nō bonū, eo quod bonitas conuenit ſoli Deo eſſentialiter, creaturis vero ex accidentibus debitis, à quibus earum prouenit perfectio: vnitas autem eis conuenit per eſſentiam, ſi autem pura priuatio eſſet, neutiquam eis per eſſentiā conueniret. Quoad ſecundum vero habetur expreſſe in hac ſepius citata lect. 4. & ſimiliter quoad tertium dictum præſertim videdus eſt in 1. d. 24. q. 1. ar. 3. ad 4. & q. 9. de potentia ar. 7. ad 15. quibus in locis eandē lucidius docet ſententiam, quam cum prædictis teſtimonijs ſequitur, & exornat multis Flandrenſis in lib. 4. huius q. 4. art. 2. & in hoc 10. q. 5. art. 1. quibus ſubdit in ſolutione ad tertium, contraria ſumi dupliciter. Vno modo propriſsimè, & ſic ſupponunt pro formis contentis ſub eodem genere, eidem ſubiecto vicisſim in hærentibus, & ab illo mutuo ſe expellentibus niſi altera earum ei inſit à natura. Alio modo cōmuniter, & minus proprie, quo pacto duo entia poſitiua quorum vnum remouet alterum, dicuntur contraria, & ſic vnum & multa cōtrariantur, neque enim ſaluatur hic illa triplex conditio pro contrarijs propriſsime requiſita eo quod vnum, cum ſit tranſcendens, ſub nullo genere continetur, neque in aliquo ſubiecto recipitur multitudo, aut vnum, quod cum ſubſtantia conuertitur: neque à ſubiecto ſe expellunt in quo non recipiuntur. Ex hijs facilis eſt ſolutio ad argumentum, & ad omnes eius probationes negamus enim antecedens, ad cuius primam probationem neganda eſt maior, quinimo ſi vnum ſolam diceret indiuiſionem ſeu priuationem diuiſionis de formali adæquato ſignificato, non contrarie, ſed priuatiue ſolum opponeretur multitudini: ſicut cæcus hac de cauſa viſui ſolum opponitur priuatiue. Vnde Fonſeca admitens cōtrariam oppoſitionem inter vnum & multa, & affirmans vnum eſſe quid pure priuatiuum deformali, admiſit contradictoria, quæ enim maior contradictio à viro docto admiti poteſt, quam affirmare cæcum viſui opponi priuatiue, & contrarie, & ſimul negare quod cæ

cus

cus ſit extremum poſitiuum. In illo autem teſtimonio D. Thom. loquebatur de vno, non quantum ad rationem completam & totalẽ, ſic enim dicit ens indiuiſum, ac proinde importat perfectionem radicaliter ſumptam, ideſt entitatem poſitiuam ad quam ſequitur bonitas, & perfectio, ſicut ens hoc nomine ſignificatum prout dicitur de creaturis: non ſignificat formalem, ſed tantum radicalem perfectionem, ſed loquebatur D. Thom. de vno quantum ad rationem partialem, quæ diſtinguit illud à cæteris tranſcendentibus, vel quantum ad rationem quæ quoadnos, hoc eſt, prout à nobis diffinitur, & explicatur, ipſum conſtituit & deſtinguit à cæteris tranſcẽdentibus, & hæc eſt ſola indiuiſio ſeu negatio diuiſionis: & quia explicatur ad inſtar negationis ex modo ſignificandi vnum non importat perfectionem, ſicut eam importat ens, bonum, & ſimilia, licet ex parte rei ſignificatæ eandem dicat, quam dicit ens, cum teſte ibidem D. Thom. vnum quodque ens per ſuã eſſentiam ſit vnum.

Ad ſecundam, quod nullum contrarium poteſt eſſe pars alterius formaliter, & ſecundum eandem rationem, qua illi contrariatur, bene tamen materialiter, & ſecundum aliam rationem, præcipue quando contrarium non eſt propriſsime, ſed communiter tale. Vnde corpus, quod vt in animatum contrariatur alteri, neq; vt ſic ſub eadem formalitate ex animis, poteſt eſſe pars alterius: bene tamen idẽ corpus vt animabile, vel vt iam anima informatum ingreditur animalis compoſitionem, ſic vnum ſub formalitate vnius nequit eſſe pars multitudinis ſecundum rationem indiuiſionis ſecundum, quam illi opponitur: at idem ens quod eſt vnum indiuiſum in ſe materialiter, ideſt ſecundum rationem entis poteſt eſſe pars multitudinis, ſecundum quod multitudo eſt reſultans ex pluribus entitatibus quarum ſingulis conuenit vnitas.

Ad tertiam, poteſt eodem modo reſponderi. Dicitur ſecundo, quod vnum de genere quantitatis eſt principium & menſura numeri, qui eſt multitudo menſurata per vnum, & huiuſmodi vnum fateor opponi relatiue ad multitudinem per relationem, quam fundat tertij ordinis reſpectu illius, & tamen ſecundum ſuam entitatem abſolutam prout relationem principij, ac menſuræ præuenit, etiam eſt pars conſtituens numerum, vnum vero tranſcendentale, non eſt menſura, nec principium proprie, ſed eſt pars, ſiue extremum cõponens, ſiue conſtituens multitudinem, cui muneri non obſtat prædicta contrarietas ſicut neque vnitati numeri obſtat oppoſitio relatiua ſecũdum vnam rationem, quominus ſecundum aliam ſit pars illius. Ad quartam, neganda eſt minor: nam reſpectu diuiſionis vnum ſe habet vt poſterius, & vt extremum defficiens, atque ad inſtar priuationis reſpectu habitus. Reſpectu vero multitudinis, quã conſtituit habet ſe, vt quid prius: imò & eſt quid perfectius illa, vt probat argumentum, cum multitudo ſit ens per accidens, & vnum ſit ens perſe, eſt quoque vnum priuatiuum, & contrarium non multitudinis, quam conſtituit, ſed diuiſionis, & reſpectu huius minus perfectum eſt, ſiquidem ipſam ſupponit immediate poſt entis rationem, vt explicuimus, cum hoc tamen ſiat multitudinem eſſe priorem & notiorem vnitate quoad nos, & ideo ſecundum ſe & à priori per vnum cognoſcitur, ac deffinitur multitudo, per illam vero à poſteriori, & quoad nos cognoſcitur, ac diffinitur vnum: neque iſte circulus in diffinitionibus eſt vitioſus, cum nihil prohibeat, aliquid eodem eſſe prius ac poſterius, notius, & ignotius ſecundum diuerſas rationes in illo conſideratas, & prius ac notius ſecundum ſe, poſterius vero, & ignotius quoad nos.

ARTICVLVS. II.

An quodlibet contrarium, expellere poſsit ac debeat alterum formaliter, aut etiam effectiue?

5 IN hoc articulo vnum ſupponimus, & alterũ inquirimus ſupponimus namq; ex aſſignata contrariorum diffinitione: quod circa idem ſuſceptibile debent verſari, & ab illo mutuo ſe excludere, ita vt ad hanc mutuam excluſionem apta nata ſint ſecundum ſuas rationes formales, licet aliquando actualis in heſio eidem ſuſceptibili, & mutua excluſio eis nequeat conuenire ex aliquo impedimẽto materialiter annexo: videlicet aut ratione indiuiduationis, propter quam albedo Petri nequit recipi in ſubiecto nigredinis: aut ratione connaturalitatis vnius contrarij propter quam nequit alterum ſuſcipi in eodem ſubiecto, aut illud à cõ naturali accidente ſpoliare: qua de cauſa frigiditas, nequit igni ineſſe, & ab illo calorem removere, quia calor ſecundũ omnem gradũ eſt cõturalis paſſio ignis, ab illo naturaliter inſeparabilis: tamen quia de ſe frigiditas eſt incõpatibilis cũ calore, & potens illum à ſubiecto eiuſdem generis phyſici cũ igne, ideſt cõpoſiti ex materia, eiuſdẽ rationis expellere, & inclinans ad eius expulſionẽ quãtũ eſt de ſe licet per accidens in hoc ſubiecto determinante à cõnaturalitate impediatur propterea ſaluatur

huiuſmodi

huiuſmodi cõditio quod mutuo calor, & frigus ſe expellunt ab eodẽ ſubiecto, ideſt ſecundum ſuas rationes formales, ſunt formæ incompoſibiles quę relictis ſuis naturis poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, & ab illo mutuo ſe expellere. Supponimus quoque expulſionem eſſe induplici differentia, & formalem quando vna forma in genere cauſæ formalis per ſui intimam communicationem, aliam in cõpoſibilem expellit, & hoc genere expulſionis indubitatum eſt, aliquas qualitates ſibi contrarias expellere, verbi gratia albedo nigredinem, & duities molitiem formaliter expellit, & idem dicendum eſt de qualitatibus alijs contrarijs quæ actiuæ non ſunt. Hoc ſuppoſito inquirimus de alijs qualitatibus actiuis, vt ſunt, primæ qualitates elementorum, virtus, & vitium, ſcientia, & error, &c. An quando huiuſmodi formæ ſe expellunt ab eodem ſubiecto debeant ſub ratione contrarietatis aſociatæ earum actiuitati: ſe expellere effectiue. Ita vt expellens effectiue cauſet alterius expulſionem. Vnde ſenſus quæſtionis eſt, an de ratione contrariorum: quæ proprie ac phyſice ſunt contraria iuxta diffinitionem â nobis aſsignatam ſit mutuo ſe expellere ſolum formaliter: vel an, etiam in aliquibus habeat locum expulſio effectiua? In quo dubio duæ verſantur ſentẽtiæ. Altera admitens hãc expulſionem effectiuã. Altera illam reiciens, & ſolam formalem expulſionem tribuens cõtrarijs qualitatibus, ſiue formis. Primam ſententiam tuetur Soto lib. 2. Phyſic. quæſt. 4. & tenentur ſequi omnes illi Theologi qui nimis adhærentes literæ Doctoris ſancti 3. par. quæſt. 85. art. 2. ad tertium, dicunt contritionem effectiue Phyſice expellere peccatum, licet aliqui eorum diſcrimen conentur, inter qualitates, quæ ſunt actus vitales, & illas quæ rationem actus, ſiue actionis non habent, vt illis, & non hijs efficientiam circa contrarij expulſionem attribuant, ſed in hoc fruſtra nitiſtatim oſtendam. Secundam vero ſententiã tuentur Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 5. & Caiet. 1. part. quæſt. 1. art. 3. afferentes nullum contrarium expellere alterum effectiue phyſice, ſed tantum formaliter iuxta quam ſententiã.

Senſus quæſtionis pandi tur.

6 Reſpondeo dicendum primo, nullam qualitatem (quæ actio non ſit) quantumuis actiuam, expellere effectiue phyſice contrariam â ſubiecto. Hæc concluſio probatur argumentis ex Caiet. deſumptis quæ meum cõuincunt intellectum, primo: nam nulla qualitas expellit effectiue aliã, niſi agẽdo in aliud ſubiectum: ergo à ſuo ſubiecto tantũ formaliter expellit illam. Antecedens patet: nam calor ignis expellit effectiue frigiditatẽ aquæ: quia agit in aquam, tamen frigiditatem in igne receptam (ſi aliqua poſſet in illo recipi) tãtum formaliter expelleret, quia non agit in ſuum proprium ſubiectum, quod patet: nam expulſio illa à proprio ſubiecto eſt per formalem, & intrinſecam cõmunicationem ſeu informationem caloris: ergo eſſe debet formalis, ſicut enim effectiua expulſio fit per cõmunicationem effectiuam, ita formalis fit per formalẽ ipſius formæ communicationem. Confirmatur: nam teſte Caiet. 1. 2. q. 113. ar. 8. vna quæq; forma habet duplicem effectum formalem, alterũ poſitiuũ, ſcilicet conſtituere tale, & alterum negatiuum, ſcilicet expellere cõtrariam formam â ſubiecto, quo pacto gratiæ effectus formalis poſitiuus eſt cõſtituere hominem iuſtum: negatiuus vero eſt excluſio peccati, & ſic de alijs, ſed qualitas quecunq; ſit ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, ſiue actiua in actu primo, ſiue tantum paſſiua ſit, eſt forma: ergo expulſio contrarij ab eodem ſubiecto, eſt effectus formalis ſecundarius, ſiue negatiuus reſpectu illius. Arguitur ſecundo: nã hac ratione Deus non excludit omne malum effectiue ab vniuerſo, quia non producit ſummum bonum perfecte ſibi ſimile, & contrarium omni malo: ergo eatenus aliquod cõtrariũ expellit alterum effectiue quatenus producit formã incõpoſibilem cum illo, ſicut calor ignis, tunc expellit effectiue ab aqua frigiditate quando producit calorem in illa, & tãto plus de frigiditate expellit, quanto plus de calore producit. Tunc vltra: ſed qualitas non producit ſibi ſimilem in proprio ſubiecto: ergo non expellit effectiue contrariam. Arguitur tertio: nam nullũ agens intendens ad malum, ideſt ad ſolam contrarij deſtructionem operatur: quia finis generationis eſt forma, & quid bonũ, ſed ſi vnum contrariũ effectiue expelleret aliud à proprio ſubiecto, perſe primo intẽderet eius deſtructionem in tali operatione: nam ſupponimus nullam aliã formã poſitiuam produci â tali qualitate in proprio ſubiecto niſi puram contrariæ qualitatis deſtructionẽ: ergo non eſt dicendũ expulſionem qualitatis contrariæ à contraria effectiue prouenire. Arguitur quarto: nã quando calor vt quatuor v. g. expellit â ligno frigiditatem vt quatuor ſi effectiue fiat talis expulſio: inquiro aut hæc efficientia fit in inſtanti vltimo calefactionis, quod eſt primum eſſe caloris, vt quatuor, aut ante illud: non primũ, quia tunc iam non eſt frigiditas, ac proinde non tanget calor vt quatuor frigiditatem effectiue, quia agens, & paſſum debent eſſe ſimul, neq; ſecũdũ poteſt dari, quia tunc non dum exiſtit calor vt quatuor, & ſic ageret in expulſionem totalem frigiditatis ante quam exiſteret, quod eſt impoſsibile cum exiſtentia ad cauſalitatem

effecti-

effectiuam ſit conditio neceſſario requiſita etiam à Deo per abſolutam potentiam in ſuplebilis. Dices, eodem argumento probari, quod calor, vt quatuor non expellat formaliter totam frigiditatem ligni quia in nullo inſtanti ſe tangunt quoad vltimos gradus, cum tamen contactus non minus ad formalem, quam ad Phyſicam expulſionem requiratur, ſed huic obiectioni facile ſatisfit, quod ad expulſionem formalem ſatis eſt contactus ipſarum formarum ratione eiuſdem ſubiecti in quo ſunt, & dum vna ingreditur altera excluditur, vnde anima rationalis in primo inſtanti ſui eſſe, & informationis materiæ excludit animam embrionis, quæ pro illo inſtanti iam non exiſtit, ſed tempore proxime præcedenti extiterat ſufficit enim ad formalem expulſionem, quod vna forma immediate alteri in eodem ſubiecto ſuccedat, neque oportet ipſas formas ſe ipſas tangere, ſed quod inmediate vna tangat ſubiectum, quod altera vſque ad illud inſtans excluſiue formaliter tetigerat ideſt informando illud: ad efficientiam autem requiritur quod agens tangat illud in quod agit ſua actione & virtuali contactu: ac proinde ſi calor vt quatuor effectiue expellit frigiditatem debet ipſe calor vt quatuor tangere frigiditatem in ſe, & eſſe ſimul cum illa, quod cum non ſit dabile, neque dabilis eſt talis expulſio effectiua. Arguitur vltimo ad hominem contra Soto: nam ipſe quæſti. 1. eiuſdem libri docuerat inſtrumentum ſeparatum alicuius agentis non concurrere effectiue ad effectum illius, ſed tantum paſsiue ſe habere, qua ratione dixerat grauitatem lapidis tantũ paſsiue ad motum eius verſus centrum concurrere, quia eſt inſtrumentum ſeparatum generantis, ſed etiam calor productus ab igne in ligno eſt inſtrumentum ignis ſeparatum, & ideo ad calefaciendum ipſum lignum non ſe habet actiue, ſed paſsiue, & formaliter dum taxat vt ipſe Soto ibi admittit: ergo etiam debuit concedere quod in ordine ad expellendum contrariam frigiditatem ſe habet calor in ligno receptus non actiue, ſed tantum paſsiue, & per modum principij formalis.

7 Dico ſecundo, quando qualitas ſiue forma exiſtens in aliquo ſubiecto habet ſe vt inſtrumentum alterius extrinſeci agentis bene poteſt concurrere actiue ad producendũ aliquem effectum in eodem ſubiecto & expellẽdum contrarium: hæc concluſio patet: nam vt lib. ſequenti docemus, grauitas, & leuitas ſunt principia actiue concurrentia ad motus naturales in ipſis grauibus, & leuibus, vt inſtrumenta generantium, & anima, verbi gratia rationalis eſt principium actiuum per emanationem quandam medio quo in ipſa fluunt intellectus, & voluntas, & fiunt à Deo ipſius animæ creatore, ſimiliter dum aqua calida ad ſuam priſtinam frigiditatem ſe reducit actiue, vt inſtrumentum generantis producit in ſe connaturalem frigiditatem media qua expellit extraneum calorem, & eodẽ modo dum grauitas efficit in lapide naturalem motum expellit violentum quietem, aut ſaltem illius motus debiti nociuam priuationem effectiue: ſed ſicut frigiditas aquæ formaliter tantum conſtituit ipſam frigidam, ita formaliter tantum expellit calorem, & ſimiliter motus lapidis ſicut formaliter mouet illum, ita formaliter excludit eius quietem, aut motum priuationem. Confirmatur: nam intellectio vt dictio actiue concurrit ad producendum verbum intra ipſum intellectum, & habitus, ſiue voluntatis, ſiue intellectus, ſiue aliarum potentiarum actiue producunt ſuos actus, & conſequenter effectiue etiam excludent contrarias eorum diſpoſitiones, eo quod huiuſmodi actiones ſunt immanentes quæ intra ſuum ſubiectum habent principium elicitiuum: ſed etiam motus grauium, & leuium, & qualitates productæ ab extrinſeco generante medio principio intrinſeco habent ſe ad inſtar actus immanentis quantum ad hoc quod ſicut actus inmanens in eodẽ ſubiecto habet principium ſui elicitiuum, ita illi motus, & qualitates habent in ſubiecto in quo recipiuntur principium ſaltem inſtrumentale à quo effectiuè cauſantur.

Dico tertio, qualitas quæ vel eſt actus, vel habet ſe ad modum actionis nequit effectiue phyſice à ſubiecto ſuo expellere ſuum contrarium niſi producat formam incompoſibilem cum illo. Hæc concluſio ſequitur ex prima & probatur eiſdem rationibus: nam nulla forma quantumuis habeat rationem actus poteſt concurrere effectiue ad expulſionem ſui contrarij niſi producendo formam poſitiuã, quæ ſit incompoſibilis cum illo in eodem ſubiecto, quia nihil operatur perſe primo intendens deſtructionem, cum bonum & forma ſit finis generationis: ergo. Confirmatur primo: nam propterea habitus Philoſophiæ producendo aſſenſum huius concluſionis, principia rei naturalis ſunt tantum tria, excludit effectiue aſſenſum erroneum quem habebat intellectus circa eandem concluſionem, quia ponit effectiue aſſenſum contrarium, & cum erroneo incompoſibilem, & hoc pacto etiam peccatum excludit effectiue phyſicè gratiam, quia effectiue phyſicè ponit maculam, & habitualem deordinationem, cum gratia incõpoſibilem, & ſimiliter eadẽ ratione charitas, & penitentia habitualis effectiue phyſicè diſpoſitiue expellerent peccatum, cauſando effectiue

fectiue dilectionem Dei ſuper omnia, vel cõtritionem ſi tamen iſti actus eſſent phyſicæ diſpoſitiones ad gratiam, & cum peccato ex natura rei incõpoſibiles: ſecus autem ſi tantũ ſint diſpoſitiones morales de quo modo non vacat diſputare: quia tamen non ponunt effectiue phyſicè ipſam gratiam habitualem maculæ directe, & inmediate oppoſitam, non expellunt effectiue phyſicè directe peccatũ habituale, ſiue maculam: ergo nulla qualitas, ſiue actus ſit, ſiue habitus poteſt effectiue phyſice expellere contrarium à ſuo ſubiecto niſi in eodem producat, aut ponat formam poſitiuam & cũ illo incompoſibilem, eiq; ſiue directe, ſiue indirecte oppoſitam. Confirmatur ſecundo: nam D. Tho. in illa ſolution. ad 3. q. 85. vniuerſaliter aſſerit quod quælibet virtus formaliter expellit habitũ vitij oppoſiti, ſicut albedo expellit nigredinem ab eodẽ ſubiecto, ſentit igitur omnem qualitatem formaliter expellere ſibi contrariam, niſi producat formam incompoſibilem cum illa.

8 Sed contra arguitur primo: nam ſic ſe habet calor introductus in lignũ ad expellẽdam contrariam frigiditatem: ſicut corpus aduenies huic loco, v.g. B. ad expulſionem corporis præexiſtentis in eodẽ loco, & ſicut aër impellens feneſtram ad illius apertionem, & ſicut ſerra percutiens lignum ad ſeparandas eius partes. Etenim corpus ſe ipſo expellit aliud præexiſtens, & aer ſe ipſo aperit feneſtram, ac tandem ſerra ſuo ingreſu cauat lignũ & ſeparat eius partes, ſicut calor aduenies ligno ſe ipſo expellit frigiditatem: ſed in prędictis caſibus datur expulſio effectiua, etenim corpus aduenies effectiue impellit aliud & aer atque ſerra, effectiuo impulſu concurrunt ad feneſtræ apertionem & partium ligni ſeparationem: ergo ſimiliter calor effectiuo impulſu excludit frigiditatem. Confirmatur: nã cauſalitas effectiua eſt compatibilis, cum formali in eodem reſpectu eiuſdem: ergo licet expulſio frigiditatis ſit à calore in genere cauſæ formalis, & per cõmunicationem, effectus formalis etiam poterit eſſe ab illo effectiue, & per effectiuam cauſalitatem. Antecedens probatur dupliciter: primo: nam ſpecies intelligibilis concurrit vtroq; modo ad notitiam & effectiue, & formaliter, præſertim in nobis, & vbicunq; eſt forma accidentalis proxime operatiua. Probatur ſecundo: nam cauſalitas materialis, licet ſit cauſæ intrinſicæ, ſicut formalis conſiſtens incõmunicatione intrinſeca materię eſt cõpatibilis cũ effectiua cauſalitate in eodẽ, & reſpectu eiuſdẽ effectus, etenim corpus materialiter, & effectiue ſuſtentat accidẽtia corporalia. Vnde hac ratione poteſt Deus ſupplere ſubſtantiæ concurſum, circa accidẽtia corporalia, quando illa ſine ſubſtantia cõſeruat, quia eius concurſus non eſt puræ cauſæ materialis: ſed admiſcens aliquid cauſalitatis effectiuæ, & materialis. Rurſus actus ſciẽtifici ſunt diſpoſitiones ad habitus ſcientiarũ naturaliũ adquirendos; ac proinde gaudent cauſalitate materialis cauſæ: ad hanc enim reducitur cauſalitas diſpoſitiua, & tamen cõcurrunt effectiue: ergo ſimiliter cauſalitas formalis, & effectiua erunt compatibiles in eodem reſpectu eiuſdem effectus, ac proinde in calore reſpectu expulſionis frigitatis.

Reſpondetur ad hoc argumentũ negando minorẽ, vel poteſt negari maior: nam in illis caſibus inuenitur expulſio effectiua eo quod corpus effectiue ſuo motu locali adquirit nouũ vbi in illo loco incompoſibile ſimul cum vbicatione alterius corporis: aer vero & ſerra producunt motũ quendã, ſiue impulſum quo mediante aperitur feneſtra: aut ſeparãtur partes ligni: ſicut guta aquæ percutiens lapidem effectiue cauat illũ: ipſe tamen impulſus ſeu diſpoſitio cauſata ab huiuſmodi corporibus, ſe ipſo, ac proinde formaliter præſtabit hos effectus, & ſic calor formaliter expellit frigiditatẽ eò quòd mediante illo vt forma, agens videlicet ignis, ſiue corpus calefactiuũ corrũpit frigiditatẽ. Ad confirmationem, dicendũ eſt quod cauſalitas formalis intrinſeca, & ſimiliter materialis intrinſeca eſt incõpatibilis cũ cauſalitate effectiua ſec⁹ vero extrinſeca qualis eſt cauſalitas ſpeciei quæ eſt principiũ formale extrinſecũ notitiæ, ſicut obiectũ & ſimiliter ſubſtantia reſpectu accidentiũ eſt materia extrinſeca eorũ, nec non & diſpoſitiones reducũtur ad cauſam materialẽ extrinſecam, quia diſponunt materiã, non enim ſubſtantia cõpleta, aut diſpoſitio eſt pars intrinſeca formæ receptæ ad quã diſponit, quod tamen requiritur ad materialẽ cauſam intrinſecã. Secũdo arguitur actus penitẽtiæ videlicet cõtritio effectiue phyſice expellit peccatum, & tamen nõ producit, neq; ponit effectiue gratiã aut aliã formã incõpoſibilẽ cum peccato, ſed formaliter per hoc quod informat voluntatẽ penitentis deſtruit peccatũ effectiue: ergo nõ requiritur ad effectiuã expulſionẽ productio alicuius effectus poſitiui: ac proinde qualitates actiuæ expellent ſe inuicẽ effectiue. Antecedens eſt Doctoris ſancti 3. p. q. 85. ar. 2. ad 3. vbi aſſerit penitentiã effectiue deſtruere peccata, vbi loquitur de efficientia phyſica, & nõ ſolũ, de habituali, ſed etiã de actuali peni ẽtia. Confi. 1. nã D. Tho. aliquid peculiare attribuit penitẽtiæ, & eius actibus circa deſtructionẽ peccati, quod nõ tribuit charitati, aut alijs virtutib⁹ infuſis, ſed charitas formaliter deſtruit peccatũ habitu. ile: ſimiliter aliæ virtutes in-

fuſe

fuſę diſpoſitiue concurrunt ad expulſionē peccati: ergo penitētia & eius actus effectiue phiſice operātur ad deſtructionē omnis peccati. Confirmatur 2. nam in Concilio Trident. Seſſ. 14. c. 4. attribuitur pœnitentiæ munus abiciendi peccata, abicere autē niſi nominibus abutatur concilium denotat concurſum effectiuū: huic cōſonat nomen anihilationis, quo vtūtur diſcipuli S. Doctoris in additionibus ad 3. p. q. 1. art. 2. vbi appellāt contritionē anihilationē peccati, anihilatio etenim importat effectiuā, & phiſicam entitatis deſtructionem: ergo. Confirmatur 3. non eſt minoris efficatię cōtritio ad deſtruendum peccatū quā peccatum ad deſtruendam gratiam. Sed peccatū deſtruit gratiā effectiuē phiſicē vt dictū eſt quod cōmunis habet ſententia Thomiſtarum 2. 2. q. 24. ar. 12. ergo etiā contritio effectiuè phiſicè deſtruet peccatū, alioquin maior eſſe efficatia peccati in deſtruendo gratiam, quam contritionis in deſtruendo peccatum ſiquidem illa eſſet effectiua, & hæc tantum formalis. Confirmatur 4. nā D. T. in loco allegato & in 4. d. 14. q. 2. art. 1. docet pœnitentiā opponi omnibus peccatis, habereque cum illis contrarietatem, & nō formalem cum vnius virtutis ſpecialis vnicū cōtrariū dumtaxat habeat eſſe vt docuimus: ergo ſentit habere cōtrarietatem effectiuam cū illis, & ita inſinuare, imò expreſſe affirmare videtur in eiſdē locis & de veritate q. 28. art. 8. ad 2. in prima ſolutione, quibus tū teſtimonijs tū rationibus ſuadentur nonnulli diſcipuli Doctoris Sancti aſſerendū pœnitentiæ actū videlicet cōtritionem effectiue phiſice deſtruere omnia peccata, de quorū numero eſt Soto in 4. d. 14. q. 2. art. 1. & d. 15. q. 1. art. 6. & Petrus de Ledeſma in ſuis ad dictam q. 85. 3. p. codicibus: in quā ſententiā inclinat Ferrarienſis 4. contra gent. c. 72. & eandem ſequi tenentur omnes illi, qui ſuſtinuerint qualitates actiuas, effectiue phiſice contrarias ab eodem ſubiecto expellere. Sed vt verū fatear ſontētia hæc ſuſtineri nequit, vtpote nulli efficaci rationi innitens, & ex teſtimonijs Doctoris Angelici ſuperficialiter intellectis procedens: quod patet primo: nā actus contritionis nec producit gratiā, nec illam aut aliam formam incōpoſsibilem cō peccato ponit effectiue: ſed ſolū ponit ſe ipſum formaliter: ergo formaliter phiſice, & nō effectiue expellit contrariū, nihil enim per ſe primo intendit deſtructionē contrarij ſi agens phiſicū ſit, & alias finis generationis debet eſſe forma poſsitiua, media qua cōtrariū expellitur in eodē genere cauſalitatis in quo ipſa forma poſsitiua ponitur. 2. nā implicat, q̄ aliquod agens efficiat phiſice effectū formalem ſecundariū, ſine primario alicuius formæ, qua ratione nequit Deus remiſsionem peccati cauſare in anima ſine iuſtificatione: quia illa eſt effectus formalis ſecūdarius gratię dependens ab iſto vt à primario: ergo nequit cōtritio effectiue phiſice expulſionē peccati quim efficiat iuſtificationē quā tamē non efficit.

9 Tertio: nā peccatū habet duo, ſcilicet id ſecundū quod eſt malum animę, nempè macula & auerſio à Deo, atque id per quod eſt malū Dei: ſcilicet offenſa & iniuria, cōtritio nō expellit peccarū, quoad primā rationem effectiue, quia vt ſic excluditur â gratia formaliter & à charitate diſpoſitiue: ac proinde non expellitur à pœnitentia: ad quam præſupponitur expulſum ſicut præſupponitur gratia & charitas. Quoad ſecūdam vero rationem verum eſt, quod expellitur effectiue. Sed quia vt ſic peccatum eſt quid morale nequit expelli effectiue phiſice, ſed effectiue moraliter, & ſic contritio expellit peccatum in ratione offenſæ effectiue moraliter: nam expellit illud ſatisfactorie, ponendo quandam compenſationem & equalitatem moralem per quā tollitur moralis inæqualitas offenſæ. Confirmatur hoc & explicatur: nam contritio ſecundum ſe expellit peccatum ſatisfactorie: ſed concurſus ſatisfactorius eſt agentis moralis, ſicut & concurſus per meritū: ergo. Rurſus tantum expellit offenſam efficiēdo æqualitatem inter Deū offenſum & ipſum offendentem: ſed hęc efficientia eſt moralis: ergo & expulſio eſt effectiua moralis, & hanc tantū tribuere intendit D. Th. in allegatis teſtimonijs: hæc enim efficientia moralis & ſatisfactoria, circa omne peccatum in ratione offenſæ eſt propria pœnitentiæ: cauſalitas autem diſpoſitiua: circa gratiā & expulſionem peccati vt eſt malū animæ eſt in cōmunis cū charitate, & præter has cauſalitates habet etiam formaliter phiſice expellere ſuū contrariū: nēpè vitiū ſiue peccatū in pœnitentiæ, in quo conuenit cū alijs omnibus contrarijs. Quod ſi inquiras quo pacto cōtritio effectiue moraliter intēdit ſolā deſtructionē peccati, & per ſe 1. terminatur ad illā nihil poſsitiuū producendo cū nullū agens intēdens ad malū operetur, & terminus cuiuslibet generationis debeat eſſe forma poſsitiua etiā in moralibus. Reſpondeo dupliciter primo falſum ſupponere interrogationem: nā contritio ipſa effectiue moraliter ponit quandam æqualitatē, quæ eſt quidam terminus

moralis relictum ex contritione & media hac æqualitate remouet offensam, quæ est in æqualitas inter Deum & hominem per peccatum constituta. Secundo respondeo quod licèt destructio formæ physicæ nequeat esse bonũ, quod possit per se primo terminare generationem physicam: tamen destructio moralis, scilicet peccati, est bonum quoddam morale per se appetibile, quod potest per se primo esse terminus actionis & efficientiæ moralis. Ex hijs patet ad argumentum principale. Ad primam confirmationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam illud peculiare, quod D. Tho. tribuit pœnitentiæ & eius actibus non est physica, sed est moralis efficientia, circa peccati destructionem, tota enim eius efficientia sistit in destructione satisfactoria offensæ & iniuriæ, quæ extra latitudinem moralis efficientiæ neutiquam debet aut potest esse. Ad secundam respondetur, quod id ipsum nominibus abiectionis & anihilationis significatur. Ad tertiã concessa maiori & minori negatur consequentia: nam efficatia peccati, circa destructionẽ gratiæ est effectiua physica: quia peccatum ponit effectiue physice maculam, quæ est physica priuatio gratiæ: at efficatia contritionis circa destructionem peccati tãtum est affectiua moralis: quia nihil ponit effectiue medio quo physice destruatur peccatum, sed tantum ponit moralẽ æqualitatẽm qua tollitur moralis in æqualitas offensæ, vtraque tamen efficatia est perfecta in suo genere, illa quidem in genere physico: hæc vero in genere moris: ac proinde inutilis ac in propria est comparatio vnius ad alteram. Ad quartam respondetur Sanctum Doctorem tribuere pœnitentiæ contrarietatem cum peccatis omnibus, non solum physicam dispositiuam: sed moralem effectiuam. Vnde relinquitur manifestum vnum contrarium non expellere aliud directè nisi formaliter ab eodem subiecto, siue habeat rationem qualitatis habitualis, vel potentialis, siue etiam habeat rationẽ actus vel actionis: posse tamen aliquando operari ad productionem alicuius effectus in odem susceptibili: & in directe, seu dispositiue physice operari ad expulsionem contrarij tam sui quam effectus à se producti: posse etiam quandoque morali efficientia vnum actum, siue habitum suum contrarium ab eodem subiecto remouere.

ARTICVLVS. III.

An per aliquam potentiam, siue ordinariam, siue absolutam Dei, possint duo contraria simul in eodem subiecto cõpati, & ab hac mutua expulsione impediri.

10 COmmunis sententia metaphisicorum in hac parte negat de potentia ordinaria Dei, posse duo contraria pro eodẽ tẽpore in eodẽ subiecto reperi: id tamen posibile esse potentiæ absolutæ affirmat: quia tamẽ hæc sentẽtia vt facet difficultatẽ & instãtias non paucas patitur: experientia enim cõstat in gradibus remissis qualitates cõtrarias simul in eadem parte subiecti reperiri: vt caloré & frigiditatẽ in tepido, & albedinẽ, cũ nigredine infusco: atque in eodẽ intellectu sciẽtiã & errorem de eodẽ obiecto circa diuersas concluſiones: nec nó fidẽ & scientiã circa eandẽ veritatem: similiter cum cõtrarietas includat priuatiuã oppositionẽ, vt dictum est: sicut in hac nequeunt extrema cõpati in eodẽ subiecto: ita idẽ videtur dicendum in illa. Propterea, ad huius intelligentiã prænorandũ duxi contrarias qualitates esse in multiplici differentia: alias esse absolutas omninò, & alias respectiuas. Rursus alias habere latitudinẽ intensiuã, secũdum quam possunt suscipere magis & minus, & alias cõsistere in indiuisibili vtpote expertes huius latitudinis. Denique alias habere latitudinẽ extensiuã, secundũ quã possunt ad plura vel pauciora extendi, & secundũ plures vel pauciores partes, informare subiectum, siue huiusmodi partes actuales siue potentiales sint, ac dũtaxat virtualiter distinctæ: alias vero esse quæ huius latitudinis extensiuę expertes sunt: & nequeunt actuare subiectum secundũ partem quin actuẽt, secundum totum, quod possunt actuare. Denique ex hijs qualitatibus contrarijs etiam extensiuæ latitudinis capacibus, alias esse, quæ habent medium cuiusmodi sunt albedo, & nigredo, calor, & frigus, alias vero esse quæ medio carent vt sunt sciẽtia, & error, sanitas & infirmitas, amor, & odium: circa idem obiectum, ex quibus illę quæ habent mediũ possunt excludi absque positione sui cõtrarij comparij: secus vero istæ quæ carent medio. Quibus suppositis & breuiter prænotatis.

Respondeo dicendum primo, secundum legem ordinariam posse compati forma-

formaliter duas qualitates contrarias intẽ-
sibiles,& habentes medium in gradibus re
missis. Hanc conclusionem docent Flan-
drensis q.10.ar.2.Scotus in 1.d.17.q. vlti-
ma,Bañesius 1.de generatione c.4.q.3.in
solut.ad 3.Scoti, & Caietanus 1.2.q.52.ar.
2.§. *ad hoc dico primo*, vbi respondens ad
quoddam argumentum Scoti, postquam
in prima solutione dixerat qualitates con-
trarias etiam in gradibus remissis, non re-
periri simul in eodem subiecto, formaliter
secundum suas entitates, sed tantum vir-
tualiter in quoddam medio ex eis resultan
te & eas virtualiter præhabente: In secun-
da solutione primam corrigit dicens, pos-
se huiusmodi qualitates compati simul for
maliter in eodem subiecto in gradibus re-
missis, eo quod in hijs formis duplex ori-
tur incomposibilitas, altera ex contrarie-
tate,& hæc conuenit formis secundum se:
ac proinde vbicumque reperiuntur,secun
dum suas specificas naturas, prius conue-
nit formis in se,quam in subiecto. Altera
vero oritur ex gradibus, & hæc conuenit
formis ex illo respectu ad subiectum, ex
quo eis conuenit latitudo. Vnde secun-
dum hanc mutuo se expellunt ab eodem
subiecto in gradibus intensis,sed simul cõ-
patiuntur in gradibus remissis, retinent
tamen inclinationem & aptitudinem ad se
expellendum, propter primam & essentia
lem incomposibilitatem ex essentiali or-
tam contrarietate. Probatur igitur assertio
primo:nam quãdo calor expellit frigidita
tem à ligno per motum, idem est motus ca
lefactionis à frigido vt sex ad calidum, vt
sex:ergo qualitates ibi mediantes per quas
transit,sunt eiusdem rationis formalis, cũ
calore & frigiditate, verbi gratia, calor vt
quatuor & vt quinque,& frigiditas vt duo
& vt tria,per quas transit lignum tempore
quo durat calefactio à primo vsque ad sex-
tum gradũ caloris,si autem ibi introducto
primo gradu caloris, frigiditas ligni tran-
siret in aliam qualitatem motus etiam esset
alius. Confirmatur:nam in casu quo lignũ
sit frigidum, vt sex & incipit calefieri in il
lo primo tẽpore, potest primum instãs, quod
est vltimum non esse motus,quando est ve
ram dicere nunc nõ est calefactio & imme
diate post hoc erit calefactio in hoc tẽpo-
re immediato post illud nunc, nõ erit totus
calor introductus videlicet vt sex,suppos
to,quod calefactio debet durare, vsque dũ
producat calorẽ vt sex,quẽ producet pau-
latim & successiue perceptibili mora,atque
successiue:ergo est aliqua frigiditas secun-
dũ aliquem gradum ex præexistẽtibus. Cõ
sequentia patet:quia tota frigiditas nõ erit
exclusa,vsque dum fuerit totus calor intro
ductus. Probatur secundo:nam huiusmo-
di contrarijs intensibilibus extremis in gra
dibus remissis præexistentibus in eodẽ sub
iecto,verbi gratia,fit tepidas in aqua ex ca
lore & frigore remisso & fit viride in mix-
to ex colore albo & nigro remissis:ergo vt
fiat talis qualitas media in subiecto debue-
runt præexistere in eodem subiecto quali-
tates extremæ remissæ. Consequetia patet:
quia quando aliquid fit ex alio quod corrũ
pitur ad eius generationem,debuit hoc a-
liud ad genitum præexistere aliàs ex illo nõ
generaretur,qua ratione quando album fit
ex nigro debet in subiecto quod fit album
præcedere formalis nigredo,& quando ho
mo generatur ex embrione debet formæ
embrionis præcedere formam hominis, &
quãdo aliquod mixtũ fit immediate ex plu
ribus elemẽtis,in materia mixti diuisa præ
cesserunt formæ elementorũ materialiter
ad mixtionẽ concurrentiũ: ergo cũ media
qualitas fiat & resultet ex contrarijs extre-
mis remissis debent cõtraria in gradibus re-
missis præcedere in eodẽ subiecto alioquin
quomodo fient ex illis, quæ nunquã vt sic
remissa præexiterunt in tali subiecto? aut
quomodo illæ primæ qualitates formaliter
ad aduentum mediæ simul corrumpentur
& virtualiter in illa manebunt, quæ esse re
missum formaliter nunquã habuerunt? Pro
batur 3.à priori ratione Caietani ad hanc
formã reducta,impossibilitas simul exis-
tẽdi in eodẽ subiecto, aut necessitas se exclu
dẽdi à subiecto in huiusmodi qualitatibus
intensibilibus,& medijs habentibus non se
quitur ad naturam ipsarum in quocunque
statu & gradu,sed solum sequitur ad illas
in statu & gradu perfecto,quia licèt sit con
naturalis & debita:non tamen est eis essen
tialis aut inseparabilis:ergo quousque qua
litates perueniant ad statum & gradum per
fectũ non se excludent: ac proinde simul
cõpatiũtur,secũdum suas entitates formales.
Cõsequetia est nota,& antecedens pro
batur:nam sicut alijs formis actus debitus,
aut perfectio cõnaturalis non conuenit es
sentialiter & pro omni statu, sed in certo
statu perfectiori,v.g.generare,non conue
nit homini in statu pueri, sed in statu viri,
& euidentia non conuenit scientiæ subal-
ternatæ in statu imperfecto,quãdo deest sub
alternans,sed in statu perfecto quando cõ
iungitur subalternãti,licèt generare sit ac-
tus debitus & cõnaturalis homini,& euidẽ
tia sit cõditio ac perfectio scientiæ debita
ac connaturalis,ita actualis expulsio cõtra

ris reperti in eodē ſubiecto, licèt ſit actus ſiue effectus connaturalis contrariarum qualitatum, in quem tendit naturalis earum inclinatio, nō tamen eſt eis eſſentialis aut debitus pro omni actu. Sed tātum pro ſtatu perfecto, quando ſunt in gradibus intenſis, eo quod vincere contrarium, illud quę à ſubiecto ſemel poſſeſſore mouere, eſt actus contrarij non qualiſcunque, ſed intenſi, præſertim vbi medium inter contraria reperitur, & latitudo ſecundum intenſionem. Confirmatur: nam ſi altera harum qualitatū ſit à ſubiecto inſeparabilis ſicut calor, qui ab igne nequit ſeparari, nequit à tali ſubiecto expelli per contrariam qualitatem: ac proinde ratione connaturalitatis impeditur frigiditas, v. g. ab actuali caloris expulſione: ergo ſimiliter ratione imperfecti ſtatus, aut deffectu requiſiti gradus poſſunt huiuſmodi qualitates ab actuali expulſione impediri: ac proinde ſimul ei de ſubiecto conuenire in gradibus remiſis.

Nequāt in gradibus intenſis duo contraria inueniri ineodē ſubiecto.

Dico 2. in gradibus intenſis neutiquam poſſunt prædictæ qualitates de potentia Dei ordinaria in eadem parte ſubiecti ſimul reperiri. Hæc concluſio à nemine negatur & patet. Primo: nam in gradibus intenſis habent ſe ſicut contraria immediata, eo quòd pro illo ſtatu nequeunt ad medū reduci: ſi enim calor, & frigus, albedo & nigredo in gradibus intenſis per ſeuerant, nū quam ex eis tepiditas aut medius calor reſultaret: ſed ſubiectum tranſiens ab vno ad alterum, ſemper calidum & frigidum, albū aut nigrum remaneret. Sed contraria immediata nequeunt de potentia ordinaria eſſe ſimul in eodem ſubiecto ſecundum eandē partem: ergo. Probatur ſecundo: nam quādo ſunt calor & frigiditas, v. g. in gradibus intenſis vltra contrarietatem & mutuam compoſibilitatem eſſentialem ortam ex naturis ſpecificis, quę eſt veluti radicalis pugna & incompoſibilitas, non quidem ad ſibi contrariandum, ſed ad ſe excludendum, habent actualem & proximam incompoſibilitatem ortā ex gradibus & ſtatu perfecto ad quam connaturaliter ſequitur actualis expulſio, ſed impedire actum connaturalē & debitum alicuius formę in illo ſtatu pro quo ei debetur, non eſt potentiæ ordinariæ, ſed potentiæ abſolutæ quæ legibus naturæ non alligatur. ergo. Declaratur amplius hæc ratio, quando aliqua forma eſt debite vnita, nequit abſque miraculo impediri à ſuo effectu formali ſecundario: quo pacto tollere à quantitate corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis modo miraculoſo exiſtentis, localem extenſionem & ab eius anima creatam exiſtentiam opus miraculoſum & proprium eſt potentiæ abſolutæ Dei: ſimiliter quod agens naturale debite aplicatū paſo capaci ſuſcipere eius effectū, ab illius productione impediatur (ſicut Babilonius ignis impeditus fuit à puerorū cōbuſtione) miraculū eſt ab ordinaria Dei potentia alienū, ſed calor adueniens ligno frigido ſi aduenial in gradu intenſo eſt forma debite vnita cuius effectus ſecundarius eſt expulſio frigiditatis, habetque ſe ad modū agentis debitæ aplicati ad hunc effectū actualis expulſionis, quē non effectiuè, ſed formaliter debet cauſare: ergo impedire calorē ab huiuſmodi effectu, miraculū eſt proprium abſolutæ, & ab ordinaria potentia Dei alienum.

11 Dico 3. cōtraria quæ carent medio, in nullo gradu etiam remiſſo poſſunt de lege ordinaria in eadem parte ſubiecti ſimul reperiri. Hæc aſſertio probatur 1. nam quādo contraria immediatè opponuntur, aut conſiſtunt indiuiſibili, ſicut veritas & falſitas (diximus namquè lib. 2. veritatem formalem non ſuſcipere magis & minus) aut habent latitudinem intenſionis & remiſsionis: ſi primum, in quouis ſtatu mutuo ſe excludunt: ſi ſecundum etiam in gradibus remiſsis ſe expellent: quod patet, quia in hijs neceſsitas ſe expellendi aut impoſsibilitas coexiſtendi ſimul, aut non oritur ex gradibus, ſed ex formis eorum ſpecificis: aut ſi oritur ex gradibus, ſequitur neceſſario ad quencunque gradū & illum commitatur: ergo in quouis gradu ſaluentur eorum naturæ ſpecificæ neceſsitatem haberent ſe expellendi ad eodē ſubiecto: ac proinde tollere ab eis hanc neceſsitatem aut eam à ſuo actu impedire erit miraculum potentię abſolutæ Dei. Probatur 2. nam propterea infirmitas & ſanitas, etiam ſi ſuſcipiāt magis & minus nequeunt eidem ſubiecto conuenire, & licèt amor & odium eiuſdem obiecti formaliter ſuſcipiant magis & minus, etiam in gradibus remiſsis nequeunt ſimul in eadem voluntate reperiri: aliàs ſimul patet idem obiectū amari & odio haberi: poſſetque eadem volūtas affectibus ſuis ſimul ad idē obiectū accedere & ab illo recedere: quod tamen eſt impoſsibile de lege Dei ordinaria, & non eſt alia ratio huius impoſsibilitatis niſi immediata cōtrarietas ſeu potius talis ſpecies immediatę contrarietatis, ergo. Confirmatur & declaratur hæc ratiō nā de eadē concluſione nequit idē intellectus ſimul habere ſcientiam & errorem aut à ſenſum ſcientificum & errorem etiam in gradu remiſo, & non alia de cauſa,

niſi

nisi quia sunt contraria absque medio ad quæ in quocunque gradu sequitur impossibilitas simul existẽdi: ergo. Deinde si possent compati in gradibus remissis posset ex eis resultare aliquod mediũ: sed hoc est impossibile: igitur eadẽ est in eis impossibilitas medij, & repugnantia simul existendi.

Dico 4. possunt tamen huiusmodi contraria eidẽ secundũ diuersas partes cõuenire, si latitudinẽ habeant extensionis. Hæc conclusio sola indiget explicatione, & declaratur sic, quia corpus, v.g. humanum habet partes actu extensas & distinctas situ & positione quarum vna est extra aliam vt pedes, & caput, potest secundum vnam affici frigiditate, & secundum aliam simul ac pro eodem tempore affici calore, eo quod calor & frigiditas, etiam in gradibus intensis non habent illam secundam incompossibilitatem ortam ex gradibus, aut necessitatem se mutuo excludendi, nisi circa eandem partẽ subiecti: vnde & eadem de causa idem scutum potest esse secundum vnã medietatem album, & secundũ alteram nigrum: & quia intellectus quatenus potens assentiri pluribus cõclusionibus distinctis eiusdem scientiæ, v.g. hijs tribus philosophiæ, *omne quod mouetur ab alio mouetur, materia est principium motus & quietis: materia est pura potentia*, habet plures partes potentiales, non actu sed potentia siue virtualiter distinctas, quas nũcupare possumus potentialitates, ideo potest in illo compati simul & pro eodem tempore scientia circa primam conclusionem, & error circa secũdam aut circa tertiam: eo quod illa scientia circa primã cõclusionem actuat ipsum secundum aliam partem potentialem distinctam ab illa secundum quam actuat ipsum, error, circa secundam vel tertiam cõclusionem: & nõ habent, scientia & error circa idem obiectum formale habens plures partes, & plura obiecta partialia in quibus formalis ratio multiplicatur materialiter, necessitatem mutuo se expellendi, nisi quando extendunt se ad actuandã eandem potentialitatem intellectus, quod continget in casu posito quãdo scientificus habitus philosofiæ se extendat ad 2. & 3. cõclusionem, circa quã erat error in intellectu. Sicut enim necessitas mutuo se excludendi orta ex gradibus non conuenit qualitatibus intensibilibus, nisi in gradibus intensis: ita similiter qualitatibus habentibus latitudinem extensionis ad plures partes siue actuales, siue potentiales non conuenit nisi respectu eiusdem partis, quantumuis ipsæ qualitates ad gradus peruenerint intensos. Dixi quando qualitates habent latitudinem extensionis, aut quando ratio formalis obiecti multiplicatur materialiter in pluribus obiectis partialibus: nã aliquando huiusmodi qualitates respectiuæ licèt plures partes eiusdẽ obiecti formalis attingant: nõ tamen habent latitudinẽ extensiuã, sed solam intensiuã, & tũc nullatenus cõpatiuntur in eodem subiecto contrariæ qualitates, huiusmodi sunt fides Theologia, charitas, & aliæ virtutes infusæ, nã intellectus habens fidẽ Chatolicã vnius articuli, nequit habere errorẽ circa alios, & voluntas habens diuinam charitatẽ erga Deum nequit habere odium proximi: neque habens cõtritionẽ de vno peccato mortali potest de alio habere in penitentiã, eo quod huiusmodi virtutũ obiecta licèt pro subiecto multiplicentur, tamen rationes formales consistunt in indiuisibilis, & ideò virtus attingens illas in vna parte sui obiecti attingit illas totaliter: ac proinde nequit admittere circa eandẽ contrariũ, v.g. quia ratio formalis obiecti omnium articulorũ fidei est veritatis primæ reuelatio infalibilis quæ in omnibus eadẽ, & indiuisibilis est formaliter: & in omnibus partibus obiecti charitatis ratio formalis est eadẽ diuina bonitas, ideo in vnaquaque parte obiecti attingitur tota, & si admitteretur cõtrarius habitus circa aliã partẽ tota ratio formalis excluderetur, ac per consequens virtus ipsa totaliter deperderetur, sicut per errorẽ vnius articuli tota fides perit, & per odiũ proximi charitas labefactatur, ac tandẽ per affectũ ad vnũ peccatum deperditur virtus penitentiæ, &c. in hijs igitur habitibus & similibus qualitatibus non habentibus extensiuã latitudinẽ, circa formalẽ rationem obiectiuã semper & respectu cuiuscũq; partis reperitur necessitas se mutuo excludẽdi, atque impossibilitas in eodem subiecto simul existẽdi.

12 Dico vltimo de potentia Dei absoluta possunt esse simul in eodem subiecto duo contraria siue habeant medium, siue illo careant: etiã si in gradibus intẽsis sint, aut in indiuisibili consistant: dũmodo nõ habeãt admixtam oppositionem aliã præter contrarietatem: itaque in hac conclusione asserimus, quod ex vi contrarietatis solius non impediuntur quæcunque duo extrema contrarietatis, quominus etiam intensa possint simul in eodem subiecto reperiri, & probatur primo: nam extrema contrarietatis, vt sic sunt entitates positiuæ quæ in fieri & esse dependent à concursu Dei, sed Deus introducens

vnam formam poſsitiuam in aliquod ſubiectum non cogitur circa formã contrariã in eodem ſubiecto præexiſtentem ſuſpendere ſuum concurſum: ergo poteſt ſimul vtranque in eodem ſubiecto conſeruare. Minor patet: nam alio concurſu conſeruat Deus frigiditatem in aqua, & alio calorem quem ignis in aquam introducit: at quando calor introducitur in aquam, & conſeruatur per diuinum concurſum non neceſsitatur potentia Dei ſuſpendere concurſum alium, quo frigiditatem conſeruabat, ſed poteſt vtrumque concurſum retinere. Deo autem retinente ſuum concurſum, circa vtrãque qualitatem, vtraque permanebit: ergo. Declaratur maior: nam ſi ab aliquo Deus neceſsitaretur in caſu poſito ad ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui frigiditatis, maximè eſſet â naturali pugnâ & contrarietate caloris, ſecundum quam poſtulat & inclinat ad frigiditatis expulſionem tãquam ad effectum formalem ipſius caloris ſecundarium. Sed neceſsitas orta ex inclinatione & exigentia naturalium cauſarum, & ſimiliter illa quæ oritur ex connexione effectus ſecundarij formalis, cum forma non cogit omnipotentiam Dei abſolutam à legibus ordinarijs, ſed tãtum neceſsitat ex ſuppoſitione ordinariã Dei potentiam legibus ordinarijs alligatam: ergo nulla neceſsitate poteſt teneri potentia abſoluta Dei ad talem ſui concurſus ſuſpenſionem. Secundo: nam oppoſitio contrarietatis ex ſuis meritis, tantum eſt formalis vtpote verſans inter formas poſsitiuas: ſed ſola oppoſitio formalis non obſtat compatibilitati duorum contrariorum in eodem ſubiecto: ergo. Min. patet dupliciter primo: quia ſi obſtaret ſecundum ſe, in omnibus obſtaret: ac proinde neque albedo & nigredo poſſent in gradibus intenſis de potentia Dei abſoluta, ſimul in eadem parte corporis eiuſdem reperiri, quod tamẽ nullus admitteret. 2. quia propterea fides, cum ſcientia & clara viſione eiuſdem obiecti, etiam de potentia Dei eſt incompatibilis, vt vniuerſa Thomiſtarum Schola teſtatur cum ſuo auctore 2.2.q.1.art.4.& 1.2.q.67. art.3.& 3.p.q.7.art.3. quoniam propter admixtam imperfectionem & obſcuritatem, includit fides in ſuo conceptu carentiam euidentiæ & claritatis, & conſequenter nõ ſolum contrarie, ſed etiam priuatiue opponitur ſcientiæ & claræ eiuſdẽ obiecti cognitioni: ad ſalbandanque huiuſmodi incõpoſsibilitatem in ordine ad potentiã Dei abſolutam, recurrunt Thomiſtæ & peritiores Theologi, qui eis conſentiunt ad oppoſitionem priuatiuam fidei cum clara cognitione: exiſtimantes ex ſola oppoſitione contrarietatis per ſe ſumptæ, talem incompoſsibilitatem haut quamquam poſſe oriri: ergo ſola contrarietas ſiue formalis oppoſitio nõ obſtat quominus idem ſubiectum ſimul duabus contrarijs formis poſsit eſſe affectum: ſunt tamen aliqua contraria quæ vltra contrarietatem habent annexam intrinſece ſaltem virtualiter oppoſitionem priuatiuam, & hæc etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam neqneunt ſimul compati in eodem, eo quod oppoſitio priuatiua infert de ſe per bonam conſequentiam contradictoriam oppoſitionem, nempè affirmationem & negationem eiuſdem de eodem: & quidquid inuoluit, aut infert contradictionem eſt omnipotentiæ diuinæ denegandum: imò nihil aliud denegãdum eſt ei, niſi id quod contradictionem aut infert aut inuoluit non propter potentiæ diuinæ deffectum, ſed propter ipſius obiecti repugnantiam. Ex quo colligo poſſe de potentia abſoluta in eodem ſubiecto calorem cum frigiditate intenſa, in eodem intellectu habitus ſcientiæ & erroris de eadẽ concluſione, & in eodem corpore figurã triangularem cum quadrangulari: necnon in eadem voluntate amorem & odium, ſiue amicitiam cum inimicitia eiuſdem obiecti, & triſtitiã cum gaudio de eodem obiecto: atque in eodem lapide grauitatem cum leuitate ideſt inclinationem ad deſcenſum, cum inclinatione ad aſcenſum, ſimul poſſe reperiri: quia in omnibus hijs & ſimilibus ſola contrarietas inuenitur quæ huic ſi multari in ordine ad potentiam abſolutam Dei non obſtat. Colligo etiam nõ poſſe de potentia Dei abſoluta in eodem aſenſu intellectus verum & falſum, neque in eodem intellectu reſpectu eiuſdem concluſionis aſenſum fidei, ſiue opinionis cum ſcientifico, neque in eodem corpore ſanitatem integram cum ægritudine ſimul reperiri; quorum omnium eadem ratio eſt: quia in hijs vltra contrarietatem clauditur intrinſece oppoſitio priuatiua, vel formaliter, vel virtualiter: nã falſitas dicit in ſuo conceptu carentiam cõformitatis ſeu adequationis cum ſit ipſa diformitas & inadequatio intellectus ad rem: opinio verò dicit formidinem & carentiam certitudinis, & ægritudo licet qualitas ſit, tamen annexam habet priuationem debitæ humorum proportionis: vnde ſicut gratia & peccatũ charitas, & malum culpæ nequeunt ſimul compati, etiam de potentia abſoluta & ſimiliter repugnant in ordine ad omnipotẽ-

tiam

tiam Dei, sicut actus inocentiæ cum peccato, & virginitas pro materiali cum actu libidinoso, status enim inocentiæ, cuiuslibet peccati, & virginitas, omnis actus venerei dicit exclusionem propter annexã intrinsece oppositionem priuatiuam, propter quam etiam & motus, & quies secundum eandem rationem repugnant: quia motus dicit viam & tendentiam ad terminam cũ carentia status & quietis in termino: ita in casibus nostri corollarij nequeunt illa contraria de potentia absoluta Dei simul reperiri & per hæc exempla à nobis notata poterit metaphisicus facili negotio de alijs ferre iudicium.

13 Sed aduersus has assertiones arguitur. 1. contra primã: nã incõpossibilitas qualitatum contrariarum etiam intensibilium oritur ex differentijs earũ specificis propreã enim hic à Philosofo apellatur contrarietas maxima differentia, & à nobis ita fuit diffinita quod sit, aut ipsa essentialis ratio, differendi in qualitatibus, aut ex illa orta; ac proinde debet specificam differentiam qualitatum semper & vbicunque comitari. Sed in gradibus remissis saluantur formales rationes ac differentiæ specificę talium qualitatũ: ergo secundũ illũ statũ conuenit eis incompossibilitas simul existendi in eodem subiecto & necessitas mutuo se excludendi. Cõfirmatur: nã qualitates intensibiles contrariæ non inueniuntur simul in eodem subiecto, nisi ad medium aliquod redactæ: sed quando sunt in medio non sunt formaliter, secundum suas formales differentias, sed tãtum virtualiter: est enim medium tertia quædã qualitas, extremas qualitates præhabens virtualiter (sicut tepidũ continet virtualiter calorem & frigiditatem) & ab illis formaliter distincta: vnde & distinctam subiecto tribuit denominationem: neque enim denominat calidum, aut frigidum: sed tepidum, hoc ipsum patet in coloribus medijs in quibus albedo & nigredo non formaliter sed virtualiter dũtaxat continentur: ergo.

Respõdetur ad argumentũ, quod incõpossibilitas est duplex, vt iam dictum est: altera est immediate orta ex differentijs specificis qualitatum, & hæc est ipsa contrarietas ad essentiales rationes qualitatum consequta, & ideo eis semper & vbicunque cõuenit: vnde albedo & nigredo vbicunque & etiam in gradibus remissis contrariãtur. Altera est incompossibilitas orta ex gradibus, ideſt ad qualitates, non secundum se præcisse, sed secundum statum perfectum & gradum intensum consequta, & hæc est impossibilitas simul existendi, seu necessitas mutuo se expellendi, veluti actualis respectu cuius prima potest dici radicalis: quia hæc secunda in qualitatibus intensibilibus & habentibus medium sequitur ex essentia qualitatis, mediante prima & est veluti actus illius, v.g. prius est secundum rationem, quod albedo sit talis naturæ: deinde quod sit diuersa a nigredine, ex qua diuersitate sequitur, quod sit illi cõtraria, id est apta nata illam expellere ab eodẽ subiecto, postea sequitur actualis expulsio siue actualis necessitas illam expellendi, quando albedo ad statum & gradum peruenit perfectum, quare ad formam argumenti distingo maiorem, omnis incompassibilitas oritur ex specificis differentijs proxime & immediate: nego, oritur mediate vel immediate concedo, vel absolute nego maiorẽ: nam incompossibilitas radicalis oritur ex specificis differentijs secundum se, actualis vero aut non oritur ex illis secũdum se, sed secundum statum, aut nõ oritur ex eis immediate sed mediante radicali & vt actus illius: actus autem licèt naturalis sit subiecto, non debet illi semper conuenire. Ad confirmationem cui innitens Caietanus vbi supra in prima solutione, in sententiã eorum inclinauit qui volunt contraria nũ quam nisi in medio quoddam virtualiter esse simul. Respondetur negando maiorẽ: namlicèt ex qualitatibus in gradibus remissis resultet media qualitas tertia & distincta formaliter ab extremis qualitatibus, tamen ipsæ prius extremæ qualitates, secundum suas formales rationes in gradibus remissis saluantur.

Pro cuius declaratione aduertendum est triplicem esse in hac parte modum dicendi: primus innitens argumento facto asserentium, numquam qualitates extremè oppositas esse simul, nisi ad medium redactas in quo virtualiter continentur, quem sequitur Soncinas hic q. 22. Gregorius in 2. d. 17. q. 3. ar. 2. Adam Godam ibidem q. 4. & Godofredus quodlib. 3. q. 2. ti illumque inclinat Caiet. in 1. solutione & licèt Bañesius vbi supra, aliter Caiet. interpretetur dicens in persona ipsius, vtranque eius referens solutionem, iuxta primã qualitates cõtrarias esse simul in aliquo medio virtualiter, non quia ibi non sint secũdum suas formales differentias, sed quia in forma subiantiali subiecti in gradibus remissis veluti continentur & cohibentur ne vna alteram expellat: sed re vera prima solutio Caietani eo tendit vt qualitates contrariæ in qualitate quadam media ex eis re-

ſultante virtualiter contineantur, & quod aliter ſimul eſſe non poſsint: vt ex contextu patet. Secundus modus eſt aſſerentium quod adhuc huiuſmodi mediæ qualitates reſultantes, in quibus contraria dicuntur contineri & ſimul compati, non ſunt formaliter diſtinctæ ab extremis, v.g. quod rubus color non diſtinguitur eſſentialiter ab albedine, neque tepiditas à calore. Pro hac ſententia citat Flandrenſis hic. q. 10. art. 2. Antonium Archiepiſcopum qui oppoſitæ ſententiæ non aquieuit & Franciſcum de Maironis qui hanc abſque formidine ſequitur, quibus fauent Ariſt. & commentator hic cap. 4. & commento 23. aſſerentes medias qualitates inter duas contrarias ex ipſis contrarijs eſſe cõpoſitas: quod probant triplici ratione quarum rationum ſumma hæc eſt: priora in vnoquoque genere ſunt componentia poſteriorum cum poſteriora reſoluantur in ipſa priora. Sed extrema contrariorum ſunt priora quam media. Rurſus color medius inter album & nigrum eſt compoſitus, cùm de vtroque participat, neque ab vtroque omninò & maximè differat, & eadem eſt ratio de alijs medijs: denique quæ ſunt ſimplicia in aliquo genere, ſunt primo cõponentia aliorũ eiuſdem generis: ſed extrema ſunt ſimplicia: etenim neque componuntur ex medijs: quia non diſtarent maximè inter ſe, neque vnum ex altero componitur, ſiquidẽ vnum contrariorum non componitur ex reliquo &c. Tertius modus dicendi media via procedit, quem ſequitur ibi Flandrenſis, nempè huiuſmodi media aliquando eſſe formaliter diſtincta ab extremis, & ex eis virtualiter dumtaxat cõponi, ſicut mixtum ex elementis, non actu ſed potentia, in ipſo dumtaxat contentis & diſtinctis dicitur conſtare: alia vero eſſe media non dũ perfecta & conſumata, ac proinde ab vnõ aut altero extremorum non diſtincta formaliter, exemplum primi ponit in coloribus medijs: exemplum ſecundi in tepiditate, quæ eſt formaliter calor remiſsus cũ frigiditate virtuali, cuius rationem redit dicens non eſſe in aqua tepida frigiditatem actu, licèt ceſſante actione calefactiua ad priſtinã reducatur frigiditatem, hæc enim reductio non fit propter frigiditatem ibi actu exiſtẽtem: ſed propter naturalem ipſius aquæ ad frigiditatem habilitatem quæ quidem habilitas nunquam poteſt ab ipſa aqua ſeparari, teſte enim Doctore Sancto 1. p. q. 48. art. 4. quoddam eſt bonum quod diminuitur per malum, ſed non totaliter tollitur, & hoc bonum eſt habilitas ſubiecti ad actum, cuius diminutio non fit per ſubſtractionem, ſicut eſt diminutio in quãtitatibus, ſed per remiſsionem ſicut fit diminutio in qualitatibus. Remiſsio autem huius habilitatis accipitur è contrario intẽſioni ipſius: intenditur enim per diſpoſitiones præparantes materiam ad actum, & è contra remittitur per diſpoſitiones contrarias, quæ quanto magis multiplicantur in materia, tanto magis remittitur potentia ad actum. Si igitur contrariæ diſpoſitiones in infinitũ multiplicari nequeunt, nec habilitas iſta in infinitũ remitti aut minui poteſt: ſicut in qualitatibus actiuis & paſsiuis elementorum, frigiditas, v.g. & humiditas quibus minuitur habilitas materię ad formam ignis non poſſunt multiplicari in infinitum &c. Ex quo teſtimonio rectè perſuadet ſibi Flandrenſis manere in aqua tepida habilitatem, vt ſe ad naturalem reducat frigiditatem: ſed quod in illa nulla maneat frigiditas, non video qualiter ſibi, aut nobis poſsit perſuadere. Vnde reiecto primo & ſecundo modo propter rationes iã adductas: tertius quoad principale dictum admittitur, ſed quoad ſecundum & minus principale reicitur: nam quando aqua incipit calefieri per tres gradus caloris, v.g. nõdum fuerunt excluſi octo gradus frigiditatis quos ante habebat: ergo aliquam adhuc retinet frigiditatem: tum etiã quia hac ratione fatetur Flandrenſis eſſe in aqua tepida formalem calorem, ne quando calefit, duobus motibus ſpecie diſtinctis, altero ad tepiditatem, & altero ad calorem terminato moueatur: ſed eadẽ ratione tenetur fateri eſſe ibi formalem frigiditatem: nam quando poſtea ceſſante calefactione à ſummo gradu caloris reuertitur ad frigiditatẽ ſummam, etiam prius fit tepida in medio motus, & poſtea fit frigida: ergo etiam eſſent ibi duo motus, alter ad tepiditatem & alter ad frigiditatẽ terminatus, atque qualitatem mixtionis, qui tamen non ſunt admittendi: igitur dicendum eſt cum Capr. in 1. d. 17. q. 2. ad argumenta 2. Ferrar. 4. cõtra gent. c. 81. §. *alio modo*, Soto 2. phiſic. q. 1. ad 4. Bañeſio primo de generatione cap. 10. q. 4. Iauello in hoc 10. q. 13. cõtraria cõpati formaliter in gradibus remiſsis in eadem parte ſubiecti, ac perconſequens tepiditatem, ſicut & ſanitatẽ & alias huiuſmodi qualitates, non ſimplices ſed compoſitas eſſe ex pluribus formaliter, ſcilicet ex qualitatibus extremis veluti ad medium quoddam à temperatis, vel potius eſſe ipſas extremas qualitates, vt à temperatas & ad gradum remiſsum redactas, alias verò da-

ri

ri medias qualitates simplices ex extremis virtualiter compositas non est negandum, ad quas proprij motus terminãtur, etenim quando subiectum, quod de albo fit nigrũ transit per viride, aut rubeum, alio motu fit viride, aut rubeum, & alio fit nigrum, sicut alia qualitas est color viridis ac rubeus, & alia est nigredo & de vtriusque Philosofus cum Comentatore est proportionabiliter interpretandus, ex quibus patet ad formam confirmationis.

14 Secundo arguitur: nam duæ qualitates contrariæ licèt habeant medium: atque intesibiles ac remissibiles sint, nequeũt esse simul in eadem parte subiecti secundum suas formales rationes: ergo solũ sunt ad medium redactæ: ac proinde ruit prima conclusio. Antecedens probat multis Soncinas vbi supra, nempè q. 12. Primo quidẽ, quia Aristot. lib. 4. huius text. 27. facit hanc conditionalem: si est impossibile vt duo contradictoria sint simul in eodem subiecto, etiam erit impossibile vt duo contraria sint simul in eodem: sed antecedens cõditionalis est verum: ergo & consequens: consequentia patet: nam ex natura rei vnũ contrarium infert negationem alterius: vt si aliquod corpus est album, consequenter non est nigrum: ac proinde cui nequeunt duo contradictoria conuenire nequeunt etiam conuenire duo cõtraria quæ se cum assumunt contradictionem, neque potest, dici philosofum loqui de contrarijs complexis siue logice, nempè de duabus propositionibus contrarijs: nam hæc expositio repugnat contextui: tum quia Comentator illum explicat de contrarijs phisice id est de formis contrarijs: tum quia in contextu assignatur pro ratione huius incompossibilitatis, quod vnum cõtrarium est priuatio alterius, quod de formis ipsis est intelligendum: tum denique: quia contextus vtitur verbo conueniendi, & essendi in eadem, quod est proprium formarum: & non verbo prædicandi de eodem, quod est proprium propositionum. Secundo probatur idem antecedens, quia si calor & frigus se compatiuntur in aliquibus gradibus, id est, remissis & in aliquibus non idest, intensis sequitur dari aliquem calorem mixtum frigori, quo calore nullus intensior posset compari frigiditatem: consequens est falsum: ergo. Consequetia patet, & probatur minor: nam supposito quod sum nus calor nullam compatitur se cum frigiditatem, & quod remissio informis habentibus contrarium fit per ad mixtionem contrarij, quando corpus A. mouetur à summo calore ad illum, quo maior nullã frigiditatem compatitur, mediat tempus, sed in illo tempore medio corpus A. non est sub summa caliditate, alias adhuc esset in termino à quo: ergo est sub caliditate remissa: ac proinde admiscente aliquam frigiditatem: quia remissio non fit nisi per ad mixtionem contrarij: ergo ante quam perueniat ad illam certam caliditatem qua maior nó compatitur frigiditatem, admittit frigiditatem remissiorem remississima: quod est impossibile. Tertio sequitur dari frigiditatem remissiorem remississima: consequens est impossibile: ergo: sequela patet: nã frigiditas remississima (quæ dabilis est siue in fine motus remissionis, siue de potentia absoluta Dei) admiscet aliquem calorem, verbi gratia, vt septem: aut igitur potest admiscere maiorem calorem, verbi gratia, vt octo, aut non: si secundum habemus intentum, si primum: ergo illa frigiditas erit remissior quam remississima, eo quod tanto minor est frigiditas, quanto magis admiscet de suo contrario. Quarto probatur: nam duæ qualitates mediæ verbi gratia rubedo & viriditas nequeunt compati simul in gradibus intensis, alias subiectum idem simul esset, viride & non viride. Sed magis contrariantur colores extremi etiam remissi, quam colores medij intensi: ergo si isti incompatibiles sunt à fortiori & illi. Confirmatur primo: nam sequitur posse idem subiectum simul contrarijs motibus moueri: consequens est falsum: ergo & antecedens, sequela patet: nam motus contrariantur ex terminis, & propter illorum contrarietatem: ergo si non obstante contrarietate qualitatum, verbi gratia, caloris & frigiditatis possunt esse simul in eodem subiecto: dum altera expellitur, & altera introducitur motus contrarij ad qualitates huiusmodi terminati maximè in gradibus remissis poterunt esse simul, & sic idem corpus poterit simul frige fieri & calefieri. Minor autem probatur: quia frige fieri est recedere à calore & calefieri est accedere ad calorem: accessus autem & recessus respectu eiusdem sunt prorsus incompatibiles: & quia Philosophus 5. phisicorum, text. 53. parificat motuum contrarietatem, contrarietati motus & quietis. Sed motus est incompatibilis cum quiete respectu eiusdem: ergo & motus contrarij erunt incompatibiles. Confirmatur secundo, ex testimonijs Doctoris Angelici & Commentatoris,

toris, qui docent, contraria habentia medium in illo medio ſimul reperiri non actu, ſed virtute ſolum, eo quod medium ſolum in potentia continet extremas qualitates, Diuus enim Thomas in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 4. ait, quod in minus albo nihil eſt nigredinis formaliter, licèt ibi ſit minus albedinis: Commentator etiam primo phiſicorum commento 56. quarto huius commento 27. & in hoc 10. commento 7. id ipſum expreſsis verbis videtur atteſtari. Vnde in commento 23. huius libri ſic concludit: *in compoſito inuenitur ex altero contrariorum magis, & ex altero minus, non ſimpliciter, ſed aliquo modo, ideſt, in potentia &c.* Ad hoc argumentum reſpondetur cum Capreolo vbi ſupra prænotando duo: primum eſt, quod contraria ad inuicem actiua & paſsiua poſſunt ſimul eſſe formaliter in gradibus remiſſis. Alterum tamen illorum ſemper alteri prædenominari debere: prima pars patet ex Diuo Thoma qui 1. p. quæſt. 76. art. 4. ad 4. ſic ait: *formæ elementorum manent in mixto, non actu ſed virtute manent enim qualitates propriæ elementorum, ſed remiſſæ, in quibus eſt virtus elementalium formarum*, & huic teſtimonio conſonat aliud eiuſdem Sancti Doctoris, quod habetur in 4. diſtinct. 44. quæſtione 1, artic. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. vbi ait in hæc verba: *Sicut qualitas ſimplex, non eſt forma ſubſtantialis elementi, ſed accidens proprium eius & diſpoſitio per quam multipliciter efficitur propria tali formæ: ita illa forma mixtionis, quæ eſt qualitas reſultans ex qualitatibus ſimplicibus ad medium venientibus, non eſt forma ſubſtantialis corporis mixti, ſed eſt accidens proprium*: & idem habet 4. contra gentes cap. 81. in quibus teſtimonijs, haut obſcure faretur Diuus Thomas, elementorum qualitates formaliter in mixto, ſecundum gradus remiſſos conſeruari. Secunda pars oſtenditur ex eodem Sancto Doctore in loco citato inter arguendum, ex ſecundo ſententiarum diſtinctione 19. & diſtinctione 15. quæſtione 2. artic. 1. aſſerenti, quod dum contrariaria ſunt ad inuicem actiua neceſſe eſt alterum alteri prædominari, eo quòd ſemper vnum agit, ſiue nititur aduerſus alterum: & licèt cum frigiditas expellitur à ligno & calor introducitur continuo à non gradu, vſque ad ſummũ gradum caloris in aliquo temporis momento calor & frigiditas ſint in gradibus æqualibus, nempè ambo, vt quatuor, hoc eſt in medio ſuarum latitudinum: tamen in illis gradibus non datur ſtatus, ſiue permanentia, neque illa ſimultas erit, niſi in via & potentialis: quia in omni mixto, ſecundum eſſe quietum opportet vnum ex contrarijs prædominari, dato tamen, quod ibi eſſet ſtatus, & quod aliquod ſubiectum haberet medium gradum latitudinis caloris, & medium latitudinis frigiditatis, tale ſubiectum, neque eſt calidum, neque frigidum: ſed medio modo ſe habens, ſiue tepidum, ſicut neque ſubiectum habens in æquali gradu albedinem & nigredinem eſſet album & nigrum, ſed diceretur medio modo ſe habens, vel diceretur album in potentia, ſiue nigrum in fieri & in via. Secundus eſt quod qualitates contrariæ in aliquibus gradibus formaliter compatiuntur. Secus vero in alijs, cuius ratio eſt: quia incompoſsibilitas coexiſtendi in eodem ſubiecto oritur ex diſtantia, ſiue formarum, ſiue graduum vt dictum eſt, vnde illi gradus, qui ſumme diſtant compati, non poſſunt, illi autem qui citra ſummum diſtant poſſunt compati proportionabiliter, ſecundum quod magis aut minus ſummis gradibus apropinquant, & quia ſummus gradus caloris, verbi gratia, maximè diſtat à latitudine frigiditatis ideò vbi eſt ſummus gradus caloris, ibi nihil eſt de latitudine frigiditatis, ſed eſt non gradus frigoris, & è contra, vbi eſt ſummus gradus frigoris eſt non gradus caloris, & proportionabiliter, quanto calor eſt promixior ſummo gradui, magis diſtat à ſummo gradu frigiditatis, & minus diſtat à non gradu frigiditatis, & à gradibus proximis non gradui: ac proinde compatietur tales gradus, ſecundum dictam proportionem, verbi gratia, ſummus gradus frigiditatis, qui eſt vt octo nullum gradum caloris ſecum compatitur, ſed eſt ſimul cum non gradu caloris, & frigiditas, vt ſeptem compatitur cum primo gradu caloris & frigiditas, vt ſex cum calore, vt duo, & ſic quanto minor fuerit frigiditas, maiorem ſecũ calorem compatietur. His ſupoſitis ad formam argumenti, nego antecedens, ad primam probationem, quod Ariſtoteles loquitur ibi de contrarijs in eſſe completo: atque in illis gradibus in quibus maximè diſtant, & habent tamen incompoſsibilitatem coexiſtendi in eodem ſubiecto ortam ex gradibus, ſicut enim duo condictoria: ita & duo contraria ſic accepta per naturam nequeunt eidem ſubiecto conuenire. Ad ſecundam

reſpondetur prænotando ex Diuo Thoma 1. 4. diſtinctione 17. quæſtione 1. artic. 5. quæſtiuncula 3. quod triplex eſt modus formarum, quædam enim ſunt, quæ non ſuſcipiunt magis nec minus, ſicut ſunt figuræ, formæ numerorum & formæ ſubſtantiales, aliæ vero ſunt quæ ſuſcipiunt magis & minus per aproximationem maiorem & minorem ad ſuam cauſam, & non ſecundum elongationem, aut admixtionem ſui contrarij, qua ratione augentur, charitas, gratia, & lux, abſque admixtione contrarij, eo quod non ſunt miſcibiles ſuis oppoſitis, aliæ denique ſunt, quæ recipiunt magis & minus, ſecundum elongationem à contrario, & à proximationem, ſimul ad cauſam, quia miſcibiles ſunt tales formæ ſuis contrarijs, non quod in hac elongatione aut mixtione conſiſtat earum intenſio, vel remiſſio: hanc enim docuimus in maiori vel minori radicatione conſiſtere, ſed quia dum huiuſmodi qualitates magis aut minus radicantur, magis aut minus admiſcent de qualitatibus contrarijs. De qualitatibus igitur tertij generis debet argumentum procedere, alioquin tamen falſum ſupponeret ſi vellet arguens in illo, omnem qualitatem ſuſcipientem magis aut minus, intendi aut remitti cum maiori aut minori admixtione contrariæ qualitatis. Quo ſuppoſito admittimus dabilem eſſe calorem, quo maior nullam compatiatur frigiditatem, ſcilicet calorem vt ſeptem: tamen quia motus incipit per vltimum non eſſe, quando eſt verum dicere in remiſsione caloris vt octo: nunc non eſt calor vt octo: ita erit aliqua frigiditas non ſignata, ſed ante quancumque ſignatam erit alia & alia minor: gradus namque iſti â nobis ſignati in latitudine qualitatum contrariarum etiam in ſe diuiſibiles ſunt & habent latitudinem, quæ per motum incipit intendi à non gradu, vſque ad ſummum & incipit remitti à ſummo gradu, vſque ad non gradum: ſicut igitur non datur minima frigiditas in diuiſibilis per primum ſui eſſe incipiens: ita nec datur maximus calor indiuiſsibiliter deſinens per vltimum ſui eſſe: ſed vltimum eſſe ſummi caloris eſt vltimum non eſſe frigiditatis in caſu poſito, poſt quod inſtans, ſicut eſt motus: ita iam non eſt ſummus calor, ſed minor ſummo & eſt permixtum cum aliqua frigiditate. Ad tertiũ negatur ſequela: quia per motum non peruenitur ad frigiditatem remiſſiſsimam quæ deſinat per vltimum ſui eſſe: ſed peruenitur ad non gradum frigiditatis, at citra non gradum nulla eſt ſignabilis adeò minor, qua non poſſit eſſe alia minor, cum calore compatibilis: ſi tamen fuerit vt vnum, compatietur gradũ ſeptimum caloris, tamen quia gradus ille eſt diuiſsibilis & habens latitudinem intra illum poterit dari maior & minor frigiditas compatiens ſe cum magis aut minus de octauo gradu caloris, qui eſt etiam diuiſsibilis. Ad quartũ negatur conſequentia; nam calores medij intenſi habent eſſe completum & tribuunt denominationes ſuas ſubiecto, calores vero extremi remiſi haberent eſſe incompletum: ac proinde non tribuerent contrarias denominationes ſubiecto. Vnde licèt magis iſti quam illi opponantur quoad ſpecificam contrarietatem: non tamen quantum ad incompoſsibilitatem ſimul exiſtendi ex gradibus prouenientem. Ad primam confirmationem nego ſequelam: quia motus licèt habeat latitudinem extenſiuam, non tamen intenſiuam: ſed modo indiuiſibili actuat ſubiectum, & per conſequens denominat ſubiectum tale mobile, quale quidem aptum eſt denominari: per quemcunque enim motum localem dicitur ſubiectum moueri localiter, & per quemcunque aſcenſum dicitur aſcendere, & licèt contrarietas motuum â terminis prouenial, quia non prouenit ab eis formaliter extrinſece, non oportet quod eandem habeant incompoſsibilitatem eodem modo termini ipſi, atque motus, cum cauſa formalis obiectiua poſſit tribuere ſpecificato, quod non habet in ſe formaliter. Poteſt etiam dici, quod ſicut qualitates, verbi gratia, caloris & frigoris in eſſe incompleto compatiuntur: ita etiam motus ad illas in eſſe incompleto poſſunt compati, verbi gratia, motus calefactionis, vſque ad calorem vt quatuor & motus frigefactionis, vſque ad frigiditatem vt quatuor, ideſt, vſque ad gradus compatibiles eidem ſubiecto poſſunt conuenire ſi duobus contrarijs agentibus aplicetur: ſi tamen motus eſſent ad gradus equales: neuter illorum ſubiectum denominaret ſimpliciter, ſed ſecundum quid & incomplete vterque denominaret illum: ſi tamen alter motus, verbi gratia, calefactio, induceret quinque gradus caloris, & frigefactio tres frigiditatis, quia ille prædominaretur, denominaretur ſubiectum ab illo ſimpliciter calefieri:

fieri: & ab hoc diceretur, ſecundum quid frige fieri. Ad ſecundam reſpondetur, quod Diuus Thomas nihil nigredinis dixit eſſe in minus albo: quia nigredo ibi exiſtens habet eſſe incompletum & inſufficiens denominare ſubiectum & ideò in conſpectu albedinis prædominantis, nequit dici nigredo, Ad Commentatorem vero dicitur, quod potius eſt pro nobis: nam ſolum vult omne medium eſſe compoſitum ex contrarijs non ex æquo, ſed in æqualiter. Ex altero quidem magis vt prædominante, & ex altero minus, vt non prædominante: ex quo demonſtrat contra Gallenum impoſsibilem eſſe complexionem mediam in extremis contrarijs: quia alias poſſet dari compoſitum ex ipſis extremis abſque eo quod accideret eis tranſmutatio & diminutio, quod eſt impoſsibile. Sed aduerto ex hoc teſtimonio non colligi omnia media eſſe compoſita formaliter ex contrarijs: licèt omnia compoſita ex contrarijs actu & formaliter ſint media vt videtur colligere & ſentire Capreolus vbi ſupra in ſolutione ad octauum Adæ: ſed ſolum licèt colligere omnia media componi ex contrarijs, & è contra omnia compoſita ex contrarijs eſſe media & in omni medio inueniri incomplete contraria extrema & magis de vno quande altero: diuerſimode tamen vt ſupra inſinuaui: alia enim ſunt media actu compoſita ex extremis non dum perfectè per mixtis, & ideo comentator ſubdidit aliquo modo reperiri contraria in medio, vt denotaret illa in aliquo medio virtute dumtaxat, & in potentia reperiri, idem expreſſe dixerat quarto huius commento 27. inquiens: *duo contraria habentia medium ſunt in ipſo medio in potentia*, & primo phiſicorum commento 56. ait quod colores, extremi ſunt in colore medio non tamen actu puro, neque in potentia pura: ſed medio modo inter potentiam, & actum remiſſa autem nigredo actu eſt nigredo. Rurſus aer eſt grauis & leuis teſte philoſopho lib. 4. de cœlo & mundo, & tamen nequit eſſe ſimul grauis & leuis, per duas qualitates diſtinctas formaliter, neque per mediam compoſitam actu ex vtraque, eo quod teſte philoſopho 2. de generatione textu 16. in elementis, tantum ſunt primæ & ſimplices qualitates: ergo eſt leuis & grauis per qualitatem ſimplicem præhabentem virtualiter vtranque. Denique: quia alias colores medij non eſſent entia per ſe: ſiquidem eſſent compoſiti ex duobus entibus in actu: ac proinde hæc eſſet falſa propoſitio *rubedo eſt per ſe & eſſentialiter color*, & hæc *viride eſt color*, non eſſet generis de ſua ſpecie: quod tamen abſurdum videtur eſſe, qua propter hac in parte ſubſcribendum eſt Soncinati vbi ſupra qui quæſtione 21. ex acte probat dari media compoſita virtualiter tantum ex contrarijs extremis: quatenus vero velle videtur, hoc verificari de omni medio in quæſtione 22. & nunquam contraria actu ſimul inueniri, recedendum eſt ab illius ſententia & ad hærendum modo tertio dicendi ſupra relato, qui inter vtrunque modum extremum, medium tenet. Quod ſi inquiras an calor debeat diuidi per duas differentias ſpecificas dumtaxat, ſcilicet albi & nigri, vel per tres ſcilicet albi & nigri: atque coloris medij? Reſpondet Soncinas in quæſtione 20. omne genus ſolum diuidi duabus oppoſitis differentijs quarum, vel vtraque conſtituit ſpeciem ſubalternam, ſicut cum diuiditur viuens inſenſibile, & in inſenſibile, vel altera conſtituit ſpeciem ſpecialiſsimam, & altera ſubalternam vt cum diuiditur animal in rationale & irrationale, & ideo cum diuiditur color, debet diuidi altero ex hijs modis: non ſecũdo: quia habet ſub ſe colores medios: ac proinde diuiditur primo modo in album & nigrum comprehendendo ſub albo, rationem albi abſtrahentem ab albo formaliter tali, & ab albo virtualiter tali reperto in colore medio habente prædominationem albedinis, & ſimiliter comprehendo ſub nigro formale & potentiale nigrum. Vnde rubedinem & albedinem proximè non in genere coloris, ſed in ſpecie ſubalterna albi ait conuenire, & ideo reſpectu illius generis proximi contrariantur: reſpectu vero generis coloris vt ſic ſolum contrariantur albedo actualis & nigredo impermixta, quia ſunt maximè diſtantes ſpecies in illo genere. Flandranſis vero vbi ſupra ſcilicet, quæſt. 10. artic. 1. dicit media eſſe eiuſdem generis, cum extremis & poſteâ ar. 2. §. *conſiderandum eſt* 10. ait dupliciter poſſe intelligi cõpoſitum colorem medium, verbi gratia, primo modo quod ſit compoſitus ex vno extremo, ideſt, ex nigro vel ex albo tantũ vt ex genere & ex ſua particulari differentia, & tunc medios colores non eſſe proximè ſub genere coloris. ſed ſub genere coloris albi aut nigri in quo dicto conſentit cũ Soncinatis ſententia, ex quo illud non reicit.

reicit. Secundo modo quod ſit compoſitus color medius ex vtroque extremo, gaudens propria, & peculiari differentia, & iuxta hũc modũ videtur ſub obſcure inſinuare quod color medius ſit eiuſdem generis proximi, cũ extremis, & non eſt inconueniens aliquod genus diuidi immediate per plures quã per duas differentias, quando inter duas differẽtias maxime diſtantes datur medium de vtraque virtualiter participans.

15 Tertio arguitur principaliter: duæ formæ ſubſtantiales nõ poſſunt eidẽ materiæ primæ ſimul cõuenire, & nõ alia ratione niſi quia ex ſuis rationibus ſpecificis cõtrariantur: quo pacto duæ differentiæ diuiſiuæ eiuſdẽ ſubſtantialis generis nequeunt eidẽ conuenire, quia differentiæ opponuntur contrarie, & vna alterius priuationem dicit, ſed etiã ex duobus contrarijs intenſibilibus, v. g. albedo, & nigredo, vnũ alteri ex ſua ratione ſpecifica cõtrariatur, & ambo differentijs diuiſiuis immediate coloris ac contrarijs conſtituuntur: ergo neque in gradibus remiſis poſſunt eſſe ſimul. Confirmatur: minus opponuntur viri, & fœminæ conditiones ſubſtantiales, & indiuiduales, quam differentia albi, & nigri, ſicut & diſtinctio illarũ eſt maior, quam iſtorũ: etenim vir, & fœmina non ſpecie, ſed ſolo numero diſtinguntur teſte Philoſopho in hoc lib. cap. 11. albũ autem, & nigrũ ſpecie differũt quæ eſt maior diſtinctio, quam numerica, & tamen nequit naturaliter eidem ſubiecto diuerſus ſexus nempe, viri, & fœminę conuenire: ergo neq; actuales differentiæ albedinis, & nigredinis etiam in gradibus remiſis poterunt eidem ſubiecto ſimul conuenire. Ad hoc argumentum reſpõdetur negando primam partem minoris nõ enim ratio adęquata incõpoſibilitatis duarũ formarũ ſubſtantialiũ eſt ſola formalis contrarietas, ſed eſt talis contrarietas videlicet contrarietas talium formarum quarũ quælibet in indiuiſibili conſiſtit, & indiuiſibiliter dat eſſe ſuo ſuſceptibili atque ei indiuiſibiliter inexiſt, & tales ſunt formæ ſubſtantiales, ſi enim plures informarent eandem materiam quælibet eſſet æque actualiter dans eſſe atque ſimpliciter conſtituens, & denominans ſubiectũ conſtitutum, neque vna eſſet intenſior, & altera remiſſior ſicut in accidentalibus formis contingit. Quoad ſecundam partem minoris de ſpecificis differentijs ſubſtantialibus idem eſt dicendum. Pro cuius maioris intelligentia videdus eſt ſi per tempus licuerit Soncinas, quæſt. 24. vbi expro feſſo explicat oppoſitionem, quæ inter differentias perſe alicuius generis verſatur, concluditque non eſſe contradictoriam; cum nulla illarum ſit non ens, neque eſſe relatiuam, quia vna ad aliam non refertur, neque eſſe priuatiuam, quia nulla illarum conſiſtit in ſola priuatione: licet verum ſit quod vna nempe illa quæ minus perfecta eſt, fundet priuationem alterius, & illam importet in obliquo, ac proinde eſſe oppoſitionem contrariam eo quod incompoſibilitas earum ſimul eidem conueniendi ex aliqua oppoſitione oriri debet quæ nequit eſſe alia niſi contrarietas. Hæc autem contrarietas, aut eſt perfecta videlicet quando eſt maxima diſtantia formarum eiuſdem generis inter quas eſt cõtinua tranſmutatio, & hæc in ſolis qualitatibus locum habet, aut eſt imperfecta, & analogice talis prout maxima diuerſitas ſiue diſtantia formarum eiuſdem generis, & mutuo ſe expellentium, ideſt aquarum vna non venitur ad aliam per formalem, & continuum motum, & hæc locum habet indifferentijs ſubſtantiæ, & quantitatis: ſubſtantiæ quidem, quia ſubſtantiæ proprie nihil eſt contrarium, dum enim materia prima ab vna forma ad alteram tranſmutatur, non fit ibi continuus motus inter formas ſubſtantiales per alicuius medij adquiſitionem, ſed immediate formæ terræ poteſt ſuccedere forma ignis, quantitatis vero: nam aſignato quocunq; numero poteſt dari maior, & data quacunq; diſtantia locali poteſt dari maior, & dato quocunq; cœlo poteſt creari aliquod ſuperius: ac proinde nõ eſt dabilis maxima diſtantia, &c. Quæ proſequitur Soncinas in hanc ſententiam. Ad cõfirmationem reſpõdetur, primo negãdo maiorem: nam ſi virilis ſexus, & fœmineus cõparentur ad proprium genus, ſcilicet ad ſexũ: etiam ſunt diferentiæ ſpecificæ, & eſſentiales, & differũt ſpecie, ſi autem cõparentur ad ſubiectũ, ſic ſolũ faciunt numericam diſtinctionem. Reſpondetur ſecũdo negando minorem: nam in hermafrodito vterque ſexus reperitur, & aliquando, ita exæquo, vt neuter prævaleat, ac proinde incapax eſt matrimonium contrahere adeo vt iuramento ſe aſtringat, ſe de inceps nõ altero ſexu fore vſurum præter quam ſemel electo, de quo videndum eſt vtrumque ius: ciuile quidem in lege *quæritur*. 10. ff. de ſtatu hominum, & lege *ſi plures*, ff. de pactis: Canoni cum vero in capit. *præsbiteros*, 16. quæſt. 1. & capit. *diuerſis*, de clericis coniugatis.

16 Quarto arguitur contra vltimam concluſionem: nam qualitates contrariæ ſpirituales animæ nequeunt eſſe ſimul in anima: ergo falſa eſt vltima concluſio, ſi vniuerſalis ſit. Antecedens probatur: nam habitus ſcientificus, & erroneus de eadem concluſione, inimicitia, & charitas de eodem obiecto nequeunt eidem animæ ſimul conuenire, alias ſimul accederet, & recederet ab eodẽ obiecto, anima ſuis affectibus: quod non minus repugnat, quã

per motum localem idē corpus ad eundē locū ſimul accedere,& recedere ab illo. Deniq; nā teſte Philoſ.4.huius tex.27.impoſibile eſt eūdē oppinari duas contradictorias eſſe veras ſimul eò quòd impoſibile eſt eundem habere ſimul cōtrarias oppiniones:oppiniones autē de cōtradictorijs ſunt contrariæ qui diſcurſus in hoc fundatur,quod cōtraria immediata nō poſſunt in eſſe ſimul eidē:ergo. Reſpōdetur negā do antecedens,ad cuius probationē fateor aliquas illarū qualitates,ſcilicet actuales eſſe incōpoſibiles,ſecus tamē habituales:nā ſicut qualitates corporeæ in gradibus remiſis cōpatiuntur in eodē ſubiecto,ita ſcientia,& error;odiū & charitas habitualiter de eodē:eò quòd ſunt in habitu veluti in potētia,& in perfecte, neq; propterea ſimpliciter denominabitur homo ſciens,& errans,vollens,& nollens,quia ſicut qualitas in gradu remiſo non ſufficit denominare ſubiectū:ita iſtæ qualitates quādiu ad actū ſecundū non perueniunt non ſufficiunt ſimpliciter denominare ſubiectū: maxime quando ab actu ſecundo ſunt impeditæ, vt re vera eſt erroneus habitus durante aſenſu ſcientifico,&c. Actus vero horū habituū fateor eſſe impoſibiles.ſic patet ad primā & ſecundā antecedentis probationē. Ad tertiā dico Philoſophū ibi propterea negare,quod aliquis ſimul actualiter oppinari poſsit duo cōtradictoria vera, eò quòd tūc haberet in actu cōpleto cōtrarias oppiniones, a quibus ſimpliciter denominaretur, & alias vnus aſſenſus eſſet verus, & alius falſus,& ſic intellectus ſimul eſſet adæquatus, & inadæquatus eidem obiecto;adæquatus per afirmationē, v. g. verā, & inadæquatenus per negationē falſam: hoc autē eſt impoſibile, ſicut quod ſimul dato erroris aſsenſu, & aſſenſu alio fidei attingat eandē concluſionē: poteſt etiā intelligi Philoſophū loqui de impoſibilitate naturali: naturaliter enim nequit fieri vt idē intellectus ſimul iudicet vnico aſſenſu vero omnē hominē eſſe animal & alio cōtradicto rio & falſo,aliquē hominē nō eſſe animal:tamē de potentia Dei abſoluta nō eſt impoſibile eū dē intellectū ſimul cōtrarios aſſenſus de duabus cōtradictorijs habere nēpe illos duos proxime aſignatos, eo quod tūc ſolū eſt inter illos oppoſitio cōtraria,qualis inter calorē, & frigiditatē in gradibus intenſis,& nihil admiſcetur priuatiuæ oppoſitionis intrinſice,ſicut admiſcetur inter fidei,ſcīētiæ, & oppinionis aſſenſus de eadē cōcluſione;propter certitudinē,claritatē,& formidinē in hijs aſsenſibus incluſas, qua etiā de cauſa puto habitus ipſos ſcientiæ, fidei,& oppinionis,de eadē veritate nō poſſe cōpati,quia ſicut habituales quædā inclinationes ſunt ad aſſenſus oppoſitos priuatiue,ita ipſam priuationē inuolunt,ſecū aliterq; inclinationibus ad motus cōtrarios cōtingit: nā licet motus aſcēſus,& deſcēſus localis reſpectu eorūdē terminorū,nequeant eidē corpori ſimul, & pro eodē tēpore cōuenire, quia aſcenſus dicit intrinſice receſum â loco inferiori, ad quē deſcēſus eſt acceſus:receſus autē ſaltē in obliquo dicit priuationē acceſus, & cōſequenter ſaltē virtualiter, & quantū ad conotatos modos opponuntur priuatiue, & non ſolū contrarie,tamen grauitas,& leuitas quę ſunt principia horū motuū, & quædā habituales inclinationes, & propenſiones ad huiuſmodi motus poſſunt de potentia abſoluta Dei eidē corpori ſimul conuenire, ita vt ſimul de potentia abſoluta ſit hoc corpus graue, ideſt, propenſum naturaliter ad deſcenſum, & ſimul dicatur leue,ideſt,propenſum ad aſcenſum per comunicatā ſibi miraculoſe leuitatē. Quod ſi dicas:ex hoc ſequi,idē poſſe etiā â Deo ſuſcipere oppoſitas relationes,v.g. Paternitatis,& filiationis,menſuræ ac menſurati reſpectu eiuſdē,conſequens eſt falſum:ergo. Sequela patet ex eo quod relatio adæquationis,& inadæquationis,veritatis,ac falſitatis,poſſunt eidē intellectui ſecundū diuerſos aſenſus conuenire:& ſimiliter habitus, & actus cōtrarij immediate poſſunt ſimul cōpati in eadē potentia,quorū oppoſitio cū cōtraria ſit nō eſt miōr, ſed maior,quā relatiua,neq; oppoſitæ relationes poſſunt eidē conuenire. Nihilominus hoc nō obſtat dictis:nā oppoſitio relatiua:minor licet ſit, quā cōtraria: petit tamen ex parte ſubiectorū, in quibus reperitur realē diſtinctionē extremorū,qualis inter generans, & genitū,menſurā, ac menſuratū,debet reperiri, & quia hæc nequit etiā per Dei potentiā eidē ſubiecto conuenire ideo repugnat, vt idem homo ſit filius ſui, & vt idē effectus menſuretur â ſe ipſo, ſicut repugnat quod idē realiter non ſit cū ſe ipſo. Diſtinctio enim realis, quā petit relatiua oppoſitio in ſubiecto aducit intrinſice negationē identitatis realis ac per cōſequens inuoluitur cōtradictio in hoc quod idē ſibi ipſi opponatur relatiue,quia eſſet idē ſibi, & nō eſſet idē ſibi ipſi. Dices etiā inadæquatio intellectꝰ ad rē includit negationē adæquationis: idem enim eſt intellectū eſſe inadæquatū obiecto atque nō eſſe adæquatū:ergo inuoluitur cōtradictio in hoc quod idē intellectus per vnū aſenſum adęquetur obiecto,& per aliū ſit eidē obiecto in adęquatꝰ,ſed neq; hęc obiectio cōuincit: nā in adæquatio, licet per negationē explicetur;tamē eſt poſitiua relatio falſitatis ſeu inadęquationis ſecūdū quod intellectus iudicat aliter quā ſe res habeat,& hæc ſolū cōtrarie, vel quaſi cōtrarie opponitur relationi adæquationis, & licet reſpectu eiuſdē â ſeꝰ in adæquatio dicat negationē adęquationis:ac per cōſequēs implica-

implicatio sit in eodem à sensu simul vtramque reperiri, tamen respectu diuersorum assensuum illam non dicit, sicut æqualitas & inæqualitas eidem secundum eandem qualitatem respectu alterius per nullam potentiam possunt conuenire: bene tamen si miraculose haberet duas qualitates, verbi gratia si Petrus haberet duas albedines: alteram æqualis intensionis cum albedine Pauli, & alteram minoris: secundum illam esset Paulo æqualis; & secundum hanc esset illi inæqualis, quia inæqualitas non excludit æqualitatem nisi respectu eiusdem subiecti, & eiusdem formæ. Rursus molle, & durum etiam si per contradictoriam oppositionem declarentur, & definiantur: teste enim Philosopho. 4. meteororum, text. 30. & 3. de cœlo, text. 1. durum est quod non cedit secundum superficiem, molle autem est quod facile cedit secundum superficiem tangenti, cedere vero, & non cedere cõtradictoria sunt, & tamen duricies, & mollities possunt eidem subiecto per diuinam potentiam conuenire, ne dum in gradibus remissis, sic enim naturaliter possunt compati, vt bene notat Capreolus in loco præallegato in solutione ad 3. Gregorij, quia affirmatio, & negatio non sequitur ad illas in esse incompleto, remisso, ac diminuto. Vnde neque duricies remissa tribueret subiecto negationem cedentis, neque remissa mollities tribueret denominationem cedentis, si autem altera illarum esset in gradu intenso, & altera in gradu remisso, illa tantum haberet in subiecto denominationem; verum etiam in gradibus intensis vtraque potest eidem corpori conuenire absq; eo quod affirmatio, & negatio seu contradictoria oppositio ad illas consequeretur: nam vt notat recte Capreolus, licet diffinitiones talium qualitatuum affirmationem, & negationem claudere videantur, hoc non est, quia illæ qualitates sunt contradictoriæ, aut priuatiue oppositæ essentialiter cum formæ positiuæ reales sint, sed quia diffinitiones huiusmodi dantur per effectum diffiniti, scilicet cedere, & non cedere comprimenti, neque etiam non cedere est effectus duritiei, sed explicat per circũloquutionem effectum eius, effectui mollitiei contrarium, haut dissimiliter inæqualitas seu in adæquatio pro relatione supponit, quam tamen per negationẽ consequuntur circumloquimur. Vnde intellectus habens hos duos à sensus de contradictorijs propositionibus, omnis homo currit, aliquis homo non currit, esset adæquatus, & inadæquatus positiue, hoc est verus & falsus, nõ tamen esset non adæquatus, quia remoueret Deus &c. impediret sequelam talis negationis, vel vt dictum est esset non adæquatus secundum alium assensum, quod non est inconueniens, neq; aliqua contradictio: quia contradictio debet esse eiusdem de eodem & secundum idem, neq; mirum est quod de duabus cõtradictorijs habeat simul intellectus contrarios assensus de potentia Dei absoluta; siquidẽ de duabus contrarijs, v.g. de hijs, omnis homo currit, nullus homo currit, potest simul habere duos assensus falsos per diuinam potẽtiam, quod si in eodem instanti in quo illos assensus habet, omnes homines currerent, assensus affirmatiuæ transiret de falso in verũ, & sic iam simul idem intellectus, circa idem obiectum esset verus, & falsus, adæquatus, & inadæquatus: ac per consequens sicut de contrarijs propositionibus: ita de contradictorijs quæ ex illis inferuntur poterit assensus habere cõtrarios. Sed vt hæc doctrina amplius patefiat quæ prima facie difficilis, & obscura est: sequuntur quintum, & vltimum argumentũ, quod eo tendit vt probet, neq; duos assensus contrarios, neq; duos affectus contrarios voluntatis, siue apetitus, vt assensum falsum, & verum, amorem, & odium, tristitiam, atq; delectationẽ, de eodem obiecto, posse simul in eadẽ potentia reperiri. Quinto arguitur principaliter; nam per nullã potentiã potest quis simul moueri duplici motu locali contrario, scilicet sursum, & de orsum, eo quòd motus vnus est accessus ad terminũ respectu cuius alter motus est recessus: sed etiã amor est accessus voluntatis ad obiectũ, & odium est recessus: ergo impossibile est quod voluntas simul moueatur amore, & odio actuali ad idẽ obiectũ secundũ eandem rationẽ, siquidem impossibile est simul idem mobile accedere ad idẽ, & ab illo recedere. Confirma. implicat quòd de eodẽ vere affirmetur, & negetur idem, & quòd eidẽ conueniat simul aliquod bonũ, & talis boni priuatio, sed siquis vellet alicui simul bonũ, & malũ quod est priuatio boni simul ei per respectũ adamantẽ, & odientẽ conueniret bonitas quæ est obiectũ amoris, & priuatio boni quæ est obiectũ odij, sicut si quis simul haberet assensum verũ, & assensum falsũ de eodẽ obiecto, v.g. quod homo est animal, & quod nullus homo est animal, simul per respectũ ad intellectũ huius verificaretur de homine esse animal, & nõ esse animal, quod etiã est impossibile: ergo implicat etiã in eadẽ voluntate esse simul amorẽ, & odiũ eiusdẽ obiecti; atq; in eodẽ intellectu assensum verũ, & assensum erroneũ eiusdẽ cõclusionis, ac proinde duo contraria immediata per nullã potentiã in eodẽ, & respectu eiusdẽ possũt simul reperiri. Respondetur ad argumẽt. prænotando actus voluntatis solũ methaphorice nominibus accessus, & recessus significari: proprie enim

nō sunt nomina affectuū, sed motuum corporalium, & præsertim localium, tamē ad huc, insensu methaphorico, odium dicitur fuga & recessus; non quia non accedat voluntas ad obiectum per odium, tangendo illud sicut tā git per affectum amoris, sed quia accedit ad illud non vt in illo quiescat, & complaceat sibi, sed vt ab illo refugiat, & recedat: motus, ergo localis dupliciter contrariatur, & repugnat, & quia vere esset accessus, & recessus ab eodem, & aliâs corpus idem in duobus locis separatis adequatis esset circūscriptiue, quod contradictionem inuoluit. Hanc tamen non inuoluit, quod duplici affectu voluntas accedat ad idem obiectum: altero complacentiæ, & altero auersiuo, sicut quod aqua simul motu calefactionis, & frigefactionis moueatur, licet naturaliter sit impossibile: non tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam: non enim in ordine ad illam calefactio est expulsio frigefactionis, & hoc supposito ad formam argumenti neganda, vel distinguenda est minor. Ad confirmationem, respondetur aliud esse quod Petro, v.g. in se vere conueniat affirmatio, albi, & negatio albi simul, & aliud quod ego simul dicam Petrum esse album, & Petrum non esse album, similiter aliud esse, quod Petro, v.g. simul conueniat bonum diuitiarū, & carentia huius boni, & aliud quod ego simul habeam vnum actum, quo vellim Petro diuitias, & aliū quo vellim Petro paupertatem, primum quidem fateor esse impossibile: quia esset dare duas contradictorias simul veras, & ponere simul secundum rem formam, & carentiam formæ eiusdem in eodem subiecto. Secundum vero non est impossibile de potentia Dei absoluta, quia non est facere Petrum album, & non album simul secundum se, aut diuitem, & carentem diuitijs â parte rei, sed quoad extrinseci intellectus existimationem, & extrinsicæ voluntatis affectum, & sicut Deus de potentia absoluta potest facere, vt vocaliter ego proferam simul has duas propositiones contradictorias: *Petrus est diues, Petrus non est diues, siue Petrus est albus: Petrus non est albus*: ita potest per eandem potentiam facere, vt quod lingua profert, intellectus interius concipiat, & voluntas affectu prosequatur, non tamen potest ambas propositiones verificare: quia contradictoriæ sunt: vnde neganda est minor confirmationis, vel iuxta dictū sensum explicanda.

QVÆSTIO II.

De priuationis ad habitum impossibili regressu in quatuor articulos diuisa.

QVoniam Phylosophus hic, vt vidimus in argumento huius libri, priuatiuæ oppositionis naturam, ac conditionem elucidat atque cum contraria oppositione, & eius conditionibus comparat: atq; à quibusdam priuationibus ad formas esse trā situm testatur, cap. 6. fiunt enim generationes ex contrarijs, & priuationibus, vt homo ex homine, & luminosus aer ex tenebroso, ex alijs vero non dari regressum experientia cōstat. Ex morte enim nequit homo aduitam naturaliter reuocari, neque cæcus visum recuperare, ideō morem gerentes Methaphysicis, qui in hoc libro de huiusmodi apriuatione ad habitum regressu disputant, quatuor articulos disputandos ellegimus. Primus quidem erit pro intelligentia Aristotelis, in quo sensu à priuatione ad habitum sit regressus, & in quo sit impossibilis. Secundus de substantijs semel corruptis, aut ad nihilum redactis, & tertius de accidentibus similiter, aut corruptis, aut anihilatis, vt quibus de causis huiusmodi substantiæ, aut accidentia post sui desitionem nequeant ad esse pristinum per naturam reuocari, videamus: quartus denique an Deus per suā omnipotentiam â legibus absolutam possit illa eadē numero quæ perierāt reproducere.

ARTICVLVS I.

An ex aliqua priuatione ad formam oppositam sit possibilis per naturam regressus, aut transitus?

16 AD hunc articulum respondeo dicendū aliquas esse priuationes à quibus ad formas oppositas, possibilis est trāsitus, siue regressus, alias vero est à quibus talis transitus, siue regressus est per naturā impossibilis. De hac cōclusione videndi sunt D. Thom. hic lection. 6. Flandrensis, q. 7. artic. 2. & Soncinas, quæst. 19. qui pro eius declaratione aduertunt priuationes esse induplici differentia aliâs quidem puras quæ formaliter in negatione formæ positiuæ in subiecto apto nato consistunt vt cæcitas, & mors, alias vero esse non puras, sed imperfectas in ratione priuandi quæ sunt formæ positiuæ habent tamen anexas priuationes, & defectum, aut infieri, quia ad illum tendunt, vt ægritudo quæ est mors infieri, aut per modum complementi vt peccatum, & falsitas, siue error quæ per deffectum rectitudinis, siue æqualitatis complentur, aut fundamentaliter, in quo sensu omne contrarium minus perfectum, & omnis differentia specifica alicuius generis si minus perfecta sit dicitur priuatio alterius perfectioris, quam distinctionem

Quando a priuatione ad habitum non sit regressus per naturā, & quando sit.

nem ſub aliſs verbis aſsignat commentator in hoc decimo commento. 16. dicens omnem priuationem, aut eſſe ſecundum totum, ideſt puram, & perfectam, aut eſſe ſecundum partem, ideſt, quia priuat ſolum debitam perfectionem cauſaliter, ſiue infieri, aut fundamentaliter, vt dictum eſt. Rurſus ſubdunt prædicti authores priuationem puram, ac perfectam de qua præſens articulus controuertitur adhuc fore ſub diuidendam in eam quæ dicit ordinem immediatum ad ſubiectum, & in illam quæ ſolum dicit ordinem mediatum ad ſubiectum, appellatur autem priuatio dicens ordinem immediatum ad ſubiectum illa quæ poteſt conuenire ſubiecto antecedenter ad habitum, & reſpectu cuius ſubiectum indifferenter ſe habet, ita vt tam illa quam habitu oppoſito poſsit affici abſque ordine aliquo, qua ratione, huius generis eſt priuatio lucis reſpectu aeris, qui antecedenter ad lucem, & independenter ab illa potuit eſſe tenebroſus, imo defacto prius fuit hoc medium tenebroſum, quam lucidum, quia in principio mũdi ante lucis productionem terra fuit inuiſibilis, & incompoſita, ideſt tenebris inuoluta: priuatio autem dicens ordinem mediatum ad ſubiectum eſt illa quæ nequit conuenire ſubiecto niſi priusci conuenerit habitus oppoſitus, & huius generis ſunt cæcitas, & mors quæ in ſuo conceptu poſtulant, vt ſubiectum viſum, ac vitam habuerit. Hoc ſupoſito probatur, prima pars concluſionis primo, nam à priuationibus primi generis ad habitum poteſt eſſe tranſitus, & regreſus: poteſt namque aer fieri de tenebroſo lucidus, & ita fit quotidie ſecundum legem ordinariam dum per acceſum ſolis hæmiſpherium à tenebris repurgatur. Similiter luna dum in eclipſi per vmbræ terræ interpoſitionem inter ipſam, & corpus ſolare in cauda, & capite draconis lucis defectum patitur, veram ac perfectam de qua eſt ſermo præſens contrahit priuationem: & tamen ſtatim per naturalem curſum ſui motus terræ vmbra fugit, ac à tenebris repurgatur: ergo cum hæc repurgatio fiat per quendam tranſitũ ſubiecti prius obſcurati ad lumen, & vt ita dicam tunc regreditur lumen prius amiſum ſaltem idem ſecundum ſpeciem ad ſubiectum aquo prius fuerat excluſum. Dicendum igitur eſt de hiis priuationibus ad habitus fieri de lege ordinaria tranſitum, & regreſum. Secundo probatur: nam peccatum habituale aquo homo tranſacto actu peccaminoſo denominatur peccator, & re vera eſt filius Adæ, aut eſt priuatio gratiæ, aut ſaltem includit maculam exiſtentem in anima ex actu peccaminoſo relictam quæ eſt carentia nitoris gratiæ habitualis, & tamen ſecundum legem ordinariam ordinis gratiæ dum peccator iuſtificatur tranſit ab huiuſmodi priuatione ad gratiam in quo tranſitu fit amiſſæ iuſtitiæ, atque gratiæ recuperatio: ergo fit regreſus à priuatione ad habitum. Tertio probatur à priori eadẽ concluſionis pars: nam inter priuationes habentes ordinem immediatum ad ſubiectum, & habitus ei oppoſitos eſt dabilis mutua tranſmutatio eo quod poteſt ſubiectum indifferenter ab vno ad alterum, & è contra tranſire, cum non ſit ordo inter huiuſmodi priuationes, & formas oppoſitas neceſſario præſcriptus â natura, ſed vbi eſt mutua tranſmutatio ſecundum naturam poteſt, & debet etiam ſecundum naturam eſſe tranſitus ab vno extremo ad alterum & è contra: ergo etiam à priuatione huiuſmodi ad habitus, ſiquidem ſunt extrema mutuæ tranſmutationis. Secunda pars concluſionis probatur primo: nam à priuatione ſecundi generis, ſcilicet, quæ dicit ordinem mediatum ad ſubiectum, ideſt mediante forma, & habitu prius conuenienti nequit fieri tranſitus per naturam: nequit enim mortuus aduitam, aut cæcus aduiſum reuocari: ergo aliquæ ſunt priuationes, aquibus nequit fieri per naturam tranſitus ad habitus, & formas oppoſitas. Antecedens probatur: nam in ſubiectum tali priuatione affectum nequit induci forma oppoſita per vnicum motorem, aut per vnicam tranſmutationem; ſed per multos motores, & per multas tranſmutationes: etenim naturaliter loquendo vt cadauer in ſe recipiat vitam oportet quod eius materia prius ſub forma cadaueris: deinde ſub formis elementorum exiſtat: quod nequit fieri niſi per multos motores, & ex vi plurium mutationum: at quando aliquod ſubiectum naturaliter poteſt ad aliquam formam ex eius negatione tranſire per vnicum motorem hoc eſt, ex vi vnius mutationis; poteſt & debet talem formam adquirere, qua de cauſa album ex vi vnius motus fit nigrum, & materia embrionis per vnicam generationem ad animã rationalem tranſmutatur: ergo cum vita nequeat in materiam cadaueris niſi mediantibus pluribus formis, & tranſmutationibus ordinate ſe habentibus introduci non eſt naturaliter poſsibilis à tali priuatione ad habitum regreſus. Secundo in hoc ſenſu, & de huiuſmodi priuationum genere loquuti fuere Ariſtotel. & commentator in poſt prædicamentis, capit. de oppoſitis vbi aſſerit ab habitu ad priuationem poſsibilem eſſe naturaliter mutationem, â priuatione vero ad habitum impoſsibilem: quod axioma exemplificant ad maiorem abundantiam, & declarationem ſuę mentis in cæcitate, & caluitię, quarum illa eſt

carentia viſus præexiſtentis, vel qui præexiſtere debuerat in ſubiecto: hæc vero eſt carentia capillorum, qui ſemel in capite extiterunt. Tertio nam inter priuationem ſecundi generis, & habitum eſt ordo neceſſario â natura præſcriptus ſecundum quem priuatio ſupponit habitum, & poſt illum, & non aliter poteſt aduenire ſubiecto; ac proinde inter huiuſmodi priuationem, & habitum nequit eſſe mutua tranſmutatio: ergo ex parte alterius debet eſſe non mutua, & cum non ſit non mutua ex parte habitus, qui eſt amiſibilis, & per conſequens ab illo ad priuationem detur naturalis mutatio, vt Philoſophus in loco proxime allegato teſtatur: erit non mutua ex parte priuationis: vnde à priuatione ad habitum non erit poſsibilis regreſus. Confirmatur, & explicatur amplius hæc ratio: nã priuatio ſecundi generis intrinſice in ſuo cõceptu habet eſſe corruptionem habitus, ſibi oppoſiti propterea quod dicit ordinem ad ſubiectum mediante illa v.g. cæcitas in ſuo cõceptu habet quod ſit viſus corruptio, & mors quod ſit vitæ deſtructio, ac proinde ſupponunt formas iſtas vt priores, hoc eſt præſuponunt earum exiſtentiam, vel debitum exiſtendi, & quod ſeclu ſo impedimento daret eis exiſtentiam ante quam priuatio inducere tur, ſicut cæcitas cæci â natiuitate ſupponit in anima debitum habendi potentiam viſiuam, & principiũ dimanationis illius, quod ab extrinſeco impeditũ fuit quo minus viſũ nõ reciperet, & forma corrupta ſemel nequit per naturam reproduci: ergo nequit per naturam fieri huiuſmodi regreſus. Rurſus declaratur: nam in caſu, quod cæcus viſum reciperet, aut reciperet viſum quem amiſsit, & hic idem numero, cum ſemel corruptum ſit nequit per naturam reproduci, aut alium ſimilem, & eiuſdem ſpeciei, cum illo quem amiſit, & hunc nequaquam poteſt per naturam habere, nam omnis habitus cuius cæcitas eſt priuatio debet ipſam præcedere in ſubiecto, cum ipſa non dicat ordinem ad ſubiectum niſi median te forma poſitiua, i deſt, potentia viſiua cuius eſt priuatio, ſed non eſt priuatio huius, aut illius potentiæ viſiuæ, ſed omnis quæ debuit conuenire huic ſubiecto cæco, cæcitas namque Petri, v. g. eſt carentia, & remotio omnis potentiæ viſiuæ aptæ natæ Petro conuenire. Verum enim vero, cum ex eſſentia animæ Petri non ſit apta nata profluere multiplex potentia viſiua, ſed vnica dum taxat, ſcilicet illa ad quam generatio Petri media eius anima indiuidualem ordinem dicebat: ideo hac impedita, proculdubio nulla alia dimanaret naturali fluxu in illa anima, durante impedimento huius, quia ad nullam aliam dicit ordinem niſi ad iſtam, ſi autem remoueretur impedimentum ſeu priuatio, illa potentia dimanaret quæ à principio debuerat profluere, ſed remotio talis impedimenti ad ſolum illũ pertinet auctorem, qui & poteſt miracula facere.

17 Sed contra arguitur primo: nam vel tranſitus eſt poſsibilis de lege ordinaria a priuatione ad habitum in omnibus priuationibus, vel in nullis eſt poſsibilis, ſed in omnibus impoſsibilis: non primum: ergo ſecundum. Minor patet, quia dictum eſt aliquas eſſe, à quibus non eſt poſsibilis tranſmutatio ad formam oppoſitam, & patet ex allato Philoſophi teſtimonio in capite de oppoſitis. Maior verò probatur aparitate rationis: nam omnes priuationes ſunt eiuſdem rationis, quantum ad hoc quod eſt remouere formam in ſuppoſito apto nato, & illius eſſe corruptionẽ: ergo vel omnes ſunt aptæ, vt ab eis fiat tranſitus, vel nullæ ſunt aptæ ad talem tranſitum, in hijs enim quæ ſunt eiuſdẽ rationis, quidquid conuenit vni ſecundum ſe, & ex propriis meritis, debet & alijs conuenire. Confirmatur: nam ab omni forma poſitiua ad eius priuationem poteſt eſſe motus ſaltem deperditiuus; hoc enim genere motus, ſiue mutationis videns, fit cæcus, iuſtus, fit peccator, & viuens, moritur: ergo ab omni priuatione ad eius habitum poteſt fieri motus adquiſitiuus; conſequentia patet, quia ſicut ad habitum ſe habet motus deperditiuus, ita ad priuationem ſe habet motus adquiſitiuus, vtrobique enim eſt habitudo ad terminum aquo, ac proinde per peram diſcrimen aſignatum eſt inter primi, ac ſecundi generis priuationis. Reſpondetur ad hoc argumentum negando maiorem, neque enim omnes priuationes ſunt eiuſdem rationis, ſed potius diuerſæ iuxta diuerſitatem formarum quibus priuant, & iuxta diuerſum modum recipiendi ſubiectum. Vnde cum priuariones ſecundi generis, quæ habent eſſe præexiſtentium formarum corruptiones: tum diuerſas formas; tum diuerſo ordine, & numero ſubiectum reſpitiant, atque priuationes primi generis, neceſſum eſt vt ab illis ſpecie ſubalterna diſtinguantur, ac proinde quod ijs conuenit ex propriis meritis, non debet illis conuenire. Ad confirmationem negatur conſequentia ratio diſcriminis eſt quod omnis forma ſiue habitus rerum corruptibilium eſt amiſibilis per naturam, non tamen omne impedimẽtum ſemel appoſitum eſt per naturã auferibile, ac proinde minus auferibilis erit priuatio ſemel contracta, quando ſuapte natura eſt carentia formæ præexiſtentis, aut quæ debuerat præexiſtere, corrupta enim tali forma nequit per

natu-

naturam reproduci, quæ tamen reproducenda erat vt poſsibilis eſſet, regreſus à priuatione ad habitum per naturam. Arguitur ſecundo, nam ſequitur, ex ſecunda parte concluſionis nullam poſſe fieri mutationem naturalẽ conſequens eſt falſum: ergo. Cõſequentia patet quia in omni mutatione quæ eſt de nõ eſſe ad eſſe, priuatio eſt terminus à quo: abſq; termino autem à quo implicat fieri naturalem, & phiſicam mutationem, vt teſtantur Philoſophus, & commentator. 1. phi. texto 75. Confirmatur: nam philoſophus hic cap. 6. text. 16. aperte fatetur, & pro comperto docet generationes, ſiue mutationes non ſolum fieri ex forma ad priuationem, ſed etiam ex priuatione ad formam ſubijs verbis. *Generationes ipſi materiæ, ex contrarijs ſunt quia aut ex ſpecie, aut ex habitu, aut ex priuatione aliqua ſpeciei, & formæ*; vbi alia translatio ſic legit, *& ſi generationes in materia ſunt ex contrarijs, & generantur ex forma, & habitu formæ aut ex priuatione formæ*, in quibus conſtingui à Philoſopho perſpicimus duas generationes ſiue mutationes. Alteram per quam ſubiectum tranſit à forma ad priuationem, & alteram per quam à priuatione ad formam ſiue habitum tranſmutatur, cui teſtimonio conſonat idẽ Auerrois, & aliud eiuſdẽ Philoſophi 5. phiſicorum, cap. 2. aſſerentis dari mutationẽ naturalem, quæ fit de nõ ſubiecto in ſubiectũ; ideſt de priuatione ad formã: ergo à priuatione quacunque ad habitum ſecundum philoſophum, & commentatorem à quibus nõ recedit Angelicus Doctor hic lect. 6. poſſibilis eſt regreſus per naturam. Reſpondetur ad argumentum negando ſequelam, nam licet omnis mutatio naturalis inſtantanea, & adquiſitiua fiat à priuatione ad habitum, id eſt, de non ſubiecto in ſubiectũ non tamẽ fit à priuatione ſecũdi, ſed à priuatione primi generis à qua dumtaxat poſsibilis eſt per naturam regreſus. Ad confirmationem duplex eſt ſolutio primo nanque: reſpondetur cum Soncinate Philoſophum loqui de priuationibus, quæ dicunt ordinem immediatum ad ſubiectum à quibus verum eſt poſsibilẽ eſſe ad habitum regreſum, & poſſe ab illis fieri generationes naturales. Reſpondetur ſecundo cum Flandrenſi vbi ſupra loquutũ fuiſſe de priuationibus imperfectis ſiue cauſaliter, hoc eſt, de formis poſitiuis, & contrarijs, quæ habent anexam priuationem alterius, & fateor hanc eſſe Doctoris Sancti interpretationem, ait enim quod Philoſophus in prædicto teſtimonio ſolum voluit in contrarijs eſſe naturalẽ tranſmutationem, & ex hoc intuliſſe contrarietatem habere ſe ad inſtar priuatiuæ oppoſitionis, quia ex mutua tranſmutatione colligitur vnum reſpectu alterius habere anexam priuationem. Sed ab hac ſolutione neque à prima Soncinatis recedit, quia priuatio, quæ anectitur formæ contrariæ, & ad contrarietatem ſequitur, eſt de genere illarum quæ indifferenter ſe habent ad ſubiectum, & ordine immediato illud reſpiciunt, ac proinde idem fuit dicere Philoſophũ loqui de priuatione habente ordinem immediatum ad ſubiectum, atque ſi diceret Philoſophum loqui de priuatione contrarietatis, & ad formas cõtrarias cõſequta, etenim nullibi melius relucet ordo immediatus ad ſubiectum, quàm in contrarijs, & eorum priuationibus anexis. In quibus frequens & per via eſt mutua traſmutatio.

18 Arguitur tertio, nã ſi aliqua ratio obſtaret poſsibilitati huius à priuatione ad habitũ regreſus eſſet conditio propria priuationum ſecundi generis, nẽpe vt ſit quæuis priuatio huiuſce generis, corruptio habitus præexiſtentis, &c. Sed hæc ratio non obſtat: ergo nulla. Minor probatur tripliciter primo nam cæcitas pueri à prima conceptione nempe eius, qui nullum inſtans vitæ ſuæ viſiuam potentiam recepit, non fuit corruptio potentiæ viſiuæ, neque illam præſuponit. Secundo, nam aliâs per varias, & plures trãſmutationes poſſet corpus alterius mortui, vitam recuperare, quod tamen expreſſe dictis repugnat etenim ſemel cotruptum nullatenus, ſiue immediate, ſiue mediate poteſt per naturam reproduci. Tertio, nam etiam priuatio primi generis eſt corruptio formæ præexiſtentis. Nullus enim negare poteſt tenebras huius noctis eſſe remotionem, atque corruptionem lucis diurnæ, quæ præceſsit, & hoc non obſtante datur à tenebris ad lucem regreſus naturalis abſque eo quod ſemel corrupta lux reproducatur: ergo dabilis eſt ſimilis regreſus in priuationibus ſecundi generis ſine eo quod formæ ſemel corruptæ detur reproductio. Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem quod habitus priuationis ſecundi generis, ideſt, illi oppoſitus ex aduerſo quæ cum illa habet incompoſibilitatem, & pugnam, dupliciter poteſt illã præcedere: primo modo ſecundum tempus, & ſecundum eſſe actuale completũ, quo pacto præcedit potentia viſiua cæcitatem illius qui poſt viſum receptum, amiſit illum. Secundo modo ſecundum naturam, & ſecundum eſſe inchoactum, & velati exiſtens in via, & ſic in cæco à ſua conceptione præcedit viſus cæcitatem, nam licet ſimul tempore fuerint in eo anima, & cæcitas. Tamen prius natura, & inſtanti à quo habuit animã, quam cæcitatem, & pro illo priori præceſit

etiam viſus cæcitatem, non viſus actualis, & eductus extra cauſas, ſed viſus inchoatiue habens eſſe in anima, & actione generãtis, quæ ſua pte natura ad communicandas animæ omnes eius potentias, & perfectiones tendebat, vnde anima ex ſuis meritis, & ex vi actionis generantis pro illo priori habuit ius & debitum habendi potentiam viſiuam, & ratione huius inchati eſſe, iuris ac debiti, dicitur potentia viſiua ſecundum naturam, cæcitatem præceſiſſe, quod ſufficit vt cæcitas ſit corruptio, & deſtructio quædam viſiuæ potentiæ non quidem viſiuæ potentiæ habentis eſſe completum, ſed habentis eſſe infieri, & inchoatum, & quo pacto aborſus fœtus nondum animati, quia eſt impeditiuus vitæ, ad quam fœtus diſponebatur, ſeu quia eſt deſtructiuus, & corruptiuus vitæ iam exiſtentis in fieri & inchoatiue, reductiue eſt homicidium, ac eius intrinſecam malitiam participat vt tenent Caiet. in Summa verbo *Aborſus*, & 2. 2. q. 64. art. 8. â Corduba lib. 1. q. 38. dub. 3. & nos in theatro, quod iã ad Theologiam moralem paramus diuino fauente numine quæſt. 1. art. 2. oſtendemus, haut diſimiliter corruptio viſus duplex eſt alia impeditiua ſeu corruptiua eius in fieri, & inchoatiue habentis eſſe, & alia deſtructiua illius vt præexiſtentis complete extra cauſas. Ad ſecundam negatur maior in varia enim & multiplici illa mutatione per multas formas ordine quodam ſe habentes non oportet fieri eiuſdem formæ ſiue animæ amiſſæ reproductionem, quam tamen oportebat fieri ſi trãſmutatio à priuatione vitæ ad vitam fieret immediate. Ad tertiam negatur conſequentia propter rationem eandem: in tranſmutatione enim â priuatione primi generis ad habitum non oportet fieri amiſi habitus reproductionem ſicut oportet fieri in tranſmutatione à priuatione ſecũdi generis ad habitũ. Arguitur quarto, nam poteſt per naturã priuatio ſine introductione habitus remoueri: ergo ad deſtructionem priuationis non requiritur formę amiſſæ reproductio, & ſic ruit potiſsimum noſtræ concluſionis fundamentum. Antecedens patet in vmbra quæ eſt priuatio lucis, & poteſt tolli non ſolum per lucis introductionem, ſed etiam per tenebrarum per totum ſpatium diffuſionem: ergo. Pro declaratione huius argumenti controuertendum eſt ſequens dubium de immediatione quæ inter extrema priuatiuæ oppoſitionis verſatur.

Dubium appendix, An priuatio ſic habitui immediate opponatur, vt ad eius excluſionem introductio habitus requiratur?

19 AD huius dubij intelligentiã operæ prætium duxi prænotare non nulla ex quibus reſolutio pateſiat primo, itaque eſt ſummo opere ad notãdum priuationes aliquando Phyſicas, ideſt, quæ Phyſice formis poſitiuis, ac ſuapte natura, & veluti ab intrinſeco repugnant, aliquando vero ſolum moraliter, & dependenter ab alterius lege, ordinatione, inſtituto, aut bene placito; habere cum formis poſitiuis incompoſibilitatem. Rurſus ex priuationibus Phyſice, ſiue ab intrinſeco cum poſitiuis formis repugnantibus, aduertat Methaphiſicus alias abſolute ſecundum ſe, & ſine ordine ad cauſam ſuam priuare formis poſitiuis, quarum ſunt priuationes, qua ratione mors vbicunque, & aquocunque cauſetur priuat vita, alias autem eſſe quæ inuoluunt ordinem ad ſuam cauſam, & dependenter ab illa ſunt priuationes, cum ſibi oppoſitis formis habentes repugnantiam, & huius generis eſt vmbra, ſeu carentia lucis ad illam anexa: non enim vmbra eſt abſolute obſcuritas, aut carentia lucis: alias per tenebras diſuſas non remoueretur, ſed eſt obſcuritas ad corpus opacum cõſequuta. Tertio nota hanc eſſe conditionem oppoſitorum immediatorum, prout a media te contrarijs diſtinguntur, hoc eſt ab illis quę medium habent in quo ſimul virtualiter dũtaxat compatiuntur, quod oppoſitorum immediatorum eo quod carent medio, vnum nequit excludi ſine altero, aut è contra: quoniam vel dicit expræſsam, vel virtualem ſaltem illius negationem, vt patet incontradictorie oppoſitis: oppoſitorum vero mediatorum, vnũ poteſt excludi ſine altero, eo quod habent medium per quod alterum extremũ poteſt, & debet remoueri, vt patet incontrarijs habentibus medium, verbi gratia, albo & nigro, in quibus poteſt dari ſubiectum, quod nec ſit album, nec nigrum, ſed medio colore coloratum, ac per conſequens poteſt excludi albedo ſine nigredinis introductione. Secus vero contingit in hijs quæ opponuntur immediate: vt quia ens, & non ens ſic opponuntur nequit remoueri entitas, niſi per negationem entis, & negatio entis non poteſt remoueri niſi per poſitionem entitatis. Vnde & eadem conditione gaudere neceſſe eſt illa, ſiue contrarie, ſiue priuatiue oppoſita quæ immediatam habeant oppoſitionem quatenus, vt ſic immediate opponuntur, ideſt reſpectu

Stat° quæſtionis declaratur.

pectu illius subiecti in ordine ad quod opponuntur absque medio, qua de causa visus, & cæcitas respectu canis ante nonum diem non gaudent hac conditione admutuam sui exclusionem, quia non opponuntur immediate, gaudent tamen illa respectu canis post nonum diem qui iam est aptus natus habere visum, quia respectu illius vt sic habent immediatam oppositionem. His breuiter prænotatis sequentes statuere placet assertiones. Respondeo dicendum, primo extremorum oppositionis priuatiuæ moralis posse remoueri vnum sine positione alterius in eodem subiecto. Probatur: nam hæc necessitas introductionis vnius extremi ad alterius remotionem solum oritur ex oppositione inmediata, & non qualicunque, sed ex illa quæ conuenit oppositis physice, & ex natura ipsarum rerum, & propterea potest dari medium inter habitum & priuationem ei oppositam dependenter ab extrinseca lege, aut statuto, per solam legis illius, aut statuti mutationem: ergo. Antecedens patet: nam propterea potest carentia stipendij, verbi gratia, debiti Petro vt militi ratione obsequij exhibiti regi in militia tolli absque assequutione stipendij, per solam regis voluntatem deponentem Petrũ ab officio militiæ, & peccatum originale tollitur absque originali iustitia formaliter accepta, eô quòd ex Dei ordinatione iustitia originalis cum peccato habuit oppositionem moralem Deo ordinante, vt amissa gratia habituali semel per peccatum primi parentis totus status originalis iustitiæ amitteretur: similiter in moneta potest auferri priuatio valoris debiti ex statuto regis, si ipsam omnino deponat, & suo statuto faciat eam prætij materiam in capacem, quinimo absque illius mutatione intrinseca potest ei valorem quo antea carebat restituere, quia in huiusmodi oppositio moralis dum taxat reperitur.

Neuti, quam potest priuatio pelli sine habiti cuiphisice opponitur introductione.

2o Dico secundo quando priuatio, & habitus, siue forma positiua Physice, & ab intrinseco, atque absolute opponuntur respectu subiecti aptinati, nedum de potentia ordinaria, sed nec de potentia absoluta Dei potest vnũ sine alterius introductione excludi. Hæc assertio probatur primo: nam tunc sunt opposita respectu subiecti aptinati omnino inmediata, vt patet ex primo notabili, sed hæc est conditio oppositorum inmediatorum, quod ex natura rei ad expulsionem vnius requiratur introductio Physica alterius, vt patet ex secundo notabili: ergo saltem de lege ordinaria, & relictis rebus suæ naturæ nequit in prædictis oppositis priuatiue, vnum sine alterius positione remoueri: quo pacto etiam in contrarijs inmediatis, verbi gratia, sano, & ægro, to, vero, & falso, bono, & malo nequit vnum sine altero excludi naturaliter loquendo, licet de potentia absoluta, quia vnum extremũ est realiter ab altero distinctum, & independens, potest per diuini concursus suspensionem destrui, ac remoueri vnum sine alterius introductione. At in contradictorie, & priuatiue oppositis vbi vnum extremorum est sola negatio, aut priuatio, nequit vnum sine alterius positione, imò nequit vt melius dicam tolli a subiecto nisi ad alterius positionẽ, quia aut cæcitas, verbi gratia, tollitur per meram diuini concursus suspensionem, & hoc non, quia potius ad suspensionem diuini concursus ponitur, cum enim sit priuatio, defectus, & ens rationis ad negationem diuini concursus debet sequi, & tollitur per positionem visus, & similiter visus cum nequeat tolli nisi per suspensionem diuini concursus, & causæ secundæ, circa visum ad quam sequitur priuatio visus, hinc fit vt non possit tolli nisi aduenientе subiecto apto nato, priuatione. Secundo: nam de ratione formæ positiuæ communicatæ subiecto est duplex effectus formalis; primus, & positiuus est constituere tale, secundus, & veluti negatiuus est excludere negationem, aut priuationem, siue formam oppositam, quam inuenit in subiecto: sicut formæ ignis immateriali ligni, primus effectus formalis est constituere ignem, & secundus excludere formam ligni, & primus effectus visus est constituere videntem, & secundus si communicetur cæco erit excludere cæcitatem, sicut gratia habitualis communicata peccatori duplicem in illo effectum formalem sortitur, primus eorum est reddere hominem iustum ac diuinæ naturæ consortem, & secũdus est peccatum ab anima remouere, sed forma non præstat secundum effectum nisi ad primi positionem, & mediante illo: cum enim sit effectus secundarius debet præstari mediãte primario, vnde exclusio formæ ligni præstatur à forma ignis mediante constitutione ignis, & exclusio peccati à gratia mediante hominis iustificatione: ergo etiam exclusio cæcitatis, verbi gratia, debet fieri mediante visus positione, & eius effectu formali primario ac proinde de ratione formæ excludentis cæcitatem à subiecto apto, est quod sit visus. Confirmatur: nam Deus nequit supplere effectum formalem secundarium sine forma, aut sine eius effectu formali primario, ponendo, scilicet effectum secundarium formalem in esse absque eo quod forma, & eius effectus formalis primarius ponantur (si tamen Physice, & ex natura rei sit eius effectus secundarius) nequit enim facere materiam primam existentem sine forma substantiali: aut homi

ni

ni remittere peccatum mortale abſque gratia licet formam abſque effectu ſecundario ponere poſsit, vt compertum eſt incorporis Chriſti quantitate ſub ſpetiebus panis, & vini exiſtentis modo indiuiſibili, & in humanitate eiuſdem à verbo aſſumpta, & per verbi exiſtentiam actuata: ſed ſi Deus tolleret cæcitatẽ abſque viſu in ſubiecto apto nato: præſtaretur effectus formalis ſecundarius viſus abſque forma, & effectus primarij poſitione: ergo per nullam potentiam talis excluſio ſine viſus poſitione poteſt fieri. Tertio incontradictorie oppoſitis per nullam potentiam poteſt vnum extremum ſine alterius poſitione tolli, cum neceſſarium ſit quodlibet eſſe, aut non eſſe, & ex duabus propoſitionibus contradicentibus alteram veram, & alteram falſam eſſe; ſed etiam in priuatiue oppoſitis ſi abſolute opponantur, & ex natura rei, inuoluitur contradictio ſaltem virtualiter, ſequitur enim ex eo quod Petrus ſit videns & cæcus, quod ſit videns, & quod non ſit videns: ergo aduerificandum primum membrum de Petro debet neceſſario deſtrui cæcitas, & ad verificandum ſecundum debet ab illo viſus remoueri, verificatio enim vnius infert alterius falſificationem, ac proinde ex affirmatione vnius ſequitur negatio alterius, & è cõtra.

21 Dico tertio, quando priuatio non abſolute, ſed cum ordine ad cauſam, vel ad actũ præcedentem opponitur formæ, tunc poteſt vnum excludi à ſubiecto apto nato, ſine alterius poſitione; nempe habitus ſine priuatione: tamen priuatio nequit tolli, ſine habitus, cuius eſt priuatio, introductione. Ratio primæ partis eſt, quia tunc, nec forma opponitur immediate tali priuationi, neque adæquate: non immediate, quia datur medium inter vtranque: non adæquate, quia tali formæ opponuntur duæ negationes altera eſt priuatio illa cum ordine ad cauſam, & altera eſt negatio abſoluta in ſimplici talis formæ abſentia conſiſtens: ergo poterit talis forma tolli abſque talis priuationis poſitione, nempe per poſitionem mediæ negationis, ſicut albedo quia datur medius color illi oppoſitus non neceſſario per nigredinem naturaliter tollitur, cũ per aduentum medij coloris poſsit quandoque remoueri. Antecedens autem declaratur: nã hac ratione gratia habitualis poteſt amitti ſine peccati macula, per ſolam diuini concurſus ſuſpenſionem Deo volente gratiam hominis iuſti non conſeruare, etiam ſi ipſe inuitus eſſet, in hac gratiæ amiſsione: imõ etiam ſi eſſet voluntarius in gratiæ ſuæ ablatione poſſet abſque peccati labe illam amittere, hoc eſt libere Deo eam auferenti conſentiendo, quem conſenſum (vt multis Theologis placet) explicabat Paulus dicens ſe velle eſſe anathema pro fratribus ſuis, ideſt propriam gratiam amittere, ſi expediret, pro illorum ſalute: ſimiliter lux poteſt auferri ab hæmiſferio, ſiue à loco vmbroſo non ſolum per vmbræ poſitionem, ſed etiam per ſimplicem obſcurationem, vt ſi de non cauernoſo fiat locus cauernoſus, & ineptus luci recipiendæ, eo quod peccati macula eſt priuatio ex proprio actu libero contracta, & vmbra eſt priuatio lucis ad corpus ocapum cõſequuta, ac proinde, neque gratia illi, neque lux huic adæquate opponitur, aut inmediate. Secunda pars concluſionis ſtatuitur aduerſus Suarez. 4. to. 3. part. diſp. 9. ſect. 4. Valentiam 1. 2. diſput. 8. quæſtion. 5. punto 5. & alios neotericos aſſerentes in huiuſmodi priuatiue oppoſitis dari medium, ac proinde non eſſe neceſſarium quod ſubiectum, aut ſub habitu, aut ſub priuatione ſit, ſed æque poſſe habitum amittere abſque priuatione, & priuationem abſque habitus adquiſitione, ac proinde hinc infert Suarez poſſe peccati maculam extingui in anima peccatoris abſq; gratiæ aliquo intrinſeco dono. Valentia vero colligit non requiri donum gratiæ intrinſecum ſaltem in ordine ad potentiam Dei abſolutam propter oppoſitionem priuatiuam maculæ, & gratiæ, licet aliunde requiratur, ſed noſtra concluſio eſt Caietani 1. 2. quæſtion. 113. artic. 2. §. *in eodem articulo*, Capreoli in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. artic. 3. & Ferrar. 3. contra gentes, capit. 157 & probatur primo: nam priuatio huiuſmodi cum ordine ad ſuam cauſam poſtquam contracta eſt non minus opponitur habitui, quam negatio viſus ei opponitur in catulo poſt nonum diem, ſed negatio viſus in catulo poſt nonum diem eſt proprie priuatio viſus quæ nequit tolli niſi per eius poſitionem: ergo ſimiliter, neque priuatio lucis, aut gratiæ cum ordine ad cauſam cuiuſmodi ſunt vmbra, & macula poſſunt tolli abſque poſitione oppoſitorum habituum. Secundo probatur: nã carentia viſionis beatæ prout eſt pena damni eſt priuatio cum ordine ad ſuam cauſam in ſuo enim conceptu inuoluit pena damni ordinem ad peccatum, & culpam, eſt enim vt ſic carentia viſionis beatæ ex actu peccaminoſo contracta, ſed per nullam potentiam poteſt ab anima damnata tolli niſi per viſionis beatæ in illa poſitionem: ergo. *Minor* patet: nam quando anima hominis damnata manet ordinata ad finem ſupernaturalem, aut habet viſionem beatam poſt ſtatum viæ, aut non: ſi primum habeo intentum: ſi ſecundum cum illa negatio ſit formæ debitę: hoc eſt, formæ ad quam ſubiectum eſt ordinatum: & cuius eſt capax ex diuina ordinatione pro illo

tempore

tempore quod supereſt poſt ſtatum viæ neceſſario dicendum eſt, eſſe priuatã, ac proinde ſubeſſe dictæ priuationi, & eadem ratione licet Deus potuerit à principio hominẽ in puris naturalibus condere abſque gratia, & peccato: tamen ſi ſemel peccet nequit illũ ad ſtatum purorum naturalium reſtituere, ſed neceſſario debet eſſe obnoxius priuationi ſiue maculæ quandiu gratia ei non infundatur. Confirmatur: nam priuationes huiuſmodi ſunt talis conditionis, vt refundantur in ipſum ſubiectum in quo ſunt, adeo vt ſubiectum aptum dicatur, & ſit ſubiectum quod ſubeſt tali priuationi. Quatenus illi ſubeſt, aut cum ordine ad illam, at à tali ſubiecto nequit tollit priuatio abſque formæ poſitione, ſi enim ſola auferretur priuatio abſq; formæ poſitione, deſtrueretur identitas ſubiecti apti talem formam habere: ergo. Maior declaratur in aductis exemplis de vmbra, macula, & pena damni. Subiectum enim vmbræ eſt locus vmbroſus qui ſimul capax eſt lucis recipiendæ, & ſubiectum maculæ eſt anima prout capax eſt ordinata ad gratiam. Ac tandem ſubiectum penæ damni eſt creatura rationalis prout capax viſionis beatæ, & prout ad illam ordinata eſt. Minor quoque patet nam ſi â loco vmbroſo remoueatur vmbra; aut remouetur ſola vmbra, & relinquitur in illo aptitudo, & capacitas proxima ad lucem recipiendam, aut ſimul cum vmbra remouetur dicta aptitudo proxima. Si primũ non poteſt non recipere lucẽ alioquin ſemper manebit luce priuatum, quia deficiet ei lux cuius eſt proxime capax: ſi ſecundum iã non manebit formaliter idem ſubiectum aptum & capax, reſpectu cuius vmbra & lux immediate opponebantur: id ipſum dici poteſt de macula, & pena damni. Nequit enim Deus auferre maculam, aut penam damni ab anima niſi ſimul ponat in ea formam oppoſitã, vel remoueat ab ea ſubiecti apti nati identitatem, quod poteſt Deus facere anihilando animam, & poſtea eandem abſque macula, aut pena damni, atque abſque ordine ad finem ſupernaturalem reproducendo. Tertio probatur concluſio. Nam licet intellectus humanus poſsit eſſe abſque fide diuina, & errore ei oppoſito, & licet poſtquam ſemel habuit fidem poſsit illam amittere de potentia Dei abſoluta abſque erroris adquiſitione, vt ſi Deus abſque hominis culpa ſuſpendat concurſum, quo fidem in illius hominis intellectu conſeruabat, tamen poſtquam ſemel intellectus errori ſit obnoxius nequit ab hoc errore vindicari niſi per fidei, aut luminis ſuperioris eminenter fidem præhabentis: verbi gratia ad beatificr poſitionem, & hoc non alia ratione niſi quia error habet anexam priuationem fidei & non qualemcunque, ſed ſpecialem de qua loquimur, ſcilicet de genere earum quæ dicũt ordinem ad ſuam cauſam: talis enim priuatio fidei ad errorem actu alem conſequitur: ergo. Minor, patet nam dupliciter poteſt auferri priuatio illa fidei per erroris actum cõtracta à qua homo tranſacto actu adhuc dicitur infidelis, ſeu hæreticus, aut Paganus, ſiue Iudeus: vel per lumen ſuperius quale eſt beatificum, aut aliud donum intellectuale certificans illius hominis intellectum de eiſdem de quibus fides certificare poſſet, & tunc eſt virtualiter fides, quia ponitur lumẽ exequens perfectiori modo munia fidei vel per meram concutſus diuini, circa erroris entitatem ſuſpenſionem, ſiue per oblibionem, & omnimodam ab actibus ceſſationem. Per hanc enim omnis habitus ſiue erroneus, ſiue ſcientificus deperditur. Sed hoc ſecundo modo licet tollatur entitas actus, & habitus erronei, priuatio tamen fidei non tollitur, quãdiu enim fidem ille non habuerit infidelis eſt dicendus, & vt talis pœnis in fidelibus à iure præſcriptis eſt obnoxius.

22 Sed contra arguitur primo: quando inter duo oppoſita mediat aliquid, vtrumque extremum poteſt tolli per poſitionem illius mediĳ qua de cauſa non ſolum albedo, ſed etiam nigredo poteſt â corpore tolli per poſitionem palloris quia pallor eſt color medius inter albedinem, & nigredinem, & vtrique ſuo modo contrarium, ſed inter habitum, & priuationem cum ordine ad cauſam datur medium reſpectu potentiæ abſolutæ Dei vt dictum eſt: ergo non ſolum habitus, ſed etiã priuatio eſt auferibilis per tale medium, ac proinde ſi cut gratia poteſt tolli ab anima de potentia abſoluta Dei abſque poſitione maculæ. Ita macula abſque infuſione gratiæ auferibilis erit per eandem potentiã Dei abſolutam in ordine ad quam datur medius ſtatus inter vtramque. Secundo quando vnum alteri immediate, aut adequate non opponitur, neque alterum poteſt illi immediate, aut adequate oppoſiti: eadem enim eſt ratio oppoſitorum, & eadẽ veluti via vnius ad alterum, & è conuerſo. Igitur ſi gratia verbi cauſa non opponitur immediate, & adequate maculæ in ordine ad potentiam Dei abſolutam etiam in homine ordinato ad finem ſupernaturalem neque macula ei opponetur immediate aut adequate, ac proinde poterit tolli per aliud quam per ſ gratiæ infuſionem. Tertio vmbra ad corpus animalis conſequta poteſt tolli per aliud quam per lucem: tollitur namque per tenebras noctis,

noctis, & poteſt tolli relinquendo illum locum obſcurum per conſtructionem alicuius edificij circa illum: ergo. Nihilominus hæc non obſtant. Et ad primum concedo maiorem in ijs quæ opponuntur abſolute, & nego illam in ijs quorum vnum dependet intrinſice à præcedenti ſiue à præſenti cauſa. Ad ſecundum nego antecedẽs ſi de eo quod ſecundum vnam rationem priuationi, & ſecundum alteram alteri formæ, aut negationi opponatur. Solum enim eſt verum antecedens vbi ex parte vtriuſque extremi eſt eadem ratio oppoſitionis, inſtantiæ ſunt manifeſtæ, nam vita hominis opponitur priuatiue morti, & veluti contrarie, vitæ embrionis, & formæ cadaueris, & per vtramque tollitur: morstamen ſoli vitæ adequate opponitur, & per illam ſolam poteſt remoueri, & viſus priuatiue cæcitati, & contrarie alteri opponitur, tamen cæcitas ſoli viſui per quem ſolum poſſunt remoueri manente identitate ſubiecti viſus, & per cæcitatẽ, & per formam incompoſibilem videlicet cadaueris remoueatur: haut diſimiliter gratia poteſt tolli: & per maculam, & per ſuſpenſionem diuini concurſus abſque culpa ſubiecti: priuatio veto gratiæ quia in ſuo conceptu dicit carentiam voluntarie contractam gratiæ in ſubiecto apto nato nequit per aliquam potẽtiam tolli abſque gratiæ infuſione. Vnde licet gratia maculæ adequate non opponatur quia in ſuo conceptu non dicit quod ſit in ſubiecto aptonato, aut quod ſit dependens à proprio actu habentis illam. Tamen macula quia vtrumque dicit opponitur ei adequate, & immediate, vel poteſt dici quod cum huiuſmodi habitus ſint formæ poſitiuæ abſolutæ ab ordine ad cauſam, & ab ordine ad ſubiectum aptum natum licet extra illud non ſint, ſub induunt plures rationes ſecũdũ quas pluribus opponuntur, priuationes vero huiuſmodi quia in ſuo conceptu inuolbunt eſſe in tali ſubiecto, & ex tali cauſa productæ vnicã dumtaxat rationem habent ſecundũ quã ſolum priuatiue formis prædictis opponuntur, ac perconſequens adequate. Ad tertium quod, in primo caſu quo vmbra animalis, tollitur per tenebras noctis non contingit propriè ablatio vmbræ, ſed ſuperuenit maior vmbra, nempe terræ in qua animalis, & omnium partium terræ vmbræ virtualiter continentur. Dicitur ſecundo quod deſtruitur idẽtitas ſubiecti talis priuationis. Subiectum enim vmbræ vt ſic non eſt quilibet locus capax lucis, ſed eſt ille in quo corpus animalis poteſt vmbrã cauſare. Ita vt ex ſpatio, & potentia vmbræ cauſatiua ſeu ſpatio vt potentiæ vmbræ proxime cauſatiuæ aſſociatæ conſtituitur integrum ſubiectum vmbræ, & manente identitate talis ſubiecti implicat tolli vmbram abſque lucis diffuſione. Lucis autem diffuſio non tollit ſubiecti identitatem quia in qualibet parte luce ſolis illuſtrata poteſt animal, per interpoſitionem corporis ſui vmbram variare, quam nequit cauſare vigentibus tenebris noctis. Et hæc ſolutio magis aparet in ſecundo caſu argumenti: ſi enim fiat locus ille cauernoſus vt ſunt cõcaua ſpatia domuum & cauernarum non manet locus aptus natus lucem recipere, ac proinde neque proprie eſt capax ſubeundi talis lucis priuationem. Neque valet dicere priuationem debere eſſe omnino diſtinctam à ſubiecto in quo eſt, ſicut & habitus. (Extrema enim aliarum oppoſitionum à ſubiecto res pectu cuius opponuntur ſunt omnino condiſtincta, & condiuiſa) ac proinde in ſuo conceptu non includere aptitudinem proximã ſubiecti. Non inquã valet quia hæc eſt peculiaris conditio harum priuationum, vt in ſuo conceptu involuant dependentiam & ordinẽ ad ſuam cauſam, ac proinde ſubiecti proximam aptitudinẽ in quo & non alibi talis cauſa eſt apta nata ſuum effectum priuatiuũ cauſare, & vt vnico verbo concludam formæ huiuſmodi, pluribus modis poſſunt deſinere, priuationes vero vnico tantũ modo in ſubiecto opto nato deſinire queunt.

ARTICVLVS. II.

An ſubſtantia ſemel corrupta poſſit per naturam reproduci?

23 IN hoc articulo tres verſantur ſentẽtiæ. Prima affirmans eaſdem numero ſubſtantias ſemel corruptas poſſe, ac debere per curſum naturalem reproduci, quam ſequuti fuerunt quidam ex antiquis Philoſophis exiſtimantes eaſdem res numero, quæ modo ſunt, & iam in vniuerſo præceſſerunt poſtea abſoluto motu octaui cœli hoc eſt tranſactis 36. millibus ſecundũ quoſdam aut ſecundum alios 49. millibus annis fore redituras, huius oppinionis princeps refertur Plato à Ianblico qui & ipſam ſequitur vt videre licet apud Marſilium Ficinũ lib. 11. de Theologia Platonis, & apud D. Auguſt. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 13. atque apud Doctorem Angelicum 4. contr. gent. cap. 82. qui illam vt impiã & religioni contrariã damnant, & reijciunt: eiuſdem ſententiæ fuerunt Pitagorici cum Platonicis vt refert Auguſt. ac proinde ſunt in eadẽ damnatione. Secunda ſententia eſt quorundam cha-

tholi-

tolicorum afferentium viribus naturæ, poſſe idem agens eundem numero effectum reparare non quidem in omnibus, ſed in aliquibus entibus, videlicet in accidentibus, elementis atque mixtis imperfectis, quam ſequuntur Ricardus in quarto diſtinctione 43. quæſtione prima articulo tertio, & Scotus ibidem quæſtione 13. cui omnes diſcipuli ſubſcribunt. Tertia proſus negat ſubſtantiam ſemel corruptam, ſiue recorrupta fuerit poſſe eandem numero per naturale agens reparari, quam tuentur Durandus in eodem quarto diſtinctione 43. quæſtione 3. Bañeſius libro ſecundo de generatione quæſtione vltima Conimbricenſes ibidem capite 11. quæſtione prima articulo tertio & Marſilius quæſtione 20. quibus ſubſcribit Suarez tomo primo methaphiſicorum diſputatione 6. ſectione 9. fuitque plane ſententia hæc Phiſicorum libro ſecundo de ortu & interitu texcu 70. in capite de oppoſitis & 5. Phiſicorum capite quarto, Zimaræ in theorematis, atque Sancti Doctoris, libro quarto contra gentes capite 81. & quodlibeto 4. quæſtione tertia articulo ſecundo, quare pro illius declaratione, ſequentes ſtatuere placet aſſertiones.

Reſpondeo dicendum primo, ſubſtantiam perfectam ſemel corruptam nõ poſſe reproduci per naturam: hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus auctores primæ oppinionis, & patet primo: nullum agens naturale poteſt producere aut reproducere effectum ſibi ſimilem, niſi per motum, aut actionem coniunctam motui, ſiue mutationem: at nequit naturaliter eandem actionem aut mutationem repetere ſemel interruptam: ergo neque eundem effectum reproducere. Conſequentia probatur: quia idem numero effectus naturaliter eandem productiuam ſui petit actionem: vnde vbi actio eſt interrupta, ſicut ſoluitur numerica identitas actionis: ita etiam numerica identitas effectus. Hæc eſt ratio qua Doctor Sanctus vtitur in dicto articulo quodlibetico. Secundo: nam talis viuentis, aut mixti perfecti, & ſemel corrupti reproductio per naturam deberet fieri per hoc quod in generationibus naturalibus, atque corruptionibus ſibi inuicem ſuccedentibus eædem numero formæ redituræ eſſent, quæ per corruptionem fuerant amateria ſeparatæ, vt Platonici & Phitagorici voluerunt, vel per hoc quod in natura ipſa adiuncta arte medicinæ eſſet virtus potens vitam aut formam perfectam ſemel amiſſam recuperare, vt quidam medici fabulantes dicunt medicaminibus naturalibus Eſculapium mortuum ſuſcitare, qua de cauſa fuiſſe à Deo percuſſum fulmine de cælo vibrato ne homines mortem euaderent, cuius etiam ſententiæ fuere illi (qui vt refert Hieronym. Eſai. 16.) herbas quaſdam Peonias nuncupatas putabant habere virtutem ad mortuum ſuſcitandum: vnde eorum errorem confutans Hieronymus ex illo eiuſdem capitis Eſaiæ teſtimonio: *viuent mortui tui &c.* quia ros lucis, ros tuus legit ipſe: *quia ros Domini vincens omnes herbas Peonias*,, ſed vtroque modo eſt impoſsibilis per naturam talis corruptæ ſubſtantiæ reproductio: ergo. Minor. pro prima parte patet: nam iterata illa ſucceſsio earumdem formarum eſt chimerica, ſicut & poſsitio de migratione animarum in corpora diuerſa: nam anima aut forma, vel eſt incorruptibilis, cuiuſmodi eſt ſola anima rationalis, & hæc eidem corpori dumtaxat reunietur in reſurrectione per miraculoſam Dei actionem reunientis animas corporibus, quibus in vita mortali fuerant vnitæ, vel eſt corruptibilis ac dependens in ſuo eſſe â materia, cuius generis ſunt omnes formæ aliorum ſublunarium, & tales formæ nequeunt per naturalem actionem materiæ reuniri: etenim aue actio per quam reunitur forma eſt eadem cum illa, per quam â principio fuerat vnita, vel diuerſa: non eadem, quia cum actio ad ſui numericam vnitatem petat temporis vnitatem, abſque interruptione, interrupto hoc, ſoluitur vnitas motus & actionis: non diuerſa, quia idem compoſsitum eadem forma & effectus idem numero nequit duas actiones productiuas ſui terminare naturaliter, ſicut enim productio terminatur ad eſſe, vbi eſſe eſt idem, natura eandem actionem numero ad tale eſſe producendum, vel communicandum dumtaxat ordinauit: vnde duplex actio nequit ad eundem effectum, niſi ſupra naturæ leges terminari. Confirmatur: nam à priuatione ad habitum nequit dari regreſſus per naturam, ſed ſubſtantiæ reproductio nequit fieri abſque à priuatione ad habitum regreſſu: etenim per corruptionem mate-

ria contrahit amiſſæ formæ priuationem ac proinde dum eandem formam recuperat à priuatione ad primam formam fit regreſſus: ergo ſicut regreſſus à priuatione ad habitum eſt per naturam impoſsibilis: ita etiam reproductio ſemel corrupti viuentis ſiue mixti erit per naturam impoſsibilis.

25 Dico ſecundo, impoſsibile etiam eſt ſubſtantiam completam ſemel corruptam reproduci per naturam, licèt alias imperfecta ſit, hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur: nam rationes factæ pro prima concluſione idem conuincunt, de ſecunda: etenim vbicumque vera corruptio compoſiti præexiſtentis ſiue mixti perfecti, ſiue imperfecti interceſsit, materia fuit ſeparata à forma præexiſtenti: ac proinde materia contraxit talis formæ priuationem, à priuatione autem ad habitum nequit fieri regreſſus per naturam. Rurſus fuit actio productiua, iam ſuſpenſa & per corruptionem interrupta, ac per conſequens per naturam ſaltem nequit eadem redire: ſed ad eiuſdem compoſiti productionem, ſecundum naturæ leges requirebatur eadem actio productiua: ergo cum hæc per naturam redire non poſsit, neque idem numero compoſitum ſemel corruptum poterit per naturam reproduci. Quod ſi aliquando in homo geneſis aut viuentibus imperfectis videmus aliquod ad ſuam integritatem redire per artem vel naturam, quam antea amiſſerat. Dicendum eſt aut non fuiſſe vere ac propriè corruptum, aut non deſiiſſe quoad totum per totius formæ à tota materia ſeparationem: ſed quoad partem integralem dumtaxat, aut non eſſe ens per ſe perfecta gaudens vnitate, qua de cauſa a qua diuiſa in partes poteſt per reunionem partium ad priſtinam reuocari integritatem, & lacerta in duas partes diuiſa vita ad huc in vtraque parte ſuperſtite per partium reunionem poteſt naturaliter amiſſam integritatem reparare. Similiter fluuius Tormidis ſemel exſiccatus poſſet iterum fluere, ac per naturam ſiue artem redire ad ſuũ antiquum ſtatum deffectu quidem perfectæ ac totalis corruptionis in duobus primis caſibus, & in tertio deffectu perfectæ ac debitæ vnitatis qua ens per ſe debet gaudere.

26 Sed contra arguitur primo: non eſt minus difficile cõſequi hominem per naturam æternam vitam, atque expertem mortis durationem quam ſemel amiſſam vitam reparare, ſicut enim corrupto naturaliter repugnat reproduci, ita enti corruptibili aut mortali naturaliter repugnat æternum eſſe, ac vitam conſequi immortalem. Sed per naturam potuit homo fieri immortalis: ergo. Minor probatur: nam virtus ligni vitæ à Deo in paradiſo conſtituti fuit illi naturalis, eo quod erat illius propria paſsio, atque potentia congenita, atque ad eius ſpecificam rationem conſequuta: cum enim eſſet planta diſtincta ſpeciei à reliquis, diſtinctas etiam proprietates poſtulabat, & quia virtutes aliarum arborum paradiſi erant eis connaturales, ac tandem quia illa virtus permanſit in ligno vitæ, poſt peccatum & modo per illam Enoc & Elias conſeruantur in paradiſo dum fructu illius veſcientur teſte Diuo Thoma in ſecundo diſtinctione 19. quæſtione vnica articulo quarto ad vltimum: ſed ea quæ permanſerunt poſt peccatum tantum fuerunt naturalia, omnia namque ſupernaturalia dona amiſſa fuere per peccatum: ſed talis virtus fructus ligni poterat tribuere vitam homini æternam & immortalem: ergo. Minor patet: tum quia modo Eliæ & Enoc tribuit vitam immortalem, & ab erumnis & paſsionibus huius mortalis vitæ vindicatam. Tum etiam quia propterea dicitur Deum hominem primum à Paradiſo eieciſſe: *ne forte ſummat de ligno vitæ & comedat & viuat in æternum*, quam rationem electionis Adami fruſtra redderet oraculum niſi cibus ligni vitæ haberet vim conferendi vitam immortalem: ergo.

Reſpondetur ad hoc argumentum primo, negando maiorem: nam tribuere vitam mortuo, aut corruptum reproducere innoluit regreſſum à priuatione ad habitum, quem non inuolvit vita immortalis homini collata, & ideò in primo maior, quam in ſecundo caſu inuoluitur repugnantia. Reſpondetur ſecundo, admiſſa maiori diſputationis gratia, negando minorem. Pro cuius declaratione prænotandum eſt duplicem eſſe modum dicendi inter Theologos circa hominis in ſtatu innocentiæ immortalitatem & circa virtutem ligno vitæ inſitam ad humanæ vitę in illo ſtatu conſeruationem

nem ordinatam: de immortalitate namque hominis in illo ſtatu feliciſsimo, quidam putant illam fuiſſe homini ex parte naturalem quatenus ex cauſis & principijs naturalibus, ſcilicet, ex cibis optima complexione aeris & loci temperie proueniebat: ex quibus cauſis putant iſti hominem in illo ſtatu, ſi non peccaret abſque miraculo in æternum fore abſque neceſsitate mortis permanſurum de eorum numero ſunt Scotus in 2. diſtinctione 19. quæſtione 3. Gabriel ibidem articulo 2. & Durandus quæſtione 1. articulo 2. & nihilominus eſſe ex parte etiam illam immaterialitatem ſupernaturalem quatenus originali iuſtitiæ erat annexa: ac proinde ex hac parte eſſe veluti ab extrinſeco prouenientem: ac proinde hominem ab extrinſeco & veluti radicaliter, & ex hijs eſſentialibus principijs mortalem eſſe, atque corruptibilem: alij vero ſentiunt illam immortalitatem vitæ eſſe prorſus â iuſtitia originali prouenientemque â fructu ligni vitæ temperie & complexione ſolum coadiubari hominem ad longeuam vitam degendum non autem ex vi illorum fore omnino mortem vitaturum, aut in æternum permanſurum: ita ſentit Diuus Thomas prima parte quæſtione 97. articulo primo, Bañeſius, Valentia diſputatione 7. quæſtione 6. puncto primo, item idem docet Sanctus Doctor cum Magiſtro in ſecundo diſtinctione 19. quæſtione vnica articulo 4. & 4. contra gentes capit. 81. & Abulenſis ſuper Geneſim eandem inſinuat quæſtione 164. & 165. atque Pallacios in loco allegato ſecundi ſententiarum: circa virtutem autem ligni vitæ immortalitatis coadiutricem, Marſilius in ſecundo quæſtione 12. articulo 3. p. 3. Pallacios vbi ſupra & Abulenſis quæſtione 164. ſuper Geneſim ſequuti Doctorem Sanctum in quæſtione illa vnica ſecundi articuli 4. ad vltimum, & Rupertus libro 3. in Geneſim capite 30. dicunt virtutem illam fuiſſe naturalem. Auguſtin. vero libro 8. de geneſi ad litteram capite 5. inſinuat fuiſſe ſupernaturalem ac miraculoſe ei communicatam, idem ſentiunt Magiſtir in 2. diſtinctione 19. Bonauentura articulo 3. quæſtione prima, Gabriel quæſtione vnica, & Durandus quæſtione prima, in quorum ſententiam inclinat Caietanus 1. parte quæſtione 97. articulo 4. & Bañeſius ibidem articulo primo, vtrunque modum eſſe probabilem & habere fundamentum in Angelico Doctore teſtatur. Vnde dicendum eſt ad argumentum, quod iuxta hunc modum ſecundum dicendi admiſſa maiori, neganda minor eſt. Ad cuius probationem neganda eſt maior: quia nõ virtus naturalis ad modum propriæ paſſionis, ſed virtus ſupernaturaliter illi collata fuit ad eum modum quo dulcedo aquæ maris amaris communicata fuit, vel ad eum modum quo pani illi cæleſti ad inſtar roris ſuper terram cadentis de cœlo in cibũ populi Iſraelitici virtus omnis ſaporis fuit communicata. Reſpondetur ſecundo, iuxta primum modum dicendi virtutem ligni vitæ fuiſſe ei connaturalem non quidem ad vitam æternam conferendam. Sed ad vitam immortalem ex iuſtitia originali prouenientem, eo adiubandam, etenim ex iuſtitia originali vita hominis reddebatur immortalis immortalitate quidem ſupernaturali connaturali, tamen illi ſtatui, ex ſuppoſitione, quantum autem erat ex parte ciborum & fructus lignorum paradiſi: atque temperie præſertim ex parte fructus ligni vitæ præciſſe ſumpti non æternam, ſed longebam vitam homo fuiſſet conſequuturus: & hanc ſignificant verba illa oraculi diuini præcauentibus, *ne forte ſumat &c. & viuat in æternum*, id eſt in longum tempus, vt Angelicus Doctor interpretatur 2. 2. quæſt. 164. ar. 4. ad 6. vbi aſſerit in prædicto teſtimonio ſumi æternum pro diuturno de more Sacræ Scripturæ, quæ prodiuturno æternum ſolet vſurpare. Tertio arguitur: nam incompoſitis imperfectis, atque in ſubſtantijs partialibus etiam viuentibus fit per naturam reproductio corrupti, non obſtante quod in eis fiat à priuatione ad habitum regreſſus: ergo talis regreſſus à priuatione ad habitum, non obſtat etiam incompoſitis ſubſtantialibus perfectis quominus poſſent ſemel corrupta reproduci, antecedens patet inductione: nam ex mixto, verbi gratia, ex vino aqua permixto, in quo aqua iam corrupta fuerat poteſt per artem aqua iterum ſeparari, & in priſtinam aquæ formam reſtitui, ſimiliter ſi duæ aquæ ſeparatæ ſi poſtea reuniantur, per continuitatem eandem prorſus aqua reproducitur, quæ ex vtraque parte conſtabat. Rurſus caro partialis, verbi gratia, digiti vel auriculæ ſemel abſciſſa ſi reuniatur (quod quotidiana experientia poſſibile arti & naturæ eſſe oſtendit) eandem animam & vitam, quam antea habuerat

buerat recuperat, idque etiam fatentur Caietanus ſecundo de anima cap. 1. quæſtione 2. circa tertiam concluſionem & Bañeſius lib. 1. de generatione cap. 4. quæſtione 8. articulo 4. ad 9. & tamen in huiuſmodi carnis partialis reparatione fit regreſſus à priuatione ad habitum: materia enim, quæ vt pars fuerat priuata vita ſenſitiua & anima: eandem poſt reunionem recuperat: ergo eodem pacto poterit materia totalis totam animam ſemel amiſſam recuperare, quod enim ſubiectum obnoxium priuationi ſit totale vel partiale non tollit, nec minuit, nec auget oppoſitionem priuatiuam, quæ inter formam & priuationem verſatur. Confirmatur: nam ars ſua virtute poteſt artificiatum compoſitum ſemel deſtructum reparare: ſi enim domus labefactetur eadem arte poterit ex eiſdem materialibus reedificari, & in priſtinam figuram reſtitui, ita vt verum ſit eandem numero turrim ſiue domum eſſe hanc reparatam, quæ antea fuerat labefactata: ergo ſimiliter natura habet in ſe ſufficientem virtutem ad reparandum ſemel collapſum compoſitum naturale. Ad hoc argumentum reſpondetur quod admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, cuius ratio eſt quod ſubſtantiæ completæ, atque perfectæ modum determinatum ſuæ productionis ſibi vendicant à natura, ſecus vero partialia ſiue imperfecta compoſita ſubſtantialia. Sed quatenus videtur militare aduerſus noſtram ſecundam concluſionem poſſumus negare antecedens vt iacet. Et ad primam probationem negatur antecedens: nam licèt per artem poſsit extrahi aqua ante factam mixtionem tamen poſt completam & conſumatam mixtionem per quam corruptis formis præcedentibus aduenit noua forma à præcedentibus diſtincta, impoſsibile eſt extrahi aquam à vino, quia iam aut in vinum, aut in aliud tertium mixtum ex vtroque reſultans eſt conuerſa, ſicut impoſsibile eſt á mixto extrahi elementa quæ in illo formaliter non exiſtunt. Ad ſecundam fateor ex duabus aquis iterum vnitis fieri, ſeu potius reſultare eandem aquam, quæ antea ex illis partibus erat compoſita, atque integrata, tamen nulla in earum ſeparatione fuerat corruptio: nam corruptio proprie ſumpta petit ſeparationem formæ ſubſtantialis à materia atque deſitionem eſſentiæ, hoc eſt ad eſſentiam formatam importat, teſte Philoſopho ſeptimo huius textu 27. vnde ſi ab humanitate adimatur propria exiſtentia & ei aliena, verbi gratia, diuini Verbi exiſtentia vniretur, non eſſet corrupta quia non amitteret eſſe eſſentiæ in vnione animæ ad materiam conſiſtens, neque materia prima corrumpitur amittendo exiſtentiam vnius formæ: quia eſſe eſſentiæ etiam ſecundario non amittit, continua autem propter ſui imperfectionem per diuiſionem ſolam amittunt exiſtentiam & terminationem quam antea habebant & partes quæ in eis vnitæ ſub eadem exiſtentia & terminatione exiſtebant per modum vnius facta diuiſione adquirunt nouas exiſtentias, atque totales terminationes, quas amittunt ſi reuniantur: ſed ſicut per diuiſionem non fit vera corruptio in ſeparatione formæ à materia conſiſtens, ſed amiſsio cuiuſdam terminationis: ita quando reuniuntur non fit reproductio ſemel corrupti, ſed continuatio ſemel diſcontinuati, qua propter in reunione partium aquæ, aut alterius ſimilis continui non fit regreſſus à priuatione ad habitum: idque ipſum contingit in reunione partium lacertæ, quando ante amiſsionem vitæ reuniuntur, fit enim continuatio per quam lacerta diuiſa ſuam recuperat integritatem, non autem materia recuperat formam ſubſtantialem, vel accidentalem ſemel amiſſam. Ad tertiã duplicem adhibet Caietanus ſolutionem, negat namque primo maiorem, licèt enim pars abſciſſa carnis facile alteri conglutinetur, & veluti contiguetur, ſicut virgultum inſertum arbori diſtinctæ ſpeciei conglutinatur & continguatur adeo, vt niſi ſenſus corrigeretur ab intellectu facile iudicaret illa continuari, eandemque animam ac vitam participare, tamen ſicut virgultum diſtinctæ ſpeciei arbori inſertum, nequit continuari: ita neque caro ſemel abſciſſa & vita priuata poteſt per naturam, animalis carni continuari, aut eius anima informari: hanc probat & ſequitur Soncinas hic quæſt. 10. ad 7. neque huic obſtat experientia qua vnuſquiſque experitur carnem illam reunitam dolorem perſentire, quando læditur quod eſt ſignum vitæ ſenſibilis: nam ſicut capilli aut vngues, non euelluntur abſque magno dolore non quem in ipſis anima perſentiat, ſed in carne eis coniuncta propter intimam contiguationem carnis cum ipſis haut diſſimiliter caro, illa ſemel reunita abſque dolore nequit lædi, doloris tamen huiuſcemodi ſenſatio, non in ipſa ſed in alia carne imediate ei cõiuncta & cõtinguata exercetur propter intimã vtriuſque cõiunctionẽ.

Se-

Secundo respondetur negando consequẽtiam, quoniam nullum est in conueniens â priuatione ad habitum fieri per naturam regressum in aliqua parte primi susceptibilis, licèt hoc sit impossibile in ipso primo ac totali susceptibili; eo quod pars supponit virtutem naturalem in supposito, seu primo susceptibili, per quem reuniatur & ad pristinam formam restituatur: at suppositum atque ipsum primum susceptibile, semel corruptum totam virtutem amittit: ac proinde nulla superstes est virtus per quam naturaliter possit pristinam formam recuperare. Vnde si illa partialis caro semel abscissa comederetur ab animali reuera informam ipsius animalis conuerteretur, ac per consequens propriã vitam recuperaret per virtutem, quam suponit in animali nutritiuam: & quia cum sit, pars imperfecta, potest pluribus modis viuificari, produci & à generari, animal vero ipsum, quia semel corruptum nullum ad sui productionem relinquit superstitem virtutem: & quia cum perfectum sit, vnicum, ac determinatum generationis vendicat modum, nequit reproduci. Hanc solutionem aprobat & prosequitur pluribus Bañesius vbi supra, in dicta solutione ad nonum, & nobis neutra displicet, sed vtraque potius placet: vnaquęque enim in suo sensu abundat & sustinenda proponitur lectori siue iuniori methaphisicæ auscultatori, vt pro suo captu vtranlibet elligat & sustineat. Ad confirmationem nego consequentiam: ratio discriminis est quod artificiatum deffectu perfectæ vnitatis, cum in sola entium perfectorum, verbigratia, lapidum, lignorum & similium ordinata coniunctione consistat, semel labefacta tũ potest reparari: quia possunt partes iterum ordine coniungi, & eodem quo antea ordine fuerant adunatæ sicut partes aquæ, per solam continuationem eandem constituunt aquam, quam antea integrabãt: quia nullus in huiusmodi fit à priuatione ad habitum regressus, nulla præcesserit vera corruptio, nullaque succedit vera generatio: quia tamen figura quæ est forma domus, & cuiuslibet alterius similis artificiati est ens per se, scilicet qualitas prædicamentalis, quartæ speciei prædicamenti qualitatis, & hæc destructo artificiato vere desinit esse in rerũ natura, ideo existimo postea in reparatione artificiati nouam figuram resultare quamuis similem antiquæ, & eatenus totum artificiatum, dicitur idem numero recuperatum, seu reædificatum, quia materia & ordo, atque illius dispositio ex qua prædicta figura resultat est eadem, cum autem in artificiatis materia sit tota substantia illius, censetur idem artificiatum numero cuius materia & dispositio est eadem, & figura (licèt duplex sit) vnius est omnino similis figuræ alterius, compositum autem naturale est ens per se & corrumpitur per formæ à materia separationem, neque postea producitur nisi per iteratam formæ cum materia vnionem, quod per naturam nequit fieri, vt dictum est, obstante â priuatione ad habitum regressu.

27 Quarto arguitur: nam ad compositi naturalis semel corrupti productionem non requiritur virtus infinita, sed omnis virtus citra infinitam potest in agentibus naturalibus reperiri: ergo in illis datur virtus ad reproductionẽ semel corrupti. Maior patet, quia quantitas virtutis debet pensari ex quantitate effectus, cui etiam debet proportionari, vtpote cum sit ratio agendi & assimilãdi sibi effectum. Cum igitur perfectio siue perfectionalis quantitas effectus reproducti sit finita, imò eadem cum perfectione eiusdem semel producti, Lazarus enim suscitatus non fuit maioris perfectionis phisicę, quam fuerat primo productus, neque virtus ad illum reproducendum requisita debet esse infinita. Confirmatur: nã stante identitate agentis & materiæ, effectus necessario sequitur idem numero teste Philosopho 8. Meteororum text. 11. & 12. cui attestatur Commentator ibidem dicẽs quod si agens fuerit idem numero, materia eadem, & potentia eadem, quod effectus subsequutus erit idẽ numero, sed possunt naturaliter semel, bis, & cẽties idem numero agens, & idem passum, atque eadem materia conuenire: ergo poterit idem effectus numero pluries produci, quod est ipsum reproduci. Ad argumentum nego maiorem, ad cuius probationem dicendum est cum Doctore Sancto 3. p. q. 10. art. 4. & alias sæpè quantitatem perfectionis, siue virtutis nedum ex substantia & entitate effectus nude sumpta, sed etiã ex modo producendi esse pensandam atque desummẽdam, & quia modus productionis effectus semel corrupti, causat regressum à priuatione ad habitum, estque supra legem à naturæ statutam, est supernaturalis: ac proinde virtutem in agente principali postulans infinitam, qua de causa ad effectus finiti creationem requiritur virtus infinita, quia licèt effectus finitus sit quo ad entitatem, modus tamen producendi illum absque depẽdentia & concursu subiecti præsuppositi est proprius agentis infiniti, cuius

actio productiua à materia eſt independens. Ad confirmationem, ſolum probat iuxta mentem Philoſofi & Commentatoris poſſe ac debere eoſdem effectus ſecundū ſpeciem produci multoties, ac reproduci, ad ſpecificam enim vnitatem, ſufficit agentis & materiæ identitatis: non tamen probat, neque Philoſofus aut Commentator ſentiunt eundem effectum numero reproduci aut bis produci propter agentis, & materiæ identitatē, aliàs manus in diuerſis temporibus eidem igni applicata eundem numero reciperet calorem, quod eſt abſurdum, ſed vltra ad numericā effectus identitatem requiritur idētitas actionis, ad quam temporis & aliarum circunſtantiarum concurrit identitas, & quia nequit eadem actio numero reſummi ac repeti, neque idem numero effectus reproducitur per naturam. Quinto arguitur argumento Scoti vbi ſupra, q. 3. materia 1. poſt amiſſam formam ſubſtantialem per corruptionem habet naturalem potentiam ad illam iterum recipiendam: ergo eſt vnibilis illi per virtutem agentis naturalis: conſequētia patet, quia cuilibet potentiæ paſsiuæ debet in eodem ordine potentia actiua correſpondere. Antecedens autem probatur dupliciter primo: quia ex forma illa & materia fieret idem cōpoſitum naturale, quod antea fuerat ex illis conſtitutum, ac proinde manet in potentia naturali materiæ. Secūdo: quia manet in materia eadem numero priuatio poſt corruptionem, atque ante primam productionem talis cōpoſiti, ſemper enim eſt carentia eiuſdem formæ, qua de cauſa materia prima hominis ante hominis generationem & poſt eius mortem eidem priuationi obnoxia manet, ideſt, carentiæ eiuſdem rationalis animæ, & ſimiliter appetitus ad talem formam terminatus eſt idem, ſicut & forma abſens quæ illū terminat eſt eadem: ergo & potentia recepti ui eſt eadem ad talem formam ante primā illius receptionem, atque poſt illius deſtructionem ſeu ſeparationem, cum hæc tria, nempè potentia, appetitus, atque priuatio in materia prima identificentur realiter, in vnamque eandem conueniant entitatem. Cōfirmatur primo: anima rationalis ſemel ab humano corpore ſeparata retinet naturalem inclinationem ad illud iterum informandum: ergo poſsibilis eſt per naturam talis informatio. Conſequentia patet: quia ad impoſsibile per naturam nequit dari inclinatio naturalis, qua ratione natura non indidit cœlo naturalem inclinationem ad motum progreſsiuum: quia vires ad talem motum illi denegauit, ſuperuacanea enim & fruſtranea foret naturalis inclinatio ad id quod per naturā eſt inaſequibile, vt aliâs nempè, lib. 1. q. 2. art. 4. latius oſtendimus. Antecedens autem probatur 1. ex manifeſto Doctoris Sancti teſtimonio, quod habetur 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. cuius hæc ſunt verba. *Ad ſextum dicendum, quod ſecundum ſe conuenit animæ corpori vniri, ſicut ſecundum ſe cō uenit leui eſſe ſurſum, & ſicut corpus leue manet quidem leue cum à loco proprio fuerit ſeparatū, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum, ita anima humana manet in ſuo eſſe, cum fuerit à corpore ſeparata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem*: hæc ille, probatur ſecundo ratione cui eius ſolutio innititur: nam quælibet natura retinet ſemper & vbicumque naturalem inclinationem ad ſuum locum & ſtatum naturalem, ſed locus & naturalis ſtatus animæ rationalis, cum ſit forma corporis, eſt eſſe in corpore: ergo ſemper & vbicumque retinet ad hunc ſtatum inclinationem naturalem. Poteſt ſecundo confirmari hoc argumentum in fauorem & gratiam Scoti exemplis quibus vtitur Diuus Hieronymus to. 4. epiſt. ad Præſidium, de Cæreo Paſchali, qui quotannis renouatur. De Pelicano, qui ex ſe ipſo dicitur renaſci, ſicut & Phenix ſemel corrupta, & in Cineres verſa renaſcitur, nec nō de Aquila quæ renouat iuuētutem ſuam, vndè & Regius vates Pſalmo 102. ait per comparationem de homine iuſto: *renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*: his enim exemplis prouabile videtur fieri poſſe aliqua compoſita naturalia, nempè illa quæ minus perfecta ſunt naturaliter reproduci. Ad argumentū iuxta duplicem modum dicendi poſt reſponderi, Ferrarienſis enim 4. cōtra gent. c. 81. & lib. 2. c. 60. circa decimam tertiam rationē, cui ſubſcribit Bañeſius vbi ſupra, nempè q. vltima, 2. de generatione negat materiam habere ad formam, ſemel amiſſam potentiam naturalem: nam licèt à principio fuerit ad illam in potentia naturali, vt pote quia erat per agentis naturalis virtutem vnibilis, & ipſa materia de potentia ad actum reducibilis, tamen poſtquam ſemel eam amiſerit, iam deſijt eſſe in potentia naturali ad illā, & manet dumtaxat in potentia obedientiali: quia iam forma veluti tranſiuit ad alium ſtatum & modū producibilis, nequit enim produci, aut vniri niſi per actionem agētis ſupernaturalis, per quā ipſa materia eſt de potentia ad talis formæ actum reducibilis, & cōſequenter ſubdūt iſti authores priuationem non eſſe eādem omninò, eo quòd

ante

ante primam formæ receptionem materia carebat forma naturali dumtaxat, at poſtquam ſemel receptam formam amiſit, nedum forma ipſa, ſed etiam potentia & aptitudine naturali ad formam talem careat materia, & ſic maior eſt hæc ſecunda priuatio quam prima, quia aliquid remouet â materia, quod prima non remouebat, nempè aptitudinem, quamuis ea ratione qua hæc priuatio eſt carentia & remotio formæ eiuſdem, eadem ſit in vtroque ſtatu. Habetque fundamentum hæc ſententia in Doctore Sancto, qui in 4. d. 43. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 3. docet in cineribus, ex quibus mortuorum corpora ad vocem tubæ & miniſterio Angelorum aducentur, nullam ad reſurrectionem, ideſt, ad iteratam vnionem cum animabus humanis ineſſe inclinationem naturalem, ſed ſolum ſecundum obedientialem potentiam animabus fore vniendos ex ordine diuinæ prouidentiæ ſtatuentis illos cineres in corpora eformatos reaſumi ab animabus.

Qualis potentia maneat in materia ad formã amiſſam.

28 Secundus dicendi modus eſt aliorum Thomiſtarum (cui magis aſſentiendũ puto) aſſerentium in materia prima potentiam eſſe naturalem ad formam ſemel amiſſam, ſicut & animę humanæ ſeparatę in eſt naturalis inclinatio ad corpus derelictum informandum, vt patet ex adducto Doctoris Sancti teſtimonio, & poteſt hic dicendi modus vlterius ſuaderi, ex eo quod cæcitas non remouet â cæco naturalem potentiam ſiue aptitudinem ad viſum, cum ipſa cæcitas nihil aliud ſit quam carentia viſus debiti in ſubiecto apto nato habere illum: apto in quam nato, non per potentiam obedientialem, ſed per naturalem aptitudinem, alias carentia viſus incatulo ante nonũ diẽ priuatio eſſet, quia deeſt ei viſus, ad quem recipiendum à Deo, non defficit illi aptitudo obedientialis: ſicut igitur aptitudo naturalis cæci ad viſum non tollitur per carẽtiam illius: ita neque aptitudo naturalis ad formã tolletur per carentiam talis formæ, & ſicut aptitudo naturalis cæci in eſſe talis non ſpecificatur à modo quo viſus poteſt ei reuniri, ſed à viſu ſecundum ſe, ita aptitudo naturalis materiæ ad formã amiſſam, non à modo, quo talis forma poſsibilis eſt reuniri, ſed à forma ſecundum ſe naturali debet ſpecificari. Rurſus ſuadetur: quia alias anima humana poſt ſeparationem nõ retineret ad corpus ſuum inclinationem, ac propenſionem naturalẽ, obſtaret enim ei ſupernaturalis modus, quo dumtaxat poteſt corpori reuniri; quod tamen eſt cõtra expreſſum Angelici Doctoris teſtimoniũ. Quod ſi Sanctus Doctor cineribus inclinationem, aut potentiam naturalem ad reſurrectionem denegauit, merito quidem: quia reſurrectio eſt actio ſupernaturalis, atque adeò ad illam nequit cineribus potentia naturalis cõuenire: at quia anima humana eſt forma naturalis poteſt cineribus naturalis aptitudo ad illam ineſſe, & hanc eis Sãctus Doctor haud quaquam denegauit. His itaque duobus dicendi modis prænotatis, iuxta primum facilis eſt ſolutio ad formã principalis argumenti. Illo tamen ommiſo licèt nõ reiecto omnino, aut contemnendo, ſed vt minus Doctori Sancto conſentaneo iuxta ſecundum reſpondetur negando cõſequentiam: quia potentię naturali ad formam & non ad modum adquirendi illam, ſiue ad eius productionem non reſpondet agens naturale: poteſt etiam dici, quod reſpondet etiam ei virtus agentis naturalis, quoad ſubſtãtiam, & ſupernaturalis quoad modum dũtaxat, Deus enim vt author naturæ (vt multis placet) eſt potens cæco viſum reſtituere, & mortuum ad vitam reuocare, & alios effectus quoad ſubſtantiam naturales, & quoad modũ miraculoſos ſupra leges naturæ operari, eoquod vt author naturæ habet plenum dominium in ſuis legibus, & vt ſupremus Princeps poterit in illis diſpenſare: virtus autem authoris naturæ, vt ſic naturalis eſt. Ad primam confirmationem, quod potius eſt pro nobis quatenus ponit in anima humana ſeparata naturalem inclinationẽ ad corpus, & ad modum illum verum actuandi, ſiue reaſummẽdi, non negat potentiã obedientialem. Ad ſecundam vero negatur paritas rationis: nam in illis caſibus ſiue exemplis non fit reproductio eiuſdem numero compoſiti ſemel corrupti: ſed fit tantum productio ſucceſsiue alterius numero diſtincti, & eiuſdẽ cum primo, ſecundum ſpeciem, ſic Aquila renouat iuuentutem ſuam in productione ſibi ſimilis, niſi etiam verum ſit ipſam antiquis plumis abiectis nouis ſuper veſtiri certo tempore, in qua tamen renouatione nullatenus credendum eſt ipſam vires ſemel amiſas aut virtutem aliquam ſemel deperditam, ſecundum numericam identitatem recuperare, niſi ea recuperatione qua per calorem naturalem virtus nutritiua ex alimento deperditam humidi radicalis partẽ ſolet recuperare. Pellicanus autem numquam idem numero renaſcitur, etiam ſi ex proprijs carnibus pullos ſuos allere dicatur, Phœnix vero & ſi comparem ſuæ ſpeciei non habeat, de quo eſto fides apud authores, tamen priusin vermem conuerti-

tur per quaſdam medias tranſmutationes, ex quo veluti ex ſemine virtute cæleſti cõcurrente, & vicem generantis ſupplente proxima motrice intelligẽtia aliud indiuiduum diſtinctum à mortuo generatur, & ſi hac in parte Conimbricenſes increduli adeò perſeuerent, vt Phœnices comparem habere, & ex ouo ſicut & cæterarum Auiũ pullos naſci nõ ſemel aut iterum atteſtentur, vt videre licet apud ipſos, libro ſecundo de generatione, c. 11. q. 1. art. 4. & 2. de cælo & mundo q. 6. art. 2. ea conuicti ratione, quod animalia perfecta ex ſemine debeant generari, imperfecta vero ex cæleſti influxu in terra, locũ ſupplente ſeminis, & à Deo proxime vicem ſupplente generantis debeant produci. Sed quia nos Sanctorum Patrum teſtimonijs increduli nollumus eſſe, & de modo productionis Phœnicis & aliorum animalium, tam perfectorum, quàm eorũ quæ minus perfecta ſunt, iam in lib. 7. propriam explicuimus ſententiam, & præſenti confirmationi ſufficientem adhibuimus ſolutionem, ne eadem ſæpius repetamus & Conimbricenſium incredulitatem bis condemnemus, neque enim bis punit dominus in id ipſum, ad articulum tertium tranſitum faciamus.

ARTICVLVS. III.

An accidens idem numero ſemel corruptum, ſiue annihilatum poſsit per naturam reproduci.

29 IN hoc articulo communis ſententia aſſerit accidentia perfectã vnitatem habentia non poſſe per naturam reproduci, ſiue permanentia, ſiue ſucceſsiua ſint, quam proſequũtur Durandus in 4. d. 43. q. 3. Capreolus ibidem q. 1. Conimbricẽſes vbi ſupra q. 2. ar. 2. & q. 3. Marſilius ibidem, nempè, 2. de gener. c. 11. q. 18. Suarez Methap. d. 6. ſect. 9. & to. 2. 3. p. diſput. 44. ſect. 6. atque videndus eſt D. Tho. in loco allegato 4. contra gent. in 4. ſententiarum, d. 43. q. 3. ar. 1. & quodlib. 4. q. 3. art. 2. Scotus tamen & illi qui ſubſtantiæ poſsibilem eſſe per naturã reproductionem exiſtimabãt, id ipſum de accidentis ſaltim permanentis reproductione tenentur affirmare. Pro huius tamẽ declaratione duo oportet accipere notabilia. Alterum eſt accidẽtia eſſe in duplici differentia, permanentia alia, & alia ſucceſsiua: quæ duplici diſcrimine diſtinguntur: permanentia namque exiſtunt ſecũdum ſe tota, & quoad omnes ſuas partes ſimul, ſecus autem ſucceſsiua, quæ nequeunt exiſtere, niſi ſecundum aliquid ſui. Rurſus permanentia, non requirunt continuitatem durationis, ſucceſsiua huiuſmodi continuitatem requirunt ad ſui vnitatem, ſoluetur enim eorum vnitas per ſolã diſcontinuationem, quod patet in motu continuo, qui per diſcontinuationem deſinit eſſe idem: verum eſt hanc conditionem non conuenire omnibus entibus ſucceſsiuis, ſunt enim aliqua ſucceſsiua diſcreta, vt numerus ſucceſsiuus quem lib. 5. diximus eſſe orationẽ, & motus ſiue tẽpus Angelorum diſcretum, quod ſucceſsiuum ex partibus actu diuiſis conſtans eſt. Tamẽ quia regulariter vnitas accidentis ſucceſsiui ſoluitur per deffectum continuationis, numquam autem ad vnitatem accidentis permanentis requiritur conuitatis durationis, ideò ſtat diſcrimen hoc ſecundum inter permanentia & ſucceſsiua accidentia, penes hoc, quod illa nunquam petunt ad ſuam vnitatem durationis continuitatem, hæc autem illam aut ſemper, aut regulariter expoſcunt. Hanc duplicem differentiam aſsignat D. Thom. in 1. diſtinct. 8. quæſtione 1. art. 1. ad 2. dicens quod in entibus ſucceſsiuis duplex inuenitur imperfectio altera ratione diuiſionis & altera ratione ſucceſsionis, quia vna pars non eſt ſimul cũ alia, ſecus vero in permanẽtibus de quibus ait in q. 5. de potentia ar. 1. ad 2. quod eorum eſſe non eſt diuiſibile, ſecundum ſe, ſed tantum per accidens, hoc eſt, prout alicui motui ſubiacet, ex cuius aſsociatione extrinſecam quandam ſucceſsionem, ſiue diuiſionem participat: ex hac autem duplicientis ſucceſsiui imperfectione duplex aſsignatum proculdubio oritur diſcrimen. Alterũ eſt quod accidentis vnitas numerica ex ſubiecti, quantitatis, & temporis vnitate deſumitur, materia enim quantitate ſignata ſicut eſt principium indiuiduationis ſubſtantijs corporeis, ita & eius accidentibus radicaliter vnitatem numericã præbet non ſe ſola, ſed vt ſubeſt tẽporis & loci circunſtantijs. Sed ſicut in ipſis accidentibus eſt latitudo quoad entitatẽ, ita & quoad vnitatẽ, alia enim ſunt magis & alia minus entia per ſe, ita & alia ſunt, quę maiori, alia vero quæ minori gaudẽt vnitate: quædam ſunt ſimplices formæ, vt ſcientia, albedo, & figura, alia vero ſunt cõpoſitæ qualitates in pluriũ aut proportione aut ſucceſsione ordinata conſiſtentes, quæ proinde ſolam habent ordinis vnitatem, de quorũ numero ſunt, vt probabilis tenet opinio, ſanitas, & pulchritudo, quarum illa in quatuor primarum

matum qualitatū attemperatione, hæc vero in coloris ac debitæ figuræ aſſociatione cōſiſtit: & fluuij motus origo, & curſus, atque locus corporis circunſcriptiuus, quæ quadam ordinis vnitate contenta ſunt, vt ſtatim explanabo.

30 Reſpondeo dicendū primo, accidēs ſucceſsiuum nullatenus per naturā poſſe idē numero reproduci, & patet ex duplici illius intrinſeca imperfectione, per quā ab ente permanenti diſcriminatur: nā de ratione entis ſucceſsiue eſt diuiſio partiū: atque ſucceſsio, ratione cuius includit partē præteritā & tranſactam ante illud quod de præſenti exiſtit, ſiue illud ſit aliquid indiuiſibile, ſiue diuiſibile, ſed præteritū nequit reproduci: ergo. Rurſus: vnitas accidentis ſucceſsiui intrinſice dependet à tēpore & ſucceſsiua duratione, ſed hæc nequit reproduci ſaltē naturaliter: ergo neq; motus aut quoduis accidens ſucceſsiuū poterit naturaliter reproduci. Denique ſi dūrāte quarta parte motus aut tēporis poſſet prima reproduci, ſimul coexiſterent illæ duæ partes, nēpè prima & quarta: at hoc eſt contra vnitatem entis ſucceſsiui, & contrā eius naturalē conditionem, etenim intrinſeca petit, quod eius partes non ſint ſimul, ſed quod vna alteri ſuccedat: vnde per huiuſmodi ſimultaneam coexiſtentiam eius naturalis vnitas ſolueretur: ergo nequit ſecundum partem reproduci naturaliter, & à fortiori neque ſecundum totum poterit natura ipſum reproducere.

Dico 2. Accidentia permanentia, quę ſola ordinis vnitate gaudent, hoc eſt, quorū vnitas conſiſtit in plurium entium ordinata ſucceſsione, poſſunt per naturā reproduci. Hæc cōcluſio probatur: nā ſubſtātiæ imperfectæ & quæ vnitatem ordinis dūtaxat habent, vt fluuius & ſimilia, diximus poſſe per naturā reproduci, ſed eadē ratio eſt de accidentibus ſimili vnitate gaudentibus: ſimo reproductis huiuſmodi ſubſtātijs neceſſe eſt accidentia earū ſimul cum ipſis reproduci: nam reproducto fluuio per iteratum fluxū à quo per ſpaciū vnius anni cēſauerat, oportet figurā quantitatem, & fœcunditatem illius in piſcibus procreandis de nouo eandē aduenire, & eadē proprietate, qua dicimus hunc eſſe eūdem fluuiū, cum illo qui antea vnum annum per hanc alueum decurrebat, dicimus etiam hanc eſſe figuram, quantitatem illius eiuſdē fluuij: & ſi iterum piſces eiuſdem rationis cū antiquis procreantur in illo, dicemus hāc eſſe illā fœcunditatem, qua antea ſolebat ſimiles piſces procreare: ergo & eadē ratione & proprietate, qua ſubſtantia fluuij, & eius accidentia iterū redeunt, atque reproducuntur. Confirmatur: nā locus huius ciuitatis ſemel deſtructus per miraculum, quod fieret, ſi hac ſuperficie aeris ambientis fluat verſus occidentem, & nulla alia à plaga orientis ſuccedat per ſpacium vnius diei per quod ciuitas maneret in vacuo, poſteà tranſacta illa die aer ſuæ naturæ relinquatur, iterūm concaua ſuperficie ambibit ciuitatem illā, quæ locabitur eodem prorſus numero loco formaliter, quo antea fuerat locata, atque circunſcripta, quæ quidem erit quędā eiuſdē loci reproductio naturaliter facta ſuppoſito primo miraculo: ergo. Maior patet: nā cū ciuitas māſerit immota localiter nō mutauit locū hodie & heri: ergo hodie & externadie eundē locū occupauit vel ſaltim nō diuerſum: ac proinde locus iſte de nouo ſuperueniens idē numero cēſendus eſt cū illo, quē heſternadie occupabat, eo quod identitas loci ambientis, in ſola plurium ſuperficierū ambientiū ſucceſsione in eadē diſtātia ad polos fixos mūdi cōſiſtit, verū eſt à multis nō tam fimæ notæ Philoſophis propter incōuenientes huius argumēti effugiēdū ſuſtineri locū eſſe immobilē dūtaxat ſecūdū ſpeciē: ac proinde poſſe idem corpus manens immotū mutare numerice locū, ſed quia exemplorū nō requiritur adeo veritas, vt non liceat in his quæ ambigua ſunt & ſublitē verſantur explificare, ſufficienter dicto exemplo de loco ſuperuenienti de nouo in eadem diſtantia ad partes mūdi fixas noſtra cōcluſio cōprobatur. Eodem modo vmbra ſemel impedita, per deffectū lucis, aut alterius corporis oppoſitionē, poſtea ab eodē corpore dicitur reproduci, & imago ſępius de nouo ab eodem corpore impreſſa ſpeculo dicitur reproduci in illo, quia ad vmbræ & imaginis ſpecularis ſaluādā identitatem nō requiritur tanta vnitas quanta ad ſaluādā entis vnius ſimpliciter identitatem expoſcitur, ſimiliter materiæ primæ ſignatio in plurium accidentiū ordinata & imperceptibili ſucceſsione cōſiſtēs, poteſt reproduci eodem modo, vt ſi aliquis homo per cōtinuā coloris naturalis actionem partes humidi radicalis antiquas deperdentis & nouas à generātis, totā materiā in qua anima à principio fuerat ſuſcepta per viginti annos deperdat, & illis trāſactis nouā adquirat, huiuſmodi adquiſitio erit primæ materiæ ſignatæ, ideſt, primæ quātitatis, figuræ, coloris & humorū quibus materia ſignatur, & fit hæc numero, huiuſque hominis, & animæ indiuiduationis principium, reparatio, ſiue re-

pro-

productio: ergo in huiuſmodi accidẽtibus, vnitate per ſe ac ſimpliciter non gaudẽti bus, non ſolũ nõ eſt inconueniens, verum neceſſariũ quodammodo eſt fateri ſemel corrupti aut deperditi reparationẽ, atque reproductionem, quæ propriè & in rigore non eſt entis priùs corrupti reproductio, quia illa indiuiſibilis entitas ſuperficiei, vmbræ, imaginis ſpecularis, aut oſsis & car nis, ſemel deperdita & corrupta nõ reddit, ſed reddit alia ei ſimilis, ſuppoſitaque loco illius, & eius vices gerens cenſetur eadẽ cũ illa moraliter loquendo, & ſecundũ vnitatem ordinis ſecundũ quã illud ens quod in vna aut altera parte deſinit eſſe, in alia ſuperſtite ſupereſſe dicitur, vnde potius eſt ſucceſsio ſimilis entitas deperditæ & tranſactæ quã eius reproductio, quia tamen ex tranſacta & ſuccedente entitate fit vnum ens vnitate ordinis, dicitur reproduci idẽ ens quod antea fuerat deſtructum, licèt reproductio, & deſtructio non terminentur ad eandem indiuiſibilem entitatem, quod tamen exigebat rigoroſa accidentis ſemel corrupti productio, & de hac videndum eſt in ſequenti concluſione, an ſit poſsibilis per naturam.

31 Dico 3. Accidens permanens habens vnitatẽ ſimpliciter, nequit ſemel corruptum per naturem reproduci. Hæc probatur primò ratione qua vtitur Sãctus Doctor in quodlibeto citato: nam vnitas accidentis permanentis etiam â motu & tempore dependet, licèt non ita per ſe ſubiaceat motus, aut temporis ſucceſsioni, ſicut vnitas accidentis ſucceſsiui quę intrinſece claudit ſucceſsionẽ, at ens quod in ſua vnitate numerica dependet ab vnitate motus & tẽporis nequit naturaliter, hoc eſt, ab agente naturali reproduci, quia agens naturale nequit tẽpus reparare, & cũ operetur per motum nequit eundem motũ elapſum ſemel reaſſummere & repetere, ſed quoties operatur in diuerſis temporibus ac diſcontinuatis, diſtinctos etiã motus numero debet exercere: ergo neque accidens, licèt in ſe permanens ſit, ſi tamen à motu, ideſt actione productiua ſui cũ motu & à tali tempore dependeat, poteſt naturaliter reparari, nihil enim naturaliter eſt reparabile, eo modo quo à motu & tempore dependet, quia hæc reparabilia ſunt. Secundo probatur ratione Durandi vbi ſupra: nam accidens permanens, verbi gratia, hæc albedo modo exiſtens in Petro naturaliter, & per ſe dependet in ſua numerica vnitate ab illa actione numerica per quam fuit producta: ergo variata actione productiua albedinis, neceſſe eſt & ipſam albedinem variari, ſed ſi hæc albedo ſemel corrumpatur, & idem agens eidem ſubiecto applicetur de nouo, neceſſe eſt alium motum & aliam actionem albefactiuam exercere: ergo neceſſe eſt & albedinem ſecundo productam eſſe aliam à prima ſemel corrupta, conſequentia patet: nam variato & multiplicato principio indiuiduationis, à quo indiuiduum per ſe & naturaliter depẽdet, neceſſe eſt variari & multiplicari ipſum indiuiduum, quod à tali principio habet dependere.

Dico quarto. Hęc accidentis permanentis naturalis reproductionis impoſsibilitas lumine naturali eſt nota, & prædictis rationibus ſufficienter demonſtrata. Hanc concluſionem ſtatuo aduerſus Suarium, qui licèt nobiſcum ſentiat non poſſe naturaliter accidentia tam ſucceſsiua, quàm permanentia reproduci, negat tamen hanc impoſsibilitatem eſſe hucuſque naturalibus rationibus demonſtratam: neque poſſe colligi euidenter ex dependentia accidentis ab actionis & temporis vnitate, ſed vel ad voluntatẽ Dei liberam eſſe reducendam, cuius non poteſt eſſe aut fieri naturalis demonſtratio, vel ad conditionem potentiæ actiuæ agentis naturalis, quæ cum ſuapte natura ad indiuiduorum multiplicationẽ ordinata ſit, numquam naturaliter ad eundem effectum numero producendum bis applicatur: ac proinde talem effectus eiuſdem reproductionem non reddi impoſsibilem agenti naturali ratione eius impotẽtiæ aut inefficatiæ virtutis productiuæ, aut ratione ipſius facti impoſsibilitatis, ſed ſolum ratione diuinæ voluntatis, & eius libero ſtatuti, aut ratione innatæ inclinationis, ipſius actiuæ potentiæ agentis naturalis, innata (in quam) ad hoc vt ad eundem numero effectum non niſi ſemel applicetur, cuius quidem inclinationis cauſam & radicem ignoramus. Sed noſtra concluſio probatur primo, oſtendendo prædictas rationes ex Doctore Angelico de promptas eſſe demõſtratiuas: nam vbi neceſſe eſt multiplicari principium indiuiduationis accidentium, neceſſe quoquè eſt & ipſa accidẽtia indiuiduata multiplicari: at quando idẽ agens naturale per ſuam naturalem virtutem eidem ſubiecto applicatur ſecundo, in quo priùs ſuum effectum produxerat, quem ſupponimus iam corruptum, neceſſe eſt multiplicari actionem & temporis durationem variari, à quibus accidens indiuiduatur vt ex libro 8. ſupponimus: ergo neceſſe eſt etiam & ipſum accidens numericè

ricè pluriſicari in tali ſubiecto. Min. declaratur exemplo ignis & caloris in lignū introducti, ſit caſus quod in ligno A. productus fuit ab igne B. nudius tertius calor C. qui heſterna die fuit corruptus propter abſentiam ignis B. qui fuit à ligno ſeparatus, ac proindè illum calorem nequit conſeruare, hodierna tamē die fuit idem ignis B. eidem ligno A. iterum applicatus, in hac ſecunda applicatione neceſſe eſt calefactionem aliam à prima, nempè ab illa quam habuit circa idem lignum nudius tertius, eo quod illa fuit facta cum motu, ſimiliter determinatio ſeu portio temporis eſt alia, quia eſt alia dies, prima enim ſemel tranſacta irrecuperabilis naturaliter eſt, neque præteritum potuit reddire: ergo cum identitas caloris ab his duobus naturaliter dependeat, neceſſe debet alius calor de nouo produci & conſequenter eadem neceſſitate primus poſt ſui corruptionem eſt irreproducibilis. Secundo oſtenditur efficacia earundem rationum in hunc modum, licèt numerica vnitas huius caloris, ſine lucis, quam hodierna die in hoc noſtro Emiſphe rio Sol producit, non claudat intrinſece durationem huius diei, neque actionem productiuam, tamen intrinſece claudit ordinem ad illas, ita vt ordo ad tempus hoc & ad hanc numero actionem ſit intrinſecus huius accidentis hæceitati ſeu numericæ vnitati: ergo ſicut illa duo ſemel tranſacta nequeunt per naturam redire, ita ordo lucis, vel caloris ad illa nequit ſemel corruptus per naturam idem numero reproduci. Tertio oſtenditur efficacia earundem demoſtrationum in hunc modum, & ſimul duæ præfatæ rationes roborantur: nam ſecundum naturalem ordinem & exigentiā ordo huius accidentis ad ſuam productionem & ad tempus à quo menſuratur petit coexiſtere illis, ſicut menſuratum petit naturaliter coexiſtere ſuæ menſuræ, & terminus actioni productiuæ ipſius, qua lege & ratione licèt accidēs miraculoſe poſſit eſſe extra ſuum ſubiectum, tamen naturali exigentia & ſuapte natura atque per ſe petit eſſe in ſubiecto & nullibi exiſtere niſi in illo, & illi ſimul inhæſiue coexiſtēdo, quia intrinſece dicit ordinem ad illud vt ad terminum ſuæ habitudinis & tendentiæ à quo ſimul habet indiuiduari: ergo ſimiliter ordo accidentis ad tale tempus & ad talem motum & actionem, licèt ab illis per miraculum poſſit ſeparari, tamen naturaliter petit illis coexiſtere: ac proinde ab eis per naturam eſt inſeparabilis: tunc vltra, ſed reproductio eiuſdem accidentis antea corrupti, eſt ſeparatio illius ab huiuſmodi principijs ipſum indiuiduantibus vt patet, etenim coniungit illum alteri actioni, & alteri temporis portioni: ergo ſicut talis ſeparatio, ita & talis reproductio eſt per naturam impoſsibilis. Quarto probatur concluſio oſtendendo rationem prædicti authoris eſſe inefficacem: nā ridiculum eſt diuinæ voluntati, liberoque eius ſtatuto tribuere illud, quod habet cauſas in naturis ipſis, & ad quas poteſt & debet proximè & cōnaturaliter reduci, talis autē eſt impoſsibilitas reproductionis eiuſdem accidentis corrupti, quæ oritur ex irreparabilitate principiorum indiuiduationis illius: huic accedit quod ſi in potentia agentis naturalis ad reproducendum eundem effectum, ex ſolo ſtatuto libero Dei proueniret, illo variato talis tolleretur impotentia, & cum poſsit mutari ſtatutum Dei per ſolam temporis mutationem, abſque intrinſeca rerum naturalium mutatione, qua ratione per mortem Chriſti lex antiqua virtutem obligandi & vtilitatem amiſsit, abſque vlla rerum mutatione intrinſeca, quia à ſolo ſtatuto Dei, quo ſtatuerat illam virtutem obligandi & vtilitatem vſque ad Chriſti mortem dumtaxat retinere, dependebat, falſum autem eſt agens naturale, verbi gratia, ignem de impotente fieri potentem ad calorem corruptum reproducendum per ſolam ſtatuti diuini ceſſationem, & temporis mutationem. Accedit deinde deffectus ſecundi dicti eiuſdem Authoris: nam ſi ex naturali inclinatione admultiplicationem indiuiduorū proueniret impoſsibilitas reproductionis eiuſdem indiuidui, aut talis inclinatio eſt ſimul in potentia naturali ad reproducendum, aut eſt dumtaxat appetitus & propēſio ad nouam, nouique indiuidui productionem, compariens tamen ſe cum in eodem agente naturali virtutem & potentiam ad vnius indiuidui iteratam productionem. Si primum detur, ſequitur talem reproductionem eſſe naturaliter impoſsibilem agenti naturali, impoſsibile nā que eſt naturaliter, illud quod agens naturale eſt ab intrinſeco impotens, & ad quod Sphera obiecti potentiæ illius non extenditur: ac proinde Suarez non eſt ſibi conſtans, dum hanc inclinationem naturalem admittens, negat talem reproductionem eſſe naturaliter impoſsibilem deffectu potētiæ agentis naturalis: ſi tamen admittat ſecundum vt videtur admittere, ſequitur nō eſſe miraculoſam reproductionem eiuſdē indiuidui, quod tamen eſt falſum, & ipſe Suarez non audebit fateri, ſequela autem

tem patet: nam quod præciſſe eſt cõtra naturalem inclinationem, ſi non excedat potentiam naturalium cauſarũ non eſt opus miraculoſum, qua de cauſa detentio grauium & leuium extra eorũ naturalia loca nõ eſt miraculoſa, ſimiliter nec miraculoſa eſt voluntaria carẽtia ſciẽtiarũ, & ſi ſit cõtraria naturali appetitui, quo omnis homo naturaliter ſcire deſiderat, neque mors hominis miraculoſa eſt, licèt ſit cõtra naturale deſiderium ſe ipſum cõſeruãdi, & cũ alias prædicta inclinatio propria ad multiplicationẽ indiuiduorũ propenderet vt ſpecies per multiplicationem illorũ poſſet cõſeruari ac perpetuari, ex affectu enim huiuſmodi conſeruationis prouenit appetitus quo agens naturale intendit indiuiduũ ſibi ſim le generare, quod quidem deſiderium non minus expleretur per corrupti indiuidui reproductionem, quã per nouã alterius productionẽ, hinc fit vt ex tali naturali inclinatione non minus inclinatur agens naturale ad corrupti indiuidui reproductionẽ, quã ad nouũ indiuiduũ producendũ, ac proinde perperã ac ſine vllo prorſus fundamento impoſsibilitas reproductionis eiuſdẽ indiuidui, ad naturalẽ inclinationẽ, quã habet agens naturale multiplicãdi indiuidua, reducitur, cum ex tali inclinatione nõ magis horũ multiplicatio quã illius reproductio poſsibilis cõprobetur aut cõprobari poſsit: hęc enim inclinatio aut eſt eadem cũ inclinatione, quã habet agẽs naturale ad ſui eſſe cõſeruationẽ, atque eius perpetuitatem, quã non aliter poteſt conſequi, quã in ſibi ſimilium indiuiduorum productione, ſiue hæc ſit diſtincti nouique indiuidui ſiue alicuius ſemel corrupti iterata atque repetita productio. 5. Probatur concluſio ſoluendo rationes quibus demõſtrationes factas prædictus author infringere conatur. Aduerſus primã nãque mouetur, eo quod ſuo videri à motu & tempore non eſt tanta dependentia effectus naturalis, quanta ſufficit tollere eius numericã vnitatem: nam quod hic numero effectus ſit cum tali motu productus, & à tali tempore mẽſuratus eſt pura denominatio extrinſeca, ſicut ꝙ agens naturale hic & nũc operetur, aut alibi & in alio tempore, eſt denominatio extrinſeca, quæ nec ponit aliquid illi intrinſecũ, nec ab illo admittit intrinſecũ. Aduerſus ſecundam mouetur dupliciter: primo, quia vnitas actionis ſummi debet potius ab vnitate effectus, quam è conuerſo, alias daretur circulus in huiuſmodi indiuiduatione. 2. Quia cũ actio non ſit de eſſentia effectus, ſtãte vnitate effectus poterit multiplicari actio, ſicut de facto ad eundẽ numero hominem generatio terminatur, & poſtea terminabitur reſurrectio. Ad 1. enim reſpõdetur negãdo antecedens licèt enim tẽpus, & motus, & ſubiectũ & aliæ circũſtãtię extrinſecę ſint effectui naturalis ordo tamẽ ad illas eſt illi intrinſecus, & intrinſece ad eius pertinẽs vnitatẽ. Ad 2. negatur dari vicioſum circulũ, neq; enim omnis circulus eſt vicioſus: nam ſicut abſque vicioſo circulo poſſunt duo ſe mutuo ſpecificare, quia in diuerſo genere cauſæ mutuo ſe ſpecificãt, ſic etiã abſque vitioſo circulo poſſunt duo ſe mutuo indiuiduare: quia ſe in diuerſo genere cauſę indiuiduãt extrinſece: & hac ratione ipſe Suar. alibi fatetur materiã & formã ſingulare ſubſtantialẽ ſe mutuo indiuiduare abſq; circulo vicioſo, quia diuerſum eſt genus cauſæ indiuiduãtis in vtraq; formalis, ſcilicet atque materialis, quare igitur vicioſum circulũ appellat illũ quo mutuo terminus & actio ſe entrinſece indiuiduãt? ſiquidem diuerſum quoque genus cauſæ, ex parte vtriuſque reperitur, actio enim in genere efficientis, terminus vero in genere obiectiuæ, & veluti finalis cauſæ ad huiuſmodi cõcurrit indiuiduationẽ. Ad 3. denique dicendũ, ꝙ licèt actio nõ ſit intrinſeca termino formaliter, ordo tamẽ ad illam eſt intrinſecus termino producto: vnde ſicut ad eũdẽ terminũ formalẽ nequeũt duæ actiones ſpecie diuerſæ terminari, ita neque ad eũdẽ terminũ numerice poſſunt duę actiones numero diſtinctę terminari ſaltẽ naturaliter loquẽdo, hoc eſt ſuapte natura, & relinquẽdo res ſuis naturis, ſi tamen aliqua actio illarũ fiat miraculoſe à Deo, poterũt quidẽ actiones circa eundẽ terminũ multiplicari, & ſic circa eũdẽ hominẽ verſari poſſunt naturalis generatio, & reſurrectio.

32 Sed reſtãt hæc argumenta ſoluenda. Primũ deſumitur ex vnitate ſubiecti à quo accidẽtia indiuiduãtur: nã ſtãte eodẽ principio indiuiduationis inuariato, accidẽs in diuiduatũ debet idẽ permanere, ſed ſubiectũ albedinis externa die corruptæ, v. g. ꝙ fuit Petrus, aut Petri corpus eſt ꝙ hodierna die ſuſcipit albedinem, & ab illo indiuiduatur hæc albedo, quæ illi iã corruptæ ſuccedit, ergo albedo eſt eadẽ, & ſic neceſſe eſt quod quoties in eodẽ ſubiecto ſimile accidens in ſpecie producitur ſit idem numero accidens inuariatũ, atque eiuſdem reproductio ſeu repetita productio. Secũdũ deſumitur ex naturali cõnexione & ordine aliquorũ accidentiũ ad ſubiectum, potentia enim viſiua eſt ita propria & connaturalis animali, ſicut frigiditas aquæ, ſed aqua

à frí-

à frigiditate cõnaturali priuata, relicta postea suæ naturæ eandẽ frigiditatẽ, quã amiserat, recuperat: nõ alia ratione nisi, quia est eius propriũ accidens atq; passio naturalis ad eius essentiã consequuta: ergo eadẽ ratione poterit cæcus potentã visiuã semel amissam recuperare. Quod si dicas aquã recuperare nõ eandẽ numero frigiditatẽ, sed similẽ in specie illi, quã antea habuerat. Cõtra hoc est: quod non est minor difficultas à priuatione ad habitũ similẽ in specie, quã a priuatione ad habitũ eundẽ numero semel amissum. Vndẽ cæcus qui semel habuit potentiã visiuã, sicut nequit naturaliter eandẽ numero potentiã visiuã recuperare; ita nequit naturaliter aliã similẽ in specie adquirere, & sicut potest miraculose, & de absoluta potentia Dei vnã, ita & aliã poterit recuperare, sed nõ obstante hac difficultate regressus à priuatione ad habitũ, aqua reducitur ad suã frigiditatẽ, siue eandẽ numero, siue similẽ in specie illi, quã antea habuerat: ergo eandẽ numero potentiã visiuã poterit cæcus naturaliter recuperare, si quidẽ difficultas in huius recuperatione nõ est maior, quã difficultas quæ in recuperatione frigiditatis naturalis aquæ reperitur. Cõfirmatur: nã potentia visiua potest eandẽ numero visionẽ induabus partibus vnius horæ discontinuis repetere atque cõseruare: ergo eiusdẽ accidentia repetita productio non est impossibilis naturaliter. Antecedens patet: nam cũ potentia visiua possit eandem visionẽ numero per omnes partes vnius horæ cõtinuas 1. & 2. medietatis retinere, & cõseruare, cur nõ poterit induabus primæ medietatis partibus discõtinuis illam retinere, ac cõseruare: si quidem maior distantia inter partes primæ, & secundæ medietatis horæ etiam cõtinuas, quam inter partes primæ medietatis discõtinuas versatur. Tertium sumitur ex ipsius naturalis agentis potẽtiæ atq; virtutis immutabilitate: nãhęc nec minuitur, nec fit minus potens post primã vnius effectꝰ productionem: ergo cũ virtus, & potentia agentis naturalis eodem modo se habeat post & ante primam effectus vnius productionẽ, atq; eiusdem corruptionem, sicut antea erat potens per illam agens naturale producere, hunc effectum, ita & postea erit potens eũdẽ effectũ producere, ac proinde nulla est impossibilitas naturalis quominus effectus semel corruptus per eandem producatur, per quam fuerat primo productus, antecedens patet in ductiné in potentijs agentiũ naturalium, quæ possũt effectus sincathegorematice infinitos producere, etiã post 1. 2. & 3. productionẽ, v.g. potentia ignis etiam supposita 1. & 2. calefactione potest infinitas sincathegorematicè ellicere, & virtus intellectus post 1. & 2. & 3. intellectionem, manet potens ad infinitas eodem modo, quia per vnũ, aut per multos actus nullã diminutionẽ virtutis huiusmodi potentiæ in se patiũtur, primavero cõsequentia patet, quia potentia eodẽ modo se habens in agente naturali eundem tribuit effectũ formalem. Secũda vero patet, ex eo illa naturalis impossibilitas reproducendi effectũ semel corruptũ deberet oriri ex aliqua agentis naturalis impotentia, sed hæc nulla est in agente naturali: ergo ex nullo cap. oritur illa naturalis impossibilitas effectus reproducti. Dices, illam nõ ex impotentia agentis, sed ex parte effectus ipsius semel corrupti oriri, eo quod dũ effectus corrũpitur, & desinit esse in rerũ natura extrahitur ab obiecto potentiæ agentis naturalis, sicut dũ color desinit esse, extrahitur ab obiecto potentiæ visiuæ, nõ obstante quod hæc immutata, & æqualis virtutis in se maneat. Sed cõtra hoc arguitur: nam nõ est assignabile per quid calor corruptus, v.g. extrahatur à latitudine obiecti, siue effectus cõtenti in virtute potentiæ calefactiuæ ignis: ergo sicut ante sui primam productionem cõtinebatur in virtute illi⁹, ita post sui productionẽ atq; corruptionẽ, debet in eiusdẽ calefactiuæ potẽtiæ virtute cõtineri. Antecedens probatur: nã tria possent esse quę hãc extractionẽ inducerẽt, scilicet, aut intrinseca ipsius potẽtiæ imperfectio, & diminutio, aut ipsa prima effectus productio, aut eius corruptio: nõ primũ, quia vt probatũ est eundẽti ratione, potentiæ virtus nõ fit minor per vnius effectus productionẽ: nõ secundũ, quod patet multipliciter, primo, quia prima effectus productio nõ mutat intrinsece potẽtiã actiuã, neq; illã determinat intrinsecè, cũ in illa nihil ponat, aut ab illa adimat: ergo relinquit eã cũ eadẽ virtute, ac indifferẽtia, quã antea habebat, ac percõsequens sicut antea ad omnes suos effectus se extẽdebat, ita post vnius productionẽ ad omnes se extẽdit, & ad omnes est indifferens. Secũdo: quia prima productio effectus illũ omnino extraheret à cõtinentia potẽtiæ actiuæ, iã nõ indigeret ab illa cõseruari, quod tamen nõ est verũ in calore, qui post quã productus est in ligno indiget ab igne conseruari, alioquin paulatim desinit esse. Tertio, quia cũ eadẽ sit potẽtia actiua, & cõseruatiua sæpe sæpius, vt in potẽtia calefactiua ignis, illuminatiua solis & similibus sicut prima effectus productio nõ extrahit illũ à cõtinentia virtutis cõseruatiuę, ita neq; eũ extrahet à cõtinentia productiuæ virtutis, quæ eadem indiuisibilis virtus est in agentibus æquinocis: non tertium, quod tum eisdem rationibus: tum specialiter probatur: nam per corruptionem effectus redit ad statum in quo ante sui productionem erat, scilicet, ad suum nõ esse, est enim corruptio mutatio de esse ad nõ esse, sicut generatio est

trãſitus de nõ eſſe ad eſſe, ſed effectus ante ſui productionẽ, quãdo noſtro more intelligẽdi erit veluti ſub nõ eſſe, nõ ſubterfugiebat virtutis agẽtis naturalis cõtinentiã: ergo neq; illã per ſui corruptionẽ poteſt ſubterfugere, quia redit per illã ad non eſſe, hoc eſt, ad eundẽ ſtatũ in quo antea illã non ſubterfugiebat: ergo ex nullo capite poteſt virtus naturalis agẽtis minui, vel coarctari ſeu determinari, vt ad effectũ ſemel corruptũ amplius non ſe extendat, niſi ad voluntatẽ Dei liberũq; ſtatutum recurramus, quo cũ cauſis ſecundis pepigit, vt ad effectus ſemel ab ipſis productos, iterũ producendos deinceps non ſe extendant. Ad primũ nihilominus reſpõdetur negando minorem: nã principiũ adæquatũ indiuiduationis albedinis heſternæ non eſt ſolũ ſubiectũ, hoc eſt ſolũ corpus Petri, ſed eſt corpus Petri, vt ſubeſt tali tẽpori, & actioni, & adæquatũ principiũ indiuiduationis hodiernæ albedinis eſt idem corpus Petri, vt alijs circunſtantijs aſſociatũ, nempe quatenus ſubeſt diuerſæ tẽporis portioni, atq; productiuæ actioni diſtinctæ, & quia iſtæ circunſtantiæ variantur, ipſum quoque principiũ indiuiduationis in ratione aſſociati, ſeu cõflati ex illa variari neceſſe eſt. Ad ſecundũ reſpondetur iuxta ſolutionem ibi aſſignatã, pro cuius maiori declaratione notet Metaphyſicus tripliciter poſſe contingere viſus carentiã, & ſimiliter frigiditatis abſentiã in aqua: vno modo poteſt animal eſſe cæcum per omnimodã pupillæ corruptionem, ita vt eam ſenſitiua anima non informet: alio modo, quia licet pupilla ab anima informetur, tamen potentiã viſiuam non habet, propter defectum alicuius diſpoſitionis requiſitæ: tertio modo per hoc quod licet animam, & potentiã habeat oculi pupilla, habet tamen illã ligatã propter aliquod ſuperueniens impedimentũ, & quoad vſum dumtaxat impeditam. Proportionabiliter aquatribus modis poteſt abſentiam frigiditatis connaturalis pati: aut enim ſecundũ ſe totam, aut ſecundum partẽ amittit formam ſubſtantialem aquæ per actionem agentis contrarij: aut retenta forma ſubſtantiali, amittit frigiditatem, quoad omnes gradus, qui caſus naturaliter eſt impoſsibilis, eo quod nequit naturaliter forma aquæ abſq; aliquo gradu frigiditatis conſeruari, tamẽ per ordinem ad potentiã abſolutam Dei, eſt poſſibilis: aut retinet aliquem gradũ frigiditatis, adeo tamen remiſſum, vt propter cõtrariũ ſuperueniens non ſit aſenſu perceptibilis, ſicut igitur animal obnoxiũ cæcitati primo, & ſecũdo modo nequit naturaliter viſum ſiue eũ dẽ numero, ſiue ſimilẽ in ſpecie recuperare, ita neq; aqua primo, & ſecundo modo frigiditate priuata, poteſt eandẽ numero, aut ſimilẽ in ſpecie naturaliter recuperare: ſicut autem quando aqua tertio modo incurrit carẽtiam frigiditatis poteſt ad priſtinũ ſtatũ reuocari, ſimiles gradus, aut ſimilẽ perfectionẽ, & intẽſionẽ frigiditatis ei, quã antea habuerat naturaliter recuperãdo: ita animal cęcũ tertio modo poteſt naturaliter per artẽ, & naturã viſũ recuperare, ideſt, viſus ligati vſum recipere, ſimilẽ vſui quẽ antea habuerat: ſi enim â natiuitate ligatus fuit, & ſemper vſu videndi caruit, nõ ſimilẽ, ſed eundẽ recipiet, quẽ à principio, ſi defuiſſet impedimentũ, habere debẽret, pupillæ ſoluendo ligamentũ. Verũ eſt in huiuſmodi pupillæ ligamentorum ſolutione maiorẽ eſſe difficultatẽ, quã in aquæ ad priſtinã frigiditatẽ, aut frigiditatis perfectionẽ reductione, eo quod frigiditas eſt qualitas quędã ſimplex quæ facile à cõtrario impedimento vindicatur, & ad perfectũ, & debitũ ſtatũ reuocatur: diſpoſitio vero naturalis pupillæ eſt non ſimplex, ſed cõpoſita qualitas in multarũ, ac ſubtiliũ partiũ conſiſtens harmonia, quæ difficilius, & ab impedimento contrario vindicatur, & ad concordiã reducitur, & hoc ſuppoſito ad ſub inductã replicã diſtinguenda eſt maior iuxta aſsignatã diſtinctionẽ. Ad cõfirmationẽ negatur antecedens: nam cum viſio ſit actio potentiæ viſiuæ dependens ab illius influxu infieri, & conſeruari, vbi primũ interrũpitur per huiuſcemodi potentię influxus ſuſpenſionẽ, corrũpitur viſio, ac proinde nequit eadẽ reproduci, ſed alia ſimilis circa idẽ obiectũ à potentia de nouo influente elicietur. Ad tertiũ tranſeat antecedens, & nego vtranq; conſequentiã: nã hæc eſt cõditio, & natura potẽtiæ naturalis, vt effectus ſemel eductus ex illa paſsiuẽ, vel ſemel per illã productus actiue, iã ſit extra eius productiuã virtutẽ, ita vt amplius nequeat educi ex ea, aut per eã produci, & ſicut potẽtia viſiua abſq; ſui diminutione nõ extẽditur ad Angelũ, quia reſpectu illius nõ eſt potẽtia, cũ ſit extra viſibilis obiecti latitudinẽ, ita virtus generatiua, v.g. caloris, abſq; ſui diminutione nequit ſe extẽdere ad eundẽ calorẽ bis producẽdũ, eo quod calor ſemel productus, eſt extra latitudinẽ obiecti producibilis adæquati: ſub quo tãtũ cõtinentur effectus nõdũ producti: vnde ex illo triplici capite oritur naturalis impoſsibilitas eiuſdem effectus reproductionis, ex parte quidẽ potentiæ naturalis, quia in ratione productiui principij, eius adæquatũ obiectũ tantũ eſt effectus, poſsibilis produci, qui tamẽ nũ quã fuit productus: vnde reſpectu iã producti eſt naturalis impotẽtia. Ex parte vero ſecũdi, ſcilicet, primæ productionis effectus, quia dũ producitur extrahitur â latitudine effectus producibilis, & nondum producti, qui eſt adæqua-

adæquatũ obiectũ potẽtiæ productiuæ quoad munus producendi, & multo magis fit talis extractio per eiusdem effectus corruptionem, per quam, scilicet, contrahitur in subiecto priuatio formæ, â qua est per naturam impossibilis regressus ad eandem formam. Ad primi autem improbationem, negatur consequentia, quia illa impotentia non ex diminutione, sed ex cõditione, & limitatione ipsius potentiæ prouenit, quæ vltra suum adæquatum obiectum extendi non potest. Ad improbationem secundi eodem modo respondetur. Ad primam patet ex dictis, ad secundam & tertiam, quod licet eadem res sit potentia productiua, & conseruatiua, tamen virtualiter, & quoad munus est duplex: vnde aliquis effectus potest illius latitudinem subterfugere, in ratione producentis, licet non subterfugiat illam quoad munus conseruantis. Ad tertij specialẽ improbationem negatur maior: nam status in quo effectus est per potentiam naturalem producibilis, non est quodcunque non esse, sed illud non esse, quod non supponit effectum fuisse aliquando productum, & ad talem statum per corruptionem non reducitur effectus.

ARTICVLVS. IIII.

An per potentiam Dei absolutam possit semel corruptum, siue â nihilatum, idem numero reproduci?

33 IN hoc articulo triplex versatur sententia: prima, & secunda extremæ sunt, illa enim negat posse etiam de potentia absoluta Dei eundem numero effectum reproduci, siue accidens, siue substantia sit, siue ens permanens sit, siue successiuum. Huius opinionis fuere Stoici, & Epicurei, de quorum schola constat act. 17. fuisse illos qui Paulum irridebant Athenis: *Quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis*: existimabant, enim hominum mortuorum resurrectionem, impossibilem esse: eiusdem sententiæ fuerunt Saducei, qui vt habetur Math. 22. negabant mortuorum resurrectionem, iudicantes illam prorsus impossibilem. Huc etiã pertinet error Samaritarũ, qui vt refert Epiphanius, tom. 1. aduersus hæreses, secta 9. nullam aliam futuram resurrectionem credebant, præter eam, qua pater vita functus, viuit in filio superstite, simili sibi, & ad eius imaginem genito. Hanc sententiã, nempe quoad alias res corruptibiles, excepto homine, cuius anima est immortalis, defendunt quidam ex Catholicis, existimantes, impossibilem prorsus esse reproductionem illorum effectuũ quorũ substantia, aut entitas per corruptionẽ deperit secundum totum, vel secũdum partem aliquam hominem vero posse reproduci, quia substantia per mortem, secundum neutram partem definit esse: de horum numero fuere Durand. vbi sup. nempe in 4. dist. 43. q. 3. Ioannes de Neapoli, quodlib. 21. q. 6. Marsil. 2. de gener. c. 11. q. 18. & Abulensis in eandem partem inclinat, Math. 22. q. 238. Secunda vero huic omnino opposita asseuerat, quodlibet ens siue substantiale, siue accidẽtale, siue permanens, siue successiuum sit, posse idem numero, â Deo de potentia absoluta reproduci. Hanc sequuti fuere Basolius in 4. d. 43. quæst. 1. Mayronis ibid. d. 44. q. 3. Aureol. d. 43. q. 1. art. 2. quibus subscribunt Conimbricenses, 2. de gener. c. 11. q. 3. art. 2. & Suar. vbi supra, nempe 1. tom. Meth. disputation. 6. sect. 4. §. *neque*, & disp. 50. sect. 9. §. *secunda difficultas*, in cuius tamen explicatione præfati authores in duos modos dicendi diuiduntur. Suarez namque, ait, quod in entibus successiuis, duo intrinsice includantur, & id quod est positiuũ ac reale, & negatio seu priuatio existentiæ, seu præsentiæ in parte præterita atque in futura (includit enim successio præter realitatẽ partium, quod aliqua pars præcesserit, & iam non sit, & quod alia futura sit, & nondum fuerit) quantum ad negationem nequit semel corruptum â Deo reproduci, bene autẽ quantum ad realem entitatem, Conimbricenses vero cum alijs quibus subscribunt absq; vlla distinctione affirmant, posse ens successiuum sicut, & permanens per Dei absolutam potẽtiam, semel corruptum reproduci. Tertia sententia media procedens via affirmat possibilem de potentia Dei absoluta reproductionẽ in entibus permanentibus, impossibilem vero in successiuis. Hæc habet pro se discipulos Doctoris sancti, Capreolum, scilicet in 4. distinctio. citat. quæst. 1. Ferrariensem 4. contra gentes, capit. 81. & Bañesium, vbi supra, & quia hæc est sententia sancti Doctoris in dicto capit. 81. 4. contra gentiles, & quodlibet. 4. quæst. 3. artic. 2. cui subscribit Fonseca, lib. 8. huius capit. 5. quæst. 2. sect. 3. & quæstion. 3. sect. 3. ideo pro illius explicatione sequentes statuimus assertiones.

34 Respondeo dicendum primo, quodcumq; ens permanens, siue corruptum, siue anihilatum posse, idem numero per Dei virtutem reproduci. Hæc assertio statuitur aduersus authores primæ opinionis, & quia vniuersalis propositio est, cuius subiectum pro omni ente permanẽte distribuitur: quatenus distribuit pro individuis naturæ humanæ, est certa eadẽ certitudine, qua perfidẽ certo credimus, ac tenemus omnes homines ad Christi

Diuina virtus quid possit circa reproductionem corruptorum.

aduentum fore ſuſcitandos, & de proprijs factis rationem reddituros: atque mortalia eorum corpora à mortalitate eſſe vindicanda, ſed quatenus diſtribuit pro alijs ab homine eſt adeo certa, vt concluſionem iſtã exiſtimem demonſtratam, magisq; fidei reſurrectionis conſentaneam. Vnde quatenus diſtribuit abſolute pro omni ente permanente probatur primo, ratione qua vtitur ſanctus Doctor quodlibeto prędicto, diſtinguens permanentia à ſucceſsiuis in hoc quod horũ vnitas includit intrinſice continuitatem durationis, ſecus vero illorum vnitas: ex quo diſcrimine tale deducimus argumentum, virtus potens agere ſine motu, & ſucceſsione, poteſt rẽ corruptam reparare, ſed virtus diuina circa permanentia poteſt operari ſine motu: ergo: maior probatur, nã propterea agens naturale nequit reproducere effectũ ſemel corruptum, quia operatur per motũ, vel dependenter â motu, ſiue mutatione: ergo vbi nõ eſt talis dependentia, neq; talis impotentia datur ad reproductionem. Minor etiã probatur: quia neque repugnat ex parte diuinæ virtutis, neq; ex parte rei permanentis fieri ſine motu, non ex parte huius, quia per accidens cõiungitur motui nõ enim in ſua eſſentia, & vnitate includit ſucceſsionẽ, aut motũ, ſed per accidens dũ taxat, & per quandã concomitantiã, quatenus ſcilicet, ſub eſt naturali ſui productioni, ac proinde poterit ſine tali dependentia, ac cõcomitãtia motus, & ſucceſsionis eius eſſentialis vnitas ſaluari, nõ ex parte illius, quia independens eſt a motu, & â cauſis naturalib⁹; poteſt enim ſine illis earũ effectus producere: ergo nihil obſtat diuinę virtuti quominus ſub iſtãtiã, aut accidens ſemel corruptũ poſsit idẽ numero reproducere, ſiquidẽ neq; obſtat ſucceſsio intrinſeca ipſius rei corruptæ, quæ permanens eſt, neq; dependentia virtutis actiuæ à motu, quæ nulla eſt, & hæc poſſent dũtaxat obſtare. Secundo probatur, & declaratur amplius præcedens ratio, quãuis accidens permanens, v.g. hæc albedo indiuiduetur adæquate ab hoc ſubiecto, & ab hac ratione, atq; à tali tẽporis portione, vt dictũ eſt: tamen indiuiduatur ab illis extrinſice, & ab ordine ad illa intrinſice, ſed ordo iſte intrinſecus tranſcendẽtalis poteſt ſaluari per diuinã virtutẽ abſq; eo quod illa exiſtant: ergo poterit etiã talis ordo reproduci, quãuis illa nõ reproducantur, aut ſint irreproducibilia. Minor patet: tum quia ordo tranſcendentalis ad aliquẽ terminũ, nõ neceſſario requirit exiſtentiã illius: alias ſciẽtia de roſa nõ coexiſtere poſſet abſq; roſæ exiſtentia Phyſica: quod tamen falſum eſſe experimẽto cõpertũ eſt. Tùm quia vnum quodque poteſt ſaltim miraculoſe exiſtere abſque eo quod eſt extra eius eſſentiam, licet naturaliter ab illo dependeat: niſi alias mutuoſe ponant, & interimant, vt contingit in correlatiuis, aut niſi effectus alicuius cauſæ intrinſicæ ſupplendus eſſet, vt contingit in materia prima, ſi exiſteret ſine forma ſubſtantiali, & ſimilibus. Tum denique, quia ſecundum fidem tenemus, accidentia in Euchariſtię ſacramento exiſtere, ſine ſubſtantia, ad quam tamen retinent vt ad ſubiectum ordinem tranſcendentalem, qui eſt aptitudinalis inherentia: ergo ſimiliter poſſunt ordinem tranſcendentalem ad motum, & tempus â quibus extrinſice indiuiduantur retinere, ſiquidem ordo ad hæc nõ eſt magis intrinſecus illis, quàm ordo ad ſubiectum, neque ordo ad illa magis neceſſario petit exiſtentiam ſui termini, quàm ordo ad iſtud: cõſequentia vero probatur, quia nequit fingi alius caſus in quo hæc albedo exiſtat ſine motu, & tempore, aquibus indiuiduatur, niſi caſus reproductionis poſt eius corruptionem, ſola enim reproductio poneret illam in eſſe, extra tempus proprium, & ſeparatam à motu, & prima productione â quibus habet indiuiduari, dum illam Deus per aliam actionem miraculoſam, & ſub alio tempore produceret. Et ſi hæc reproductio, atque ſeparatio à motu, & tempore ſub quibus res facta primo fuerat; eſt poſsibilis in accidentibus à fortiori erit poſsibilis in ſubſtantia corporea, quæ aut ab his duabus circunſtantijs motus, ſcilicet, & temporis non indiuiduatur: aut ab illis minus dependet, quam accidens, & ſi ab eis quodam modo indiuiduetur; dum à materia ſignata quantitate ſub ijs circunſtantijs accipit ſuam indiuiduationem. Et à fortiori adhuc ſubſtantia ſpiritualis poterit reproduci, & ab his circunſtantijs ſeparari, cum ab illis non dependeat, neque principia indiuiduantia ab ſpecificis in illa non diſtinguantur, & hæc eſt vis ac efficatia rationis Angelici Doctoris, vbi ſupra, ex eo enim, quod rei permanenti extrinſice motus, & tempus adiungantur, infert, poſſe abſque horum coexiſtentia ſaluari indiuidualem vnitatem illius, quæ in ſolo ordine tranſcendentali ad illa intrinſice conſiſtit. Tertio probatur: nam ad eandem rem poſſunt plures actiones productiuæ terminari, quarum vna ſit naturalis, & operatio creaturæ, altera vero ſit actio miraculoſa, & diuina: ergo vnitas indiuidualis termini non obſtat multiplicitati actionis productiuæ ad ipſum terminatæ, ac proinde poterit ad eandem rem permanentẽ naturalis productio, & miraculoſa reproductio terminari. Antecedens patet: nam ad eũdem numero hominem terminatur defacto naturalis generatio, & poſtea terminabitur

miracu-

miraculoſa actio regeneratiua Dei, nempe, reſurrectio, & ad idem corpus Chriſti termi nata fuit naturalis, ac materna generatio, & miraculoſa reſurrectio, & quotidie terminatur actio conuerſiua, quæ ipſum mirabili mo do ſub ſpeciebus panis producit. Multis enim Thomiſtis placet, ex vi talis actionis cõ uerſiuæ, nullum modum de nouo generari in corpore Chriſti, ſed ipſum dumtaxat corpus ſecundum ſuam ſubſtantiam ſpecialiter velu ti produci, dum perſe ipſum illam terminat actionem panis in ipſum conuerſiuam, & licet modus nouus ei aduenial, tamen adhuc non tollitur vnitas ipſius corporis indiuidua lis, aut ipſius termini quoad ſubſtantiam; & entitatem.

Quid non poſsit.

35 Dico ſecundo, impoſsibilis eſt entis ſucceſsiui tam quoad negationem annexam, & conotatam, quam quoad realitatem repro ductio. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus autores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo, ex aſsignato diſcrimine â D. Tho. inter entia permanentia, & ſucceſsiua. Hæc enim intrin ſice includunt durationem, atque ſucceſsionem, & conſequenter negationem ſimultatis partium, & non illa; ex quo tale deducitur ar gumentum, remoto eo quod eſt intrinſecum enti ſucceſsiuo, neceſſario remouetur eius vnitas, ſed per reproductionem remoueretur continuitas illius, & ſucceſsio, quæ eſt ipſi in trinſeca: ergo. Minor paret: nam cum vnitas rei ſucceſsiuæ, puta temporis, & motus in ſua ratione includat durationis continuitatem, remota tali continuitate, nequit vnitas temporis, aut motus ſaluari. Vnde implicat idem numero tempus atque motu in ſemel tranſactum reparari, quia ſic remouetur ab eo continuitas dum interrumpitur, corruptio enim temporis, & iterata productio illius eſt eius interruptio. Confirmatur: nam ſequere tur has duas contradictorias dari ſimul veras, ſcilicet: *Hic motus eſt vnus, & hic motus non eſt vnus*, conſequens non debet admitti etiam reſpectu Dei, & eius abſolutæ potentiæ, quæ ad implicantia contradictionem non extenditur: ergo. Sequela probatur: nam affirmatiua ex hypoteſi, quod idem numero motus, qui ceſſauit rediret, eſt vera, negatiua autem probatur etiam vera, quia hic motus nõ eſſet vnus, & idem numero, cum non eſſet cõtinuus: etenim durationis continuitas eſt de eſſentia vnitatis numeralis motus, ac temporis continui. Secundo motus, & tempus includunt intrinſice illa tria, ſcilicet, continuitatẽ, ſucceſsionem, & negationem ſimultatis, ſed nullum ex illis eſt per diuinam potentiam reparabile: ergo neq; ens ſucceſsiuũ eſt quoad aliquid ſui reparabile. Minor probatur, depri mo quidem, ratione iam facta, ſcilicet de continuitate: nam ſoluitur continuitas dum ceſſat per corruptionem, aut deſitionem qualeeumque ens ſucceſsiuum: de ſucceſsione vero patet: quia intrinſice claudit vnam partem eſſe poſt aliam, & quod ſimul non coexiſtant, in quo intrinſice includitur prius ac poſterius, præteritio, & futuritio, at præteritio nequit reproduci, quia alias ad præteritum, vt præteritum daretur potẽtia quod eſt falſum: neque prius vt prius poteſt reproduci, quia iam deſineret eſſe prius, & eſſet poſterius reſpectu prioris, ſcilicet, reſpectu aliarum partium motus tranſacti. Deniq; de tertio, nempe de negatione probatur: nam negatio illa entis ſucceſsiui eſt illi intrinſeca, vt modus, & complementum, aut in illius ſucceſsione fundata, atque in præteritionis modo incluſa: ergo ſequitur naturam illius, ſicut negatio indiuiſionis ſequitur, & comitatur entitatem indiuiſam aqua enshabet eſſe vnum: ac proinde ſicut vnitas entis cuiuſcumq; nequit reproduci ſine negatione indiuiſionis; ita entitas, & ſucceſsio, ac realitas entis ſucceſſiui, nequit reproduci ſine tali negatione quietis, & ſimultatis, quia hęc negatio illius entitatis modus ac complementũ eſt, aut fundatur in illa, ac per conſequens debet illam ſemper comitari, ſicut illa eſt irreparabilis, ita & hæc negatio irreparabilis eſt. Vnde minus conſequenter inter præfatos authoros ſecundæ ſententiæ loquutum fuiſſe Suarez exiſtimo, dum admittens poſſe reparari ens ſucceſsiuum quoad eius realem continuitatem, & ſucceſsionem, negauit intrinſecam eius negationem poſſe reparari, cum primo dato, ſecundum dare debuiſſet, atq; hoc non admiſſo, illud quoq; reijcere tenebatur. Tertio probatur ab inconuenienti: nam ſequeretur, quod duæ partes eiuſdem motus poſsint ſibi coexiſtere, verbi gratia quod prima pars A. illius motus localis quo per aulam hodierno die inceſsi, poſsit ſimul coexiſtere tertiæ parti, nempe, C. & quod poſsit reproduci durante illa. Conſequens repugnat naturæ, & ſucceſsioni motus: ergo. Minor patet, quia ſi exiſtente, & durante tertia parte reproduceretur prima, iam prima eſſet ſimul cum ſecunda, & non eſſet prior ad illam; ac proinde deſtrueretur ſucceſsio intrinſeca motus, quæ petit eſſentialiter primam partem præcedere ſecundam, & dicere ordinem prioris reſpectu illius: prioritas namque tollitur per coexiſtentiam ſimultaneam, ſequela vero probatur: nam ſicut motus ſecundum ſe totum poteſt reproduci, ita prima illius pars poterit reproduci, ac proinde nulla eſt ſpecialis repugnantia, quominus durante tertia parte reproduca-

tur: facta autem tunc eius reproductione erit ſimul prima pars cum tertia, ac per conſequens ſucceſsio ſecundum prius, & poſterius in motu, & ordo præteritæ, ac futuræ partis deſtruetur: quod tamen eſt impoſsibile cum ſit de intrinſeca ratione motus. Declaratur amplius hæc ratio argumento Durandi: nam in motu prima pars eſſentialiter dicit ordinem prioris ad ſecundam & tertiam, ſed ſi reproduceretur efficeretur poſterior: nam mobile ſecundum illam, poſterius mouebitur: impoſsibile autem eſt quod in motu vna pars amittat rationem prioris reſpectu alterius: ergo: quæ ratio ex hucuſque adductis ex ſancto Doctore colligitur: neq; aliam probat implicationem, in huiuſmodi reproductione, præter illam, quam tangit prima, & ſecunda ratio ex vnitate motus continui, cui opponitur interruptio, & ex præteritione, ſeu habitudine præteriti imbibita in parte priori reſpectu poſterioris. Vnde perperam conatur eneruare rationes Angelici Doctoris in quibus legitima probatur cõtradictio.

36 Sed aduerſus primam concluſionem arguitur primo: nam res corruptibiles, quarum aliqua pars per corruptionem perit, & omnino deſinit eſſe, nequeunt a Deo reparari: ergo prima concluſio eſt falſa. Antecedens probatur teſtimonijs Ariſtotel. ac Doctoris Angelici. Ariſtotel. namque ſecundo de generation. capit. 11. ait ea quorum ſubſtantia incorruptubilis, manifeſtum eſt quod eadem numero erunt: *Quorum autem non, ſed corruptibilis, neceſſe eſt ſpecie, numero autem nõ reiterari*, ac ſi diceret, quod in repetita rerum corruptibilium generatione neceſſe eſt ſimile in ſpecie, non autem idem individuum generari, ac per conſequens ſentit Phyloſophus, impoſsibilem eſſe eiuſdem numero individui iteratam productionem, in quo ſenſu dixit libt. 8. huius, text. 11. & 12. quod ſi agens fuerit idem, & materia eadem, effectus quoque idem producetur: hoc eſt idem non numero, ſed ſecundum ſpeciem, vt explicat, & interprætatur D. Thomas, ibidem, & huic interprætationi ſufragatur Ferrarienſis, in ſupra dicto capit. 81. §. *vtrum autem*. Deinde D. Thomas in eodem capit. 81. reſpondens ſecundo argumento, quod procedebat in hunc modum, eſſentiali principio variato, implicat eandem eſſentiam permanere, ſed per ànihilationem, & ſimiliter per corruptionem eorum quorum aliqua pars eſſentialis in nihilum redigitur, variantur principia eſſentialia: ergo & eſſentia rei conſtitutæ per illa in eſſe entis, & in ratione vnius, ac per conſequens, idem numero â nihilatum, aut corruptum reaſumi non poteſt, & cætera, reſpondens in quam D. Tho. ait in hæc verba: *Quod vero ſecundo obijcitur impedire non poteſt, quin homo idem numero reſurgere non poſsit, nullum enim principiorum eſſentialium hominis, per mortem, omnino cedit in nihilum, &c.* Ac per conſequens intendit D. Thom. quod ſi per mortem hominis aliquod principiorum eſſentialium, deſtructum eſſet, non poſſet idem numero homo per diuinam potentiam reparari, cui teſtimonio conſonat illud, quod habetur apud eundem Doctorem ſanctum, in 4. d. 44. quæſtio. 1. art. 1. ad tertium, vbi dicit, quod idem permanens, puta anima ſenſitiua, ſi fuerit corrupta nequit reparari, & diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. atque in 3. part. quæſt. 77. art. 5. tenet id quod in nihilum redigitur, non poſſe idem numero per diuinam virtutem reproduci, & tandem in artic. quodlibetico ſæpius adducto, afert in argumento, *ſed contra*, teſtimonium Auguſtini ex 4. de ciuit. Dei, aſſerentis in hunc modum: *Si caro humana omnibus periſſet modis, nec vlla materies eius in vllis latebris remanſiſſet, vnde ſi vellet, eam repararet omnipotens?* ſub quo teſtimonio ſubiumit, ſed nulla materia remanet ex illis entibus quæ in nihilum rediguntur: ergo Deus id quod in nihilum eſt redactum, poteſt idem numero reparare, cum tamen oppoſitum videatur concludendum: interrogatio enim Auguſtini potius negatiuæ, quam affirmatiuæ propoſitioni æquipollet, iuxta ſcripturæ ſacræ morem, quæ per interrogationem expri mit, ea quæ intendit negare: præterea cum D. Thomas ibi ad Auguſtini teſtimonium nõ reſpondeat, videtur illi conſentire. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, ad cuius primam probationem ex Phyloſopho deſumptam, reſpondet D. Thom. in dict. art. quodlibetico, dicens intelligi ſecundum ordinem cauſarum naturalium, ſecundum quem verum eſt non poſſe idem numero reparari, ſed ſolum idem produci ſecundum ſpeciem: eo quod natura, nec poteſt, nec appetit idem numero reproducere, ſed ſolũ poteſt, & intendit, ſimile in ſpecie generare. Ad ſecundam ex teſtimonijs Angelici Doctoris, ad primum quidem reſpondetur, quod D. Thom. per illa verba, non intendit excludere, quim ſi etiam aliquod principiorum eſſentialium rei, eſſet anihilatum, poſſet idem numero reproduci, etenim ibidem dixerat ad calcem ſolutionis primæ obiectionis Deũ poſſe corrupta in integrum reparare, ſed reſpondet tantum ad id quod obiectio ſecunda pro fundamento aſumpſerat, ſcilicet, quod multa principiorum eſſentialium hominis pet mortem anihilantur, oſtendens aſſumptũ illud falſum eſſe, etiam ſecundum ipſorum

gentilium Philosophorum opinionem, supposita rationalis animæ immortalitate. Ad secundum dico quod D. Thomas loquens ibi non iuxta propriam, sed iuxta gentilium Philosophorum opinionem, asserentium animam sensitiuam esse aliam ab intellectiua, ac per consequēs desinere esse, per mortem hominis, intulit non posse saluari hominis resurgentis identitatem, quia secundum eosdem Philosophos, nequit redire idē numero quod desinit esse, ac proinde naque eadem anima sensitiua rediret. Ad tertium & quartum dicendum est dupliciter. Primo quod D. Thomas solum intendit, rem semel anihilatam redire non posse eandem numero, per potentiam agentis naturalis non autem negat, illam per Dei potentiam redire posse. Et ratio quæ me mouet ad hanc expositionem, ex ipsa textus specie desumitur, nam ibi D. Thomas adduxit illam propositionem negātem rem anihilatam posse redire contra eos qui dicebant, in corruptione naturaliter factā specierum sacramentalium, eandem numero panis substantiam redire, ideſt, naturaliter ab agente corrumpente species reproduci. Secundo quod D. Thomas, tantum intendit non posse rem semel anihilatam redire, per potentiam Dei, non quidem absolutē sumptam, sed sua sapientia ac prouidentia ordinaria regulatam. In quo sensu verbum illud, *non potest*, idem est atque, *non decet*, cum enim anihilatio ad hoc tendat vt res omnino non sit, superflue videtur Deus aliquam rem anihilare, si illam vellet iterum in esse restituere, & quia decreuit hominem corruptū ad vitam reuocare, noluit ipsum anihilare, sed solum permisit illum morte corrumpi, eius essentiales partes etiam separatas conseruando. Vnde non ait in locis præallegatis, quod anihilatum non possit per diuinam potentiam reparari. Sed in quarto ait supresso nomine diuinæ potentiæ quod redactum in nihilum non potest iterum idem numero sumi, & in 3. p. supresso nomine diuinæ potentiæ & verbo *potest*, ait quod redactum in nihilum non reddit idem numero, quod quidem sane & conuenienter, intelligitur, aut de reproductione mediis causis secundis naturalibus, aut de illa quæ fit per potentiam Dei attento ordine diuinæ sapientiæ, & ordinariæ prouidentiæ, per quam hunc mundum de facto gubernat, cum hoc tamē stat per potentiam Dei absolutam, & secundum ordinem sapientiæ ac prouidentiæ alium ab isto posse fieri rei anihilatæ eiusdem numero reproductionem. Ad vltimum, quod Augustinus intendit hominis possibilem resurrectionem, etiam si partes eius in nihilum coderēt, quod per speciens D. Thomas adducit illius testimonium pro parte affirmatiua, & ideo illud non soluit, sed ait solutionem eius patere ex dictis in corpore articuli. Secundo arguitur. Si Deus posset reproducere idē accidens permanens: verbi gratia, albedinem Petri semel corruptam, posset idem numero tēpus reproducere at hoc secundum non potest, vt tenet secunda conclusio, ergo neque primum potest, sequela probatur nam illa albedo Petri accipiebat suam intrinsecam individuationem à Petro sub tali tempore, & ordo eius ad tale tempus erat illi intrinsecus, postulans talis temporis coexistentiam: ergo nequit reparari ille ordo intrinsecus ad tale tempus transactum, quin ipsum quoque tēpus reparetur. Quod si dicas ordinem illum intrinsecum accidentis ad tale tempus, conaturaliter exigere coexistentiam illius vt dictū est; non autē respectu potentiæ Dei, ac proinde posse per diuinam potentiam ab illo separari, ita vt albedo illa hodie reproducta retineat ordinem ad tempus hesternū, à quo extrinsice, ideſt vt à termino suæ habitudinis individuatur. Contra arguitur, sequitur etiā posse per diuinam potentiam duas albedines numero distinctas in eodem subiecto collocari nam ibi retinebunt ordines intrinsecos ad diuersa subiecta, verbi gratia, hæc mea albedo individuatur per ordinem ad hoc meū corpus, & albedo superueniens individuabitur per ordinem ad corpus Petri in quo primo fuit producta, consequens est falsum, ergo, sequela patet nam sicut extra proprium tempus albedo illa Patri potest retinere ordinem ad illud, etiam extra proprium subiectum, poterit ad illud ordinem transcendentalem retinere. Minor autem probatur, quia impossibile est in doctrina D. Thomæ idem numero accidens migrare de subiecto, in subiectum, aut duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto simul reperiri. Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem exacte dictum est. Ad illius tamen solutionis improbationem concedo similiter sequelam, triplex enim casus potest hic excogitari possibilis per diuinam potentiā. Primus est reproductio albedinis Petri extra tempus à quo habet individuatione suam, & positio illius albedinis in eodem Petro sine alia albedine. Secundus est si talis albedo reproducta ponatur in eodē Petro simul cum alia albedine quam interim in hoc tempore adquisiuit. Tertius est si albedo illa reproducta ponatur non in Petro, sed in alio subiecto simul cum albedine eiusdem subiecti. In primo quidem casu vnum est dumtaxat miraculum, scilicet, separatio albedinis à

proprio tempore, quod non ponit in numero cum illius reproductione. In ſecundo autem duplex miraculum fieret à diuina omnipotentia, ſcilicet, reproductio albedinis, & facere quod ſimul cum alia eiuſdem ſpeciei, eſſet in eodem ſubiecto, quæ ſimultas etiam abſque reproductione, eſt per naturam impoſsibilis: & hoc ſolum vult D. Thom. quoties ait, impoſsibilem eſſe duorum accidentium ſolo numero diſtinctorum in eodē ſubiecto ſimultatem; tamen per Dei potentiā non eſt impoſsibilis: quia licet Deus non poſſit ſaluatis accidētibus remouere ab eis eſſentiale aliquod prædicatum, poteſt tamen miraculoſe tollere ab eis id quod ſuapte natura poſtulant, diſtinctio autem, & pluralitas ſubiectorum, accidentibus numero diſtinctis non conuenit eſſentialiter, ſed conaturaliter. In tertio tandem caſu, triplex eſſet miraculum vel triplex cōditio miraculoſa eiuſdem miraculi totalis. Prima eſſet illius albedinis Petri reproductio, ſecunda eiuſdem albedinis cum alia compoſibilitas in eodem ſubiecto. Tertia poſitio albedinis Petri in ſubiecto extraneo. Harum tamen conditionū, quælibet ſeorſum eſt per naturam impoſsibilis, diuinæ tamen potentiæ ſingulæ, & omnes ſimulſumptæ ſunt poſsibiles.

37 Tertio arguitur contra ſecundam concluſionem, ſi aliqua ratione ſucceſsiuum ens non poſſet per diuinam potentiam reproduci, aut eſſet ratione continuitatis, aut ratione ſucceſsionis: quia ſcilicet cōtinuitati repugnat interruptio; & ſucceſsioni repugnat ſimultas primæ partis cum ſecunda, aut ratione vtriuſque ſimul. Non primum, quia totus motus continuus eſſet, ſi reproduceretur cū omnibus ſuis partibus quas antea habuerat: non ſecundum, quia in illa ratione arguitur à negatione inferioris, ad negationem ſuperioris, vnde ſicut hæc conſequentia vitioſa eſt propter hunc defectum, ſcilicet, hæc albedo nequit reproduci in eodem ſubiecto affecto alia albedine: ergo hæc albedo in nullo ſubiecto poteſt reproduci, ita & illa vitioſa eſt quam facimus, ſcilicet, hæc pars motus, nempe prima nequit reproduci, ſimul coexiſtens cum tertia parte eiuſdē motus: ergo nequit reproduci. In vtraque enim argumentamur, à negatione vnius partis cularis, ad negationem vniuerſalem, ſicut in illa, Leo non eſt rationalis: ergo nullum animal eſt rationale. Confirmatur, nam ſicut ſe habet corpus locabile ad locum, ita & res temporalis, ideſt dependens à tempore, ad tempus; ſed vnum corpus poteſt ſucceſsiue eſſe in duobus locis diſtinctis: ergo & idem motus poterit eſſe in duobus temporibus diſcontinuis. Confirmatur ſecundo: nam potentia Dei, nec per productionem motus, nec per eius deſitionē, minuitur, aut fit minus potens, quam antea: ergo extenditur ad eadem, ad quæ antea ſe extendebat, ac per conſequens ad eiuſdem motus quoad entitatem poſsitiuam reproductionem, ſiquidem ex talis motus deſitione, non minuitur, aut limitatur eius extenſiua, aut intenſiua efficatia. Ad hoc argumentum quo Durandus conatur rationes Sancti Doctoris enetuare, licet eius conſentiens concluſioni. Reſpondetur negando minorem. Ad primam probationem patet quod ſi motus, verbi gratia, heſterna die finitus fuit, nequit eſſe idem numero cum motu hodie reproducto: nam ſicut ad vnitatem motus exerciti, per vnam, & alteram horam requiritur vtriuſque horæ continuatio, & quod motus abſque interruptione vtrique horæ coexiſtat; ita etiam ad vnitatem motus per duos dies, aut in duobus diebus facti, requiritur intrinſice continuitas durationis motus, vnde eo ipſo quod per vnam horam deſinit mobile moueri, motus amittit continuitatem, & conſequenter numericam vnitatem. Ad ſecundam negatur antecedens, neque enim illa ratio ſecunda innititur illi ſoli conſequētiæ, ſed huic diſcurſui, ſi prima pars motus eſſet reparabilis, inquocumque tempore ſubſequuto poſſet reparari, ac proinde etiam quā do durat tertia pars: at hoc eſt impoſsibile, quia alias tolleretur ſucceſsio intrinſeca motus, & deſtrueretur ordo ſecundum prius, & poſterius, atque à prima parte remoueretur habitudo prioris, & præteriti reſpectu tertiæ, ac poſterioris: ergo, &c. Vnde rationes Durandi, quæ his duabus vltimis illationibus innituntur, ex ratione Sancti Doctoris conſequuntur, & in illa virtualiter continentur. Ad primam confirmationem, vel negatur maior, vel admiſſa maiori in ſenſu proportionali, negatur conſequentia, non enim licet inferre ex illa maiori & minori motum eundem poſſe eſſe in duobus temporibus diſcontinuis; ſed idem permanens poſſe in duobus diſcontinuis temporibus exiſtere, & tūc conſequentia bona eſſet, & conſequens admittendum. Ratio diſcriminis inter locabile, & motum, ſiue aliud quodpiam tempora le ſucceſsiuum eſt; quod diſcontinuatio loci non tollit corporis locati vnitatem: at diſcontinuatio temporis, ac durationis in ente ſucceſsiuo, deſtruit numericam illius vnitatem. Ad ſecundam tranſeat antecedēs, & negatur conſequentia, non enim impoſsibilitas illa prouenit ex Dei impotentia, aut eius potentiæ diminutione, ſed ex parte facti, hoc eſt, ex natura ipſius entis ſucceſsiui, cui repugnat

pugnat discontinuitas, aut partium simultas, aut vtraque simul. Vnde minus efficaciter illa ratione probauit Suarez, in loco prælegato tertiæ partis, possibilem esse Deo entis permanentis reproductionem: siquidem eadem militat respectu successiuorum, in diuina potentia. Et eadem habet verum vt ipse Suarez fatetur, in agente naturali, cuius potentia, neque minuitur, neque limitatur per vnius effectus productionem, aut eius corruptionem, qua de causa per motus, ait, non esse demonstratum hucusque, quod agens naturale non possit eundem numero effectum reparare, & tamen ex hoc antecedenti, potentia agentis naturalis non est diminuta aut limitata, non licet inferre, ipsum posse effectū corruptum reproducere. Neque ex eodem licet inferre, possibilem esse Deo entis successiui, quoad negationem secundum hunc authorem, reproductionem: ergo non licebit ex eodem fundamento, & principio, dū taxat colligere, & probare, possibilem esse diuinæ potentiæ reproductionem permanentium. Cum ad hoc vltimum probandum non habeat idem antecedens, sub eadem forma, & figura arguendi maiorem vim, & efficatiam, quam ad illa duo prima comprobanda: quæ ipse negat ex illo comprobari. Quare specialibus rationibus, nempe quibus nos vsi sumus, debet possibilitas reproductionis permanentium demonstrari, in ordine ad diuinā potentiam; & eisdem colligitur & conuincitur impossibilitas talis reproductionis in ordine ad agens naturale.

QVÆSTIO III.

De distinctione inter ens corruptibile, & incorruptibile, à Philosopho assignata. In quinquæ articulos diuisa.

VT veritas illius axiomatis, à Philosopho vltimo capite huius libri euulgati, declaretur, dum sub his verbis caput ipsum exorditur. *Quoniam vero contraria specie diuersa sunt, corruptibile autem, & incorruptibile sunt contraria (est enim priuatio in potentia determinata) necesse est corruptibile, & incorruptibile, genera diuersa esse:* ex quibus ortū habuit axioma vulgare, quod in ore omniū Philosophorū circūfertur nempe, *corruptibile & incorruptibile differunt genere.* Vltimā quæstionē in quinquæ articulos diuidēdā fore iudicauimus necessariū, vt quinquæ de corporibus cœlestibus, atque incorruptibilibus proprietates, siue conditiones propalemus: quibus propalatis exactius differentia eorum, à corruptibilibus corporibus, ac per cōsequēs veritas dicti axiomatis pateſiat. In primo igitur videndum est, an gaudeant materia diuersæ rationis à materia corruptibilium? In secūdo an sint ab intrinseco incorruptibilia? In tertio an aliquis vitæ gradus in ipsis reperiatur? In quarto an sint decem dumtaxat? Et in quinto tandem de eorum motibus naturalibus, disputandum est.

ARTICVLVS. I.

An materia cælestium sit diuersæ rationis ā materia sublunarium corporum?

38 IN hoc articulo vnum supponimus, & alterum adducimus in controuersiam, supponimus quidem cœlestia corpora materialia esse atque ex aliqua materia cōstare: siue talis materia sit altera pars compositi, siue sit tale eius constitutiuum: nā licet Commentator libro de substantia orbis, cap. 2. & 1. de cœlo commento. 7. quem alij in hac parte ausi sunt sequi vt statim videbimus, senserit corpora cœlestia esse simplicia, ac per consequens expertia materiæ quæ sit pars compositi: tamen neque ipse, neque alius hucusq; negauit illa esse materialia, ac proinde includere materiam in sui cōstitutione, saltem vt totale constitutiuum. Qua propter supposito cœlestia corpora habere materiam, in controuersiam vocamus secundum, nempe, an hæc materia sit diuersæ rationis à materia sublunarium? In qua cōtrouersia, quatuor versantur opiniones. Prima negans, quam sequuntur illi, qui cœleste corpus non esse quintam essentiam, sed esse ex elementis mixtum, existimarunt, de quorū numero fuere Platonici, & post illos Augustinus 1. super Genesim ad litteram, cap. 10. & lib. 2. cap. 3. & illi tribuit eandem sententiam D. Thom. 1. p. quæst. 66. art. 2. ad primum dicens Augustinum existimasse, cœlum esse de natura ignis, Beda super Genesis cap. 1. eandem sequitur, alia via, dicens esse de natura aquæ solidatæ ad modū chrystalli. Cui subscribit Magister, in 2. d. 14. Secunda opinio eorum qui putant, cœlos esse quintā essentiam, absque vlla elementorum mixtione, aut inclusione asserunt, habere materiam diuer-

Status quæstionis, & quid supponitur in illa.

diuerſæ rationis eo quod ſunt ſimplicia, ac per conſequens in eorũ materia eſt entitas actualis, & totalis, & conſequenter diſtincta à noſtra, quæ eſt potentialis, & partialis. Hãc tribuit D. Thomas quæſt. citata, art. 2. Commentatori, qui proculdubio illam docuit in locis prælegatis, & lib. 2. de cœlo, Commen. 40. & 8. phi. Comm. 89. cui ſubſcripſere Durandus, & Antonius Andreas, ille quidem, in 2. d. 12. q. 1. vbi adducit pro illa Philoſophum, eo quod 8. Metha. textu 11. dixerit, quod in ſubſtantijs materialibus ſempiternis, *forſam quædam non habent materiam, aut non talem, ſed ſolum ſecundum locum*, In quibus verbis dubitanter loquitur Ariſtotel. & ibidem ſubdit, quod non omnis rei eſt materia, ſed ſolum, quorum eſt generatio, & tranſmutatio adinuicem, non quia horum nõ ſit materia aliqua, ſed quia non eſt materia partialis, faciens phiſicam cum forma compoſitionem. Iſte vero ſuper 8. huius tex. 11. motus verbis Philoſophi, illam aſſeuerando ſequitur. Sed Philoſophum facile ab hac ſententia alienum cõprobare poſſumus, ex eo quod loquutus fuit de materia ſubiecta cõtrarietati, & priuationi ſubſtantiali; & ideo loquitur dubitanter, vel potius disiunctiue, quia cum generatio & corruptio nos induxerint in materiæ cognitionem, in cœleſtibus autem corporibus non ſit generatio, aut corruptio, ſed ſola mutatio ſecũdum locum, propterea ait, vel ibi non eſſe materiam, vel non eſſe materiam ſubiectam priuationi formæ ſubſtantialis, ſed ſolum ſubiectam motui locali, & priuationi vbicationis. Neque aliũm ſenſum præfata Philoſophi verba continent, aut intendunt. Tertia quam refert etiam D. Thomas vbi ſupra eſt aſſerentium materiam cœlorum eſſe eiuſdem rationis cum materia ſublunarium; & hoc non obſtante, illa incorruptibilia, hæc autem corruptibilia eſſe. Hãc tribuit Auincembroni, in lib. Fontis vitæ, quã ſequuntur Scotus, Aureolus, & Egidius in 2. d. 12. quæſt. 1. & Abulenſis cap. 1. ſuper Geneſim, fuit etiam eiuſdem ſententiæ Auicena, lib. 1. ſufficientiæ, cap. 3. Quarta & communis hiſce temporibus, aſſerit, corpora cœleſtia componi ex materia diſuerſæ rationis ſpecificæ, à materia ſublunarium. Quam docet D. Thom. in quæſt. allegata 66. art. 2. & 68. art. 2. & 8. huius lect. 4. & hic lect. vltima, & lib. 12. lect. 2. eandem pluribus teſtimonijs, & rationibus, ſequuntur, & exornãt, Caietanus in quæſt. 66. art. 2. Bañeſius ibidẽ dubio 1. & 2. Flandrenſis 8. huius, quæſt. 1. ar. 1. quæſt. 7. art. 1. & 2. in hoc lib. quæſt. 13. art. 1. & lib. 12. quæſt. 2. art. 1. & 7. Soncinas ibidem, quæſt. 9. Herueus de materia cœli, q. 3. & Suarez tomo 1. Metaph. diſput. 13. ſect. 11. concluſione 2. Et quoniam hæc eſt vera ſententia pro eius defenſione, tres ſtatuo concluſiones.

Compoſitio corporum cœleſtium ex materia, & forma defenditur.

Reſpondeo dicendum primo, omnia corpora cœleſtia vere & realiter, eſſe compoſita ex materia, & forma. Hæc ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ opinionis, & probatur primo, prænotando materiam tripliciter poſſe accipi, Vno modo pro eo quod eſt potentia, vel ad formam, vel ad eſſe, vel ad vbi, alio modo propriſsime pro potentia admixta priuationi ad formam ſubſtantialem. Tertio modo proprie, videlicet pro potentia apta nata informari aliqua forma ſubſtantiali, quæ tamen non habet priuationem admixtam ad formam ſubſtantialem, ſed dumtaxat, ad vbi. Ex ijs modis atque aceptionibus materiæ, nulli dubium eſt, quin materiam habeat cælum in prima aceptione, eo quod non eſt prorſus actus, & alias motui locali ſubſternatur. Neque alicui debet eſſe dubium, quin materia in ſecunda aceptione non conueniat cœlo; eo quod hæc ſolis corporibus corruptibilibus, quorum materia forma non ſatiatur, nec inamiſsibiliter informatur. Vnde de materia in tertia aceptione, eſt controuerſia, an in cœleſtibus corporibus reperiatur, noſque aſſtruimus aduerſus authores ſecundæ ſententiæ cœleſtia corpora, nedum materialia eſſe, eo quod habent materiam in prima aceptione, ſed etiam eſſe compoſita ex materia, & forma; eo quod habent materiam diſtinctam à forma, & aptam natam per illã actuari, Quod probatur primo, nam omne ens actuale, aut ſecundum ſe totum eſt actus, aut ſecundum aliquid ſui eſt actus, & ſecundum aliquid eſt potẽtia, ac proinde eſt compoſitum ex actu, & potẽtia, ſiue ex forma, & materia, ſed corpus cœleſte eſt ens actu, & non eſt actus ſecũdum ſe totum, cum materiale ſit, atque ſubiectum motui, & in potentia ad vbi: ergo eſt compoſitum ex materia, & forma. Secundo arguitur, & declaratur amplius præcedẽs ratio: nã omnis ſubſtantia ſenſibilis, aut eſt materia, aut forma aut totum compoſitum ex vtraque, vt docuimus ex Philoſopho lib. 7. cap. 2. ſed cœlum non eſt ſola materia, eo quod eſt ens actu, habens exiſtentiam: cuius materia per ſe, & ſine mediate nequit eſſe ſuſceptiua. Neque eſt ſola forma, eo quod eſt ſubiectũ motus, & eſt corpus ſenſibile, & etiã eſt mobile, & ſenſibile habere debet materiã, nam obiectũ ſenſus eſt corpus materiale ſub certis dimenſionibus, & in omni quod mouetur motu phiſico, etiam ſi ad ſolum vbi moueatur, debet eſſe materia, eo quod debent eſſe in illo dimenſiones, atque differentiæ

poſſi-

poſsitionem, quæ ſine materia nequeunt reperiri in aliquo ſubiecto: ergo cœlum eſt cõpoſitum ex materia & forma. Tertio arguitur, omne corpus naturale pertinens ad obiectum phiſicæ, eſt compoſitum ex materia, & forma, vt dicit philoſophus 6. phiſicorũ, ſed cœlum eſt corpus naturale de quo philoſophia contemplatur, tanquã de obiecto proprio: ergo. Minor patet ex libris quatuor de cœlo, in quibus naturalis philoſophia, cœlorum naturã, proprietates motus, & effectus contemplatur. Maior autem probatur, quoniam omne ens naturale aut completum eſt, aut incompletum: ſi completum eſt, nequit eſſe natura, quæ ens incompletum eſt, ſed debet eſſe habens naturam, ideſt, habens materiam & formam ſed cœlum eſt ens naturale & completum, quia mouet, & mouetur, vt quod, actiones autem, & paſsiones, nõ ſunt, niſi ſuppoſitorum, ac entium completorũ: ergo. Quarto arguitur, forma cœleſtis corporis, vere eſt indiuidua: etenim forma orbis Lunæ, ita eſt hæc numero, vt non ſit forma orbis Mercurij, ſed non eſt indiuidua per ſeipſam; hic enim modus indiuiduationis proprius eſt ſubſtantiarum ſpiritualium, vt ſupra oſtendimus lib. 7. ergo eſt indiuidua per materiam, à ſe realiter diſtinctam, conſequẽtia patet, quia ſola materia ſignata quantitate eſt indiuiduationis principium in illis formis quæ à ſeipſis non indiuiduantur. Neque ex hac ratione licet colligere poſſe naturaliter formas vniuſcuiuſque orbis cœleſtis numero multiplicari: nam licet nihil poſsit abſque materia intra eandem ſpeciem multiplicari, non tamen è contra requiritur, vt in habentibus materiam, poſsibilis ſit naturaliter indiuiduorũ multiplicatio; ſed ſolũ hæc eſt poſsibilis naturaliter in his, quæ generationi, & corruptioni obnoxia ſunt, & quæ neque conſtant tota ſua materia, neque hæc in illis eſt ſua forma ſaciata. Cœleſtis autem orbis Lunæ, & quilibet alius eſt corruptionis expers, conſtat tota ſua materia, quæ in vnoquoque illorum propria forma eſt ſaciata, qua de cauſa, neque vniuerſum eſt naturaliter plurificabile, licet per materiã habeat ſingularitatem, atque indiuiduationem.

Cœleſtẽ materiã eſſe diuerſæ rationis à ſublunare:

39 Dico ſecundo materia corporũ cœleſtium nullatenus eſt eiuſdem rationis cum materia corporum ſublunarium. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authoreſ primæ, & tertiæ ſententiæ, & probatur primo aduerſus illos: nam cœleſtia corpora ſunt incorruptibilia nullatenuſque ex mixtione elementorum compoſita, ſed incorruptibilia differũt genere à corruptibilibus, vel diſtinguntur ab illis ſecundum materiam: ergo alterius rationis eſt materia illorum, ab iſtorum materia. Secundo probatur aduerſus authores tertiæ ſententiæ: nam illa quæ habent materiam eiuſdem rationis, nequeunt differre ſecundũ corruptibile, & incorruptibile, ſed cœleſtia, & ſublunaria corpora differunt penes corruptibile, vt admittunt prædicti authores: ergo nequeunt gaudere materia eiuſdem rationis. Maior probatur, quia illa quæ habẽt materiam eiuſdem rationis ſunt adinuicẽ tranſmutabilia, ac per conſequens ſunt generabilia, & corruptibilia determinate: ergo nequeunt differre penes corruptibile, & incorruptibile. Confirmatur: nam ſi materia cœlorum eſſet eiuſdem rationis cum materia inferiorum corporum, eſſet in potentia ad eaſdẽ formas, quarum eſt ſuſceptiua materia hæc inferiorum; ſed data hac hipotheſi, corpus cœleſte eſſet corruptibile: ergo tertia ſententia deſtruit ſeipſam, & contradictionem inuoluit. Minor patet, quia illud corpus eſt corruptibile, cuius materia non eſt ſatiata ſua forma ſed eſt in potentia ad aliam, ſi enim alterius formæ eſt ſuſcepriua naturaliter, illam ab aliquo agente naturali ſuſcipere poterit, in qua potentia, & veluti paſsiua aptitudine, naturalis conſiſtit corporis ſublunaris corruptibilitas. Maior autem probatur quia illæ materiæ ſunt eiuidem rationis, quarum vna eſt in potentia ad omnes formas quarum altera eſt ſuſceptiua, ſunt enim eiuſdẽ aptitudinis, capacitatis, & extenſionis, ac proinde ad nullam formam extenditur vna ad quam alterius potentialitas non extedatur. Tertio probatur concluſio abſolute aduerſus authores vtriuſque ſententiæ: nam quorum motus naturales ex parte materiæ ſunt diuerſi ſecundum genus, etiam materias oportet eſſe diuerſas, ſiquidem diuerſitas motus arguit diuerſitatem materiæ, ſicut ex diuerſitate principiati, diuerſitas colligitur principiorum, ſed motus naturalis corporum cœleſtium & ſublunarium differunt in genere motus, ille enim eſt circularis, carens contrarietate, neque formaliter, neque concomitanter terminatur ad formam, ſed ad ſolum vbi. Motus autem ſublunarium habet contrarietatem: aut enim eſt aſcenſus, cui contrariatur deſcẽſus, aut eſt deſcenſus cui aſcenſus eſt contrarius, qui etiam eſt via, & diſpoſitio ad motũ aumentationis, ſiue ad motum alterationis, per quos fit adquiſitio formæ naturalis diſponentis ad generationem, vel corruptionem: ergo materia corporum cœleſtium eſt diuerſæ rationis à materia corporum ſublunariũ. Vltimo probatur hæc concluſio: nam illa materia quæ non eſt obnoxia priuationi formæ, & cuius appetitus totaliter per vnam formã per-

perpetuo permanentem ſatiatur, eſt diuerſæ rationis ab illa quæ ſubeſt priuationi formæ, & cuius appetitus per vnam formam nõ ſatiatur, ſed ſemper remanet in ea apetitus ad informationem alterius, at materia cœleſtis eſt talis naturæ, vt non ſit obnoxia priuationi formę, & eius appetitus ſatiatus manet per vnam formam quæ illam perpetuo informat. Materia autem ſublunarium corporum eſt talis naturæ, quod ſubeſt priuationi formæ, & eius appetitus non ſacietur per vnam formam, ſed potius ſemper remanet in illa appetitus ad alterius formæ receptionẽ. Cuius ſignum eſt, quod materia hominis licet nobiliſsima forma, nempe anima rationali, actuata ſit, nihilominus eſt priuata alijs formis, ad quas recipiendas in ipſa perſeuerat appetitus, & ideo, amiſſa anima rationali, cõſentanea eſt eius appetitui naturali formæ cadaueris in ipſam introductio, & illius informatio.

Dico tertio, in vnoquoque corpore cœleſti, eſt materia diuerſæ ſpeciei à materia alterius. Hæc concluſio non eſt communis inter diſcipulos Angelici Doctoris, qui licet conueniant contra Scotum, & alios authores tertiæ ſententiæ, quod materia corporum cœleſtium ſit diuerſæ rationis à materia ſublunarium; tamen alij volunt corpora cœleſtia omnia gaudere materia eiuſdem rationis, ita Capreolus in 2. d. 12. quæſt. 1. ad argumenta contra ſecundam. Et Soncinas vbi ſupra. Alij vero de quorum numero ſunt Caietanus, loco ſupra allegato, nempe 1. p. quæſt. 66. art. 2. & Bañeſius ibidem, dubio 2. concluſione 3. ſentiunt materiam cuiuslibet orbis cœleſtis, eſſe diuerſæ rationis à materia alterius, & horum ſententia mihi magis placet, quare illam probo primo. Nam indiuiduũ cõſtãs ex tota ſua materia habet materiã diuerſæ rationis, à quolibet alio indiuiduo, ſed quodlibet cœlum conſtat ex tota ſua materia, vt docet Ariſtot. 1. de cœlo tex. 95. & poſt eum D. Thom. lib. 2. contra gentes capite 93. ratione 5. ergo. Maior probatur, quia extra indiuiduum conſtans ex tota ſua materia, nequit materia eiuſdem rationis reperiri. Hoc enim eſt totam materiam illius ſpeciei, eſſe in illo. Igitur ſicut extra vniuerſum nequit reperiri materia eiuſdẽ rationis, quia vniuerſum conſtat ex tota ſua materia: ita extra orbem Lunæ nequit reperiri materia eiuſdem rationis, quia conſtat ex tota ſua materia. Secundo: nam materia cuiuslibet orbis cœleſtis reſpicit formam ſpecie diſtinctam, & eſt in potentia ad illam, ex ordine qui ad eam ſpecificatur, ac diſſinitur, ſed diſtinctio ſpecifica materiarum conuenientium in eodem modo recipiendi formam, ſumitur ex diſtinctione ſpecifica formarum: ergo ſicut orbes cœleſtes gaudent formis ſpecie diſtinctis, ita & materijs ſpecie diuerſis debẽt gaudere. Minor eſt certa, quia ipſa corpora cœleſtia ſpecie differunt. Tum quia habent motus & effectus ſpecie diſtinctos, quorum diſtinctio, ſpecificæ diſtinctioni formarum attenditur. Tum etiam quia cum indiuiduorum multiplicatio, ſit non propter ſe, ſed propter ſpeciei conſeruationem intenta, quãdo ſpecies in vnico ſolo indiuiduo valet conſeruari perpetuo, vtpotè, quia illud eſt incorruptibile, illo ſolo contenta eſt, & ab aliorũ multiplicatione deſiſtit. Maior vero probatur, quia ſic ſe habet materia in ordine ad formã, ſicut habitus in ordine ad obiectũ: Illa enim, huic parificatur in modo accipiendi ſuam ſpecificam vnitatem, atque diſtinctionem, ſed habitus primam, & quaſi genericam diſtinctionem accipiunt, ex diuerſo modo reſpiciẽdi obiecta. Ex quo capite opinio, fides, & ſcientia etiam circa eandem concluſionẽ diſtinguntur: illi vero habitus qui in eodem modo recipiendi conueniunt, ſcilicet, quia aut omnes cũ formidine, aut cũ obſcuritate, aut cum euidentia, & certitudine per diſcurſum procedunt ſumunt ex diuerſis obiectis ſecundum ſpeciem, ſuam ſpecificam diſtinctionem: quo pacto omnes opiniones, & omnes ſcientiæ interſe ex obiectis ſpecie diſtinguũtur: ergo etiã licet materiæ ſuam primã, & quaſi genericã diuerſitatẽ ex modo diuerſo reſpiciendi formam recipiant, quo pacto materiam corruptibiliũ à materia incorruptibilium diximus diſtingui, quia illa amiſsibiliter, & cum priuatione adiuncta reſpicit ſuã formam: hæc vero in amiſsibiliter & abſque alterius formæ priuatione, tamen materiæ quæ conueniunt in eodem modo reſpiciendi formam ex diuerſitate ſpecifica formarũ, quas adæquate, & perſe primo reſpiciũt accipient ſuam ſpecificam diſtinctionem. Vnde quia materiæ corporum cœleſtium omnes cõueniũt in modo reſpiciendi formas inamiſsibiliter, & vnaquęque adęquate, & perſe primo reſpicit vnam formam diſtinctam ſpecie à forma alterius, ideo vnaquęque erit diſtinctæ ſpeciei ab altera, quia vero materia corporum ſublunarium adæquate, & perſe primo nõ reſpicit illã, aut illã formã in particulari, ſed totũ genus taliũ formarũ, ſecundum rationem communem formæ amiſsibiliter informantis eò quod cum per nullam ſacietur in particulari, ſed per omnes, aut per omniũ latitudinẽ atque ſucceſsionẽ, omnes appetit & reſpicit. Ideo reſpectu omniũ eſt vna, & eiuſdẽ ſpeciei athomæ, quia ſpecifica forma-

rum

rum amiſsibilium diuerſitas materialiter ſe habet ad materiæ huiuſmodi ordinem & appetitum, ac per conſequens illum ſpecie non diſtinguit. Tertio probatur rationibus factis pro ſecunda concluſione: nam propterea materia corruptibilium eſt diſtincta ſpecie à materia cœleſtium, ac incorruptibilium corporum, quia illa nec ſatiatur per formam, nec inamiſsibiliter illam habet, vnde nec aliarum amittit priuationem, nec deſinit illas appetere, aut eſſe in potentia ad illas. Ex quo fit vt corruptibilia ſint admuicem transmutabilia. Hæc vero è contra ſatiatur ſua forma, illam inamiſsibiliter habet, deſinit alias appetere, & eſſe in potentia ad illas, ex quo fit vt non ſint corpora cœleſtia in ſublunaria tranſmutabilia, ſed etiã materia cuiuslibet cœli eſt ſatiata ſua ſpeciali forma, quam inamiſsibiliter recipit, & propter quam, nec ſubeſt priuationi alterius, nec habet ad aliam formam cœleſtem appetitum, nec ad illam eſt in potentia: ex quo fit vt non ſint corpora cœleſtia ad inuicem interſe tranſmutabilia, aliàs enim eſſet agens naturale potens formam vnius ſubſtantialem in materiam alterius introducere, & per conſequens eſſent naturaliter corruptibilia, quod non eſt admittendum: ergo. Sed contra noſtras concluſiones arguitur: primo, contra primam: nam cœleſte corpus non eſt corpus ſenſibile, aut naturale, neque cadit ſub obiecto naturalis Phyloſophiæ: ergo non habet materiam ſicut partem ſui, antecedens paret, quia corpus naturale pertinens ad conſiderationem Phyloſophiæ eſt mobile habetque in ſe principia naturalia motus & quietis, quæ non habet corpus cœleſte: ſi enim eſt Empireum nõ habet principium motus, quia non eſt mobile. Rurſus non eſt ſenſibile, non enim percipitur ſenſu viſus, vt dicit D. Thomas in 2. diſtinct. 2. quæſtion. 2. articul. 1. Deinde ſi ad obiectum Phyloſophiæ pertineret, poſſet, & deberet in hæc inferiora influere, & influendo moueretur. At neque influit, neque mouetur. Denique aut eſſet rarum, aut denſum, cum hæ proprietates ſequãtur ad materiam: ſed neque eſt rarum, quia eſt luminis receptiuum, quod in raro nequit recipi, neque eſt denſum, quia à beatis corporibus eſt penetrabile, & alias ſi denſum eſſet, viſibile eſſet à nobis, quod tamen negandum eſt, & negat D. Thom. prima parte, quæſtion. 66. articulo tertio. Aut eſt inferius ad Empireum, & hoc mouetur, non tamen quieſcit, ac per conſequens non habet principium naturale quietis. Rurſus eius forma non actiue, ſed tantum paſsiue ſe habet ad motum quem illi actiue imprimit intelligentia: ergo neque habet principium quietis, nec debite habet principium ſui motus. Confirmatur primo: nam cœleſte corpus non habet priuationem formæ ſubſtantialis, ſed vbi non eſt priuatio formæ ſubſtantialis, neque materia prima poteſt dari: ergo. Minor probatur primo, quia materia prima eſt perſe ſubiecta priuationi formę ſubſtantialis, imô eſt idem realiter cum illa, etenim materia, & priuatio ſunt idem ſecundum rem, & ſola ratione differunt. Vnde Ariſtot. 1. Phyſico. text. 66 & 67. colligit principia entis naturalis eſſe quodam modo duo, & quodam modo tria, quia realiter diſtincta tantum ſunt duo, ſcilicet materia, & forma, & per diſtinctionem rationis ſunt, tria forma, materia, & priuatio, ſecundo: nam D. Thom. ibidem lection. 15. docet quod materia prima nunquam ſeparatur à priuatione: tertio, quia omnis pura potentia ſemper eſt ad mixta priuationi, eo quod omnis pura potentia eſt ad eſſe aliquod, ac proinde poteſt tranſire de non eſſe ad eſſe, & è contra, & ſic poteſt tranſmutari, tranſmutatio autem preſertim inſtantanea fit inter terminos priuatiue oppoſitos, ſed materia prima eſt pura potentia, & in potentia ad eſſe ſubſtantiale vbicumque fuerit: ergo poterit ad illud tranſmutari de non eſſe, quod eſt terminus â quo priuatiue oppoſitus termino ad quem talis transmutationis: quarto, omnis materia prima eſt potentia contradictionis, quia eſt de ſe indifferens ad eſſe, & non eſſe: ergo ſemper eſt ſubiecta priuationi alicuius eſſe. Antecedens patet, quoniam neque illi perſe conuenit eſſe ſubſtantiale huius, aut illius formæ, cum ſecundum ſe abſtrahat ab omni forma, & actuali eſſe, nullamque determinet, aut includat: quinimo, cum omnis determinatio proueniat à forma teſte D. Thom. 1. part. quæſtion. 50. artic. 2. ad quartum nequit talis determinatio â ſola materia prouenire: ergo non repugnat illi carentia cuiuslibet formę, & eſſe actualis diuiſiue: nulli nãq; repugnat negatio, aut oppoſitum illius quod ei ſecundum ſe nonnõ conuenit, ac proinde indifferens eſſet materia cœli ad eſſe, & non eſſe, ſicque ſubiecta eſſet priuationi ſubſtantiali, quod cũ non admittatur dicendũ eſt in cœlo materiã non reperiri. Confirmatur ſecundo: nam ſi ex aliquo capite, aut ratione colligi oporteret in cœlo eſſe materiã eſſet illa diuiſio qua teſte D. Tho. 1. p. q. 66. ar. 2. diuidendũ docet ſubſtantiã in materiã formam, & compoſitum, ſed ex hac non colligitur intentum, eo quod hæc diuiſio nõ eſt adæquata ſubſtãtiæ creatæ, ſed dũtaxat ſubſtãtiæ corruptibilis: ergo. Minor patet, quia Angelus eſt ſubſtãtia creata, & tamẽ, neq; eſt materia, neq; cõpoſitũ ex materia & forma

neque eſt forma proprie cum ſit altera pars compoſiti, & hæc ſolum debet nomine formæ intelligi in prædicta diuiſione: ergo. Neque valet dicere nomine formæ, accipi omnem formam incommuni prout abſtrahit â forma partiali & à forma ſubſiſtenti quo pacto Angelus eſt forma, ac per conſequens in prædicta diuiſione diuidi adæquate ſubſtantiam in tota ſua latitudine: nam etiam nomine materiæ poterit accipi corpus ſimplex, quod in ſua compoſitione non includat materiam, & formam ſubſtantialem, tale autem poſsibile eſſe corpus cœleſte patet, quia quo magis aliquod ens apropinquat Deo qui eſt ſimpliciſsimus, & expers totius realis compoſitionis eo eſt perfectius ac ſimplicius, & hac de cauſa Angelus eſt ſimplicior quam homo, ſed potuit Deus creare corpus aliquod propinquius Deo quam corruptibile quod eſt compoſitum ex materia, & forma: ergo illud propinquius eſſet ſimplicius, & conſequenter expers huius compoſitionis. Tunc vltra, ſed corpus cœleſte eſt propinquius Deo, & perfectius vt pote incorruptibile, & ſubiectum ſolius motus localis, vbicationis, & lucis: ergo eſt minus compoſitum in ſua eſſentia, quam corruptibile, ac per conſequens non eſt compoſitum ex materia, & forma, alias æqualis eſſet in vtroque imperfectio, & compoſitio. Reſpondetur ad argumentum negando antecens. Ad primam probationem de cœlo Empireo duo videnda ſunt. Primum, an ſit ens naturale ad Philoſophiæ pertinens conſiderationem: quod etiam dubium commune eſt alijs corporibus cœleſtibus: ſecundum eſt proprium ſoli Empireo, ſcilicet, an aliquid influat in hæc inferiora. Circa primum eſt triplex modus dicendi, primus negat cœleſtia corpora in vniuerſum eſſe entia naturalia, propter argumentum factum, quia non habent principia naturalia motus & quietis copulatiue: ita Durandus in ſecundo diſtinctione decimaquarta, quæſtione ſecunda. Secundus aſſerit tantum cœlum Empireum ex omnibus corporibus cœleſtibus eſſe excludendum à ratione, & diffinitione entis naturalis cadentis ſub obiecto Phyloſophiæ: ita Bañeſius, primo de generatione in proœmiali quæſtione, & idem inſinuat, prima parte quæſtione, 66. articulo tertio, dubio primo, concluſione tertia, dicens ſolum Empireum cœlum eſſe per naturam immobile: in eundem dicendi modum inclinat, Flandrenſis vbiſupra, ſcilicet, octauo huius quæſtione ſeptima, articulo ſecundo, dicens cœlum Empireum eſſe ens Metaphyſicum, & abſtractum à materia ſubiecta motui, fauet eis Ariſtoteles, qui 12. huius capite ſecundo, probat omnem ſubſtantiam ſenſibilem habere materiam, quia eſt mobilis, ſi igitur cœlum Empireum immobile eſt, non erit ſecundum mentem Ariſtotelis ſubſtantia ſenſibilis ac naturalis, qualis pertinet ad obiectum Philoſophiæ, quod concernit materiam ſenſibilem. Tertius nihilominus veritati, Ariſtoteli, & Doctori Angelico conformior aſſerit omnia corpora cœleſtia nullo dempto eſſe entia naturalia, mobilia ex natura ſua, & ad obiectum Philoſophiæ pertinentia, quod patet: tum ex Philoſopho, qui libro 12. huius, textu quinto, ait eſſe entia naturalia. Tum ex Diuo Thoma, qui in ſecundo diſtinctione, ſecunda, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, docet cœlum Empireum eſſe ſecundum ſe ſenſibile, & viſuperceptibile, licet à nobis non percipiatur, quia oculis noſtris non ſubiacet propter eius maximam à nobis diſtantiam, & lucis raritatem, & in eodem ſenſu prima parte, quæſtion. 66. articulo tertio, fatetur illud non eſſe viſibile. Tum denique ratione probatur: nam ſatis eſt ad ſaluandam diffinitionem entis naturalis, quod habeat principium motus, & quietis diſiunctiue: ideſt motus, ſiue quietis, ſicut ad ſaluandam illam vulgatem animæ diffinitionem, anima eſt actus corporis organici quo viuimus ſentimus, & intelligimus, ſatis eſt quod aliqua forma ſit principium diſiunctiue vegetandi, vel ſentiendi, vel intelligendi: Empireum autem cœlum habet principium quietis, cæteri vero orbes inferiores habent principium ſui motus: eundem dicendi modum re vera ſequitur Flandrenſis 12. huius, quæſtione ſecunda, articulo primo, & libr. octauo, quæſtione ſeptima, articulo ſecundo. Vnde iuxta hanc ſententiam reſpondetur ad primam & ſecundam probationem, quod cœleſtia corpora ſunt entia naturalia, quibus diffinitio aſsignata â Philoſophis, entis naturalis conuenit. Circa ſecundum, triplex quoque modus dicendi verſatur, primus negat abſolute cœlum Empireum agere in hæc inferiora, cui fauet D. Thom. in ſecundo, vbi ſupra articulo vltimo, dicens cœlum Empireum nullo modo influere in hæc inferiora, quia cœlum nequit influere niſi per motum, eo quod motus, aut eſt illi ratio influendi, aut conditio neceſſaria ad influendum per quem deferatur, & applicatur virtus influens: cœlum autem Empireum non mouetur. Secundus eſt Conimbricenſium, libro ſecundo, de cœlo, capite 1. quæſtion. 1. aſſerentium quod influit in hæc inferiora: ſed

Quid influat cœlum Empireum in hæc inferiora.

ſed quod eius influentia eſt nobis ignota. Tertius aſſerit quod influit in hæc inferiora aliquid fixum, & permanens, ſcilicet virtutem continendi: cum enim ſit primus locus tribuit reliquis virtutem continendi locata, vel aliquid intentionale quod poteſt cauſari ſine motu, ſcilicet lumen aut virtutem effundendi ſpecies intentionales. Ita docet Diuus Thomas 1. p. quæſt. 66. art. 3. vbi ait quod ſicut Angeli ſupræmi qui aſsiſtunt habent influentiam ſuper medios, & vltimos qui mittuntur, quamuis ipſi non mittantur, ita cœlum Empireum habet influentiam in corpora quæ mouentur licet ipſum non moueatur. Neque obſtat huic dicto aliud ſecundi ſententiarum: nam ibi loquebatur de influentia effectus cauſati per motum, poſtea vero in 3. part. loquitur de effectu pertinente ad dignitatem, qui poteſt cauſari ſine motu. Eundum modum ſequitur Flandrenſis lib. 8. huius quæſt. 1. artic. 1. & quæſt. 7. artic. 2. ad quartum, Durandus in 2. d. 2. quæſt. 2. & d. 14. quæſt. 3. & Bañeſius 1. de generatione in proæmiali quæſtione dub. 2. concluſione prima, & eidem tenetur ſubſcribere Soncinas 12. huius quæſt. 13. dum aſſerit quod motus localis cœli neque eſt illi conditio neceſſaria ad productionem lucis, & aliarum formarum accidentalium, quia huiuſmodi virtutem actiuam habet ex ſe, & ita ceſſante motu adhuc illuminaret, & media luce calefaceret: bene tamen requiritur motus ad productionem formarum ſubſtantialium præſertim viuentium, quia ad huiuſmodi productionem recipitur virtus in cœlo ab intelligentia ſicut in inſtrumento quod non agit niſi dum actu mouetur, &c. quæ proſequitur in eandem ſententiam. His adde cœlum Empireum eſſe mobile ſuapte natura, & veluti radicaliter; eo quod Diuus Thomas in dicta quæſtione 66. artic. 3. ad primum ait quod eſt immobile ſicut corpora glorioſa erunt immobilia, & in corruptibilia. Sed hæc non erunt per naturam immobilia aut incorruptibilia, ſed ſecundum ſtatum, qua etiam ratione Angeli ſupræmi aſsiſtentes dicuntur à Diuo Thoma eſſe immobiles, & non miſsibiles non per naturam, ſed ſecundum ſtatum, quia non ſunt deſtinati ad hoc quod mittantur, ſicut cæteri Angeli miſsionibus deſtinantur. Rurſus cæteri cœli ſunt mobiles, ſenſibiles, affecti quantitate, & qualitatibus materialibus, ac per conſequens compoſiti ex materia & forma, & hac de cauſa ſunt entia naturalia, & ad Philoſophiæ naturalis conſiderationem pertinentia: ergo eadem de cauſa cœlum Empireum eſt ens naturale, & ad Philoſophiæ conſiderationem perſe pertinens, quia eſt per naturam ſuam mobile motu locali, & quia per illud abſque nouo miraculo tranſibunt corpora beatorum, etiam eſt mobile motu rarefactionis, & condenſationis, eſt ſenſibile luce, & alijs materialibus qualitatibus affectum, & compoſitum ex materia & forma. Cõuenit igitur illi, & alijs cœleſtibus corporibus diffinitio entis naturalis, verificatur que de eorũ materia & forma, quod ſunt principia motus, & quietis diſiunctiue, & etiam copulatiue ſecundum aptitudinem naturalem, quia ſunt de ſe apta nata moueri, & quieſcere: licet ſecundum ſtatum, & officium Empireum deputatum quieti vt ſit locus beatorum ſit immobile motu locali, alij vero deputati motui circulari ſint priuati quiete oppoſita motui locali, non tamen quiete oppoſita alijs motibus. Quando enim Luna per lucis receptionem alteratur, & Saturnus quietem habent alterationi oppoſitam, manent enim in eſſe quieto ſub luce ad quam ante per inſtans ſaltem mouebitur, & per hoc patet ad omnes partes probationis antecedentis. Ad primam confirmationem neganda eſt minor. Ad eius probationes, vt vnico verbo reſpondeatur, prænotandum eſt quod materia prout eſt potentia ad formam adhuc accipitur tripliciter, vel eſt triplex: alia eſt ſubiecta generationi, & corruptioni, qualis eſt materia ſublunarium. Alia eſt materia quæ licet non ſit ſubiecta generationi, & corruptioni eſt tamen ordinata ad generationem, & corruptionem aliorum per motum localem, & influxum. Alia eſt materia quæ neque eſt ſubiecta generationi, & corruptioni, neque ad aliorum (nempe ad horum inferiorum) generationem, & corruptionem eſt ordinata. Licet ad permanentiam, & perpetuitatem, & virtutem continendi cauſandam in corporibus inferioribus ordinetur. Verumtamen ad gloriam beatorum eſt à Deo principaliter ordinata, & talis eſt materia cœli Empirei. Ex his igitur materijs prima eſt inſeparabilis à priuatione formæ ſubſtantialis. Secunda licet ſubiecta ſit priuationi vbicationis, non tamen formæ ſubſtantialis. Tertia neutri priuationi ſubiecta eſt, & hoc ſuppoſito ad primã probationem minoris, quod tantũ probat de materia primi generis eſſe adiunctã priuationi ſubſtãtialis formæ, in generabilibus enim, & corruptibilibus corporibus ſunt tria principia entis naturalis

turalis materia, ſcilicet forma ſubſtantialis, & priuatio, in cœleſtibus vero tantum ſunt duo materia, ſcilicet & forma, licet reſpectu motus localis cœli tria concurrant, materia, ſcilicet forma, & priuatio talis vbi. Poteſt etiam dici ſecundo, quod materia prima etiam in cœleſtibus corporibus fuit obnoxia priuationi formæ ſubſtantialis, pro illo priori pro quo prioritate rationis, & cauſalitatis illam præceſsit. Vel quia de ſe cum non habeat formam, habet eius priuationem. Ideſt habet illam ſi ſolitarie, & ex propriis meritis conſideretur. Vnde Diuus Thomas in quæſtione citata 66. artic. 1. expendens ſententiam Auguſtini, & aliorum Sanctorum primum circa modum quo informitas materiæ præceſsit eius formationem ait in hæc verba. *Si informitas materiæ referatur ad conditionem primæ materiæ quæ ſecundum ſe non habet aliquam formam informitas materiæ non præceſsit formationem, aut diſtinctionem ipſius tempore, vt Auguſtinus dicit, ſed origine ſeu natura tantum, eo modo quo potentia eſt prior actu, & pars toto, &c.* In quibus verbis Diuus Thomas fatetur informitatem ipſam, quæ dicit formæ ſubſtantialis priuationem conuenire materiæ, ſecundum ſe non quidem poſitiue, alias ſemper, & in omni ſtatu maneret informis, ſed negatiue quatenus de ſe materia non habet formam, fatetur etiam huiuſmodi informitatem quæ eſt negatio formæ ſubſtantialis præceſsiſſe formationem origine, & natura, materia ipſa in vnoquoque compoſito naturali ipſius compoſiti formationem præceſsit. Huius autem informitatem neque materia cœli ſubterfugit quæ & de ſe informis eſt, & eius informitas origine, ac natura cœleſtis corporis formationem præceſsit. Vnde iuxta hanc ſolutionem etiam quodammodo tria fuere principia cœleſtis corporis materia, ſcilicet forma, & priuatio non alterius formæ ab illa quam modo habet, ſed illa informitas de ſe conueniens materiæ, & origine ac natura ipſam formam quam modo habet præcedens, & in hoc adhuc diſtinguitur à materia ſublunarium, quæ etiam dum eſt per vnam formam actuata aliarum formarum ſubeſt priuationi ad quas habet potentiam naturalem, & appetitum. Ad ſecundam quod Diuus Thomas loquebatur de materia ſublunarium, hoc eſt primi generis. Ad tertiam diſtingo maiorem, omnis pura potentia eſt admixta priuationi ſemper, & pro omni ſtatu, nego pro aliquo priori originis, & naturæ pro quo mouetur ad formam & ad eſſe, concedo. Vel ſecundo diſtingo de pura potentia ſubiecta generationi, & corruptioni concedo: nego autem maiorem ſi de pura potentia non ſubiecta generationi, & corruptioni intelligatur. Et admiſſa minori negatur conſequentia, & eiſdem modis dicendum eſt ad quartam. Ad confirmationem nego minorem. Ad cuius probationem exacte dictum fuit ibi. Sed ad illius ſolutionis improbationem. Reſpondetur quod nomine formæ congruenter accipitur omnis natura actualis, ſiue ſubſiſtens, ſiue partialis ſit, eo quod forma eſt nomen perfectionis, & actus, quo tam formæ partiales, & accidentales, quam ſubſiſtens expertes materiæ ſignificantur. Nomine autem materiæ nequit intelligi niſi altera pars compoſiti à forma condiſtincta. Et licet verum ſit quod ſi Deus de potentia abſoluta corpus ſimplex crearet: illud ſub tali diuiſione, & nomine materiæ analogice poſſet comprehendi: tamen congruentius tunc fieret alia diuiſio qua diuideretur ſubſtantia in compoſitum, formam, materiam, & corpus ſimplex. Vel dicendum eſt quod illa diuiſio eſt ſubſtantiæ ſenſibilis, & naturalis hoc eſt ad philoſophiæ naturalis conſiderationem pertinentis. Vnde licet ab illa excludatur Angelus non debet excludi cœleſte corpus, quod quia eſt ens naturale, & ſenſibile ſub obiecto cadens philoſophiæ, vt dictum eſt non poteſt non eſſe compoſitum, ex principijs naturalibus, ſcilicet materia & forma, licet in latitudine compoſitorum ſit perfectius, & ſimplicius. Ex hoc tamen non ſequitur quod ſubterfugiat compoſitionem eſſentialem, ac ſubſtantialem, ſcilicet illam quæ fit ex materia & forma; ſed tantum quod ſubterfugiat aliquas compoſitiones accidentales, ex accidentibus extraneis, & peregrinij impreſionibus, quibus non ſubſtant corpora cœleſtia; bene autem ſublunaria. Licet igitur Deus poſſit creare aliquod corpus ſimplex ex maiori propinquitate ad ipſum, & eius ſimplicitatem, illud tamen ſenſibile, & mobile non eſſet ad philoſophiæ naturalis obiectum pertinens. In latitudine autem entis ſenſibilis, mobilis, & naturalis, nequit eſſe tanta ad Deum propinquitas, vt compoſitionem ex materia & forma corpus aliquod ſubterfugiat: quia hæc eſt eſſentialis corpori naturali, & ſenſibili: ſicut intra limites humanæ ſpeciei nullus homo poteſt creari, ita Deo propinquus quod incluſionem organici corporis ſubterfugiat, quia hæc eſt hominibus huius ſpeciei prorſus eſſentialis.

14 Se-

41 Secundo arguitur principaliter contra ſecundam concluſionem. Nam materiæ cœli & noſtræ debetur idem modus productionis nempe per creationem. Ergo ſunt eiuſdem rationis: conſequentia patet quia materijs diuerſæ rationis debetur diuerſus modus productionis, diuerſus enim modus productionis, rei productæ demonſtrat diuerſitatem. Vnde hac ratione probat Diuus Thomas 3. p. quæſt. 6. artic. 3. contra Originem, animam Chriſti Domini non fuiſſe prius tempore aſſumptam, quam in carne productam, quia alias eſſet diuerſæ rationis à noſtris animabus, quæ ſimul creantur dum corporibus infunduntur. Ecce colligit Diuus Thomas contra Originem diuerſitatem ſpecificam inter Chriſti Domini animam, & noſtras ex diuerſo modo productionis: ergo ex eodem modo productionis è contra colligetur identitas ſpecifica materiæ productæ. Reſpondetur negando conſequentiam, licet enim rebus ſubſiſtentibus diuerſis deberetur diuerſus modus productionis, quia harum eſt per ſe produci, tamen rebus quarum non eſt per ſe produci, ſed comproduci non debetur diuerſus modus productionis. Vnde anima, & Angelus, & materia ſunt diuerſarum rationum, immo diuerſorum generum, & tamen producuntur per creationem. Præterquam quod non eſt verum adhuc in rebus ſubſiſtentibus, quod diuerſis debeatur diuerſus modus productionis nam Angeli omnes diſtinguntur ſpecie, & tamen eodem modo producuntur, nempe per creationem. Propterea autem colligit Diuus Thomas ex diuerſo modo productionis animam Chriſti fore diuerſam ſecundum ſpeciem à noſtris animabus, quia diuerſus modus productionis, non qualiſcumque, ſed penes hoc quod eſt produci in corpore, vel extra corpus, aut ante corpus monſtrat rei productæ diuerſitatem; eo quod ſi res aliquæ ex naturis ſuis vendicant ſibi tam diuerſos modos productionis naturalis, vt altera petat produci in corpore, & altera exigat fieri extra, & ante corpus non poſſunt non eſſe diuerſarum naturarum; ex quibus modi illi naturalis productionis procedant, altera enim erit forma corporis, & ideo fit in corpore, & altera non eſt naturaliter forma corporis, & ideo producitur extra corpus. Tertio arguitur: nam materia ſecundum ſe ſumpta cum præciſione omnium formarum non eſt multiplex, ſed potius vt ſic eſt eiuſdem rationis, & diffinitionis. At materia cœleſtis ſecundum ſe ſumpta preſcindit ab omni forma, ſicut & materia ſublunarium: ergo vtraque eſt eiuſdem rationis. Maior probatur quia vt ſic materia nullum includit diſtinctiuum, eo quod diſtinctiuum ſeu principium diſtinctionis eſt actus, & forma teſte Philoſopho ſeptimo huius texta 49. ſed materia ſecundum ſe ab omni actu, & forma preſcindit: ergo. Neque valet dicere quod materia vt ſic, ideſt vt precisa à formis diſtinguitur per ordinem ad diuerſas formas, atque ad diuerſos modos illas recipiendi, eo quod à tali ordine neutiquam preſcindit; eo quod ille ordo eſt intrinſecus, & eſſentialis ipſi materiæ primæ. Nam implicat ex illo ordine materiæ ſumi actualem diſtinctionem eius: ergo abſolute dicendum eſt materiam antecedenter ad formas eſſe prorſus eiuſdem rationis formalis. Antecedens probatur primo: nam ille ordo cum ſit idem cum eſſentia materiæ eſt potentialis ſicut ipſa materia, nullumque actum includens. Sed abſque actu intrinſeco nequit ſaluari intrinſecum diſtinctiuum: ergo neque materia per talem poteſt diſtingui: ſiquidem nequit diſtingui abſque aliquo intrinſeco diſtinctiuo. Secundo: nam materia vt præuenit formas non eſt vna poſitiue, neque enim vniuerſalis, aut particularis, neque eſt poſitiue in genere aut in ſpecie: ergo neque diſtinguitur poſitiue, ſiquidem diſtinctio ſequitur vnitatem, & abſque illa nequit ſaluari, cum per eadem principia per quæ ens eſt vnum, & indiuiſum in ſe ſit diuiſum à quodlibet alio. Tertio: nam diſtinctio actualis eſt paſſio entis actualis, ſed ille ordo materiæ eſt potentialis, & nõ actualis entitas: ergo non ſequitur ad eum diſtinctio actualis. Reſpondetur negando maiorem: iam enim ſupra libro 8. docuimus cum Caietano 1. p. quæſt. 3. artic. 2. & quæſt. 66. artic. 2. Bañeſio ibidem dubio primo, ad tertium, & 1. de generatione capit. 3. ad quartum, & Flandrenſi 12. huius quæſt. 2. artic. 2. materiam in tota ſua latitudine, antecedenter ad omnem formam eſſe vnam vnitate generica, ac diuiſibilem in cœleſtem, & ſublunarem, quarum hæc eſt vna ſecundum ſpeciem athomã, quia tamen hæc vnitas nõ cognoſcitur niſi per negationẽ, nec conuenit illi abſolute, ideſt ſine ordine trãcẽdentali ad formas, ideo dicitur vnitas, ac diſtinctio analogica, & negatiua, ſicut enim materia eſt propter formam, ita eius vnitas, & diſtinctio non eſt propter ſe, ſed propter formarum vnitatem, ac diſtinctionem. Ex quo patet ad probationem iuxta ſolutionem ibi aſſignatam;

natam, negatur enim antecedens. Ad primam illius probationem nego maiorem, nã ille ordo licet actum phyſicum non includat verumtamen includit actualitatem metaphyſicam, ſcilicet differentialem gradum per quem in eſſe talis conſtituitur, & à cæteris diſtinguitur. Ad ſecundam quod materia eſt vna formaliter, & poſitiue in ſe, dicitur tamen vna aut diſtincta negatiue propter rationem aſsignatam, & ſicut materia, vt ſic eſt vna vnitate generis: ita eſt vniuerſalis includens ſub ſe plures rationes ſpecíales, ſiue ſpecificas materiæ. Ad tertiam reſpondetur quod ſicut ens abſtrahit â prædicamentali, & ab actuali, ideſt, actu exiſtente: ita diſtinctio formalis abſtrahit à formali prædicamentalis entis, & ab actuali entis actu exiſtentis, diſtinctio igitur materiæ ſublunaris â cœleſti antecedenter ad omnem formam eſt diſtinctio ſpecifica, & formalis, ad eum modum quo Angelus, & homo ante mundi rationem diſtinguebantur, ſecundum eſſentialia. Vnde talis diſtinctio non eſt paſsio entis actualis, hoc eſt, actu exiſtentis: ac per conſequens poteſt conuenire materiæ primæ ſecundum ſe, & antecedenter ad formas. Diſtinctio autem actualis quæ verſatur inter extrema actu exiſtentia nequit illi conuenire, niſi poſtquam actuationem recipit formæ, per quam actualem accipit exiſtentiam. Sed ſicut eadem diſtinctio entium prædicamentalium fit actualis, per hoc quod illa entia ponantur extra cauſas, ita diſtinctio formalis & ſpecifica materiæ cœleſtis, & ſublunaris quæ ſecundum ſe, ideſt, prout ſequitur ad ordinem potentialem materiæ, eſt potentialis, ideſt, verſans inter duos ordines potentiales, & omnis phyſici actus expertes, per aduentum formæ, & exiſtentiæ fit actualis, verſaturque inter materias actu exiſtentes, actualitas autem hæc non à materiæ diuerſis ordinibus, ſed ab ipſis prouenit formis. Si autem inquiras quo pacto diſtinctio formalis, & ſpecifica poteſt ipſis ordinibus abſque vllo actu, & diſtinctione cõuenire? Iam dixi, & iterum dicam diſtinctiuum quod eſt principium diſtinctionis non eſſe ſolum actum phyſicum, ſed etiam eſſe actum metaphyſicum, ideſt, differentialem rationem, qua vnumquodque ens in ſua eſſentia determinata conſtituitur, conſtitutiuum enim principium, & ipſum diſtinctiuum eſt, â quo non abſtrahit eſſentia materiæ, idem enim eſſet abſtrahere ab huiuſmodi diſtinctiuo, atque abſtrahere à conſtitutiuo, & abente prout ens dicit eſſentiâ, quod eſt prorſus impoſſibile. Quarto arguitur, materia cœli & horum ſublunarium ſecundum ſe, & vt præuenit formas eſt omnino eiuſdem conceptus, & diffinitionis: ergo nedum eſt eiuſdem generis verum etiam erit eiuſdem athomæ comodo quo vnitas ſpecifica ei poteſt conuenire, nempe per analogiam, & habitudinẽ ad formam. Antecedens probatur primo nã ratio puri actus, primi agentis, & primi ſiue vltimi finis eſt eadem omnino, ſecundũ ſpeciem, quia primum & vltimum, atque puriſsimum in quolibet genere non eſt multiplicabile ſecundum ſpeciem, ſed materia prima eſt prima & pura potentia. Neque valet dicere eſſe diſparem rationem puri actus & puræ potentiæ; quod hæc per ordinem ad formas ſpecificatur, & cum formæ ſint plures, diuerſique earum modi informandi, materiæ ordo poteſt eſſe diuerſus. At purus actus ſicut à nullo extrinſeco ſpecificatur, ita neque alicuius diuerſitatis eſt capax. Nam à pura potentia vſque ad purum actum eſt maxima diſtantia: ſed inter extrema interquæ eſt maxima diſtantia nequit dari latitudo graduum, eo quod hæc excludit maximam diſtantiam vbi enim eſt latitudo graduum infimus gradus magis diſtaret ab oppoſito extremo quam gradus medius, & ſupræmus, & conſequenter gradus iſte, non maxime diſtarent. Qua ratione ab vnitate non diſtat maxime binarius, aut ternarius, quia magis diſtat quaternarius. Secundo: nam hac ratione probat Diuus Thomas, capit. 5. de ente, & eſſentia Angelos diſtingui, & plurificari ſecundum ſpeciem, quia mediant inter purum actum, & puram potentiam, nec ab altero horum extremorum maxime diſtant. Ergo ſentit quod neutrum ex his extremis admittit diſtinctionem ſpecificam, ſiquidem non medium eſt, ſed maxime ab altero diſtans.

44 Reſpondetur, quod materiæ vt ſic, eſt eadem ratio, & diffinitio non ſpecie athoma, ſed ſpecie ſub alterna, ſub qua plures ſpecies continentur infimæ, & licet materiæ vtrique, tam cœleſti, quam ſublunari conueniat eſſe primum ſubiectum ex quo fit aliquid cum inſit, tamen aliter, & aliter. Illa enim eſt primum ſubiectum ſua forma faciatum: hæc vero eſt primum ſubiectum non faciatum ſua forma, ſed ſemper remanens in potentia ad alias formas. Vnde illa diffinitio communis materiæ in tota ſua latitudine, aut eſt vna vnitate generis, & logice dum taxat, vel eſt vna vnitate ſpeciei ſub alternæ, vel vnitate proportionis loquendo Phyloſophice: quia per illam

Materia cœleſtiũ differt ſpecie ſub alterna à materia ſublunarium corporum.

ca-

declaratur dum taxat ratio generica materiæ, in qua vltimæ latent differentiæ, si autem singulæ species diffiniantur, in earum diffinitionibus propriæ differentiæ debent explicari: nisi dicamus illas in prædicta communi diffinitione virtualiter intelligi: tunc enim prædicta diffinitio erit formaliter diuersa prout materiæ cœlesti applicatur, atq; prout à propriatur materiæ sublunari licet secundum vocem sit eadem, solet namque sub eisdem vocibus secundum diuersas earum significationes diuersæ diffinitiones assignari. Vnde ad formam argumenti negatur antecedens, ad cuius improbationem dicendum est, quod licet in latitudine materiæ primæ sint plures species, nulla tamen earum extrahitur, aut extrahi potest à ratione puræ potentiæ summe distantis à primo agente, & puro actu, quia totum genus puræ potentiæ est maxime distans à puro actu, ac proinde licet materia prima in eo quod est prima, & pura potentia, ac vltimum (vt sic dicam) extremum totius vniuersi carere debeat latitudine, secundum potentiam puram, & actum, atque potentiam admixtam actui: non tamen carere debet latitudine secundum talem puram potentiam, quę satiatur sua forma, & aliam quæ sua forma nō satiatur: nam in hac latitudine non est assignabilis materia, quæ non sit pura potentia, aut quæ sit admixta actui. Ad secundam antecedentis probationem dico hac ratione probare D. Thomam, intelligentiarum pluralitatem specificam, quia medij rationem habēt, & omne medium, vt sic cum participet ex extremis, diuersimodeque ad illa accedere possit, aut ab eorum altero recedere, semper est variabile secundum magis, ac minus, quæ variatio in Angelis, qui sunt expertes distinctionis materialis debet esse formalis, & specifica: at ex hoc non sequitur, quod extremo alicuius talis latitudinis non possit distinctio, & variatio specifica conuenire: non enim sicut ad conditionem medij consequitur variatio: ita ad conditionem extremi, aut saltem talis extremi consequitur negatio, aut incapacitas suscipiendi specificam distinctionem.

42 Quinto arguitur ad idem, labefactando rationem Angelici Doctoris: nam stante idētitate materiæ cœlestium, & sublunarium corporum, potest saluari illa esse incorruptibilia, & hæc corruptibilia: ergo ex illorum incorruptibilitate, & horum corruptione non sequitur rectē materiæ diuersitas specifica. Antecedens probatur, adhuc illa stante identitate non sequitur cœlestia corpora esse corruptibilia, etenim incorruptibilitas sequitur formam, cum sit propria passio ad essentiam consequuta, sicut risibilitas sequitur ad essentiam hominis ratione formæ stante autem identitate materiæ bene saluaretur formarum distinctio. Confirmatur: nam si anima rationalis vniretur portioni materiæ cœlestis, homo resultans esset eiusdem speciei cū alijs hominibus, vt potē, quia cum illis in natura rationali, & essentia conueniret: ergo esset eiusdem materiæ. Consequentia probatur, quia cum materia sit altera pars essentialis hominis ex materia, & anima rationali compositi, si materia esset diuersæ rationis ipsum quoque hominem oportebat esse diuersæ speciei. Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est quod formarum distinctio non sufficit constituere distinctionem penes corruptibile, & incorruptibile. Vnde omnia sublunaria gaudent formis diuersis, & tamen propter identitatem materiæ subiectæ priuationi formæ substantialis, omnia sunt subiecta corruptioni, quapropter distinctio corruptibilis ab incorruptibili, cū sit generica, scilicet diuersorū generum physicē, à materia radicaliter desumenda est, & ipsa aptitudinalis corruptibilitas, licet passio sit consequens essentiam corporis sublunaris, consequitur tamen illam ratione materiæ, quæ talis conditionis est, vt per nullam susceptionem formam, nullamque in amissibiliter recipiat. Ad confirmationem respondetur admisso antecedenti, negando consequentiam, quia diuersitas specifica materiæ determinatæ, & actuatæ per formam eiusdem rationis, non sufficit variare speciem, variatio enim atque specifica distinctio in entibus completis cuiusmodi sunt composita ex materia, & forma, ex ipsa forma, & non ex materia prouenit. Vnde stante identitate materiæ in sublunaribus, nihilominus tot sunt sublunarium species, quod formæ distinctæ secundum speciem. Vnde sicut identitas materiæ nō obstat specificæ sublunarium diuersitati: ita neque diuersitas materiæ in casu argumenti obstaret specificæ hominis identitati, relicta tamē suæ naturæ diuersa materia arguit specificam saltem distinctionem, quia petit formas secundum speciem distinctas. Vltimo arguitur aduersus, tertiam conclusionem: materia omnium corporum cœlestium est eadem secundum speciem: igitur falsa est tertia assertio. Antecedens probatur multis modis, primo: nam propterea materia sublunarium est eiusdem rationis: quia respicit, primo & perse atque vt adæquatum obiectum formam vnibilem per generationem, & amissibiliter actuā tem subiectum, ex hoc enim quod respicit huiusmodi formam, vt sic sub ratione quadam communi, & veluti generica nequit ex

diuerſis formis ſub tali genere diuerſificari materia, quia materialiter ſe habet earum diuerſitas ad materiam, ſed etiam materia cœleſtis reſpicit formam cœleſtem ſecundum communem rationem omnes formas cœleſtes ſubſe continentem: ergo eſt eiuſdem rationis, neque ex formarum cœleſtium diuerſitate ſpecifica (ſi tamen diuerſæ ſint formæ ſecundum ſpeciem corporum cœleſtium) debet materiæ cœleſtis ordo diuerſificari. Minor oſtenditur, quia materia cœleſtis reſpicit formam cœleſtem vt vnibilem per creationem, & vt ſatiantem appetitum, & potentialitatem ſubiecti: ergo. Secundo: nam omnes formæ cœleſtes ſaltem ſunt eiuſdem generis, ſed materia accipit vnitatem ſpecificam ab vno genere formarum, quod patet in materia ſublunarium quæ ex ordine ad genericam latitudinem formarum ſublunarium ſpecificatur: igitur ex ordine ad genericam latitudinem omnium formarum cœleſtium vnica materia ſpecificabitur. Conſequentia patet: nam ordo eiuſdem ſpeciei in materia ſublunari reſpicit totum genus formarum ſublunarium, ſed non debet eſſe minus capax, nec minus perfectus, aut minus vnitus ordo materiæ cœleſtis ad ſuas formas: igitur idem ordo inuariatus materiæ cœleſtis abſque læſione ſpecificæ identitatis ad totum genus formarum cœleſtium extendetur. Tertio corpora cœleſtia ſunt eiuſdem ſpeciei athomæ: ergo habent materiam eiuſdem rationis, licet enim per miraculum cum diuerſitate ſpecifica materiæ poſsit ſaluari identitas ſpecifica compoſiti naturalis: tamen nullo interueniẽte miraculo, ſed rebus ſuæ naturæ relictis, & ſecundum ordinariam Dei prouidentiam diſpoſitis, neutiquam poteſt ſaluari identitas ſpecifica compoſiti cum materiæ diuerſitate. Antecedens probatur, primo: nam illa corpora animata ſunt eiuſdem ſpeciei quæ habent eandem figuram, & eundem motum, ſed cœleſtia corpora ſunt animata ſecũdum ſententiam Ariſtotelis, vel ſaltem ſecundum veram ſententiam habent ſe ad inſtar animatorum, & habent eundem motum ſpecie: ergo. Minor patet, quia omnia cœleſtia corpora ſunt figuræ ſphericæ, & motus eorum eſt circularis ab accidente in oriens in inferioribus ad primum mobile, & ab oriente in occidens in primo mobili, motus autem circularis eiuſdem ſpeciei eſt præſertim vbi inter eoſdem terminos verſatur: ergo. Secundo: nam Philoſophus 2. de cœlo text. 59. probat omnes ſtellas eſſe ſphericas hac demonſtratione, ſi vna ſtellarum ſit ſpherica neceſſe eſt omnes alias ſphericas eſſe, ſed vna illarum eſt ſpherica, nempe luna, cuius ſpheritas apparet in vario modo eius illuminationis: ergo omnes ſunt ſphericæ: hęc autem demonſtratio nulla eſſet niſi omnes ſtellæ eſſent eiuſdem rationis: fundatur enim in hoc quod proprietas conueniens vni indiuiduo debeat omnibus alijs conuenire, quod neceſſarium non eſt niſi vbi indiuidua ſunt eiuſdem ſpecificæ naturæ, quo argumento commentator ibidem cõmento 59. coniunctus tenet omnes ſtellas, ac cœleſtes ſpheras in eadem ſpecifica natura conuenire. Tertio omnes ſtellæ ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ, vt pote cum habeant qualitates proprias eiuſdem ſpeciei, nempe figuram, & lucem, ſed ſtellæ ſunt eiuſdem rationis cum corporibus cœleſtibus, vt pote cum ſint partes illius denſiores. Maior autem, aut minor denſitas non tollit corporis continuitatem, aut identitatem: ergo. Ad hoc argumẽtum ſuppoſito illo duplici modo dicendi relato in tertia concluſione, circa materiam cœleſtium corporum: adhuc circa ipſa corpora cœleſtia eſt duplex modus dicendi, quidam enim volunt illa eſſe eiuſdem ſpeciei ſicut de materia opinantur aliqui ex ipſis, qui & hunc modum ex comentatore acceperunt vbi ſupra: neque obſtat authoritati commentatoris, quod 3. de anima commento 5. ait quod ſi ſint aliqua corpora animata quorum perfectio eſt ſubſtantia ſeparata, vt exiſtimatur de cœleſtibus impoſsibile eſt ex vna ſpecie plus vno indiuiduorum reperiri: non inquam obſtat hoc teſtimonium primo quod retulimas, ex ſecundo de cœlo commento, 59. nam ibi ſermonem faciebat de corporibus cœleſtibus, vt ſimplicia ſunt, & ſic ex identitate figuræ motus, ac lucis, identitatem naturæ ſpecificæ in illis colligebat, ac colligendam docuit, in hoc autem altero teſtimonio, ex tertio de anima adducto verba facit de cœleſtibus corporibus quatenus coniunctis intelligentijs motricibus, hoc eſt de agregato ex corpore cœleſti, & motrice intelligentia, atque ſecundum opinionem exiſtimantium eſſe corpora animata ab anima aſsiſtente non autem ſecundum propriam ſententiam, & quia omnes intelligentiæ ſpecie diſtinguntur congruenter dixit omnes cœlos, ſiue agregata ex eis, & intelligentijs, ſiue vt animatos ab intelligentijs ſpecie diſtingui. Huic expoſitioni addit Soncinas loco vbi ſupra aliam textui ipſius commentatoris conſentaneam: nempe quod nomine cœli intellexit non ſolum corpus cœleſte de quo ſecundo de cœlo loquutus fuerat, ſed munduam ipſum accipiendo continens pro contento, ſiue partem pro totõ, quaſi dicat, impoſsibile eſt duos mundos eſſe, quia mundus nequit numero multiplicari, quod autem hæc ſit eius mens

probat

probat Soncinas ex ipſo contextu ipſius cõmentatoris, qui poſt quam dixerat non poſſe eſſe cœlos eiuſdem ſpeciei, ſubdit: quia ſi eſſet alius mundus, eſſet alius corpus cœleſte, & ſi eſſet aliud corpus cœleſte haberet alium motorem numero diſtinctum a motore iſtius &c. Secundus tamen modus dicendi verus, & â nobis tenendus aſſerit corpora cœleſtia interſe diſtingui ſpecie: quem ſequuntur nõ ſolum illi omnes qui nobiſcum ſentiunt gaudere materijs diuerſæ rationis, ſed alij quoque ex illis qui materiam eiuſdem rationis in omnibus corporibus cœleſtibus agnoſcunt, de quorum numero eſt Soncinas vbi ſupra, nempe lib. 12. huius, quæſt. 10. qui poſt quam in prima concluſione determinat corpora cœleſtia eſſe diuerſæ ſpecificæ naturæ, poſtea in ſecunda concluſione determinat habere materiam eiuſdem rationis, quia ſtat optime (ait ille) aliqua eſſe diuerſarum ſpecierum, & tamen habere materiam eiuſdem rationis, vt patet in igne, & aqua, in quibus identitas materiæ non obſtat ſpecificæ compoſitorum diuerſitati, & paucis interpoſitis concludit corpora cœleſtia non eſſe adinuicem tranſmutabilia: quia licet materia in eis ſit eiuſdem rationis, non tamen eſt coniuncta priuationi: negatio autem tranſmutationis non prouenit ex defectu vnitatis materiæ, ſed ex defectu priuationis. Verum hic ſecundus modus dicendi â nobis admittitur, & approbatur multis de cauſis, primo, quia eſt conformior poſitioni tertiæ concluſionis, ideſt ſententiæ ponenti cœleſtem materiam eſſe diuerſæ rationis, licet enim in generabilibus, & corruptibilibus quæ ad inuicem tranſmutantur cũ identitate materiæ ſtet diuerſitas ſpecifica compoſitorum; tamen in cœleſtibus quæ non tranſmutantur, nequit talis materiæ identitas cum ſpecifica corporum diuerſitate ſaluari, lædit enim eorum inſtranſmutabilitatem, & incorruptionem, licet directe non lædat ſpecificam diuerſitatem, eo quod materia vnius cœli non poteſt, non eſſe apta ad formam alterius ſi ſit eiuſdem rationis, ac per conſequens eiuſdem aptitudinis, cũ materia illius, ſed implicat materiam aptam recipere formam alterius, non carere illa: cum carentia nihil aliud ſit, quam negatio formæ in ſubiecto apto illam habere: ergo materia cœleſtis eſſet coniuncta priuationi, ac per cõſequens principium tranſmutationis. Vnde exiſtimo cõtradictionem inuolui in poſitione horum, qui aſſerentes cœleſtia corpora eſſe individua incorruptibilia atque intranſmutabilia diuerſæ ſpeciei, ponunt in illis omnibus materiam eiuſdem athomæ rationis. Secundo probatur noſter modus dicendi ex D. Thom. quæſtion. vnica de ſpiritualibus creaturis, artic. 8. in corpore in ſolutione ad 10. & ad 13. in illa enim ait, quod non eſt vniuerſaliter verum, differentiam imperfectiorem diuiſiuam generis in plures ſpecies multiplicari, corpus enim diuiditur per animatum, & inanimatum, plures tamen videntur eſſe ſpecies animatorum corporum, quam inanimatorum præcipue ſi corpora cœleſtia ſint animata, & omnes ſtellæ ſpecie diuerſæ: in quibus verbis, licet conditionaliter loquatur, ideſt non ſecundum propriam, ſed commentatoris ſententiam, tamen paucis interpoſitis ſubdit in hæc verba: *Ita eſt etiam in tota rerum vniuerſitate, quod quanto aliqua ſunt ſuperiora in entibus, tanto plus habent de formali multitudine quæ attenditur ſecundum diſtinctionem ſpecierum, minus autem de multitudine materiali, quæ attenditur ſecundum diſtinctionem individuorum in eadem ſpecie, &c.* Igitur cum corpora cœleſtia ſint ſuprema in latitudine corporum debent ſpecie, & non ſolo numero multiplicari ſicut intelligentijs contingit. Hæcque videtur eſſe mens Doctoris ſancti in contextu prædictæ ſolutionis in altera vero quæ eſt ad 13. determinate ſic ait: *Corpora autem cœleſtia etiam ſunt diuerſarum ſpecierum, vt dictum eſt, lux enim non eſt forma ſubſtantialis eorum, cum ſit qualitas perſe ſenſibilis, quod de nulla forma ſubſtantiali dici poteſt, & præterea non eſt eiuſdem rationis lux in omnibus, quod patet ex hoc quod diuerſorum corporum radij diuerſos habent effectus.* Refert autem D. Thom. ſe ipſum ad ſuperius dicta, nempe in corpore articuli. Vbi in calce corporis expendens tertiam rationem ex perfectione naturæ Angelicæ deſumptam, ad probandum, in illa, plura individua eiuſdem ſpeciei neutiquam reperiri, ex eo quod ad perfectionem individui pertineat præhabere in ſe totam perfectionem, nõ ſolum illam quæ ad eius individuationẽ, ſed etiam eam quæ ad eius naturam pertinet ſpecificam: eximperfectione autem animalium, tam rationalium, quam brutorum prouenire, quod vnum altero eiuſdem ſpeciei, ſiue ad conuictum, ſiue prolis generationem, ſiue ad ſpeciei conſeruationem indigeat ſubdit in hæc verba: *In parte autem ſuperiori vniuerſi inuenitur altior gradus perfectionis, vbi vnum individuum, vt ſol ſic eſt perfectum, vt nihil ei deſit eorum, quæ ad propriam ſpeciem pertinent. Vnde & tota natura ſpeciei concluditur ſub vno individuo, & ſimiliter eſt de alijs corporibus cœleſtibus, multo ergo magis in ſuprema parte rerum creatarum, quæ eſt Deo propinquiſſima ſcilicet in Angelis hæc perfectio inuenitur, vt vni individuo nihil deſit eorum quæ ad totam ſpeciem pertinent, &c.* Quæ proſequitur in eandem ſententiam

D. Th.

D. Thom. ex quibus iam diſcipulis eius non licet hac in parte noſtro dicendi modo cum hæſitatione, aut formidine aſſenſum præbere. Tertio probatur: nam ex hac eadem ratione ſancti Doctoris conſtat indiuiduorum intra eandem ſpeciem multiplicationem, eſſe dum taxat neceſſariam, aut ad generationem prolis, & ſpeciei conſeruationem, quæ in vno indiuiduo propter eius corruptibilitatem nequit perpetuo cõſeruari, ſed cœli ſunt incorruptibiles: ergo ratione incorruptibilitatis eorum deficit in eis finis ac neceſsitas multiplicationis indiuiduorum intra eandem ſpeciem, & per conſequens omnes differunt ſpecie: materia enim neque abſque fine, neque abſque neceſsitate debuit, aut potuit in illis indiuidua ſpeciei eiuſdē multiplicare. Quarto & vltimo oſtenditur ex diuerſis proprietatibus, actionibus & conditionibus, quæ diuerſas indicant naturas ſpecificas â quibus proueniunt, vel quas concomitantur: etenim lux conueniens aſtris diuerſis eſt diuerſa ſecundum ſpeciem teſte D. Thom. loco proxime prælegato, quod non eſt intelligendum de luce in eſſe paſsibilis qualitatis, cum ſic eadem ſit ſecundum ſpeciem, nedum in ſole, & aliis aſtris, verum etiam in ſole, & aere â ſole illuminato; ſed in ratione qualitatis actiuæ, & veluti naturalis potentiæ habent cœli, & & aſtra diuerſas influentias, ſunt principia diuerſarum actionum, atque diuerſorum ſecundum ſpeciem effectuum. Etenim â luna eſt fluxus, & refluxus maris, qui non â reliquis planetis, conueniuntque lunæ proprietates diuerſæ ab eis quæ aliis conueniunt: eſt enim humida & frigida, quia cauſat humiditatem ac frigiditatem, fœmina, ac nocturna, quia rationes influit debiles. Saturnus vero dicitur frigidus, & ſicus, quia habet virtutem frigiditatis, & ſiccitatis cauſatiuam. Dicitur etiam maſculinus & diurnus, qui ad actiones vigoroſas influit animantibus robur, & virtutem, & Mars dicitur calidus, & ſicus eminenter, quia habet virtutem, calorem & ſiccitatem, ſicque vnicuique planetæ propriæ ab Aſtrologis attribuuntur virtutes actiuæ, & proprietates, nec non diuerſæ actiones, & effectus diuerſas naturas ſpecificas eorum indicantes, eo quod diuerſitas ſpecifica ſumitur ex diuerſa forma, quę eſt principium & radix diuerſarum proprietatum, operationum & effectuũ. Rurſus ordo naturalis ſecundum locum etiã arguit diuerſitatem naturę ſpecificę, eo quod inter indiuidua eiuſdem ſpeciei non eſt ordo eſſentialis, ſed inter ſpheras cœleſtes eſt ordo perſe localis: etenim quo ſunt nobiliora, & ſimpliciora corpora, eo ſunt loco, & ſitu ſuperiora, & ſic cœleſtes ſpherę ſortiuntur ſecundum exiſtentiam naturalis conditionis ſua loca, teſte Philoſopho 2. de cœlo, cap. 7. ergo etiam ſunt æqualis perfectionis eſſentialis, ac proinde differunt ſecundum ſpeciẽ. Denique petunt diſtinctas intelligentias motrices ad ſuos motus diuerſas ſecundum ſpeciem, ſi autem eſſent eiuſdem ſpeciei, eadem intelligentia quæ mouet primam ſpheram moueret reliquas inferiores: quia in his quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quidquid poteſt moueri ab inferiori, poteſt congruenter moueri â ſuperiori. Vnde ſi ſphera lunæ poteſt moueri modo ab intelligentia inferiori ad motorẽ Saturni â fortiori poſſet moueri â motore Saturni, & congruenter ab illo moueretur: cum ergo ſingulæ ſpheræ pro ſuis motibus exigant ſingulas intelligentias ſecundum ordinem ipſarum, & motuum diſtinctionem, ac numerum, ſignum eſt ipſas ſpheras, & earum quoque motus ſpecie diſtingui. His ſuppoſitis, ad ſextum argumẽtum, nego antecedens. Ad primam eius probationem, nego minorem, non enim datur vna materia cœleſtis quæ reſpiciat formam cœleſtem perſe primo ſecundum communem, & genericam rationem formæ cœleſtis: ſed â ratione hac generica ſumitur ratio quædam generica materiæ cœleſtis in plures ſpecies diuiſibilis, quarum ſingulæ ſingulas determinate formas reſpiciunt, & ab illis ſpecificantur. Cuius ratio eſt quia vna quæque forma cœleſtis eſt ſatiatiua capacitatis, & appetitus materiæ, in quo parificatur toti generi formarum ſublunariũ corporum. Vnde ſicut â toto genere ſublunarium ſpecificatur vna ratio materiæ: ita a qualibet forma cœleſti ſumitur ſpecialis ratio materiæ. Ad ſecundam diſtingo minorem, quando genus formarum non eſt ſatiatiuum materiæ ſecundum ſingulas ſpecies formarum diuiſiue, concedo: quando autem ſecundum ſingulas ſpecies formarum eſt ſatiatiuum materiæ: nego minorem. Ad tertiam nego antecedens, ad primam & ſecundam probationem reſpondetur, quod ex identitate figuræ, & motus, non colligitur, niſi identitas generis, aut ſpeciei ſubalternę: figura enim, & motus eiuſdem rationis, non ſolum ſpecificum, ſed etiam genericum gradum alicuius naturæ cõſequuntur, ſicut quantitas: vnde ſicut eadem quantitas ſecundum ſpeciem diuerſis elementis, & mixtis, ſecundum ſpeciem conuenit, ita & figura & motus eiuſdem rationis poſſunt diuerſis ſpheris cęleſtibus conuenire ſalua earum ſpecifica diſtinctione, ſicut aeri, & igni eundem motum, nempe aſcenſum, & omnibus elementis figuram ſphericã experimur conuenire, ſalua illorũ diſtinctione ſpecifica. Poteſt etiam dici, neq; immerito, quod

motus

motus vniuſcuiuſq; ſpheræ in ratione motus naturalis eſt diuerſę rationis à motu alterius, licet in ratione motus circularis non differāt. Quo pacto etiā motus ignis naturalis à motu aeris, eſt diſtinctus, figura autē cū ſequatur ad quantitatem cum ſit terminus illius, ſequitur genericum gradum corporis ſimplicis, ac proinde in omnibus ſpheris cœleſtibus debet eſſe eiuſdē rationis. Demonſtratio autem Ariſtotelis eo ſolū tendebat, vt cōprobaret identitatē genericā corporum cœleſtium. Ad tertiā Soncinas vbiſupra, & alij Metaphiſici neoterici, ita mordicus defendunt ſpecificam diſtinctionē inter corpora cœleſtia, vt illāquoque defendere velint inter omnes ſtellas firmamenti inter ſe ipſas, & etiā inter cœlū ipſum cuius ſunt partes. Ratio quę ipſos mouet eſt diuerſitas effectuū ab illis prouenientiū, & quia lux conuenit perſe ſoli, non autem reliquis partibus ſpheræ ſolaris, ſi autē eſſet eiuſdē rationis, quidquid cōuenit perſe vni, & reliquis deberet cōuenire. Et tandē teſtimonijs Doctoris Sancti in ſolutione prælegata ad 10. & 12. aſſerētis, ſtellas eſſe diuerſæ ſpeciei, & lucē ipſarū non eſſe eiuſdē rationis, ſed diuerſæ, diuerſi autē effectus, & diuerſę proprietates ex terminis diuerſæ rationis dimanant, vt dictū eſt. Simili enim argumento probauimus ſpheras cœleſtes naturis ſpecifice diſtinctis gaudere. Sed fateor hunc modū dicendi mihi ſummopere diſplicere, ſtellæ enim fixę ſunt partes cœli octaui continuæ cū alijs, ſolumq; differunt ab alijs pænes maiorē quandā denſitatem quæ non obſtat continuitati, vnde mouentur ad motū totius, ſuntq; (vt recte aiunt Aſtrologi) ſtellæ in cœleſti ſphera ſicut nodus in tabula, qui eſt quædā pars denſior tabulæ. In Planetis autē ſunt quædā ſpherulæ diſcontinuæ, & diuiſæ ad inuicē, quæ ſolum per contiguitatē coniunguntur, & inter has benepoteſt diſtinctio ſpecifica reperiri, ſecus tamen inter ipſum Planetā, & illum globum cuius eſt pars, vt infra amplius manifeſtūſiet, cū numerū ſphērarū, atq; epicicloꝝ demus. Fundamentū quoq; cui innituntur nullius eſt roboris. Ad primam enim partē dico effectus illos diuerſos: imo oppoſitos qui ab ſtellis prouenium ab eadē luce diuerſimode recepta, ac modificata in diuerſis partibus eiuſdem corporis cœleſtis poteſt prouenire, etiāſi partes ipſæ continuæ ſint, & eiuſdē rationis quo ad ſubſtantiā propter diſtinctas qualitates, & virtutes ipſarū: poſſunt enim in accidentibus differre, & quandā ætherogeneitatē habere, idēſt quoad aliqua accidentia. Effectuūque diuerſitas ſe ſola nō infert eficaciter lucis, aut formæ diuerſitatē in cauſis ęquiuocis, quia ab eadē forma, & virtute æquiuoca diuerſi effectus poſſunt dimanare. Vnde enim ortum habuiſſet axioma illud: *quæ in inferioribus ſunt diuiſſa in ſuperioribus præhabentur vnite?* niſi quia in eadē forma, & virtute agentis ſuperioris plures, ac diuerſi effectus continentur. Rurſus, & ſi diuerſitas effectuū eſſet ſignū ſufficiens diſtinctionis ſpecificæ in forma, & virtute aqua dimanant hoc eſſet quando ab illa immediate, & directe dimanant, ſecus autem quando ab illa, vt alteri à ſociata, & per alterius agentis cocurſum modificata prouenirūt. Sic autē cōtingit in noſtro caſu, eo quod effectus oppoſiti, ac diuerſi, qui ex diuerſis ſtellis cauſantur, nō à ſolis ſtellis immediate, ſed ab eis, vt à ſociatis virtuti ſolis quæ eſt virtualiter multiplex, & prout modificatis per cōcurſum tā ſolis, quā aliorū Planetarū (qui propterea rectores orbis nuncupātur) efficiuntur. Ad ſecundā patet quod ille diuerſus modus conueniendi nō obſtat lucis identitati, ſicut neq; obſtat, quo minus ſit eadē ſecundū ſpeciē lux ſolis quæ eſt illi cónaturalis, & quæ ab extrinſeco aeri cōmunicatur. Neq; quod gratia habitualis ſit Chriſto debita, & nō alijs hominibus iuſtis tollit, aut gratiæ, aut hominum cū Chriſto Domino ſpecificā identitatē, quinimo eiuſdē corporis vni parti poteſt eſſe aliquod accidens cōnaturale, & non alijs, quod non tollit, aut accidentis, aut partiū continuitatē, cordi enim cōnaturalis eſt motus primus animalis, qui alijs partibus nō conuenit, & fœminæ cōnaturalis eſt pro tēpore debito virtus generatiua lactis quæ deeſt viris. Rurſus illa non omnibus partibus eiuſdē fœminæ, ſed determinatæ parti, ac à natura deſtinatæ ad eſt. Haud diſſimiliter parti denſiori cœleſtis corporis cōnaturalis eſt lux non ab ipſius eſſentia dimanans, ſed à ſole qui eſt fons luminis; impreſa, & cōnaturaliter in illa parte denſiori recepta. Nec per hoc quod alię ineptę ſint virtutē illuminandi recipere amittūt cōtinuitatē, quod ſi continuæ ſunt eiuſdē rationis debent eſſe, illa enim quæ diuerſæ ſunt rationis non valent cōtinuari. Ad teſtimoniū autē D. Tho. dictū eſt loqui cōditionaliter, & ex aliorū ſententia quoad primū dictū, & quoad ſecundū de diuerſitate lucis, ſolū ponere lucē diuerſam in eſſe virtutis actiuæ, & influxus, non autem in eſſe paſsibilis qualitatis. Quod patet ex ratione ſub inducta, ſubdens enim rationem huius diuerſitatis ait D. Thomas, quod diuerſorum corporum ſuperiorum radij diuerſos cauſant effectus. Denotans ſe diuerſitatem in luce non in eſſe paſsibilis qualitatis, ſed in eſſe potentiæ actiuæ conſtituere.

(.?.)

ARTI-

ARTICVLVS. II.

An corpora cœleſtia ſint per naturam, & ab intrinſeco incorruptibilia.

43 IN hoc articulo duæ verſantur ſententiæ. Prima aſſerit corpora cœleſtia eſſe ex natura ſua corruptibilia, quam ſequuti fuere quidam ex Sanctis Patribus, & ex antiquis Philoſophis, quorum teſtimonia afferunt Bañeſius, vbi ſupra, quæſt. 66. art. 2. & Conimbricenſes, 1. de cœlo, cap. 3. quæſt. 1. eandem ſententiã nouiſsime ſuſtinent aliqui ex Neotericis Aſtrologis, quibus ſubſcribit Vazquez tomo. 2. 1. part. diſp. 183. cap. 1. & 1. 2. tom. 1. diſput. 11. cap. 8. num. 49. dicens nullum eſſe corpus, quod ſuapte natura, & per eſſentiam ſuam ſit incorruptibile. Secunda tamen ſententia attribuens corporibus cœleſtibus intrinſecam incorruptibilitatem eſt cõmunis hiſce temporibus, apud Philoſophos, & Aſtrologos, illamque docuit, & probauit ex profeſſo Ariſtoteles 1. de cœlo, capit. 3. & 8. & D. Thomas, eandem acceptauit vt veram, atque in illa approbanda fuit perpetuus, vt videre licet apud ipſum lib. 1. de cœlo lection. 2. & 3. & prima parte, quæſtion. 66. artic. 2. quæſtion. 10. artic. 5. & 6. & quæſtion. 67. artic. 1. & 1. contra gentes, capit. 82. quibus ſubſcribunt Durandus in 2. diſtinct. 12. quæſtion. 1. & diſtinction. 14. quæſtion. 1. Caietanus, Ferrarienſis, Bañeſius, in locis præallegatis Flandrenſis, in hoc libr. quæſtion. 13. artic. 1. Conimbricenſes, primo de cœlo in quæſtione citata articul. 2. & 3. Suarez vbi ſupra ſectione 11. atque omnes illi qui ſentiunt materiam cœleſtium corporum eſſe diuerſæ rationis à materia ſublunarium, quos articulo præcedenti retulimus. Et quia hanc ſententiam ſemper exiſtimaui veram, neque ab hoc iudicio, vſque nunc diſceſsi pro illius explicatione ſequentes ſtatuo concluſiones.

Defenditur incorruptibilitas aliquorum corporũ contra Vazquium.

Reſpondeo dicendum primo, dari corpus aliquod incorruptibile, cui ab intrinſeco, & eſſentialiter conueniat incorruptibilitas, certum & indubitatum omnibus tam Philoſophis, & Metaphyſicis, quam Aſtrologis debere eſſe. Hæc concluſio vt iacet ſoli videtur Vazquez repugnare, nullum enim exiſtimo ex Aſtrologis, & Philoſophis, aut patribus antiquis incorruptibilitatem ab omni corpore remouiſſe adeo vniuerſaliter, ſicut ipſe Vazquez conatur remouere. Et probatur primo noſtrum aſſertum: nam celebre illud axioma ab Ariſtotele euulgatum in capite vltimo huius libri dicente, corruptibile, & incorruptibile differre genere re vera intelligitur iuxta mentem Philoſophi, & omnium interpretum de diuerſitate corporum prouenient à materia, qua ſi diceret, corpus corruptibile differre genere Phyſico, id eſt, ſumpto à materia diuerſæ rationis à corpore incorruptibili, attrueret, & inane eſſet hoc axioma ſi nullum eſſet corpus ſuapte natura, & ex genere ſuo incorruptibile, & ex eodem genere differens a corpore corruptibili, ſiquidem propoſitio eſſet de ſubiecto non ſupponenti: ergo cum hoc proculdubio non ſit admittendum, neque ſub dubio poteſt cadere, quod corpus aliquod detur cui exſe, & genere ſuo conueniat eſſe incorruptibile, & diſtingui à corpore corruptibili. Secundo probatur, idem eſt conſtitutiuum, & eſſentiale diſtinctiuum, ſed certum eſt ex eiuſdem Philoſophi doctrina in capite vltimo, huius & D. Thomas, ibidem lectione vltima, dari corpus genere diuerſum à corpore corruptibili, diuerſitas autem generica eſt eſſentialis, & per principia eſſentialia eſſentialiter diſtinctiua: ergo etiam debet eſſe indubitatum, quod tale corpus ſit eſſentialiter incorruptibile eo quod prædicatum illud diſtinguens genere à corpore corruptibili eſt eſſentialiter diſtinctiuũ ac proinde conſtitutiuum, illud autem eſt incorruptibile. Tertio: nam corruptibile, & incorruptibile reſpectu corporis ſunt differentiæ perſe, ſicut rationale, & irrationale reſpectu animalis: ergo faciunt illud differre eſſentialiter, & aliàs cum differentiæ perſe diuiſiuæ alicuius generis ſint ſpecierum conſtitutiuæ dabitur corpus perſe, & eſſentialiter incorruptibile, ſicut datur corpus perſe, & eſſentialiter corruptibile. Antecedens probatur, & declaratur hic à D. Thoma, dupliciter: primo, quia contrariorum alia ſunt quæ eidem ſubiecto poſſunt conuenire, vt album & nigrum, eo quod accidentalia ſunt, & conſequenter eidem ſubiecto ſucceſsiue poſſunt abſque eius deſtructione aduenire, alia vero ſunt quæ eidem ſubiecto etiam ſucceſsiue nequeunt conuenire, & huiuſmodi contraria ſunt corruptibile, & incorruptibile, quia nõ cõueniũt per accidens eis de quibus prędicãtur, quod enim cõuenit accidẽtaliter contingit nõ in eſſe atcorruptibile ex neceſsitate in eſt rebus quibus cõuenit, & ſimiliter in corruptibile, alias idẽ poſſet eſſe ſucceſsiue corruptibile, & incorruptibile, quod tamẽ eſt impoſsibile, licet virtꝰ diuina poſsit illud quod eſt per naturam corruptibile incoptibiliter

conſer-

conſeruare. Secundo: quia quælibet contraria faciunt differre ſpecie in ordine ad aliquod genus determinatum, verbi gratia, album & nigrum, licèt nõ faciant differre ſpecie in genere animalis faciunt tamen differẽtiam ſpecificam in genere coloris, & maſculinum & fœmininum in genere ſexus, licèt non faciant huiuſmodi ſpecificã diuerſitatem in genere animalis, ſimiliter animatũ & inanimatũ faciunt differre genere in ordine ad ſpecies infimas, tamẽ in ordine ad ſuperius diuiſum faciũt differre ſpecie, qua omnes differẽtiæ alicuius generis ſunt cõſtitutiuæ quarundã ſpecierũ, licèt illæ ſpecies interſe differant genere, eo quod ſunt genera quædã ſiue ſpecies ſubalternæ ſi ad ſpecies infimas ſub ipſis collocatas cõparẽtur, & ſic corruptibile & incorruptibile faciũt per ſe differre in aliquo genere entis, quia tamen cõmunicãt in materia eiuſdẽ rationis & genus phiſicũ ſumitur â materia propterea dicũtur differre genere phiſico, re tamen vera cõſtituunt ſpecies in aliquo genere entis in quo vniuocãtur logice, id eſt vniuoce cõueniũt in aliqua ratione prædicamentali à ſuis inferioribus abſtracta prout genus apud logicos accipitur. Ex quo ſic argumẽtor: corruptibile & incorruptibile ſunt differẽtiæ diuiſiuæ per ſe alicuius generis & cõſtitutiuæ aliquarũ ſpecierũ ſub tali genere locatarũ, nõ accidẽtis quia nõ ſũt cõtraria de genere accidẽtis: ergo ſubſtãtiæ, & cũ nõ diuidãt ſubſtantiã immediate, diuiſio enim immediata ſubſtãtiæ eſt per corporeã & incorporeã, diuident primũ mẽbrũ ſubſtãtiæ, ſcilicet corpus. Quod ſi aliquis cõtendat ſubſtãtiã creatã immediate poſſe diuidi per corruptibile & incorruptibile, nõ repugnabo illi, dum admittat veràque differentiã corruptibilis, ſcilicet & incorruptibilis in genere corporis reperiri. Nullus itaque quãtumuis plauſibiliũ opinionum amator, quod modo nec laudo, nec vitupero, negare audeat dari corpus per ſe & ſuapte natura incorruptibile.

Maxime cælorum contra eundẽ authorem & aſtrologos neotericos.

44 Dico 2. Cæleſtia corpora quæ experimur motu circulari moueri incorruptibilia ſunt ab intrinſeco & ſuapte natura. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus autores primæ ſententię, quę & ſi nõ adeo certa vt prima, vt probabilior tamẽ & veritati cõformior cõſtituitur. Et illã primo oſtendo ex natura & cõditione corruptionis, hæc enim fit per ſeparationẽ formæ à materia, ſed in cæleſtibus corporibus mobilibus nequit naturaliter eſſe talis ſeparatio: ergo nequit eſſe corruptio ac proinde erũt incorruptibilia, ſiquidẽ incorruptibilitas naturalis nihil eſt aliud quã impotẽtia ad corruptionẽ. Ma. patet: quia corruptio eſt amittere eſſe, cõpoſita autẽ nõ amittunt eſſe naturaliter, niſi per ſeparationẽ formæ â materia, ac per cõſequens corruptio illorũ importat formæ à materia ſeparationẽ quæ eſt mutatio de eſſe ad non eſſe. Min. autem probatur, quia ſeparatio formę à materia naturaliter cõtingere poteſt, aut ratione cõtrarietatis, ſcilicet quia cõpoſitũ illud habet cõtrarietatem hoc eſt mixtionem contrariarũ qualitatum ſibi inuicem aduerſantiũ, ex qua prouenit aliquando corruptio cõpoſiti per exceſſum vnius & deffectum alterius contrarij, aut quia habet materiam capacem alterius formæ, hoc eſt quæ habeat potentiam paſſiuam ad eſſe ſub alia forma, ex hoc enim appetitu & materiæ potẽtialitate prouenit etiam corruptio in ſublunaribus dum noua forma ſubſtantialis materiæ adueniens præexiſtentem expellit, per cuius expulſionem fit compoſiti præexiſtentis corruptio, at corpora cæleſtia neque contrarietatem habent neque potentiam, aut capacem materiam ad eſſe ſub alia forma, eorum enim materia neque priuationi alterius formæ adiuncta eſt, neque aliam appetit formam, neque contrarijs qualitatibus ſubiacet: ergo. Secundo probatur ex ratione ipſa incorruptibilitatis quæ nihil eſt aliud, quam in potentia ſeu negatio potentiæ contraditionis ad eſſe, & nõ eſſe ſubſtantiale, ſed cæleſtibus corporibus cõuenit per ſe huiuſmodi impotẽtia ſeu negatio potentiæ cõtradictionis: ergo. Mai. patet: quia cum corruptibilitas dicat talem potentiam ad non eſſe, & incorruptibilitas ſit differentia ei contrarie, & veluti priuatiue oppoſita cõgruenter dicitur impotẽtia ſeu negatio potentiæ, quia licèt differentia poſitiua ſit & per ſe diuiſiua corporis vt dictum eſt, conuenienter tamen per negationem ſibi oppoſitæ differentiæ illã circũloquimur. Min. autem probatur: nã omnipotentiæ paſſiuæ reſpondet aliqua actiua eiuſdem generis quæ illam de potentia ad actum reducat, at nulla eſt potentia intra ordinem naturæ valens formã cæleſtis corporis â materia ſeparare, non enim otioſſa per tot tẽporum ſpatia fuiſſet & futura eſſet, quot â principio mũdi fluxerunt vſque nũc, ac deinceps fluent: ergo nulla datur in corporibus cæleſtibus potentia paſſiua ad nõ eſſe, ac proinde datur impotentia naturalis ad non eſſe, quod eſt illa eſſe ſuapte natura perpetua & incorruptibilia. Confirmantur & declarantur iſtæ duæ rationes: nam omne corruptibile corpus componitur ex cõtrarijs, eo quod corruptio fit ex contrarijs & cõtrarietas eſt principiũ ad corruptionẽ neceſſarium teſte Philoſ. 1. phiſ. text. 44. ſed cæleſtia corpora

nullã habent mixtionẽ aut cõpositionem ex cõtrarijs: ergo. Probatur discurrẽdo per singulas cõtrarietates quas numerat Phil. 2. de gener. c. 2. sunt enim septem contrarietates, quas ibi enumerat Philos. qualitatũ tangibiliũ, scilicet calidũ & frigidũ, humidũ & siccũ, graue & leue, durũ & molle, lubricum & aridũ, asperũ & lene, grossum & subtile, ex his autẽ septem cõtrarietatibus qualitatũ tãgibilium nulla potest cælestibus corporibus conuenire, siquidẽ nulla qualitas tangibilis eis in esse potest, & aliàs nulla alia cõtrarietas accidentiũ non tangibiliũ, minus potest in eis reperiri, etenim secundum motum loco cælẽ nullã habere potest cũ sit circularis cui nullus motus cõtrariatur: ergo. Dices reperiri rarũ & densum quæ cõstituunt octauã cõtrarietatẽ à septẽ recensitis distinctã, siquidẽ docuimus in eodẽ cælesti corpore dari magis ac minus densas partes, penes quã diuersitatẽ stellas à cæteris partibus diximus esse distinguendas. Sed contra hoc est, quod densum & rarum reducuntur, vel ad graue & leue, vel ad grossum & subtile & in illis radicantur. Vnde sicut istę contrarietates repugnant cœlo ita & illę. Deinde licèt in cælo sit rarũ & densum, nõ sunt eiusdem rationis cũ raro & denso constituentibus contrarietatẽ tangibilem, sed diuersæ, & propterea nõ habet in cælo admixtam imperfectionẽ contrarietatis quam habet in sublunaribus, sicut & lux cælestis quædã qualitas est ab omni contrarietate vindicata, & ratio motus in motu cælesti circulari est omnis cõtrarietatis expers: ita raritas & densitas prout cõueniunt cœlo ab omni imperfectione contrarietatis vindicãtur. Quinimo rarũ & densum secundũ se & formaliter accepta, absque adiũctis qualitatibus nõ sunt qualitates cõtrariæ, sed solũ diuersæ situs ac loci positiones in partibus, etenim teste Philos. 2. de gener. & 4. phisic. tex. 84. rarũ solũ dicit positionẽ partium secundũ remotũ, densum vero positionem partiũ secundum propinquum: quia in raro sunt partes remotiores, & in denso ponũtur propinquiores, vt sic autẽ formaliter nullã cõtrarietatẽ habent secundũ se, nisi ratione qualitatũ, quæ aut huiusmodi propinquitatẽ seu distantiã causant aut illã comitantur, vt sic autem reperiuntur in corpore cęlesti, absque contrariarũ qualitatũ concomitantia. Vltimo probatur nostra cõclusio omnibus argumẽtis quibus art. præcedenti ostendimus cælestia corpora gaudere materia diuersę rationis à materia sublunariũ, atque interse, differre specie: ex 1. namque infertur eorum incorruptibilitas, & ex hac infertur & oritur, secundum, nempè exclusio in eadem specie pluralificationis indiuiduorũ.

46 Dico 3. A fortiori cœlũ Empireum gaudet natura incorruptibili: ostẽditur hæc assertio 1. nã etiã si per impossibile inferiores sphęræ mobiles corruptibiles essent, tamen supremus ille locus beatorũ adhuc incorruptibilis sphęra esset: hoc enim eius immobilitatẽ, officiũ, munus ac finẽ decet, est enim immobilis permanẽs in eodẽ semper loco, & in locũ beatorum peremni ac incorrupta mercede fruentiũ destinata, materiã, & formã specifice à reliquis diuersam sortita. 2. probatur ex illo Exod. 24. vbi dicitur de 70. senioribus Israel, quod viderunt Deũ Israel, *& sub pedibus quasi opus lapidis saphirini, & quasi cœlum cũ serenum est*, vbi Procopius, & Cirill. lib. 11. de adoratione in spiritu & & veritate, dicũt per lapides sephirinos cœlestis coloris, tronũ illũ cœli Empirei in quo Deus residet, denotari, & propterea gẽmis indefectibilibus & permanentioris naturæ designari, vt illius cælestis troni stabilitas, permanẽtia & incorruptibilitas ostenderetur. 3. probatur rationibus factis pro secũda cõclusione, quibus cõuincitur tronũ hũc diuinę maiestatis à fortiori gaudere natura incorruptibili, eo quod inseparabilitas formæ à materia, impotentia ad non esse, & libertas ab omni cõtrarietate quę alijs cęlestibus corporibus mobilibus cõuenit, à fortiori illi & omnium supremum ac perfectissimũ, potissimoque fini destinatũ est debent cõuenire.

46 Sed 1. aduersus, primã arguitur: nam incorruptibile nequit esse essentialis differẽtia per se diuisiua corporis, & cõstitutiua alicuius speciei in genere corporis: ergo falsa est prima cõclusio. Anteced. probatur 1. nã si corpus aliquod esset essẽtialiter incorruptibile posset diuidi corpus immediate in incorruptibile & corruptibile, sicut diuitur in viuens & nõ viuens, & tunc duabus diuisionibus adęquatis idem genus posset diuidi, & nullatenus est dicendũ: ergo. 2. Nã implicat sub genere ignobiliori cõtineri aliquam speciẽ essentialiter nobiliorẽ aliqua specie contẽta sub nobiliore genere: sed admisso quod corruptibile & incorruptibile cõstituãt genera aut species corporis subalternas essentialiter, sub genere corruptibilis, quod est ignobilius incorruptibili, continetur viuẽs, quæ est species nobilior cælesti corpore nõ viuente: ergo nullatenus talis positio est admitenda. Confirmatur primo: nam multa sunt quæ differunt penes corruptibile & incorruptibile, & tamen non differunt genere etiam phisico, non igitur istæ sunt differẽtiæ per se diuisiuæ corporis, aut constitutiuæ aliquarum specierũ. Antecedens probatur inductione: nam anima rationalis, & homo differunt sic, illa enim incorruptibilis

est

est sicut & immortalis, iste vero quia cōpositus ex cōtrariis: corruptibilis & mortalis est, & similiter quātitas cæli & quātitas corporis sublunaris differūt penes corruptibile & incorruptibile, illa enim indefectibilis est admodū subiecti recipientis hæc vero corruptioni obnoxia. Rursus elementa & eorū partes diuisiue sumptæ sic differūt q illa secūdū totū sunt perpetua & incorruptibilia: istæ vero corruptionē patiuntur vt experientia ostēdit quotidiana in partibus aquæ, terræ, & ignis, quas quotidie videmus trāsmutari, & tamen neq; inter animā rationalem & hominē, neq; inter quātitatē cælestis & sublunaris corporis, neque inter elemēta & ipsorū singulas partes est distinctio specifica, nedum generica ergo. Cōfirmatur 2. nā homo in statu innocētiæ fuit incorruptibilis & immortalis simpliciter ex conditione illius status fælicissimi, & ratione iustitiæ originalis vt docet D. T. 1. p. q. 97. ar. 1. in 2. d. 19. q. vn. ar. 2. & 4. cōt. gēt. c. 81. similiter post resurrectionem erūt homines simpliciter immortales, non solū ab actu, sed etiā à potentia moriēdi vindicati iuxta illud ad Rom. 8. *viuificabit & mortalia corpora vestra*, & 1 ad Corint. 15. *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatē & mortale hoc induere immortalitatē*: vnde inter alias dotes quibus corpus gloriosum potietur, numeratur immortalitas, & impassibilitas teste D. T. in 4. d. 44. q. 2. ar. 1. ql. 1. & d. 49. q. 4. ar. 5. ql. 3. aqua sufficienter potest ac debet corpus illud incorruptibile denominari: modo autē in statu viæ post lapsum homo mortalis est & incorruptibilis, & tamen in hoc triplici statu homo est eiusdem speciei, imo & idē numero corpus hominis quodmodo est corruptibile in resurrectione ad corruptibilitatē assumetur, igitur differentia penes corruptibile & incorruptibile nō est essentialis, sed accidentalis, nec diuersas corporis species, sed diuersos eiusdē corporis constituit status. Ad 1. argumē tū nego antecedens: ad primā probationē cōcessa mai. nego min. eo quod illæ duæ diuisiones non sunt duæ omninò ex diuersis mēbris diuidentibus constātes, sed diuersa eiusdem diuisionis coordinatio, quo pacto ens docuimus supra posse diuidi immediate in absolutū & respectiuū, vel in substātiā & accidens, & substātiā prædicamentalem seccari posse etiā immediate in viuentē, & nō viuentē, vel in incorporeā, & corporeā. Haud dissimiliter poterit corpus quod diuiditur adæquate & immediate per viuens & nō viuens diuidi immediate, & adæquate per corruptibile & incorruptibile. Ad 2. Gabriel Vazq. vbi s. docet quod quando genus aliquod est nobilius altero tota illius latitudo debet esse nobilior tota alterius latitudine: ita vt imperfectissima illius species debeat excedere perfectissimā speciem alterius generis, scilicēt nobilioris. Sed fallitur manifeste. cōmunis enim sentētia Thomistarū quā probat Cōrr. ibidē, nēpè 1. 2. q. 3. ar. 4. asserit aliquid ex genere posse perfectius altero & secūdū specificū gradū esse imperfectius illo, hoc est sub genere nobiliori posse cōtineri speciē ignobiliorem aliqua specie perfectissima alterius generis ignobilioris, & patet huius sententiæ veritas ex D. T. qui 2. 2. q. 23. ar. 6. docet charitatē esse virtutē simpliciter ex obiecto nobiliorem fide & omni virtute intellectuali viæ, cū tamen genus virtutis intellectualis nobilius sit genere virtutis perficientis partē appetitiuā, & operatio intellectus speculatiui ex genere suo est nobilior operatione intellectus practici, cū illa ad vitā cōtemplatiuā de qua dictū est Mariā optimā partē elegisse, hęc autē ad vitā actiuā pertinet vt testatur D. T. 2. 2. q. 179. art. 1. & 1. 2. q. 3. ar. 5. vbi hac ratione probat beatitudinē in operatione intellectus speculatiui potissime debere cōsistere, quod illa sit omniū optima & nobilissima, cū hoc tamen stat quod aliqua operatio intellectus practici sit nobilior ex obiecto & speciē sua, quā alia intellectus speculatiui, dilectiō enim Dei in via nobilior est quam actus fidei qui nō ad Deū secundū se sed ad illū prout enigmatice in nostro intellectu representatū terminatur, & assensus scientiæ moralis de actionibus humanis tractantis perfectior est assensu Logicæ qui circa secūdas intētiones versatur, licēt ille practici, hic vero speculatiui intellectus sit operatio. Satis igitur est ad saluādū alicuius generis supra aliud excessum, quod seruata debita proportione species nobilioris excedant species ignobilioris, seruatur autē debita proportio, quādo suprema species illius excedit supremā huius & secūda secūdā, & tertia tertiā, quātē prima huius excedat tertiā illius hoc nō obstante eius maiori perfectioni. Vnde quia nobilissimus habitus intellectualis, scilicēt lumen gloriæ perfectius est charitate, hæc enim respicit bonitatem diuinam, secundum se, quæ est ratio attributalis, illud vero habet pro obiecto Deum, secundum primordialem rationem deitatis: ideo nobilius genus est fidei & aliarū virtutū intellectualiū quas habemus in via quā charitatis, licēt hæc excellentior sit fide vt docet D. Paulus 1. Corint. 13. nedū in esse moris, vt falsò interpretatur Vazquez, sed etiā in esse habitus & virtutis. Hoc supposito, ref-

pōdetur negādo mai. non emin eſt incōue niens ſub genere nobiliori entis incorrup tibilis cōrineri aliquā ſpeciem imperfectio rē nō omnibus ſed aliquibus ſpeciebus entis corruptibilis, in animatū enim corpus & ſi cæleſte imperfectius eſt corpore animato formicæ & ſi corruptibili. Reſpondetur 2. corpus incorruptibile ſecūdū gradū corporeitatis perfectius eſſe omni corpore co ruptibili ſecundū gradū corporis corrupti bilis præciſſe ſumptum, licēt imperfectius ſit illo prout includit animā & gradū viuē tis. Reſpōdetur 3. corpus incorruptibile eſ ſe perfectius omni corpore corruptibili, quārū ad perpetuitatē, & ſecūdū quid, quo ad eſſentialem vero & ſpecificū gradū cor pus curruptibile eſſe perfectius: ſaltē quan do ſimul eſt animatū, quia nobiliori forma eſt actuatū. Ad 1. cōfirmationem vt reſpon deamus, prænotādū eſt cū D. Th. in 2. d. 19. q. vnica ar. 2. ad 4. quod corruptibile & in corruptibile, poſſunt accipi dupliciter. Pri mo modo prout ſunt oppoſita & conditio nes radicatæ in principijs naturalibus ip ſius entis, & ſic differūt, neq; eidē ſucceſsiue poſſunt cōuenire, cū in his quæ genere ſeu penes materiā differūt nō ſit poſsibilis trāſ mutatio: alio modo ſumūtur prout ſunt cō ditiones ab extrinſeco prouenientes, & ſic neque differūt genere, neque impediunt q̄ ſubiectū de vno in alterum tranſmutetur. Deinde poſſunt adhuc prout ſunt proprie tates naturæ ſiue entis accipi, vel quatenus cōueniūt parti, vel quatenus cōueniūt toti ac ſuppoſito, quod eſt ens cōpletū ponibile in recta linea prædicamentali, & ſimiliter poſſunt eſſe cōditiones accidentis & ſubſtātiæ. His ſuppoſitis, ad 1. confirmationem nego mai. Ad probationem reſpōdetur ex ſecūdo notabili, quod exēpla illa nō cōuin cunt, primū enim procedit de incorruptibili, quod eſt proprietas partis, ſcilicet ani mæ rationalis, quæ eſt pars hominis, huiuſ modi enim incorruptibile nō facit differre genere, quia neque pars in genere colloca tur, quinimo neq; incorruptibile quod cō uenit accidentibus. multa enim ſunt acci dentia de ſe incorruptibilia, & inamiſibilia vt gratia, beatitudo, & ſimilia, quæ tamen nō faciūt differre ſubiectū genere phiſico, ſed tantū hāc differentiā facit incorruptibi le & corruptibile quę ſunt cōditiones cor poris cōpleti de prædicamētoſubſtātiæ, & de his verū habet Ariſtotelicum axioma.

Ad 2. dico cū D. T. opuſc. 3. c. 170. in 2. d. 19. q. allegata ar. 2. ad 2. & in 4. d. 47. q. 2. ar. 1. ql. 1. ad 3. & d. 48. q. 2. ar. 5. à 7. ad 16. quod elementa ſunt incorruptibilia ſecūdū totū, nō incorruptibilitate quæ eſt cōditio radicata in principijs naturę, alias neque ſecun dū partem ſubirēt corruptionē, eſſenta enim totius in homo geneis ſaluatur in par tibus diuiſis, ſed dicuntur incorruptibilia incorruptibilitate quæ eſt cōditio acciden talis vt dictū eſt in primo notabili & proue nit ab extrinſeco, & ſic cōuenit elementis ex ſubordinatione ad corpora cæleſtia cō ſeruātia bonum ac partes priores vniuerſi, quędā incorruptibilitas, qua ratione à Deo poſt diem iudicij etiā eadem elementa in nouata cōſeruabūtur ne vniuerſū deficiat. Ad 3. patet ex dictis quātitates illas differre nō penes corruptibilitatē incorruptibilita tē; quæ ſunt cōditiones ſubſtantiæ, ſed quæ ſunt cōditiones accidētiū, & propterea nō opportet illas differre genere ſecundū ſe, quia tamen corpora in quibus ſuſtentātur & participāt illas conditiones corruptibili tatis & incorruptibilitatis ſunt genere di uerſa ideò ipſæ quātitates cæleſtis & ſublu naris corporis cōcomitanter & per accidēs hoc eſt ratione ſubiecti differūt genere. Ad 2. cōfirmationē dicendūeſt iuxta primū no tabile incorruptibilitatem hominis in ſtatu innocentiæ nōn eſſe conditionē naturæ in principijs eſſentialibus radicatam, quia ſic homo erat corruptibilis & mortalis, ſed fuiſſe cōditionē ſtatus ex iuſtitia originali proueniente, ſicut immortalitas & impaſſi bilitas corporis glorioſi non ex principijs naturę ſed ex animę beatitudine prouenit: vnde neutra obſtat quominus homo ab in trinſeco & radicaliter ſit corruptibilis & mortalis etiā in illis ſtatibus in quibus ſolū ab actu & à proxima ſeu expedita potentia paſsiua corruptionis vindicatur. Et adhuc inter vnius & alterius ſtatus incorruptibili tatē eſt multiplex diſcrimen teſte D. Th. in 2. d. prælegata q. vnic. ar. 5. immortalitas enim ſtatus innocentiæ ex gratia non cōſu mata oriebatur, eratque viatoris, & cibis in digebat ad degendū vitā animalem, nec ho minē impeccabilē conſtituebat: vnde nec omninò in amiſsibilis erat, ſed ſolū ex ſup poſitione quadā, hoc eſt dū homo ſe à pec cato cohiberet, tandē fuit quædā figura diſ poſitio atq; pręludiū illius quā debebat cor pus in reſurrectione induere immortalita tem. Hæc autē ē cōtra oritur ex gratia con ſumata, eſt dos ſeu ornamentum hominis in termino exiſtētis & impeccabilis, vnde & omnino eſt independens ab humana li bertate: ac proinde in amiſsibilis, nec indi gens cibis, quia non eſt corporis degentis vitam animalem, & tandem ad illā ſicut ve ritas ad figurā, ſicut finis ad diſpoſitionem & ſicut vera incorruptibilitas ad prælu diū incorruptibilitatis cōparatur: nihilominus

ho-

homo in vtroque statu, tã innocentiæ, quã post resurrectionem simpliciter & absolute dicendum est incorruptibilis atque immortalis, & de secũdo nullus est, qui inter catholicos hæsiret. Circa primũ vero inter catholicos duplex est modus dicendi. Primus asserit hominem in statu innocentiæ, mortem non fuisse subiturũ, tamen habuisse potentiã proxime, nedum absolute, sed etiã in sensu cõposito, & ex suppositione illius status ad mortem subeundam, ita vt absque illius amissione, posset mortem incurrere: ac proinde non esse dicendum absolute incorruptibilem, aut immortalem. Huius sectatores fuere Scotus & Gabriel in 2.d.19.q.vnica art.2. & Durandus ibidẽ q.1.art.2. quorum fundamẽtum ex duplex: primum Durandi: quia immortalitas hominis in illo statu non fuit, qua non posset mori: sed qua posset non mori, si in gratia perseueraret. Secundũ cui Scotus initur est, quod homo tunc absque amissione status innocentiæ poterat abstinere à cibis, à quibus tamen vita eius dependebat & poterat famẽ, & alias passiones subire, vsque ad ipsam sui corruptionem inclusiue &c. Sed verus modus dicendi asserens hominem radicaliter & suapte natura esse corruptibilem in illo statu & habere potẽtiam ad moriendum, ex dono tamen gratiæ & iustitiæ originalis fuisse impeditam eius corruptionem & ablatam ab eo necessitatem moriẽdi, atque simul collatum fuisse donum, quo secundum quod non solum posset nõ mori: sed etiam secundum quod nõ posset mori: ita vt negatio cadat supra verbũ potest, est Doctoris Sãcti in locis præallegatis quẽ sequuntur Caietanus super Genesim c.2. & 1.p.q.97.art.1. Bañesius & Zumel ibidem, Valentia quoque ibi disp.7. q.6. puncto 1. Abulensis super Genesim q.164. & 206. vsque ad 209. & Palacios in 2.d.19.q.1.art.2. qui inititur duobus fundamentis omnino oppositis illis, quibus primus modus dicendi fulcitur, alterum est immortalitatem illam non solum actum: sed etiam potentiã corruptionis in sensu cõposito, & ex suppositione status innocentiæ ab homine abstuliisse, & alterum quod homo absque amissione illius status, secundum legem & ordinem illi debitũ nõ posset mortem aut alios defectus ad mortem disponẽtes subire: inerat ẽnim homini præceptũ comedẽdi, & omnia media ad vitã conseruandam necessaria adhibendi, atque cõtraria lædentia fugiẽdi: vnde per gratiam illius status ab omni defectu & lęsiuosis, famis, de fatigationis, & huiusmodi alijs erat præueniendus, quod Scotus debuisset aduertere cũ apud ipsam Christus redemerit beatam Virginẽ illius peccatum, non de facto subsequtum, sed possibile subsequi, præueniendo.

47 Secundo arguitur principaliter cõtra secundã conclusionem: nam incorruptibilitas per naturã in rebus est ex in potentia ad non esse seu ex carentia materiæ aptæ ad aliã formam recipiendã teste D.Th.1.p.q.97.ar.1.& excarentia cõtrarietatis teste eodem D.T.q.66.ar.2.vbi ad effectum cõtrarietatis reducit cœli incorruptibilitatẽ: & hæc duo sunt principia corruptionis, scilicet materia apta recipere extraneam formã, & admixtio contrariorũ: sed neutrum horũ defficit cælestibus corporibus mobilibus: ergo sunt corruptibilia per naturã. Minor probatur, de primo quidẽ, quia cęlestis forma nõ satiat appetitũ neque explet potentialitatẽ materiæ recipientis, siquidẽ anima rationalis quæ est perfectior illa non satiat appetitũ suæ materiæ: informare autẽ appetitum materiæ est maior perfectio formæ, quã informare nõ satiando: ergo debet conuenire formæ perfectiori: talis autẽ nõ est forma cælestis. De 2. veroprobatur: nã idem corpus cæleste mouetur motibus cõtrarijs: sphęræ enim planetarum mouentur motu diurno ad raptũ primi mobilis ab Oriẽte in occidens, & motu proprio ab occidẽte in oriens, qui cũ sit inter terminos cõtrarios, sunt motus cõtrarij: sicut essent cõtrarij illi, quibus idem homo simul ab oriẽte versus occidens, & ab occidente versus oriens moueretur ergo neque materiæ priuatio atque aptitudo ad aliã formã, neq; cõtrarietas defficit his corporibus. Cõfirmatur, nã cælestia corpora mensurãtur nõ solũ quoad motus suos, sed etiã quoad suũ esse tẽpore, hæc autem est mensura corruptibiliũ: ergo. Mai. probatur 1. nã D.Th. in libro de causis circa propositionẽ 30. & 31. ait cælũ mẽsurari tẽpore, quod debet intelligi saltem quantũ ad motũ: ex hoc autẽ sequitur quod etiã mensuretur quantũ ad esse: nã eadem mensura mensurãtur corpus cæleste & eius naturalis motus, sicut eadẽ mensura æui mensurantur Angelos & eius cognitio, atq; volitio naturalis, motus enim naturalis cæli habet se respectu illius sicut naturalis operatio respectu Angeli; 2. probatur: nã cælũ, quoad suũ esse mensuratur aliqua mensura & non æuo, quia æuum est in supremo Angelo à quo differũt genere cælestia corpora, vnũquodque autem mensuratur primo sui generis: ergo. Neque valet dicere, quod cælestia corpora conueniunt cum Angelis in genere mensurati li

cet differant genere in eſſe naturæ eo quod habent eſſe in tranſmutabile ſicut Angeli, cuius in tranſmutabilis eſſe in tota latitudine mẽſura eſt æuum: nam diuerſitas illa in eſſe naturæ exigit diuerſas menſuras, ideò enim actiones immanentes & motus Angelorum diſcreti, atque continui petunt diuerſas menſuras hoc eſt diuerſas differentias temporis Angelici, teſte D. Tho. 1. p. q. 53. quia differunt in genere naturæ licèt conueniant in genere motus ſiue operationis: ergo huiuſmodi diuerſitas in genere naturæ cum ſit maior inter Angelos & cæleſtia corpora, quam inter motus Angelicos exiget in illis diuerſas menſuras ſiquidem illas exigit in iſtis: ac proinde impoſſibile eſt cœlum mẽſurari æuo quoad ſuum eſſe, quo Angeli quoad ſuum eſſe menſurãtur. Ad argumentum reſpondetur negando minorem, ad cuius primam probationẽ patet ex dictis cæleſtia corpora non habere materiam eiuſdem, ſed alterius rationis à noſtra, quæ per formã cæleſtem ſatiatur, & expletur omnino: ac proinde non habet potentiam paſſiuã ad alterius receptionẽ. Ad ſecundam reſpondetur, quod nullam habent compoſitionem aut incluſionem contrariarum qualitatum aut motuũ: quia neque luci quæ ſola ipſis conuenit neque motui circulari quo dum taxat mouẽtur datur contrariũ & hac de cauſa appellat Ariſtoteles cælum quintam eſſentiam primo de cælo c. 3. & 8. contra Platonem in Timeo & eius ſectatores & propterea ab Aſtrologis regio illa ætherea ſupra elementarem, ac ſublunarem regionem exiſtens ſic diffinitur (vt videre licèt apud Ioannem de ſacro boſco c. 1. ſuæ Sphæræ) *è regio lucida ab omni variatione ſua immutabili eſſentia immunis exiſtens motu continuo circulariter incedit, quæ quinta nũcupatur eſſentia.* motui autem circulari proprio planetæ ab accidente in oriens non contrariatur alter ab in Orientẽ in Occidens: quia conuenit ei per aliud id eſt ad raptum primi mobilis & ex ſubordinatione ad illud: & quia fit ſupra diuerſos polos vt ex dicendis art. 5. patebit: de aliis autẽ motibus trepidationis octauæ Sphæræ & retrogado, atque ſtationario quibus planetæ mouentur in epicyclis & relinquũt totum locum, ac terræ magis & minus propinquiores fiunt ibidem, dicẽdum eſt quo pacto contrarij nõ ſint, neque ex hoc ſequitur formam cæleſtem nobiliorem eſſe anima rationali aut motum cæleſtem eſſe perfectiorẽ ſimpliciter omnibus motibus animę habentibus contrarium, ſed tantum ſecundũ quid illa etenim excedit omnes formas ſublunarium corporum quoadmodũ in formãdi ſatiãdo appetitum, & in amiſſibiliter actuando materiam qui eſt exceſſus ſecundum quid: iſte verò in perpetuitate, & in carentia contrarij excedit omnes motus ſublunariũ, licèt ab illis ex parte terminorũ & principiorũ: ac percõſequens ſimpliciter quãdoque excedatur. Ad cõfirmationem nego maiorem, pro ſecunda parte: nam teſte D. Tho. 1. p. q. 10. art. 6. ad 2. motus cæli menſuratur tempore: quia ordinatur ad vtilitatem productionem, & conſeruationem rerum temporalium & alias procedit ab extrinſeco motore, eſtque primus in genere motus temporalis cœlũ verò ipſum quo ad ſuum eſſe: quia eſt in tranſmutabile menſuratur æuo, neque eſt eadem ratio de cognitione naturali Angeli quæ cũ procedat à principio intrinſeco ipſius Angeli eadem menſura menſurari debet: ad illud autem de moribus Angelicis & liberis operationibus plures ſunt modi dicendi qui ad noſtrum inſtitutũ nõ pertinent: alij quibus enim placet duo tempora tantum conſtituere: alterũ pro motibus diſcretis alterum pro continuis, ſiue alterum pro operationibus tranſeuntibus & alterum pro in manẽtibus: alijs verò placet iuxta numerũ operationum tempora multiplicare: quia quælibet operatio eſt regula ſui & habet in ſe ſuam durationem quę alia regula non indiget at omnes motus ſublunares indigent regula primi mobilis & cæleſte corpus cũ non ſit primum & regulariſſimum in genere in tranſmutabiliũ debet regulari primo & regulariſſimo illius generis quod eſt ſupremus Angelus ſiue æuum exiſtens in illo.

48 Tertio arguitur: nam in cæleſtibus corporibus generantur & corrumpuntur corpora de nobis: illud autẽ ex quo aliquid de nouo generatur & corrumpitur eſt generabile & corruptibile: ergo. Mai. patet: nam cometæ quandoque generantur in cælo octauo, vbi ſunt aſtra fixa etenim aliqui fuere cometæ qui ſemper viſi fuerũt ab Aſtrologis diſtantiſsimarum regionum in eodem ſitu & loco iuxta eandem ſtellam fixã & ſic de illo cometa, qui appariit anno Domini 1572. omnes Aſtrologi cõteſtati ſunt ſe illum vidiſſe per plures menſes quibus durauit in domo caſiopeæ quæ eſt vna ex duodecim conſtellationibus octauæ ſphęræ humanam figuram referentibus (vt illi aiunt) hoc autem eſt ſignum manifeſtum fuiſſe corpus illud in octaua ſphera productum: ergo. Minorem oſtendunt Aſtrologi quia omne corpus exiſtens infra lunam aſpicien-

pitientibus ex diuerſis regionibus terræ nō apparet in eodem ſitu & loco & ſub eadē conſtellatione, ſed in diuerſis locis ac ſub diuerſis & diſtantibus cōſtellationibus, eo quod lineæ viſuales productæ à regione Orientali, v.g. & Occidentali vſque ad cometam exiſtentem infra lunam oſtendit illum iuxta ſtellas diſtantiſsimas hominibus quidem Orientis iuxta ſtellas Orientales & hominibus occidentis iuxta ſtellas occidētales lineę enim illæ viſuales rurſus à cometa exiſtenti infra lunam ad cœlum octauū, protrahuntur quaſi à centro vſque ad circunferentiam, terra enim & omnia elemētalis regio reſpectu cœli octaui propter maximam illius diſtantiam & magnitudinem, habet ſe ſicut punctus ad circunferentiam, vnde ſicut lineæ vnitæ in centro & circunferentia valde ſeparantur, dum ad puncta diſtantia circunferentiæ terminantur, ita lineæ viſuales à terra & à cometa aereæ regionis vſque ad cœlum octauū pro tractæ debent ad diſtantiſsima puncta illius terminari: ac proinde oſtendere aereum cometā in diſtantiſsimis locis & iuxta diſtantiſsimas ſtellas eis qui ex diſtantibus regionibus illū intuentur, quod ſi illum oſtendunt in eodē loco & iuxta eādem ſtellam fixam ſignum eſt, ibi eſſe genitum cometam vbi apparet fixus. Ad hoc argumētum tres ſunt potiſsimi modi dicendi: primus eorum qui adeo credunt Philoſopho primo meteorum c. 7. aſſerenti cometas in regione aeris ex quibuſdam inflamatis exhalationibus generari & adeō Aſtrologis increduli exiſtunt, vt eis vellint omnem experientiam denegare & eorum teſtimonijs nullam eſſe fidem adhibendam, neque aliter reſpondent ad argumentum factum, quam negando Aſtrologorum dictam experientiā. Secundus eſt aliorum aſſerentium, quoſdam cometas in aere generari, & ibidē apparere de quibus fuit locutus Ariſtoteles vbi ſupra, alios vero apparere in cœlo ſtellato, nō quia de nouo generentur, ſed quia ſunt antiquę ſtellę ex fixis in eodem cœlo, quæ nunquam apparent, niſi quādo quędam exhalationes aſcendentes à terra interponūtur in aeris regione ſuperiori & illas de nouo faciunt apparere, quæ quando ſic de nouo apparent dicuntur cometæ, & talis fuit ille, qui apparuit anno 1572. nō de nouo genitus, ſed antiqua ſtella de nouo apparens in domo caſiopeæ propter exhalationis interpoſitionem. Tertius eſt Bañeſij vbi ſupra aſſerentis præfatum cometam (& ſimiles qui vniformiter apparent in eodem ſitu & poſitione & prope eandem fixam ſtellam) eſſe quandam inflamationem per totam aeris regionem, quæ vndequaque conſpiciatur apparet directe intuenti in eodē ſitu & poſitione & iuxta eandem ſtellam fixam, non quia ibi realiter ſit, ſed quia refractio radiorum viſualium cauſat illam apparētiam, ſicut propter ſimilem radiorum refractionē contingit apparentia colorum, qui tamen non ſunt in arcu nubis roridę & in circulo Lunæ. Sed omnes iſti modi deficiunt à veritate: primus quidem, quia ſtultitiam ſapit fidedignis hominibus fidē denegare, neque prudentiæ, neque fidei humanæ conſentaneum eſt exiſtimare tot viros ſimul inter ſe pepigiſſe nos fallere, quot Aſtrologi dictā experientiam de cometa illo, qui ipſis apparuit iuxta domum caſiopeæ fuerunt conteſtati: ſecundus refertur & impugnatur à Conimbricenſibus in loco prælegato art. 4. Tum quia non apparet talis cometa, niſi admodum quo ipſæ exhalationes faceret illum apparere exhalationes autem aeris hominibus conſpicientibus è diuerſis regionibus, iuxta diſtantes ſtellas illum repreſentarent, vt conuincit demōſtratio facta delinearum viſualium emiſſionem: at ex hipotheſi conſtat fuiſſe illum cometam in eodem ſitu viſum ab omnibus Aſtrologis ediſtantis regionibus eum intuentibus. Tum etiam: quia non eſſet maior ratio quare vna ſtella antiqua appareret de nouo, & non aliæ quinimo plures debuiſſent apparere. Denique non in eadem quantitate appareret, ſed aliquando in maiori, & aliquando in minori: ſicut & exhalatio ipſa aliquā do maior, & aliquando minor fuit ex diuerſis regionibus conſpecta, conſequens tamē eſt cōtra hypotheſim, qua ſupponimus cometam illū fuiſſe viſum ſemper in æquali quātitate: ergo. Tertius denique deficit itū quia voluntarie affirmatur magiſque acute, quā vere defenditur à ſuo authore: tum etiam, quia ſi cometa ille eſſet inflamatus aer, per totam regionem ſuperiorem aeris ſparſus, verus ignis eſſet, & veram lucem emitteret & conſequenter non poſſet non in omni parte illius regionis ignis ſine aer inflamatus apparere celumque adeo hominibus operiret vt illud videri non ſineret, quod tamen experientiæ tunc factæ cō tradicit. ſequela probatur: nā ſi igneus globus occupans totam regionem aeris ſupremam, internos & cœlum opponatur, quare non appareret nobis igneus globus, qui vere luminoſus eſt & in materia denſa receptus, aut quo pacto non conſpicierur tota illa regio, ſecundum omnem ſui partem inflamata? aut qua parte cœlū poſſemus cōſpicere?

picere? Denique colorès iridis apparent ex radiorum ſolarium in nube rodida refractione, qua etiam de cauſa in colo columbæ ſimiles apparent colores at noctu cum nõ ſint radij ſolares neque apparẽtiæ iſtæ poſſunt eſſe in circulo Lunæ, fateor colores etiam apparere noctu: ſed hæc apparentia fit ex radiorum lunarium refractione in ali qua nube aut exhalatione interpoſita: ſed neque vrente Sole per diem, neque vrente Luna, aut emitente radios lucis ſuæ per noctem, prædictus comera rutilabat: & omnibus apparebat hominibus: ergo nulla exta bat cauſa tunc talis apparientiæ, præterquã quod ſi tota regio aeris fuiſſet inflamata neſcio, quare à tanto igne reliqus aer, non abſorberetur, & mundi alis machina nõ cõſumeretur: niſi ad miraculoſam Dei manutentionem recurramus: quare ſi ad miraculum eſt recurrendum preſtat in primo quã in hoc ſecundo caſu recurrere: quare quartus & verus modus dicẽdi quem ſuſtinent Conimbricenſes in artic. citato, eſt quod cometæ, qui naturaliter generantur: in aeris ſuprema regione generantur de quibus perſpicum eſt Ariſtotelem, aut naturalem Philoſophum loqutum fuiſſe: cæterum miraculoſe aliqui in octauo cælo fuerunt generati, & talis fuit ille, qui apparuit anno 1572. argumentum enim conuincit illum extitiſſe in cælo ſtellato, quod cum naturaliter cõtingere nequi verit, quia cælum in generabile & incorruptibile eſt, conſtanter aſſeuerandum eſt ſuper naturaliter contigiſſe, non enim virtus diuina miraculorum effectrix eſt euacuata, aut omnino à ſuis ceſauit operibus, quotidie namque videmus ægros repente ſanatos, cæcis viſum reſtitutum, & claudos à claudicatione vindicatos quæ minora non ſunt quam corpus in cælo de nobo generatum, & iuxta hunc dicendi modum conceſſa maiori diſtinguenda eſt minor, illud ex quo aliquid miraculoſe eſt generabile & corruptibile, nego, nam miraculoſa generatio aut corruptio non lædit naturalem cæleſtis corporis incorruptibilitatem. Quarto arguitur: nam ſuo motu colliduntur ad inuicem cæli, ſicut duo corpora tãgibilia, & hac colliſione cauſant ſonum audibilem, quæ eſt qualitas phiſica & corruptibilis habens contrarium: ergo. Antecedens aſſeritur à Philone lib. de ſomnijs vbi ait cælos motu ſuo concentum, & armoniam facere ſuauiſsimã quæ ſi à mortalibus audiretur faceret ipſos rerũ ad victum neceſſariarũ obliuiſci ideoque Moyſem in monte Sinai cibum & potũ nõ guſtaſſe per quadraginta dies; quia huius cæleſtium orbium muſicæ cantus audiuit, verba autem Philonis hæc ſunt: *cælum perpetuo concentu ſuorum motuum redit armoniam ſuauiſsimam, quæ ſi poſſet ad noſtras aures peruenire in nobis excitaret in potentes amores & in ſanum deſiderium quo ſtimulati rerum ad victũ neceſſariarum obliuiſceremur non paſti cibo, potuque per fauces demiſo. ſed quemadmodum immortalitatis candidati conſumati muſicæ diuinis cantibus quales cum Moyſes extra corpus raptus audiuiſet fertur per quadraginta dies, totidemque noctes, nec panem nec aquam guſtaſſe. Itaque cælum inſtrumentum muſicæ archetipũ, videtur mihi non propter alia ſic elaboratũ quã vt rerum patris himni, ſcite decãtentur, & muſicæ.* Propter hoc argumentum duplex vertitur ſententia, prima fuit phitagoricorũ aſſerentium cælos ſuo motu, & colliſione huiuſmodi armoniam & conſonantiã cauſare, quam à ſuo Magiſtro, ſcilicet Phitagora didicerunt, eãdem refert Cicero in ſomno Scipionis & ſequitur Philo iudeus vbi ſupra, illamque refert & videtur amplecti Diuus Ambroſius in hexamenon lib. 2. ca. 2. poteſtque confirmari ex illo Pſal. 18. *cæli enarrant gloriam Dei*. ideſt ſuo concentu Deum laudant, ad quod Dauidicum teſtimonium videtur Philoaluſiſſe, cum dixit: *cælum inſtrumentum muſicæ archetipum &c.* & quia orbes cæleſtes contingui ſunt & dum alij verſus Oriens, & alij verſus Occidens mouentur ſe tangunt, & dum ſe tangunt, collidere neceſſe eſt: ex colliſione autem duorum corporum ſe tangentium, cauſatur ſonus cum igitur cæleſtes orbes collidãtur, & hæc colliſio ordinata ſit ab intelligentia motrice Illos ordinate mouente ſonum muſicum & ordinatum dabunt. Secũda ſententia eſt neotericorum quorũdam Aſtrologorum huiuſmodi ſonum cæleſtibus orbibus denegãtium, quam refert & ſequitur Gines de Rocamora tractat. 2. ſuæ ſpheræ cap. 1. eidem ſubſcribit Sebaſtianus de Barradas in ſuis ad Euangelia, Cõmentarijs to. 2. lib. 1. c. 7. pag. 27. illorum fundamentum eſt: quia ſonus nequit fieri abſque aere, ſed inter cæleſtes orbes nullus eſt aer: ergo. Huius vero fundamentum eſt quod locus ille Pſalmo graphi non propriè, ſed methaphorice eſt intelligendus: ac proinde non proprius concentus eſt cælis attribuendus.

Deſſe ditur concẽtus ſonorus cauſatus ex motu cæleſtiũ orbium.

Nihilominus, licèt hæc ſentẽtia prouabilis ſit, prima tamen ſententia mihi aprobatur, eo quod tot patrum ac philoſophorum antiquorum authoritate & teſtimonijs roboratur, quæ contẽnenda non ſunt, & quia teſtimonium Dauidis fauet illi, neque ad me-

metaphorã est reccurrendum, quãdo testimonia scripturæ possunt absque inconuenienti aut scandalo interpretari ad literam, & tandem quia omnis corporum collisio causat sonum, neque ad illius productionẽ adeò necessarius est aer (licèt sit necessarius ad soni in aures delationem) vt absque illo nonpossit fieri ab intelligentijs motricibus corpora collidentibus cælestia si enim duo corpora in vacuo colliderentur magno impulsu emissa nescio cur sonum non darent, licèt ad homines non perueniret propter defectum medij defferentis: præsertim quia sicut ad defferendas & formãdas voces in cœlo Impireo & ad species intentionales non defficiet mediũ aut conditio necessaria corporibus beatorum, diuina sic disponente prouidentia: ita neque orbibus cælestibus sic motis defficiet conditio necessaria ad sonus ordinati productionem diuina prouidentia, sic aut disponente, aut defectum aeris requisiti supplente.

49 Quinto arguitur aduersus tertiam conclusionem: nam in cœlo Empireo sunt plures qualitates phisicæ contrarietatem, cum alijs habentes: ergo ratione contrariarumqualitatũ est obnoxium corruptioni sicut cætera corpora sublunaria. Antecedẽs probatur tripliciter primo: nam in illo est vere raritas ratione cuius beati in suis corporibus post diem resurrectionis se inuicem videbunt & sibi coloquentur mutuo: voces enim & species visibiles non nisi per medium rarum ac diafanum possunt defferri ad aures audientis & ad oculos videntis. Secũdo: nã ibi est diafanetas propter eãdem rationem & aer elementalis qui corruptibilis est: etenim loquutio absque aere formari non poterit à beatis, cum vox nihil aliud sit quam aer verueratus siue verueratio aeris & species visibiles non possint defferri ad oculos nisi per medium ergo. Tertio probatur quoniam cælum illud est diuisibile: ac proinde molle & facile cedens percutienti: nam per illud mouebuntur corpora beatorum iuxta illud Sapientiæ 3. *Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*: motus autem localis corporis per spatium non potest fieri absque penetratione miraculosa duorum corporum quin vnum corpus alteri cedat & ab illo incidatur atque diuidatur, sicut à nobis de ambulantibus inciditur aer & aqua à piscibus natantibus, & mare à naui per ipsum incedenti, cum igitur miraculosa penetratio corporum beatorum inter se aut cum cælesti corpore non sit admittenda, dicendum est ipsum cœlum esse diuisibile: ac percõsequens habere qualitates contrarias ratione quarum diuisibile sit & corruptibile: id ipsum probatur ex vocum formatione & delatione per medium: nã vox formatur per motum refractionis & percussionis aeris qui percutitur, & frãgitur à lingua & labijs loquentis: cum igitur ibi beati suas voces formare debeant ad diuinas laudes ore decantandas aliquis aer vel corpus tenue ac diuisibile debet saluari per cuius percusionem & refractionem formentur humanæ voces. Confirmatur primo: nam corpus Christi Domini ad cœlum Empireum ascendens, illud, & omnes alios orbes penetrauit eosdemque beatorum corpora penetrabunt, & cum non sit necessariũ ponere miraculosam penetrationem, dicendum est cælestia corpora molia ac diuisibilia esse, incidique à corporibus glorificatis, sicut aer ab auibus & mare à piscibus inciduntur. Confirmatur secundo: planetæ suis motibus retrogadis cælestes sphe ras incidunt, etenim amittunt totum locum & inequaliter distant à terra aliquãdo magis & aliquando minus illi à propinquant: ergo incidunt spherã versus partem superiorem, quando eleuantur & versus inferiorem quando deprimuntur. Deinde stella quæ mouetur per aliquam spheram & non ad motum ipsum spheræ necesse est, quod spherã pene tret & seccet: sed planetæ in suis globibus atque epicicljs mouentur per cælestes spheras & non ad motum circularem ipsarum alias nunquam amittent totum locum secundum omnem illius partem, & nunquam subterfugerent æqualem distantiã à terra sicut mobile per circunferentiam motu circulari nunquam distat magis aut minus à punto, sed semper æqualiter cuius tamen oppositum planetis contingit: ergo. Confirmatur tertio: nam stellæ incedunt per spheram cælestem, illam secando & similiter cometæ quos videmus admotum cœli octaui moueri eo quod illos experimur singulis viginti quatuor horis ad eundem locũ reuerti per motum circularem: vnde & stella quæ Magos ab Oriente vsque ad Domini presepe duxit antecedebat eos vt dicitur Mach. 2. hoc est cælum incidendo. Cõfirmatur quarto: nam globus Lunæ est receptiuus peregrinarum impressionum hæc autem receptio est propria corporis generabilis atque corruptibilis: ergo. Maior patet tum ex maculis quæ in facie Lunæ semper & secundum eandem partem apparent quæ teste Plinio lib. 2. de naturali historia c. 9. sordes quædã

ex terræ ſunt vaporibus contractæ: tũ quia dum per interpoſitionem terræ eclipſatur, verum deffectum lucis naturæ patiatur manet à propria & connaturali perfectione priuata: amiſsio autẽ propriæ paſsionis diſpoſsitio eſt ad corruptionem, & dum â Sole iterum illuminatur, atque â tenebris repurgatur lumẽ de nouo recipit, quod eſt alterari & pati. Confirmatur quinto: nam omnes cæleſtes orbes poſſunt per potentiã Dei abſolutam corrumpi & ad huiuſmodi corruptionem ſubeundam habent intrinſecam potentiã paſsiuam: ergo ſunt corruptibiles ab extrinſeco & ex natura ſua: ac proinde non ſolum debent dici ab extrinſeco, ſeu per extrinſecam denominationẽ corruptibiles. Ad hoc argumentum, quod plures ingerit nobis difficultates ſigillatim & preſius opere pretium eſt reſpondere, negamus itaque primum antecedens: ad cuius primã probationem opportet vt explicemus, quo pacto in cælo Empireo à beatis poſt reſurrectionẽ loquutio, viſio, & corporalis auditio ſint exercendæ: pro cuius declaratione Caietanus aſſerit 3. p. q. 57. ar. 4. quod licèt iſti actus ſenſuum requirãt aerem naturaliter loquendo, ſine illo enim, neq; viſio corporalis poteſt fieri, quia ſpecies colorati debent deferri per aerem inter medium & continuũ à colorato vſque ad viſum, neque auditio: quia eodem medio debet deferri ſonus, neque loquutio: quia eſt aeris verberatio, ſiue quia eſt ſonus cum aeris verberatione factus: in patria vero miraculoſe ſupletur hæc aeris neceſsitas & modo nobiliori prædictę ſenſationes exercebuntur: nam ſpecies viſibiles, & ſonus audibilis abſque medio aere ad viſum & aures deferẽtur, & ſimiliter odor vſque ad organum olfactus, qui etiam ibi ſuã exercebit operationem, poteſt etiam dici quod licèt ad hos actus pro hoc ſtatu aer interme dius requiratur pro illo tamen ſtatu materialis modus illarum ſenſationum fiat abſque aere inter medio per ipſum cælũ, tanquam per medium percipiendo ſonum, colorem, & odorem: cum enim iſtæ qualitates in eſſe intentionali ad organa ſenſuum defferantur, poterunt per ſuperficiem concauam cæli Empirei ab vno beato vſque ad alterum deferri: ſicut licèt modus ſcietiarum noſtrarum & intellectus noſtri ſit pro hoc ſtatu intelligere cum dependentia à phantaſmatibus & per diſcurſum & cõuerſionem ad phantaſmata: & ſicut ex hac variatione modi intelligendi non variantur eſſentia habitus ſcientifici, aut intellectus, ita ex diuerſo modo deferendi qualitates ſenſibiles ad organa ſenſuum non variabitur formalis ratio talium ſenſationum: ſonus autem ſiue humana vox quantum ad ſui formationem non dependet ab aere neceſſario aut intermedio ſed dumtaxat ab aere interiori qui è pulmonibus exuflatur, & linguæ percuſione refrangitur: & hic aer corporibus beatorũ nõ deficiet: acproinde de illo connaturaliter humanas voces in Dei laudem formabũt, & per hoc patet ad ſecundã. Ad tertiam quæ petit vt explicemus quomodo fiet ibi localis beatorũ motus: reſpondetur iuxta duplicem modum dicendi: quorum primus eſt Durandi in 2. d. 14. q. 2. & in 4. d. 44. q. 6. ad 4. aſſerentis cælum Empireum (idemque de alijs cæleſtibus orbibus inferioribus ſupponit) eſſe diuiſibile, refractibile, ac condenſabile: ſed hanc diuiſionem, refractionem, ac condenſationem nõ arguere corruptibilitatem in illo: quia carent cõtrarijs, ſicut ſi daretur quantum mathematicũ ideſt ab omni corpore phiſico ſeparatum, diuiſibile eſſet: ſed nulli contrarietati ſubiectum, ac per conſequens neque vllã corruptionem pateretur, ſauet Bañeſius vbi ſupra art. 4. aſſerens cælum in motu locali corporum glorificatorũ, & in loquutione atque ipſa vocis omiſsione moueri motu rarefactionis, & condenſationis, confractionis, ac diuiſionis, ſed nõ corrumpi: propterea quod hæc diuiſio & confractio fit à corpore ſiue lingua beati aſſumentis ipſum cæleſte corpus vt inſtrumentum ad ſuum motum peragendum, vel vt materiam vocis pro latræ in laudem Dei: & melius ſe explicuiſſet Bañeſius ſi dixiſſet ideo has mutationes pati cælum abſque corruptione ſui, quia illas miraculoſe patitur ad eaſque exercendas miraculoſe aſſumitur, diuiditur, refrangitur à Deo vel â corpore beato per diuinã virtutem illas operante: & iuxta hunc modum dicendum eſt cæleſte corpus à corporibus glorificatis non penetrari, ſed diuidi, condenſari & frangi: ac proinde eorũ motui de ambulationi, aut loquutioni nõ obſtare. Secundus modus veritati cõformior, ac naturæ cæleſtis corporis magis conſentaneus nõ admittit huiuſmodi diuiſionem aut confractionem, eo quod vt dicitur Iob 37. *cæli ſolidiſimi quaſi ære fuſi ſunt*, corpora autem denſa quaſi ænea nullam confractionem, aut diuiſionem patiuntur, neque facile cedunt impellenti. Suadetur eadem ſententia: quia alias nullum miraculũ patraſſet Chriſtus Dominus in ſua gloriosa aſcenſione cælos penetrando ſiquidem ad inſtar aeris, vel aquæ diuiderẽtur ad eius

in-

ingressum: consequens tamē est falsum & contra Doctorem Sanctum asserentem 3. p.q.57.art.4.ad 2.quod corpus Christi Domini per miraculosam operationem diuinæ virtutis ipsi assistentis in sua Ascensione cælos penetrauit,& non ratione subtilitatis:quia subtilitatis dos non tollit â corpore glorificato effectum secundarium quantitatis,qui est replere locum & illi coexistere: atque redere corpus impenetrabile & distās ab alio situ & positione alias absque miraculo egrederetur à sepulchro clauso per corporis iam glorificati subtilitatem, quod tamen negat D.Thom.ibidem q. 54. art.1.ad 1.Deinde confirmatur:nam corpora glorificata erunt supra conuexam superficiem cœli Empirei quo ascendit Corpus Christi Domini,cui tanquam capiti membra debent conformari,vt idem Sāctus Doctor habet in eadem 3.p.q.citatæ ar.4.& 3. contra gent.c.37.ac ibi nullum corpus est inter medium supra cōuexam superficiē, quæ pedibus beatorum conculcabitur: ergo nullum est corpus quod motu locali ipsorum aut loquutione debeat diuidi, refrangi,aut condensari.quare iuxta hunc secundum dicendi modum corpora mouentur supra cælum, & sic non incidi debent, sed pedibus subicere cælum; & licēt motus localis corporum dependens ab influxu primi mobilis egeat spatio aere pleno tamen ibi con naturalis modus de ambulandi corporibus glorificatis debitus ac proprius sicut liberetit ab influxu primi mobilis,similis quodammodo modo quo substantiæ separatæ mouentur:ita liber erit à necessitate aeris inter medij,aqua etiam liberabitur loquutio & linguæ motio; licēt enim interior aer materia,motus pulmonis ac respirationis linguæ no deficiet. Exterius tamen non emittetur neque in exteriori aliquo aere aut alio corpore fiet refractio,aut vocis reperculio cum hæc magis delationi vocis quam formationi,necessarius sit delatio autem vocis & cuiusuis soni ad aures beatorum fiet. aut per conuexam superficiem cœli,aut sine medio vt dictum est. Ad primam confirmationem neganda est minor:quoniam absque miraculosa penetratione,neque corpus Christi cœlos ascēdit, neque glorificata beatorum corpora illuc ascendent vt dictum est nisi miraculosam cælorum diuisionē astruamus:neque enim talis diuisio potest aliter cælis contingere, congruentius tamen asseritur futuram esse cælorum penetrationem, quam diuisionē cum illa magis deceat subtilitatem corporum glorificatorum quam ista: vnde decep tum fuisse Durandum perspicum est,dum hanc difficultatem effugiens maius admisit inconueniens dicens q.6. citata ad secūdum corpus Christi in sua Ascensione ad conuexam superficiem Empirei cœli transisse sine medio:hoc est absque transitu per cœlos inter medios & sic neque illorū penetrationem nec diuisionem esse admittendam: nam transitus ille de extremo ad extremum sine medio solis Angelis est possibilis vt ostendit D.Thom.1.p.q.53.corporibus autem quæ motu physico & cōtinuo moueri possunt, est prorsus impossibilis. Ad secūndam quoad vtranque partem respondetur planetas moueri in circulis quibusdam discontinuis ab spheris in quibus deferuntur ad instar rotularum seu lapidū ignitorum in suis vasibus & receptaculis incluforū: vnde absque incisione vlla corporis defferentis possunt in suis receptaculis moueri sursum & deorsum circulos suos per agēdo:sicut si rotula in medio maioris rotæ deferretur:posset simul moueri ad motum defferentis, & proprio motu in suo receptaculo,quæ quando eius medietas,v.g.A.esset in parte superiori receptaculi distaret magis à puncto rotæ defferentis, quam quando esset in parte inferiori: haut dissimiliter planetis contingit maior & minor distantia à cētro terræ ratione elevationis, ac depressionis epicicli, vt art.4. amplius declarabitur. Ad tertiam cōfirmationem dicendum est stellas & cometas in cœlo stellato miraculose productos moueri, vt partes eiusdem cæli fixas & in eadem parte stabiles,& sic non diuagari per medium cæli illud penetrando aut incidendo sicut pisces per aquam diuagantur. Pro cuius maiori declaratione nota tres esse differentias cometarum siue altrorum de nobo aparentium:alij enim aparent in ipso cœlo stellato in eodem situ & positione, mouenturque regulariter ad motum illius, & isti(vt diximus)iunt fixi in cœlo octauo & sic fixi mouentur & defferuntur ab ipso cælo,sicut stellæ fixæ ad eum modum quo nodus mouetur ad motum tabulæ & maculæ, ad motum speculi in quo est impressa: alij vero sunt, qui mouentur motū continuo & circulari ad motum cæli sed non aparēt vniformiter in eodem loco & situ,nec sub eiusdem stellis cæli octaui,& isti sunt quos docuit philosophus in meteoris naturaliter in suprema regione aeris generati: alij denique sunt qui licēt in aeris eadem regione generentur,tamen non sequuntur motū cæli circularem,sed speciali motu mouentur,neque defferuntur ad motum illius regionis

gionis aereæ in qua ſunt: & ex his ſtellis comatis huiuſque nullam fuiſſe audiuimus, niſi illam quæ Magos ad præſepe Domini duxit: hæc enim licèt in regione aereæ genita fuerit teſte D. Tho. 3. p. q. 36. ar. 7. in quo alijs comatis ſtellis naturaliter productis ſimilis fuit: tamen miraculoſa fuit & in multis diuerſa ab illis: nam non mouebatur ad motum cæli ab Oriente in Occidẽs, ſed ab Oriente, vel à Septentrione in meridiem, vbi erat Bethleemitica ciuitas, neque mouebatur motu cõtinuo: quia aliquando ſtabat ad eum modum quo columna ductrix filiorum Iſrael per deſertum aliquãdo ſtabat & aliquando incedebat & apparebat die ac nocte magis; atque abſque hæmiſpherij mutatione occultabatur quãdoque, eratque magis vicina terræ quã aliæ cometæ ſtellæ, ac per conſequens fuiſſe in propinquiori parte aeris & prima eius regione miraculoſe productã concludit D. Th. Ad quartam nego maiorẽ ad cuius probationem primam, quadruplex eſt modus dicendi: primus fuit Plinij in illo loco aſſerentis Lunæ maculam eſſe ſordes quaſdã ex terræ exhalationibus impreſſas. Secundus eſt Conimbricentium 2. de cælo c. 7. q. 4. ar. 3. quod illa macula Lunæ eſt quædam pars raritatis maioris, quæ licèt magis de luce in bibat, quia tamen eſt minus denſa minus illuceſcit ſicut de ſphera ignis, de cælo chriſtalino & Empireo dici ſolet, quod licèt luce polleant: nobis tamen non lucent propter maximam eorum raritatẽ: tertius eſt aliorum afferentium quod ſunt imagines terræ & montium quæ à terra vſque ad Lunam protractæ in illa reflectuntur ad eũ modum, quo imagines ſpeculares ab ſpeculo ad nos reflecti ſolent. Quartus eſt Alberti tractatu de quatuor coæuis q. 4. ar. 21. aſſerentis eſſe quandam partem magis denſam ipſius Lunæ & opacam, & ideo minus collucentem. Sed omnes iſti modi defficiẽtes ſunt. Primus quidem reicitur à D. Tho. 2. de cælo lectione 12. quia Luna eſt incorruptibilis & quintæ eſſentiæ: ergo nequit contrahere ſordes terreſtres, & licèt corruptibilis eſſet adhuc eas reciperes nõ poſſet ex vaporibus, quia vapores terreni non tranſcendunt ſupremam aeris regionem: neceſſe eſt illos ab igne abſumi. Secundus etiam defficit, quia partes cæli quo rariores eo magis diafanæ, ac perſpicuæ ſunt, licèt minus alias illuminẽt. Tertius defficit, quia imagines & ſpecies montium aerem tranſcendere non poſſunt: & quartus Alberti defficit: quia cum pars cæli denſior magis apta ſit ad lumen recipiendum (hac enim ratione, maioris denſitatis ſtellæ, magis illuceſcunt) nõ explicat vnde proueniat parti denſiori, luminis deffectus, cum denſitas non impediat, ſed potius diſponat ad maioris luminis receptionem, quare dicendum eſt maculam illam eſſe partem quandã Lunæ denſiorem, magiſque opacam & obſcuram non ob maiorem denſitatem, ſed propter duplicem cauſam: tum quia cum teſte Dionyſio c. 4. de diui. nomi. ſupremum infimi attingat infimum ſupremi, & Luna ſit infimum corpus cæleſte inter luminoſa oportuit in hac partium inæqualitate cum corporibus elementorum videlicet igne, & aere communicare, vt ſic infimũ regionis æthereæ à ſupremo regionis elemẽtaris attingatur: tum etiam quia cum eminẽter Luna prehabeat qualitates elementorum, & alias formaliter ſit lucida debuit non ſolum illas virtualiter continere, ſed etiam quodammodo repreſentare, cum ſit luminare minus datum à Deo non ſolum vt cauſet: ſed etiam vt ſignificet ſuos effectus & vt preſit nocti: illamque repreſentet: vnde ſicut pars lucida eius lucem & perfectionem formalem oſtẽdit, ita pars illa obtenebrata effectus inferiores & qualitates elementorum quas cauſat, habet repreſſentare: & ſicut qui præeſt diei totus debuit eſſe lucidus: ita Luna quæ præeſt nocti debuit imaginem quandam noctis in facie præſeferre. Ad ſecundam probationem triplex verſatur ſententia: prima aſſerit Lunam & omnes ſtellas habere de ſe aliquam lucem, quam nunquam amittunt: hanc autem eſſe imperfectam: à ſole autem recipere perfectiorem gradum lucis & hanc amittit Luna patiens eclipſim, cuius ſignum eſt quod Luna etiam ſecundum partem eclipſatam apparet cum aliquali luce: licèt imperfecta valde: & etiam quando nõ eſt plena in parte non illum inata à ſole adeſt natiua lux: ſed quia imperfecta propter propinquitatem ad partem illuminatam à ſole non apparet: quia lumen maius poſitum iuxta luminare minus offuſcat illud: ita Conimbricenſes 2. de cælo c. 7. q. 4. art. 1. & 2: ſecũdam reffert Auguſtinus vt probabilem in enarratione Pſalmi 10. afferentium Lunã ſecundum vnam partem accipere lucem totam à ſole, & ſecundum alteram habere natiuam lucem & propterea varias figuras ſubire, ſecundum magis aut minus de illa parte lucida natiua luce, nobis oſtendit: tertia eſt Macrobij, & Auicenæ, qui vt refert Plutarchus lib. 2. de placitis ca. 37. aſſerunt omnia aſtra (excepta Luna) habere natiuã lucem & propterea ſolã Lunã varias figu-

ras

ras subire, continuosque lucis pati defectus.

50 Sed nulla ex his sententijs est vera: non prima quia in hoc differt eclypsis Lunæ ab eclypsi Solis ex parte defectus lucis, quod eclypsis Solis non tollit à sole inhærentem lucem, sed tãtum quoad nos: eclypsis tamen Lunæ reuera priuat illã omni luce, vt docent Astrologi ferè omnes presertim Sacroboſco c.4. suæ sphęræ, cui subscribũt alij Neoterici. Secunda licèt vt probabilis ab Augustino referatur, opposita tamen vt probabilior eligitur. Tertia denique quoniam omnia astra à Sole habent lucẽ emendicatam, vt docet D. Thom. 1.p.q.67. ar.4. quare vera sententia est Doctoris Sancti asserentis à Sole deriuari & imprimi lucem Lunæ & cæteris astris: fixis quidem permanenter & planetis, qui nequeunt eclypsim pati (si aliquis est eclypsis expers incapax) Luna vero & planetis superioribus qui sunt capaces pati eclypsim, ac defectum suæ lucis (quod forte est verum de omnibus) non ita permanenter hanc accepit Diuus Thomas ex Philosopho primo posteriorum cap.27. & primo Meteorum cap. 8. & ex Diuo Isidoro lib. 3. Ethimologiarum cap.60. sequuntur illam discipuli Doctoris Sancti & Astrologi, de qua videantur Caietanus 1.par.quæst.67. artic.4. Sacroboſco vbi supra, & Gines de Rocamora tractatu 5. sphęræ cap. 3. & 5. & suadetur hæc sententia primo argumento Doctoris Sancti: nam lux facta est cum Sole in prima die: astra vero firmamenti non fuerunt creata, nisi in quarta die, in qua perfectionem atque complementũ accepit lux: fuitque Soli apropriata teste eodem Diuo Thoma quæst.70. artic.1. ergo lux non fuit concreata cum astris. Secundo probatur â signo: nam propterea Sol in medio collocatus est, medius enim est inter septem planetas, tanquam cor planetarum & astrorum, & fons & origo lucis ad hoc quod illam ipsis iuxta quandam iustitiam distribuitiuam posset pro captu & dispositione cuiusque cõmunicare, sed quia lux qualitas intentionalis est, eius impressio non est alteratio ad corruptionem disponens, & quia Luna natiua non est, sed ab extrinseco impressa: eius deperditio non est amissio proprietatis congenitæ ac per consequens nec parat viam corruptioni. Ad quintam confirmationem, respondetur cælestes orbes habere potentiam obedientialem ad hoc, quod à Deo destruantur per corruptionem, quam etiam habent Angeli vt anihilentur: non autem habere potentiam naturalem, & propterea dicuntur simpliciter incorruptibiles: quia incorruptibilitas negat solum potentiam naturalem passiuam in subiecto, cui attribuitur: cui non obstat quod tale subiectum habeat capacitatem, siue obedientialem potentiam ad subeundam corruptionem: in quo deceptum inuenio Vazquium, qui 1.p.disputatione 182.cap.2. & 4. nec non 1.2.tom.1. disputatione 21.cap.2. Asserit Angelos, cælos, & actus quibus anima beatificatur non esse absolute corruptibiles aut incorruptibiles: quia corruptibile & incorruptibile sunt termini respectiui, qui dicuntur per comparationem ad aliquam potentiam corrumpentem, & ideo prædicta entia comparata cum potentia absoluta Dei esse corruptibilia: comparata vero cum quacunque potentia creata esse incorruptibilia: reprehenditque Caietanum, eo quod dixerit Angelos esse corruptibiles per extrinsecam denominationem â potentia corrumpente, sed non suapte natura: nam quod Caietanus rectè loquatur: secus vero ille: patet, quia cum corruptibile & incorruptibile sint conditiones aut proprietates entium naturalium & illis attribuuntur quibus per naturam conueniunt, sicut risibilis dicitur simpliciter qui potentiam habet naturalem ad ridendum & non equs, licèt potentiam habeat obedientialem: & similiter mortuus dicitur simpliciter & demonstratur scientia naturali impotens resurgere, licèt capacitatem habeat ad resurgendum per diuinam potentiam: quia vero capacitas remota & potentia obedientialis non dat verum & naturale posse, sed totum posse prouenit à potentia facientis: ideo de his quæ solum habent potentiam obedientialem admittendum esse congruenter, ait Caietanus & nos cum illo fateri debemus, non esse ab intrinseco corruptibilia: quia non habent potentiam, quæ det eis verum posse ad corruptionem sed esse corruptibilia ab extrinseca Dei potentia, quæ illa potest corrumpere, totum enim posse talis corruptionis non à capacitate aut obedientiali potentia, quæ nomine tenus potentia est, sed à diuina prouenit omnipotentia.

ARTICVLVS. III.

An incorporibus cæleſtibus aliqnis vitæ gradus reperiatur?

51 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ prima aſſerens cœlos eſſe animatos, vitæque rationalis gradũ participare fuit Philonis Iudæi libro de opificio mundi circa principium eidem ſubſcribit Hieronymus Eccleſiaſtes primo vbi explicans illa verba *luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus*, aut nomine ſpiritus intelligi Solem qui animal eſt rationale ſpiritum vitæ habens, Origenes libro 1. Perhiarchon cap. 7. Auerrois 2. de cœlo commento 2. & Auguſtinus libro 2. ſuper Geneſim cap. 15. & in Enchiridion cap. 58. licèt opoſitam ſententiam ſub dubio relinquat, & teſte Caietano opuſculo de indulgentijs cap. 7. eiuſdem ſententiæ fuit author præfatij quod Eccleſia canit propterea enim inter intellectuales ſpiritus laudantes Deum cœlos anumerat dicens *cæli cælorumque virtutes &c.* Ex Philoſophis autem antiquis numerat pro hac ſententia D. Th. 1. p. q. 70. art. 3. & 2. contra gentes cap. 7. & q. vnica de anima art. 8. Athenienſes apud quos Anaxagoras factus eſt reus prædicans Solem eſſe ignitum lapidem nec non & Ariſtotelem refert, Albertus vero libro 12. metaphiſc. tract. 2. cap. 1. ait fuiſſe omnium peripateticorum ſententiam qui tamẽ fuere in tres dicendi modos diuiſi: alij enim ſentiebant cœlos gaudere gradu rationali & ſenſitiuo: alij vero ſola anima rationali, & intellecto gaudere abſque intelligentia motrice: alij denique ſentiebant habere animã rationalem ſolo intellectu gaudentem & propterea indigere intelligentia aliqua motrice & extrinſecus aſſiſtente. Secunda eſt huic ediametro oppoſita, quam ſequuntur Albertus vbi ſupra & D. Thom. in locis prealegatis & 2. de cœlo lect. 3. & de ſpiritualibus creaturis ar. 6. fuitque Baſilij hom. 3. Hexameron & Damaſceni lib. 2. cap. 6. eandem communiter amplectuntur Neoterici Theologi & Metaphiſici de quorum numero eſt Durandus in 2. diſt. 14. in 2. parte diſtinctionis quæſt. 1. Abulenſis ſuper Exodum 23. quæſt. 49. Caietanus & Bañeſius in Commentario art. 3. q. 70. Flandrenſis lib. 5. huius q. 16. art. 8. ad 3. ac lib. 12. q. 7. art. 6. & Soncinas ibidem q. 11. & 12. Ferrarienſis 2 contra gent. c. 7. Soto 2. phiſicorum q. 1. & Conimbricenſes 2. de cœlo c. 1. q. 1. tertia eſt media primam & ſecundam cõcilians eiuſdem Angelici Doctoris q. 70. ar. 3. & 2. cõtra gen. c. 7. aſſerẽtis cœleſtia corpora eſſe animata æquiuoce ideſt ſecundum animam aſsiſtẽtem & vnitam in ratione mororis & hoc ſolũ voluiſſe authores primæ ſententiæ ſi recte interpretentur, non tamen eſſe vniuoce viuentia cũ alijs animalibus, eo quod nõ habent animã vnitã per modũ actus informantis & hoc ſolũ negari ab auroribus 2. ſentẽtiæ.

Reſpondeo dicendum 1. citra fidei Catholicæ læſionẽ poſſe deffendi cœleſtia corpora eſſe animata & eſſe inanimata: hoc eſt neutrã partẽ eſſe fidei dogma: ac proinde poſſe vtranque abſque fidei detrimẽto deffendi ſiue etiã negari: probatur cõcluſio 1. nã ita determinat D. T. 2. cõtra gẽt. c. citato & opuſ. 11. ar. 5. & quia Auguſtinus eximius Eccleſiæ Doctor vtrãque partẽ in Enchiridiõ ſub dub. relinquit: ergo neutra eſt certa ſecũdũ fidẽ alias eius oppoſitũ ſub dubio nõ relinqueretur ab Auguſtino. 2. probatur: quia Sacra Scriptura, ſæpẽ ſæpius attribuit cœlis actiones vitales, vt in illo Deutero. 32. *audite cœli quæ loquor*: Iſai. 1. *audite cœli* & cui cõſonat illud Hierem. 2. *obſtupescite cœli ſuper hoc* & Pſ. 148. *laudate eum cœli cœlorum* audire enim, obſtupeſcere, & laudare, actiones vitales ſunt & in præfatione ad Sacroſanctũ Euchariſtiæ Sacramentum conficiendum & ſacrificiũ offerendũ inter creaturas laudantes Deũ anumerãtur cœli, quod propterea Eccleſia ſic diſpoſuit vt rectè adnotauit Caiet. opuſc. de indulgentijs c. 7. quia opinio erat probabilis tunc tẽporis, quãdo pars illa miſſæ fuit inſtituta: & Eccleſia quãdoque vtitur opinione probabili, ad grauitatẽ eius enim non pertinet inter duas probabiles ſententias in rebus non ſũ religionis aut morũ, quam phiſicæ, aut metaphiſicæ, alterã vt certã diffinire: ſed vtrãq; in ſua probabilitate relicta, quãdoque vna, & quandoque altera vtitur, ex quibus tale deducimus argumentũ. In prædictis teſtimonijs & iuxta præfatũ Eccleſiæ ritum attribuuntur cœlis actus vitales, ſed nõ eſt certũ hucuſque neque ab Eccleſia diffinitum nec ab vniuerſitate Sãctorũ Patrũ admiſsũ, quod prædicta teſtimonia ſint accipienda in ſenſu metaphorico, aut quod nõ ſint accipienda in ſenſu proprio ac literali, neq; prædicta Eccleſiæ exiſtimatio & vſus deſpectui habẽtur aut per cõtrariã diffinitionẽ abrrogãtur, aliàs ceſſaſſet Eccleſiæ talis vſus, ſiue proteſtatio anumerandi cœlos inter creaturas diuinas laudes præcinẽtes: ergo ſententia aſſerens cœlos eſſe animatos fidei miñime cõtradicit magiſque perſpicuum eſt ſẽtentiã eis vitã denegantẽ fidei

non

non contradicere: nam assertum Basilij, Damasceni, D. Th. & omnium Theologorum Scholasticorum, quod vnicuique catholico viro licèt defendere & affirmare, non est contra dogmata fidei, sed tale est assertum ponens cœlos inanimatos, vt vidimus: ergo.

Dico 2. secũdum principia Philosophiæ pro certo habẽdũest cęlos esse inanimatos: hęc cõclusio statuitur aduersus authores 1. sententiæ, quia licèt cõsiliari possint & ad cõcordiam reduci cũ authoribus secundæ sententiæ ad sensum à D. Th. assignatum: tamen eorum sententiam prout apud aliquos ex ipsis iacet, & prout secundæ opponitur, quorumcunque sit illa, vt falsam reicimus, & aduersus illam vt sic secundã opponimus conclusionẽ quæ probatur â Conimbricensibus tribus rationibus quas ex Abulensi & Ferrariensi deprõpserunt, earum prima est: nam si cæli animati essent, vtique anima intellectuali gauderent, & per consequens capaces essent miseriæ ac beatitudinis, iam post tot annorum spatia ad alterum ex istis terminis peruenirent, sed neque illos vt beatos colimus, & prosequimur: neque illos vt miseros vitamus & fugimus: ergo. Secunda: quia anima est actus corporis organici: constat autem partes cæli organicas non esse, eo quòd partes organicæ sunt diuersæ rationis, differuntque inter se complexione, figura, situ, ac positione, quæ diuersitas in partibus cælestis corporis non reperitur, cũ omnes sint eiusdem rationis vniformes & homogeneæ. Tertia: nam anima informans debet esse formaliter in toto corpore recepta, quod informat: sed implicat eandem animam indiuisibilem, in toto corpore cælesti recipi, eo quod improportionatæ molis sit: ergo cum anima quæ cælestem orbẽ deberet informare, sit infectilis: qualis est intelligentia: & orbis cælestis sit improportionatæ molis, neutiquam ab anima posset informari.

Sed vt verum fatear, his rationibus nequit exactè probari conclusio: eo quod facilem habent solutionem: nam ad primam potest responderi cælos esse beatos, & vt beatos ab Ecclesia laudari, ac inter Angelicos spiritus laudes diuinas decantantes annumerari, dum sacrum Missæ inchoat sacrificium: & fuisse illos à principio impeccabiles, ac beatos testatur Philoiudæus in loco prælegato. Ad secundam respondet Ferrariensis dupliciter: primo, distinguendo minorem, dicens cæli partes integrantes organicas esse, non quatenus organica pars significat partem complexione, & figura distinctã ab alia: sed quatenus etiam nomen partis organicæ, significat partem aptam natam, suscicere vitam, & actũ vitalem exercere. Neque enim omnis anima petit partes organicas primo modo: sed solum anima corporis corruptibilis. Respondetur secundo, negando absolutè minorẽ, quia etiam partes cælestis corporis habent sufficientem diformitatem ad esse organicum, differunt enim penes rarum & densum, & penes maiorem & minorem lucem rarioribus enim, lux diaphana conuenit dẽ sioribus autem, nempè stellis lux illucescens & illuminans adest, ratione cuius effectus in hæc inferiora corpora influunt; & operationes exercent, quæ ab alijs partibus minime exercentur. Vnde & superius aduerti partes cœli ratione huius diformitatis, quandam etherogeneitatem habere. Ad tertiam possumus congruenter satis respondere negando minorem: sicut enim eadem rationalis anima, licèt formaliter in sectilis, informat corpus humanum aliquantæ molis, quia virtualiter & potestatiuè diuisibilis est: ita anima intellectualis perfectior anima humana posset creari à Deo, quæ licèt formaliter insectibilis esset, posset corpus cæleste magnæ molis exigere, & illud sicut proportionatum susceptiuum informare, quæ virtualiter diuisibilis esset & talem esse animam corpus cæleste informantem, consequenter dicunt, qui illud animatum defendunt. Quare omissis his rationibus: ostenditur nostra conclusio ratione Doctoris Sancti, quæ ad hanc formam reducitur. Anima informans corpus cæleste, vel est ipsa intelligentia motrix, vel est alia forma partialis, & incompleta substantia distincta ab intelligentia motrice, neque alio modo potest cæleste corpus animari, quam aut per vnionem intelligentiæ solius, aut per informationem alterius animæ ab intelligentia motrice distinctæ, sed neutro modo hoc potest sustineri, secundum certissima Philosophiæ, ac Metaphisicæ principia: ergo intentum, minor pro prima parte patet, quia cum quælibet intelligentia sit ens completum, ac subsistens, nequit materiæ vniri tanquã partialis natura ad vnius totius constitutionem. Pro secunda vero probatur: nã forma non vnitur materiæ propter bonum materiæ, sed è contra materia vnitur propter bonum formæ, bonum autem formæ est operatio, vnde omnis anima debet vniri prop

ter aliquam operationem vitalem, quæ ſit bonum, & finis eius, ſed nulla conuenit cælo operatio, propter quam indigeat anima informante: ergo inutilis & fruſtranea eſſet talis informatio animæ. Minor patet: nã neque operationes vegetatiuæ, neque ſenſitiuæ, neque intellectiuæ ſunt in cælo: ad quas animi informatio debuiſſet ordinari, non vegetatiuę quæ repugnant corpori incorruptibili, ſicut & repugnat illi nutriri, augeri, & ſecundum totum, & ſecundũ partem corrũpi, ſiue generari: ſunt etenim huiuſmodi operationes propriæ viuentis corruptibilis: non ſenſitiuæ: quia iſtæ pariter repugnant cælo, tum quia pars ſenſitiua ſupponit vegetatiuam: tum, quia eius operationes petunt organa proportionata ex elementaribus qualitatibus, verbi gratia calido, humido, ſicco, & frigido, molitie ac duritie mixta, talia autẽ organa, neque his ſimilia data fuiſſe corporibus cæleſtibus perſpicuum eſt, quod neque propter operationes intellectiuas debuiſſet anima viri cælo, oſtẽditur: nã iſtæ melius & nobiliori modo, extra corpus, quam in corpore, exercentur: ac proinde propter ſolas illas non fit vnio animæ ad corpus. Rurſus anima intellectiua vnita corpori ad huiuſmodi operationes indiget præuio ſenſuum miniſterio: cognitio enim intellectiua animæ coniuncti dependet à ſenſu, potentiæ autẽ ſenſitiuæ & earum organa cæleſti corpori repugnant, vt oſtẽſum eſt: ergo ſolum potuit ac debuit viri cælo anima propter motum localem: tunc vltra: ſed ad motũ localem ſufficit vnio intelligentiæ, per contactum virtutis: ergo nõ requiritur vnio, per informationem: patet minor: nã motus localis cæli non eſt progreſſiuus, vt omnes aduerſarij fatentur, alias nullo alio indigeret extrinſeco motore creato, & inſtrumẽta organica ad progrediẽdum haberet, quæ non minus illi, quam organa ſenſuum, repugnant cum virtus progreſſiua, ad partẽ pertineat ſenſitiuam, ad motum autẽ quencumque localem alium per agendum, ſufficit intelligentiam illi viri ſecũdum virtutẽ: vnde fruſtra & ſine debito aut neceſſario fine vniretur anima ſecundum eſſe. Solus enim motus localis, qui nõ eſt progreſſiuus, non eſt finis debitus, aut neceſſarius propter quem anima debeat vniri materiæ per informationem, quia non ſpecificat aliquem ſpecialem gradum vitæ ſolus motus diſtinctũ à ſenſitiuo & intellectiuo, & quia ad illum ſufficit anima, ſiue intelligentia ſeparata ſecundum eſſe, & vnita ſecundum contactum virtutis, per imperiũ enim tam ſat motum, ad quod ſola coniunctio motoris cum mobili requiritur, quæ vt ſic nõ eſt vnio ſecundum eſſe. Miſſas facimus rationes alias quæ hic ſolẽt à Metaphiſicis multiplicari, nẽpè quod vnumquodq; cælũ haberet tres motores, animam, intelligentiã, ac Deum: cuius oppoſitum dicit Commentator duodecimo Metaphiſicę commento 41. & quod ad motum cæli moueretur per accidens intelligẽtia, ſicut motis nobis mouentur animæ noſtræ: cuius oppoſitum tamẽ dicit Ariſtoteles 8. phiſicorum text. 84. aſſerens intelligentiam in eadem parte fixam & immobilẽ permanere: & quod cælum naturãliter poſſet quieſcere per eandem animam per quam mouetur: cuius oppoſitum teſtatur philoſoph. 2. de cælo tex. 17. nam eatenus efficaciam habent, quatenus primam rationem ſupponunt, & illius efficaciam, alioquin inefficaces ſunt, & facilem habent ſolutionẽ, vt videre eſt apud Ferrarienſem vbi ſupra.

52 Sed in contrarium argumenta hæc ſequuntur, ex quorum ſolutionibus, magis noſtrarum concluſionum, veritas patefiet, & primo aduerſus primã arguitur in hunc modum: quod erroneum eſt, nequit abſque fidei detrimẽto ſuſtineri, eo quod error, ſi non immediate, ſaltim mediatè principijs fidei contrariatur, qua de cauſa nullus poteſt negare concluſionẽ Theologicam ex prijs fidei illatã, quin eiuſdẽ principijs, ſaltim ſecundario cõtradicat, ſed error eſt dicere cælos animatos eſſe: nã Hieronimus epiſtola ad Auitũ, inter errores, Origenis, numerat prędictã poſitionẽ, & Ireneus lib. 1. contra hæreſes, ait ſententiã aſſerentem cælos eſſe animatos fuiſſe erroręm Marcoſiorũ: ergo. Ex his, quos pro ſecunda ſentẽtia adduximus authores ſolũ Soto inueni, qui in contrariã partẽ noſtræ 1. cõcluſionis videtur inclinaſſe. Inſinuat nãque ſentẽtiam ponentẽ cælos in animatos, catholicũ eſſe dogma: ac proinde oppoſitam erroris nota inurendam eſſe: ſed quia noſtra 1. cõcluſio hoc ſolo argumento poteſt impugnari, & hoc cõuincens nõ eſt, pro incõcuſa habẽda eſt. Ad argumentũ autẽ reſpõdetur: conceſſa maiori, negando min. Ad cuius probationẽ dico, Sãctos illos, nõ ſolũ errores, ſed opiniones hæreticorũ aut hominũ ſuſpectorũ de hæreſi numerare: vnde neque omnia, quæ de Origene Hierom. & de hæreticis Irenæus refert, hęreſes aut errores ſunt. Quod ſi velis Hieron. & Iren. probabiliter putaſſe ſententiam illam eſſe erroneam, &

iuxta

iuxta aliorum probabilem, tunc temporis æstimationem fuisse loquutos, nõ inficior. Secundo arguitur: nam Philosophus 2. de cælo text. 61. ait sic: *Loquamur de stellis tanquam de corporibus viuis & actionem habentibus*, & textu 2. & 13. fatetur in cælo esse dextrum & sinistrum, huiusmodi autem sunt positiones viuentium: ergo sententia Philosophi est cælos animatos esse. Vnde & Commẽtator verus, & fidelis Aristotelicæ mentis interpres: ita sentit, qui tamẽ ita nõ sentiret, nisi hanc perspiceret fuisse mentẽ sui authoris. Respondetur nihilominus, quod Philosophus in 1. testimonio loquitur conditionaliter, & iuxta aliorum sentẽtiam, quod indicat ipse contextus, & dictio *tanquam*; quæ loquentis conditionaliter, & non asserentis est, vel quod loquitur de cœlo sumpto, non præcisse, & vt distincto ab intelligentia, sed sumpto pro aggregato ex intelligentia mouente, & corpore cælesti mobili, quod vt sic viuens metaphoricè, & æquiuocè dici potest: cuius signum est dictio *tanquam*: quæ alienationem quandam & improprietatem in modo attribuẽdi aliquid subiecto significat. In 2. etiam testimonio eidem aggregato ex corpore cælesti, & intelligentia attribuit metaphoricè, siue æquiuoce relationes dexteri & sinistri, verum propter hæc testimonia, & his alia manifestè contraria, occasionem præbuit philosophus vt interpretes de eius mente dubitarent, Caietanus enim vbi supra, nempè art. 3. quæst. 70. putat ipsum vtramque partem sustinuisse, & in diuersis locis quandoque affimantem, quandoque negantem protulisse. Sed Diuus Thomas ibidem putat magis vniquam alteri adhæsisse: hoc est magis vitam cælis negasse, quam concessisse. Cui subscribunt Ferrara, & Flandrensis & ideò huic æstimationi subscribimus potius quàm æstimationi Caietani, quamuis valde rationalis, & probabilis fuerit, atque ex testimonijs Philosophi vehemens suspicio oriatur: eademque atque vehementior contra Comentatorem colligatur ex eius testimonijs. Nihilominus aliqui ipsum purgant, propterea quod 12. Metaphisicæ commento 36. dixerit animam cæli esse omninò separatam à materia, & 2. cæli commento 61. ait declaratum est in phisicis, quod motor corporum cælestium, non est in materia, & similia quæ apud ipsum inueniuntur testimonia. Ex quibus videtur colligi: ipsum cælis vitam dũtaxat æquiuocè, atque impropriè (hoc est) vt aggregatis ex intelligentia associata per modum motoris, attribuisse; ac proinde purgandum fore à prædicta suspitione, sicut Diuus Thomas Aristotelem purgat. Sed alij testimonijs superius allegatis nitentes hanc veniam nolunt illi concedere, nisi prius abiurantem videant, à vehementi suspicione: in quo liberum erit vnicuique Metaphisicæ studioso, prout voluerit iudicare. Tertio arguitur principaliter argumento ipsius Comentatoris: nam cælum est causa principalis, vitæ quam influit plantis, & animantibus: ergo habet formam illius nobiliorem vel saltim æquè nobilem: ac per consequens eius forma est anima. Confirmatur: nam cælum est primum mobile, sed primum in genere mobilium corporum, est mouẽs se ipsum: ergo mouet se ipsum: quod est proprium viuentis, in quo dumtaxat distinguimus partem per se mouentem à parte per se mota. Minor probatur: nam ante omne quod mouetur ab alio: debet esse aliquod corpus quod moueatur à se, quia omne tale per aliud, reducitur ad tale per se. Respondetur cæleste corpus causare vitam animalium, & plantarũ vt instrumentum Dei, siue intelligẽtiæ, vt superius lib. 7. docuimus: & ideô non oportet ipsum habere formam æque nobilem: quia instrumentum nõ petit formam æquè nobilem cum effectu, ad quem virtute aliena concurrit. Potest etiam dici, quod cælum in viuentibus producit principaliter primam compositionem ex materia & forma quoad gradum corporeitatis, & non vltimam quoad gradum vitæ, & propterea à satis esse, si in esse corporis, nobiliorem formam habeat, ideſt, excedentem omnes illas formas, quæ præcisse gaudent grada corporeitatis. Ad confirmationem nego minorem: satis enim est, quod primum mobile mouens se, sit creatura intellectualis, nempè intelligentia, nec requiritur: quod in genere corporis primum mobile moueat se. Potest dici secundo, quod primum mobile est corpus mouens se non præcisse vt corpus, sed vt aggregatum ex corpore & intelligentia. Quarto nam motus cæli prouenit à propria & intrinseca forma illius: ergo est vitalis: ac proinde eius forma est anima. Antecedens probatur: tum quia motus naturalis est, ac proinde à principio intrinseco debet prouenire: tum etiam, quia perfectio viuentis est moueri: sed talis est perfectio cæli, nequit enim naturaliter quiescere: ergo. Tum denique, quoniam hac ratione probat D. Th. 1. 2. q. 9. ar. 6. voluntatẽ à solo Deo posse moueri, quia à solo illo potest creari, sed cælũ à solo Deo potest creari, & non ab intelligentia: ergo à solo Deo,

& non ab intelligentia poteſt moueri: ac proinde motus eius erit à Deo, & non ab intelligentia: & à propria forma cæli, ſicut motus voluntatis eſt à Deo, & ab ipſa volũtate.

Reſpondetur ad hoc argumentũ: negãdo antecedens ad primã probationẽ; quod motus cęli eſt naturalis, per ordinẽ ad principiũ paſsiuũ intrinſecũ, quod ſupponit in ipſo: neque enim requiritur ad motũ naturalem, quod in mobili ſit actiuum motus: ſed ſufficit paſsiuum, aliâs nullus motus eſſet naturalis reſpectu materiæ: quia reſpectu nullius motus eſt actiua, quod tamẽ abhorret à vera philoſophia. Ad ſecundam quod perfectio viuentis eſt moueri à ſe: cæleſtis autem corporis perfectio eſt moueri ab intelligentia, & per motum, vel ſimul cum motu influere in hæc inferiora, ad eorum generationem, & conſeruationem cõcurrendo. Ad tertiam reſpondetur negando cõſequentiã: ratio differentiæ eſt: quod volũtas eſt inclinatio creaturæ intellectualis ſecundum gradum intellectiuum: vnde ſicut forma intellectualis à ſolo Deo eſt producibilis: ita eius inclinationem, ſcilicet voluntatem ad bonum vniuerſale, ſolus Deus poteſt infundere, quia ſolus ille præhabet bonum vniuerſale, & cõſequenter ſolus ille, poteſt eam mouere. Non quia ſolus Deus poſsit illam creare præciſſe: ſed quia talis naturæ eſt, vt ſit ſupra omnes cauſas vniuerſi: & inclinet ad bonum vniuerſale, quod nulla cauſa ſecunda præhabet in ſe, & eiuſdem agentis eſt dare inclinationem: atque mouere ad aliquod bonũ: quod præhabet in ſe tale bonum: cœlum autem licèt à ſolo Deo creetur, tamen eſt corporeum, & inclinans ad aliquod bonum determinatum, ſcilicet ad bonum corporeũ vniuerſi, quod excedit quæcumque intelligentia, quæ eſt gradus ſuperioris, videlicèt intellectualis particeps, & ita à quacumque intelligẽtia poteſt moueri, mouetur tamẽ de facto ab illa, quam Deus glorioſus & ſublimis, ad hoc deſtinauit munus.

ARTICVLVS. IIII.

An omnes orbes cæleſtes numero denario claudantur.

53 IN hoc articulo, explicata natura, conditione, ac gradu perfectionis cæleſtium orbium opere prætium eſt vt eorum numero tenui calamo, in gratiam Aſtrologorum, & Philoſophorũ demus. In huius autem numeri indagatione, tam Philoſophi, quàm Aſtrologi antiqui vſque ad tempus Alphonſi Decimi huius nominis (Caſtellæ Regis: qui propter tabulas Aſtrologicas quas cõpoſuit, vel ſua diligentia & cura fecit ab eruditiſsimis illius temporis Aſtrologis componi & propter ſingularem artium liberalium eruditionẽ, ac ſtudium (cui deditiſsimus fuit) per Anthonomaſiam Alphonſus ſapiẽs fuit cognominatus) à veritate defecerunt. Et quia errare ab ſcopo veritatis, quæ in indiuiſibili conſiſtit, multis modis contingit, propẽ in numerę fuerunt antiquorum opiniones. Præcipuas tamen tres refert Baſilius, Homil. 1. Hexameron: primam, veluti extremam aſſerentium eſſe vnum dumtaxat cœlum, eo quod cœlum ſicut mundus conſtat ex tota ſua materia: ac proinde ſicut hac de cauſa mundus tantum eſt vnus etiã cœlum tantum debet eſſe vnum. Ratio eſt, qua D. Thom. 1, p. q. 47. art. 3. ad tertium, vſus fuit, ad probandum mundum dumtaxat eſſe vnum. Secundam aſſerentium eſſe infinitas, vel ſaltim 365. iuxta numerũ dierum vnius anni. Et tertiam aliorum aſſerẽtium eſſe duos dumtaxat. Præter has tamen ſunt aliæ, duæ quæ magis ad veritatem accedunt: prima fuit Philoſophi ſecũdo de cœlo c. 5. aſſerentis eſſe tantum nouem ſpheras cæleſtes, propterea quod duos tantum motus agnouit: alterum diurnum ab Oriẽte in Occidens proprium ſpheræ nonæ, & alterum ab Occidente in Orientem: quẽ octauæ ſpheræ appropriauit, quæ cum planetis ſeptem, nouem ſpheras conficiunt. Hãc ſequuti fuere Aſtrologi antiqui Ptolomæus, Thebit, & Sacroboſco c. 1. ſuæ ſpheræ, & alij, quos refert Purbachius in theoricis, duos prædictos motus dumtaxat cælorum agnouiſſe. Secunda eſt recentiorum Aſtrologorum atque Philoſophorum; qui experientes tertium motum, à prędictis duobus diuerſum, ſcilicet trepidationis, conuicti ſunt aliam ſpheram ponere, cui talis motus proprius ac connaturalis ſit, & hac de cauſa conſtituunt decem cæleſtes ſpheras mobiles: huius ſententiæ primum authorẽ refertur fuiſſe Pitagorã: ex Neotericis tamen Aſtrologi Alphonſum Regem in tabulis aſtronomicis, tãquam primum huius ſententiæ authorem ſequuntur ac venerãtur: quorum, qui Catholici ſunt, cum Alphonſo addunt Empireum & immobile cælũ, & ſic vndecim ſpheras cæleſtes, hoc ordine collocatas conſtituunt: vt primum locum teneat Lunæ orbis, ſecundum Mercurius, tertium Venus, quartum Sol, quintum Mars, ſextum Iuppiter, ſeptimum Saturnus,

nus, octauum firmamentum stellis exhornatũ fixis, cuius proprius motus est ab occidente in Oriens: nonum christalinũ, cuius motus proprius est motus trepiditationis, decimũ primũ mobile, cuius proprius motus est diurnus ab Oriente in occidens: & vndecimũ Empireũ ad quietem & beatorum locum destinatum. Doctor autem Sanctus in hac parte nihil protulit ex propria sententia, sed quandoque primam Philosophi, quandoque secundam Pitagoręrelulit, illam quidem 1.p.q.6.8.ar.4.lib.1.metaphisicæ lectione 7. & in 2.d.1.4.q.1.ar.1. vnde ex eius testimonio nihil certum habemus: qua propter rationibus, & testimonijs Astrologorum vtendum est, & eis subscribere, qui in numero cælorum inuestigãdo, ex numero motuum, maiorem curã adhibuerunt: licèt autem conueniant Astrologi, & Philosophi neotherici in denario numero spherarum cælestiũ principaliũ, tamen in singulis spheris planetarum, plures constituunt orbes distinctos sed contiguos, quorum alij sunt concentrici: alij vero ecentrici, & alij defferentes ipsos planetas. Rursus circulos paruulos in defferentibus inclusos, appellant epiciclos vbi planeta voluitur & refulget. In assignando autẽ numero huiusmodi orbium, deseruientiũ singulis planetis, varij sunt modi dicendi, Aristoteles namque 12. metaphisicæ c.3. refert, quod Calippus in septem spheris planetarum quinquaginta quinque orbes posuit: Eudoxius, vero quadraginta nouem, & quia putabant isti positionem ecentricorum, & epiciclorum esse secundum naturã impossibilem, eo quod ex illa sequitur, dari rarum & densum, aut rupturam aut penetrationem in cælestibus quæ sunt secundũ naturam impossibilia: ideò posuerunt omnes prędictos orbes, vniformis spissitudinis aut grossitiei, & centro terræ concentricas. Ptolomeus his succedẽs, cum perspiceret non posse saluari apparentia in motibus planetarum, per orbes illos concentricos, & aliàs quod positio ecẽtricorum & epiciclorum à Pitagora inuenta, nullum prædictorũ impossibilium implicaret & quod cum paucioribus orbibus saluaret diuersitatem motuum planetarum, ideò Pitagorępositionem, de ecentricis & epiciclis approbauit & confirmauit, quem omnes Astrologi postea subsequentes, cum Alphonso sunt sequuti: inter quos videndi sunt Sacroboſco cap.9. suæ spheræ, & Scholiastes eius, Franciscus Iuntinus, & Gines Rocamora tract.2. spheræ c.4. & tract.5. ca.1. & 2. Purbachius in theoricis, Thebit Alfraganus, & Ioannes de Monteregio, & pro omnium coronide videndus est D. Thom. 2. de cœlo lect.17. vbi prædictam de epiciclis & ecentricis positionem approbat dicẽs: illam conuenientem esse apparentiæ planetarum, attribuitque iuxta antiquorũ sententiam omnibus planetis viginti duos orbes, scilicèt Lunæ, quatuor & totidem Mercurio. Soli autem qui epiciclum non habet duos: reliquis autem quatuor veneri, scilicet, Marti, Ioui, & Saturno ternos tribuit orbes, qui omnes conficiunt numerum viginti duorum orbium, & si his addãtur alij quatuor superiores, scilicet stelliferũ christalinum primum mobile & Empireum, resultabunt viginti sex corpora cęlestia. Alij autem Neotherici plures assignant planetis cælestes orbes: nam dicunt quod in singulis planetis ad minus debent esse tres orbes, quorum medius sit deferens planetam, & ecentricus, â punto terræ medio simpliter, & alius maior illũ ambiens, qui sit ecentricus, quoad concauam superficiem, & cõcentricus, quantum ad conuexam, & alius minor circundatur à defferente, qui est ecẽtricus secundum quid, scilicet secundum conuexam & concentricus secundum cõcauam superficiem: vltra hos autem orbes requiruntur in sex planetis, nempè Mercurio, Venere, Marte, Ioue, Saturno, & Luna sex corpora parua inclusa indefferentibus, & hæc dicuntur epicicli, qui requiruntur ad saluandas directiones, & retrogradationes, illorumque tarditatem, ac diformẽ velocitatem &c. Vnde exceptis quatuor superioribus, ab Empireo scilicet vsque ad stelliferum, numerantur in spheris planetarũ triginta orbes cælestes quos præfati Astrologi solo lumine naturali, & experiẽtia ducti ad saluandas diuersas planetarum apparentias inuenerunt. Pro cuius sententiæ declaratione.

54 Dico 1. cœlum Empireum dari certum est de fide, quod omnes alios suo ambitu contineat, tanquam eminentius illis. Hęc conclusio statuitur aduersus tres priores sentẽtias & suadetur prima pars 1. quia de fide est Deum in aliquo loco determinato beatificare animas & Angelos: & hunc non esse alium nisi cœlum Empireum, quò etiam corpora glorificata, ad immitationẽ corporis Christi ascendent post diem iudicij, vt tanquam membra suo capiti conformentur. 2. nam de hoc cœlo fit mẽtio in Sacra Scriptura, dum dicitur cœlum cœli, ad eius dignitatem & loci eminentiam denotandam: vt explicant Patres, quos sequitur D.T. 1.p.q.66.ar.3. Tertio, ratione desump-

ta ex Magistro in 2.d.1.& D.Th.1.p.q.61. artic.4.quia Angeli fuerunt creati in cœlo Empireo vt dignissimus locus, nobilissimis creaturis deputaretur,& sic dignitas loci rerum locatarum dignitati præsidentiæ, & officio congrueret. Quare falso Durandus in 2.d.2.q.1. ait cœlũ Empireum fuisse creatum non propter Angelos, sed solum propter corpora beata cõtinenda: nã aliâs huiusmodi corpus naturale nullum haberet finem sui ordinis, scilicet naturalis, & consequenter neque à Deo vt Authore naturæ esset conditum, sed solum à Deo Authore supernaturali & corporum glorificatore: finis enim & principium proportionantur: quod tamen nó est admittendum: ergo assignandus est finis naturalis proximus, ex vi cuius fuerit conditum, nimirum natura Angelica cuius dignitati loci dignitas congrueret.

Numero denario cælestes orbes mobiles claudũtur.

55 Dico 2. decem sphæræ sunt quæ mouentur in regione ætherea, nimirum primum mobile, cælum crystallinum, stellatũ cum septem planetis. Hæc conclusio statuitur aduersus authores quartæ sententiæ. Et probatur 1. â Pitagora ex numero denario quem ait esse perfectissimum, vltra quẽ non est transire, & ideo omnes sphæras mobiles esse decẽ: quæ ratio inefficax est, quia numerus non est operatiuus: ac proinde nihil refert quod sit perfectissimus & vltimus vt secundum illum cœli mobiles debeant produci: etsi alicuius efficatiæ esset, nedũ mobiles, sed omnes cæli numero denario clauderentur. 2. probat idem Pitagoras ex armonia quam causant cæli mobiles suis motibus, eorũ denarium: eo quod omnis armonia perfecta constat ex triplici sono, acuto, scilicet, graui & medio: ergo & illa cælestium motuum armonia perfecta debet cõstare sono acuto qui tribuitur motui primi mobilis, graui qui tribuitur motui cæli noni & medio qui tribuitur motui octaui: sed quia hęc ratio supponit dari tres motus in cælestibus orbibus, ideo hoc fundamentum est probãdum prius, vt ex illo, numerus mobiliũ spherarum à priori colligatur. Tres igitur esse motus in vnoquoq; orbe inferiori planetarum diligentissimi Astrologi, à tempore Alphonsi Regis, obseruauerunt. Vnus est motus diurnus, quo ab Oriente in occidens omnes cælestes orbes planetarum, intra diem & noctem circa terram rapiãtur, qui fit supra polos mũdi, per medium æquinoctialis lineæ: quæ circulus ille est qui diuidit cælestem sphæram in duo æqualia, secundum quamlibet sui partem æquè distans ab vtroque polo, scilicet polo arthico & antarthico. Alius est motus diuersus ab isto & veluti illi oppositus, quo singuli planetæ mouentur per Zodiachum, fitque super polos distinctos, & per medium distinctum: nam eius poli & Axes, sunt puncta distantia polis primi 23. gradibus, eius vero medium est obliquũ spatium Zodiachi, sub quo singuli planetæ renitendo motui primo in diuersis temporum spatijs suos per agunt motus ab occidente in Oriens, etenim Saturnus per agit suum motum 30. annis, Iuppiter vero 12. Mars in duobus, Sol in vno anno, & ferè ũ militer cũ Sole Venus & Mercurius, Luna vero in 27. diebus & octo horis. Tertius motus est trepiditationis, qui non est perfecte circularis, sed accessus & recessus, secundũ quem planetæ, & stellæ, etiam fixæ, aliquando magis terræ appropinquant, & aliquando magis ab illa remouentur, vt experientia est compertum. Hic autem accessus, & recessus, siuè inæqualis distantia, nequit fieri ex vi primi, aut secundi motus, qui cum perfecte circulariter spheras cælestes circumuertant, semper partes circunferentiæ inæquali distantia à centro circunuoluuntur per illos: ac proinde nouus ac distinctus motus est, à duobus primis motibus, & sicut diuersi sunt, ita diuersas habent durationes, & diuersis atribuuntur corporibus: nam primus intra spatium 24. horarũ per agitur & est proprius primi mobilis. Secũdus vero, secundum Ptolomeum centum annis vnumtantum Zodiachi gradum percurrit, & ideò agitur in triginta sex millibus annis, sed secũdum recentiorũ obseruationem 49. millibus annis, totum zodiaci spatium percurrit, ab alijsque attribuitur octauæ sphæræ, ab alijs vero sphæræ nonæ, ideſt christalino cœlo: & quidẽ ab illis qui tantum nouem spheras cognouerunt mobiles, octauæ attribuebatur (excepto vno, vel altero: qui ei motum trepidationis proprium concesit.) Supponamus itaque attribuendum esse nonæ, ideſt ei quæ immediate primo mobili cõiungitur. Tertius denique septem millium annorũ spatio per agitur: tribus enim cum dimidio durat eius accessus secundum vnam partem, & recessus secundum eandem, eadem duratione mensuratur, eritque octauæ sphæræ attribuendus & hoc suppoſito tale deducitur argumentum: omnis motus specie distinctus, debet habere subiectum cui primo & per se conueniat, & ratione illius communicetur alijs, sed planetis, & cælo stellifero conueniunt tres motus specie distincti, alius ab Oriente in occidens, & alius ab occi-

occidente in oriens,& alius trepidationis: ergo aſsignari debẽt tria corpora cæleſtia, quorum alteri conueniat motus 1.& alteri motus 2.& tandẽ alteri motus 3.neque vni & eidẽ corpori poſſunt cõuenire duo motus naturales, vnũquodq; enim corpus naturale,vnicũ ſecundũ ſpeciẽ vendicat motũ naturalẽ,vt ſi leue ſit motũ ſurſum,ſi graue motũ deorſum,& ſi cæleſte motũ determinatũ vẽdicat,vel ab Oriente in occidẽs, vel ab occidens in Oriẽs,vel acceſſus & receſſus:tria ergo dãtur corpora ſupra planetarũ ſpheras,quorũ 1.conuenit motus 1. 2. motus 2.& denique 3.motus 3. planerę autẽ licèt hos motus etiã participẽt,quatenus rapiuntur ad motũ vnius cuiuſque corporis ſuperioris:tamẽ etiam ſuos proprios habent motus,ſupra proprios axes diuerſis & inæqualibus gaudentes durationibus, vt viſum eſt,qui ſunt tantũ 7.& ideo arguũt planetarũ numerũ ſeptenariũ eſſe,fit etiã planetarum numerus perſpicuus, ex eo quod cũ ſint ſteliæ nonfixę:ſed proprijs circulis gaudentes eorũ motus errantes perſpicui ſunt ac manifeſti,& ex maiori propinquitate ad nos expertũ eſt,ſeptẽ tantũ eſſe errantes ſtellas,illaſque non ſcintillare,ideſt, viſum nõ ſubterfugere,ſed capi,& cõprehẽdi ab illo:ac proinde ſeptẽ tantũ eſſe planetas:quia tantũ illæ ſtellæ quæ nõ ſcintillant planetæ ſunt. Colligitur etiã eorum ſeptenarius numerus;ex diebus hebdomadis ſeptẽ,quorũ ſinguli à ſingulis planetis nomen acceperunt,eo quod vnuſquiſque planeta regnat & viget prima hora ortus ſolis diei illius,qui ab illo ſortitur nomẽ, & ideò primus dies dicitur Lunæ:quia in illius prima hora Oriente Sole,regnare & vigere Lunę influxũ expertum fuit,& ſecundus dicitur dies Martis,3.Mercurij,4.Iobis,5.Veneris, 6.Saturni, & 7. dies Solis olim dicebatur, modo tamen diẽ Domini catholici nuncupant,ob myſteria Natiuitatis,& Reſurrectionis,quæ Chriſtus Dominus pro humana ſalute,& gloria ſua operari eſt dignatus:vnde & ſeptẽ rectores mundi fuerunt nuncupati ab antiquis,eo quod ab illis diſtincti,nominati,ac ordinati dies fuerunt: quibus humanũ genus dirigitur, ac gubernatur:& ideò dies hebdomadæ ab illis nomen claturam acceperũt hoc vnico verſu contentã:*ordine retrogado,ſibi quinis vẽdicat horam.* Huic concluſioni ſolũ obſtat argumentũ factũ pro prima ſententia: ad quod tamen facile reſpondetur, quod ſicut mundus cõſtat ex tota ſua materia, ita quælibet ſphera cæleſtis conſtat tota ſua materia, & propterea vnicũ tãtũ eſt in qualibet ſphera indiuiduum,ita vt neque ſecundũ naturalem legẽ plura poſsit habere indiuidua cælũ ſtelliferum,aut orbis ſolis aut quælibet alia ſphera aut cæleſtis orbis,omnes enim, vt ſupra docuimus ſpecie diferunt, tamen hoc non obſtat quominus in ætherea regione plures orbes ſint,ex quibus tanquam ex partibus vniuerſi,tota illa regio componatur,ſicut vnitati totius mũdi nõ obſtat,quominus plures ſpecies contineat rerum, ex quibus componitur.

Dico 3.Cõgruenter vnius cuiuſque planetæ ſpheræ,plures aſsignãtur orbes ad ſaluãdas varias apparientias planetarũ, prout ſecũdum Aſtrologos iuniores fuit à nobis explicatum.Huius cõgruentię plures ſunt rationes quarum examen ad Aſtrologiam pertinet:ſed quia Metaphiſica de omnibus iudicat,cum ſit ſapiẽtia,cui omnes alię naturales ſcientię ancillant,eas quæ potiores ſunt brebiter expendemus, illarum igitur 1.deſumitur ex inęquali mora eiuſdem planetæ in ſpatio eiuſdem ſigni percurrendo, & ex mora inæquali eiuſdem eclypſis, eſt enim aliquando in eodem loco quædã vmbra eclypſis Lunæ,v.g.aut etiam Solis maior quam vmbra alterius:etiam ſi quantitas eclypſata planetæ æqualis ſit : ex eo enim quod magis,aut minus diſtat, à terra planeta eclypſatus, linea ducta à terra vſque ad illum cauſat maiorem aut minorem angulum pyramidalem vmbræ interpoſitæ : & planeta ipſe apparet in maiori aut minori quantitate, cum enim ſpecies viſuales perueniant ad viſum per angulum pyramidalem,quo viſus eſt diſtãtior,eo angulus magis contrahitur,& propterea obiectum repreſentat in minori quãtitate: ſed hæc ſine ecentricis circulis non poſſunt ſaluari,illis autem poſsitis optimè ſaluãtur:ergo.2.deſumitur ex inæquali mora, & durarione quam conſummit Sol in perueniendo ad punctum libræ,& ad pũctum arietis,in quibus facit æquinoctia,ideſt,æquat dies noctibus,videmus namque quod à Sol ſtitio hiemali quod fit in ſigno capricorni, vſque ad punctũ ęquinoctialis,vbi equantur dies noctibus & fit æquinoctiũ libræ conſumit Sol nouem dies pluſquam conſumit in redeundo à puncto libræ, vſque ad arietis pũctũ,in quo fit alterum æquinoctium,cũ tamen ſpatium ſit æquale in zodiaco,vtrumque enim cõprehendit ſex ſigna zodiaci, hæc autẽ diuerſitas nequit ſaluari ſine circulo ecẽtrico,& illo poſsito ſaluatur optime in ſphera Solis, quia ſcilicet dũ pergit ab Oriẽte vſque ad libram,mouetur per partem axis, ideſt, per partẽ eleuatiorẽ à ter-

ra,

ra, & grossiorẽ contingui orbis, secundum quam magis distat, à terræ centro: ac proinde maius spatium currit; at quando reuertitur â libra vsque arietem mouetur per oppositum auxis, id est, per partem sui ecẽtrici, quæ propinquior est centro terræ, & supra partem minori grossitie gaudentem cõtigui orbis: ac proinde minus spatium percurrit, & sic pauciores dies consumit, hic, ibi autem plures. Dum enim Sol à puncto A. v.g. vsque ad punctum B. mouetur maius spatium percurrit quam â puncto B. vsque ad idem punctum A. eo quod ibi transit per partem eleuatiorem a terra sui ecentrici, & per partem grossiorem orbis contigui, inter ecentricum inclusi: tertia desumitur, ex statione, directione, & retrogradatione planetarum, qui aliquando stationarij, aliquãdo directi siue velotiores, & aliquando retrogradi, siue tardiores incedũt: vnde Venerem videmus aliquando in eadem distantia respectu Solis, oriri; quod est ipsum esse stationarium, & aliquando quotidie amplius præire Solem, quod est directum ambulare: & aliquando præcedi à Sole, & hoc est retrogradationem facere: quæ diuersitas sine epicyclis saluari nequit; illis autẽ admissis optimè saluatur: est enim epicyclus circulus paruulus, qui ad instar rotulæ seu gẽmæ cuiusdam in receptaculo ecentrici inclusus, rotatur aliquando versus Orientem, & aliquando versus occidentem: & sic quandoque in maiori, quandoque in minori tempore, idem signum pertransit. Quarta sumitur ex maiori & minori Solis propinquitate ad nos: quando enim Sol mouetur tempore verno, eo quod tunc mouetur per oppositum auxis quod terræ vicinius est, vt auctor sphæræ c. 4. demõstrat: quod quidem, ex circulo ecẽtrico medio, qui non habet suum centrum in cẽtro terræ, prouenit, contiguatur enim duobus orbibus extremis inæqualis grossitiei, qui secundum alteram cõcentrici, & secundum alteram superficiem ecentrici sunt, quod si Sol in hieme non ita intense nos calefacit sicut tempore verno: hoc non prouenit ex maiori distantia, sed alijs de causis caloris intensionem impedientibus, nempè quia nõ mittit radios lucis diametraliter ad nos per lineam rectam: eo quod non incedit tunc, ita directe super capita nostra, sicut tempore verno quando signa tauri & Leonis percurrit, & quia hemisphærium tempore hiemis vaporibus & exhalationibus terræ & aquæ abũdat, quibus impeditur ab extrinseco Sol, ne ratione maioris propinquitatis terram sibi derectè non subiectam maiori calore perfundat, & hac positione admissa soluuntur obiectiones quæ fieri solent de incisione orbium planetarum, de diuisione, corruptione, seu penetratione corporum cælestium: nullum enim, ex his inconuenientibus sequitur.

57 Dico 4. Hoc ordine sphæræ cælestes collocantur, post cœlum Empireum & immobile sequitur primum mobile, quod omnes alias sphæras, suo ambitu complecti tur post illud sequitur secũdũ quod aqueũ siue christalinum nuncupatur: eo quod nulla in illo cernitur stella, & alias christallo simile est, & propterea de illo dictũ putat D. Thom. 1. p. q. 68. art. 2. illud Psalmographi: *& aquæ, quæ supra cœlos sunt laudent nomen Domini*, mox sequitur firmamentum seu stelliferum, quod stellis fixis ornatum vndique micat, post quod sphæra Saturnia quæ Saturnum defert, post istam autem sequitur sphæra Iouis. Deinde Martia à Marte sic dicta, deinde Solaris, quia Sol in medio planetarum, suum naturalem vendicat locum, post Solem autẽ sequitur sphæra Veneris, quæ Mercurialem circundat, & vltima est sphæra Lunæ, quæ elemẽtum ignis, & ignis aerem, aer autem aquam, & tandem aqua terram continet orbiculariter: nisi quantum siccitas terræ aquæ humori obsistit ad vitam tuendam animantium, terra enim põderositate pollens, magnumque extremorũ orbiũ motum fugiens vndique æqualiter, medium obtinet totius vniuersi locum, immobilis manens. Rationes autem huius ordinis localis desumuntur: tum ex diuina prouidentia quæ sic has sphæras voluit ordinare: quæ enim à Deo sunt ordinata sunt: tum etiã ex earũ dignitate, claritate, & perfectione: dignioribus namque & perfectioribus, maiorem tribuit Deus quantitatem molis: ac proinde eminentiorem locum destinauit: etenim iuxta gradum dignitatis, graduantur in quantitate & loco: tum denique ex humana experientia, quæ hunc ordinem adinuenit, huius tamen experientiæ rationem nõ possumus reddere aliam, nisi illam, quæ ex diuina dispositione aut ex inæquali corporum dignitate deducitur. Huic assertioni, non nullæ obstant obiectiones, prima est ab inconuenienti, quia sequi videtur etiam Saturnum, Iouem ac Martem posse eclypsari per Solis & vmbræ terræ interpositionem: quod tamen est contra experientiam & Astrologiam, quæ duo tantum eclypsis genera, Lunę scilicet, ac Solis agnoscit. Secunda ad idem tendit: quia sequitur Solem nedum per Lunæ, sed etiam per Veneris,

ac

ac Mercurij, interpoſitionem poſſe eclypſari, quod tamen experientiæ & Aſtrologiæ repugnat: ergo dicendum eſt ſpheram Lunæ immediate poſt Solis ſpherã ſequi. 3. ſumitur ex dignitate, eſt enim Sol perfectiſsimus omniũ aſtrorũ, à quo cuncta lumẽ accipiunt, igitur debuit ſupremum locum vendicare. 4. deſumitur ex Philoſopho libro 2. de generatione aſſerente, quod pugillus terræ æquualet decem aquæ, & pugillus aquæ decem aeris pugillis, & conſequenter quod totus aer ſe habet indecuplo ad totam aquam, & aqua ad terram. In quibus verbis denotat: continens corpus eſſe indecuplo maius contento: ſed ſphera ſuperioris planetæ non eſt indecuplo maior ſphera proxima inferioris: ergo. Sed his nõ obſtantibus noſtram concluſionem, vt certam amplectuntur omnes Philoſophi & Aſtrologi peritiores: inter quos videndi ſunt D. Thom. 2. de cœlo lect. 17. Conimbricenſes c. 7. q. 4. art. 3. & Author ſpheræ cap. 1. vnde ad primam obiectionem nego ſequelam: nam vmbra terræ protrahitur à ſummo gradu vſque ad non gradum: & ſic extenuatur, antequam aſcendat ad ſpherã Mercurij, Sol autem licèt poſsit interponi inter nos, & Martem aut Iouem, non illos eclypſat: quia non priuat illos luce: ſed potius tunc temporis quando directe illis ſupponitur: illos maiori luce profundit, licèt nos præmia Solis luce, eos intueri non poſsimus, ſicut non propterea Sol, ſtellas firmamẽti dicitur eclypſare, quod nos per diem ab intuitu illarũ impediat: hoc enim ex nimia luce Solis & non opacitate corporis interpoſiti prouenit, quod tamen eſt de ratione eclypſis. Ad tertiam Conimbricenſes fatentur Solem aliquãdo imperceptibili eclypſi à Mercurio & Venere eclypſari, eo quod ſunt corpora, non opaca ſed per ſe lucida, quæ propterea oppoſita Soli apparent ſub illo vt puncta quædam paulis per lucem Solis obumbrantia. Sed quia huius apparentiæ numquam habuimus experientiam: & aliàs ratio inducta ſupponit natiuam lucem aliis planetis à Sole, in eſſe: quod eſt falſum. Reſpondetur 2. negando ſequelam quia licèt interponantur, ratione tamen maximæ diſtantiæ à nobis, non impediunt, quo minus Solem integrum perſpiciamus, ſicut impedit interpoſitio Lunę quia nobis propinquior eſt: experientia enim conſtat, quod corpus interpoſitum; eo minus impedit viſum ab intuitu obiecti quo magis diſtat à vidente. Ad tertiam reſpondetur cum D. Thoma vbi ſupra: Solẽ eſſe nobiliorem aliis ſpheris ſuperioribus: quantum ad aliquid, ſcilicèt, in mouendo; illuminando, & in tranſmutandis corporibus ſublunaribus: tamen ſimpliciter nobiliores ſunt illæ; eo quod ſunt ſubtiliores, & ſimpliciores: ac proinde maioris quantitatis. Corpora enim, eo maioris quantitatis ſunt, quo ſubtiliora & ſimpliciora ſunt, teſte D. Th. opuſc. 2. cap. 18. & in 2. d. 14. q. 1. art. 1. ad 5. quod verum habet teſte Caiet. 1. p. q. 50. art. 3. in corporibus ſimplicibus: quæ ſunt præcipuæ partes vniuerſi. Poteſt etiam dici, quod licèt Solis ſpheræ, nobiliſſimi planetarum ſit: & ideo ex hoc capite ſuperiorem locum debuiſſet vendicare; tamẽ alijs de cauſis medium obtinuit locum: ſcilicet, quia eſt veluti cor influens in alios planetas & veluti illorũ princeps cui medium debetur. Ad quartam reſpõdetur dupliciter, iuxtà duplicem modum dicendi, primo negando minorem, nam ſicut ſphera elementi ſuperioris ſe habet, indecuplo ad proximam inferiorem, ita ſphera celeſtis ſuperior & continens ad proximè contẽtam ſe habet indecuplo quantum ad circunferentiam, & hoc conuinci ex teſtimonio Ariſtotelis adducto, volunt Burgenſis in poſtilla ſuper Geneſim capite 1. quem nonnulli ſequuntur Aſtrologi recentiores. Reſpondetur ſecundo, id non conuinci ex tali teſtimonio: ſed diſputationis gratia dixiſſe Philoſophum: quod pugillus terræ æquualet decẽ aquæ, non ex certa ſcientia hoc aſſeuerans: ſed exempli cauſa & diſputationis gratia: neque enim aquæ circunferentia eſt indecuplo maior quam terra, neque profunditas & groſities aquæ, eſt maior indecuplo profunditate terræ, quinimo, tam circunferentia & profunditas aquæ, eſt minor circunferentia, ac profunditate terræ, vt bene notant Clauius Maginus ca. 1. ſpheræ & Conimbricenſes 2. de cælo cap. 5. q. 3. art. 2. vnde corpus ſuperius nõ excedit indecuplo proximum inferius, licèt illud excedat ſecundum aliquam aliam proportionem nobis ignotam, propter rationem Doctoris Sancti, quia ſcilicet quo corpora ſimpliciora & ſubtiliora ſunt eo minorem vendicãt quantitatem: hoc autẽ defficit in aquæ elemento quod terrã non vndique circundat propter animantiũ vitã & conſeruationẽ.

ARTICVLVS V.

An ſingulæ ſpheræ cæleſtes gaudeant motibus proprijs ac naturalibus?

58 COmmunis ſententia eſt quod omnes ſpheræ cæleſtes gaudẽt proprijs motibus, excepta illa, quæ ſedi acquieti beatorum eſt deputata, hæc enim expers eſt motus, licèt radicalia prin-

principia illius habeat in se, vt supra docui mus. Motusque aliarum spherarum esse circulares, & propterea figura spherica fuisse à Deo ornatos, vt sic figura eorũ motui congrueret, nullus est qui ambigat. Cæterũ de naturalitate motus non omniũ est concors sententia: nã quidã sunt qui existimãt motum cælestium orbiũ naturalẽ non esse. Quã sentẽtiam sequuti sunt Duran. in 2. d. 12. q. 1. & d. 14. q. 1. & Scotus d. 2. q. 6. illamque ex Auic. lib. 9. Meta. videntur desumpsisse, in eius tamẽ defensione variant prædicti authores: nã Auicena dixit non esse motũ naturalem deffectu quietis, putans motũ cui defficit quies & finis non esse naturalẽ, Scotus vero ratione potentiæ neutræ, putans in cælo ad motum circularem esse dũtaxat potẽtiã neutrã, respectu cuius nequit esse aliquis motus naturalis. Durandus denique defectu principij intrinseci actiui existimauit non esse naturalẽ. Secunda sententia huic opposita asserens esse motũ naturalẽ est D. Th. 1. p. q. 66. ar. 2. & q. 3. ar. 3. & 3. cont. gent. c. 23. & 3. c. vltimo, cui subscribũt Caiet. in eisdẽ locis 1. p. præcipuè q. 66. ar. 1. & q. 18. ar. 1. Fland. 9. huius q. 10. ar. 1. Soto. 2. phis. q. 1. & Suarez to. 1. meta. disp. 23. sect. 7. Conimb. 2. phys. c. 1. In huius quoque sentẽtiæ explicatione prædicti authores diuisi sunt in duos modos dicẽdi. Alij enim de quorum numero videtur esse Caiet. volunt esse talẽ motũ naturalem cælo ratione principij actiui & passiui simul existentis in cœlo. Soto vero Flãdrensis & Suarez vbluntantũ esse naturalem ratione principij passiui. Quibus breuiter suppositis ac prænotatis sequentes placet pro veritatis declaratione statuere cõclusiones

Respondeo dicẽdũ 1. omnes motus orbiũ cælestiũ (excepto vnico dũtaxat trepidationis motu) esse per se circulares. Hæc cõclusio probatur 1. supponẽdo cælestes orbes esse figuræ spherice: quod probatur ab Arist. 2. de cęlo c. 4. rationibus phisicis, quarũ prima est quia figura 1. & simpliciter debetur 1. & simpliciori corpori, sed 1. & simplicior figura est spherica. Etenim figura circularis vnica tãtũ linea vndique terminatur, cęterę autẽ figurę plane pluribus terminantur lineis, vt triãgulus tribus, quadrãgulus quatuor lineis terminatur, quia vnica linea versus vnã dũtaxat partem poterit porrigi, quadrata vero figura versus 4. partes est porrecta: ac proinde cũ vnũ sit prius & simplicius multitudine, figura circularis est prior ac simplicior alijs: igitur debetur corporibus cęlestibus, quæ sunt alijs corporibus priora & simpliciora. 2. desumitur ex perfectione figuræ sphericæ, est enim omniũ perfectissima, quia ei nulla potest fieri additio, & perfectũ est illud extra quod nihil accipi potest eorũ quæ ipsi debẽtur, omni autẽ figuræ rectæ lineæ potest fieri additio: at perfectũ est prius im perfecto intẽtione & duratione: ergo figura circularis est perfectior & prior, ac percõsequẽs debetur 1. & perfectissimo corpori simplici: cuiusmodi est 1. mobile, & eadẽ est ratio de figura solida & rotũda cõparata ad alias figuras solidas, aliæ enim pluribus terminãtur superficiebus rectis, quibus potest fieri additio, sed figura circularis solida vnica tãtum clauditur superficie, cui ex nulla parte potest fieri additio. 3. quia figura circularis cõparatur vnitati, triãgularis vero cõparatur ternario, & quadrangularis quaternario & sic de singulis alijs, sed vnitas est prior simplicior ac perfectior mensura omni numero: ergo & circularis &c. ac percõsequens debetur 1. corpori cælesti. Admisso autẽ primo cælo sphoricæ figuræ colligit Philosophus cæteros eiusde figuræ esse, quia corpus quod est cõtiguũ corpori spherico superiori, debet ipsum quoque sphericũ esse secũdũ cõuexã superficiẽ, & si sit contiguũ inferiori spherico debet esse sphericũ secundũ concauã, talia autẽ sunt corpora cælestia â primo & supremo vsque ad vltimũ Lunæ, quod spheræ ignis cõtiguatur. Ab Astrologis autẽ probatur eadẽ veritas rationibus astrologicis, quæ materiã sensibilẽ nõ cõcernunt. 1. desumitur ex similitudine, quia mũdus sensibilis factus est ad similitudinẽ mũdi Archetipi in quo nec est principiũ nec finis, nẽpè mũdi idealis in diuina mẽte existentis: ergo vt huic ideali mundo assimilaretur debuit habere figurã rotundã in qua nõ est assignare principiũ neque finẽ. 2. sumitur â cõmoditate: cõgruũ nãque fuit mũdũ, vel cælũ, quod cõtinet mundũ, esse figuræ omniũ capacissimæ, vt sic omnes mundi partes posset cómode continere, sed omniũ corporũ isoperimetrorũ, ideſt, similis mensuræ circuli, sphericũ cæteris paribus maximũ est, & omniũ formarũ, rotũda maxima & capacissima est: igitur cælũ habere debuit formã rotundã. 3. sumitur à necessitate: Nã si cælũ esset alterius figuræ quã rotundæ, v. g. trilateræ, vel quadrilateræ, vel multilateræ, sequerentur duo impossibilia scilicèt, quod aliquis locus esset vacuus, & quod corpus esset sine loco, dũ cœlũ moueretur, quorũ vtrũque naturaliter est impossibile: ergo naturalis necessitas quæ est inter locũ & locatũ petit cælũ esse figuræ rotundæ. Sequela patet quod corpus habens angulos & inæqualẽ superficiẽ si circũuolnatur necesse est q aliquis locus maneat, si

ne

ne corpore circunuoluto per aliquod tẽporis ſpatiũ, locus enim quem occupabat Angelus vnus, dũ non aduenit per motũ alius angulus æqualis vacuus manebit tali corpore, & cum in cœlo nullus ſit aer ſi eſſet figuræ nõ rotundæ, omni corpore daretur locus vacuus. Hoc ſuppoſito formatur primũ argumentũ pro noſtra cõcluſione, figuræ ſphericæ corporis mobilis cõgruit motus circularis, eſt enim ſpherica forma apta de ſe ad talem motũ, ſed cœleſtes orbes ſunt figuræ rotundæ: igitur eorũ motus eſt circularis ipſorum formæ conueniens. Secundo probatur: nã motus cœleſtiũ orbium, aut eſt ab oriente in occidens, aut ab occidente in oriens, ſed tã primus, quã ſecundus eſt circularis, eo quod per vtrũq; redit orbis cœleſtis ad idem punctũ a quo moueri incæperat. Sol enim v.g. ſuo motu circũductus circa terrã ad idem pũctũ orientis reuertitur vnaquaq; die à quo antea egreſus fuerat: ergo. Tertio: motus iſti nõ ſunt ad locũ eo quod perpetui ſunt ſuapte natura, & nullus motus ad locũ caret fine, & quia per illos cœlum nõ amittit totũ locum ſecundũ omnes partes ſimul, ſed eſt motus in loco primo corporis ſemper exiſtentis in ſuo loco, cuius partes ſigilatim mutant locũ, ipſum verò totum minime, ſed hæc eſt cõditio motus circularis: talis igitur eſt motus ſpherarũ cœleſtium. Dixi ex cepto motu trepidationis, quia motus iſte perſe circularis nõ eſt, ſed eſt motus acceſſus & receſſus, per quem expertũ eſt cœlũ ſtelliferũ in duobus paruis circulis circa principia Arietis, & Libræ nonæ ſpheræ trepidare, ab vnoq; veluti recedens verſus aliud impellitur, & ideo motus acceſſus, & receſſus ab Aſtronomis nuncupatur.

59 Dico ſecundo, motus cœleſtiũ orbiũ ſunt naturales. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ, & omnes modos illã defendendi. Et oſtenditur primo: nã cœleſtis orbis eſt ens naturale pertinens ad obiectũ naturalis Phyſicę (vt ſupra docuimus) ſed omne ens naturale eſt mobile, habetq; naturalia principia ſui motus: ergo & eius motus eſt naturalis, etenim nihil eſt aliud motum eſſe naturalem, quã in eſſe ſubiecto principia naturalia talis motus. Minor patet quia omne ens naturale habet naturã quæ eſt principium motus naturalis, & conſequenter omni enti naturali, ac mobili debetur aliquis motus. Secundo probatur ſupponendo naturale accipi dupliciter. Primo pro naturali effectiue, ideſt, per ordinẽ ad principium actiuũ, quo pacto motus vitales ſunt naturales viuẽtibus, & paſsiones propriæ principijs a quibus dimanant. Secundo pro naturali paſsiue, ideſt per ordinem ad principiũ paſsiuũ, quo pacto multis placet, motus grauiũ & leuium eſſe eis naturales, quia ſolũ habent principiũ paſsiuũ ad illos motus recipiendum à generãte. Et hac ratione ſpecies Angelorum impreſſæ ſunt eis naturales, quia ſunt apti nati per principiũ paſsiuũ illas immediate à Deo recipere. Quo ſuppoſito ſic argumentor, ad ſaluãdum motum naturalem ſatis eſt in eſſe ſubiecto motus, principiũ naturale paſsiuũ illius, ſed cœleſtis ſphera habet principium naturale ſaltim paſsiuum ſui motus: eſt enim per ſuã naturalẽ formã aptum natum talẽ motum circulariter ab intelligentia motrice recipere. In cuius ſignũ indita fuit illi figura rotũda, quæ de ſe aptanata eſt circulari motui, ac proinde oſtendit formæ ſubſtantiali in qua fundatur, prius in eſſe radicalem ad talẽ motũ aptitudinẽ: ergo per ordinẽ ad huiuſmodi naturalem aptitudinẽ formæ ſubſtãtialis ac figuræ cœleſtis corporis, eius motus eſt naturalis. Cõfirmatur: nã motus fluxus & refluxus maris eſt naturalis illi, ſimiliter motus quo ferrũ trahitur à magnete eſt ipſi naturalis, & tamen neque mare, neq; ferrum habet principiũ actiuũ talis motus, ſed paſsiuũ dum taxat: ergo licet cœleſte corpus habeat dum taxat principium paſsiuũ naturale ſui motus, illumq; immediate ab extrinſeco mouente recipiat, nihilominus motus eius erit naturalis. Antecedens probatur: nã motus fluxus & refluxus immediate imprimitur mari ex influxu Lunę, & motus ferri à magnetis virtute attractiua cauſatur actiue, vnde ex parte maris ſolũ eſt naturalis aptitudo ad recipiendũ motũ fluxus & refluxus ex influentia Lunæ cui naturaliter ſubijcitur, & ex parte ferri ſimilis eſt aptitudo paſsiua ad hoc vt per virtutẽ illius trahatur, cui etiã in tali motu naturaliter obedit, & ſubijcitur. Cõſequentia verò patet: nã ſi hæc paſsiua aptitudo ſufficit in aqua, & ferro ad ſaluandã motus naturalitatẽ, qua ratione in cœlo ſimilis aptitudo nõ ſufficiet, & ſi receptio motus ab extrinſeco motore nõ obſtat in illis naturalitati motus, quare ſimilis receptio in illo obſtabit? Tertio probatur ex diffinitione motus naturalis, ſicut enim natura diffinitur quod ſit principiũ motus & quietis, ita motus naturalis eſt ille cui principiũ eſt natura, quãdoquidẽ natura, & motus naturalis reciprocãtur, & ſe inuicẽ diffiniũt & explicãt, licet indiuerſo genere cauſandi, ſed naturæ diffinitio abſtrahit à principio actiuo, & paſsiuo, neutrũq; illorũ determinate petit, ſed alterũ, ſiue actiuum ſiue paſsiuum, ſolum enim petit quod ſit principium ſui motus, hoc autem tam de actiuo, quam de paſsiuo verificatur: igitur etiam diffinitio motus naturalis abſtrahit ab ordine ad principium actiuum, & ab ordine ad principiũ

paſiuũ, & dequocũq; poteſt ſeorſum verifica ri, ac per cõſequens cõuenit motui cęleſti. Di ces diffinitionẽ naturæ principiũ ſimul mo tus & quietis poſtulare, ac proinde motũ na turalẽ eſſe illũ cuius principiũ eſt etiã natura le principiũ quietis, quod cœleſtis motus nõ habet. Sed ad hoc facile reſpondetur, quod Durãdus deceptus eſt exiſtimans principiũ motus, & quietis copulatim eſſe de diffinitio ne naturæ, ſatis enim eſt quod diſiunctim cõ ueniat naturæ eſſe principium motus natura lis, ſiue quietis: imo hac Durandi intelligen tia prædictæ diffinitionis admiſa. Dicendum eſt etiã formã cœli eſſe principiũ radicale, & ſuapte natura quietis, licet ab extrinſeco, & ex ſtatuto, ac lege Dei careat quiete, hac enim ratione ſupra docuimus cœlũ Empireũ ne dũ quietis, ſed etiã motus habere radicale princi piũ, licet ad illã expeditũ, adhunc verò âprin cio fuerit impeditũ, & de homine inſtatu in nocentiæ diximus habuiſſe radicalia, & natu ralia principia corruptionis, ac perconſequẽs fuiſſe ſuapte natura corruptibilẽ, tamen ex iu ſtitia ſuperueniente originali ab eo adẽptam fuiſſe proximã, ideſt expeditã, ac reducibilem ad actũ potentiã corruptionis, & ideo ſimpli citer fuiſſe incorruptibilẽ: quia durãte illo ſta tu nõ poterat homo citrà miraculũ, & diuinę legis diſpenſationẽ mortẽ ſubire. Haud diſsi militer quies quæ naturalis eſt orbibus cœleſ tibus iuxta eorũ principia radicalia eſt ab eis adempta pro hoc ſtatu etiã quoad proximam potentiã, ideſt ad actũ reducibilẽ, ita vt citra miraculũ & diuinæ legis diſpenſationem ne queat eis pro hoc ſtatu cõuenire, illo tamen tranſacto poſt mũdi huius renouationẽ, quã do omnis creatura liberabitur a corruptione, & ſeruitute, tunc ceſſante ſublunariũ genera tione, cui deſeruit cœleſtis motus, & ipſi cœ leſtes orbes quieſcent quiete, quæ & ſi quoad modũ mirabilis ſit, tamen ſecundũ cõditionẽ radicaliũ principiorum cœleſtis corporis, na turalis erit, ſicut ſi homo in ſtatu innocentiæ mortẽ ſubiret mors illa quoad modũ miracu loſa, ſed quoad hominis naturã & eſſentialia principia, naturalis fuiſſet, quin imo magis na turalis futura eſt quies cœlorũ poſt mundi fi nẽ, quia ceſſante fine cui eorũ motus deſeruit naturaliter ceſſabit motus, & iuxta legẽ Dei ſtatutam, qua ſtatuit vt talis motus vſque ad illum dum taxat duret, erit tamen illius ceſſa tio, ac cœlorum quies mirabilis, quia â Deo immediãte cauſabitur, ob tẽperante intelli gẽtia motrice imperio illius ad cuius nutum modo munus motoris exequitur. Et quia an tiquus ordo vniuerſi, & conſuetus curſus abo lebitur, nouaque ac inconſueta quies corpo rum cœleſtium incipit.

60 Dico tertio, motus orbiũ cœleſtium ſo lum eſt naturalis paſiue, ideſt, per ordinẽ ad principium paſiuum. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus primum modũ defendendi ſecundã ſententiã. Et probatur primo: nã motus cœli eſt naturalis, & non per ordinem ad princi pium actiuum: ergo per ordinem dum taxat ad principium paſiuum, conſequentia patet à ſufficienti diuiſione, conſtat enim ex dictis his duobus modis tantum contingere motum eſſe naturalem, vnde vno excluſo, alius tan tum cœlo relinquitur attribuendus. Minor vero probatur: nam motus cœleſtis ab intelli gentia prouenit actiue, ſicut motus fluxus, & refluxus à Luna, & motus ferri â magnete, ſed intelligentia non eſt principium intrinſe cum cœlo: ergo non habet principium ac tiuum intrinſecum, ſed paſiuum intrinſecum & actiuum extrinſecum, ſicut neque mare, neque ferrum habent in ſe principia actiua prædictorum motuum. Secundo, dupliciter inueniri poteſt in aliquo ente naturali princi pium motus actiuũ, vel principale per quod mouetur à ſe, qua ratione viuentia habẽt prin cipium actiuum ſuorum motuum vitalium, vel inſtrumentale, & hoc modo grauia, & le uia habent principia actiua ſuorum motuum per quę mouentur à generante ad ſua loca na turalia, ſed neutro modo cœleſtes orbes ha bent principium actiuum: nõ quidem primo modo, quia (vt ſupra oſtendimus) nullum vi tæ gradum participant, nec ſecundo: quia non habent à generante virtutem per quam poſsint moueri etiam in abſentia motoris principalis, non enim ſicut lapis per innatam grauitatem ſecluſa omni actuali motione ex trinſeci generantis, aut motoris principalis mouetur ad centrum; ita cœlum habet inna tam virtutem, per quam ſecluſa motione in telligentiæ motricis poſsit moueri, quia ſi ta lis virtus ei data fuiſſet, ſuperflua eſſet motio, & aſsiſtentia intelligẽtiæ. Et illã virtutem da ri cœleſti corpori non fuit neceſſarium, aut eorum naturæ congruum ſicut grauibus, & le uibus opportuit talem virtutem a generante cõmunicari, eo quod cœlũ nõ mouetur ad lo cũ naturalẽ, nec vnquã extrahitur à ſuo loco naturali, ac proinde nunquã caret debita per fectione, vnde nec debuit habere virtutẽ in natã ad illã adquirendã, bene autem grauia, & leuia, quæ aliquando ſunt extra naturalem locum, & ad illum mouentur. Vnde debuit ge nerans communicare eis talem virtutem qua poſſent naturalẽ locum adquirere alioquin ſuo muneri nõ feciſſet ſatis, pertinet enim ad munus generãtis vt perſe, vel per virtutẽ à ſe deriuatã perducat opus ſuũ ad ſtatũ perfectũ, & ad debitũ cõplemẽtũ ac perfectionẽ: ſi autẽ

grauia,

ad ſtatū perfectum cōplementum ac perfectionem: ſi autem grauia & leuia inamiſibiliter loca ſua naturalia poſiderent tali virtute nō indigerent, cum igitur cœlum inamiſibiliter ſuum locum poſsideat non debuit à creāte accipere virtutem ad motum loci naturalis adquiſitiuā, ſed ſat fuit ab illo recipere inamiſibilem ſui loci naturalis poſſeſsionem: ad motum autem circularem qno nō ad locum, ſed in loco mouetur nō debuit innatā virtute actiuā habere, quia per illum nō adquirit cōplementum ſui eſſe, ſed ad horum ſublunarium bonum ordinatur. Sed arguitur primo contra primā: nā ex illa ſequitur omnem motum cœleſtem eſſe circularem, ſiquidem ſolus motus circularis eſt debitus, & cōgruus figuræ rotundæ: quinimo ſequitur etiā cœlum Empireum moueri motu circulari, & elementa omnia circulariter circunuolui, ſiquidem figurā habent rotundā, vt in 1. cap. ſpheræ ab Aſtrologis demonſtratur: at hæc omnia ſunt falſa, cœlum enim Empireum perpetua gaudet quiete, ex elementis autem ſolus ignis, & aer illi vicinus mouentur circulariter ad raptum primi mobilis ipſis mediante orbe Lunæ cōmunicatum. Aqua enim ſolum motu fluxus, & refluxus localiter mouetur, qui circularis non eſt, terra vero immobilis permanet: nā nec moueretur circulariter, nec aſcenſu, nec deſcenſu, nō primo, quia eſt centrum totius orbis in medio conſiſtens, non ſecundo, quia eſt corpus graue, non deniq; tertio quia omnis deſcenſus eſt ad centrum, at terra eſt in centro, neq; ab illo vnquam fuit extracta. Rurſus ſi moueretur tota terra eius motus localis eſſet a medio verſus circunferentiā cœli, cum ipſa reſpectu cœli ſe habeat ad inſtar medij, ſiue centri reſpectu circūferentiæ, ſed omnis motus a medio verſus circunferentiā eſt aſcenſus: ergo eius motus naturalis eſſet aſcenſus; quod tamen eius grauitati repugnat. Vnde & his rationibus ſolent Aſtrologi in eodem 1. cap. ſpheræ terram ſtabilem, & immutabilem eſſe comprobare.

Reſpōdetur nihilominus negādo ſequelā. Ad primāpartem dicendū eſt quod motus ille trepidationis ſemi circularis eſt, licet ſimpliciter circularis nō ſit, habet enim ſe in octaua ſphera cuius ſecundum aliquos eſt proprius, vel in nona ſecundū alios, ſicut motus palpitationis in corde, qui nec circularis, nec aſcēſus, nec deſcenſus eſt, ſed alterius rationis, ſic cū ſphera illa ſit diuerſæ rationis ab alijs, motū etiā diuerſæ rationis debuit ſortiri. Præcipue quia talis motus ad varietatem, & tranſmutationem huius vniuerſi fuit neceſſarius, nec nō ad pulchritudinē illius cœleſtis regionis, quę in diuerſitate motuū cōſiſtit. Ad ſecū dā, quod cœlū Empireū ſuapte natura capax eſt motus circularis, ex fine tamen ſpecialicō ueniens fuit hoc motu carere, & quieti deſtinari. Ad tertiā dico duo elemēta ſuperiora ex ſubordinatione ad cœleſtes ſpheras circulariter moueri, ſicut aqua ex ſubordinatione ad Lunā fluxū patitur, & refluxū. Terrā vero immobilē eſſe rationibus factis: quia licet figurę rotūdæ cōgruat motus circularis, ex his tamē nō ſequitur quod omne corpus talis figurę debeat circulariter moueri, ſed ſolum ſequitur quod ſi moueri debeat localiter, & alias exforma ſubſtātiali, & fine ad quē ab authore vniuerſi eſt ordinatū alius motus nō cōueniat illi cōgruenter mouebitur circulariter, quia quā tū eſt ex meritis proprijs figuræ rotūdæ, ipſam naturaliter decet motus circularis. Neq; ex hoc licet colligere terrā nō eſſe corpus naturale, quia omni caret motu locali: nam vt ait Soto 2. Phyſic. q. 1. licet ſecūdū totū nō ſit localiter mobilis, tamen ſecūdū ſingulas partes motū localem deſcenſus materialiter recipit. Et hoc ſufficit ad ſaluandū in illa diffinitionē entis naturalis: quinimo exiſtimo terrā ſecundū omnē ſui partē, & ſecundū totū mobilem eſſe motu alterationis, poteſt enim ad maiorē, vel ad minorē gradū ſiccitatis moueri: qui naturaliter ſibi cōuenit, licet hanc trāſmutationem nō habeat niſi via corruptionis: ſicut enim naturaliter eſt corpus corruptibile ſecūdū totū ſecundū radicalia principia, ita & corpus alterabile eſt, ac proinde verificatur de illa abſq; dubio diffinitio entis mobilis ac naturalis, mobile nāq; ens cōſtituitur per ordinē ad quācūq; ſpeciē motus naturalis. Secūdo arguitur cōtra ſecūdā: nā motus naturalis eſt cui ſuccedit quies naturalis, natura enim eſt principiū motus, & quietis copulatim, ſed motui cœli nulla ſuccedit quies, & illa quæ poſt mūdi finē ſuccedet nō erit naturalis, ſed ſupernaturaliter a Deo cōmunicata illi, ideſt ſupra naturā ipſius motus qui de ſe eſt perpetuus, & carens fine: ergo. Cōfirmatur dupliciter 1. quia ex cōnaturalitate mobilis ad locū nō cauſatur motus, ſed quies, ſicut ex præſentia, & cōiunctione volūtatis ad bonū nō cauſatur motus deſiderij ad bonū, ſed delectatio, & quies animi in bono adepto, ſed cœlū eſt cōiūctū ſuo naturali loco: ergo ex tali cōiunctione nequit cauſari motus naturalis in loco, ſed quies ac proinde cū quies nō cauſetur, ſed motus, ille erit præter naturā. Cōfirm. 2. ſi motus cœli naturalis eſſet, quies ei oppoſita infine mūdi violēta eſſet, quia cui motus aliquis eſt naturalis, oppoſita quies eſt violēta, ſed nos defendimus quietē illā eſſe naturalē, & nō violētā: ergo motus naturalis nō erit. Ad arg. dupliciter poteſt reſpōderi iuxta dicta, 1. negā-

maiorẽ. Secũdo, & melius admiſſa maiori negando minorẽ. Ad primã confirmationẽ concedo conſequentiam, quod motus cœli non cauſatur ab intrinſeco principio actiuo, & ex ſola coniunctione eius ad locum, ſed cauſatur ab intelligentia exterius aſsiſtente, res enim coniuncta ſuo naturali loco non poteſt habere motum ad locum aut in loco, a ſe; bene tamen ab alio. Poteſt etiam dici quod ſicut appetitus erga bonum adeptum habet quietẽ, quæ tamen eſt motus vitalis non ad bonum, ſed de bono, vel in bono, ita cœlum erga locum cui ſemper eſt præſens habet motũ, qui non eſt ad locum adquirendum (imoſic quieſcit) ſed qui eſt in loco adepto, & in hoc ſaluatur proportio inter appetitum reſpectu boni adepti, & cœlum reſpectu loci inamiſibilis. Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam, quia eidem ſubiecto poſſunt conuenire naturaliter motus, & quies oppoſita pro diuerſis temporibus, omnia enim tempus habent, dixit ſapiens, & ſicut dum adeſt tempus mouendi ſeu recipiendi motum: cœlo naturalis eſt motus: ita cum aduenerit tẽpus quieſcẽdi, quies illi erit naturalis. Tertio arguitur natura corporis ſimplicis eſt determinata ad vnam ſpeciem motus localis: ſed cœleſtis orbis non eſt determinatus ad vnum motum localem, idem enim Planeta mouetur pluribus motibus, altero ſcilicet diurnõ, ab oriente in occidens, & altero ab occidente in oriens, & alio quo trepidat, & ad latera propellitur, & ſimiliter octaua ſphera, hos tres motus patitur: ergo non habet cœlum naturale principium ſui motus. Maior oſtenditur, quia natura ſemper inclinat ad vnum, & cũ formæ mobilis naturaliter reſpondeat motus, natura entis mobilis ad vnam ſpeciem motus inclinabit, & à fortiori natura ſimplicis corporis. Confirmatur: nam quia forma mixti eſt virtualiter multiplex inclinat ad motum localẽ indiferenter ſecundum omnem loci, ac poſitionis diferentiam, ideſt, verſus orientem, & verſus occidentem, ſecundum longitudinem verſus ſurſum, & deorſum, &c. Sed formæ elementi, quod eſt ſimplex corpus, quia forma liter, & virtualiter ſimplex eſt, tantum debetur motus ſecundum vnam poſitionem, nempe aut ſurſum in leuibus, aut deorſum in grauibus, a fortiori igitur forma cœli cum corporis ſimplicis natura ſit deberet motum ſecundum determinatam, & vnicam dum taxat poſitionem vendicare, quem tamen non vendicat, cum quandoque ad orientem, quandoq; ad occidẽtem, quandoq; verſus latera ſiue polos moueatur. Reſpondetur negando minorem, nã vnicuiq; corpori cœleſti perſe, & ex proprijs meritis conuenit vnicus dũtaxat motus, aut diurnus, qui conuenit primo mobili, aut terpidationis, qui perſe primo conuenit 3. ideſt ſtellifero, aut ab occidente in oriens, qui conuenit perſe primo chriſtalino ſeu ſecũdo mobili. Cũ hoc tamen ſtat quod per accidens, hoc eſt, per aliud, & ex ſubordinatione adhas ſpheras ſuperiores communicentur inferioribus plures motus, inferiores namq; quia contiguæ ſuperioribus, rapiuntur ad motus illarũ. Ad confirmat. reſp. eodem modo, quod ex ſe, & ex proprijs vnum quodq; cœlũ vendicat ſibi motum determinatũ ſecundum vnicã poſitionem: per aliud vero habet plures motus ſecundum plures loci diferentias. Quarto arguitur, & vrgetur præcedens argumẽ nullum corpus naturale vendicat ſibi motus cõtrarios, ſed ſpherę inferiores mouentur motibus cõtrarijs, ille enim qui eſt ab occidẽte in oriens eſt contrarius illi qui eſt ab oriẽte in occidens, vt pote ad terminũ contrariũ terminatus: ergo non in eſt illis ſpheris principiũ naturale motus ab occidente in oriens. Probatur deinde minor: nam Aſtrologi dicũt vnũ eſſe motũ cœli vltimi ſuper duos polos arcticũ, ſcilicet, & antarcticũ ab oriente per occidentẽ iterũ rediens in orientẽ, quẽ æquinoctialis circulus per mediũ diuidit, & aliũ ſphærarũ inferiorum per obliquũ illi oppoſitũ ſuper polos ſuos diſtantes â primis viginti tribus gradibus, & triginta tribus minutis, eiſdẽ nãq; fere verbis teſtatur Sacroboſco author ſpheræ, c. 1. ſecũdũ motũ eſſe oppoſitum primo: ergo ſunt re vera motus cõtrarij illi quibus eadẽ ſphera ab occidẽte in oriens & in occidens mouetur. Confirmat. nã nullũ eſt corpus naturale cui nõ conueniat aliquis naturalis motus ex proprijs meritis ſuę naturæ ſeclu ſa omni ſubordinatione ad corpus ſuperius, ſed ſpheris inferioribus Planetarum nõ cõueniunt proprij motus præter illos quibus à ſuperioribus rapti vertuntur, aliàs tot haberet motus quælibet ſphera Planetæ, quot ſunt orbes ex quibus cõponitur, quod eſt incõueniẽs & derogans dignitati cœleſtiũ corporũ quæ quanto ſunt ſimpliciora paucioribus motibus debent ſubijci, ac magis à cõpoſitione, & mutatione vindicari: ergo. Rurſus corpus octauũ ſiue ſtelliferum nullũ motũ propriũ videtur habere: nam ille motus trepidationis videtur impertinens, ideſt ad nihilũ vtilis, & alias impoſsibilis apparet, & cõtra cœli incorruptibilitatẽ: nã ſphera illa ſecũdũ conuexũ cõtigua ſpheræ nonæ nequit propelli verſus dextrũ polũ, v. g. quin a ſiniſtro ſeparetur a nona, & ſic relinquat ſpatiũ aliquod vacuũ, vel debet propelli per maiorẽ ſui extẽſionẽ adquirẽdo maiorẽ locũ vrſus dextrũ, & nõ amitendo locum ſiniſtræ partis, quod nequit eſſe niſi per

rarefa-

rarefactionem quæ repugnat cœlestis corporis incorruptibilitati. Vt huic argumento satisfaciam præmittenda est quædam doctrina sanctissimi Doctoris, quam docet, quæst. 5. de potent. art. 8. & opusc. 34. de occultis operibus naturæ, & 2. 2. quæst. 2. art. 3. dicens quod in omni natura inferiori subordinata alteri superiori duo motus concurrunt, & requiruntur ad eius vltimam perfectionem integrandam, siue consequendam: alter exproprijs ei conueniens, & alter ex naturæ superioris participatione. Vnde aquæ perfectio ex duplici motu integratur, scilicet ex motu deorsum ipsi ex propria grauitate, & natura specifica conuenienti, & ex motu fluxus, & refluxus eidem ex subordinatione ad Lunæ motum cõmunicat, & perfectio magnetis habet duos etiam motus, vel effectus, alterum deorsum, vt corpus est graue, & alterum atrahendi ferrũ ex subordinatione ad causas cœlestes. Nec non propter eandem rationem probat D. Thom. hominem ad suam vltimam perfectionem (nempe beatitudinem) consequendam duplici motu congruenter indigere, altero qui sit naturalis motus cognitionis ipsi exproprijs conueniens, altero verò qui sit motus supernaturalis luminis, nempè fidei, qui ei ex subordinatione ad naturam diuinam, & authorem supernaturalem conueniat, quo a Deo vt a Magistro, & Patre luminum instar addiscentis debet edoceri, quia natura rationalis est subiecta Deo, & illi immediate subordinata in ordine ad finem suum supernaturalem consequendum. Motus autem isti non sunt contrarij, quia non secundum eandem omnino rationem, sed secundum diuersas naturæ inferiori conueniunt. Haud dissimiliter orbes Planetarum duplici, vel etiam triplici motu suum assequuntur naturalem finem, quorum alius ex proprijs, nẽpe ab occidẽte in oriens, alius vero ex subordinatione ad corpus superius, nempè ab oriente in occidens conuenit, sed ratione dicta motus isti non sunt cõtrarij, sed potius subordinati, & mutuo se iuuantes ad finis Planetæ, siue cuiuslibet orbis inferioris consequutionem. Hoc præiacto fũdamento solidissimo euanescit difficultas argumenti, negamus enim minorem, ad cuius primam probationem patet ex eodem suppoto. Ad secundam respondetur Astrologos nõ asseuerare, quod motui diurno opponatur directe, & perse motus ab occidente in oriens. Asserit namque Philosophus 1. de cœlo tex. 24. motui circulari nullum alium contrariari, vnde cũ hoc sit dogma Philosophiæ nequit negari ab Astrologia quæ Philosophiæ subalternatur, eiusque proinde principia accipere ac venerari debet. Quamobrẽ recte Iuntinus testimoniũ allegatum ex authore sphęræ, sic interpretatur, quando textus dicit, *huic oppositus*, oportet intelligere, ideſt, *abhoc diuersus*, & qnòd dicitur, *per obliquũ*, potest exponi dupliciter, vno modo, ideſt per Zodiacũ, qui est circulus obliquus, vt dicitur in 2. de gener. sicut enim æquinoctialis est via per quã fit motus, 1. mobilis, ita Zodiacus est via per quã fit motus inferiorũ spherarũ. Alio modo potest intelligi, quod secundus motus est oppositus 1. per obliquũ, ideſt non directe oppositus, sed obliquo modo, esset enim impossibile, quod per eundẽ circulũ, & super eisdem polis vna sphęra ad partes directe oppositas per diametrũ ad orientẽ, & occidentẽ simul moueretur. Hæc Iuntinus in suis scolijs ad primum caput sphęræ. Ex quibus habemus duplici de causa motũ secundũ cœlestiũ orbium 1. ab authore sphęræ appellari oppositũ, tũ quia sit diuersus ab illo, tũ etiã quia ei secũdũ quid, & in dirẽcte opponitur. Ad confirma. negat. minor, quoad omnes partes. Ad probationẽ primę cõcessa maiori negatur minor: nã præter motus tres quos participat sphęra solis, v. g. à superioribus sphęris, nẽpe diuino, & motu per Zodiacũ facto, atq; motu trepidationis conuenit ei proprius motus qui fit super proprios polos, & propriũ Zodiacũ à Zodiaco octauæ, & nonæ sphęræ, distinctũ. Vnde & hic motus habet distinctã durationẽ à cęteris, primus enim 24. horarũ, secũdus 40. milliũ annorũ, & 3. 7. milliũ annorũ spatio per agitur, motus autem proprius solis peragitur vnius anni spatio: singulis enim diebus per illũ sol singulos gradus Zodiaci percurrit. Et quot fuerint orbes in sphęra solis tot motus illis conuenient. Quia tamen omnes orbes vni Planetæ deseruiẽtes habent se ad instar vnius, etiã motus eorum habent se per modum vnius, & pro vno dum taxat computantur, licet re vera plures sint, similiter dicendũ est de alijs spheris Planetarũ, neq; hæc pluralitas orbium, & motuum derogat dignitati corporis simplicis, & superioris, nã omnes illi tam orbes, quã motus deseruiunt Planetæ, & primo mobili ad causandas in his inferioribus transmutationes, quæ sicut variæ sunt, ita oportuit varios orbes, & motus in sua causa supponere. Et aliàs saluatur in illis maior simplicitas, & immutabilitas, quia vnũ quodq; diuisiue sumptũ est simplicius omni corpore corruptibili, & exproprijs pauciores motus habet, quia vnũ dũ taxat naturalẽ vendicat motũ. Ad 2. p. probationem dicendum est illum motum trepidationis vtilem, & necessarium esse; obseruatum, & experientia compertum est. Quando enim contingit, vt testatur Georgius Purbachius, dissertissimus Astrologus in suis Theoricis, cap.

de octaua ſphera, cui ſufragantur omnes Aſtrologi, præcipue Iuntinus in ſcolijs ad caput tertium, quod ſole exiſtente in principio Arietis, aut Libræ primi mobilis nõ fiat æqui noctium, ſed ſtat antea accidiſſe, vel poſtea futurum eſſe propter deuiationem octauę ſphęræ per motum acceſſus, & receſſus, Deus autẽ qui illum cœleſti ſpheræ tribuit iuxta eius naturæ exigentiam etiam illum ad finem debitum ordinauit, quæ enim à Deo ſunt ordinata ſunt per eius prouidentiam. De modo autem quo fit, an per rarefactionem, an vero per amiſionem contiguitatis aſiniſtro latere, an alio modò mihi eſt incertum. Hoc vnum ſcio, quod dicitur Sapientiæ. 9. *Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus, cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit?* Quibus verbis Spiritus ſanctus huius temporis Aſtrologos admonet vt ſapiant ad ſobrietatem, & ne ſuis nimis credentes iudicijs, ea quæ in cœlis ſunt vellint ad vnguem inueſtigare, aut diffinire, ſunt namque plerique quos ego hiſce oculis vidi, & auribus audiui, qui tanta audacia motus cœlorũ diffiniunt, Planetarum orbes determinant, ac numerant, longitudinem cœli, latitudinẽ eius, & groſitiem ſiue profunditatem metiũtur, ac ſi manibus cœlos ipſos contrectarent. Audiant ipſi diuinam ſapientiam abſque hyperbole ac tropo dicentem. *Quis ea quæ in cœlis ſunt inueſtigabit?* Quare & ex hac audacia, qua volunt in altum, & non ad ſobrietatem ſapere obcæcatur cor eorum vt in ſuis iudicijs nedum Phyloſophiæ principijs, ſed etiam Sacræ ſcripturæ teſtimonijs contradicant. Dicunt namque ſtellarum eſſe ſex differentias pænes magnitudinem, & omnes ſub numero 1022. comprehendi, & illas quæ pertinent ad primam magnitudinem eſſe maiores terra centies ſepties. De motu quoq; trepidationis dicunt fieri per hoc quod octaua ſphera ab vno verſus alium latus propellitur, & his ſimiliaque ommito recenſere. Horum autem primum repugnat Sacræ ſcripturæ Geneſeos, 15. vbi loquens Deus cum Abraham multitudinem filiorum, ac nepotum qui ex eius fæmore erant propagandi indicat ex nimia ſtellarum multitudine dicens: *Suſpipite cœlum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſementuum.* Secundum vero præter quam quod in certum eſt, contrariatur quodammodo teſtimonio Eccleſiaſt. cap. 1. vbi ſapiens impoſibilitatem in diuinæ ſapientiæ conſilijs inueſtigandis, per difficultatem, & quaſi impoſibilitatem, quam humanus intellectus in metiendo cœlorum dimenſionem declarat dicens. *Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abiſſi quis dimenſus eſt,* & ſtatim ſubdit *ſapientiã Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit?* nequis ſciolus adeo certum iudicium de ſtellarum quantitate, & cœlorum molle faciat, vt credat ipſi non poſſe ſub eſſe falſum. Tertium denique eſt contra principia Philoſophiæ quæ docent, nec vacuum dari poſſe, nec corpus cœleſte rarefactionem propter eius indiuiſibilitatem, & incorruptibilitatem poſſe ſubire, vt enim motus ille ab ipſis explicatur, aut relinquit vacuũ inter nonam ſpheram, & conuexum octauæ, aut hãc rarefactionem pati neceſſe eſt. Poteſt tamen dici non fieri illum motum per hoc quod verſus vnum latus ab altero impellatur octaua ſphera, nec per hoc quod pars illa in quantum propellitur fiat terræ propinquior, ſed ad inſtar ſemi circuli: ita vt ab vno latere in alterum circulariter moueatur ille ſphera, ante abſolutum tamen circulum ad eundem locum reuertatur: ad eum modum quo rota incepto motu circulari, & non conſumato ad ſuam primam reuertitur poſitionem, & ſic intellectus motus trepidationis, neque vacuum, neque raritatem cogit admittere in octaua ſphera.

Quinto, principaliter arguitur: nam vel motus cœli cauſatur omnino ab extrinſeco principio actiuo, vel aliquomodo habet in mobili ipſo principium actiuum, ſi ſecundum labefactatur tertia concluſio, ſi primum ſequitur non eſſe magis naturalem quam motus Plauſtri communicatus aboue, aut motus lecticæ cauſatus ab equis lecticam trahentibus: motus autem iſte naturalis proprie non eſt, mò potius violentus eſt corpori graui, vt ſurſum feratur: ergo. Confirmatur: nam motus cœli comparatur à Philoſopho, 8. Phyſic. cap. 1. motui cordis, ſicut enim iſte eſt primus in Microcoſmo, ideſt in homine, qui eſt mũdus minor, ita ille eſt primus in mundo maiori, ideſt in vniuerſo, & ſicut motus cordis eſt cauſa aliorum motuum vitalium, & prior illis, ita motus cœli eſt cauſa omnium motuum quos ſubeunt corpora ſublunaria, & eſt prior illis. Et tandem hæc comparatio tedet, quia ſicut motus cordis partim eſt à principio actiuo, qua ratione eſt motus vitalis, & partim à principio paſsiuo, & moto, qua ratione eſt motus qui non viuenti, ſed generanti tribuitur, ita motus cœli eſt partim à principio actiuo intrinſeco, ideſt à forma mobilis, ac partim à principio extrinſeco, ſcilicet ab intelligentia motrice, reſpectu cuius vt ſic mouentis cœlum habet principium paſsiuum: ergo. Ad hoc argumentum admiſa maiori pro prima parte negatur minor: nam teſte D. Thom. quæſtion. 70. prælegata, art. 3. ad 4. motus cœli eſt naturalis ſolum per ordinem ad principium paſsiuum intrinſecum ipſi cœlo quatenus

tenus habet cœleſte corpus naturalem aptitudinem ad hoc quod ab intelligentia moueatur. Plauſtrum verò, aut lectica non habet naturalem aptitudinem, vt moueatur aboue, aut ab equo, ſed ſolum habet ad ſummum potentiam obedientialem, & vt ita dicam, paſſiuam artificialem in rotis, vt ab equis, aut bouibus quadam arte compoſitis, & vnitis moueatur, alioquin naturalem renitentiam habet ad motum aſcenſus, ſicut lapis quãdo ſurſum proijcitur. Ad cõfirmationem, quòd Phyloſophus ex illis tribus rationibus conuenienti in quibus videtur potuiſſe motum cœli motui cordis comparare, non in tertia, ſed ſolum in prima, & ſecunda vnum alteri comparauit.

Argumenti libri vndecimi.

PHyloſophus tractaturus in ſequenti libro de ſubſtantijs ſeparatis ad quarum cognitionem, ne dùm ea quæ in ſcientijs naturalibus, verum etiam quæ tractantur in hac vniuerſaliſsima, & omnium Principe, ordinantur, in hoc penultimo libro quaſi ad agrediendum alium de ſubſtantijs ſeparatis ſe accingens, ſub quodam compendio quædam quæ ad notitiam manifeſtiorem habendam de huiuſmodi excellentiſsimis ſubſtantijs vtilia videbantur ex dictis in lib. 3. 4. 6. & 7. huius operis, & in 3. 4. & 5. Phyſic. voluit recolligere ac repetere, totumque librum in tres tractatus tredecim lectionibus terminatos partiuit. In quorum primo quaſdam quæſtiones ex libro tertio adducit, in quibus oſtendit diſtinctionem, huius ſcientiæ à reliquis naturalibus ſcientijs, Phyſica, ſcilicet, & Mathematica, & eius ſupra omnes probat excellentiam; eo quòd ad hanc ſolam pertinet: *de omnibus entibus, eorumque quatenus entia ſunt communibus affectionibus conſideratio.* Hic textus abſoluitur ab illis verbis: *Quod quidem ſapientia ſcientia quædam circa principia eſt patet ex primis in quibus ad ea quæ ab alijs de principijs dicta fuerunt dubitatum eſt, &c.* vſque ad illa verba lectionis quintæ excluſiue, *eſt autẽ aliquod in entibus principium, &c.* Ab his namque ſecundum in choat tractatũ in quo quædam ex libro quarto repetit vſque ad illa lectionis octauæ: *Cum autem ſimpliciter ens pluribus modis dicatur, &c.* Oſtendens iterum atq; iterum primum illud atque omnium communiſsimum principium falſificari non poſſe, videlicet, *idem eſſe & non eſſe ſimul; & impoſſibile*, ac proinde neminem in illo falli poſſe, quin potius neceſſe eſſe vt illud ſemper pro vero, & conſtanti habeatur. Quod autem nemo in hoc principio falli queat, putans illud eſſe falſum ipſe Philoſophus ad finem capitis tertij libri quarti, luculenter oſtenderat. Rurſus declarat vnde ortũ habuerit ille error omnium maximus in Phyloſophia, nempe cõtradictorias poſſe eſſe ſimul veras, & ex conſequenti etiam ſimul falſas, reducens illum, ex quorundam ſententia ad Anaxagoræ opinionem omnia ex omnibus fieri poſſe exiſtimantis, & ex aliorum iudicio ad abſurdiſsimam opinionem Pitagoræ, qui res tales eſſe cenſebat quales nobis apparerent. Concluditque quod cognita prædicti erroris origine, ac radice facile rationes, quibus innititur poſſunt reuinci. Iam à præfatis verbis vſque infinem tertium tractatum abſoluit, in quo multa ex libro ſexto, & ſeptimo huius, & ex libris Phyſicorum ſub compendio declarat. Et quoniam hucuſque amplitudinem excellentiam, & vniuerſalem huius ſcientiæ cõſiderationem extulerat, ne alicui videretur nihil ab huius ſcientiæ contemplatione foro excludendum, & conſequenter contrarium ipſum Phyloſophum inueniret, docet reijciẽdum eſſe ens per accidens, & ens verum, hoc eſt ab intellectu confictum, eo quod ad hanc ſcientiam ſolum ſpectat, entium quæ ſunt talia ſimpliciter conſideratio. Quinimo determinat entia per accidens ad nullam ſcientiã ſpectare dicens lectione octaua: *Quod igitur nulla ſcientiarum quæ traditæ ſunt circa accidens verſetur patet, &c.* Et ſubdit rationem, quam libro ſexto, rediderat, & latius docuerat: nempe quod ens per accidens non eſt proprie ens, ſed magis non ens, ſicut non eſt proprie, & perſe vnum: nam vnum & ens conuertuntur. Excluſis vero entibus per accidens, & rationis à conſideratione huius ſcientiæ quædam alia entia imperfecta, quæ &ſi propter eorum vnitatem perſe non omnino ab hac ſcientia reijciuntur, tamen propter ipſorum imperfectionem, & potentialitatem minus principaliter in ea conſiderantur. Et quia huius generis ſunt motus, & paſsio illius infinitum, ideo lect. 9. paucis repetit ea quæ fuſius de natura, & conditione motus: tribus primis caditibus libri tertij Phyſicorum ſcripſerat. Primumque docet quid ſit motus, eiuſque diffinitionem recte traditam oſtendit dicens eſſe actum imperfectum, ideſt, partim in actu, partim in potentia ens, eò quòd ens diuiditur, in illud quod eſt ſolum actu, & ſolum potentia, & illud quod eſt ſimul in actu, & potentia, & huiuſmodi eſſe motum, neque à rebus ad quas terminatur eſſe diſtinctum: *non eſt autem aliquid motus præter res.* Deinde determinat in quo ſubiecto recipiatur motus, & quo pacto ad mouens, & ad mobile cõparetur, dicens illum ſubiectiuè eſſe in mobili, & actiue eſſe mouentis, ſub his verbis, &

quod eſt motus in mobili palàm, actus eſt enim huius a motiuo, ideſt, idem motus qui eſt mobilis vt ſubiecti eſt motiui, vt efficientis, & propterea ſubdit, *& motiui actus non alius eſt, oportet quidem enim eſſe actum amborum, &c.* In lectione vero, ſiue capite ſequenti agit de infinito, illa quæ in libro tertio Phyſicorum, capit. 4. ſcripſerat, repetendo: nempe quot modis dicatur infinitum, & quod infinitum actu dabile non ſit, bene tamen infinitum potentia, quod quidem in diuiſione continui in motu, & in tempore reperitur. Demique concludens in lectione, 11. 12. & 13. adducit ea quæ docuerat de partibus, & ſpeciebus motus, primo & ſecundo capite lib. 5. Phyſicorum, diuidens motum in communi in generationem, & corruptionem, & motum quem poſtea ſub diuidit ſecundum genera in quibus reperitur ſeu ad quæ perſe primo terminatur. Et poſt quam probauit ad ſubſtantiam, & ad relationem, atque ad agere, & pati non poſſe dari motum: determinat ſolum dari ſecundum tria genera, quantum ſcilicet, quale & vbi, eo quod in his dum taxat generibus datur contrarietas ad terminos motus requiſita. Hæc ſunt quæ Phyloſophus in hoc libro pertractat, vt nos ex horum entium imperfectorum cognitione ad ſubſtantiarum ſeparatarum cognitionem manu ducat. Vnde quia eorum cognitio ad harum notitiam aſequendam valde vtilis eſt, & â Metaphyſicę ſpeculatione non aliena, ſed propria licet de ſecundaria intentione, illis omniſis quæ ex libris præcedentibus huius operis repetit, ne & nos eadem ſæpius repetamus, ad hæc entia imperfecta, motum videlicet, infinitum, locum & tempus, ad quæ hic a Phyloſopho inuitamur, calamũ conuertemus, vt Phyloſophia naturalis quæ ancilla, & pedisequa eſt Metaphyſicæ ei obſequium præſtans, ab ea honorem laudem, & claritatem accipiat, & hæc noſtra Metaphyſica commentaria, Neotericis auſcultatoribus Phyloſophiæ etiam deſeruiant. Quod vt prę ſtemus totum librum in quinque quæſtiones placet ſecare. In quarum prima diffinio motus, eius ſpecies atque attributa tradentur. In ſecunda infiniti conditio, atque diuiſio declarabitur: in tertia loci immobilitas pro exacta notitia delatione ſeu de motu locali, habenda patefiet. Et quia contrariorum eadem eſt ſcientia, ac diſciplina, de vacuo in quarta erit agendum, & tandem in quinta de temporis ſucceſsione continuitate, ac realitate plura dabimus. Nec tamen tam prolixitati, quam veritati ſtudebimus declarandæ. Explicit argumentum.

(.?.)

QVÆSTIO I.

De natura, & diuiſione mótus in ſex articulos diuiſa.

DIfficilis eſt adeo cognitu diffinitiua cognitione, motus vt Phyloſophus in cap. 9. illum indeterminatum, ac indefinitum appellet propter eius minimam actualitatem, ac perfectionem, qui ratione ad mixtionis actum cum potentia includit, bipartitum nihilominus textum de motu facit Philoſophus: nam de natura proprietatibus ac conditionibus illius in communi egit in 3. Phyſico, de eius vero ſpeciebus in particulari egit libro quinto per totum. Diffiniuit autem motum, lib. 3. capit. 1. dicens: motum eſſe actum entis in potentia, ſecundum quod huiuſmodi, denotans vt egregie aduertit D. Thom. duplicem ordinem in motu, alterum ad anteriorem potentiam, & ad nunc deſignandum dicitur actus, omnis enim actus ſupponit ſubiectum in porentia cuius ſit actus, & alterum ad vlteriorem actum, & ad hunc deſignandum dicitur, exiſtentis in potentia ſecundum quod huiuſmodi. In quo diſtinguitur motus â formis imperfectis, habentibus tamen eſſe permanens, & quietum in ſubiecto, quæ vt ſic nullum ad vlteriorem actum, ſiue gradum, ordinem dicunt, & ſi ad anteriorem potentiã ordine non careant. Et explicat hanc diffinitionẽ Phyloſophus in omnibus motus ac mutationis, ſpeciebus dicens: ſicut alteratio eſt actus alterabilis inquãtũ alterabile, augmentabilis quoq; & oppoſiti augmentum, & decrementum, ideſt augmentatio, & diminutio; atq; generabilis, & corruptibilis generatio, & corruptio: loco mutabilis, loci mutatio. Poſtea vero in lib. 5. tres tantum ſpecies motus perſe ſumpti, quatenus ſcilicet eſt tranſitus de ſubiecto in ſubiectum, ideſt, ab vno contrario ad alterum contrarium, nempe ad quantitatem, ad qualitatem, & ad vbi, & hæc omnia repetit in hoc libro à capit. 8. vſque ad vltimum. Pro quorum exacta declaratione ſex nobis agenda ſunt. Primo, namque ad examen vocanda eſt præfata motus diffinitio. Secundo diuiſionis ſufficientiam, ſiue adęquationem. Tertio quaſdam motus proprietates, ac conditiones inueſtigabimus. De actionis denique tranſeuntis identitate, cum motu, illius ſubiecto, & a diuinis actionibus diſcrimine, tres alios articulos inſtituemus.

ARTI-

ARTICVLVS. I.

An prædicta motus diffinitio sit recte tradita pro explicãda eius quiditate.

Diffinitio motꝰ expendi tur.

1 IN hoc articulo communis sententia affirmatiuam sequitur partem, Philosophique diffinitionem approbat tota Philosophorum schola, exceptis quibusdam antiquis, quos ipse refert, & refutat hic cap. 8. qui motum in genere dissimilitudinis, inæqualitatis, & priuationis constituentes aliter diffiniebant. Alij quidem dicentes: motum esse alteritatem, aut inæqualitatem, quarum illa solam varietatem in qualitate, hæc vero solam varietatem in quãtitate significat. Alij vero motum non ens appellabant, eo quod ad solum terminum aquo ipsius motus respexerunt. Sed quia horum errores iam aboliti sunt, & manifestata est vera natura motus, quæ licet admixta ex actu, & potentia, non propterea in genere non entis, sed in genere actus imperfecti constituitur. Proinde omnes prædictam diffinitionem Philosophi admittunt, vt pote quæ genus, aut quasi genus actus, & propriam quasi differentiam motus, nempe actum imperfectum, & admixtum potentiæ explicat, approbant, & confirmant. In eius tamẽ intelligentia, & extensione in duos modos dicendi diuiduntur. Alij namque dicunt hanc diffinitionem fluxum successiuum denotare, ac proinde generationi, corruptioni, alijsque instantaneis mutationibus non cõuenire, neque illis a Philosopho adaptari, de horum numero sunt Conimbricenses, lib. 3. Physico, cap. 2. quæst. 1. artic. 2. Alij vero docent in hac diffinitione vt iacet minime successionem designari, ac proinde generationi, ac mutationibus alijs instantaneis adaptari, ita docet D. Thom. 3. Physico. lect. 2. §. *exemplificat*, consentiunt Soto ibidem, quæstion. 1. & alij iuniores discipuli sancti Doctoris.

Respondeo dicendum, primo motum exacte diffiniri a Philosopho per hoc quod dicitur actus entis in potentia secundum quod in potentia. Hæc conclusio probatur primo, quia exacta diffinitio est quæ quidditatem diffiniti declarat: sed hæc est huiusmodi, etenim explicat genus seu communem rationem motus, in qua cum alijs rebus conuenit Analogice, quæ est ratio actus seu formæ Analogice, & imperfecte in motu reperta, & rationem propriam, ac illius differentialem, quæ est ratio fluxus viæ ac tendentiæ ad vlteriorem gradum, siue actum, per quem motus contrahit, & determinat communem rationem actus, siue formæ: ergo est diffinitio exacta ac quidditatiua. Confirmatur: nam duplex ordo est de ratione motus vt ex D. Thom. in argumento quæstionis recensuimus, alter ad subiectum, & alter ad vlteriorem actum, sed vterque explicatur in diffinitione assignata: ergo. Secũdo probatur: nam motus est actus receptus in mobili teste Philosopho hic capit. 9. qui sic ait: *Illud etiam est perspicuum motum inmobili esse, actus enim huius est ab eo quod mouere potest, neque eius quod vim mouendi habet, alius est actus cum vtriusque actum esse oporteat*, in quibus verbis denotat quod licet motus sit actus mouentis & mobilis: diuersimodè tamen, eò quòd mouentis est actus externus, tanquam eius aquo egreditur: mobilis autem est actus intrinsecus tanquam subiecti in quo recipitur. Vnde & priori modo sub induit rationem actionis; posteriori vero habet rationem passionis; sed in nostra diffinitione explicatur in quantum est actus mobilis: ergo explicatur id quod essentiale, & simpliciter perse reperitur in illo. Consequentia patet, quia cum nõ sit actus receptus in mouente non est simpliciter actus illius, sed tantum secundum quid, & cum addito, scilicet actus externus, sed cũ sit actus receptus intrinsice in mobili simpliciter habet esse illius actum: ergo dum diffinitur per ordinem ad mobile, & ad vlteriorem gradum in eodem mobili recipiendum explicatur id quod ei simpliciter ac proinde quidditatiue conuenit.

Dico secundo hæc diffinitio vt iacet potest ac debet generationi alijsque instantaneis mutationibus adaptari. Hæc statuitur aduersus iuniores, qui primum modum explicandi diffinitionem motus sequntur. Et probatur primo, quia Philosophus in locis præallegatis posuit exempla motus a se diffiniti etiam in generatione, & alijs Physicis in stantaneis mutationibus. Et D. Thom. in loco citato ex 3. Physico. eiusdem est sententiæ: atque libro quinto lect. 2 sic ait: *Aristoteles supra in tertio vbi motum diffiniuit accepit rationem motus secundum quod est commune omnibus speciebus mutationis, & hoc modo accipit hic rationem mutationis: motum autem accipit magis stricte pro quadam mutationis specie, &c.* Secundo probatur: nam generationi conuenit assignata diffinitio motus: ergo sub hac diffinitione generatio comprehenditur, & constituitur omnis alia mutatio in stantanea, siquidem eadem est de omnibus ratio. Antecedens probatur: nam licet in instantaneis sint simul via, & terminus, fieri & factum esse, tamen prius natura est via, quam terminus & fieri,

quam

quam factum esse, & inter vtrumque est distinctio saltim ex natura rei, generatio enim est via ad formam, & fieri ipsius formæ, & alias est actus entis in potentia, scilicet, materiæ non quia in illa immediate subiectetur, sed quia in illa exerceturformam introducendo. Tertio probatur: nam si qualitas adquireretur in instanti per transmutationem à contrario in contrarium, saluaretur motus, cui hæc diffinitio conueniret, eo quod conueniret illi esse actum entis in potentia secundum quod in potentia ad formam pro eodem instanti adquirendam, vt etiam tradit Soto. 5. Physic. quæstion. 1. ad 5. ergo eadem ratione debet alijs mutationibus Physicis adaptari. Vnde falso adducitur Soto à quibusdam iunioribus pro opposita sententia.

Qualiter cõueniat mutatio nibus.

Dico tertio, hæc diffinitio vniuoce competit tam motibus, quàm mutationibus. Hæc conclusio statuitur aduersus nonenullos Philosophos qui dicunt motum secundum quod prædicta diffinitione diffinitur non importare vnam rationem vniuocam omnibus suis inferioribus. De horum numero fuere Alexander, & simplicius super 3. Physico. & ex Neotericis Pererius, lib. 13. de natura motus, cap. 5. Fonseca hic cap. 8. §. *motum non esse*, & Conimbri. in eodem 3. Physico, quæstion. 1. artic. 3. vbi distinguunt sex in motu, nempe fluxum, formam influxu, successionem, continuitatem actionem, & passionem. Dicuntque motum quoad primam, secundam & tertiam rationem esse analogum. Sed nostra conclusio est expressa sanctissimi Doctoris in loco præallegato ex 5. Physic. vbi ait Philosophum loqui ibi de motu magis stricte, secundum quod est mutationis quędam species, sed species subijcibilis est illa quæ sub assignato genere collocatur teste Porphyrio, cap. de speciei sentit igitur sanctus Doctor, mutationẽ vt sic Physicam esse genus ad omnes species motus, & mutationis. Sunt qui pro hac conclusione adducunt etiam sanctum Doctorem in 1. dist. 15. quæstion. 4. artic. 1. ad 2. in 2. distinct. 2. quæstion. 1. articul. 1. ad 3. & in 3. distinction. 33. quæstion. 2. articul. 1. quæstion. 1. ad 2. eo quod ibi dicat: *Omnes species motus æqualiter conuenire in ratione communi motus, atque vniuocari in intentione generis, &c.* Sed profecto in his locis D. Thom. tantum loquitur de motu stricte dicto vt à generatione cõdistinguitur. Quod patet ex contextu, quia in omnibus illis statim subdit D. Thom. motum localem esse alijs priorem, eorumque causam, & mensuram, non obstante vniuoca conuenientia in ratione communi motus. In quo sensu etiam 1. p. quæst. 110. artic. 3. dixit inter omnes motus corporeos localem esse perfectiorem, at hæc comparatio nequit fieri in ratione mutationis communi, etenim citra dubiũ est generationem quæ ad substantiam terminatur perfectiorẽ esse alijs mutationibus quæ ad esse accidentale terminantur: maxime cũ infra generationem illa quæ est viuentium origo; claudatur. Vnde hisce testimonijs solũ potest probari ex mente sancti Doctoris motum stricte dictum vniuoce suis speciebus cõuenire. Ac proinde illis omnissis potest ostẽdi nostra conclusio, primo ex Philosopho, qui in hoc lib. capit. 8. ait tot, motus & mutationis esse, quot entis species sunt, in quibus verbis insinuat omnes mutationes quasi diuersas species sub vnico genere claudi. Et propterea 3. Physicor. cap. 2. ex æquo & sine vlla limitatione, assignatam diffinitionem verificat in alteratione augmentatione, generatione, corruptione, & latione, quod non faceret, nisi has omnes vniuoce in ratione explicata per diffinitionem conueuire existimaret: ergo. Tertio probatur: nam conceptus, ita abstractus, vt nulla in illo reluceat diuersitas, inæqualitas, aut dependentia, est vniuocus suis inferioribus, licet in his secundum rationes particulares non nulla inæqualitas, aut dependentia reperiatur; sed talis est conceptus mutationis, siue motus late sumpti à prædictis sex speciebus abstractus ac per nostram diffinitionem diffinitus: ergo est vniuocus. Minor patet quia à quacunque essentiali conuenientia est abstrahibilis vnus conceptus obiectiuus, qui si assignatas conditiones habuerit, erit vniuocus, sed ille sex species mutationis conuenientiam habent essentialem in ratione mutationis, & alias in illa ratione nulla diuersitas, inæqualitas, aut dependentia relucet: ergo. Quarto: nam ratio actus mobilis seu hoc quod est esse actum entis in potentia secundum quod in potentia vniuoce saluatur in omnibus Physicis mutationibus, & hæc est ratio communis mutationis: ergo. Maior patet: quia licet esse actum entis in potentia ad vlterius eiusdem formæ complementum, & ad partes futuras eiusdem motus, sit proprium motus successiui, tamen esse actum entis in potentia ad formam completam commune est omnibus ex æquo, quia in omnibus tam successiuis, quam instantaneis est fluxus, & via ad formam: ergo.

2 Sed contra arguitur primo: nam Philosophus in 5. Physico. text. 7. excludit generationem a ratione motus, idque probat triplici ratione, tum quia subiectum, quod in illa mouetur non est ens in actu, tum quia nonest in loco, tum etiam quia substantiæ nihil est contrarium. Vnde cum generatio terminetur ad substantiam, nequit esse a contrario in cõ

trarium,

trarium, & omnis motus inter terminos contrarios debet verſari: ergo non poteſt diffinitio motus generationi adaptari. Confirmatur dupliciter, primo quia in illa particula diffinitionis, *ſecundum quod in potentia*, denotatur, quod mobile per motum partim debet eſſe in actu, & partim in potentia, quod nequit eſſe verum niſi motus ſit ſucceſſiuus, etenim ſecundum partem præſentem conſtituit motus mobile in actu: & ſolum relinquit illud in potentia ad partes futuras, ac proinde requiritur duratio diuerſarum partiũ eiuſdem motus: igitur cum mutatio inſtantanea ſit indiuiſibilis, & partium expers, nequit conſtituere mobile partim in actu, & partim in potentia. Secundo quia mutatio inſtantanea, in eodem ac primo ſuæ durationis inſtanti inducit formam in ſubiecto, quod patet in illumatione quæ ſubito, & in vnico inſtanti perfectum lumen in aere inducit, ſi luminoſum ſit ei applicatum, ac proinde conſtituit mobile ſtatim, in actu perfecto, ſed habens actum completum, & perfectum non dicitur eſſe in potentia ad illud: ergo non ſaluatur ratio motus prout dicitur actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, quod patet, quia motus vt ſic diffinitus poſtulat mobile conſtitutum in actu incõpleto, & expectans eiuſdem formæ complementum. Reſpondetur ad hoc argumentum Philoſophum in quinto loqui de motu ſtricte dicto, ſecundũ quod eſt ſpecies mutationis à generatione, & corruptione condiſtincta: ſub illa tamen diffinitione omnem mutationem comprehendit, quam communi vocabulo motum appellat. Ad primam confirmationem negatur maior, non enim denotatur per illam particulã niſi quod mobile ſit in potentia, & in via ad formam completam, vel ad partem, ſiue complementum formæ partim adquiſitę. Et pro primo verificatur diffinitio in mutationibus inſtantaneis: pro ſecundo vero verificatur in ſucceſſiuis motibus. Particula tamen diffinitionis vt iacet abſtrahit ab vno, vel altero modo exiſtendi in potentia. Ad ſecundam diſtinguo minorem, habens eſſe completum non dicitur eſſe in potentia ad illud pro omni ſigno rationis concedo: non dicitur eſſe in potentia ad illud pro aliquo ſigno acprioritate naturę, & rationis, nego minorem: licet autem mutatio inſtantanea in eodem inſtanti, *inquo*, inducat formam, tamen quia eſt via ad illam introducendam, & ex natura rei diſtinguitur ab illa ſicut productio, & terminus productus, ſicut via & fieri, à termino & facto eſſe, & res infieri, & in via non dum habet eſſe completum, & quietum extra cauſas, propterea pro illo priori naturæ pro quo ſubiectum intelligitur ſub eſſe mutationi, viæ, ac, tendentiæ, non dũ eſt ſub forma, ac proinde pro tunc habet eſſe in actu incompleto, & imperfecto qui eſt via ad formam. Vnde licet in eodem inſtanti, *in quo*, ſimul mobile per mutationem inſtantaneam ſit in potentia, & in actu, atque in actu completo, tamen non ſimul ſimultate, *quia* & naturæ ſubeſt vtrique, ſed prius prioritate naturæ, & veluti originis ſubeſt viæ, & actui imperfecto, quàm ſubſit formæ, & actui vltimato, & perfecto. Secundo arguitur: nam teſte Philoſopho, lib. 3. Phyſic. cap. 1. motus non eſt præter res ad quas terminatur, ideſt non eſt res diſtincta ab illis rebus ad quas terminatur, ſed terminatur ad res diuerſorum prædicamentorum, v.g. generatio ad ſubſtantiam, augmentatio ad quantitatẽ, alteratio ad qualitatem, & latio ad vbi: igitur non diſtinguitur à ſubſtantia, quantitate, qualitate, & vbi. Tunc vltra, ſed rebus diuerſorum prædicamẽtorum nihil vniuocum eſſentialiter poteſt cõuenire: ergo non datur aliqua vniuoca ratio motus illas ſex differentias mutationis comprehendens. Confirmatur: nam ens analogice dicitur de ente ſimpliciter quod eſt ſubſtãtia, & de ente ſecundum quid quod eſt accidens, ſed ex prædictis mutationibus aliæ ad ens ſimpliciter, & aliæ ad ens ſecundum quid terminantur: ergo pariformiter ratio mutationis debet de illis analogice prædicari. Reſpõdetur motum ſolũ entitatiue identificari cũ termino: formaliter vero diſtingui ab illo, gaudet enim diuerſa formalitate ac natura, eo quod habet modũ viæ ac tendentiæ, ac proinde entis imperfecti, & poſt prædicamentalis, terminus vero habet eſſe perfectum, & prædicamentale. Vnde in primo ſenſu dixit Philoſophus motum non eſſe præter res ad quas terminatur, & ſic fateor motum nõ eſſe quid vniuocum, ſed Analogum, quia entitas cum qua motus identificatur non vniuoca, ſed Analoga eſt, in ſecundo vero ſenſu motus cum ſit formaliter diſtinctus à rebus ad quas terminatur poteſt vniuocationem ſortiri, non obſtante, quod res ad quas terminatur analogẽtur in ratione entis. Et per hoc patet ad confirmationem: ſed contra hoc arguitur tertio: nam licet motus formaliter à terminis diſtinguatur, tamen illius vnitas debet ſumi ab vnitate termini, hoc enim eſt proprium omniũ reſpectiuorum, quæ ex ordine ad extrinſecũ terminum accipiunt ſpeciem, ſed implicat eſſe vniuocam vnitatem in ſpecificato, ſi hęc deficiat termino ſpecificanti: quo enim pacto maior eſſe poteſt vnitas effectus, quàm cauſę, aut ſpecificati, quàm ſpecificantis: ergo cum ratio entis Analoga ſit in terminis motus, etiã ratio formalis motus Analoga debet eſſe. Reſ

pondetur

pondetur nihilominus quod cum obiectum, & terminus concurrant in genere cauſæ formalis extrinſicæ non debent præhabere formaliter in ſe vnitatem, aut perfectionem, quam tribuunt rei quæ ab illis ſpecificatur, ſed ſatis eſt ſi illam præhabeant virtualiter tanquam ſpecificati regula, & menſura, & hac ratione obiectum aliquando in ſe malum ſpecificat actum bonum, v.g. peccatum quod deteſtamur ſpecificat actum pœnitentiæ infuſæ, qui eſt formalis peccati deteſtatio, & à relatione vt abſtrahit â reali, & relatione rationis incorrelatiuis primi, ſecundi, & tertij ordinis, accipit vnitatem genericam relatio prædicamentalis, atque ab ente quod eſt Analogum, & abono quod ſimiliter eſt Analogũ ſpecificantur intellectus, & voluntas hominis, quæ ſunt potentiæ gaudentes ſpecifica vnitate, ſuntque alia apotiſsima exempla, & peruia à quibus breuitatis gratia duximus ſuperſedendũ. Haud diſsimiliter ab ente quod Analogice de ſubſtantia, quantitate, qualitate, & vbi prædicatur, ſumit extrinſice vnitatem vniuocam motus vt ſic: quinimo â non ente qui eſt terminus corruptionis ſpecificatur corruptio quæ ſimpliciter, & vniuoce eſt mutatio, ſicut enim denominatio, aut imperfectio obiecti, ſiue termini non tranſit in rem ab illo ſpecificatam, quo pacto ab enterationis, quod ſimpliciter eſt non ens, ſpeciem habet Logica quæ eſt ſimpliciter ſcientia, & à non ente ſpeciem trahit corruptio: quæ eſt mutatio deſtructiua, & ſicut ens realevere eſt producibile, ita vere eſt deſtruibile, ac proin de tam productio, quã deſtructio illius ſunt vere ac ſimpliciter mutationes. Quarto arguitur ſi motus vniuocus eſſet, & eſſentialiter ſuperior ad omnes prædictas mutationes, eſſet genus, nihil enim deſideraret ad rationem generis, prædicaretur enim in quid, & vniuoce de ſuis inferioribus, conſequens autem eſt falſum, quia omnis ratio realis generica, ſiue ſpecifica vere eſt prædicamentalis, & ad aliquod prædicamentum referenda, eo quod prædicamentum eſt prædicabiliũ coordinatio, motus autem poſt prædicamentum eſt: ergo & antecedens. Confirmatur: nam motus eſt eſſentialiter ſuperior ad actionem, & paſsionem, etenim fluxus ab alio eſt actio, & fluxus in alio, eſt paſsio, & eſſe, *ab*, atq; eſſe, *in* fluens ſunt ſpecies fluxus qui vt ſic eſt motus abſtrahens ab illo, & illo modo fluendi: ergo ſi in ratione fluxus eſt vniuocus, aliquid eſſentialiter prædicaretur de actione, & paſſione, quod in ſe eſt vniuocum, quod non eſt admittendum. Ad hoc reſpondetur, à quibuſdam iunioribus, rationem motus vniuocam eſſe realem, ſed quia imperfectam, & inſufficientem ad ingrediendum in prædicamentalem ſeriem, propterea nõ eſſe genus, aut ſpeciem, eo quod putant quod ſolum rationes perfectæ ac completæ valeant conſtituere genera aut ſpecies. Sed hæc ſolutio defficit, & falſo innititur fundamento, relationes enim generis, & ſpeciei nedũm in entibus realibus completis, ſed etiam in incompletis, & in entibus rationis valent fundari, qua de cauſa vniuerſalitas eſt genus ad quinque prædicabilium intentiones, & priuatio genus quoq; eſt ad omnes priuationes, licet defectu entitatis realis completæ huiuſmodi genera, & ſpecies in prædicamentis non reponantur. Haud diſſimiliter ratio mutationis genus eſt, ſed defectu entitatis completæ ex parte ſubſtracti nõ reponitur directe in prædicamentis, ſed ad poſt prædicamentales paſsiones entis relegatur. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens, licet enim actio & paſsio identificentur cum motu in entitate eô quôd eadem entitas quæ eſt motus ſubinduit formalitatem actionis, & paſsionis, ſecundum quod diuerſas habitudines dicunt ad agens, & paſſum, tamen alia ratio formalis eſt motus, & alia eſt ratio formalis actionis & paſsionis, illa enim eſt formalitas entis imperfecti, iſtæ vero duæ ſunt formalitates entis perfecti, cõpleti, ac prædicamentalis. Vnde in ſenſu formali hæc eſt falſa actio eſt motus, ſumpto motu abſtractiue, ſicut hæc eſt falſa, albedo eſt intenſio, ſed ſicut hæc eſt vera, albedo eſt intenſa, quia intenſio eſt modus albedinis, qui in concreto de illa formaliter prædicatur, ita hæc eſt vera in ſenſu formali, actio eſt motus, ſumpto motu in concreto, quia motus eſt modus quidam imperfectus adiunctus actioni, & illam afficiens, ſed quia non eſſentialiter, ſed accidentaliter de illa prædicatur, atque etiam de paſsione, ſolum ſequitur aliquod prædicatum modale accidentaliter ſuperius ad actionem & paſsionem de illis prædicari, quod non eſt inconueniens.

ARTICVLVS. II.

An motus ſtrictè acceptus ſit eſſentialiter continuus & ſucceſsiuus.

3 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia media, quarum prima aſſerit ſucceſsionem, & continuitatem non eſſe de eſſentia motus phyſici ſtrictè ſumpti, de quo loquutus fuit Philoſophus quinto Phyſicorum. Hanc tuetur,

Gregorius

Gregorius de Arim. in 2. d. 2. q. 1. Capreol. ibidē in solut. ad 7. contra primā, & Soto 5. phis. q. 1. ad 5. Vnde infert Soto, quod si per possibile vel impossibile alteratio fieret in instanti sine cōtinuitate & successione, nihilominus esset vere motus, & è cōtra etiā si substantia generaretur successiue & continue haud quaquā motus esset: videnturq; hi authores suā sententiam desumpsisse ex Cōment. lib. 4. phis. cōm. 119. & Albert. li. 3. phis. tex. 1. c. 2. Secunda est veluti media asserens successionē esse de essentia motus strictè sumpti, continuitatē vero esse proprietatē ad illius essentiā consequtā. ita sentiunt Conimbr. vbi s. in loco supra allegato ex 3. phis. Pererius lib. 14. c. 18. & Fonseca 5. huius c. 13. q. 8. sect. 3. subdūque hi authores successionē esse imperfectā quandā rationē post prædicamentalē reductiue dū taxat ad prædicamētū pertinentē, eo quod essentia motus est quid imperfectū & post prædicamentale: cōtinuitatē vero siue motus, siue temporis esse perfectā speciē extēsionis: ac proinde directè in prædicamento quātitatis ponibilē. 3. vtrāque rationē, successionis, scilicet, & continuitatis asserit esse de essentia motus, per illāmque motum strictè sumptū constitui & à mutatione instantanea distingui. Pro cuius declaratione sequentes statuo conclusiones.

Vnde motus accipiat suam speciem.

Respondeo dicendum 1. motum strictè sumptū accipere suā essentiā à termino ad quem, & consequenter ab eodem accipere suā vnitatē. In hac cōclusione conueniunt omnes Philosophi ac Metaphisici exceptis paucis, nēpè Astudillo Burleo, & Alberto de Saxonia lib. 5. phis. qui volunt motū specificari ex æquo ab vtroque termino videlicet *ad quē, & aquo*. Sed pro nostra cōclusione sunt Soto lib. 3. phis. q. 3. Toletus Card. q. 2. Conimb. q. 1. Pererius lib. 3. c. 8. & alij iuniores quos ommittimus recēsere. Et probatur 1. Nā iuxta mentē Arist. lib. 5. phis. c. 4. triplex vnitas est in motu, sicut in qualibet alia re, generica, scilicet, specifica, & numerica, & numericā quidem ait Arist. desumere ab vnitate mobilis temporis ac termini, genericā vero & specificā solū à termino ad quē docet esse desumendā. Vnde asserit motus illos esse eiusdem generis proximi, qui ad eandē cathegoriā terminantur, illos vero esse eiusdem athomę speciei per quos adquiritur forma eiusdē speciei. Consentit D. T. 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. propterea enim ait prædestinationē hominū & Angelorū esse eiusdem speciei, cū terminus ad quē vtriusque sit eiusdem speciei, scilicet, beatitudo, *& motus non accipit speciē à termino ad quo, sed à termino ad quē, nihil enim refert quantū ad rationē de albationis vtrum ille qui dealbatur fuerit niger aut pallidus vel rubeus, &c.* Secūdo probatur: nā motus illi qui terminantur ad qualitatē eiusdē speciei sunt formaliter eiusdem speciei, etiā si à diuersis terminis à quibus proficiscantur & è cōtra, illi qui terminantur ad qualitates diuersæ speciei sunt diuersi formaliter, etiam si à terminis à quibus eiusdē rationis specificæ procedant: ergo à termino ad quem, & nō à quo accipit motus formalem vnitatē, nēpè genericam & specificam. Antecedens probatur inductione in dealbationibus, quæ licèt à fusco & viridi procedant, sunt eiusdē speciei, & dealbatio atque denigratio sunt diuersæ speciei, licèt ab eodem colore medio progrediantur & sic de alijs: ergo. Tertio: nā solus terminus ad quem cōparatur ad motū vt finis, & consequenter solus ille habet se vt causa formalis extrinseca motus, per quā motus veluti actuatur, & in qua quiescit, & in ordine ad quam diffinitur, sed in respectiuis obiectum, finis, & forma extrinseca est quę dat speciem: ergo à termino ad quem accipit motus specificā rationem: ac proinde formale vnitatē.

Dico 2. successio est de essentia & ratione formali motus strictè sumpti. Hæc statuitur aduersus authores primæ sententię. Et probatur primo: nam successio conuenit motui ex natura sui termini ad quem, & ex modo tendendi ad illum: ergo conuenit illi essentialiter, cōsequētia patet: quia à termino ad quem vt docuimus in præcedenti conclusione habet motus suam rationem ac vnitatē formalem: ergo quidquid illi ex tali termino conuenit essentialiter conuenit. Antecedens autē probatur: quia ex eo motus est successiua adquisitio termini ad quem: quia res terminatiua illius habet contrarietatem cum latitudine, ex latitudine enim & contrarietate prouenit, vt talis res non simul, sed paulatim ac successiue adquiratur: ergo. Confirmatur: nā successio conuenit motui ex eo quod versatur inter terminos positiuos & contrarios, fitque de subiecto in subiectū, in quo est latitudo paulatim percurrenda, sed in hoc statuit Philosophus vbi supra essentiā motus strictè sumpti prout à mutatione instantanea conditinguitur: ergo.

4 Dico 3. etiam continuitas est de essentia motus strictè accepti. Hęc cōclusio statuitur *aduersus authores secūdæ sententiæ* & probatur 1. nam quod cōuenit motui ex proprio genere est illi essentiale, genus enim prædicatur in quid, sed cōtinuitas cōuenit

motui ex proprio genere, ait nãque Philo. 3. phiſ. c. 1. motũ eſſe de genere cõtinuorũ, & lib. 5. c. 4. tex. 39. docet cõtinuitatẽ pertinere ad vnitatẽ numericã & ſpecificã motus: ac proinde ad eſſentiã, ait enim ſic, *quoniã autẽ continuus omnis motus eſt, & ſimpliciter quidẽ vnũ & continuũ neceſſe eſt eſſe. ſi omnis quidẽ diuiſibilis eſt, &c.* & text. 41. ſubdit in hæc verba: *qua propter neceſſe eſt eundẽ ſpecie eſſe, & vnius & in vno tẽpore ſimpliciter cõtinuum motũ &c.* 2. probatur: quia continuitas eſt de eſſentia tẽporis quatenus eſt duratio ſucceſsiua, nõ ad hunc ſenſum q̃ tẽpus non poſsit diſcõtinuari per ceſſationẽ ſui in aliqua mora, ſicut probabile eſt de facto in tempore Ioſue ceſſante Sole, ceſaſſe, ſed ad hunc ſenſum quod quãdiu eius duratio protenditur, atque exiſtit in rerũ natura, neceſſario debet protendi & exiſtere cũ cõtinuitate, & implicat etiã de potentia abſoluta dari tempus phiſicũ à parte rei abſque cõtinuitate, ſicut propterea colligimus ſucceſsionẽ eſſe de ratione motus ac tẽporis: quia implicat motũ aut tẽpus ſaluari ſine ſucceſsione: ergo ſimiliter de ratione motus eſt cõtinuitas. Cõſequentia hæc probatur: quia ex ſucceſsione & cõtinuitate motus dimanat ſucceſsio & cõtinuitas temporis in primo mobili, & in alijs motibus regularis à primo dimanat duratio continua & ſucceſsiua ex eorũ cõtinuitate & ſucceſsione. 3. probatur: nam continuitas motus nequit eſſe extenſio perfecta & cõpleta directẽ in prædicamento quãtitatis collocata: ergo falſum eſt corollariũ illius ſecũdæ ſententiæ. Antecedens probatur: quia cõtinuitas ad minus eſt modus ſeu proprietas ad motũ cõſequta, vt etiã admittunt illius authores, ſed modus & proprietas nequit eſſe perfectior aut magis cõpleta, quã res cuius eſt modus ac proprietas, quia eſſentia vnius cuiuſque rei, cũ ſit radix ſuarũ paſsionũ præhabẽs illas radicaliter, & cauſans eas in triplici genere cauſæ, efficientis, ſcilicet materialis & finalis ſemper eſt illis nobilior: ergo.

Sed contra arguitur 1. Nã motus numeratur à Philoſ. 5. met. tex. 18. & c. 2. prædicamentorũ inter quãta per accidẽs: ergo ſentit quod eſt cõtinuus per accidens, conſequentia patet ex eo quòd in rebus materialibus quãtitas & continuitas cõuertuntur. Cõfirmatur: nã omnis extenſio motus prouenit ei à termino: ergo cõtinuitas, quæ eſt eius extenſio prouenit illi à termino & cõſequenter ab extrinſeco. Reſpondetur ad hoc argumentũ, quod motus eſt quantus per accidens: quia per ſe nõ habet extenſionẽ quantitatiuã ſeu mollis, quæ eſt effectus formalis quantitatis, ſed extẽditur hoc modo ad alterius; nẽpè ad mobilis & ſpatij extenſionem: nihilominus habet per ſe & intrinſece entitauã quandã ſuarũ partiũ extẽſionẽ, quo pacto etiã qualitas intenſibilis & remiſsibilis habet propriã & intrinſecã latitudinẽ ſiue gradualem extenſionẽ, ſecundũ quã poteſt motũ intenſionis ac remiſsionis terminare, etiã ſi extenſionẽ mollis propriã nõ habeat, ſed ad ſubiecti extẽſionem recipitur in illo. Ad cõfirmationẽ quod licèt à termini latitudine ſumatur extrinſece ſucceſsio & cõtinuitas motus, tamen in ipſo motu eſt intrinſeca latitudo quæ conſiſtit in intrinſeco ordine fluxus continui ac ſucceſsiui ad talem terminũ. Secundo arguitur: motus per ordinem ad terminũ ad quem, accipit vnitatem & diſtinctionẽ: ergo ſi motus ſucceſsiuus & mutatio inſtantanea ad eundẽ terminũ ad quẽ terminẽtur nequibunt ſpecie diſtingui per ſucceſsionẽ & cõtinuitatem: ac proinde hæc duo nõ pertinẽt ad eſſentiale motus diſtinctiuum. Cõfirmatur: quia ſi cõtinuitas motui per ſe cõueniret, ex propriis cõueniret ei cõtinuitas: ac proinde per ſe eſſet quãtus, & in prædicamẽto quãtitatis directe ponẽdus, cuius vna ſpecies eſt extẽſio cõtinua: cõſequens eſt falſum: ergo & antecedẽs. Reſpõdetur ad hoc argumentũ negãdo cõſequentiam: pro cuius declaratione ſupponẽdũ eſt, motus aliquãdo ſpecificã diſtinctionẽ & vnitatẽ accipere à terminis ad quos entitatiue ſumptis, & hoc cõtingit quãdo motus ſunt eiuſdẽ generis proximi, quo pacto in genere alterationis dealbefactio a nigrefactione diſtinguitur ſpecie, propterea quod albedo, & nigredo ſunt qualitates ſpecie diſtinctæ. Aliquãdo vero nõ à terminis in eſſe entis, ſed formaliter, ſecundũ q̃ ſubſunt diuerſis modis terminãdi ſpecificãtur. Et hoc contingit quoties permotus diuerſos eadẽ res adquiritur, quia tunc diuerſi modi tẽdẽdi motuũ refundũtur in rẽ adquiſitã, & ſic refuſsi efficiũt vt eadẽ res ſecũdũ, quod diuerſis modis tẽdẽdi ſubeſt ſubinduat diuerſos modos terminandi. Quo pacto aliquãdo eadẽ qualitas ſecũdũ ſpeciẽ adquiritur permutationẽ inſtantaneã, vt quãdo ad productionẽ ſubſtantiæ producitur, aut alias permutationem inſtantaneam producitur, aliquando vero adquiritur permotũ, vt quando per ſe primo terminat motum ſecundum propriam latitudinẽ entitatiuam. Et hoc ſuppoſito: quia mutatio inſtãtanea & motus terminantur diuerſimode ad eandem formam, illa quidem modo indiui-

diuisibili, hic verò modo diuisibili, propterea ex istis modis tendendi & à terminis vt stant sub illis essentialiter diuersificantur, & quia successio & continuitas motus constituunt modum illum diuersum tendendi diuisibiliter propterea pertinet ad essentiale illius distinctiuum. Ad confirmationem negamus sequelam: quia continuitas & extensio motus non est, quæ constituit speciē quantitatis, hæc enim est extensio molis, secundum quam per se primo extenditur corpus substantiale, & secundario illius accidentia, est etiam completa, atque perfecta accidentis natura, illa vero extensio modalis imperfecta est & incōpleta sicut & motus cū quo formaliter identificatur, neq; ab eius successiua partiū latitudine distinguitur.

ARTICVLVS III.

An ad tria tantùm prædicamēta detur per se motus stricte dictus?

5 IN hoc articulo duæ versantur sententiæ: prima negat ad quantitatē dari per se motū: ac proinde sustinet ad duo tantū prædicamenta dari motū, quā sequntur quidā ex medicis peritiores, nēpè Galenus 1. met. c. 6. ac Vallesius in cōtr. 29. ad Tirones, sequuti Platonē, qui duas tātū species motus alterationē, scilicet & lationē agnoscebat vt cōstat ex dialogo Eutisipho. 2. Sed cōmunis peripateticorū sententia affirmatiua sequitur partē docēs ad tria prædicamēta & nō ad plura terminari per se motū stricte dictū, nēpè ad quantitatem, ad qualitatē, & ad vbi, nō ad hunc sensum, quod omnes species & individua horū prædicamentorū adquirātur per se primo per motū, sed ad hunc sensum, quod formæ adquisitæ per motū per se primo ex his dūtaxat & non ex alijs prædicamentis sunt. Et quia vera est hæc sententia illā statuo pro certa & indubitata conclusione. Cuius primā partē, scilicēt, primā illius exclusiuæ exponentem, probo primo ex Aristotele, cui perperam medicæ artis professores dissentiūt cōtra ipsa suæ artis naturalia iura: quia suapte natura philosophiæ subalternatur, ac per cōsequens eius documentis ob tēperat, ita vt ab eis haut quaquā deuiare præsumat Aristot. igitur philosophiæ Princeps, cui medicæ artis professores ipso naturali subalternationis iure cogente, ob tēperare debuissēt, li. 5. phi. c. 2. à tex. 18. ex professo ostēdit ad tres cathegorias, idest ad quātitatē, ad qualitatē, & ad vbi, & nō ad alias dari per se motū. 2. nā omnia requisita ad terminandū per se motū cōcurrunt in his tribus prædicamētis: ergo ad illa datur per se motus. Antecedens probatur discurrendo per singula requisita, nā; ad hoc quod aliquid fit per se terminatiuū motus sunt duo, nempè quod subiectū sit ens actu & cōplemētū, & per se moueri valeat, & cōtrarietas inter terminos: quæ nō in quacūque oppositione extremorū sed tantū in positiua cōsistit, quod indicauit planè Philosophus dum dixit motū debere à subiecto in subiectū procedere & inter positiuos terminos versari, defectu cuius generatio & corruptio excludūtur à ratione motus, quia inter esse & nō esse versantur. Ratio autē ob quā cōtrarietas hæc positiua ad motū stricte dictū exigitur est, quia petit motus ex intrinseca sua successione extrema opposita positiue, vt habeant latitudinē paulatim ac successiue percurrendā, deficeret autē successio si terminus esset expers latitudinis & indiuisibile consistens, sed hæc duo requisita cōcurrunt in quātitate, qualitate, & vbi: ergo. Min. probatur, de quātitate quidē quia supponit subiectū in actu, nēpè substantiā cōpletā, & aliàs habet latitudinem maioris, & minoris, secundū quā habet terminos cōtrarios large idest positiue incōpossibiles & repugnātes pro eodē tēpore, repugnat enim maior quantitas cū minori & inter hos terminos est mediū successiue pertransibile. De qualitate vero eadē est ratio: nam sunt qualitates quā plurimæ contrariæ & habentes latitudinē secūdū magis & minus, secū dū quā repugnat simul eādē qualitatē esse, sub maiori & minori gradu, & sic possunt terminare motus intēsionis & remissionis, quorū ille ad maiorē, & iste ad minorē qualitatē terminātur. Similiter habent latitudinē extēsionis, vt in prima sui productione à cōtrario in cōtrariū procedente successiue & per motū adquiratur in subiecto extēso, aut iā producta ad aliās eiusdem subiecti partes extēdatur. De vbi tādem probatur: quia est accidens intrinsice receptū in mobili ex circunscriptione veluti actiua loci proueniens, quæ proinde passiua circunscriptione nūcupatur, cui prędicta cōtrarietas cū latitudine successiue pertrāsibili cōuenit: nā extrema spatij distant penes sursum & deorsum, infimum ac supremum, dexterum & sinistrum, in quibus dum est mobile, diuersum adquiri vbi, sicut à diuerso circunscribitur loco: ergò intentum.

Secunda pars videlicēt ad nulla alia prædicamenta dari per se motum, non admittitur ab omnibus. Aliqui enim fuere Philosophi qui voluerunt ad omnia prædicamenta terminari per se motum. De ho-

rum numero ſunt Simplicius 3. Phiſicorũ & Commentator ibidem, eo quod poſſuit formas ſubſtantiales elementorum intendi ac remiti, idemque de alijs accidentibus. Alij vero poſſuerunt ad relationes quaſdam extrinſecus aduenientes: ac proinde ad ſex vltima prædicamenta in quibus imbibuntur huiuſmodi relationes dari per ſe motũ. De horum numero fuit Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. in 4. diſtinct. 6. quæſt. 10. & in quodlib. 11. art. vltimo. Sed horum opiniones adeò ſunt hiſce temporibus abolitæ vt nequidem inter Philoſophorum ſententias recenſeri mereantur. Vnde probatur ſecunda pars cõcluſionis. Primo: quia nullum ex alijs prædicamentis habet latitudinem & contrarietatem requiſitam ad terminandum motum ſucceſsiuum, de ſe nãque poſſent in inſtanti adquiri: ergo ad nullum eorum datur per ſe motus. Antecedens declaratur: nam licèt aliqua ſint ex ſex vltimis prædicamentis, quæ per motum ac ſucceſsiue adquirantur, hoc non prouenit ex eo quòd ſecũdum ſe & ex propijs meritis ſint adquiſibilia per motum ſucceſsiue, ſed quia cõſequuntur neceſſario ad vnum ex illis tribus, quæ per motum adquiruntur, ſicut ſitus cõſequitur vbi, & habitus conſequitur veſtium localem applicationem, & relatio fundamentum. Hæc enim propterea per motum adquiruntur: quia habent neceſſariam connexionem cũ quãtitate, qualitate, vel vbi, quę habent per ſe terminare motum ſucceſsiuum. Secundo: nã illa prædicamenta habent per ſe motum terminare, quæ ſunt apta nata per ſe primo produci ſucceſsiue, ſed omnia alia exceptis tribus aſsignatis non ſunt apta nata per ſe primo produci ſucceſsiue, ſed ratione aliorum comproducuntur ad aliorũ ſucceſsiuam productionem: ergo. Confirmatur: nam ſubſtantia licèt per ſe primo terminet ſui productionẽ, tamen: quia nec latitudinem nec contrarietatem habet ſolum poteſt eſſe primarius terminus inſtantaneæ mutationis, actio vero & paſsio potius terminantur ad rem productam quam terminent. Reliqua denique prædicamenta, vt habitus, quando, ſitus, & relatio, nedũ ſucceſsiuam, ſed neque inſtantaneam phiſicam mutationem poſſunt terminare per ſe primo. Sunt enim ſuapte natura modi, aut quaſi modi aliorum prædicamentorũ, quibus poſitis in eſſe ſeruatis ſervandis, cõſequuntur neceſſario per quandam veluti naturalem reſultantiam ex vi eiuſdem mutationis, ex vi cuius eorũ fundamenta ponuntur, ſicut poſito vbi ſtatim cõſequitur partiũ locati diſpoſitio, & poſito motu regulariſsimo ponitur tempus, ex quo in rebus temporalibus conſequitur naturaliter duratio ſiue ipſum quãdo, & poſito fundamento cõplete id eſt cum aſsociatione termini ſtatim pullulat relatio realis, v.g. poſita albedine in Petro per nouam coexiſtentiam alterius albi in vniuerſo, pullulat relatio ſimilitudinis in Petro, non quidem per phiſicam mutationem ad ipſum de nouo terminatam cum nullum ad ſit tunc agens, quod talem exerceat mutationem, neque per actionẽ productiuã alterius albi, quod lõge diſtat a Petro, ac proinde nihil poteſt Petrus à tali agente accipere, ſed per antiquam actionem per quam a principio albedo fuit producta in Petro, quæ licèt nunc formaliter non pullulauerit defectu conditionis requiſitæ, ſcilicet, coexiſtẽtiæ termini, tamen nunc fuit producta veluti in virture, vt ex vi illius actionis ſecluſo impedimẽto, & poſita termini coexiſtentia ſtatim naturali reſultãria ad eãde actionẽ cõſequatur, & ex albedine pullulet, quæ tũc etiã incipit cõpleri in ratione fundamenti, eo q̃ fundamentũ ſimilitudinis non eſt ſola albedo, ſed albedo cum vnitate & conuenientia, hæc antẽ petit extrema quæ cõueniãt, & ſint vnũ in albedine, ita ſentiũt D. T. in 3. d. 2. q. 2. ar. 2. ql. 3. & de pot. q. 7. ar. 6. ad 5. Albertus 5. phiſ. tex. 1. c. 5. Capreol. in 2. diſt. 30. q. 1. artic. 1. Soncinas 5. huius q. 25. & alij iuniores quos ommittimus recẽſere. Ex quo etiã colligitur diſtinctionem illam Scoti de relationibus intrinſecus, & extrinſecus aduenientibus fictitiã eſſe, cum nulla ſit relatio prædicamentalis, quę poſito fundamento proximo & termino non reſultet & ponatur ſtatim in eſſe, ſi autem illorum alterum deficiat, nulla relatio eſt quę reſultet aut ponatur in eſſe. Cũ igitur huiuſmodi prædicamenta ſuapte natura ſint aliorũ modi & affectiones, nullatenus per ſe valẽt mutationẽ terminare etiã inſtantaneã, ſed habẽt ad aliorum productionẽ cõproduci, vndè nec motus ſtrictè, nec mutatio phiſica ad illa per ſe primo terminatur.

6 Sed cõtra arguitur 1. Nã Philoſophus hic c. 8. ait tot eſſe ſpecies motus, ac mutationis quot ſunt ſpecies entis. *quare tot motus & mutationis quot entis ſpecies ſunt, &c.* ergo ſentit ad omnia prædicamenta dari per ſe motum aut phiſicam mutationem. Reſpondetur tamen nihil ex hoc teſtimonio conuinci, quia ſi aliquid conuinceretur, non ſolum probaretur tot eſſe ſpecies motus quot ſunt prædicamenta, ſed quot ſunt rerum ſpecies, quod tamen alienum

eſt

eſt à mente & ſententia Philoſophi. Dicendum igitur eſt illum loqui de motu & mutatione non phiſica, quæ eſt via per ſe primo terminata ad aliquam formã acquirendam, ſed de motu ſiue mutatione veluti metaphiſica, prout omnis actio ſiue receptio alicuius nouæ formæ, per quam res aliter ſe habet quã antea, hanc enim etiã nomine mutationis ſolet Philoſophus accipere. Vnde huiuſcemodi mutationis tot ſunt ſpecies, quot ſunt ſpecies formarum de nouo aduenientium ſubiecto. Poteſt etiam dici ſecundo quod ſenſus illius propoſitionis eſt negatiuus, quem admodum ſenſus illius, quam habet lib. 5. huius cap. 1. *tot modis dici cauſas quot principia*, cum tamẽ principij ratio latius pateat, ita tot ſunt ſpecies motus quot ſunt ſpecies rerum, ideſt non plures ſunt ſpecies motus, quam ſint ſpecies rerum, ac ſi diceret nullã inueniri ſpeciem motus, niſi quæ ad aliquam ſpeciem rei prædicamentalis pertineat. Tertio poteſt intelligi dicta propoſitio per accommodam diſtributionem, ita vt ſenſus ſit tot eſſe ſpecies motus, quot ſunt ſpecies rerum ex illis prædicamentis ad quæ datur per ſe motus. Secundo arguitur. Ad ſubſtantiam datur per ſe motus ſtricte dictus: ergo falſo id negamus, antecedens probatur: nam etiam in ſubſtantia eſt latitudo & contrarietas maioris & minoris ſucceſsiue pertrãſibilis, teenim propterea, nutritio & aggeneratio terminantur ad adquiſitionem maioris ſubſtantiæ, & per illas adquiritur per ſe primo noua pars ſubſtantialis in viuentibus: ergo nihil illis deeſt quominus ſint motus. Quod ſi dicas nouas partes ſubſtantiæ adquiri per accidens ad adquiſitionem nouarum partium quantitatis. Contra hoc arguitur tertio: nam ad quantitatem non datur per ſe motus, ſed potius ipſa conſequitur ad mutationes circa ſubſtantiam, & ad alterationes circa ſubſtantiæ qualitates factas: ergo non eſt dicendum ſubſtantiæ partem adquiri per accidens ad partis quantitatis adquiſitionem. Antecedens probatur dupliciter, primo, quia poſita carnis dilatatione, alimẽti diſtributione & commutatione, neceſſario viuens euadet maius ſine alia mutatione: ac proinde neceſſario naturali veluti reſultantia conſequitur in illo noua pars quantitatis: ergo. Secundo quia quando per huiuſmodi carnis dilatationem, ſiue aggenerationem adquiritur noua pars ſubſtantiæ cum noua parte quantitatis, pars noua ſubſtantiæ eſt ſubiectum nouæ partis quantitatis, & vt illius connaturale ſubiectum adquiritur, & ſic ſe habet ad illam ſicut in prima productione ſe habuit ſuppoſitum ad ſuã quantitatem, ſed accidens connaturale non habet per ſe primo produci, ſed comproducitur ad productionem ſui ſubiecti, & propterea in prima productione ſuppoſiti nulla mutatio per ſe terminatur ad quãtitatem, ſed eadem ſubſtantiali mutatione comproducitur, qua totum ipſum per ſe primo generatur: ergo. Reſpondetur ad hoc argumentum prænotando duo, alterum eſt aliam eſſe mutationem aggenerationis ſiue nutritionis ab augmentatione, eo quod earum termini diſtinguntur, illius enim terminus primarius eſt noua pars ſubſtantiæ conuerſa ex alimento in ſubſtantiam aliti, huius vero terminus eſt noua quantitas, quæ licèt in prima productione nequeat per ſe primo terminare propriam mutationem à mutatione ſubſtantiali diſtinctam, benè tamẽ in aggeneratione, eo quòd prima productio ex agentis naturalis inclinatione ad cõſtituẽdum nouum ſuppoſitũ terminatur, ad cuius generationem ſufficienter ſine alia actione quantitas & alia connaturalia accidentia conſequuntur: at maior quantitas ſuppoſiti præexiſtentis eſt per ſe primo à natura intẽta & propterea datur viuentibus à natura potentia quædam augmentatiua per ſe primo ad preducendũ viuens in maiorẽ quantitatẽ ordinata: ac proinde poteſt ac debet maiorẽ quantitas propriã & ſpecialem mutationẽ per ſe primo terminare & per illã adquiri, & hæc dicitur augmentatio. Nec minus ſola pars ſubſtantię aduenies de nouo terminaret aggenerationem ſi abſque quãtitate aduenirẽt, quã aduenies cum illa, & è contra noua quantitas ex vi augmentationis, ita aduenireẽt abſque productione nouæ partis ſubſtantiæ, ſicut quando illi aſociatur, nõ enim huiuſmodi aſociatio, & cõcomitantia tollit diſtinctionem inter vtrãque mutationem aut propria vtriuſque merita: ex propriis autem meritis aggeneratio eſt nouæ partis ſubſtantiæ & augmentatio eſt nouę partis quantitatis productio, & adquiſitio. Alterum eſt aggenerationem eſſe ſucceſsiuam mutationem de facto: eo quod per accidens illius termino adiungitur quantitas quæ eſt terminus augmentationis, ſecundum latitudinem maioris & minoris: & quia hæc latitudo quantitatis tranſitur ſucceſsiue per augmentationem, ita ſubſtantiæ noua pars, ſecundum quod ſubeſt terminis minoris & maioris quantitatis, ac eius latitudini per aggenerationem adquiritur ſucceſsiue. Sed

quoniam hæc ſucceſsio non conuenit illi ex proprijs meritis ſui termini primarij, ſed ex aſociatione quantitatis, propterea non eſt motus ſtrictè dictus, quia hic petit ſucceſsionem ex proprijs ſui termini prouenientem, quod autem huiuſmodi ſucceſsio agenerationis non proueniat ex proprijs ſui termini primarij patet, quia ſubſtantia ex ſuis meritis non habet contrariũ poſitiue oppoſitum, ſcilicèt non eſſe, vnde immediate productio ſubſtantiæ fit de non eſſe ad eſſe, & propterea prima productio per quam adquiritur ſubſtantia, ſecundum propriam naturam & merita eſt inſtãtanea mutatio de nõ eſſe ad eſſe procedẽs, quo pacto ſucceſsiua extenſio luminis in medio per quam Sol, v.g. lumen ſuum extendit per medium, illud in diuerſis partibus medij ſucceſsiue producendo, non eſt alterationis motus ſtrictè dictus, licèt alterationis quædam mutatio ſucceſsiua ſit, eo quod ſucceſsio non conuenit illi ex proprijs luminis producti, cum hoc ſuapte natura non habeat contrarium ſed tãtum priuatiue oppoſitum: & propterea in prima ſui productione in inſtanti producatur, & ſi luminoſum per primum ſui eſſe inciperet eſſe in parte media æmiſpherij in inſtãti lumen intenſum & extenſum produceret: quia tamen de facto Sol ſucceſsiue applicatur partibus æmiſpherij & ſucceſsiua locali applicatione adiuncta habet productio luminis per accidens ſucceſsionem. His ſuppoſitis ad formam ſecundi argumẽti reſpondetur negando antecedens: ad cuius probationem patet ex dictis ſubſtantiã ex proprijs meritis tranſire immediate, de non eſſe ad eſſe: ac proinde non habere latitudinem per tranſibilem ſucceſsiue per ſe ſed per aliud, nempè ex eo quod ſubeſt latitudini maioris & minoris quantitatis, quæ tranſitur ſucceſsiue per argumẽtationem. Ad tertium negatur antecedens, ad cuius primam probationem reſpondetur, quod poſita à generatione ſiue carnis dilatatione conſequitur noua quantitas, non ex vi ſolius aggenerationis, ſed ex vi augmentationis illi aſociatæ, quia adquiritur noua quantitas, tunc vt per ſe primo intenta: ac perconſequens per mutationem ſpecialem. Ad ſecundam admiſſa parte antecedentis negatur conſequentia, quia quod noua pars ſubſtantiæ ſit ſubiecta nouæ parti quantitatis non tollit quim ipſa noua quantitas, ſecundum propriam latitudinẽ proprium motum terminet, maximè cum ſit per ſe primo intenta à viuente per virtutem augmentatiuam, quæ ad eius debitam quantitatem ſuapte natura ordinatur. Ad ſecundam vero probationem dicendum eſt, quod licèt eodem modo in ratione ſuſtentandi ſe habeat tota ſubſtantia in prima productione ad ſuam quantitatem, atque noua pars ſubſtantiæ ad nouam partẽ quantitis, tamen in ratione termini producibilis diuerſimode comparantur: nam ibi prima quãtitas habet rationem termini ſecundarij: ac proinde ex vi generationis cõſequti, hic vero noua quantitas habet rationem termini per ſe primo intẽti: ac proinde per propriam mutationem producti.

ARTICVLVS. IIII.

An actio tranſiens, ſeu prædicamentalis ſit in agente ſubiectiue?

7 IN hoc articulo quatuor verſantur ſententiæ: quarum prima aſſerit omnem actionem etiam tranſeuntem eſſe in agente ſubiectiue: huius ſententiæ princeps fuit Caietanus 1.p.q.25.art.1. & q.41.art.1. quam ſequitur Flandrenſis 5. huius q.22.art.2. & lib. 9.q.9.ar.2. & in eãdem inclinat Bañeſius lib. 1. de gener c.3. dub. 2.2. fuitque Magiſtricano relati à Bañeſio 1.p.q.27.art.1. aſſerentis omnem actionem etiam tranſeuntem eſſe in agẽte, quia identificatur cum illius actiua potentia, ſicut paſsio identificatur cum motu ſuſcepto in paſſo, & propterea ſuſcipitur in illo. Tertia aſſerit omnem actionem tranſeuntem eſſe in paſſo, relinquere tamen modũ intrinſecum in agente: ita ſentiunt quidam iuniores metaphiſici ac Theologi, quibus fauent Durãdus in 1.d. 2.q.4. & in 2. diſtinctione 1.q.4. ad 5. & Soto lib. 3. phiſicorum q.1. Quarta & communiter recepta ait omnem actionem trãſeuntem adæquate & ſecundum omnem rationem recipi in paſſo relicta dumtaxat in agente prædicamentali relatione: ita Capreolus in 2.d.1.q.1.ar. 3. Soncinas lib. 5. huius q. 37. Suarius to. 1. diſp. 22. ſect. 2. & 3. & to. 2. diſp. 48. ſect. 4. & Conimbricenſes 3. phiſicorum c. 3. q. 1. art. 2. atque eiuſdem ſententiæ re vera eſt Soto vbi ſupra.

Actionẽ trãſeuntẽ non eſſe in agenti.

Reſpondeo dicendum primo, actionem tranſeuntem, ac prædicamentalem non eſſe quo ad ſuam formalem rationem in agẽte ſubiectiue: Hęc aſſertio ſtatuitur aduerſus authores primæ & ſecundæ ſententiæ: & probatur primo ex teſtimonijs philoſophi, ac D. Thom. Philoſophus enim 3. phiſicorum textu 8. & in hoc 11. c. 9. aſſerit actionem tranſeuntem identificari cum motu

tu: id ipsum atestatur D. Thom. in eisdem locis lect. 4. & 9. atque in 1. d. 8. q. 4. art. 3. ad 1. & q. 41. art. 1. ad secundum & lib. 2. contra gētes c. 1. ex quibus testimonijs tale deducitur argumentū: omnis motus siue mutatio est subiectiue in passo, id est in mobili, sed omnis actio transiens identificatur cum motu, est enim motus, siue mutatio, vt ab alio: ergo. Secūdo: nā secluso motu remanet sola relatio & nihil relinquitur absolutum in actione: qua ratione probat D. Th. q. 41. art. 1. proxime citata diuinas origines esse relationes: quia remoto à diuinis originibus motu remouetur pariter ab illis omne absolutum: cum igitur in actione transeunte non saluetur sola relatio debet saltari motus aut mutatio ad aliud terminata: ac proinde est subiectiue in subiecto motus, siue mutationis. Tertio: actio calefactionis nequit subiectari in potentia aqua dimanat: ergo est in passo: antecedēter probatur: quia aliàs idem secundum eandē partem, videlicēt ignis, secundum eandem potentiam calefactiuam esset mouens & motum: quod tamen est falsum, quia inter mouens & motum requiritur distinctio realis partis per se mouentis, & partis per se motæ, vt patet in viuentibus: ergo nequit in eadem potentia distingui ratio mouētis, & moti, absque reali partium distinctione, vt alibi ostēdimus aduersus Scotum & sequaces. Quarto ab inconuenienti probatur: nā sequitur quamlibet actionem transeuntem esse vitalem, quia recipitur in eadem potētia aqua elicitur: ac proinde agens per illā mouet se quod est vitaliter operari: consequens autem est absurdum: ergo. Neque valet dicere, quod illa actio est vitalis, quæ recipitur in eadem potentia, aqua dimanat, per modum formæ, & per modum finis: calefactio vero, v. g. non recipitur per modū finis in calefactiua potentia, quia non est finis illius, sed tantum per modum formæ, & ideo non est vitalis: nam generatio viuētis est vitalis operatio, & tamen non recipitur vt finis in generā te, sed vt forma ad geniti perfectionem tanquam ad finem ordinata: sicut quælibet alia transiens operatio: ergo prædicta euasio nihil obest vitalitati operationis trāseuntis. Quinto: nam sequitur actionem transeuntem ab inmanenti nullatenus discriminari. Consequens est falsum: ergo & antecedens: sequela: nā vel discriminarentur q trāiens semper est productio alicuius effectus ad extra: secus autem immanens: sic enim Philosophus illas distinguit 9. huius, & 1. ethicorum teste Caietano 1. p. q. 27. art. 1. vel discriminarētur in hoc, quod immanens est finis & complementum potentiæ actiuæ, vt pote ad operatum exterius non ordinata, secus autē transiens: vel in hoc, quod transiens constituit vere agens, quia est vera actio: immanens autem cum sit qualitas cōstituit quale. Sed admisso actionem transeuntem recipi in agente, nullum ex his est exactum discrimē non primum: quia etiam actio in manens est aliquando productiua termini vt dictio in intellectu, vt volitio in volūtate: neque omnis actio transiens est productiua alicuius termini: corruptio enim vt est motatio de esse ad non esse ab alio procedens, est vera actio transiens, & tamen nihil producit: neque secundum: nam si actio transiens est in agente subiectiue, cōsequenter est illius finis, perfectio, atque complementum: eo vel maxime, quod omne agens est propter suam operationem, & sicut actio transiens ordinatur ad operatum exterius vt ad finē: ita actio immanens ad productum interius vel ad obiectum exterius: tanquam ad finē ordinatur: neque tandem tertium, quia vt dictum est actio immanens, vera actio est licēt non vniuoce rationem actionis participet, & ideo verum agens constituit, licēt de prædicamento qualitatis: similiter actio transiens si manet in agente non est identificata cum motu, ac perconsequens nulla ratione potest à genere qualitatis excludi magis quam immanens, cum tota ratio illā excludendi sit identificatio cum motu. Vltimo arguitur: nam actio transiens constituenda est formaliter in eo quod cōstituit, ac denominat agens: sed forma constituens & denominans agens circa externam materiam est subiectiue in passo: ergo. Minor probatur dupliciter 1. quoniam huiusmodi agens denominatur ab actione transeunte vt à forma extrinseca: vnde D. Tho. 1. p. q. 37. art. 2. asserit agens denominari tale ab actione transeunte non vt à forma, sed vt ab affectu producēte ab ipso: denotans actionem transeuntem non vt formā intrinsecam, sed vt extrinsecam denominare. Secundo, quia calor ipse fluens ab igne, v. g. est in passo, & simul est actio: nam secluso omni alia formalitate à solo calore fluente vt sic diceretur ignis agere & calefacere: ergo. Confirmatur & specialiter impugnatur secunda sententia: nam fluxus caloris, v. g. qui est actio transiens mediat realiter inter potentiam calefactiuam & ipsum calefactibile, vt pote ab vtroque extremo distincta realiter, & secundum rem ellicita à potentia calefactiua sed realis mediatio, distinctio, aut ellicientia nequit saluari posi-

ta identitate calefactionis cum potentia calefactiua: igitur nullatenus cum illa identificatur: ac proinde ruit fundamentum dictæ ſententiæ. Maior patet: tũ quia D. Tho. 1. p. q. 54. art. 1. ad 3. docet actionem tranſeuntem verè, ac realiter mediare inter agens, & paſſum, vbi nomine agentis non ſolum ſubſtractum potentiæ actiuæ, ſed ipſum formaliter per illam in actu primo cõſtitutum, intelligit. Tum etiam, quia actio tranſiens eſt actus ſecundus, & de prædicamento actionis: potentia verò actiua eſt actus primus, & de prædicamento qualitatis: ſed inter actũ primum qui eſt qualitas, & actum ſecundum, qui eſt actio prædicamentalis, vera, & realis debet diſtinctio interuenire: ergo.

8 Dico ſecundo actio tranſiens nullũ modum abſolutum, ſed ſolam relinquit in agente relationem prædicamentalem. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores tertiæ ſententiæ, & probatur primo: nam vel modus ille abſolutus conſtituit agens, vt forma, ſeu ratio agendi, vel reſultat ex formali ratione agendi, ſi primũ, eſt ipſa actio: ſi ſecundum, eſt omnino ſuperfluus, ſiquidem antecedenter ad illum ſaluatur actio, ſeu ratio actualis agendi, & cõcretum, per illam conſtitutum. Rurſus, nam modus ille nullum effectum formalem tribuit agenti, ſiquidem, neque tribuit illi eſſe agens: hic enim eſt effectus formalis actionis: neque tribuit eſſe relatũ ad paſſum: hic enim effectus prouenit à relatione, ipſaque cõſequitur ad actionem: ergo cum nõ ſit alius effectus aſsignabilis, talis modus erit impoſsibilis. Tertio probatur, quod actio tranſiẽs ſolam relationem prædicamentalem relinquat in agente: nam agens denominatur relatum ad paſſum, v. g. pater ad filium, conburens ad combuſtum, relatione ſecundi ordinis, quæ fundatur, vel in potentia, vt ſubeſt actioni, vel in potentia media actione cõcurrente, vt cõditione, aut in relatione proxima fundandi, vt ſupra docuimus, ſed relatio, nequit denominare formaliter niſi ſubiectum ſuæ inhæſionis: ergo huiuſmodi relatio ſubiectiuè eſt in agente: & cũ alias, neque actio, neque modus aliquis abſolutus ſit in agente, ſola relatio prædicamentalis erit in illo ſubiectiuè.

Sed contra arguitur primo, nam hoc concretum agens, quod eſt de prædicamẽto actionis cõſtituitur in tali prædicamento ratione alicuius formæ intrinſecæ, ſed hæc eſt actio: ergo. Maior patet: quia forma prædicamenti conſtitutiua eſt intrinſeca ipſi ſubſtracto, quod ratione illius ponitur in prædicamẽto, quod patet, tum inductione facta in omnibus alijs concretis, ſcilicet, quanto, quali, paſſo, relato, &c. Tum etiam, quia concretum denominatũ à forma extrinſeca non ponitur in prædicamento talis formæ ac proinde, neque ponitur ratione illius, vndè locatum, & veſtitũ, prout ab extrinſeca ſuperficie loci, aut à veſte dicuntur, ſunt concreta a formis extrinſecis, & in illarum prædicamentis non reponuntur, locatum enim non ponitur in prędicamento quantitatis neque veſtitum in prædicamento ſubſtãtiæ, in quo eſt veſtis, ſed illud ad vbi, & hoc ad habere pertinẽt: ergo. Confirmatur dupliciter primo: nam idem eſt ſubiectum fundamenti, ſiue ratio fundandi, atque relationis fundatæ: ſed relatio agentis, cuius fundamentum ſiue ratio fundandi eſt actio, eſt ſubiectiuè in agente: ergo ipſa quoque actio in agente debet eſſe, minor quo ad primam partẽ patet, quia fundamentum relationum ſecundi ordinis conſtituitur â Philoſopho, lib. 5. cap. 15. in actione, atque paſsione. Confirmatur ſecundo: nam actio tranſiens prẽter motum, & relationem ponit aliquid intrinſecum in agente; quod ſit nobilius eius potẽtia actiua: ergo illud quod ponit eſt actio: antecedens pro prima parte patet, quia neque motus propter eius potentialitatem, neque relatio propter eius entitatẽ eſt nobilior potẽtia actiua: pro ſecunda vero parte probatur: tum quia teſte D. Thom. 1. p. q. 25. art. 1. ad 2. omnis actio eſt nobilior potentia, à qua elicitur, tum etiam quoniam omnis actio eſt finis agentis propter quem: ac per conſequens nobilior ipſo agente, vt eſt per potentiam conſtitutum in actu primo, vndè ſecundo de cœlo, cap. 30. text. 17 dicit Philoſophus vnum quodque eſſe propter ſuam operationem, & res dicũtur creatæ Geneſeos 1. ad operandum, *germinet terra herbam virentem*, & rurſus, *creſcite, & multiplicamini*, & D. Thom. 1. p. queſtione 44. art. 4. & queſtione 105. art. 5. finem omnium cauſarum ſecundarum eſſe aſsimilari Deo in actualiter operando teſtatur, idque ipſum tenetur Auerrois, lib. 12. metaphor. comment. 36. & Dionyſius c. 7. de diuinis nominibus afferens diuinisſimum eſſe Dei cooperatores fieri. Ad hoc argumẽtum reſpondetur negando maiorem, quia nimirum eſt hæc peculiaris conditio concreti huius prædicamenti, ſcilicet, actionis vt a forma extrinſeca dicatur tale, & ratione illius ad prædicamentum actionis reducatur: quia ſola actio habet in ſuo conceptu, quod ſit ab alio: & ideò ſola illa eſt apta de nomi-

nominare illud non in quo eſt, ſed à quo egreditur: concreta autem locati, veſtiti, & ſimilia præter formas extrinſecus adiacentes, habent alias intrinſecas a quibus proxime & formaliter denominantur, & conſtituuntur quæ conſtituunt ſpecialia prædicamenta vt ſupradictum eſt. Ad primam cõfirmationẽ, nego maiorẽ, preſertim ſi ratio fundandi tantũ ſit conditio, & complemẽtũ fundamẽti, ſicut actio ſe habet ad fundamentũ relationis, quod eſt potentia actiua vt ſubeſt actioni ab ipſa egredienti: tũc enim aliud eſt ſubiectũ actionis, & aliud relationis. Ad 2. negatur antecedens: neque actio tranſiens eſt finis agentis ſicut inmanens: quia non eſt perfectio illius ſed tãtũ eſt ad perfectionem paſsi ordinata, vel ſaltem ad illius immutationem, quando autẽ dicitur apud Philoſophũ, vnũ quodq; agẽs eſſe propter ſuã operationẽ, ſenſus eſt, ipſum eſſe propter ſe ipſum coniunctũ cum operatione: perfectius autẽ eſt principium operatiuum cum operatione quã ſolũ principium operatiuum: de quo, & in eodem ſenſu accipiendũ eſt dictũ illud Dioniſij, quatenus expoſitione principij operatiui, & actualis operationis, ſeu huius coniuncti: principij, ſcilicet, cum ſua operatione, plus ponitur perfectionis, & aſſimilationis ad Deum quam per poſitionem ſolius principij, vndè non ſequitur ipſum principiũ perfici in ſe ipſo ex vi operationis, quia nõ eſt coniunctũ cum illa coniunctione inhæſionis, ſed coniunctione dimanationis: poteſt etiam aliter explicari: quod cum cauſa ſecũda ſit cooperatrix Dei per concurſum Dei, qui ſicut illam efficaciter præmouet, & Deo facit cooperari, illam indignitate Dei cooperatricis conſtituit, ideo diuiniſsimum ſit Dei eſſe cooperatorem, quia maxima perfectio extrinſeci agẽtis eſt Deo per huiuſmodi concurſum præuium cooperari, ex quo ſequitur minus benè Conimbricenſes, hoc teſtimonio Dionyſij conuictos dixiſſe operationem tranſeuntem, quã in paſſo receptam nobis cum fatentur, nihilominus realiter perficere ipſum agens. Hęc enim realis perfectio abſque intrinſeca cõiunctione, ſiue per informationẽ, ſiue per intrinſecam terminationem vt humanitati aſſumptæ contigit miraculoſe, agenti tributa, fictitia, & impoſsibilis eſt. Secũdo arguitur principaliter: nã forma realiter inmutans, & perficiens ſubiectũ non poteſt non recipi in illo (ſi tamen hæc inmutatio, aut perfectio non proueniat ex vnione alicuius per modũ termini vt ſoli Chriſti humanitati contigiſſe fatetur ſchola Theologorum) ſed actio tranſiẽs realiter inmutat, ac perficit agens: ergo. Min. patet quoad primã partem: quoniã tranſitus de vno extremo reali in alterum contradictoriũ nequit fieri abſque reali mutatione ſubiecti, quod tranſit: igitur cum cauſa ſecunda ex vi actualis operationis tranſeat de non operante inſtatum operantis: & alias iſte tranſitus ſit realis: non poterit fieri, abſque cauſæ ſecundæ reali mutatione: & quo ad ſecũdam partem patet, quia cũ hæc intrinſeca inmutatio fiat per aduentum actus ſecundi, qui eſt perfectio neceſſario debet ipſum agens inmutatum perficere. Cõfirmatur: nã omnis tranſitus realis eſt motus, ſeu mutatio illius quod tranſit, vt experientia in omnibus motibus oſtendit, ſed fieri de non operante operans, eſt realis tranſitus ipſius agentis: de illo enim eſt verũ dicere quod tranſit de non operante in operãs, ergo realiter mutari debet ex vi operationis per huiuſmodi tranſitum adquiſitæ: Reſpondetur ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem, dico huiuſmodi tranſitũ ſufficiẽter fieri per realẽ mutationẽ alterius tercij, quo pacto Deus tranſit de inimico pecatoris in amicũ, permutationẽ, id eſt contritione exiſtentem in peccatore, & quando creauit mundũ de nõ creãte increãte actu, trãſiuit: ſimiliter materia prima per diſpoſitiones receptas in toto cõpoſito trãſit de non diſpoſita in materiã diſpoſitã ad formæ ſubſtantialis receptionẽ: haud diſſimiliter principiũ operatiuũ de nõ operãte inoperans, poteſt trãſire per ſolã paſſi mutationẽ recipientis actionẽ. Ad confirmationẽ negãda eſt maior, ſed ſatis eſt ad huiuſmodi tranſitũ ſaluãdũ, quod vel in eo quod tranſit, vel in alio extremo fiat intrinſeca, & realis mutatio, & ſic contingit in noſtro caſu, dicitur nãque agens tranſire ad ſtatũ agentis de non agente permutationẽ paſſi. 3. Arguitur: actus qui adimit à ſubiecto eius intrinſecam potentialitatẽ, debet intrinſicè recipi in illo: ſed actio tranſiens adimit ab agente intrinſecã potẽtialitatẽ, & in perfectionẽ, ſecundũ quã antequã actu operaretur erat in actu primo, & in potentia ad actualẽ operationẽ: ergo debet in ipſo agẽte intrinſicè recipi. Minor conſtat: quia illa potentialitas verè tollitur per aduentũ ſolius actionis: & probatur maior: nã carentia intrinſeca alicuius formæ nequit tolli niſi per poſitionẽ illius formæ in eodẽ ſubiecto, quod antea carentiæ ſubiacebat, vt inductione probari poteſt, neque enim carentia gratiæ quã anima per maculam contrahit tollitur niſi per hoc quod gratia ipſa in ani-

anim: ſuſcipiatur: nec tollitur cęcitas, quę eſt carentia viſus ab organo læſo, aptoque viſiuæ potentiæ receptaculo, niſi per aduẽtũ eiuſdem potẽtiæ viſiuæ, & ratio eſt: quoniam vnum quodque contrarium ſuapte natura debet expelli per ſibi proporcionatum contrarium: ac proinde intrinſeca priuatio, & potentialitas per intrinſecam formam, ſiue actum debet expelli: cum igitur ante actionem ſit in ſecunda cauſa, quædã intrinſeca potentialitas, quæ etiam carentiæ cuidam ſubeſt ipſius operationis, non poteſt aut debet tolli niſi per aduentum operationis intrinſecæ, idẽ ſubiectũ afficientis, quod antea prædictæ potentialitati, & carentiæ ſubiacebat. Reſpõdetur prenotãdo potentialitatẽ intrinſecã alicuius ſubiecti eſſe in duplici diferencia: alteram ſubiecti receptiui ad formam recipiendã in ſe, & huius generis eſt potentialitas cæci ad viſum, & hominis peccatoris ad gratiã: alteram autem eſſe principij vt communicati ad formam alteri communicandam: & huius generis eſt potentialitas agentis ad actionem trãſeuntem: & ad hoc genus poteſt reduci potentialitas materiæ primæ in diſpoſitæ ad eſſe diſpoſitam, quæ non eſt ad recipiendum in ſe diſpoſitiones, ſed ad recipiendum illas in compoſito prębendo ei ſufficientẽ potentialitatem & ſubiecti receptiui rationẽ adiuuãdo, vt illas recipiat, quando igitur potentialitas eſt primi generis, vera eſt maior argumenti, ſecus autem quando eſt potentialitas ſecundi generis, vndè iuxta hanc diſtinctionem, & maior eſt diſtinguenda: ad cuius prabationem neganda eſt conſequentia, quia ex ſingularibus potentialitatis primi generis ad ſingulare potẽtialitatis ſecũdi generis diuertit.

Quarto arguitur: actio tranſiens, & paſſio ſunt duo accidentia primo diuerſa ac proinde duabus inhærentijs debent gaudere, ſed in paſſo nequeũt duas habere inhęrẽtias: ergo nõ vtraque in paſſo recipitur, ſed altera in agente, & altera in paſſo eſſe debet. Min. probatur: tum, quia idem ſubiectum formaliter nequit duplicem eiuſdem entitatis terminare inhærentiam: tũ etiam, quia paſſum vt paſſum nequit recipere inhærentiam actionis, & tamẽ ſolum ſub hac ratione eſt ſubiectũ motus & mutationis in paſſo receptitergo. Confirmatur, nã actio nequit denominare intrinſice paſſum: ergo non eſt in illo recepta, antecedẽs probatur, quia adæquata denominatio actionis eſt agẽtis vt ſic: & iſte eſt eius formalis effectus adæquatus, ſed hãc nõ tribuit paſſo: ergo. Cõſequẽtia vero patet, quoniã omnis forma denominat intrinſicè ſubiectũ cuius eſt forma, cũ denominatio ex effectu formali oriatur: hic autẽ in ipſius formæ communicatione conſiſtit, vndè ſicut implicat formã eſſe in aliquo ſubiecto & nõ eſſe illi cõmunicatã: ita repugnat eſſe in tali ſubiecto, & nõ tribuere ei aliquã denominationẽ intrinſecã, & effectũ formalem: ſi igitur actio nullã tribuit paſſo denominationem intrinſecã, rectè ſequitur, neque eſſe illius formã, neque in illo ſuã inhærẽtiã habere. Ad hoc argumentũ cõceſſa maiori neganda eſt minor: ad cuius vtranque probationẽ: quod ſicut actio & paſsio differunt ſuis rationibus formalibus: ita gaudent duabus inhærẽtijs formaliter diuerſis: illaſque habent in paſſo ſub diuerſis rationibus: nã paſſum vt paſſum terminat inhærentiã paſsionis, vt vero ſubiectũ ſuſtentatiuũ, terminat inhærentiã actionis cũ ordine, & habitudine adagens. Ad cõfirmationẽ duplex eſt ſolutio, prima eſt quorundã neotericorũ aſſerentiũ aliquas eſſe formas quæ vel ex cõditione debitæ entitatis vel ex defectu capacitatis in ſubiecto ad ſuſcipiendã denominationẽ, nullã denominationẽ tribuunt ſubiectis in quibus recipiuntur: apponũt exẽpla in ſpeciebus intentionalibus quæ aeri cui inſunt per modũ tranſeuntis nullã dãt denominationem, & in albedine quæ ſi aſſumeretur immediatè à Verbo diuino non denominaret illud albũ deffectu extenſionis à qua hic effectus albediniseſſentialiter dependet: & huius generis dicũt eſſe actionem trãſeũtem, quæ tantũ denominat extrinſicè agens, ſicut locus locatum, & veſtis veſtitum extrinſecis denominationibus habent denominare, & nullam intrinſecã tribuũt ſuis ſubiectis. Sed hęc ſolutio prorſus eſt falſa, & falſitatis conuincitur ratione facta, quod intrinſeca denominatio, & effectus formalis formæ in eius intrinſeca cõmunicatione cõſiſtit, vndè nulla eſt forma quæ ſubiecto cui intrinſicè ineſt, nullã tribuat intrinſecã denominationem: aer enim ſuſtentans ſpecies intentionales ab illis denominatur, quam denominationem de nouo accipit quando illas recipit, & defectu nominis in complexi, hanc denominationem cõplexe ſignificamus: albedo vero nequit aſſumi a verbo niſi media quantitate, & tunc ſicut quantũ, ita & album denominaretur: veſtis formaliter ſumpta eſt figura, & ſic ſuum ſubſtractum veſtem ſiue indumentum, ſiue taliter figuratum denominat, & ſimiliter locus tribuit ſuperficiei denominationem locantis, & continẽtis: nec non actio tranſiens dat paſſo denomina-

minationem sustentatis actionem: quæ denominatio specialis est, & de nobo illi aduenies cum actione, penuria nominum complexe significata.

9. Quinto arguitur: nam vnitas numeralis actionis transeuntis desumitur ex vnitate agentis: ergo eius subiectum inhæsionis est agens, consequentia patet, quia accidentium numeralis vnitas ex subiecto inhæsionis desumitur: antecedens vero probatur primo: nã hac ratione probat D. Th. q. vnica de vnione verbi incarnati, art. 5. & 3. p. q. 19. art. 1. ad 3. in Christo esse duntaxat diuinitatis, & humanitatis operationẽ, quia suppositum agens est vnum numero ex cuius vnitate, numerica actionis vnitas accipitur, & ne dicat aliquis loqui Angelicum Doctorem de actione Christi inmanente, in ipso vtriusque loci contextu apponuntur exempla de operatione transeunte: ait enim sanctus Doctor ambulationem Christi fuisse vnicam, & vnam leprosi curationem, vnamque Lazari resurrectionis actionem, propter suppositi ambulantis, sanantis, atque mortuum Lazarum reuocantis ad vitam, numericã munitatem, 2. probatur, nam hac ratione ibidem, docet D. Th. ignis illuminationem, & calefactionem, & si formaliter sint duę propter formalium terminorum diuersitatem: numericè vero esse vnicam duntaxat operationẽ propter ignis illuminantis, & calefacientis numericã vnitatem: igitur sentit D. Th. illam in igne recipi, a quo elicitur: alioquim ab illo vnitatem entitatiuam, & numericam non acciperet. 3. Nam quando duo ignes calefaciunt idem lignum non obstãte ligni identitate, ibi interueniunt duæ causalitates, siue productiones caloris, ac proinde duæ calefactiones, propter numericam agentium pluralitatem: quod patet: quia vterque ignis in casu posito calefacit, producit calorem, & operatur, sed vnus non operatur & causat per operationem aut causalitatem alterius: ergo propriam exercet causalitatem, & operationem: ac multiplicãtur operationes calefactiuę iuxta agentium calefactiuorum multiplicitatẽ: quod non esset nisi agentia simul, & subiecta receptiua suarum operationũ essent. Confirmatur: nam causalitas agentis est in ipso agente intrinsicè, & subiectiuè: sed operatio trãsiens, cuiusmodi est calefactio est causalitas media qua agẽs suũ effectum ad extra operatur: ergo. Min. supponitur ex iam dictis in tractatu de causis, & maior probatur: nam omne agens habet intimam coniunctionem cum sua causalitate: eo ꝙ causalitas est id quo attingit effectum, & est formalis communicatio suæ similitudinis media qua ipsum suam effectui similitudinis communicat, atque bonitatem, & per quam perficitur agens creatum, & trã sit de potẽtia ad actum communicationis, & quoniam causalitates aliarum causarum v. g. materiæ, & formæ, sunt modi in ipsis recepti: ergo cum hæc intima coniunctio causalitatis cum agente tot modis comprobata nequeat absque vnione per inhæsionem saluari, fatendum est ita saluari. Respondetur negando antecedẽs: ad primam probationem dicendũ, quod quoties Christus circa eandem materiam semel operabatur pro singulis vicibus vnam operationem exercebat, vt vnã leprosi sanationem & vnam Lazari resurrectionem: eo quod suppositi passi vnitate, suppositum agens erat idem, licet in naturis duabus subsisteret, & hoc solum vult D. Th. à pluralitate naturarum manente suppositi, & effectus vnitate operationes Christi non distingui, aut multiplicari: sed resurrectionem Lazari, esse distinctam ab operatione resuscitandi filium viduæ iuxta portam ciuitatis Naim, & sanationem leprosi esse distinctam numero actionẽ manente vnitate suppositi Christi domini propter effectuum aut subiectorum recipientium diuersitatem, nõ negat, D. Tho. imò hoc ipsum affirmaret, si eius proposito in locis illis deseruiret: virtualiter autem, & implicite hoc affirmasse ex his quæ in alijs docuit testimonijs de operatione transeunte & motu, existimãdum est. Ad 2. ꝙ illuminatio, & calefactio specie formali distinguntur ex diuersitate formalium terminorum, scilicet lucis, & caloris, à quibus specificantur: sed quia tã lux, quã calor productus in eodem subiecto recipitur: idem enim est aer qui calefit, & illuminatur, ideò actio materialiter, & entitatiue est eadem non solum propter agentis sed potius propter subiecti recipientis vnitatem: & hoc intendit D. Th. quod sicut lux, & calor eiusdem ignis manente vnitate passi, & suppositi agentis non multiplicat entitates actionum ignis, ita duplex natura diuina, scilicet, & humana manẽte vnitate suppositi Christi & alias vnitate temporis, & passi, atque aliarum circunstantiarum, a quibus accidentia solent indiuiduari (hanc enim vnitas supponitur à Doctore sancto) nõ est suficiens entitates operationũ multiplicare intra eandem speciem operationis & sicut ex diuersis terminis, ac principijs formalibus illuminatio, & calefactio sunt diuersę specie formali, licet eiusdem ignis,

ita

ita ex diuersitate naturarum in Christo diuinæ, scilicet: & humanæ, quæ sunt principia formalia agendi diuersa: etiam operationes sunt diuersæ formaliter, & secundũ speciem, licet ab eodem supposito efficiantur. Alia enim est operatio humanitatis, & alia diuinitatis, sicut alia, & alia est virtus, naturæ voluntas. Hoc namque erat Doctorum sanctorum contra Apolinarium, & sutique tem (qui sicut vnam virtutisque naturę volũtatem, ita & virtutisque naturæ eandem specificam actionem creatã, & increatã asserebant) intentum ex distinctis voluntatibus, atque naturis Christi distinctas operationes, creatam, scilicet, & increatam cõprobare, veruntamen operationem creatã intra eãdem speciẽ ex vnitate suppositi operantis, non sola, sed subintellectã vnitate passi & effectus, ac temporis collegit, quod verba ipsa quibus vsus est in dicta solutione ad 3. ad eo declarant, vt nullum dubitãdi locum relinquãt, hanc esse mentem ipsius. Ad tertiam probationẽ, nego antecedens: nam sicut calor productus est idẽ numero, qui tamen ex meritis agentiũ futurus erat duplex, nisi vnitas ligni recipiẽtis obstaret, ita calefactio est vna numero quæ futura erat duplex ex agentium meritis: nisi vnitas passi obstaret, neque inconuenit tũc duos ignes eadẽ actione, & causalitate per accidens causare caloreẽ, quia sunt agentia partialia respectu illius per accidens eidẽ passo applicata. Ad confirmationẽ negãda est maior, ad cuius probationem distinguẽdum est antecedens, omne agens habet intimam coniunctionem cum sua causalitate in hæsionis, & vt subiectum, *in quo*, negatur: habet intimam coniunctionem in suo genere, scilicet dimanationis, & vt subiectum: *à quo*, conceditur, & hoc sufficit vt actio transiẽs actualis similitudinis sit & bonitatis agentis cõmunicatio, & causalitas, per quã causat & attingit effectũ in quo à causa materiali & formali discriminatur, & agens est causa extrinseca operãs effectũ extra se, & ideò media actione extrinseca exit quodãmodo extra se ad ipsum effectũ. Illæ vero sunt causæ intrinsecæ quæ causant per intrinsecam propriæ entitatis cõmunicationẽ quim exeant extra se, & ideò earum causalitates in ipsis manere debent: præcipuè, quia sunt modi earum substantiales, & cum ipsis identificati, quod in efficienti, & finali locum non oportet habere vt suo vidimus loco, vt autem agẽs creatum transeat de potentia ad actum causalitatis, iam diximus posse fieri, absque eius intrinseca, ex vi actionis, mutatione, licet ex aliis cõcomitantibus, scilicet ex concursu primæ causæ præuio, & ex relatione subsequata intrinsecè mutetur & hoc sufficit, præter quam quod sufficit intrinseca alterius extremi mutatio vt dictum est ad confirmationem secundi. Vltimo arguitur: nã teste D. T. q. 7. de pot. ar. 9. ad 3. agens, & patiens conueniũt in ordine reali vnius ad alterum in quo fundatur relatio secundi ordinis, & ideò vtriũque perficitur per actionẽ mediã & in 1. dist. 8. q. 3. art. 1. ad 4. & in 2. dist. 4. q. 1. art. 4. ad 1. & 20. contra gentes c. 9. docet actionẽ transeuntẽ & passionem esse accidentia distincta, & indistinctis subiectis existentia: idem habet in 1. dist. 22. q. 1. art. 1. dist. 40. q. 1. artic. 1. ad 1. vbi sic ait. *Quædam sunt actiones quæ transeunt in materiam exteriorem, & in talibus actio est recepta in eo quod fit per modum passionis secũdũ quod motus est in moto vt in subiecto, & in talibus est inuenire actionem in re agente, & passionẽ in re patiente*, in art. autem 1. citato ex d. 32. sic dixerat: *actio secundum quod actio significatur ab agente, & quod fit ab agente hoc accidit sibi in quantũ est accidens, & si per impossibile poneretur aliquam esse actionem quæ non esset accidens non esset inhærens, & tamen denominaret agẽtẽ, & tunc agens denominaretur secũdũ illud quod ab eo est, & in eo non inhærens*, in illa vero solutione ad primũ ex d. 40. 2 citata hæc habet verba, *ad primum dicendũ quod cũ actio sit in agente & passio impatiente: nõ potest esse idẽ numero accidens quod est actio, & accidens quod est passio cum vnum accidẽs non possit esse in diuersis subiectis*, &c. Loquitur autem, ibi de actione transeunte, hoc est de actione iudæorum, qua crucifixerũt Christũ, & de passione Christi: saluareque ex distinctione actionis à passione, & ex vtriusque subiecti diuersitate nitur, alteram, nẽpe actionem iudæorũ fuisse peccaminosam, alteram vero, hoc est Christi passionẽ Deo fuisse gratã: ex quibus testimonijs tale deducimus argumentũ. Actio transiens formaliter accepta & prout cõstituit prædicamentũ actionis, est illa quæ denominat, ac cõstituit agens, & per quã agẽs inducit effectũ in exterioreẽ materiã, sicut fuit illa qua iudæi Christũ crucifixerũt: sed D. Tho. de hac loquẽs in testimonijs adductis fatetur esse in agente: ergo hæc habẽda est prom. tę atque sententia Angelici Doctoris. Cõsulto hoc argumentũ ex clarissimis sancti Doctoris congessi testimonijs vt mẽtẽ eius aperiã, atq; ancipites quosdam eius discipulos & dubios satis de mente, & testamento sui auctoris anaufragio dubietatis & anxietatis eripiam: quidam enim hoc argumento con-

Vera mens D. T. circa subiectũ actionis transeũtis pandi tur.

to conuicti ſuccumbunt ſibi perſuaſum habentes ſanctum Doctorem in ea fuiſſe ſententia, vt actionem tranſeuntem in agente ſubiecta ri exiſtimaret. De horum numero præter Flãdrenſ. vbi ſupra fuit Petrus de Bergomo author tabulæ auræ dubio 35. alij vero, in eadẽ fuiſſe ſententia quando libros ſententiarum, & quæſtiones diſputatas conſcripſit, poſtea vero in locis ſummæ, & librorum contra gentiles ſupra relatis; primam, exiſtimant mutaſſe ſententiam: neq; hæc ſolutio mihi diſplicuiſſet (cum non indignum reputem ſancto Doctore, quod ſe ipſo doctior aliquando mutet ſententiam) niſi ipſum in ſuorum ſtudiorum veſtibulo, & primis rudimentis in opoſita inuenerim ſententia: nempe libro, 11. huius, lection. 9. 3. de anima, lection. 2. & 2. Phyſicorum, lection. 4. aſſeuerantem actionem tranſeuntem eſſe idem cum motu, atque immobili cum ipſo motu ſubiectari. Vnde ſi cum hac â primis ſtudiorum rudimentis creuit ſententia, non eſt cur illam mutauerit, placet igitur cum alijs, de quorum numero eſt Capreol. in 2. diſtin. 1. q. 2. art. 3. ad 9. Aureoli contra ſecundã ſententire nunquam Doctorem ſanctum: opoſitum illius primæ ſententiæ docuiſſe, ſed eam fuiſſe, ſicut primam, & vltimam eius voluntatem teſtimoniaque aducta & ſimilia (ſi quæ ſint alia) vnica diſtinctione eſſe declaranda: actionis nempe conſideratæ quoad eſſentiam, & id quod importat in recto: & quoad connotatum, ſiue id quod importat in obliquo: connotat enim relationem, quam fundat, & potentiam aqua egreditur: ſuponit autem pro quadam forma media abſoluta, quæ eſt fluxus, ſiue emanatio de prædicamento actionis, qua ſupoſita diſtinctione aiunt ſolui cõtradictiones aparentes in teſtimonijs Diui Thomæ: quando enim aſſerit eſſe actionem, & paſſionem, idem cum motu & ſubiectari inpaſo, loquitur de eis quantum ad id quod important in recto: quando autem ait actionem eſſe diuerſum accidens a paſione, & in diuerſo eſſe ſubiecto, ſcilicet in agente loquitur de actione quantum ad conotatum, hoc eſt quãtum ad relationem importatam in obliquo. Sed pro exacta huius diſtinctionis explicatione: opere prætium eſt duo ex ipſo Angelico Doctore prænotare: alterum eſt aliquid poſſe eſſe in alio tripliciter, videlicet eſſentialiter, antecedenter, & conſequtiue, ſiue concomitantur, hoc documentum tradit nobis D. Thom. Opuſculo primo, capit. 11. prima parte, quæſtione 54. articulo primo, ad primum, prima ſecundæ quæſtion. 3. artic. 3. & quæſtione 6. articul. 8. atque quæſtione 25. de veritate, articul. 1. ad primum. alterum eſt huius primi fundamentum, ſcilicet, poſſe accipi tripliciter aliquam rem; & eſſentialiter, hoc eſt quoad id quod ipſam formaliter conſtituit, & antecedenter, ideſt quoad eius radicem, vel cauſam, & conſequtiue, hoc eſt quoad id quod conſequitur ex ipſa, & ſimiliter contingit diuerſis nominibus ſignificari, alio quidem illam formaliter, & alio eãdem rem cauſaliter, & antecedenter, & alio denique, illã conſequtiue, vel tranſitiue prout in effectu continetur, ſignificante. Huius documenti meminimus ſupra libro primo, quæſtione. 5. articulo quarto, ad primum eiuſque auctor eſt idem Angelicus præceptor quatenus ex illo in 2. diſtinctione 42. quæſtion. 1. artic. 2. ait reatum accipi cauſaliter pro culpa, ex quã conſequitur, & conſequtiue pro pœnæ inflictione quæ eſt effectus illius: & formaliter pro obligatione ad pœnam, in qua formalis ratio reatus conſiſtit. Hinc acceptionem triplicẽ peccati Theologi delumpſerunt, quod accipiunt aliquando pro fomite, qui eſt cauſa peccati, & pro actu malo, in quo conſiſtit formaliter peccatum, & conſequtiue, ideſt pro pœna debita illi, pro qua fit â viris iuſtis ſatisfactio, exiſtimantibus ſe adhuc pro peccatis, hæc eſt pro reliquijs peccatorum ſatisfacere. Deinde idem D. Thom. 1. 2. quæſt. 3. artic. 4. & 8. ait beatitudinem antecedenter ſumptam in bonis operibus, & in gratia quæ propterea vita æterna nuncupatur; formaliter in viſione beata, & conſequtiue in delectatione, & fruitione ex actu viſionis conſequta conſiſtere: & articulo citato de veritate docet ſenſualitatem antecedenter, ſiue cauſaliter, & veluti initiatiue in viribus aprehenſiuis, ſitam eſſe: formaliter autem in virium appetitiuarum inclinatione partis ſenſitiuæ, & conſequtiue in potentijs motiuis exequentibus, & ob temperantibus apetitui, quæ ſenſui alitati obſequuntur, conſiſtere. Nec non ait in quarto diſtinctione. 27. quæſtione prima, articulo primo, quæſtiuncula ſecunda, matrimonium accipi tripliciter, cauſaliter, & ſic eſſe in conſenſibus, formaliter, & ſic eſſe ipſam relationem vnionis ſiue coniunctionis; & conſequtiue, & ſic conſiſtere in vinculo, ſiue obligatione ex matrimonio conſequuta, & primo modo appellari nuptias, ſecundo vero modo dici coniungium, & tertio congruenter appellari matrimonium: quo quidem nomine matris munus, & obligatio ad prolis pro creationem ſignificatur. Vnde quia aliquid poteſt accipi tripliciter: etiam tripliciter poteſt eſſe, aut ſaluari in alio: & de eorum numero quæ hac triplici acceptione gaudent eſt actio, & merito quidẽ quia dima-

nat à potentia actiua, fundat relationem, & eſt forma abſoluta ſpecialis prædicamenti conſtitutiua. Vnde poteſt accipi antecedenter, ſiue cauſaliter, & ſic eſt potẽtia, & formaliter, & ſic eſt fluxus ſeu motus, vt ab agente: & tandem cõſequtiue, & ſic eſt relatio: quãdo igitur D. Th. dixit actionẽ tranſeuntẽ eſſe in paſſo cũ motu, loquebatur de actione formaliter ſumpta: in teſtimonijs vero aductis dũ ait actionẽ eſſe in agente loquitur de ea cõſequtiue pro relatione cõſequta: vel antecedẽter, hoc eſt quoad potentiã cõnotatam aqua egreditur, quæ quatenus eſt terminus habitudinis actionis eſt aliquid illius: ac proinde actio antecedenter, ſiue cauſaliter poteſt nũcupari: nõ me latet prædictos diſcipulos ſancti Doctoris, qui ſuũ autorẽ pro oppoſita ſententia fuiſſe voluerunt, hac ipſa triplici actionis acceptione vſos fuiſſe, licet diuerſimode illa vtantur vt teſtimonijs ſui autoris ſibi aduerſantibus congruentem adhibeant expoſitionem: ſed immerito: nã quoties D. Thom. aſſerit actionem tranſeũtem eſſe ſubiectiue in paſſo reddit pro ratione, idẽtitatem actionis, cũ motu, quã expreſſam in Phyloſopho inuenit, & eandem identitatem in eiſdẽ locis agnoſcit cõmentator: ſed ſenſus cauſalis, & per cõcomitantiã deſtruit identitatẽ: quod enim eſt cauſaliter tale, quia cauſat illud nõ eſt idẽ cũ illo: igitur nõ cohæret hæc interpretatio cũ teſtimonijs Doctoris ſancti, in quibus idẽtitas actionis, & motus exprimitur, ac redditur pro ratione, ex qua infertur actionis inhęrentiã inmobili, & nõ in agente ſaluari. Vnde ad formã argumenti neganda eſt minor: non enim D. Tho. de actione eſſentialiter, ſed de actione conſequtiue, verba faciebat: vel ſi de eſſentiali actione loquutum fuiſſe admitamus, quod ingenue fatemur; nõ tamen illã ratione ſuæ eſſentiæ, ſed ratione relationis relictæ, & conotatæ aſeruit in agente ſubiectari.

ARTICVLVS. V.

An operationes quibus Deus, & Angelus operantur ad extra ſint vere tranſeuntes, ac proinde, prædicamentales?

10 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ, quarum prima aſſerit operationes quibus Deus res ad extra producit eſſe vere tranſeuntes, prædicamentales, & in creaturis receptas. Huius ſententiæ princeps fuit Durandus in 1. diſtinct. 39. quæſt. 1, quem ſequntur Molina 1. part. quæſt. 45. art. 3. & Suarez 1. tom. Methaphyſicæ, diſputat. 22. ſect. 2. & tom. 2. diſpu. 48. ſect. 4. Secunda eſt Caiet. 1. part. q. 25. art. 1. aſſerentis actiones Dei quibus ad extra operatur eſſe vere ac formaliter tranſeuntes, ſed tamẽ manere intra ipſum Deum ac proinde non eſſe prædicamentales. Tertia negat vtrumq; nempe huiuſmodi operationes eſſe formaliter trãſeuntes, & eſſe prædicamentales: alterũ tamẽ affirmat videlicet, ipſas in Deo manere, ac per conſequens eſſe virtualiter tranſeuntes, & formaliter immanentes. Hæc proculdubio eſt Doctoris Angelici ſententia, quã late defendant, Ferrarienſis lib. 2. cõt. gent. cap. 1. & 9. & 16. Capreol. in 2. diſtinct. 1. quæſtio. 2. & Bañeſius 1. p. q. 45. art. 3. dub. 1. Pro cuius declaratione ſequentes ſtatuo aſſertiones.

Reſpondeo dicendũ primo operationes, quibus Deus effectus ſuos ad extra operatur nõ eſſe prædicamentales. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus autores primæ ſententiæ, & probatur primo: nã actio prædicamentalis, vt dictũ eſt identificatur cũ motu: actiones autem diuinæ nõ identificantur cũ motu: ergo non ſunt prædicamentales. Maior ſuponitur, probatur minor; quia teſte D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 3. Deus producit res ſine motu, eo quod agẽs per motũ, ſiue mutationem indiget præſupoſito ſubiecto in quo eius motus, ſiue mutatio recipiatur: Deus autem tali ſubiecto nõ indiget, quia creando producit totã effectus entitatem, & quia vel operatio Dei eſt motus, prout eſt in Deo, vel prout recepta in creatura neutro modo: ergo nullo pacto identifi catur cũ motu, aut fit cũ motu, patet minor pro 1. part. quia Deus eſt omnino immutabilis, & expers mutationis, vt probat D. Tho. 1. part. quæſt. 9. Hæc etenim immutabilitas ſignificatur Iob 34. *Dum dicitur, quod in Deo tenebræ non ſunt, & non eſt vmbra mortis, &c.* Quod explicans Grægor. lib. 25. Mora, cap. 4. ait intelligi de immutabilitate diuina, quæ à Deo remouet tenebras. Motus atq; cuiuſuis mutationis iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem nõ eſt tranſmutatio, neque vicißitudinis obumbratio,* & Pauli 1. ad Timothæum. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, &c.* ideſt, immutabilitatem teſte Grægorio: Angeli enim tum quia de ſe anihilabiles ſunt, tum etiam, quia ſecundum voluntatis, & intellectus actus mutantur: mutabiles ſunt, ac proinde ſoli Deo attribuitur illa immortalitas quæ omnem excludit mutationem. Deinde pro ſecunda parte probatur: nam operatio Dei prout eſt recepta in creatura eſt ſola relatio, & habitudo creaturæ ad Deum. Vnde D. Tho. loco citato 1. p. docet creatiuã actionẽ paſſiue ſumptã eſſe ſolã rationẽ dependentiæ qua creatura refertur ad Deũ, vt ab illo dependens, eo quod ſe

cluſo

cluſo motu in actionibus ſolũ remanet relatio. Eadẽ autẽ eſt ratio quantũ admotus excluſionẽ de alijs Dei operationibus: ergo. Secundo: nam Deus nullatenus eſt in prædicamẽto aliquo proprie loquẽdo: ſed ſi operationes Dei tranſeũtes eſſent de prædicamento actionis Deus vt agens eſſet in prædicamẽto actionis, ſicut ignis vt calefaciens, & homo vt generans: ergo non eſt concedendum Dei operationes eſſe prædicamentales. Confirmatur & declaratur hæc ratio, Deus vt coexiſtens tempori noſtro non ponitur in prædicamento, quia ex tali coexiſtentia nõ recipit aliquã commenſurationem paſſiuam in ſe ipſo, & eadem de cauſa, vt coexiſtens loco nõ ponitur in prædicamento ſitus, aut vbi. ergo neq; vt coexiſtens operationi receptæ in creatura, aut influens in illã poteſt poni in prædicamẽto actionis. Rurſus modus eſſendi in loco quo Deus eſt vbiq; non eſt prædicamentalis: ſimiliter neq; modus eſſendi in æternitate, ſcilicet eius æterna Duratio non eſt prædicamẽtalis, neq; ſua relatio, neq; ſua ſubſtantia ſunt prædicamentales: ergo neq; ſuũ operari, aut modus eius operandi debet ad prædicamentum pertinere. Denique probatur, quia actiones prædicamẽtales ſunt in patientibus, & non in agentibus ſunt finitæ ac limitatæ, admiſcentque aliquid potentialitatis: ſecus autẽ Dei operationes, quia manent in ipſo Deo, & quia quidquid eſt in Deo eſt infinitũ & purus actus, ſunt infinitæ perfectionis, & actualitatis, vt oſtendit ſecunda concluſio.

Operationes Dei eſſe formaliter immanẽtes.

Dico ſecũdo omnes Dei operationes ſunt formaliter immanẽtes, & virtualiter dũtaxat tranſeuntes, illæ, quibus operatur ad extra. Declaratur hæc cõcluſio, ſuponendo diuinas operationes eſſe induplici differentia, alias quidẽ vnde quaq; immanentes, & conueniẽtes Deo ab eterno, cuiusmõdi ſunt intelligere, & velle prout exequntur munus dũ taxat intellectionis, ſiue volitionis, quibus Deus ab eterno ſuã eſſentiã, & in illa omnia ſpeculatiue cognoſcit, & ſuam bonitatẽ amore cõplacentiæ diligit, & aliquo modo etiã creaturas poſsibiles quoad earũ eſſentias in diuina bonitate amat, licet minus proprie, eo quod amor nõ terminatur ad res ad intra ſicut cognitio, ſed fertur ad eas ad extra, ac proinde proprie nõ eſt in Deo amor, niſi circa exiſtentia: alias vero quæ aliquid ad extra operãtur, & Deo nõ attribuuntur niſi ex tẽpore, cuiuſmodi ſũt creatio, iuſtificatio, & hijs ſimiles, quæ vt ſic nõ ab eterno, ſed ex tẽpore attribuuntur Deo, nõ enim ab æterno, ſed in principio dicitur creaſſe cœlũ & terram: initioq; ipſe dominus terrã fundauit, & ex nõ iuſtis, ſiue ex peccatoribus intẽpore iuſtos facit. De operationibus igitur primi ordinis hæc concluſio, non eget probatione: de operationibus autem ſecundi probatur: prima eius pars aduerſus 1. & 2. ſen tẽtiæ autores. Primo, quã D. Tho. ſæpe ſæpius aſſerit operationes, quibus Deus ad extra operatur eſſe eius intelligere, & velle, ita habet expreſſe opuſc. 11. art. 13. & 2. cont. gen. c. 1. 6. & 16. & 1. p. q. 25. art. 1. ſed intelligere, & velle cũ ſint actiones intellectus, & volũtatis, ſunt formaliter immanentes: ergo. Secundo probatur: nã omnis actio, vel eſt cõplemẽtũ potentiæ per modũ finis, & formæ actuantis illam intrinſice, vel ſaltẽ per modũ finis actuantis illã extrinſice: ſed nihil extra Deũ poteſt eſſe eius finis, aut actualitas: ergo nulla diuina operatio poteſt eſſe extra ipſum Deũ. Maior probatur, nã actio re ducit agens de potẽtia ad actũ, tollitq; ab illo potentialitatẽ actus primi ſub qua erat ante quã operaretur, & omne agens eſt propter ſua operationem, hoc eſt propter ſe ipſũ, vt operans: ergo omnis actio, finis, & cõplemẽtũ eſt potẽtiæ operãtis. Tertio arguitur: potentia, quæ eſt purus actus identificat ſibi ſuã actualẽ operationẽ, quia cũ ſit purus actus nõ indiget actione media, ſed ſe ipſa eſt efficax, & potens operari, ſicut res quæ eſt ſumme actualis, ſe ipſa exiſtit abſq; alia ſuperadita exiſtẽtia, ſed potẽtia Dei eſt purus actus, ſicut ipſe Deus: ergo ſicut Deus eſt ſuũ eſſe, quia eſt actualiſsimum ens, ita eius actiua potentia eſt ſua operatio, quia eſt purus actus. Quarto: potẽtia operatiua Dei nõ eſt alia ab intellectu, & voluntate, ſed omnes operationes intellectus, & volũtatis ſunt formaliter immanentes: ergo. Maior probatur, quia teſte D. Th. 1. p. q. 14. art. 8. & q. 19. art. 4. Deus omnia cauſat per intellectũ, ſiue per ſcientiã, & volũtatẽ, quod indubio appendice oſtẽditur latius; Minor autem cõſtat, ex eo quod volũtas nequit aliter operari, niſi per ſuũ velle; neq; intellectus niſi per actũ intelligẽdi. Secũda vero pars patet: quonã operatio virtualiter tranſiens appellatur illa, quę virtute, & quoad effectũ præſtat quidquid præſtaret tranſiens formaliter ſecluſis huius imperfectionibus, ſicut calidũ virtualiter dicitur ſol, quia cõmunicat effectus calidi formaliter abſq; eius imperfectionibus, & ſapiẽtia virtualiter, & poteſtatiue dicitur ſcientia, quia munus illius præſtat circa iudiciũ de cõcluſionibus, perfectior: modo quã ſcientia: ſed actio Dei qua ad extra operatur præſtat, quidquid præſtaret formaliter tranſiens in productione effectus: ergo merito actio tranſiens virtualiter, & poteſtatiue nuncupatur, & idẽ de operationibus angeli dicendum eſt.

Dico tertio: ſi actio tranſiens eſſet ſubiectiue in agente: poſſent operationes Dei dici

formaliter tranſeuntes, & qua probabilitate primũ, eadem & ſecundũ habet fundamentũ in Angelico Doctore. Hæc aſſertio ſtatuitur pro Caiet. qui exiſtimans actionẽ tranſeuntẽ eſſe in agente ſubiectiue ſecundũ mentẽ Doctoris ſancti: ita ſecundũ eius mentem putauit Dei operationes formaliter tranſeuntes eſſe nõ obſtante quod manerent intra Deum probatur: nã omnis actio tranſiens ſecundũ illã ſententiã, quæ ponit actionem etiã tranſeuntem in agente, recipitur formaliter in ipſo agente, & hoc nõ obſtante eſt vere & proprie tranſiens, quia verſatur circa exteriorẽ materiã: cũ igitur operationes, quibus Deus operatur ad extra, verſentur circa materiam exteriorem, eſſent formaliter tranſeuntes, nõ obſtãte quod manerent in Deo, quod autem hoc habeat aliquod fundamentum in Doctore ſancto patet: tum ex teſtimonijs, in quibus videtur ponere actionem trãſeuntem in agẽte, tum ex alijs aducendis, in quibus videtur admittere in Deo potentiã executiuã ratione diſtinctã ab intellectu, & voluntate; ſed ſicut alienum a veritate eſt & amente Angelici Doctoris actionẽ trãſeũtẽ eſſe in agẽte ſubiectiue, ita alienũ à veritate, & ab eius mẽte eſt operationes Dei eſſe formaliter trãſeũtes.

12 Sed cõtra prædictas duas aſſertiones arguitur: primo nã omnis motus vt ab agente egrediens eſt actio prædicamentalis: ſed calefactio ignis, v.g. & generatio hominis eſt motus, ſiue mutatio egrediens à Deo: ergo vt ab illo erit actio Dei & prædicamentalis: maior patet, quia ſicut, *ad*, creatũ & reale conſtituit relationem prædicamentalẽ: ita *ab*, in motu ſiue mutatione cõſtituit actionem prædicamẽtalẽ, quæ nihil aliud eſt, quã motus vt ab alio. Minor autem conſtat, quoniã nullus eſt motus, aut mutatio, quæ nõ ſit à Deo, vt à cauſa prima. Cõfirmatur: nã creatio eſt actio tranſiens Dei, & re vera accipitur cum motu ſiue paſſiua mutatione in creatura: ergo eſt prædicamẽtalis. Minor probatur multipliciter: primo: nã relatio dependentiæ creaturæ ad creatorem requirit fundamentũ ſecundi ordinis: quod eſt paſſio, quia ipſa non eſt relatio primi, aut tertij, ſed ſecundi ordinis, cuius fundamentũ eſt actio, vel paſſio. Secũdo, quia creari eſt verũ & propriũ fieri: ſed fieri nõ eſt relatio: ſed eſt de genere paſſiuæ mutationis: eo quod teſte D. Thom. q. 45. art. 4. creari eſt proprium ſubſiſtentiũ, quatenus agere & pati ſunt ſupoſitorũ: referri autem (excepta filiatione) nõ eſt propriũ ſupoſitorum: ergo huiuſmodi fieri per creationem cõdiſtinguitur à relatione. Tertio: nã creatio paſſiua, ſiue cõcreatio recipitur inmediate in materia prima, quia materia cõcreatur: & tamen in illa nequit recipi inmediate accidens relatiuũ: ergo diſtinguitur creatio paſſiua à relatione. Quarto, quia ſequeretur Deũ ab eterno creaſſe mundũ, quod tamen fidei repugnat: ergo, ſequela patet: nã actio tranſiens formaliter, aut virtualiter conſtituit Deũ agentẽ, ſiue producentẽ in actu ſecũdo: ſed ſi actio creatiua eſſet actio manens in Deo, ab eterno illã Deus habuiſſet quia Deus ab eterno habuit omnẽ actum ſecundũ, qui eſt in ipſo. Dices ab eterno fuiſſe actionẽ creatiuã in Deo ſub ratione perfectionis, & veluti pro ſubſtracto, nõ vero ſub ratione actualis productionis, & quoad reſpectũ conotatũ ad creaturas: ſed cõtra arguitur: nã creatio eſt actualis productio creaturarũ per illud quod habet de actu ſecundo, & de perfectione, & non per reſpectum rationis, ſed ab eterno habuit illa actio totã ſuã actualitatem atq; perfectionẽ: ergo ab eterno fuit actualis productio. Rurſus actio trãſiens vt ſic, eſt productio, quia vt ſic eſt emanatio ſeu fluxus effectus ab agente; ſed creatio ab eterno fuit in Deo ſub ratione actionis virtualiter tranſeũtis: igitur, & ſub ratione actualis productionis. Ad hoc argumentũ reſpõdetur; dupliciter, primo: quod motus vt ab alio cuius potẽtia eſt purus actus, non eſt actio, ſed effectus actionis, quæ identificatur cũ potentia; & talis eſt actio ſolius Dei. Secũdo reſpõdetur, quod motus vt ab alio, qui eſt finis, & cõplementũ potẽtiæ ipſius, & a quo dimanat per modũ fluxus eſt actio illius: motus vero vt ab alio, qui neq; eſt finis, neq; cõplementũ potẽtiæ agentis, neq; vt fluxus, ſed vt effectus dimanat ab illo nõ eſt actio: quo pacto motus cœli, vt procedens ab intelligẽtia motrice, non eſt actio; ſed effectus intelligentiæ qnę ſuo imperio, hoc eſt per ſuum velle, & intelligere, cauſat illũ motum, ſicut & cæteros ad extra, quos producit effectus aplicãdo actiua paſſiuis. Iuxta vtrãq; ſolutionem diſtingui poteſt maior argumẽti. Ad cõfirm. triplex eſt dicendi modus, 1. Scot. in 2. d. 1. q. 4. & 5. aſerentis creationẽ paſſiuã eſſe relationẽ tranſcendẽtalẽ creaturæ ad Deũ identificatã cũ ſubſtantia ipſius, cui fauet Dur. ibi. q. 1. aſerens creationẽ paſſiuã eſſe eandẽ rei creatę ſubſtãtiã cũ habitudine ſeu denominatione reſpectiua ad dãtẽ eſſe. Secũdus eſt illorũ, qui aſerũt eſſe mutationẽ atq; actionẽ prędicamẽtalẽ receptã in paſſo. Tertius media via procedens, ait eſſe relationem formaliter, aut realiter à ſubſtantia creata diſtinctã abſq; vlla vera ad mixta mutatione: ipſa tamẽ relatio prædicamentalis, vt eſt infieri habet modũ actionis gramaticalis, & ſecũdũ dici, quia ſignificatur vt actio. Vnde, quia hic modus verus eſt, & cõmuniter à Thomiſtis receptus, & à probatus, vt videre

dere licet apud Caietanum 1.part. quæst.45. artic.3.Bañesium ibidem dubio 3. & Flandrē sem, 5. huius q.16.art.17.ad quintum reiectis alijs duobus,primo quidem;quia secluso motu sola relatio remanet: & rationibus Caietani lococitato. Secundo autem rationibus factis pro prima & secunda cōclusione: tertius est à nobis retinendus,& iuxta illum, respondetur adformam confirmationis negando antecedens pro secunda parte. Ad primam probationem dico , quod illa relatio est secundi generis,exigitque profundamento mutationem nō vere,sed gramaticaliter dictam, quæ est ipsa entitas rei creatæ quatenus à Deo procedit,vel secundo potest dici,quod huiusmodi relatio potius est tertij ordinis, quia es relatio effectus,vt exemplati,mensurati,atque dependentis à Deo: & ideo fundatur in entitate prout à Deo causata , & exemplata, ex parte cuius non coresponder sibi mutua relatio. Ad secundam, nego minorem:sicut enim in diuinis,spirari,&generari sunt ipsæ relationes filij,& spirati per modum originum significatæ,quæ possunt vt sic dici actiones gramaticaliter,& quoad modum significandi,ita fieri per creationem est relatio ipsa dependentiæ per modum originis in portata, quæ potest actio,siue mutatio gramaticaliter,& quoad modum nuncupari,&hoc sufficit,vt solis subsistentibus perse primo atribuatur. Ad tertiā nego maiorē, quia vt materia dicatur cōcreari,idest creari ad creationē totius,sufficit vt relatio creationis passiuæ recipiatur in supposito : vt ratione illius, omnes partes eius, vel aliquæ illarum dicantur cōcreari,sicut vt materia disponatur,& transmutetur,sufficit quod dispositiones,& transmutatio atq; passiua generatio compositi in ipso cōposito recipiantur. De hac solutione videndi sunt Flandenſis,lib.5.huius q.16.art.17.& ar. 18.ad 17. & Bañesius lib.1.de gene. q.9.art.2.vbi ostendūt materiā primā esse incapacem recipiēdi immediate quodcūq; accidens reale,etiā relatiuū. Alij vero nō reputāt incōueniens,quod recipiat aliquod accidens modale , si tale sit quod cū illa identificetur etsi ab illa inseparabile,vt est modus vnionis cū forma substātiali,& causalitas materialis. Atq;de horū numero poterit esse relatio dependentiæ ad Deū, neq;hoc mihi videtur a ratione alienū , quandoquidem hæc sunt de eorū genere,in quibus ingenue permitto vnūquenq; in suo sensu abundare. Ad quartā respōdetur sustinendo solutionē inter arguendū assignatā. Ad cuius primam in probationem dico, quod creatio est productio actualis ratione actualitatis, & perfectionis vt à ratione formali agendi, siue producēdi, & a respectu rationis, quo extenditur ad creaturas , vt a cōditione, & complemento: ita vt productionis , siue creationis actualis ratio ex duobus conflatur ; ex actione scilicet reali diuina quæ est imperium Dei , & ex respectu rationis,licet inequaliter:ex illa vt ex formali ratione,& ex isto,vt ex cōditione cōpletiua. Ad secundā nego maiorē , quia vniuersalis:licet enim actio agentis corporei & naturalis re ipsa absq;superadita cōditione fit productio,tamē actio agentis per imperiū intellectus,quia producit effectū efficaciter, nō statim a principio,sed quando,& quomodo ipsum agens vult,ac determinat:potesthabere actualitatem actionis,antea quamhabeat actualitatem productionis: vnde diuina actio creatiua mundi fuit ab æterno in Deo, quoad actualitatem actionis, sed non fuit in illo vsque ad tempus præfinitum , quoad actualitatem creationis , siue productionis , quia vsque ad illud non fuit Deus actu creans: erat itaq; actualis actio in Deo ab æterno, & Deus erat agens in actu secūdo,sed erat in actu primo actio illa creatiua, siue productiua, & Deus erat creator,siue potens creare quasi expectans formalitatē actualis creationis,quę super addit respectū rationis,& coexistentiā effectus: & hac adueniente,verū fuit dicere, quod antea falsum erat prædicare de illo:nēpe Deū creare,producere cœlum,& terrā,& omnia quæ in eis sunt.

13 Secundo arguitur: nā D. Thom.distinguit actiones Dei transeuntes ab immanentibus,& has ait manere in Deo: illas autē recipi in creaturis:igitur secundū sententiā Doctoris sancti actiones transeuntes Dei subiectantur in creaturis,ac proinde sunt formaliter trāseuntes. Antecedens probatur, quia duplici testimonio:quorū primumhabetur 1.p. q.22.art.1.ad secundū vbi asserit exequtionē prouidentiæ,quæ est gubernatio,esse actionē tēporalem,& in rebus prouisis receptā. Secūdū huic simile habetur, q. 23.art.2.ad primū, vbi ait actiones transeuntes transire in passū, & ideo prædestinationis passiuæ exequtionē esse in prædestinato, actiue autē suptā , idest quoad principiū aquo egreditur, esse in prædestinante. Aliahabentur, ibidē q.34.art.3.ad secūdū,& 3.p.q.19.a.1. ad secūdū, vbihabet, quod actiones Dei sunt in duplici differentia, aliæ immanentes vt intelligere , & velle, & aliæ transeuntes, vt gubernare: & creare:subditq;respectū rationis cōsequtū ad illas inclusi incōceptu Diuini Verbi : nō autē respectū rationis ad has cōsequtū: & tamen respectus rationis cōsequtus ad actiones virtualiter dū taxat transeuntes bene includitur in cōceptu Verbi, & est respectus rationis,qui cōsequitur adscientiā factiuā creaturarū,& ad practi

cũ intelligere: ergo ſentit actiones tranſeuntes omnino diſtingui ab in manẽtibus, ac per cõſequens recipi ex tẽpore in creaturis. Reſpõdetur negando antecedens: & ad primũ teſtimoniũ dico nomine exequtionis paſſiuæ intelligi à D. Thom. nõ actionẽ gubernandi: ſed effectũ ipſum cũ reſpectu rationis cõnotato, qui aduenit ex tẽpore, eodẽ modo explicatur ſecundũ: quod ſi rectè intelligatur potius eſt pro nobis, nã in corpore articuli ait D. Tho. exequtionẽ prouidẽtiæ actiue eſſe in Deo gubernante, & prædeſtinante: paſſiue autẽ ſumptã eſſe in rebus: nomine vero exequtionis actiuæ nõ principiũ, ſed actionẽ ipſam intellexit & nomine exequtionis paſſiuæ effectũ cauſatũ in rebus gubernatis: poſtea autẽ quando in ſolutione ad primũ ait actiones tranſeuntes tranſire in exteriorẽ materiã, ſolum intendit, quod quoad efficatiã effectuũ tranſeunt ad extra, quod eſt ipſas eſſe ſecundũ ſe in agẽte, & ratione effectus cauſati in paſſo. Tertiũ ſolum conuincit, quod actiones tranſeuntes Dei ſumptæ formaliter in ratione actualis productionis ſunt ex tempore, & reſpectus rationis, quem vt ſic connotant, cum etiam ſit temporalis, non clauditur in cõceptu Verbi diuini, de quarto ibid. quæſt. 13. art. 2. explicamus, quo pacto, eadem ſit actio Dei, & inſtrumenti diuinę virtutis. Vltimo arguitur: nã in Deo datur potentia exequtiua virtualiter diſtincta ab intellectu, & voluntate, eo genere diſtinctionis, quo alia attributa ſolent diſtingui interſe, & ita illas diſtinguit D. Tho. 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad quartum, & quæſtione 19. art. 4. ad quartum, & patet ex obiectis, ex quibus diſtinctio potentiarum ſumitur: nã obiectum potentiæ exequtiuę eſt ens creatũ, ſiue factibile: obiectum autem intellectus, & voluntatis eſt diuina eſſentia: ergo alia actio eſt Deo attribuenda præter intelligere & velle, quæ correſpondeat potentiæ exequtiuæ, & hæc erit tranſiens formaliter: vt hoc argumentum debitam accipiat ſolutionem, ſequens dubium inſtituimus diſputandum.

Dubium appendix, an præter intellectum, & voluntatem detur in Deo aliqua potentia quæ ſit immediatum principium operatiuum effectuum?

14 PARTEM Affirmatiuam tuentur Durandus in primo, diſtinctione, 38. quæſtion. 1. Suarez in Metaphyſic. diſputation. 30. ſectione 17. & in eam inclinat Caietanus prima parte, quæſtion. 25. articul. 1. Negantem vero ſequuntur Ferrarienſis, 2. contra gentes, capit. 1. & 10. Scotus in 1. diſtinct. 37. quæſt. 1. Molina, prima parte, quæſtion. 25. diſputation. 2. & Vazquez ibidem diſputation. 102. capit. 13. neque Caietanus ab ea declinat in loco citato, ſed potius videtur illam amplecti, quam uis aliquantulum fuerit anceps, ac pendulus in hac parte. Quam ſententiam, quia veritati & Angelico Doctori cõſentaneam puto duabus explico aſſertionibus.

Quid ſit potentia exequtiua in Deo

Reſpondeo dicendum primo potentiam exequtiuam non diſtingui ratione ab intellectu, ſed eſſe ipſum Diuinum intellectum, vt habet ad iunctam voluntatem. Hæc concluſio, quoad primam partem ſtatuitur aduerſus primæ ſententiæ defenſores, & probatur primo teſtimonijs Doctoris ſancti: nam prima parte quæſtion. 14. artic. 8. & quæſtion. 19. articul. 4. in corpore dicit diuinam ſcientiam vt aplicatam per voluntatem eſſe proximum rerum principium operatiuum, & hoc eſt, eſſe potentiam exequtiuam: ergo. Rurſus, quæſtion. 25. articul. primo, ad quartum duas adhibet ſolutiones, & cum in prima dixiſſet potentiam exequtiuam Dei diſtingui ratione ab eius ſcientia, ſiue intellectu, in ſecunda ait nullatenus diſtingui potentiam exequtiuam, & ſcientiam, & quia hæc ſolutio ſecunda eſt, & primæ veluti ſuperaddita, cenſenda eſt fellectior, & veluti vltima voluntas Angelici Doctoris, & quæſtion. 54. artic. 4. negat in Angelis aliam potentiam præter intellectum, & voluntatem, eo quod ſint naturæ intellectualis, quæ vt ſic his ſum taxat gaudet potentijs, cum igitur Deus ſit pure intellectualis, & nihil extraneum ab intellectuali natura admiſcens, nullam quoque potentiam debet habere, quæ huius naturæ propria non ſit: ac proinde ſentit Diuus Thomas, nullam potentiam Deo, aut Angelis conuenire præter intellectum, & voluntatem, quia iſtæ ſolum ſunt naturæ intellectualis propriæ potentiæ. Secundo: nam nulla datur in Deo operatio formaliter tranſiens: ſed omnis eius operatio eſt intelligere, aut velle, vt ex eodem D. Thom. in articulo oſtendimus: ergo ſuperflua eſt quæuis alia potentia diſtincta ab intellectu, & voluntate, ſiquidem pro his operationibus ſufficiunt intellectus, & voluntas, quinimo ſicut intelligere eſt adæquate ab intellectu; ita & velle eſt adæquate à voluntate, ac per conſequens cũ operatio Dei ad extra ſit velle, aut intelligere, aut vtrumque ſimul erit adæquate ab intellectu, & voluntate. Secunda pars aſſertionis probatur aduerſus Molinam aſſerentem

vbi

vbi ſupra non intellectum, ſed voluntatem eſſe potentiam executiuam ſeu immediatum principium productionis creatarum rerum, & oppoſitum huius defendi a D. Thom. 1. par. quæſt. 14. artic. 8. ad ſecundum & tertium, à Caietan. ibid. & à Ferarienſi, 1. contra gent. cap. 61. primo quidem quoniam (vt ipſe Molina fatetur) D. Thom. in locis citatis ait ſcientiam eſſe principium productiuum rerum ſicut calor eſt ratio formalis & proxima calefaciendi, ſed calor eſt principium proximum calefactionis: ergo ſcientia diuina eſt principium proximum productionis rerũ, ac proinde ipſa eſt quæ habet munus potentiæ executiuæ. Secundo: nam diuina voluntas aplicat intellectum ſiue ſcientiam, vt media illa producat res, & nihil aliud mediat inter diuinam voluntatem, & res productas niſi ſcientia, ſiue intellectus: ergo hæc eſt cauſa proxima productiua rerum. Vnde intellectui, & ſcientiæ attribuitur rerum creatarum productio: dicitur enim Pſalm. 135. de Deo quod fecit cœlos intellectu, & Sapientiæ 8. de diuina ſcientia: *Quis horum quæ ſunt, magis quam illa eſt artifex.* Confirmatur: nam lumine naturali cognouerunt Philoſophi principium factiuum omnium rerum eſſe intellectum. Vnde Ariſtoteles 3. de anima text. 4. lib. 8. Phyſicorum texto 37. & lib. 12. huius cap. 2. atque commentator ibidem, aprobarunt ſententiam Anaxagoræ, qui aſſerebat principium omnium rerum eſſe aliquem intellectum. Tertio: nam illa potentia in Deo eſt proxime productiua, cuius actus eſt executiuus, ac productio ipſarum rerum, ſed intellectus eſt huiuſmodi: nam eius actus eſt imperium, quo Deus creaturas produxit: per intellectum etenim dixit, fiat lux, & hoc imperio facta eſt lux, ac per conſequens vniuerſitas creaturarum. De inde probari poteſt concluſio rationibus, quibus D. Thom. in 1. diſt. 38. q. 1. & 2. contra gentes cap. 23. & quæſtion. 3. de potentia artic. 18. Deum omnia cauſare per ſuam ſcientiam, oſtendit.

Dico ſecundo ſi actiones quibus Deus operatur ad extra eſſent formaliter tranſeuntes neceſſario ponenda eſſet in illo potentia executiua ſecundum rationem diſtincta ab intellectu, & voluntate. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus eundem Molinã qui admitens operationes Dei formaliter tranſeuntes ac receptas in creaturis nollunt admittere potentiam productiuam diſtinctam à voluntate: in quo manifeſtam admiſit contradictionem: quod probatur primo: nam intellectus & voluntas, nequeunt habere alias operationes præter intelligere, & velle, quia iſti ſunt actus ipſorum adæquati, a quibus adæquate ſpecificantur: ergo ſi detur alia operatio diſtincta, diſtinctam quoque potentiam exiget, quæ ab illa veluti ſpecificetur. Cõſequentia patet, quia potentiæ diſtinguntur ſecundum diſtinctionem actuum adæquatorum. Secundo quoniã actio tranſiens ordinatur, vt ad finem ad operatum exterius, & in hoc diſtingitur ab immanenti, ſed voluntas aut intellectus nequit ſic ordinari ad exterius opus, vt ad finem: ergo nequeunt habere rationem potentiæ operantis per actionem tranſeuntem. Confirmatur: operatio omnis eſt finis, & complementum potentiæ aqua elicitur, ſed voluntas nequit compleri per operationem tranſeuntem formaliter: ergo nequit eſſe principium illius, ac proinde ſententia quæ ponit actiones Dei eſſe formaliter tranſeũtes, & nullam pro illis ponit potentiam niſi voluntatem, contradictionem in voluit indictis manifeſtam, ac proprium nomen actionis tranſeuntis, aut potentiæ exequtiuæ, aut vtriuſque ſimul, ignorat. Vnde melius, & congruentius Durandus, & Suarez, qui actiones tranſeuntes admiſerunt exequtiuam potentiam a voluntate, & intellectu diſtinctam ſecundum rationem Deo conceſerunt.

15 Sed contrà arguitur primo: nã illæ potentiæ diſtinguntur ſecundũ rationẽ in Deo quæ habent diuerſa obiecta adæquata, diuerſos actus, atque diuerſos reſpectus ad creaturas: etenim ex diuerſis obiectis, & actibus potentiæ diſtinguntur, & diuina attributa ex diuerſis modis reſpiciendi creaturas diſtingui ſolent: ſed intellectus, voluntas & potentia productiua habent diuerſa obiecta adæquata diuerſos actus, & diuerſos reſpectus ad creaturas: ergo diſtinguntur in Deo ſecundũ rationem. Minor patet, quia obiectum adæquatum volũtatis eſt diuina bonitas, vel eſt bonũ vt ſic complectens diuinã bonitatem: & obiectum intellectus etiam comprehendit primũ & in creatum ens, cum tamen potentiæ productiuæ obiectum ad ſola entia creata ſe extẽdat. Rurſus huius actus eſt operatio virtualiter tranſiens, actus autem illarum ſunt actiones omnino in manentes. Denique voluntas reſpicit creaturas vt mouens, ſiue aplicans: intellectus vt dirigens, & potentia vt exequens, & mandans exequtioni opus ad quod mouet voluntas, vt directum ab intellectu: qui proculdubio ſunt diuerſimodi cauſandi creaturas, & illas reſpiciendi: ergo.

Reſpondetur negãdo minorem, quoad omnes partes: nam licet ſcientia ſpeculatiua, vt præcedit motionem voluntatis habeat diuerſum obiectum, actum, & reſpectum, tamen ſcientia practica, ſiue practicus intellectus, vt aplicatus à voluntate habet idem obiectũ,

atque potentia, vt ſic enim ſolum reſpicit factibilia, eius actus eſt operatio virtualiter trãſiens, & modus reſpiciendi eius non ſolum eſt per modum dirigentis, ſed per modum exequentis. Secundo arguitur: nam quem ordinem habent ſecundum rem in creaturis intellectus, voluntas, & potentia: eundem ſeruant in Deo ſecundum rationem: ſed in creaturis rationalibus intellectus, & voluntas diſtinguntur realiter à potentia operatiua: non enim illæ ſunt cauſæ proximæ operum ad extra, vt patet in operibus artificiatis, quæ âpotentia exequtiua, directa quidem per intellectum, & mota per voluntatẽ inmediate fiunt: ergo in Deo ſeruant diſtinctionem rationis. Confirmatur: nam alia eſt ratio ſcientiæ, & alia eſt ratio voluntatis à ratione potentię diuerſiſq; diffinitiobus gaudent: hæc enim eſt proximum principium tranſmutandi aliud, vel agendi in aliud quæ diffinitio intellectui, & voluntati adaptari non poteſt: vnde & D. Thom. diuerſos tractatus de his tribus inſtituit, quaſi de diuerſis attributis Dei: etenim de ſcientia egit 1. part. quæſt. 14. de voluntate q. 19. ſed de potentia agit quæſtio. 25. ergo. Ad hoc argumentum Durandi, reſpondetur diſtinguendo maiorem, ſi analogia, & proportio ſiat potentiæ diuinæ ad potentiam creaturarum pure intellectualium, concedo illam: nego vero eam ſi proportio ſiat adpotentiam hominis, qui eſt creatura intellectualis corporea indigens potentijs exequtiuis in organis corporeis exiſtentibus ad ſua opera exequenda: ſecus vero Angelus, qui medio imperio ſui intellectus exequitur quidquid operari intendit aplicando actiua paſſiuis, & ſic intellecta maiori, falſa eſt minor, vt conſtat ex D. Thom. quæſt. 54. art. 4. Ad confirmationẽ vera eſt maior, ſi de voluntate & ſcientia ſeorſum conſideratis, aut de ſcientia ſpeculatiua intelligatur: falſa tamen intellecta de ſcientia practica, aut de ſcientia, vt habet adiunctã volũtatem, & eius motionem. Vnde D. Thomas in quæſtion. 14. & 19. agit de ſcientia, & voluntate ſeorſum ſumptis, & ſecundum ſuas naturas in ſe ipſis conſideratis: in quæſt. vero 25. agit de potentia, hoc eſt de ipſa diuina ſcientia determinate, vt practica, & vt comparata ad creaturas factibiles. Tertio arguitur & probatur, quod voluntas ſit ipſa potentia exequtiua: nam principium proxime productiuum rerum creatarum eſt voluntas in cuius ſignum ſoli voluntati tribuitur illarũ productio: dicitur enim ad Epheſi. 1. quod Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & Pſal. 142. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit*, & Pſalm. 148. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*, in ſcriptura autem diuina voluntas appellatur dictum, & mandatum: ergo. Confirmatur dupliciter, primo: nam illud eſt principium proxime productiuum, quo poſito poteſt poni productio rerum ſecluſo quocunque alio, ſed poſito actu voluntatis diuinæ ſecluſo per poſibile, vel impoſibile omni alio ponitur rerum productio: ergo. Confirmatur ſecundo: nam potentia exequtiua eſt illa aqua res habent produci in tali tempore, & ordine, & cum talibus circunſtantijs: ſed hoc habent res productæ a voluntate, & non iuxta præſcriptum intellectus, vel ſcientiæ: ergo voluntas potius, quam intellectus habet rationem potentiæ exequtiuæ, ſupoſito quod ab eis non diſtinguatur ſecundum rationem tertia potentia, cuius actus ſit operatio tranſiens formaliter. Reſpondetur ad hoc argumentum Molinæ, negando antecedens, quia voluntas non eſt proxima, & formalis ratio operandi effectus, ſed eſt conditio aplicans & mouens. Vnde intellectus, qui intelligit per aſſimilationẽ præhabet in ſe res productas, voluntas verò, quia eſt inclinatio ad res ipſas, mouet ad earum productionem, & ratione huius motionis, & aplicationis dicitur Deum operari ſecundum conſilium voluntatis, & feciſſe quæcunque voluit: ſed quia intellectus concurrit vt ratio agendi, eius imperio attribuitur exequtio & actualis rerum productio dum dicitur: *Ipſe dixit, & facta ſunt, &c.* Vbi dictum, & mandatum proprie accipi debent, & conſequenter non pro actu volũtatis, ſed pro actu practici intellectus. Ad primam confirmationem neganda eſt minor: nam ſecluſa ſcientia & intellectu practico nihil poſſet Deus operari. Ad ſecundam neganda ſimiliter eſt minor, quia ſcientia practica a ſociata voluntati eſt quæ præſcripſit tempus, ordinem, & alias circunſtantias producendorum effectuum. Ex dictis ſoluitur tertium argumẽtum articuli, ad cuius formam negandum eſt antecedens. Ad primum teſtimonium quo probatur, dictum eſt Doctorem ſanctum in prima ſolutione admiſiſſe huiuſmodi potentiã diſtinctam ab intellectu, & voluntate, in ſecunda autem ſolutione illam non admiſiſſe, ſed potius negaſſe, & huic eſt aquieſcendum, quia habenda eſt pro eius vltima voluntate. Ad ſecundum dico, quod D. Thom. admiſit potentiam productiuam rerum, non tamen illam diſtinxit ab intellectu, & voluntate, & ſi illam ex modo loquendi videtur diſtinxiſſe ab intellectu, ſolum inrendebat illam diſtinguere ab intellectu ſpeculatiuo, vel ſeorſum conſiderato, non tamen ab intellectu practico, ſiue prout habet adiunctam voluntatem:

ARTI-

ARTICVLVS. VI.

An actus diuini intellectus, & voluntatis ſint proprie, actiones, licet non prædicamentales?

Status cõtrouerſię & cũquibus.

16 IN hoc articulo non ſolum de actibus virtualiter tranſeuntibus, verũ etiam de actibus pure inmanentibus diuini intellectus, & voluntatis eſt nobis cum quibusdam neothericis controuerſia, an eis conueniat vere, & proprie ratio actionis non vniuoce cum actionibus prædicamentalibus: hoc enim iam excluſum eſt in articulo præcedenti, ſed analogice ad eum modum, quo ſubſtantiæ diuinæ veram rationem ſubſtantiæ, non prædicamentalis, ſed tranſcendẽtaliter ſumptæ, & relationibus in creatis veram rationem relationis realis analogam, libro 5. docuimus conuenire: in quo ſenſu partem negatiuam tuentur Gabriel Vazquez 1. p. diſp. 141. cap. 4. Molina ibidem, quæſt. 27. art. 1. diſput. 1. & Suarez, lib. 1. de Trinitate, cap. 8. num. 5. & tom. 2. Methaphyſicæ diſputat. 48. lection. 4. ſed partem afirmatiuam docet D. Thom. in omnibus illis locis in quibus (vt vidimus ſupra) fatetur actionem diuidi in tranſeuntem, & inmanentem, atque hanc reperiri in Deo, ipſumque operari ad extra per actiones formaliter inmanentes, & virtualiter dumtaxat tranſeuntes. Vnde hæc ſtatuenda eſt pro vera, & certa concluſione, qua reſpondeo ad quæſitum in titulo articuli, nempe actus diuini intellectus, & voluntatis quibus vel operatur Deus ad extra; vel diuinæ perſonæ procedunt ad intra quos Theologi nuncupant actus notionales, vt videre eſt apud D. Thom. 1. part. quæſt. 41. per totam: & prima pars, huius aſſertionis probatur primo nam teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 25. artic. 1. in Deo ſaluatur vera ratio potentiæ ſecundum quam proprie ſecluſa omni Methapho ra prædicatur omnipotens, ſed vbi ſaluatur vera ratio potentiæ actiuæ debet ſaluari vera ratio actionis, eo quod potentia actiua eſt principium agendi, & ibidem in ſolutione ad ſecundum aſſerit, idem D. Thomas, in Deo identificari actionem cum potentia eo quod quidquid eſt in Deo eſt purus actus, igitur ſicut potentia Dei vere, & proprie eſt potentia ſimiliter eius actio vere & proprie eſt actio, alias in propria eſſet hęc loquutio potentia Dei eſt actio Dei, ſiquidẽ nulla actio Dei vere & proprie eſſet actio. Cõfirmatur: nam in Deo reperiuntur intelligere & velle, ſiue amor quibus Deus operatur ad extra iuxta ſuſundendo rebus bonitatem teſte D. Thom. 1. parte quæſt. 14. 19. & 20. ſed intelligere velle, & amare ſunt actiones, eo quod intelligere, & velle, eſt agere: ergo. Secundo: nam ſicut ſubſtantia, & relatio vere & proprie ſaluantur in Deo, quia in ſuis conceptibus nullam inuoluunt imperfectionem Deo repugnantem, ita actio cum omni proprietate ponenda eſt in in Deo, quia nullam in ſuo conceptu includit in perfectionem: ergo. Declaratur ſecunda pars antecedẽtis: nam in perfectio, quam includeret actio in ſuo conceptu & ſignificaret nomen actionis, vel eſſet quia diſtinguẽretur a ſuo principio, & eliceretur ab illo, vel quia haberet mutationem anexam, vel quia inferret aliquam paſionem in ſubiecto: ſed nullam ex his in perfectionibus in voluit: nã licet huiuſmodi in perfectiones ſint de conceptu actionis creatæ, aqua nomen fuit impoſitum: non tamen ſunt de conceptu actionis vt ſic, ideſt quantum ad rem ſignificatam per tale nomen, ſolum enim actio in ſua ratione formali importat eſſe rationem agendi & producendi aliquem terminum diſtinctum à ſuo principio, & eſſe actum ſecundum, potentialitatis ex pertem: huiuſmodi autem rationes productionis, ſcilicet, & actus ſecundi abſtrahunt in ſuis conceptibus à reali elicientia actionis, mutatione, & paſione, ac proinde cum ab omni imperfectione vindicentur non ſunt Deo denegandæ. Secunda pars aduerſus eoſdem authores oſtenditur primo: nã in Deo reperitur vere & proprie potentia notionalis, ideſt reſpectu actuum notionalũ vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 41. articul. 4 & ratio eſt, quia vere & proprie ſaluantur actus notionales, ac proinde principium illorum debet ſaluari, quod eſt potentia notionalis. Vnde vere & proprie ſecundam huiuſmodi potentiam dicitur diuinus pater fecundus, & potens generare filium, iuxta illud Auguſtini, libro. 3. contra Maximinum, capit. 12. ſi Deus pater non potuit generare filium ſibi æqualem, vbi eſt omnipotentia Dei patris: ergo in actibus notionalibus vere & proprie ratio actionis ſaluatur. Conſequentia patet, quia proportionabiliter, poſſe & agere, ſiue potentia, & actio debent Deo conuenire, aut repugnare: cum hæc veluti corelatiua ſint, & vnum ſine altero eſſe non poſsit. Confirmatur, quia ratio potentiæ ſaluatur in Deo in ordine ad terminum realiter diſtinctum, & verè productum à principio in quo eſt potentia: ſed etiam datur ad intra terminus diſtinctus perſonaliter à principio producen-

tet

te: ergo respectu illius potest, & debet vera ratio actionis saluari sicut, & saluatur vera ratio potentiæ. Maior patet, quia hac ratione ponitur in Deo potentia creandi ad extra, eo quod vt docet ibidem Diuus Thomas ad tertium Deus distinguitur realites à creaturis, quarum est per creationem principium. Minor autem patet, quia etiam vna persona distinguitur realiter ab alia, cuius est principium per actum notionalem. Secundo probatur: nam productio filij est vere & proprie generatio, vt docet communis omnium Theologorum Scola, cũ Diuo Thoma, quæstion. 27. articulo secundo, sed generatio vere, & proprie est actio: neque enim potest actionis rationem subter fugere, eo quod generare nihil aliud est, quam quod agens producat sibi simile in natura: ergo actus notionales vere & proprie actiones sunt. Tertio ostenditur rationibus factis pro prima parte conclusionis: pariter namque vtramque partem conuincunt: etenim generare, & spirare nihil aliud sunt, quàm intelligere & velle, cum connotatione relationum, videlicet generantis & spirantis. Rursus ratio actionis nullam includit imperfectionem huiusmodi actibus notionalibus repugnantem, sed solum petit distinctionem, non actus, sed termini producti, à suo principio, & actualitatem actus secundi, quæ duo in illis reperiuntur: ergo & ratio actionis in eis debet reperiri.

17 Sed contra arguunt prædicti authores, primo: nam de ratione actionis productiuæ est quod sit productio effectus realiter distincti ab illa, & quod mediet inter duos terminos, scilicet, inter terminũ aquo, & ad quem, & quod suponat potentiam passiuam in qua recipiatur: quia omnis actio etiam immanens recipitur in agente secundum aliquam eius potentiam. Deinde petit actio in suo conceptu, quod sit vere ellicita, & causata à suo principio, & quod sit terminus finis, & complementum illius: sed nihil horum potest actibus diuini intellectus, & voluntatis conuenire: ergo non saluatur in illis ratio actionis. Secundo: nam actus notionales sunt relationes, sed relatio non est proprie actio cum sit ratio referendi, & non agendi: ergo. Maior patet, quia Diuus Thomas, prima parte, quæstion. 41. articulo primo, ad secundum asserit ex Magistro distinctione 26. quod generatio, & natiuitas alijs nominibus dicuntur paternitas, & filiatio, sed si distinguerentur vt duæ rationes distinctione virtuali, siue rationis ratiocinatæ falso diceret Diuus Thomas, sicut etiam falso diceret quod sapientia Dei alio nomine appellatur iustitia, quia sunt attributa ratione distincta: ergo. Confirmatur: nam actus notionales supra actus essentiales intellectus, & voluntatis non addunt nisi solam relationem: ergo essentialiter sunt relationes, vel includunt illas in suis conceptibus. Antecedens est Diui Thomæ vbi supra dum subdit quod remoto ab aliqua actione motu non remanet nisi relatio siue ordo originis, & ideo cum in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam nihil aliud est, quam habitudo principij ad personam productam, quæ habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones, quia tamen de diuinis loqui non possumus, nisi admodum rerum sensibilium, aquibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones, & passiones in quantum motum implicant, aliud sunt à relationibus ex ipsis consequutis: ideo oportuit seorsum significari habitudines personarum per modum actionis, & seorsum per modum relationis: & sic patet quod sunt idem secundum rem, & differunt solum secundum modum significandi, ex quo testimonio tale deducitur argumentum: actiones notionales, solum diferunt à relationibus pœnes modum significandi: ergo solum sunt actiones gramaticaliter, & quoad modum significandi. Tertio arguunt à proportione potentiæ generatiuæ: nam potentia generatiua nihil aliud est, quam essentia diuina adiuncta paternitati, vt docet Diuus Thomas, ibidem articulo quinto: ergo similiter generatio actualis erit intellectio essentialis adiuncta relationi filij. Consequentia patet: nam actus debet proportionari potentiæ, sed proportio inter potentiam generatiuam non saluatur, nisi in hoc quod generatio conflctur ex essentia, & relatione sicut potentia generatiua: ergo actus notionalis nihil addit supra actum essentialem nisi solam relationem: ac proinde licet admitamus actus essentiales esse actiones: non tamen cogimur admittere, quod actus notionales formaliter sumpti sint actiones. Ad primum nihilominus respondetur negando maiorem, quia licet illæ conditiones sint intrinsicæ actioni creatæ, non tamen sunt intrinsicæ actioni in tota sua latitudine prout abstrahit à creata, & in creata. Potest etiam distingui maior quoad hunc sensum, quod de ratione actionis, quantum ad id aquo nomen fuit impositum vera est maior: secus autem quantum ad

rem

rem ſignificatam, quæ in ſua ratione formali, & in analogato principali vindicatur à prædictis imperfectionibus. Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori negando minorem: nam licet relatio limitata quæ ſolum eſt pura relatio condiſtinguatur ab actione realiter, & conſtituat diuerſum prædicamentum ab illa tamen relatio infinita propter ſuam eminentiam exequitur propria actionis, & propria relationis, ſicut eadem diuina eſſentia abſque læſione ſuæ ſimplicitatis continet genus abſoluti, & relatiui entis, & exequitur propria vtriuſque: quando autem Diuus Thomas dicit, quod ſecluſo motu remanet ſola relatio dictio excluſiua non excludit ab identificatis formaliter cum ipſa relatione, ac proinde non excludit ab actione identificata, cum actione diuina: ſicut cum dicitur ſolo homine currente tantum hominem currere, dictio excluſiua non excludit ab animali eſſentialiter incluſo in homine, & hæc eſt ſolutio ſub inductæ confirmationis: iuxta quam diſtinguendum, vel negandum eſt antecedens, ad cuius probationem deſumptam ex teſtimonio Angelici Doctoris dicendum eſt, quod actiones diuinæ debent gramaticaliter, & ſecundum modum ſignificandi diſtingui à relationibus, non quia in ſe ipſis non habeant veram rationem actionis, ſed quia non habent illam cum imperfectionibus actionis creatæ, nempe motus, aut mutationis, elicitæ, cauſatæ, & realiter diſtinctæ à ſuo principio: has enim imperfectiones ſolum habet ſecundum modum ſignificandi, quatenus ſignificatur admodum actionis creatæ, & prædicamentalis quæ fundat relationem à ſe diſtinctam, quem admodum intellectio creata propter eandem rationem dicta fuit à Caietano, prima parte, quæſtion. 34. articulo primo, actio gramaticalis, & quoad modum ſignificandi dum taxat, quia ſignificatur admodum actionis prædicamentalis includentis motum, cuius tamen ipſa eſt expers. Ad tertium duplex eſt ſolutio prima, aſſerentium actus notionales conſtitui ex eſſentialibus actibus, vt adiunctis relationibus principij, & procedentis. Ita Caietanus, prima parte, quæſtione, 27. articulo tertio, & Ferrarienſis, quarto contra gentes, capite 13. quibus ſubſcribunt ex neothericis Suarez, libro primo de Trinitate, capite ſeptimo, & Vazquez diſputatione, 1. & 14. capite tertio, iuxta quam doctrinam concedenda eſt conſequentia: ac per conſequens diuinæ proceſſiones erunt actiones eſſentiales non abſolutæ ſumptæ, ſed modificatæ per relationes adiunctas, neque enim ab eſſentialibus actionibus diferunt niſi, ſicut includens ab incluſo, vel ſicut idem abſolute ſumptum à ſe ipſo taliter modificato. Secunda ſolutio eſt Scoti in primo diſtinctione ſecunda, quæſtione ſeptima, Ochami Gabrielis, ibidem diſtinctione ſeptima, & Valentiæ libro ſecundo de Trinitate, capite quarto, & prima parte, diſputatione ſecunda, quæſtione prima, puncto tertio, & Molinæ, prima parte, quæſtione, 27. articulo tertio, diſputatione quarta, aſſerentium actus notionales, nempe dicendi, & ſpirandi ſe totis, & adæquate diſtingui ratione, ab intelligere, & velle eſſentiali eo quod extrema horum actuum, nempe principium, & terminus à quibus veluti ſpecificantur ſunt diſtincta in actibus eſſentialibus, atque in notionalibus iuxta quorum ſententiam mihi probabiliorem neganda eſt conſequentia argumenti facti. Ad cuius probationem negatur minor: nam cum in potentijs magis vnitæ contineantur quæ in actibus ſunt magis diſtincta: proportio conſiſtit in hoc, quod ſicut eadem potentia generatiua conflatur ex eſſentia & relatione: ita duobus actibus terminetur altero pure eſſentiali: altero pure notionali.

QVÆSTIO II.

De infinito in tres articulos diuiſa.

EA, quæ de infinito docuerat Philoſophus, libro tertio Phyſico, capite quarto, repetit hic capite, 9. Primumque deſcribit infinitum dicens: *Eſt autem infinitum, aut quod impoſsibile eſt pertranſire, quia ſuapte natura decurri non poſsit, aut quod tranſitum habet interminabilem, aut quod natura quidem aptum eſt vt habeat, nec tamen tranſitum, aut finem habet, &c.* Quibus in verbis non infinitum ſecundum eſſentiam, aut perfectionem, ſed illud dum taxat, quod eſt ſecundum magnitudinem deſcribit. Duplexque huiuſmodi infinitum eſſe determinat, aliud actuale, quod nequit dari in rerum natura, & aliud potentiale, quod

quod in diuisione continui cernitur: primo in magnitudine. Secundo in motu, postremo in tempore, & non alibi; eo quod hoc tantum triplex genus continuorum reperitur. Et quoniam superius libro secundo, comparauimus infinitum ad cognitionem: ibi namque ostendimus quo pacto esset cognoscibile, aut incognitum, hic comparandum est ad productiuam actionem, & videndum nobis. Primo, quo pacto secundum naturalis agentis potentiam infinitum in actu nequeat fieri: deinde an in ordine ad diuinam omnipotentiam repugnet dari extra Deum optimum maximum, qui est per essentiam infinitus: postremo quo pacto vnum infinitum ad alterum possit, ac debeat comparari.

ARTICVLVS. I.

An possit infinitum in actu per agentis naturalis potentiam, aut de lege ordinaria produci?

VARIAS acceptiones infiniti dari constat ex Philosopho in capite nono, huius & capite quarto, libri tertij, Physico: easque, & nos libro secundo, recensuimus: aliud enim est infinitum chategorematice, siue in actu, quod diffinit dicens, esse illud *cuius nihil est extra*, aut, *extra quod nihil est*: eo quod actu constat ex partibus æqualibus infinitis. Aliud vero infinitum in potentia: *cuius quantitatem accipientibus semper aliquid accipere est, extra* quamuis hæc diffinitio tam infinito in actu, quam infinito in potentia est communis. Vnde congruentius dicitur infinitum synchategorematice esse illud, cuius partes si numerentur, acceptæ, ac numeratæ semper sunt finitæ, quæ autem restant accipiendæ, ac numerandæ sunt infinitæ, quia non tot possunt numerari, quin plures restent numerandæ; & huiusmodi infinitum in continuis est triplex, vt dictum est in argumento quæstionis, sed ne dum in continuis verum etiam in quantitate discreta potest reperiri, vt in numero effectuum, quos Deus potest producere: infinitos namque homines, & infinitas animas, atque infinitos Angelos potest synchategorematice producere, nullus enim potest dari, quo signato nequeat alium, aut perfectiorem, aut minus perfectum producere. Rursus infinitum in actu multiplex ex cogitari potest. Aliud enim est per essentiam tale, & secundum essentialem perfectionem, qua ratione Deus solus est infinitus, vt demonstrat Diuus Thomas, prima parte, quæstione septima, articulo primo, & secundo. Aliud ex cogitari potest extra Deum secundum intensionem, vt si qualitas aliqua infinitis gradibus intensionis gauderet. Aliud secundum modalem perfectionem, siue Physicam, siue moralem: quo pacto Theologi dicunt gratiam Christi domini, eius meritum, & satisfactionem, peccatique mortalis offensam esse entia infinita. Aliud secundum magnitudinem continuam, qualis esset linea infinitæ longitudinis, aut corpus infinitæ extensionis. Aliud denique ex cogitari potest infinitum secundum quantitatem discretam, qualis esset multitudo constans actu vnitatibus infinitis.

Status controuersiæ.

Controuersia igitur huius articuli non habet locum in infinito per essentiam, synchategorematice, quod de facto datur: quod datur in Deo, nec in infinito sintam in continuis, quam in multitudine effectuum successiue à diuina omnipotentia producibilium, neque de infinito secundum modalem perfectionem, quod etiam de facto in gratia, & actibus humanitatis assumptæ reperitur: de hoc tamen; articulo tertio, fiet sermo; sed de quocunque ex alijs modis infiniti in actu recensitis: ita vt sensus sit, an extra Deum, infinitum secundum perfectionem essentialem, vel intensionalem, vel secundum magnitudinem continuam, aut discretam de lege ordinaria, & per actionem agentis naturalis, siue creati, siue diuini, vt auctoris naturalis possit reperiri?

2 In quo fuit ante Aristotelem multorum communis opinio, nempe Anaxagoræ, Anaximandri, Xenophanes, Colophonij, seleuci, & aliorum asserentium posse naturaliter infinitum in actu tam in corporibus secundum extensionem continuam, & discretam, quàm secundum intensionem in qualitatibus dari. Quos ipse acerrime arguit, reprehendit in quinque libri tertij Physicorum capitibus, ac refutat: infinitum autem per essentiam extra Deum nullus, quem ego viderim, vnquam posuit, sed neque alijs modis,

sed

sed neque alijs modis posse naturaliter dari, est adeò communis sententia, vt nemo qui non sit insipientiæ nota inurendus, negare audeat, quam defendunt & aprobant multi scholastici in 1. distinctione 34. & 1. p. quæst. 7. tanquam nedum lumine naturali notam, sed etiam fidei consentaneam, pro cuius declaratione sequentes statuuntur assertiones.

2 Respondeo dicendum primo: solus Deus esse potest infinitus per essentiam: hæc cõclusio cum exclusiua sit, habet duas exponentes: nempè Deum esse infinitum per essentiam, & nullum aliud ens posse esse infinitum per essentiam: primam ostendit D. Thom. hac ratione in artic. 1. quæstionis prælegatæ. Deus habet esse illimitatum: ergo habet esse infinitum: ac proinde eius essentia, quæ est suum esse est infinita. Antecedens probat D. Thom. quia habet esse omninò irreceptum: eo quod est in summo immaterialitatis, sed quanto aliqua forma, aut natura est immaterialior, est minus limitata, eo quod limitatio formæ prouenit à materia: ergo si Deus est in summo immaterialitatis, atque habet esse omninò irreceptum, consequens est, vt habeat esse illimitatum: ac proinde infinitum. Cõfirmatur, & explicatur hęc ratio: infinitum per essentiã est id cuius essentię nihil deest, nullaque potest fieri additio, eoquod nihil ei potest superaddi, nihil in illo potest recipi: ac proinde secundum nihil sui habet esse receptum: sed Deus est talis naturæ, & conditionis, quod ei nihil potest superaddi, per inde secundum nihil sui habet esse receptum; ergo est infinitus per essentiam. Maior patet: nam si perfectum in suo genere est illud, cui nihil deest, nullãque admittit additionem in tali genere; infinite perfectum, ac per essentiam, erit illud, cui nihil absolute potest superaddi. Secundam partem probat D. Thom. eadem ratione in oppositum versa, nulla creatura est in summo immaterialitatis: etenim licèt sit expers materiæ phisicæ constat tamen ex materia metaphisica: nempè ex generico gradu condistincto à differentiali, ex quo prouenit vt habeat existentiam distinctam realiter ab essentia, habet suppositalitatem realiter distinctam à natura: ac proinde esse receptum in supposito: ergo nulla creatura est quæ habeat esse illimitatum simpliciter: sola enim summa, & omnimoda immaterialitas est ratio illimitationis, & infinitatis per essentiam. Confirmatur: nam omnis creatura quantumuis immaterialis, & in corporea sit, habet receptam existentiam, nec non est capax recipiendi aliqua accidentia saltem actiones immanentes, quibus amet, & intelligat: ac proinde secundum aliquid sui habet recipi in subiecto, admittitque alicuius perfectionis additionem, quæ quidè repugnat enti infinite per facto per essentiam: ergo omnis creatura est per essentiam finita, ac proinde solus Deus habet esse infinitum per essentiam.

Dico secundo, nequit dari de lege ordinaria infinitum actu in qualitatibus secundum intensionem, hæc probatur primo: nam sapientiæ 11. dicitur Deum omnia pondere, numero, & mensura condidisse, ideſt, omnibus rebus terminum quendam prefixisse, quæ de facto sunt finitæ, ac terminatæ: qualitates igitur certis limitibus, ac terminis in suæ intensione claudentur. Secundo probatur inductione: nam qualitates corporis naturales iuxta naturæ ordinem, ac legem vniuersi debent finitæ intensionis esse: si enim sint primæ qualitates, quibus constant elementa nequeunt infinitatem habere, aliàs quæcunque illarum, esset infinita, omnia alia corpora absumeret, & in substantiam proprij subiecti mutaret: si autem secundæ sunt ex quibus mixta componuntur, cum istæ ex mixtione fiant primarum, sicut istæ sunt finitæ intensionis, ita & illæ, quia nequit effectus excedere suam causam. Rursus qualitates spirituales, vt sunt habitus, & actus naturales intellectus, & voluntatis finitæ intensionis sunt, sicut & infinitæ perfectionis, ac connatus: supernaturalia quoque dona finitam debent, secũdum legem gratiæ ordinariam, intensionem habere: maxima enim gratia, verbi gratia (idem quoque dicendum est de alijs gratiæ donis in humanitate assumpta repertis) secundum intensionem de lege ordinaria fuit gratia Christi Domini, vtpote quæ fuit capitis, & principij vniuersalis illuminantis creaturas rationales per gratiæ, ac sapientiæ plenitudinem, de qua plenitudine omnes iusti acceperunt homines: sed adhuc gratia Christi fuit finita, secundum intensionem, potuit enim Deus de potentia absoluta aliam producere intensiorem, aliàs enim eius potentia exhausta maneret circa gratiæ augmentum intensiuum: quod non est admittendum: ergo à fortiori omnis alia gratia finitæ intensionis debet esse. Tertio probatur à priori: nam omne accidens consequutum ad formam, siue essentiam finitæ perfectionis, de-

bet eſse naturaliter fininitum, ac limitatum, ſed qualitates naturales ſunt accidentia ad formam, ſiue eſſentiam finitam conſequta: ſunt enim vel naturales diſpoſitiones formæ, vel eius proprietates, vel actiones ex eius virtute dimanantes, ſiue elicitæ: ergo cum forma, ſiue eſſentia omnis creaturæ ſit finita: naturaliter poſtulat qualitates, quibus aut naturaliter diſponitur, aut perficitur, finitas, ſecundum modum ipſis proprium recipiendi augmentũ: hac ratione probat D. Thom. artic. 2. quæſtionis citatæ finitum corpus ratione formæ finitæ vendicare, ſibi accidentia finita, ac limitata quæ ſi infinitæ intenſionis eſſent, formæ finitæ, non proportionarentur, quę ratio de accidentibus dumtaxat naturalibus procedit, de ſuper naturalibus autem procedunt duę rationes priores, quæ amplius confirmabuntur, ex dicendis articulo ſequenti, in quo oſtendemus infinitum ſecundum intenſionem omninò ex parte facti diuinæ omnipotentiæ repugnare.

3 Dico tertio infinitum cathegorematice, nec ſecundum magnitudinem nec ſecundum multitudinem naturaliter poteſt dari: hæc concluſio pro prima parte probatur duplici ratione, qua vtitur in loco proxime allegato Doctor Sanctus, quarum prima ſic procedit: omnis forma determinata, ac finita vendicat ſibi accidentia finita, ac determinata, debent namque accidentia naturaliter ad formam conſequta ipſi proportionari & iuxta virtutem, & efficaciam, atque exiſtentiam formæ conſequi: ſed vnum ex accidentibus ad formam corporis naturalis conſequtis eſt qualitas: ergo omne corpus naturale ratione ſuæ determinatæ, ac finitæ formæ vendicat ſibi quantitatem finitam, ac per conſequens petit naturaliter finitam extenſionem. Secunda ſic: omne corpus naturale habet principium intrinſecum naturale motus: quia ſecundum naturam debet eſſe mobile, aut motu recto, aut motu circulari: ſed corpus actu infinitæ molis, neque motu circulari poſſet moueri naturaliter: ergo non eſt dabile corpus naturale infinitum in actu: patet minor quoad motum rectum: quia ocuparet omnem locum vniuerſi: tum quia ſi eſſet infinitum non poſſet totaliter egredi à primo loco: non enem talis egreſsio paulatim facta eſſet tempore finito per tranſibilis: tum etiam: quia cum locus eius eſſet infinite extenſus nunquam poſſet abſolui, aut omninò euacuari: quoad motum vero circulatem patet eandem minor: quia pars verbi gratia quæ fixa eſt verſus orientem, numquam, peruenire poſſet ad locum alterius partis, verbi gratia, verſus occidens fixæ, cum enim inter vtranque mediaret diſtantia infinita, numquam talis diſtantia eſſet pertranſibilis: ergo non poſſet volui circulariter corpus infinitum: conſequentia patet: quia vt circulariter voluatur aliquod corpus requiritur vnam partem ad locũ alterius peruenire: ergo ſi pars orientis non poſſet peruenire ad locũ partis accidentis, neque tale corpus volui circulariter poſſet. Cõfirmãtur amplius prædictæ rationes, ex eo quod omne corpus naturale, & naturaliter productum eſt pars huius vniuerſi: ac proinde inter vniuerſi ſpatium poſitum, ac collocatum, quod finitum eſt, cum ſub ſupremæ cæleſtis ſpheræ ambitu continuatur, extra illius enim ambitum, & conuexam ſuperficiem cum nihil ſit, nullum corpus naturaliter produci poteſt. Tum quia ex nihilo natura nihil poteſt facere: tum etiam, quia deſt ibi cæleſtium corporum influxus ad naturalem corporis productionem requiſitus; ergo impoſſibile eſt corpus infinitæ molis per naturam produci. Pro ſecũda autem parte probatur noſtra concluſio duabus rationibus, quibus vtitur D. Thom. art. 4. quæſtionis citatę, quarum prima hæc eſt: omnis multitudo debet eſſe in aliqua ſpecie numeri: quia ſpecies multitudinis ſunt, ſecundum ſpecies numerorum: ſed nullus numerus poteſt eſſe infinitus actu: ergo nulla multitudo poteſt eſſe infinita. Minor patet, quia omnis numerus eſt multitudo menſurata per vnum, ideſt, terminata per vnum: ac proinde repugnat illam eſſe infinitam, Secunda ſic: omnis multitudo exiſtens in rerum natura, ſiue in aliqua differentia temporis eſt creata, ſed omne creatum comprehenditur ſub aliqua certa intentione creantis: ergo & omnis multudo creata debet claudi ſub certa intentione creantis. Tunc vltra, ſed quidquid comprehenditur ſub certa intentione creãtis, debet ſub certo numero claudi: quia certa ac determinata intentio ad incertum, atque infinitum numerum nequit terminari: ergo. His rationibus ſimul reicit D. Thom. opinionem Auicenæ, & Algazelis, qui ſuper tertium Phiſicorum, poſsibilem eſſe multitudinem infinitam actu per accidens poſſuerunt, eo quod non tantum in hijs, quæ habent ordinem per ſe

ſed

ſed etiam in agregatis per accidẽs conuincunt impoſsibilem eſſe talem infinitam actu multitudinem.

4 Sed contra has cõcluſiones arguitur 1. nam ratio, qua D. Th. vtitur ad probandum ſolum Deum eſſe infinitum per eſſentiam nullius eſt efficaciæ: ergo ex illa non conuincitur veritas noſtræ primæ concluſionis: antecedens probatur tripliciter, primo, quia ſi alicuius eſſet efficaciæ ex illa conuinceretur materiam primam, eſſe actu infinitam per eſſentiam, ſiquidem eſt omnino irrecepta, quod tamen nõ eſt admittendum, quia veritati, & ipſi concluſioni exclusiuæ ſancti Doctoris repugnat: ergo. Secundo, quia ſequeretur etiam Angelum eſſe infinitum per eſſentiam ſiquidem eſt omnino inmaterialis. Tertio, quia excluſio materiæ non eſt ratio perfectionis, ſiquidem prius Deus, eſt in ſe perfectus, quam dicat ordinem ad materiam: ergo. Hoc argumento conuictus fuit Scotus in ſecundo diſtinct. 2. quæſt. 2. & poſtea Suarez, tom. 2. Methaphiſicæ, diſput. 30. ſect. 1. ad reijciendam rationem ſancti Doctoris, ſed immerito: nam facilem habet ſolutionem ex dictis, ratio enim Doctoris ſancti procedit ex eo quod limitatio formæ prouenit à materia, ac proinde illimitatio ab excluſione materiæ, & elongatione ab illa, vnde quanto forma eſt magis expers materiæ tanto eſt perfectior, & cõſequenter quæ eſt in ſummo inmaterialitatis, etiam eſt in ſummo illimitationis, & infinitatis, ſola autem diuina natura eſt in ſummo inmaterialitatis, quia nedum phiſicam, ſed etiam methaphiſicam potentiam, ac compoſitionem excludit, quo ſuppoſito ad formam reſpondetur negando antecedens, ad probationem primam negatur maior: materia enim prima, cum ſit ipſa prima ratio, fons, & origo materialitatis ſibi, & alijs eſt ratio, & principium limitationis: neque enim quodcumque eſſe irreceptum eſt ratio infinitatis per eſſentiam, ſed illud, quod eſt formale, & materiæ expers. Ad ſecundam negatur ſequela quia vt oſtenſum eſt, Angelus non eſt in ſummo inmaterialis, ac proinde non eſt ſimpliciter infinitus, quia tamen eſſentialiter eſt inmaterialis per excluſionem corporis, ac materiæ phiſicæ, aliquam habet eius eſſentia infinitatem, quatenus natura vnius cuius quæ Angeli ſic habet omnem plenitudinem ſuæ ſpeciei in vno indiuiduo, vt extra illud nequeat reperiri. Ad tertiam, ſi nomine excluſionis materiæ intelligatur negatio ipſa materiæ, fatemur antecedens, ſi autem accipiatur nomine excluſionis ipſa entitas inmaterialis, quæ fundat negationem, & per illam à nobis circunſcribitur, negamus antecedens, enitas autem hæc licet explicetur per ordinem ad materiam, in ſe abſoluta eſt à tali ordine, ac proinde ſicut Deus eſt perfectus in ſe, ita & in ſe eſt irrecepribilis, & inmaterialis ſine ordine ad materiam, licèt ſine illo non ſit à nobis cognoſcibilis in ratione ſic irrecepribilis, & inmaterialis.

Secundo arguitur: nam qualitates aliquæ ſunt intenſibiles in infinitum, etiam ex natura rei, vt ſunt gratia, & charitas, & tamen poſſunt eſſe in ſummo gradu: ergo poſſunt ad infinitam intenſionem peruenire. Minor patet, quia gratia & charitas in Chriſto domino fuerunt ſummæ: ergo ſi ſunt alias infinite intenſibiles habuerunt in Chriſto infinitam intenſionem. Hoc argumentum poſtulat vt explicemus quo pacto qualitates habeant terminum ſui augmenti intenſiui, in quo eſt triplex modus dicendi primus Durandi in 1. diſtinctione 17. quæſt. 9. Scoti in 3. diſtinct. 13. quæſt. & Caietani, 2. 2. quæſt. 24. artic. 7. & 3. part. quæſt. 7. art. 11. aſſerentium omnem qualitatem habere terminum intrinſecum ſuæ intenſionis citra infinitum, ita vt nulla in infinitum ſit intenſibilis etiam de potentia abſoluta; qui ſuadetur his argumentis: primo, quia D. Thomas abſolute in ſua ratione ait, omne accidens conſequutum ad formam determinatam debere eſſe determinatum. Secundo, quia teſtẽ eodem D. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 11. & 12. omnes formæ habent determinatum gradum ex natura rei, ex quo infert gratiam in Chriſto Domino determinatam intenſionem habuiſſe. Tertiò quia alias omnes qualitates eſſent in infinitum intenſibiles ſicut gratia, & charitas, eadem enim ratio eſt de omnibus; quod tamen eſt falſum in qualitatibus naturalibus, 4. Quia, alias motus alterationis poſſet eſſe infinitus ſiquidem vbi latitudo graduum poteſt creſcere in infinitum, etiam latitudo, ac ſucceſsio continua motus; ſumitur enim continuitas motus ex continuitate termini. &c. Quod tamen omnino negat Philoph. 8. Phiſico. text. 32. Quinto: nam ſicut genus petit graduum ſpecificorum latitudinem, ita qualitas petit latitudinem graduum intenſionis, imò magis illam pe-

tit genus, quam iſtam qualitas, quia qualitas poteſt ſaluari in indiuiſibili ſine pluralitate graduum, generis autem potentialitas, nequit ſaluari ſine pluralitate ſpecierum & tamen genus habet terminum in gradibus ſpecificis: ergo & qualitas debet habere terminum in gradibus intenſionis. Sexto: quia in omnibus qualitatibus ex natura rei datur minimum quod ſic: ergo etiam maximum. Conſequentia patet: quia omnis forma deducibilis de paruo ad magnum ſi habet terminum in minimo, debet illum habere in maximo: mutuo enim ſibi iſti termini correſpondent. Antecedens probatur: nam aliàs motus remiſsionis protenderetur in infinitum, & per conſequēs, quando calor, verbi gratia, agit in frigidum, & expellit ab illo frigiditatem nunquam omnino illam expelleret, ſi ſemper aliquid ſuper eſſet expellendum, ſiquidem numquam eſt ad minimum frigiditatis peruenire: ſequeretur etiam nullam qualitatem incipere per primum ſui eſſe, ſiquidem vbi non eſt minimum, neque eſt dare primum ſui eſſe, conſequens autem oſtenditur falſum in lumine, & gratia quæ incipiunt per primum ſui, eo quod producuntur in inſtanti, de gratia quidem id affirmat D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 7. ad quintum: de lumine eſt manifeſtum: quia fit ſine expulſione contrarij. Vltimo: quia productio cuiuslibet qualitatis eſt inſtãranea: ergo nulla qualitas habet latitudinem graduum intenſiui augmenti terminatiuam. Antecedens probatur tripliciter primo: quia teſte Philoſopho in loco proxime allegato ex 8. phiſicorum, omnis alteratio fit ſubito, ideſt in inſtanti. Secundo quia teſte D. Thoma in loco proxime citato ex 1. 2. toto tempore, quo corpus nigrum alteratur ad albedinem eſt ſub forma nigredinis, & in vltimo inſtanti eſt ſub albedine: ergo ſignum eſt albedinem non habere talem latitudinem. Poſtremo: quia acquiſitio albedinis deſinit per inſtans intrinſecum, in quo eſt verum dicere nunc eſt adquiſita tota albedo, & ante non erat adquiſita tota albedo: ergo etiam datur primum inſtans inceptionis: neque valet ſi dicas verſus finẽ dari in motu, primum mutatum eſſe, ſecus autem verſus principium: nam poteſt dari primum apliicatum eſſe ignis, verbi gratia, ad ſpheram ſuæ actiuitatis, vt quando peruenit per motum ad lineam ſpheræ terminatiuam, & etiam quando miraculoſe produceretur â Deo in inſtanti intra ſpheram actiuitatis: tunc poteſt produce-

re calorem, cum ſit potens, & ſufficienter aproximatus: ergo.

Secundus modus aſſerit omnes qualitates poſſe in infinitum augeri intenſiue ſaltem de potentia abſoluta, licèt ſecundum legem ordinariam habeant terminum: ita habet Soto 1. phiſicorum quæſt. 4. §. *de potentia vero abſoluta*, Capreolus in 3. diſtinctione 13. quęſt. vnica: quorum fundamentum eſt: quia quacunque creatura data, poteſt Deus in aliam perfectiorem: igitur quacunque qualitate data poteſt Deus eandem magis perficere: & quia teſte D. Tho. quæſt. 29. de virtute art. 3. ad tertium, potentia obedientiæ creaturæ ad Deum eſt talis capacitas, quæ non poteſt impleri, ſed quidquid Deus de illa faciat adhuc manet in potentia ad aliquid amplius recipiendum: ergo nunquam ſatiari poteſt potentia ſubiecti ad augmentum ſuæ qualitatis.

Tertius modus aſſerit, quod licèt qualitates ſupernaturales ex natura rei non habeant terminum augmenti, bene tamen naturales, tamen de potentia Dei abſoluta omnes poſſunt creſcere in infinitum, quæ ſuapte natura ſunt intenſibiles, & remiſsibiles: & quia hic modus eſt verus, propterea à nobis probatur, & quidem quoad primum dictum, nempè quod qualitates ſupernaturales ex natura rei non habeant terminum ſui augmenti patet: nam teſte D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. charitas ſuapte natura non habet terminum, ſed poteſt creſcere in infinitum excluſiue, & eadem eſt ratio de gratia & alijs accidentibus ſupernaturalis ordinis: ergo. Secundo: quia determinatio informis prouenire poteſt ex triplici cap. 1. ex virtute principij effectiui, & eius limitatione. Secundo ex ipſius formæ natura, & conditione. Tertio ex limitatione potentiæ ſubiecti recipientis, & his addit quartum D. Thom. in art. 12. quæſtionis 7. præallegatæ dicens, etiam poſſe ſumi ex parte finis, ſed formę ſupernaturales ex nullo capite iſtorum habent terminum ergo. Min. patet: quia non ex virtute agentis, quæ eſt infinita, neque ex natura ipſarũ formarum cum omnes ſint ordinis infiniti, & participaciones formales, vel naturæ diuinæ, vel alicuius attributi diuini, natura autem diuina, & eius attributa ſunt in infinitum participabilia, & quia ſicut charitas tendit in Deum prout in ſe infinite, ac ſine termino amabilis, & propterea poteſt augeri in infinitum, ſimiliter, aliæ virtutes ſupernaturales reſpi-

respiciunt diuina attributa prout in infinitum imitabilia, ac participabilia: neque ex parte potentiæ receptiuæ, quia hæc est potentia obedientialis, quæ ad recipiendum est sincathegorematice infinita, & est omnimoda subiectio ad Deum, vt faciat in illa, & ex illa quidquid non implicat contradictionem, neque exparte finis: quia finis donorum spiritualium est ipse Deus, qui & est principium actiuum illorum, ordo enim finis est secundum ordinem agentium. Quoad secundum vero dictum, nempè quod naturales qualitates habeant terminum ex natura rei patet. Tum quia licèt sapientia, & aliæ perfectiones simplices de se non petant terminum, tamen vt sunt perfectiones hominis, verbi gratia, habent illum: ergo qualitates, quæ ex natura sua sunt perfectiones creaturarum habent terminum. Tum etiam: quia omnes qualitates ordinis naturalis sunt connaturales substantijs naturalibus, ad earumque formas determinatas consequuntur, sed omne accidens consequutum ad formam determinatam, vel illi connaturale, habèt terminum tam secundum intensionem, quàm extensionem, vt probat ratio Angelici Doctoris: ergo. Tum denique: quia habent principia suæ determinationis: sunt enim ab agente finito producibiles suapte natura, & in subiecto secundum potentiam naturalem recipiuntur, atque ex natura sua non tendunt ad aliquid in infinitum participabile sicut formæ supernaturales: ergo. Tandem quoad tertium dictum, videlicet quod omnes tam naturales, quàm supernaturales intensibiles qualitates possint de potentia absoluta augeri in infinitum, suadetur argumentis pro secundo modo dicendi factis, quibus suppositis.

Respondetur ad argumentum principale negando minorem, licèt enim gratia, & charitas fuerint in summo gradu de lege ordinaria taxato, ac prescripto in Christo Domino, tamen de potentia absoluta potuerunt in infinitum crescere intensiue, imò etiam relictæ suæ naturæ huiusmodi dona non habent terminum sui augmenti, sed illum habuerunt per accidens, & de facto ex suppositione diuini decreti, quo Deus decreuit omnium iustorum, gratiam Christi maximam fore, & sic intelligendus est noster Doctor in artic. 11. & 12. quæst. 7. dum asserit gratiam Christi esse in summo gradu: nisi malis dicere illum velle, quod gratia Christi fuerit in summo in genere gratiæ: quia sic fuit infinita, atque valoris infiniti: secus autem in esse qualitatis: quia sic fuit finita, atque finitæ intensionis: ex eadem solutione patet ad secundum argumentum primi modi dicendi. Ad primum quoque patet ex dictis, quod D. Thom. in illa ratione loquitur de accidentibus naturalibus ex agente subiecto, & fine limitatis. Ad tertium autem negatur sequela propter discrimen assignatum inter qualitates naturales, ac supernaturales. Ad quartum distinguendum est consequens: si enim sermo fiat de motu alterationis ad qualitates naturales terminato, qui fit ex potentia naturalis subiecti ab agente finito, & secundum legem ordinariam, negatur sequela, & de huiusmodi motu alterationis loquutus fuit Philosophus: si autem sermo fiat de motu alterationis ad qualitates supernaturales terminato & qui fit ex potentia obedientiali subiecti, ex virtute agentis infiniti, vel secundum absolutam Dei potentiam: admittitur sequela, & negatur min. eo quod huiusmodi qualitates ordinis supernaturalis, neque ex ordine ad potentiam Dei absolutam, neque ex natura rei habent terminum suæ intensionis. Ad quintum admissa maiori negatur min. si fiat sermo in illa in ordine ad potentiam Dei absolutam: nam etiam sub animali possunt de potentia Dei absoluta dari plures species sine termino, atque sincathegorematice infinitæ, licèt finitæ, ac determinatæ sint, secũdum legem ordinariam. Ad sextum, quod procedit de qualitatibus naturalibus ex natura rei, & secundum legem ordinariam consideratis, dicendum est, quod possunt accipi dupliciter: primo vt sunt naturales dispositiones ad formarum substantialium introductionem requisitæ. Secundo absolute, & secundum se: & quidem primo modo, sicut habèt maximum, ita habent minimum, quia comproducuntur in instanti ad substantiæ productionẽ, secus autem secundo modo: quia quando adquiruntur per motum ad illas per se primo terminatum, incipiunt per vltimũ non esse, & cum in motu versus initium non detur primum mutatum esse, sed ante quodcunque mutatum esse detur motus, propterea nequit dari minimum in qualitate intensibili per motum, datur tamen maximũ in illa, quia consequitur ad formam determinatam à qua omnis naturalis qualitas in sua intensione determinatur nec non ab agente, & à subiecto, iuxta quam solutionem negatur antecedens. Ad cuius probationem primam dicendum est, quod

quia datur minimum in ſubſtantijs generabilibus, ſub quo, & non ſub minori poſſunt produci, ita datur minima qualitas in ratione naturalis diſpoſitionis, cum qua, & non cum minori poteſt forma ſubſtantialis introduci: quando autem qualitas naturalis adquiritur per motum ad ipſam per ſe primo terminatum, tunc non datur minimũ, quod ſic, ſed maximum quod non, ideſt terminus ſub quo nequit produci, bene autẽ ſub maiori & ſic motus incipit per vltimũ non eſſe, & ſimiliter in remiſsione datur maximũ quod non, ideſt terminus ſub quo qualitas remiſa, nequit conſeruari, bene autem ſub maiori, & ſic antequam perueniatur per remiſsionem ad maximũ quod non corrumpitur qualitas. Vnde non opus eſt protendi motum remiſsiuum in infinitum ſi autem loquamur de qualitatibus naturalibus in ordine ad potentiam Dei abſolutam, dicendum eſt illas neque minimũ, neque maximum quod ſic habere, & conſequenter alterationem ſiue intenſiuam, ſiue remiſsiuam ad illas de potentia Dei abſoluta terminatam poſſe protẽdi in infinitum. Ad ſecundam probationem negãda eſt ſequela: nam ſunt aliquę qualitates de quarũ numero ſunt gratia, & lumen, quę producuntur per primum ſui eſſe propter rationem inter arguendum aſsignatam nec tamen habent terminum in minimo indiuiſibilem, habent tamen minimum quod ſic, quoad mensurã ſuæ productionis, eo quod licèt lumen v.g. quia eſt qualitas intentionalis, & carens contrario incipiat eſſe in inſtanti quod eſt indiuiſibilis terminus tẽporis, tamen non incipit in gradu indiuiſibili ſuæ entitatis, poteſt enim lumen intenſum vt duo, vel vt tria ſimul produci per primum ſui eſſe: quia hanc quãtitatem petit & non minorem ad ſui primam productionem, & propterea dicimus huiuſmodi qualitates habere minimum quod ſic, diuiſibile, & non indiuiſibile, vel habere minimum indiuiſibile, non entitatis, ſed temporis: ſed ex hoc non ſequitur gratiam, & alia huiuſmodi dona ſpiritualia debere habere maximũ quod ſic, ex natura rei: quia verſus maximum non habent principium, à quo determinentur, exemplum eſt in numeris, in quibus datur minimus numerus, nempè ille, qui eſt propinquiſsimus vnitati, nequit tamen dari maximus, quia nullus eſt maxime diſtãs ab vnitate, quo alius magis diſtans dari non poſsit. Ad vltimum negatur antecedens, ad primam probationẽ quod Philoſoph. tãtum vult alterationem fieri per breuis temporis ſpatium, quod appellat fieri ſubito. Ad ſecundam reſpondetur, quod D. Thom. non negat quod ſubiectum dũ alteratur maneat ſub vtraque qualitate, in gradibus remiſsis, ſed tantum vult quod qualitatem, quam adquirit per motũ non habet perfecte, & complete niſi in fine motus, quia tunc, & non antea verificatur nihil eſſe qualitatis remiſſæ. Ad tertiam reſpondetur iuxta ſolutionem ibi aſsignatam, quod in fine motus datur, primũ mutatum eſſe, quod licèt ſit primum non eſſe motus, eo quod non eſt pars motus, eſt tamen in illo primum eſſe qualitatis cõplete, & in ſummo gradu adquiſitæ, ſecus autẽ verſus principium. Ad replicam autem dicendum eſt, quod licèt agens naturale perueniat in fine motus localis ad lineam terminatiuam ſpheræ actiuitatis: tamen tunc non eſt debite aplicatum, quia linea nõ eſt terminus intrinſecus, ſed extrinſecus ſpheræ: ſi tamen intra ſpheram in inſtanti producatur, tunc incipiet producere qualitates iuxta ipſarum naturas: lumen verbi gratia, & ſpecies intẽtionales per primum ſui eſſe: calorem vero, & alias habentes contrarium per vltimum non eſſe: ſicut cælum à principio ſuæ creationis, ſimul in cæpit moueri, ſed diuerſimode cęli: namque ſubſtantia incæpit per primum ſui eſſe, motus autem per vltimum nõ eſſe, eo quod illud primum inſtans, quod vni fuit intrinſecũ, alteri fuit extrinſecus terminus inceptionis. Ad argumenta ſecundi modi dicendi, reſpondetur, quod tantum probant qualitates in ordine ad potentiam Dei abſolutã, non habere terminum, quod nos fatemur: non tamen probant omnes ex natura rei, & ſecundum legem ordinariam intrinſece terminari per maximum quod ſic, citra infinitum.

7 Tertio arguitur principaliter: nam multitudo cogitationum & volitionũ creaturæ rationalis in æternitate eſt infinita cathegorematice: ergo iam eſt dabile, ſecũdum legem ordinariam, infinitum in multitudine. Antecedens patet, quia Deus & anima Chriſti ſcientia viſionis cognoſcũt omnium præſentium in æternitate collectionem: quæ teſtè D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 12. eſt infinita quantum ad accidentia, licèt quantum ad ſubſtantias ſuppoſita mundi temporali inceptione, ac deſitione ſit vt finita, etiam ſuperius li. 2. late docuimus ſi dicas multitudinem actionum in æternitate eſſe infinitam, & ex hoc non ſequi, quod in aliqua temporis differentia detur multitudo infinita propter rationes ſancti Doctoris, quæ tantum probant

ex

ex vnitatibus existentibus apartereti in aliqua differentia temporis non posse confici multitudinem actu infinitam. Contra hoc est: quod nihil est in æternitate, quod non futurum sit in aliqua differentia temporis, sed multitudo cogitationum in æternitate, est infinita actu: ergo etiam in tempore debet esse infinitatis eiusdē. Confirmatur triplicitèr, 1. nam ex duobus resultat multitudo aliqua infinita actu: nempè ex vnitatibus sine numero, & ex illarum inclusione simultanea, sed quoad vtrumque erit multitudo cogitationū in propria duratione: nam entitates vnitatum, ideſt, cogitationum erunt, & simultas illa, si realis est, etiam debet esse in aliqua mensura creatæ durationis, alias si talis simultas futura non est extra causas, non erit modus aliquis realis, sed tantum rationis, quod non est dicendum: ergo. Secundo, quia modus ille simultatis, quem cogitationes omnes præteritæ, & futuræ habent in æternitate cognoscitur a Deo per scientiā visionis: ergo existit, aut existet in aliqua differentia temporis: antecedens probatur quia Deus per scientiam visionis intuetur omnes cogitationes, simulque omnes eius cognitioni obijciuntur: ergo. Consequentia vero patet, quia scientia visionis ārum terminatur ad præterita, præsentia & futura extra causas. 3. Quia ille modus simultatis est aliquid reale, siquidem ratione illius illa multitudo redditur, & cōstituitur actu infinita; modus autē infiniti in actu, & chategorematicè realis est, igitur cum nō fit infinitum per essentiam, & increatum, scilicet Deus, erit quid creatum, ac ponēdum extra causas. Propter hoc argumentum ad huc inter Theologos, & Metaphisicos, qui fatentur cum D. Th. scientiam visionis Dei, & animæ Christi extendi ad omnia præsentia in æternitate, quæ sunt infinita, est triplex modus dicendi. Alij enim volunt huiusmodi accidentia inclusa in tota æternitate non esse infinita, cathegorematicè, aut secundum se, aut vt obiecta intellectui cognoscentis ipsa, sed tantum esse infinita in potencia, & cathegorematicè, secundum additionem: de, horum numero sunt, Caiet. 3. p. q. 10. art. 3. Suarius, tom. 1. in 3. part. disput. 26. sect. 3, & Valent. ibidem disput. 1. q. 10. puncto 2. sequti Durand. in 1. distinct. 39. q. 2. quorum fundamenta sunt tria 1. ex diffinitione infiniti in potēia desumptum: est enim illud teste Philosopho 3. Phisico, c. 6. quod non existit actu quoad omnes partes secundum quas est infinitū, vel quod ea parte qua caret termino est in potentia, vel secundum successionem, vt partes temporis, vel secundum diuisionem, vt partes continui, vel secundum additionem, vt multitudo vnitatum in infinitum super additarum, sed multitudo cogitationum in æternitate est huius tertij generis infinitum: ergo. 2. Quia æternitas nō tollit successionem illarū partium, hec dat illis simultatem, quam petit infinitum chathegorematicè: ergo secundū se illa multitudo non est infinita chathegorematicè 3. quia neque vt cognita est infinita, quia cognoscitur per scientiam visionis vt est in se, & esse cognitum simul, & actu quoad suas partes tantum est denominatio rationis a cognitione proueniens: quia ille sunt conditiones nō obiecti in se, sed ipsius cognitionis, & medij in quo simul partes multitudinis cognoscūtur, scilicet diuinę essentiæ. 2. Modus est aliorum asserentium, quod licet illa multitudo in senō sit infinita actu bene tamen vt cognita, & secundum esse obiectiuum: de horum numero sunt Moli. 1. p. q. 12. art. 8. disput. 5. membr. 7. & c. 14. art. 6. ad 2. Aureol. & artic. 12. & Vazquez ibidem disput. 63. cap. 1. quorum fundamēta sunt argumentum 3. principale, quatenus probat per scientiam visionis a Deo, & ab anima Christi cognosci infinitum simpliciter, & duo argumenta facta 1. loco pro 1. modo dicendi, quatenus probant multitudinem illam actionum non esse in se antecedenter ad cognitionem, infinitam. 3. Est aliorum asserentium multitudinem illam in se & in esse cognito esse actu infinitam in æternitate. Hunc videtur sequi Capreolus in 3. distinct. 14. q. 2. art. 1. & Ferrariens. 4. contrag. cap. 69. quibus subscribere etiam videntur Fonseca 2. huius ep. 2. q. 2. sect. 4. & Conimbric. 3. Phisico, cap. 8. q. 6. art. 1 qui modus dicendi probatur: tum argumento facto, tum etiam, quia si omnes illæ actiones producerentur, & fierent præsentes in aliqua differentia temporis reuera ex eis resultaret infinita multitudo chathegorematicè, sunt enim infinitæ, sed omnes nulla, exclusa, sunt simul præsentes in mensura æternitatis: ergo ibi constituūt multitudinem actu infinitam, verum est, quod quia hæc conditio præsentialitatis, atque simultatis in æternitate nō est realis, & intrinseca in ipsis actionibus, sed tantum extrinseca, & rationis, licet intrinseca & realis ex parte æternitatis, propterea parum, aut nihil differt hic modus dicēdi, & licet, huic tertio dicendi modo aliquando assentirem: tamen cum postea materiam de Scientia animæ Christi publicè ex offi-

Quale infinitū sit multitudo per existentiā in æternitate

cio dicerem, priorem modum vt veriorē ellegi, nempè dictam multitudinem neque in se, neque vt cognitam ascientia visionis esse actu, seu chategorematicè infinitā, nisi solum in potentia, ac sinchathegorematicè: cui & nunc totus assentior, tum argumento tertio principali, tum etiā eius confirmationibus cōuictus. Tum denique argumento durandi vbi supra: quia scilicet, omne ens reale singulare est factibile à Deo, & ponibile extra causas in tempore: si igitur talis multitudo sit infinita in actu, realis, ac singularis, erit factibilis a Deo, & ponibilis extra causas: quod planè repugnat. Quo supposito ad formam dicti argumenti: nego antecedens. Ad primam confirmationem fateor illam simultatem, neque esse modum realem, neque extrahere illam collectionem à ratione infiniti in potentia. Ad secundam, quod cognoscitur à Deo sicut est in se, vt simultas partium infinitarum in potētia. Ad tertiam, nego maiorem: aut distinguo, sub assignata distinctione.

ARTICVLVS II.

An de potentia Dei absoluta possit infinitum chathegorematicè secūdum magnitudinem, aut secundum multitudinem produci?

9 IN hoc articulo duæ versantur sententiæ 1. affirmans est, dari posse nedum in æternitate, sed extra causas, & in aliquà differentia temporis tale infinitum, tam secundum magnitudinem quam secundum multitudinem. Huius sententiæ primi defensores fuere Algacel, & Auicenna relati, a D. Th. 1. p. q. 7. art. 4. postea illā secuta est schola nominalium, Ochamus videlicet in 2. distinct. 13. q. vnic. & Almaynus, ibidē. Maior in 4. distinct. 11. q. 2. Gregor. in 1. distinct. 43. q. 4. & Petrus Aliaco distinct. 42. q. 13. art. 3. quibus subscribunt ex iunioribus, Vazqu. tom. 1. super 1. part. disputat. 26. cap. 2. & 3. & Perer. lib. 15. suæ Philosophiæ, cap. vltim. & vt probabilem defendunt Conimbric. 3. Physico cap. 8. q. 2. art. 3. & 4. & Alij eiusdem professionis.

Impossibilitas infiniti chathegorematicè ostenditur.

2. Huic ediametro opposita est, negās omnino posse dari tale infinitum, siue in magnitudine, siue in multitudine, siue etiā in intensione, quam sequuti sunt post Philosophum scholastici antiquiores, & peritiores nempè D. Thom. in loco allegato, 1. part. & q. 46. art. 2. & Quodlibeto. 6. q. 1. art. 1. & Quodlibeto. 12. art. 2. D. Bonauentura in 1. distinct. 43. q. 3. Ricard. ibid. q. 5. & 9. Durand. q. 2. Marsil. distinct. 42. Scot. in 2. distinct. 1. q. 3. Sot. 3. Phisico. q. 4. & Valent. 1. part. disput. 1. q. 7. punct. 2. Flandrensis hic quæst. 10. art. 10. Caiet. & Ferrariensis in locis superius allegatis, quæ quia vera est illa tuitur à nobis pro certa, & indubitata conclusione, & quoniam triplicis infiniti mentionem fecimus, nempe infiniti secundum magnitudinem, secundum multitudinem, & secundum intensionem: probatur sygillatim vnius cuiusque impossibilitas, & quidem infiniti secundum magnitudinem impossibilitas ostenditur 1. rationibus sancti Doctoris, quibus vtitur art. 3. quæstion. 7. ad hāc formam redactis, omne corpus, aut naturale est, aut mathematicum, si naturale, ex duplici capite repugnat esse actu infinitum, nempe ratione formæ, quæ cum sit determinata vendicat sibi determinata accidentia, ac proinde determinatam quantitatem, & ratione motus, quia omne corpus naturale debet esse mobile, sed si infinitæ molis esset neutiquam moueri posset: nō motu recto, qui nequit conuenire corpori nisi quando est extra illum locum, ad quē mouetur, quod corpori infinito accidere non posset, quia infinitum spaciū, ac proinde infinita loca occuparet, non motu circulari, quia in motu circulari oportet vnam partem corporis, quod voluitur transferri ad locum alterius, quod in corpore infinitæ molis verificari non potest, quia duæ lineæ protractę à centro quanto longius protrahuntur à centro, tanto longius distant ab inuicem: si ergo corpus esset infinitum, lineæ distarent ab inuicem in infinitum, & sic vna nunquam ad locum alterius posset peruenire, si autem corpus sit mathematicum oportet esse figuratum, quia nequit imaginari nisi aliqua forma actuatum; propria autem forma quantitatis vt sic, est figura, sed omnis figura est finita, quia terminis clauditur: ergo etiam corpus mathematicum debet esse finitum. Sed quia his rationibus puto duntaxat probari impossibilitatem corporis infiniti secundum potentiam naturalem, & legem ordinariam, & non in ordine ad potentiam Dei absolutam, vt tenet Soto, qui dum in q. 3. 3. Phisico, probasset non posse secundum virtutem naturalem, ac ordinariam legem dari infinitam magnitudinē actu, vsus fuit his rationibus sancti Doctoris: postea vero in quæst. 4. ad probandum eius impossibilitatem, etiā de potentia absoluta; illis omissis, alias adduxit, perpendens illas ad hoc intentum minimè defetuire. Cuius sententiæ sunt alij iunio-

iuniores diſcipuli ſancti Doctoris, quia tamen Bañeſio ſuper quæſtionem ſetimam, art. 3. & 4. & alijs videtur vtrãque infinitæ magnitudinis impoſsibilitatem conuinci, ideò probabiliter illis ſuaderi exiſtimamus primam partem noſtræ concluſionis. Secundo probatur efficacius ab inconuenienti, quia poſsibile eſt illud, quo poſito in eſſe nullũ ſequitur incõueniẽs: ſed hoc poſito plura ſequuntur inconuenientia, videlicet, quod potentia Dei eſſet exhauſta circa augmentum talis corporis, quia nullam poſſet ei facere additionem. Rurſus, quod inter duos terminos eſſet diſtantia infinita, ac proinde quod eſſet infinita & finita, infinita quidem quia ſi corpus eſſet infinitum ſecundum latitudinem, aut profunditatem poſſent ab eodem eius puncto protrahi duæ lineæ in infinitum, ſiquidem in infinitum procedit eius extenſio, vndè diſtantia inter vnam, & alteram erit infinita, ſicut & protractio eius eſſet infinita, quo enim longius duæ lineæ protrahuntur, eo maior diſtantia inter ipſas verſatur: finita vero, quia talis diſtantia eſſet terminis clauſa, ſcilicet, inter ipſas lineas concluſa, & vltra illas non ſe extenderet, & quod Deus ageret ſecundum vltimũ potentiæ, ac proinde neceſsitate naturæ, quod in perfectionem inuoluit Deo repugnantem: & alia inconuenientia, quæ multiplicat ex huiuſmodi infiniti poſitione Soto in quæſtione præallegata: ergo. Tertio oſtenditur ſic: omne exiſtens habet vltimam partem vltra quam nullam aliam habeat, ſed infinitum quantum nequit habere vltimam partem: ergo nequit exiſtere. Minor ſupponitur ex diffinitione infiniti, quod nullis terminis clauditur, & maior probatur quia vltima pars actualis eſt illa vltra quam, & alias omnes exiſtentes collectiuè ſumptas nulla reſtat accipienda; ſed omne exiſtens habet vnam partem, vltra quam, & omnes non ſit aliam accipere: aliàs haberet quod non haberet, & eſſet quod nõ eſſet, ſiquidem daretur in illo pars vltra omnes quas habet: ergo. Neq; huic rationi obſtat, quæ prima facie obſtare videtur, nempe ex illa ſequi, non poſſe dari infinitum ſinchathegorematicè, & in potentia ſiquidem nec iſtud poteſt habere ſic vltimam partem vltra quã non ſit aliam accipere, & quia ex illa etiam ſequitur multitudinem cogitationum in æternitate non eſſe infinitam, ſiquidem datur pars vltra quam, & omnes collectiuè ſumptas nulla alia reſtat accipienda: quæ tamen admittenda non ſunt: nam cum infinitum chathegorematicè extra cauſas, & in propria menſura exiſtẽs petat infinitas partes actu exiſtentes, haberet vltimam vltra quam, & omnes actu exiſtentes non eſſet alia accipienda, at infinitum ſinchathegorematicẽ, aut cogitationum in æternitate non habet infinitas partes actu in propria menſura exiſtentes, ſed exiſtentes ſic, ſunt finitæ, & accipiendæ, ſunt infinitæ, vndè quia vltra quancunque partem, & omnes actu exiſtentes, reſtant plures accipiendæ, propterea ſaluatur ſufficienter conditio infiniti ſinchathegorematicè, & hãc puto eſſe rationem, qua D. Thom. in art. 4. quæſtionis citatæ probat non poſſe dari infinitã multitudinem chategorematicè extra cauſas, quia omnis multitudo ſic exiſtens debet eſſe menſurata per vnum, id eſt debet inter primam, & vltimam vnitatem claudi, ac proinde illa ſatis ſuperque exiſtimo probari impoſsibilitatem infiniti in multitudine nec nõ & alia, quam ſubdit ſanctus Doctor dicens: omne ens creatum ſub certa intentione, & ſapientiæ ordine creantis debet cadere, nequit enim eius prouidentiæ ac gubernationis diſpoſitionem ſubterfugere, quam tamen multitudo actu infinita ſubterfugeret. Rurſus, quia ex huiuſmodi infiniti poſitione eadem incommoda ſequuntur, quæ ex infiniti ſecundum magnitudinem poſitione intulimus. Et alia quam plurima videantur in Soto, vbi ſupra. Impoſsibilitas quoque infiniti ſecundum intenſionem ex eiſdem inconuenientibus oſtenditur, nec non quia ſi in naturalibus qualitas eſſet infinite intenſa, verbi gratia, ſit calor, tunc ſequeretur hunc calorem infinitæ eſſe actiuitatis, ac proinde omnes alias partes vniuerſi abſumere, & in ignis ſubſtantiam fore conuerſurum. Imõ, quod calefaceret in inſtanti, creſcente enim actiuitate potentiæ, & virtutis motiuæ, creſcit velocitas motus, & creſcente velocitate motus proportionabiliter minuitur tempus, quod motus in ſua duratione conſumit: igitur ſi potentia eſt infinitæ actiuitatis, & motus etiam eſſet infinitæ velocitatis, & conſequẽter eſſet in non tempore, idem quoque ſequitur de motu locali, ſi grauitas, aut leuitas poſſet eſſe infinite intenſa, aut ſi virtus motiua Angeli eſſet infinitæ intenſionis, ſimiliter ſi gratia, & charitas poſſent eſſe infinitæ intenſionis, dabilis eſſet gratia, qua maiorem Deus efficere non poſſet, quod eſt diuinam potentiam exhauriri circa gratiæ augmẽtum, quod & virtuti diuinæ omnipotentiæ, & naturæ ipſius gratiæ repugnat: dabile etiam eſſet lumen gloriæ phiſice infinitum, quod infinitam viſionem elicere

cere posset, id est, visionem infinitæ claritatis, & intensionis, qua proinde Deus comprehendemur, quia modo infinito per illa videtur, quæ tamen admittenda non sunt: ergo.

10 Sed contra arguitur primo, impugnando rationes sancti Doctoris, quibus probat impossibilitatem infiniti secundū magnitudinem, & quidem aduersus primam arguitur, ex forma finita, & determinata secūdum esse non rectè infertur determinatio, & finitas secundum magnitudinem: ergo illa ratio defficit. Antecedens probatur dupliciter: primo, quia sunt diuersæ rationes finitatis, & disparate se habentes: ergo vna non est radix alterius. Secundo, quia aut in antecedenti D. Thom. nomine formæ determinatæ intelligit determinationem secundum quantitatem, & sic assumit probādum, aut intelligit determinationem secundum essentiam, & sic non rectè infert determinationem in magnitudine, quia ex determinatione essentiali non sequitur determinata magnitudo, stat enim formā corporis naturalis esse determinatam in essentia, & non postulare determinatam magnitudinem: forma enim ignis est essentialiter determinata, vt potè constans ex genere, & differentia, & tamen non habet determinatam quantitatem, quia potest crescere in infinitum per aplicationem extrinsecā combustibilis materiæ in infinitum procedentem. Vndè Philosoph. 2. de anima, text. 41. dicit augmentum viuentium non à calore absolutè, sed ab illo, vt est instrumētum animæ prouenire, quia calor absolutè consideratus, videlicet, vt est virtus ignis nōn habet determinatum augmentum, sicut neque ignis, qui potest augeri in infinitum. Secundò impugnatur eadem ratio: nam consequitur quantitatem determinari eodem modo, quo determinatur forma corporis naturalis: ergo deficit assumptum in illa: antecedens patet, quia in non viuentibus forma est determinata essentialiter termino intrinseco per maximum quod sic, forma enim ignis, forma aquæ, & forma lapidis sunt tantæ perfectionis essentialis, & non maioris, quia essentiæ rerū sunt sicut numeri, quantitas autem, quæ ad illas consequitur, non habet terminum intrinsecum, quia potest crescere in infinitum, ita vt nulla sit dabilis, quin sub maiori possit conseruari debito modo: ergo.

Tertio, impugnatur secunda ratio, quia plus potest aparte rei esse, quā capi ab imaginatione, sunt enim Angeli, spiritus, & Deus aparte rei, quos tamen imaginatio non capit: ergo licet imaginari non possit corpus Mathematicum sine figura, non sequitur illud dari non posse: præter quam quod falsum est assumptum: nam imaginatio concipit, ac fingit supra conuexam superficiem supremi cœli molēm quandam, & chaos sine termino, sine limitatione, ac figura: ergo. Propter primum, & secundū argumentum examinandus est sensus rationis Doctoris nostri, in cuius intelligentia plures sunt modi dicendi. Caietanus enim in eodem art. 3. §. *ad ea vero*, ait determinatam formam postulare determinata accidentia, ac proinde determinatam etiā quantitatem, in maximum, & minimum in quolibet indiuiduo per se vno, & propterea nullus ignis per se vnus potest crescere in infinitum, sed tantum ille, qui est per agregationem, & per accidens vnus: explicat autem Caiet. suam sententiam, dicens ex ratione sancti Doctoris conuinci dari maximum, & minimū ab intrinseco, id est, ex natura, & exigentia ipsius formæ substātialis in quolibet indiuiduo per se vno: & consequenter etiam dari ab intrinseco ignem maximum, & minimum, tamen, in indiuiduo per se vno, quanuis non detur maximus ignis vnus per agregationem, nisi ab extrinseco, quia scilicet vniuersi natura nō patitur ignem nisi in tanta quantitate: vocatur autem ignis, indiuiduum, per se vnū, ille qui sic constat ex vna tam forma, quàm materia, quod per diuisionem ipsius nequeunt fieri duo ignes, neque hoc (subdit Caietanus) consistit in indiuisibili, sed tota latitudo à quantitate minima ignis, vsq; ad quātitatem duorum minimorum, & maior, facit vnum per agregationem, & idem est iudicium de aqua, & alijs elementis, atque de huiusmodi homogeneis, secus autē de viuentibus, quorum partes organicæ, & æthereogeneæ cum sint, omnes ad complementum cuiusuis indiuidui requiruntur. Alij vero dicunt ex determinatione formæ corporis naturalis sequi determinatam quantitatem in maximum, & in minimum, quatenus corpus naturale, est pars vniuersi, & mobile motu speciali, ac sibi proprio, quia absolutè, & secundum se potest crescere ignis verbi gratia in infinitū, tamen ipsi vt parti vniuersi, & vt mobili particulari habenti inclinationem ad specialem locum, & terminum sibi debitum, debetur determinata quantitas in maximum, & determinatus locus in hoc vniuerso, vltra quem non possit, aut debeat naturaliter protendi: vndè sensus dictæ propositionis sancti Doctoris nempè, determinatam

tam formam corporis naturalis sequitur determinata quantitas, est iste: quod sicut forma essentialibus terminis est intrinsicè, & in maximum determinata, ita quantitas ad illam consequta esse debet intrinsicè, & in maximum determinata seruato ordine vniuersi, & per respectum ad illud. Alij vero de quorum numero est Vazquez vbi supra dicunt nihil conuinci, aut euidenter probari ex hac ratione, quia ex determinatione essentiali formę non rectè colligitur determinatio in extensione, & magnitudine propter argumentum factum. Alij autem volunt ex hac ratione euidenter probari, quod quãtitas corporis naturalis per nullam potentiam possit esse infinita chathegorematice: eo quod secundum se, & ex natura sua sequitur formam finitam, ac essentiali determinatam: ita Bañesius vbi supra: ita vt sensus dictæ propositionis sit. Ad formam determinatam essentialiter, id est finitam non potest non sequi quantitas determinata, id est finita, ita vt neque depotentia absoluta illante determinata, ac finita forma, possit sequi quãtitas infinita chathegorematicè.

11 Sed omnes isti modi dicendi deficiunt â veritate. Primus quidem, quia ex illo sequitur elementum ignis non esse vnũ individuum per se, siquidem potest diuidi in duos ignes, & eadem ratione sequitur, neque aquam vnico vase contentam esse vnum individuum per se aquę, quod tamẽ est absurdum, quia partes illius continuantur, & per continuitatem faciunt vnũ per se: ergo. Quod si dicas illud esse vnum per se perfectate totius, sed non perfectate partium: quia licet illud totũ per se includat suas partes vnitas per continuitatem, tamẽ partes non per se requiruntur ad illius cõplementum, cum homogenea in quacunque quantitate supra minimum, completa sint. Contra hoc est, nam si eodem modo ignis, verbi gratia, vel aqua diuisibilis in duo individua est vnum per se, atque eadẽ gaudens vnitate formæ, non est ratio cur forma non petat quantitatem determinatam in maximum in illis, sicut eam petit in illo individuo per se vno, quod confingit Caietanus. Rursus defficit, quia forma ignis in individuo per se vno est determinata essentialiter omnibus modis, quia essentiæ sunt sicut numeri: ergo, si quantitas determinata in maximum sequitur formæ determinationem, deberet esse determinata per maximum quod sic, atque per terminũ intrinsecum magnitudinis: quod tamen non fatetur Caietanus, quia vult solum terminari extrinsicè per minimum quod non ad quantitatem ignis diuisibilis in duos ignes sub qua ait non posse ignem per se vnum saluari, bene autem sub minori quacunque, dummodo nõ sit minor minimo: ergo. Cõfirmatur primo: nã forma in aq. quantacunque, dummodo sit continua, e determinata essentialibus terminis, intrinsicè, & est vna per se sicut in aqua minima, & tamen ibi non petit quantitatem determinatam in maximum: ergo nullibi eam petit, quod enim conuenit alicui formæ secundum se, & ex proprijs meritis semper, & vbicunque debet illi conuenire: ac proinde cum forma ignis in esse formæ, & in ratione vnitatis sit in omni individuo ignis eiusdem speciei, semper, & in omni individuo debet postulare eadem accidentia, atque eandem determinationem illorum. Secundo, confirmatur quia alias in individuo per accidens vno posset dari infinita magnitudo in actu; consequens est contra sanctum Doctorem, & eius mentem in præfato, artic. 3. ergo, & antecedens: sequela patet, quia in individuo per accidens vno forma corporis naturalis, & homogenei non petit determinatam quantitatem in maximum: ergo non est vndè naturaliter limitetur eius quantitas, ac proinde salua natura, & conditione formę talis corporis naturalis, posset eius quantitas esse illimitata, & infinita chathegorematicè. Confirmatur tertio: Nam sequitur posse dari naturaliter maius maximo: siquidem potest dari ignis maior minimo, propterea quod in prima generatione, potuit aplicari materia maior minima, verbi gratia, digitalitate: sed etiam posset aplicari materia maior maxima: igitur posset per se primo generari ignis maior maximo, qualis est, bidigitalitatis verbi gratia, quod tamen non est admittendum. Secundus modus dicendi etiam est deficiens â veritate, quia D. Thom. ex meritis proprijs ipsius formę naturalis infert determinationem in quantitate, sed ordo vniuersi huius non est intrinsecus, & essentialis formæ ignis, aut alterius corporis: ergo non ex huiusmodi ordine colligit illius determinationem in quantitate. Minor patet quia salua natura, & forma ignis verbi gratia potest mutare ordinem huius vniuersi, & alium cõdere: & quia D. Thom. intendit probare nullum corpus naturale posse saltem naturaliter loquendo, & suapte natura esse infinitæ molis chategorematicè: ergo non infert dari maximum in corporibus naturalibus in quantum sunt partes vniuersi: antecedens

dens patet ex titulo, & contextu articuli, consequentia vero probatur dupliciter 1. quia aliud est corpus naturale terminari per maximum quod sic, & aliud non posse habere infinitum, potest enim dari secundum finem primo: ignis namque, qui ex natura sua non terminatur per maximum, eò quod, quocunque dato potest alius maior dari, nequit ad infinitum in actu peruenire vnde primum difficilius, atque specialius secundo: nō ergo primū, sed secundum intulit D. Th. in consequenti, alioquim proprium consequens intentum non concluderet, sed aliud difficilius probaret. Secundo, quia non probaret impossibilitatem infiniti in actu in corporibus naturalibus ex natura rei, sed tantum secundum vnam cōsiderationem, scilicet in quantum partes huius vniuersi: & sic secundum aliam, nempe secundum absolutas eorum naturas nō relinqueretur ab eis exclusa possibilitas infinitatis chathegorematicæ: ac proinde non absolutè suum intentū probaret, quod non est admittendum, posset namque aliquis dicere ignem suapte natura posse crescere in infinitum, & vsque ad infinitā magnitudinem peruenire chathegorematice eo quod quicunque ignis quātumuis magnus extra hoc vniuersum collocatus posset alium sibi vnire, & sic vsque ad infinitum, qua ergo obsecro ratione hoc excludit D. Thom. si nulla: ergo intentum absolute, nō probat: si aliqua: ergo illa prima ratio non solum probat determinationem in corpore naturali, vt est pars vniuersi, sed absolutè, & suapte natura considerato. Tertius, quoque deficit, quia licet determinatio essentialis formæ substantialis sit alia à determinatione magnitudinis, & extensionis: tamen hæc oritur ex illa tanquam ex radice: quantitas enim sequitur ad formam substātialem, & ex illa dimanat, sicut accidens connaturale, vnde ex forma sicut ex principio & radice oriuntur accidētia materialia determinata. Cōfirmatur: nam ab intrinseco & ex natura rei repugnat quantitas infinita chathegorematice corpori naturali: licet enim Deus illam posset facere de potētia absoluta, non tamen potest facere quod sequatur naturaliter formam finitam, & limitatam essentialiter, sed non est principium naturale vnde repugnet, nisi forma, quæ sicut dat illi determinatum esse specificum, ita, & accidentia determinata, ac finita: ergo. Quartus, & si probabiliter sustineri potest, ratione ibi assignata, tamē probabilius est oppositum, eo quod D. Thom. procedit in illo articulo ex naturali exigentia formæ, & mobilitatis: & quia forma finita, & mobilitas secundum locum conaturaliter petit quātitatem finitam: probat non posse dari corpus actu infinitum. Sed hæc ratio tantum procedit ex natura rei: Deus enim corpus immobile potest creare, quale est cœlum empireum, & etiam posset aliquod corpus distinct generis producere, ab istis, quod ratione suæ formæ nullam quantitatem postulare & in huiusmodi corporibus ex nullo capite ab intrinseco repugnaret produci a Deo infinita magnitudo eis extranea: non quidem ex mobilitate quia mobile non esset, neque ex formæ determinatione, quia nullam quantitatem conaturalem haberet: ergo ex vi huius discursus solū probatur à Doctore sancto, quod corpus naturale ab intrinseco, & suapte natura nequeat esse infinitum. Vnde verus modus est Soti in q. 4. 2. Phisico, art. 2. & lib. 3. quæst. 3. conclusione 3. asserentis solum hac ratione probari a sancto Doctore nullum corpus naturale per naturam posse esse actu infinitum, non tamen ex illa, sequi ignem aut aliud quoduis ens naturale postulare certum terminum sui augmenti, sed quocūque dato extra cœlum, adhuc non obstante eius formæ essentiali determinatione posse augeri in infinitum per extrinsecam combustibilium aplicationem: ita vt sensus antecedentis assumpti à D. Thom. sit: ad formam determinatam, & chathegorematicè infinitam sequuntur accidentia determinata, & cathegorematicè finita, siue alias intrinseco termino augmēti gaudeat naturale corpus siue illo careat. Et iuxta hunc dicendi modum facile respondetur ad formam primi argumenti: negando antecedens, ad eius primam probationem dictum est illas duas determinationes se habere ordine quodam: essentialis enim determinatio formę est veluti radix determinationis in magnitudine: ex quo patet ad secundam non enim assumit probandum D. Thom. in antecedenti, sed ex determinatione essentiali formæ coligit quantitatem, & magnitudinem prouenientem ex tali forma debere esse finitam: & hoc sensu etiam forma ignis petit determinatam quantitatē ideſt, actu, & chathegorematicè finitam cū quo stat illam posse crescere in infinitum exclusiue: eo quod non est intrinsice per maximum quod sic determinata. Ad secundā admissio antecedenti negatur consequentia, quia sanctus Doctor non assumit in antecedenti predictæ rationis, ad formam determinatam essentialiter sequi accidentia

tia determinata omnibus modis, quibus ipsa forma id se est determinata: id sequi debere accidentia determinata, hoc est finita: quod autem. Quantitas in viuentibus sit determinata terminis essentialibus: sed aliunde, vt statim declarabitur. Ad tertium, quo impugnatur secunda ratio Doctoris sancti Respõdetur distinguẽdo antecedens: plus potest esse a parte rei in genere entis vt sic, quam possit capi ab imaginatione trãseat: plus potest esse in genere corporis quam possit capi ab imaginatione: nego antecedens. Cum enim quantitas sit sensibile commune, per se directe pertinens ad imaginationem, & cogitatiuam, nulla potest dari a parte rei, quam cogitatiua capere nõ possit, sicut nullus color est dabilis qui à visiua potentia percipi non valeat, eo quod huius obiectum est color in tota sua latitudine. Ad alteram improbationem: respondetur negando antecedens: ea enim ratione qua imaginatio concipit supra cœlestes spheeras molẽ quandã, concipit, nec non confusim figuram suis limitibus cõclusam. Quarto, quia sequitur viuentium magnitudinem non terminari intrinsecè per maximum quod sic, siquidem non habet vndè sic determinetur nisi ex forma; ab huius autem determinatione non sequitur determinatio in accidentibus: sed tantum negatio infiniti cathegorematicè. Consequẽs autem est falsum, quia teste Philosoph. lib. 2. de anima vbi supra, text. 41. omnium naturaconstantium, id est viuentium; terminus est & ratio magnitudinis, & aumenti: vbi hoc voluit inter ignem, & viuentia discrimen constituere, quod viuentia habeat terminum sui argumenti: secus vero ignis. ex quo infert ignem nõ esse causam aumenti in viuentibus; vt quidam antiquiores Philosophi opinabantur, qui ad calorem, igniſque virtutem, viuentium aumentum reducebant: ergo & antecedens.

12 Propter hoc argumentum examinãda est illa quæstio à Philosophis cõtrouerti solita in primo physicorum de termino, maximo ac minimo viuentium, quæ quia ex altera de infiniti impossibilitate hucusque à nobis per tractata ortum habet, & ad rationis Doctoris sancti maiorem intelligẽdi deseruit, haut quaquã est à nostro instituto aliena, sunt itaque dicendi tres modi: primus veneti 1. Physic. cap. 4. asserentis nullũ terminum intrinsecum, magnitudinẽ, aut paruitatem versus, esse viuentibus concedendũ; sed extrinsecos dũtaxat nempè versus paruitatẽ, maximũ quod non; id est sub quo viuens nequit naturaliter consistere, benè autem sub quocũq; maiori, & versus magnitudinem, minimũ quod nõ, id est illum sub quo viuens naturaliter cõsistere nõ potest, benè tamen sub quolibet minori. Cui subscribit Bazquez in loco præallegato, existimans nullum corpus naturale in maximũ, aut in minimum intrinsecè terminari. Secũdus huic ediametro oppositus asserit viuentia absque nulla limitatione intrinseco termino versus magnitudinem, & paruitatẽ, videlicet maximo quod sic, & minimo quod sic, diffiniri. Quẽ sequũtur in eodẽ ca. Philop. Themist. Alex. & D. T. lect. 9. sequuti fuerũt, nec nõ idẽ D. T. in 2. de anima, lect. 8. & in 2. d. 14. q. 1. art. 1. ad 4. & de potẽt. q. 4. ar. 1. ad 5 Scot. in eodẽ 2. d. 2. q. 9. Durãd. d. 18. q. 1. Capreol. ibid. d. q. 19. q. 2. Caiet. 1. p. q. 7. art. 3. Ferrara 4. contra gentes c. 11 & tertius, & medius ait viuẽtia vtroque termino intrinsecò definiri, si via generationis cõsiderẽtur, hoc est sub dispositione eorũ naturæ cõueniẽte: secus vero via corruptionis: nimirũ quoties humore aliquo noxio exicante, aut intumescente afficiũtur.

13 Ita Soc. 1. Phisic. q. 4. art. 2. ad 3. & Conimbr. q. 1. art. 2. ex quibus modis 2. tanquã verior eligitur, & suadetur 1. quia conformior est D. T. in locis citatis absolutè & sine aliqua limitatione illũ approbanti: nec non Arist. lib. 2. de anima text. 41. absolutè dicenti: *Naturæ autẽ cõstantium omniũ terminus est & ratio magnitudinis & aumẽti: hæc autẽ animæ sunt & rationis magis quam materiæ.* Nec nõ 1. Phis. c. 4. dumait impossibile esse quod animal, aut planta quantacũque sit secũdũ magnitudinẽ, & paruitatẽ: intellige de impossibili secundum legis naturã, alioquin de potentia Dei absoluta omnes admittũt nec viuẽtia intrinsecis terminis clausa, sicut neque vitæ expertia. Idẽ habet Philosoph. lib. 4. de gener. animal. c. 4. Deinde ratione fulcitur; nã ipsius animæ natura cũ sit actus corporis organici postulat diuersa & proportionata organa sicut instrumenta tantæ molis, non maioris vel minoris ad propria vitæ munia exequenda. Tũ etiam, quia ad illã consequitur virtus adquisitiua proprij aumentis, in hoc enim viuentia à non viuentibus discriminantur, quod illa suapte natura per internam virtutem inclinatur ad adquirendam debitam quantitatem ad suæ speciei operationes exercendas, qua adquisita cessat finis ac subinde operatio, quæ est propter talem finem. Manet tamen virtus nutritiua ad individuum conseruandum per deperditi restaurationem. Insuper præter rationem ex parte finis assignatam est alia ex parte causæ efficien-

efficientis, quia virtus aumentatiua, & nutritiua per continuam actionem circa aumentum, paulatim debilitatam, eo quod agẽdo repatitur, ad maiorem quantitatem viuentis, partes perducere non potest: secus autem nõ viuentia, quæ neque habeat virtutem ex inclinatione formæ ad proprium aumentum adquirendum. Neque talis virtus agẽdo debilitatur, sed potius per accidens crescit per extrinsecam materiæ apositionem, per quam etiam virtus extenditur, & fit maior sicut & ipsa forma. His suppositis ratio pro conclusione potest reduci ad hanc formam: forma determinata, quæ ex propria inclinatione & virtute est principium aumenti proprij compositi, petit quantitatem intrinsice in maximum & minimum determinatam: talis est forma viuentis: ergo ad ipsam sequitur quantitas intrinsece determinata, & in hoc sensu vsus fuit Soto vbi supra, ratione Sancti Doctoris ex quæst. 7. art. 3. ad probandum in viuentibus dari debere quantitatem nedum actu finitam, sed etiam intrinsece determinatam. Quando enim ex forma oritur virtus adquisitiua per se primo, aumenti ad illud ordinata: tunc talis forma ponit modum & terminum intrinsecum in aumento: secus autem quando ex forma non oritur virtus adquisitiua aumenti, neque per se primo ad illud ordinata: sed per accidens dumtaxat contingit aumentum ex appositione maioris ac maioris materiæ, & quia forma viuentis habet talem virtutem ad aumentum terminatam per se primo, & non corporis vitæ expertis: propterea illa dumtaxat petit terminum intrinsecum in maximum: tum quia adquisito debito aumento cessat finis: ac proinde non agit amplius virtus aumentatiua. Tum etiam, quia cum indeterminata consistat parte, & circa alimentum continue operetur, debilitatur, & langueſcit: ac proinde ad finem peruenit, vltra quem amplius nequit peruenire. De minimo autem quod sic, nedum viuentia, verum etiam non viuentia, postulant illud per suas formas via generationis: determinata enim dispositiones postulat vna quæque forma sub quibus possit introduci, ita vt sub minoribus non possit, & maximè de viuentibus patet ex testimonijs adductis Philosophi, pariter formam viuentis determinare sibi terminum magnitudinis, ac paruitatis, in quo proprias possit exercere operationes: ergo.

14 Vltimo probatur soluendo argumenta, quibus duæ aliæ sententiæ nituntur. Pro prima namque militat primo: quia si homini existenti iam in termino magnitudinis noxia tumefactio superueniat: ratione illius fiet maior per adquisitionem maioris quantitatis: ergo non datur terminus intrinsecus magnitudinis in viuentibus. Antecedens declararatur: nam in casu posito non est dandum hominem sic tumefactum statim perire ex vi tumefactionis, aliâs homo desineret per vltimum sui esse siue intrinsice, sic, nunc est homo & immediate post hac non erit, quod tamen supponimus falsum, ex his quæ Philosophus tradit in lib. 6. phisicorum: patet autem hoc sequi: quia cum tumefactio sit motus alterationis successiuus incipit per vltimum nõ esse, sic: nunc non est tumefactio & immediate post hac erit: igitur si homo sub tumefactione nequeat conseruari, vltimum nõ esse tumefactionis, erit vltimum esse hominis, quod est ipsum desinere per vltimum sui esse. Et eodem argumento probatur dari, minus minimo, vt si homo sit genitus sub minima quantitate, & superueniente aliqua infirmitate, eius membra contrahantur, vel reducatur ad minorem quantitatem, tũc desinet per vltimum sui esse. Secundo: quia in plantis cum noua parte materiæ aduenit noua pars formæ, & nouæ pars virtutis, quia tam forma, quam virtus nutritiua extenditur ad entensionem subiecti: ergo poterit sicut alia homogenea, in infinitum crescere. Tertio, non sequitur, quod si aliquid habet infinitam extensionem, habeat infinitam essentiam: nam si per possibile vel impossibile linea esset infinitæ longitudinis: adhuc esset essentiæ finitæ: ergo neque ex oppositio consequentis ad oppositum antecedentis valet: viuens habet determinatam formam: ergo habet determinatam quantitatem. Confirmatur: nam etiam ignis per propriam virtutem ex eius forma dimanantem auget tur: fit enim maior conuertendo sua virtute actiua nutrimentum in substantiam alti, ex quo Philosophus 2. de generatione capite 8. probat ipsum nutriri, & hoc non obstante non terminatur per maximũ, quod sic: ergo neque viuentis aumentum, licèt fiat per virtutem actiuam ipsius, debet terminari per maximum quod sic. Quarto: nã sic extenditur virtus viuentis aumentatiua ad eius aumentum, sicut aliæ potentiæ actiuæ ad suas spheras extenduntur: sed hæc non terminantur in suis spheris intrinsece per maximum quod sic: puta potentia visiua, calefactiua, & portatiua, verbi gratia, extendũtur vsque ad minimũ quod nõ da-

datur enim pars spatij, ad quam non potest pertingere visio, aut calefactio, bene autē quamcūque citra illā similiter datur pōdus, quod potētia hominis portatiua nequit sustinere, benè tamē aliud quodcūque minus illo: ergo eodē modo debet terminari latitudo quantitatis, circa quā potest virtus augmētatiua operari. Neque valet dicere diuersimode augmētū ad virtutē augmentatiuā, atque sphērā actiuitatis ad alias potentias cō parari; augmentū enim est effectus ipsius virtutis augmentatiuæ: ac proinde debet ab illa limitari, secus autē sphera actiuitatis, quę â potentia nō fit: nā etiā extēsio caloris à summo gradu vsque ad nō gradū per spaciū facta, & visio per spatium veluti intentionaliter extēsa, à viso vsque ad nō visum sunt effectus potentiarū calefactiuæ, ac visiuæ, & hoc non obstante ab illis non limitantur per terminū intrinsecum magnitudinis: ergo neque debet augmentū intrinsece terminari. Vltimo: q̄ res naturales nō gaudeant termino intrinseco paruitatis: probant in tribus casibus, in quibus contingit dari minus minimo. Primus est, quando minima quātitas ligni, v.g. digitalitas aplicatur igni, in cuius priore partē vtpote magis propinquiorē, prius introduceretur calor vt 8. ac proinde forma ignis: eo quod agens naturale aproximatū passo prius, ac fortius agit in partē eius propinquiorem, quā in remotiorē: & sic media tas minimi ligni prius calefiet ab igne, & recipiet formā illius. 2. est, quando cibus cōuertitur in substantiā aliti per nutritionem, vel aggenerationem successiue: tunc per cōtinuā destructionē cibus, v.g. vnius digitalitatis perueniet ad quātitatē minimā: & minorem illa: quia ad huc tunc non cessat actio conuersiua. 3. est, si detur minimum naturale separatū à toto continuo, quod non repugnat: & tunc ab aliquo agente contrario, aut diuidatur, aut extenuetur, & sic dabitur minus minimo: maxime in vacuo vbi nō daretur corpus aliquod in cuius substantiā partes minimi resolucrentur. Authores autē 3. sententiæ arguunt dupliciter 1. arguit Soto ex dicto exēplo hominis tumefacti, qui proculdubio maiorem acquireret quantitatē. 2. arguunt Conimb. ex Gigātibus Genes. 6. & Nu. 13. relatis, quos putant terminū intrinsecū speciei humanæ debitū excessisse: eo quod extra statū naturalem vt monstra fuerint geniti: de quibus proinde dicit scriptura: vidimus monstra quædam filiorum Enalic de genere Giganteo &c. in quo statu terminus intrinsecus magnitudinis, aut paruitatis viuentibus non conceditur, nisi extrinsecus dumtaxat.

15 Ad primū nego antecedēs pro 2. p. neque enim homo sic tumefactus corrūpetur, sed sub eadem forma, & quantitate manebit cuius tamen partes per noxiam qualitatem erunt magis dilatatæ in ordine ad locum cuius simile contingit in rarefactione. Idemque proportionabiliter dices de illo, qui per extenuationem videtur recedere à termino intrinseco paruitatis. Ad secūdum nego consequentiam: nam noua pars virtutis aduenies cum noua parte formæ in plantis, residet in determinato loco, puta, in radice, quæ quanto magis dilatat à partibus extensis superuenientibus, minus influit in illas, & continuo ab illis repatitur, atque ad augmentum debitum viuenti ordinatur: quo acquisito saturatur, & exharitur eius potentia augmentatiua: quæ rationes deficiunt in homo geneis. Ad 3. nego antecedens: quia impossibile est lineam nō habere finitam longitudinem, sicut & quod nō habeat finitam essentiam: potest tamen intellectus imaginare lineam infinitam, secundum longitudinem, sed finitam secundum essentiā respectu cuius intellectus sic imaginantis, non sequitur ex forma finita, extensio finita: quia hæc consequentia non valet nisi relictis forma, & quantitate ad illam consequuta, suis naturis. Ad cōfirmationem nego maiorem: quia aumentū proprię sumptum est adquisitio maioris quantitatis facta à virtute intrinseca ad hoc munus per se ordinata: qualis in igne nō datur nisi virtus generatiua alterius ex cuius vnione cū præexistēte, fit ille maior per accidens & ob similitudinem cum nutritione & aumento viuentium, dicitur nutriri. Ad 4. nego maiorem, ob rationem ibi assignatam: sphera enim actiuitatis agentis naturalis sequitur modum agendi, sed non efficitur à virtute agentis, & ideò iuxta illum & non per istam debet terminari. De potia verò portatiua est alia ratio ob quā non potest portare pondus æquale, sed citra illud, neque terminatur per maximū, quod sic: quoniam à proportione minoris aut æqualis non fit actio. De potentia autē visiua dicendum est cum Soto vbi supra, terminari eius sphæram termino extrinseco: Sed obijcies, quod aliàs visio fieret in tempore & inciperet per vltimū non esse: siquidē si calor aplicetur ad lineā extrinsece terminatiuā sphęræ, tunc nō erit aplicatus ad sphērā, sed immediate post hac erit aplicatus: ac proinde immediate post hac erit visio: quia vltimū nō esse aplicationis coloris erit vltimū non esse visionis, cōsequēs esse

falsum patet: quia sicut intellectio, & producio lucis, ita & visio fit in instanti: ergo. Secundo: nã cũ dicta linea terminatiua sit indiuisibilis, secundum latitudinem, non distat, magis à potẽtia visiua quã pars spatij contenta citra illã, quia indiuisibile additum non facit maius, neque magis distans: ergo etiã est intra spherã, & consequenter est terminus intrinsecus. Sed ab his obiectionibus facile vindicatur nostra sentẽtia. Ad primã enim dico visionẽ fieri in instanti à potentia visiua circa obiectũ, iam debite applicatũ. Secus autẽ quando fit per accidens ad motum & successiuam applicationem vel obiecti vel potẽtiæ: sicut lux quia qualitas intentionalis est & carens contrario producitur in instãti à luminoso applicato, tamen si luminosum aplicetur spatio per motũ successiue, tũc producitur ad modũ motus. Ad secundã negatur consequentia: quia dicta linea, licèt non faciat maius, tamen facit diuersum in ratione distantis, magisque distat saltem negatiue, quatenus est non intra, sed extra dictã spherã: quo pacto minimũ quod nõ durationis hominis, v. g. licèt indiuisibile sit, constituit tamen diuersum in genere mensuræ & magis distãs secundũ durationem, saltem negatiue, ad quod proinde homo nõ potest peruenire.

16 Ad 5. dicendũ est cum sententia veriori Caietani, Sócinatis, & Soto vbi supra atque Conimbr. 1. phis. c. 4. q. 1. art. 6. cocedentiũ terminum intrinsecũ paruitatis entibus naturalibus etiã non viuentibus, contra negatiuam sententiã Scoti in 2. d. 2. q. 9. Ochami d. 28. Veneti vbi supra & Vallesij controu. 5. iuxta quam negandum est antecedens ad formam argumẽti. Ad cuius probationem respõdetur in nullo ex dictis casibus probari minus minimo. Nõ quidẽ in primo quoniam respectu passi quod est minimum v. g. ligni in ordine ad qualitatem, verbi gratia, calorem in ratione vltimæ dispositionis ad ignem defficit dictum axioma: nimirùm agens naturale prius introducit effectum in partem passi propinquiorem, quam in minus propinquam: quia ex necessitate naturę calor vt octo quam primum est in priori minimi medietate, per totum minimum extenditur: ne vltima dispositio & forma substantialis entis naturalis incipiat esse extrinsece per vltimũ non esse, contra modum naturalẽ inceptionis præscriptum substantijs à Philos. 6. phisic. texta 31. alioquin supradictum axioma est verum, vt verius interpretatur Soto vbi supra, & minus vere Conimbricenses interpretantur existimantes in dicto casu formã ligni persistere in materia prioris medietatis minimi simul cum vltima dispositione ad formã ignis. Neque in secundo: quia in nutritione licèt à generetur portio carnis minor, quã sit minima per se ipsam separata potens conseruari: tamen in successiua corruptione alimenti, antequam perueniatur ad minus minimo, reliquũ cibi destruitur, ita vt sit verum dicere, nunc non est panis, & immediate ante hac erat aliqua portio panis diuisibilis maior minimo panis, quando non dũ erat tota caro aggenerata. Neque in 3. quia est ille casus impossibilis ex multiplici capite. Tum quia per actionẽ agentis naturalis nequit poni minimum separatum in rerum natura, & illo posito, ad huc repugnat eius diuisio: tum ex naturali resistentia, qua corrumpenti resistet natura: ne eius materia maneat sine forma, aut ne forma in materiam indispositam repente introducatur. Tum etiam: quia ad authorem supernaturalem, cuius esset positio talis minimi, pertinet supplere dispositionũ apparatum, nec non prouidere de alio corpore in quod resolueretur: illud quidem creando: aut repente ibi aliquam formam producendo, quã in materiam minimi indispositam, vel repente, dispositam introduceret.

Ad primum autem fundamentum tertiæ sententiæ patet ex dictis. Ad secundũ vero respondetur gigantes illos nõ excessisse terminum magnitudinis humanæ speciei debitũ, ac naturaliter possibilẽ: neque proinde fuisse proprie naturæ monstra, vtpote quos neque membris debitis caruisse, aut pluribus, quam debitis abundasse, neque deformitatem à natura humana alienã habuisse legamus; quæ tamen conditiones monstri in rigore sunt: neque obstat modus loquendi exploratorum, quia per hyperbolem illos monstra appellarunt, ad hostium insuperabilem vim magnificandam, & timorem populo incutiendum.

ARTICVLVS III.

An vnum infinitum maius alio esse, aut cum fundamento in re excogitari possit?

17 IN hoc articulo supponimus infinitum in actu phisicum, secundũ magnitudinem, multitudinem, vel intensionem non posse etiam de potẽtia absoluta dari in rerũ natura; nihilominus, quia excogitari potest magnitudo, multitudo

citudo ve aliqua infinita, de qua proprietates examinare possumus, quas vtique haberet si daretur: inter quas inquirimus, an hęc esset vna illarum, nimirũ omnimoda negatio excesus, ita vt vna magnitudo, vel multitudo infinita non possit esset maior, quã alia? In quo discriminantur metaphisici in quatuor sententias, quarũ prima absolute negans est Scoti in 2.d.1.q.3. Basolij d.1.q. 5. Alberti de Saxonia tit. 1. de cœlo q. 10. & Conimbricensium 3.phis.c.8.q.2. art.4. ad secundum, qui illam probant quadrupliciter: primo: quia quantitas prima sui diuisione diuiditur in infinitam, & in infinitam, finita autem est quæ posteâ sub diuiditur in æqualem, & in inæqualem, in maiorem, & minorem: ergo infinita quantitas est extra huiusmodi affectiones. Secundo: quia infinitum, includit omnem perfectionem ex cogitabilem sui ordinis, vel sui generis: ergo vt sic est in superabile. Tertio ab inconuenienti, nimirum quod excesus ille, aut esset finitus, & hoc non, quia quod superatur ab alio per quantitatem finitam & limitatam, infinitum esse nõ potest: aut esset infinitus, & tunc id quod superatur non esse infinitum: quia solum id, quod finitum est, infinito excesu superari potest: ergo. Quarto: nam numerus infinitus quicumque ille est, contineret omnes vnitates possibiles, ac proinde omnes numeros: ergo non posset excedi ab alio. Consequentia patet, quia quod superatur ab alio, nequit cõtinere id per quod ab illo superatur. Antecedens vero probatur: nam dum talis numerus infinitus hominum, verbi gratia, contineret infinitos homines, pariter contineret infinitos hominum binarios &c. ac per consequens contineret omnes numeros, & vnitates hominum. Secunda sententia veluti media ait vnum infinitum posse esse maius altero, quod est pars illius: non tamẽ quod esset omninò extra illud, cuius fundamentum innititur vulgari axiomati illi: *omne totum est maius sua parte*, quod in quolibet toto etiam infinito debet esse per se notum. Tertia admittit inter infinita versari debere omnimodam æqualitem, cum negatione excesus: eo quod duo sunt in quolibet infinito, nimirũ in ipsa formalis infinitudo, quod in negatione finis consistit, atque exclusio terminorum, aqua vocatur infinitum: sed ratione primæ cõditionis, quæ priuatio est nequit suscipere additionẽ vllã. Quarta & extrema absolute affirmat ex infinitis in genere, vnum posse materialiter esse, aut excogitari maius altero, quæ est expressa Diui Thom. 3.p.q.10.art.3. ad tertiũ Caietani ibidem, Ferrariæ 2. contra gent. c.38. Soncinatis lib.12.huius q.31. ad primum, Durandi in 1.d.43.q.2. Gabrielis, & Gregorij ibidem q.3. & 4. Quæ proinde à nobis statuitur pro conclusione, & suadetur primo ex discrimine, quod assignat D. Thom. dicto loco inter infinitum simpliciter, & omnibus modis, atque infinitum in aliquo genere, quod illud à nullo alio infinito potest excedi: benè tamen istud: loquitur autem de infinito formaliter considerato, cuius proprietates assignat Philosophus 3.phisic.text.38. quarum vna est quod illo non sit aliquid maius: & tamen si fieret cõparatio huiusmodi infinitorum in sola negatione termini, nullatenus discriminarentur, siquidem negatio in nullo infinito suscipit magis, aut minus. Secundo, quia infinitum secundum rationem formalem est proprietas quãtitatis, ac proinde quid positiuum, licèt à nobis explicetur per negationem consequutam: vnde D. Th. vbi supra probat multitudinẽ scitorũ à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ esse maiorem, quam multitudinem scitorũ ab anima Christi, quamuis vtraque sit infinita sicut ea quæ continentur in potentia diuina sunt plura, quam ea quæ cõtinentur in potentia creaturæ: ergo. Tertio nam in genere entis moralis, puta meriti, dignitatis, offensæ, atque satisfactionis dantur de facto plura infinita, quorum vnum, nedum materialiter sed etiam formaliter, & per aliquid positiuum est maius altero: ergo pariformiter hoc ipsum in infinitis phisicè excogitari potest à nobis. Antecedens patet inductione, in satisfactione, & merito Christi, quæ fuerunt infiniti valoris: nec non in offensa peccati mortalis, quam esse infinitæ grauitatis simpliciter testatur D. Thom. 3.part.quæst.1.art.2.ad 2. & opusc. 2.cap.198. & duobus sequentibus, vbi ex infinitate offensæ probat necessitatem incarnationis ad exhibendam satisfactionem æqualẽ ob insufficientiam puri hominis: qua ratione Clemens 6. in extrauag. *vnigenitus* de penitent. & remiss. diffinit Thesaurum Ecclesiæ propter Christi merita esse infinitum, & inexhauribilem: & tamen datur in huiusmodi infinitis vnum maius altero, quod ostenditur, secundum triplicem cõparationẽ, hoc est inter ipsas offensas, vna est maior altera, sicut, & malitia vnius peccati excedit malitiam alterius: & comparando vnam actionem Christi ad omnes simul sumptas: colectio omniũ est maior saltẽ extensiue vnaquaque seorsum

ſumptæ: & tandem comparãdo ſatisfactionem Chriſti ad offenſam, illa eſt maior in valore morali, quam iſta dicente Paulo ad Rom. 5. *vbi abundauit delictum ſuperabundauit, & gratia.* Vltimo probatur, quia infinitum eſt illud quod recedit à fine, & termino, ſiue à finito, & determinato, ſed quo plures partes ei adduntur, eo magis recedit à finito, & determinato, ſi enim infinito numero hominum, verbi gratia, addere tur, vnus equus, maior eſſet numerus animalium magis à numero finito recedens: ergo: patet minor: quia poſt additionem recedit tantum ac prius ante additionem, & inſuper aliquid amplius, nempè per id amplius, quod in illo ponit additio.

Ex his reſpondetur ad primum pro prima ſententia, infinitum, in omni genere, de quo loquitur Philoſ. 8. phiſ. eſſe immenſurabile, & conſequenter incapax recipiendi relationes æqualis, maioris aut minoris, ſecus autem dicendum eſt de infinito, in tali genere, quo poteſt dari aliquid minus, licèt intra ipſum non ſit ſignabilis aliqua pars determinata menſurabilis, verbi gratia, tertia aut quarta, aut vltima, vt docet Capreolus in 3. dict. 8. quæſt. 3. ad 1. Aureoli. Ad ſecundum reſpondetur antecedens eſſe verum de infinito in omni genere ſecus autem de infinito in alliquo genere. Ad tertiũ admiſſa maiori prò vtraq; parte negatur minor, quia vt dictũ eſt per quancunque additionem fiet vnum maius alio. Ad quartum, negatur antecedẽs: infinitus enim numerus cogitationum nõ includeret omnes cogitationes, & volitiones: neque infinitus numerus cogitationũ & volitionum includeret ſubſtantias, neque infinitus numerus vnitatum includeret omnes binarios, aut terminarios excogitabiles. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quod pro prima parte eſt verum, & cõueniens cum noſtra ſententia: ſed pro ſecunda eſt falſum, vt patet ex adductis exemplis, in quibus etiam facta comparatione inter infinita diſtincta, & ſeparatà inuenitur vnum maius altero. Ad fundamentum pro tertia reſpondetur infinitum ratione negationis formalis nõ ſuſcipere magis, aut minus: benè tamen ratione fundamenti, ac ſubſtracti talis negationis, in quo ſaluatur ratio formalis infiniti. Neque valet dicere, quod ſi infinitum formaliter poſſet fieri maius per additionem, & magis recedere à finito, etiam per ſubſtractionem poſſet fieri minus: & ſic multiplicatis detractionibus reduci ad finitum: quia nequeunt infinitæ detractiones pertranſiri; & ſic nequit reduci infinitum per detractiones crebro repetitas ad finitam quantitatem, ſicut, neque continuum per multiplicatas partium diuiſiones poteſt ad partem diuiſibilem duntaxat finitè peruenire.

QVÆSTIO III.

De natura loci in duos articulos diuiſa.

18 EX motu colegit Ariſtoteles loci naturam, ac deffinitionem, lib. 4. Phiſicor. cap. 4. verſus finem dicens: locum eſſe, *terminum primum corporis continentis immobilem*: in qua, loco generis ponitur à Philoſopho *terminus*, id eſt ſuperficies, in quo conuenit locus cum omni alia ſuperficie, ſiue conuexa, ſiue concaua, ſiue ſit corporis continentis, ſiue contenti, & per eandem particulam excluditur interuallum, nempè ſpacium illud trinæ dimenſionis interceptum, atque interlatera ſuperficiei concauæ corporis continentis reſidens quod antiqui Philoſophi locum eſſe exiſtimarunt: excluditur pariter per hanc particulam forma, atque materia corporis contenti, cuius ſunt partes: cum tamen ſuperficies corporis continentis nihil illius ſit, ſed eſt ab eo diſtincta, atque diuiſa. Perſequentem autem particulam, *primus*, excluditur ab hac diffinitione locus communis, qui non primo, ſeu proximè continet locatum, ſed mediatè per aliud, à quo proximè ambitur. Denique ponitur immobilitas, tanquã loci vltima differentia ratione cuius à vaſe, cuius ſuperficies cõcaua, licet ſit terminus primus, ſeu proximè continens aquam: tamen non eſt proprie locus, quia poteſt trãsferri, & amoueri, ſuapte natura, atque ex propria forma: locus vt proprius lationis terminus fixus, atque immobilis debet permanere. Quo ſuppoſito duo examinare opere precium eſt: alterum pro eius ratione generica. Num ſit formaliter ſuperficies vltima corporis continentis, aut primo continẽs locatum? Alterum pro eius ratione differentiali, quæ eſt immobilitas. Num locus ſuapte natura ſit immobilis? Vt ſic eius deffinitio exacta ne ſit, facile perſpicia-

tur.

AR-

ARTICVLVS I.

An locus formaliter sit superficies, ac proinde species quantitatis continuæ?

IN hoc articulo tres versantur sententiæ duæ extremæ, & alia media. Prima illarum negat absolute locum esse superficiem corporis continentis: sed esse illud interuallum inter latera eius interceptum, & ab illo separatum. Huius sententiæ inuentores fuere quidam ex antiquis Philosophis: nempè Proclus, Crisippus, & Epicurus, atque Academici relati ab Alberto, sup. cap. 4. lib. 4. Phisic. & Galenus relatus à Simplicio, & Themistio ad text. 36. eiusdem libri, cum alijs quos refert Auicena lib. 2. suæ sufficientiæ, cap. 6. Qui tamen in explicanda natura & conditione huius interualli, non nihil dissentiunt, alij namque dicebant huiusmodi corpus esse indiuisibile immobile, & immateriale, ne aliquando relinqueret vacuum, quod refugit natura: alij verò constituebant illud in solis dimensionibus separatis à substantia, & sparsis per totum orbem. Alij denique in quodam ente pure priuaticio ex parte substantiæ, & quantitatis cõstituebant, quod vacuũ appellabant. Qui id in quo conueniebant pluribus argumentis probabant. Quorum summa hæc est: locus debet esse æqualis locato, terminus motus localis, & id per quod fit motus: sed superficies, neque potest esse æqualis locato, quod est corpus trinæ dimensionis, neque terminus motus, neque id, per quod fit motus: partes enim terræ verbi gratia, non mouentur ad vltimam superficiem aquæ, intra quam continentur, sed ad centrum: neque ex infinitis superficiebus potest fieri spatium diuisibile, in cuius transitu consistit motus localis: ergo: rursus, locus debet esse aptus repleri corporibus: quæ aptitudo non conuenit superficiei, quæ nequit dici plena, sed soli spacio, & interuallo: à cuius insuper vnitate desumitur vnitas loci, quæ stat cum pluralitate superficierũ: ergo. Secunda sententia ait locũ esse vltimam superficiem formaliter corporis ambientis: ac proinde esse speciem quantitatis continuæ à linea, & corpore trinæ dimensionis condiuisam: cum connotatione aptitudinalis continentiæ, siue mẽsuræ. Ita Suar. tom. 2. Metaph. disput. 40. sect. 7. & disput. 51. sect. 2. Tolet. 4. Phisic. quæst. 4. & Conimbricenses, quæst. 1. art. 2. & in eandem inclinauit Soto ibid. q. 1. §. at vero, insinuans superficiem esse genus ad locum: quamuis in alijs locis in alteram partem inclinauerit, quæ suadetur à suis auctoribus, primo, quia videtur esse sententia D. Thom. in 2. d. 12. q. 1. art. 5. ad secundum, dum ait locum esse idem per essentiam quod superficies corporis locantis: idem autem est, esse tale per essentiam, atque esse tale formaliter. Necnon 1. part. q. 110. art. 3. ait mobile secundum locum nõ esse in potentia ad formam intrinsecam: denotans locum formaliter esse idem cum ipsò vbi, quod nihil intrinsecum ponit in locato, niũ tantum in locante: & propter ea posse ab Angelo immediate imprimi motum localem, secus autem motum alterationis vel aumentationis. Idem habet in 2. d. 8. q. 1. art. 2. & q. 6. de potent. art. 3. & 16. de malo art. 10. & 5. huius, sect. 9. & lib. 7. lect. 13. fatetur prædicamentum, vbi constitui formaliter per locum, idest per superficiem locantis: ergo. Secũdo, quia superficies præstat omnia munia propria loci, gaudetque eisdem proprietatibus: ergo formaliter est locus. Ans patet, quia superficies formaliter continet, & circumscribit locatum, estque terminus lationis, & æqualis locato: quæ sunt proprietates loci, vt perspicuũ est: ergo. Tertio probatur ratione desumpta ex D. Tho. in locis citatis: nimirum, quia vbi, quod est terminus motus localis, nichil potest intrinsecum in locato: quod signum est ipsum esse superficiem corporis locantis: si enim aliquid intrinsecũ poneret in mobili: neq; suprema, sphera, neq; lapis, si moueretur in vacuo, aliquod vbi per suos motus adquireret: siquidem nichil reale intrinsecum tunc possent recipere: & tamen non est denegandus eis terminus talis motus localis: ergo. Tertia sententia, quæ asserit locum materialiter duntaxat, & identice esse vltimam superficiem corporis ambientis: formaliter vero in aliquo respectu super addito consistere, ita vt hæc propositio, locus est superficies, sit vera duntaxat in sensu materiali, sicut, hæc similitudo est albedo procul dubio, est Phi. 4. Phi. ac D. Thom. lect. 6. & lib. 1. de cœlo, lect. 18. & quodlibet. 6. art. 3. Soto in logica cap. de quantitate, q. 1. ad 8. & 3. Phis. quæst. 2. Soc. natus 5. huius quæst. 4. Fosecæ, ibid. cap. 13. quæst. 7. sect. 1, & 2. Scot. quodlib. 11. art. 4. & Iandun. 4. Phisic. quæst. 4. qui authores vt explicent illum respectum superadditum ad superficiem, in quo formalitas loci consistit inquatuor modos dicẽdi diuiduntur. Alij e-

nim cum Ianduno dicunt, illud ſuper additum eſſe virtutem cõſeruatiuam de prædicamento qualitatis, per quã ſuperficies cõtinens trahit ad ſe, atque conſeruat locatum. Alij vero cum Soto, Fonſeca, & Suario dicunt eſſe illud ſuper additum vbicationem de prædicamento vbi in paſſiua cõtinentia, & menſuratione recepta in locato, conſiſtentem. Deinde Scotus cum ſequacibus conſtituit illud in duobus relationibus extrinſecus aduenientibus, nimirũ continentiæ loci, ad locatum, & diſtantiæ ad partes mũdi fixas. Alij denique loci formalitatem in eiſdem duabus relationibus ſuperadditis ſuperficiei, tranſcendentalibus quidem, ſed non extrinſecus aduenientibus, conſtituunt. Pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primo locus nullatenus eſt ſpaciũ aut interuallum, quod inter ſuperficies extremas, totius corporis continentis intercipitur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſectatores primæ opinionis, & oſtenditur labefactando ſingulos modos illam defendendi. Neque enim locus eſt interuallum illud de prædicamento ſubſtantiæ: neque corpus trinæ dimenſionis de prædicamento ſubſtantiæ, neque corpus trinæ dimenſionis de prædicamento quantitatis, neque pura priuatio: ergo neutiquam eſt interuallum, &c. Ans probatur quo ad ſingulas partes. Quod non ſit corpus de prædicamento ſubſtantiæ patet dupliciter: tũ quia omne corpus naturale eſt mobile, & in loco: locus autem neque eſt mobilis, neque in loco, alias daretur proceſſus in infinitum. Tum etiam ratione, quam vtitur Phil. 4. Phiſico, text. 8. nimirum, quia locus, & locatum debent eſſe ſimul, & æqualia: ſed corpus neque poteſt eſſe ſimul cum alio corpore, neque illi æquale, niſi penetratiue ſe habeant, quod naturaliter eſt impoſſibile: ergo. Deinde quod non ſit corpus de genere quantitatis patet, quia tale corpus eſt accidens, ſicut & quãtitas: ac proinde nequit eſſe naturaliter ſeparatum à ſubiecto, cuius eſt naturalis proprietas: ergo nequit eſſe interuallum illud corpus mathematicum: ſed ſi corpus eſt debet eſſe phiſicum, & naturale: quod eſt in idere in primum modum iam impugnatum. Denique, quod non ſit pura priuatio, probatur dupliciter: Tum ex tribus proprietatibus loci, nimirum quod ſit æqualis locato: & terminus motus ipſius corporis mobilis, atque illius inclinationis: & quod contineat, & conſeruet locatum quarum nulla poteſt puræ priuationi conuenire. Tum etiã tribus rationibus, quibus Phil. 4. Phil. text. 1. dictam opinionem confutat. Quarum prima ſumitur ex ſucceſsione, plurium corporum in eodem loco, quæ fit ad eum modum quo plures formæ in eadem materia ſuccedunt: ac proinde locus debet eſſe quid reale, ſiquidem ſubeſt realiſ corporum ſucceſsioni. Secunda ſumitur ex naturali inclinatione grauium, & leuium ad ſua loca naturalia: terminus autẽ naturalis inclinationis nequit eſſe pura priuatio, &c. Tertia eſt argumẽtum ad hominem ex definitione vacui, quam dicti Philoſophi admittebant, dicentes vacuum eſſe locum aptum repleri: ac proinde interuallum illud, quod aptum eſt repleri, non poterat non eſſe reale.

Dico ſecundo locus formaliter, & mathematice ſumptus, ideſt abſtrahẽdo à qualitatibus conſeruatiuis non eſt ſuperficies directè poſita in prædicamento quantitatis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ, & ſuadetur primo, quoniam gradus genericus, & differentialis cuiuſcunque rei debent eſſe eiuſdem rationis, vtpote & eiuſdem realitatis formalis: ſed gradus differentialis loci non eſt de genere quãritatis: ergo neq; genericus: min. patet quia gradus differẽtialis loci eſt immobilitas, ſeu reſpectus immobilis diſtãtiæ: quãritas autẽ formaliter, & per ſe nõ diuiditur per immobilitatẽ, tanquam per intraneã differentiam: imò ſuperficies de ſe potius eſt mobilis, & variabilis, ſiquidem ad variationem corporis continentis, ipſa quoque variatur: ergo. Secũdo: nam locus ponitur à Phil. c. de quãritate, vt ſpecies cõ diſtincta à ſuperficie: dũ ibi inter ſpecies quantitatis permanentis continuæ numerat lineam ſuperficiem, corpus & locum: ſed eorum, quæ differunt ſpecie vnum nequit eſſe formale conſtitutiuum alterius: ergo. Tertio ab incõueniẽti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſentẽtia: primum eſt, quod locus eſſet mobilis, ſicut & ſuperficies mouetur immoto manente locato: quod eſt contra ſententiam Philoſ. Quo argumento D. Tho. aut author illius opuſc. 52. de natura loci quicumque ille fuerit, c. 1. concludit locum, & ſuperficiem gaudere ſuis diſtinctis rationibus formalibus. Secundũ eſt quod alias idem numero locus, eſſet eadem numero ſuperficies, ſicut ex eo quod homo eſt formaliter animal benè ſequitur, quod idẽ numero homo, ſit idẽ numero animal. Conſequens autẽ eſſe falſum patet. Tum quia manente eodem numero loco Petri, v.g. mutantur plures numero

meto superficies. Tum etiam, quia idem numero baculus secundum sui medietatē in aqua: & alterā medietatem in aere contentus, eodem numero loco, & duabus superficiebus circunscribitur: ergo.

20 Dico tertio ratio formalis generica locieſt respectus transcendentalis, quo respicit locatum per modum continentis, & mensurantis. Hæc statuitur aduersus tres priores modos defendendi tertiam sententiam: & suadetur primo, quia locus formaliter, vt conditinctus à superficie, solum addit rationem extrinsecæ mensuræ: vndē & inter species mensuræ numeratur, sicut tempus: ideoque ad cathegoriam pertinet quantitatis reductiuē: sed est mensura locati per respectum, & habitudinem trāscendentalem continentis illud; sicut & tēpus, per similem habitudinem constituitur mensura successiuorum: in qua conuenit vniuocē, & essentialiter cum loco: non autem conuenit cum illo in ratione superficiei, aut extensionis: quia cum sit duratio motus primi mobilis non gaudet propria, aut distincta extensione ab ipso motu: ergo. Secundo probatur labefactando prædictos modos dicendi. Primus namque deficit, quia locus vt hic consideratur à Phil. abstrahit à qualitatibus sensibilibus, dicitur que locus mathemathicē, & est terminus motus localis, neque suscipit magis, aut minus: qualitas autem conseruatiua est naturalis, & sensibilis, non est terminus motus localis: & suscipit magis aut minus: ergo non est de essentia loci vt sic: licet sit quædam eius affectio, secundum quam locus dicitur naturalis, quæ accidit ei secundum te considerato. Deinde secundum deficit propter duo: Tum quia vbicatio est intrinseca locato, & de prædicamento, *vbi*, locus vero subiectiue est in locante, extrinsecè se habens ad locatum: atque reductiuè est de prædicamento quantitatis in ratione mensuræ, &c. ergo. Tum etiam, quia proprietates loci annumeratæ, nimirum continendi, mensurandi, & adequandi locatum, non conueniunt ei ratione vbicationis: ergo. Denique tertius deficit in eo quod hos respectus appellat relationes extrinsecus aduenientes: quod tamen stare non potest propter duo: Tum quia huiusmodi relationes extrinsecus aduenientes, id est, quæ posito fundamento, & termino non resultant iam ostendimus esse penitus abolendas. Tum etiam, quia alias locus formaliter esset de prædicamento ad aliquid: quod nullatenus admitti potest: ergo. Ad fundamentum primæ opinionis dicendum est, locum esse æqualem locato æqualitate quidem non dimensionis, quæ petit extrema æquari, secundum omnem dimensionem, sed æqualitate continentiæ, quæ solum petit extrema secundum vltima æquari, licet in æqualia sint secundum profunditatem: eademque ratione satis est, quod locatum tangat locum secundum vltimam superficiem: quod dicto interuallo conuenire non potest: minusque vacuo, quod est spacium omni carens corpore, quod sicut naturaliter est impossibile, ita naturaliter est impertransibile per motum. Ad primum pro secunda sententia respondetur, quod D. Thom. in primo loco solum vult locum entitatiuē, & pro materiali esse superficiem, qua de causa inquit illum habere esse completum extra animam: secus autem tempus: in alijs vero locis solum vult locum esse formā vbicationis extrinsecā, & causaliter illam constituentem, sicut vestis eadem ratione dicitur forma prædicamenti habitus, scilicet extrinseca: neque negat per motum localem adquiri intrinsecum vbi, sed solum negat adquiri formam intrinsecam disponētem per se loquendo ad corruptionem, seu generationem substantialem, de hac enim sola dicitur, quod immutat physicē subiectum. Ad secundum, nego antecedēs quia superficies corporis locantis secundum se exhabitudine ad subiectum cui inest, solum habet extendere, & afficere illud secundum latitudinem: cōtinere autem, mensurare, & circumscribere locatū, non habet nisi per respectum, & habitudinem mensurantis ad ipsum locatum. Ad tertium, nego antecedens. Ad cuius primam probationem respondetur tunc per accidens per motum localem non adquiri reale, & intrinsecum vbi, quia tam in prima sphera, si moueretur, quam in lapide moto per vacuum deficeret realis loci actiua circunscriptio; sicut deficiente adiacentia vestimenti necesse est deficere modum intrinsecum prædicamenti habitus, quia tamen illi motus suapte natura intrinsecum vbi postularent, ideo essent eiusdē generis cum alijs motibus localibus. Hinc colligo primo vltimam sphērā, scilicet, cælum empyreum non habere verum, & reale vbi, vt falso putauit Suarius, dict. 51. sect. 1. & 2. sicut neque actu est in loco, nisi tantum in potentia, quatenus vna pars potest discontinuari, & alteram circunscribere, vt ostendit auctor opusc. 52. cap. 2. & D. Thom. quodlib. 6. art. 3. Coligo secundo illas spheras cælestes solū naturaliter posse moue-

moueri, quæ actuali gaudent loco, ab alijsque circunscribuntur actu. Ac proinde deceptos fuisse philosophos, qui dixerunt vltimam spheram habere locum actualem ratione superficiei sphęræ inferioris: aut ratione centri terræ: siquidem neque à superficie inferioris, neque à centro continetur, aut circunscribitur.

ARTICVLVS II.

De immobilitate, quæ est loci differentia.

22 EXplicata iam ratione generica loci, ad eius vltimam differentiam declarandam, quam Philo, in immobilitate constituit, calamum conuertimus: vt eius diffinitionis exactam cognitionem lectori tradamus. Vnumque, tãquam certum, & à philosophis communiter receptum supponimus. Nimirum aliquam immobilitatem lococõuenire: quod ex natura motus localis Philosophi collegerunt; scilicet ex his duabus præmissis: moueri localiter est mutare locum: & nihil localiter immotum, mutat locum: ex quibus deducitur, quod secundum ordinem naturalem rebus præfixum, permotum localem debet adquiri distinctus locus: & quod corpus non mutat locum, sed in eodem permanet, quandiu non subest motui locali. Alterum quod in dubiũ vertimus, est, quopacto locus fit immobilis, & qua gaudeat immobilitate? In quo plures versantur sententiæ, quæ omnes ad has quatuor præcipuas reducuntur. Prima est cõmentatoris 4. phisic. comment. 41. & tandem, quæst. 6. asserentium locum esse immobilem duntaxat per se, hoc est quia nõ potest esse per se subiectum motus: cum quo tamen stat, quod moueatur per accidens ad motum corporis continetis. Quæ suadetur. Tum quia locus est accidens corporis continentis, ac proinde per se non potest moueri, bene tamen ad motum sui subiecti. Tum etiam, quia licèt in motibus alterationis, & aumentationis, quibus corpus mouetur ad qualitatem, & ad quantitatem concomitanter, qualitas, & quantitas mouentur eisdem: tamen locus non mouetur in se per motum corporis ad ipsum: neque mouetur necessario ad motum corporis contenti intra ipsum: illo enim amoto potest locus idem numero permanere: ergo hac de causa conuenienter dicitur immobilis. Secunda sententia est Scotistarum cum suo euthore, in 2. d. 2. quibus art. 1. asserentium locum tantum esse immobilem per æquiualentiam: hoc est, quia superficies, quæ superuenit priori ambienti corpus locatum, licet constituat alterum locum numero distinctum à prima: tamen quatenus continet corpus in eodem situ, & distantia, & in ordine ad motũ localem, æquiualet primo loco. Cui consonat sententia Ferrariensis, & eorum qui dicunt locum esse immobilem secundum speciem mobile autem secundum individuum. Quę suadetur primo ex testimonijs Aristot. ac D. Thom. quorum ille 4. Phisic. text. 42. inquit, quod sicut vas est locus mobilis, ita & locus est vas immobile, ideoque fluuium continentem nauim esse locum immobilem, quia totus est immobilis, licet aqua secundum partes moueatur: ille vero lect. 6. sic ait: licet hæc pars aeris, quæ continebat, vel hæc pars aquæ fluat, & moueatur in quantum est hæc, aqua tamen, secundum quod habet rationẽ loci, & situs, & ordinis ad totum sphericum cœli semper manet, sicut etiam dicitur idem ignis manere, quantum ad formam licet secundum materiam varietur, &c. Quæ verba denotant solam identitatem per æquiualentiam: ergo. Secundo quia variato illo quod est intrinsecum entitati loci, necesse est, & eius entitatem variari, sicut multiplicato animali in homine, necesse est multiplicari hominem: de cuius essentia est animal: sed eodem locato permanente verbi gratia, eadem turre variantur superficies aeris continentis, vt experientia cõstat superficies autem vel est de essentia loci, vel identificatur cũ eius entitate, aut est eius subiectũ: ergo multiplicata superficie necesse est multiplicari numero locũ. Cõsequentia patet, quia accidẽs, sicut summit suam vnitatem numericam ab vnitate subiecti, ita à subiecti pluralitate accipit numericam distinctionem, ac proinde multiplicatis subiectis necesse est accidẽtia, quæ in illis subiectantur, multiplicari. Tertio, quia in casu, quo fluentibus cunctis superficiebus aeris turrim circunscribentis confluxum aliarum impediret Deus per vnã horã, qua transacta iterum fluerent superfiues aeris, ac turrim ambirent; iam no esset iste locus secundus idem numero cum primo, nisi per æquiualentiam, aut secundum speciem: alias primus locus non fuisset corruptus: vel si corruptus fuit, & hoc non obstante reddit idem, iam idem numero accidens semel corruptum, reproduceretur per naturam: siquidem confluxus ille secundus, superficierũ seclusis impedimen-

mentis, esset naturalis, quæ tamen admitte da non sunt: ergo turris immota localiter, iam mutaret locũ in dicto casu. Tertia est Pererij lib. 11. de loco cap. 3. & aliorum asserentium de ratione loci in communi tãtum esse superficiem corporis continentis primi: immobilitatem autem perfectã, & omnimodam, hoc est, secundum indiuiduum solum esse de ratione loci corporũ simplicium, scilicet elemẽtorum: quia horum locus dũtaxat est fixus, stabilis, & immobilis, de qua immobilitate loquutus fuit Aristot. Reliqua autem loca corporum, siue naturaliũ, siue artificialiũ mobilia sunt; quod probat argumento facto de turri, circa quam variantur superficies aeris continentis, ac proinde nõ manet in eodem numero loco propriè loquendo: nisi vel vsurpando nomen loci pro situ, quia manet in eodem situ respectu cœli, &c. Vel quia dicitur manere in eodem loco actiuè, in quã tũ ipsa non transit ex vno loco ad aliũ, non tamen manet in eodem loco passiuè; quia superficies aeris ambientis, qui est eius locus non manet eadem numero. Quarta sententia quæ tribuit perfectam immobilitatem locis, tam communibus, quam particularibus, est proculdubio, D. Thom. vbi sup. & opusc. 52. cap. 1. cui Soto 4. Physic. quæst. 1. Toletus, quæst. 5. Conimbric. q. 1. art. 3. & Fonsec. 5. huius cap. 15. quæst. 10. sect. 2. subscribunt. Licet diuersi mode explicent id ratione cuius locus fiat immobilis. Fonseca enim, & Conimbricenses dicunt fieri immobilem per respectum ad superficiem imaginariã, cui intelligitur coexistere, & quæ omnino intelligitur stabilis, & fixa sicut duratio temporis accipit suam continuitatem per respectum ad fluxum imaginarium temporis, quod ab æterno intelligitur fluxisse. Alij vero dicũt fieri immobilem per respectũ præsentiæ ad hoc spacium, in quo circunscribit corpus locatum. Alij denique dicunt fieri immobilem per respectum distantiæ ad partes mundi fixas, & stabiles. Pro cuius declaratione.

23 Dico primo, locus nõ solum est immobilis per se, hoc est ea immobilitate, quę opponitur mobili, quod mouetur per se, sed etiam quæ opponitur mobilitati per accidens. Hæc conclusio probatur aduersus authores primæ sententiæ, primo quia Phil. dum attribuit loco immobilitatem, aliquid speciale ei attribuit, quod non conuenit cæteris accidentibus, de quibus proinde non prædicat immobilitatem, & tamẽ omnia accidentia sunt immobilia per se, quia nullum accidens est subiectum per se motus, cum actiones, & motus per se sint suppositorum. Deinde quia propterea Philo. excluſit vas continens à ratione loci ob defectum immobilitatis: & tamen conuenit ei immobilitas ista per se, quia neq; est necesse ipsum moueri ad motum corporis contenti, neque eodem motu afficitur, quo corpus mouetur ad ipsum: potest enim vas immotum manens, liquorem recipere: ergo, Secundo quia locus communis vniuersi mundi sub lunaris, ac singulorum elementorum, neque per se, neque per accidens mouetur: eo quod naturaliter ista corpora à suis locis amobilia non sunt: igitur non omnis locus est mobilis per accidens, vt ista sententia supponit.

Dico secundo, locus omnis tam communis, quam particularis manet idem numero, & non tantum secundum speciem, aut per æquiualentiam. Hæc conclusio statuitur aduersus authores secundæ ac tertiæ sententiæ, & probatur pro prima parte, primo quia cum moueri localiter sit mutare locum, quicunque mutat locum debet moueri localiter: ergo si locus tantum esset immobilis secundum speciem, aut æquiualentiam, idem corpus sine motu locali mutaret locum in indiuiduo, mutando superficies ambientes, quod est mutare locum simpliciter, & pro inconuenienti habetur à Phil. ergo. Secundo probatur, quia ad immobilitatem loci in indiuiduo sufficit identitas situs, ac distantiæ ad partes fixas vniuersi: ergo quandiu hæc non tollitur, neque variatur locus in indiuiduo per variationem materialem superficierũ. Antecedens patet, quia vnitas numerica loci non petit omnimodam inuariationẽ ex parte formæ, & materiæ, sicut Angelus, & cœlum, neque sicut homo, & equus, quę admittunt aliquam variationem ex parte solius materiæ, sed habet se sicut ignis, & fluuius, quorum vnitas numerica saluatur cum materiali variatione ex parte materię & formæ: vnde sicut saluatur idem numero fluuius pœnes hoc, quod partes, quibus extrinsece terminatur sint eædem, & stabiles, verbi gratia, eadem alueus, eædem ripæ, intra quas decurrit aqua, idem oriens, scilicet fons, à quo eggreditur, & idẽ occidens, scilicet mare in quod ingreditur, etiã si partes aquæ singulis diebus decurrentes sint distinctæ ab illis, quæ cursum suum terminauerunt. Pariterque termini extrinseci, quos respicit locus sunt ijdem numero, & fixi: ergo ab illis accipit locus numericã vnitatem: eo vel maximè quod est accidẽs

respe-

reſpectiuum ad extrinſecum terminum, à quo proinde debet habere vnitatem, vel diſtinctionem: & ſicut formale loci eſt immobile, quia non eſt vnus numero reſpectus ſed omnium, collectio in eadem diſtãtia, ita & materiale adequate ſumptum eſt immobile, quia nõ eſt illa, aut illa numero ſuperficies, ſed collectio omnium ſub tali formali ſuccedentium. Deinde ſecunda pars probatur primo, quia Ariſtot. 4. Phiſicor. diffiniens locum in communi, ait, illum eſſe vltimum terminum corporis continentis immobilem: excluditque à ratione loci vas, quia eſt transferibile de loco ad locum: locum autem dicit eſſe adinſtar nauis in transferibilis: ergo de omni loco particulari ſentit eſſe immobilem. Secundo tam totus communis & particularis habent ſe ſicut totum & pars: vt totus aer eſt locus aquæ, & vna pars aeris eſt locus auis: ſimiliter tota ſuperficies concauæ aquæ eſt locus terræ: & vna pars aquæ eſt locus vnius mixti, verbi gratia, piſcis: totum autem, & partes in homogeneis ſunt eiuſdem rationis: ergo ſicut communibus, ita & particularibus locis naturalibus conuenit immobilitas. Tertio, idem ſuadet natura motus localis propter quam inueſtigata fuit à Philoſophis locorum immobilitas, quę ea eſt, vt quicũque motus localis, ſiue ſit totius elementi, ſiue partis elementi, ſiue corporis mixti, ſit mutatio vnius loci, & adquiſitio alterius: neutrum autem poſſet ſaluari deficiente immobilitate loci particularis: quoniã ſi locus lapidis, verbi gratia, eſſet mobilis, abſque motu locali poſſet vnum locum, ſcilicet, naturalem relinquere, & alium, ſcilicet extraneum adquirere, aut è contra: quod tamen incõueniens admittendum non eſt: ergo.

24 Dico tertio formalis ratio, per quã cunctis locis conuenit huiuſmodi perfecta immobilitas eſt reſpectus, diſtantiæ ad partes mũdi fixas. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primi, & ſecundi modi defendendi quartã ſententiã: & ſuadetur primo, quia eſt expreſſa D. Thom. in dict. opuſc. 52. cap. 1, & 1. part. quæſt. 66. art. 3. ad 2. vbi ait, quod primum locans, ſcilicet cælum empyreum habet influentiam ſuper corpora, quæ mouentur, licet ipſum non moueatur, & propter hoc poteſt dici quod influit in primũ mobile, non aliquid tranſiens, & adueniens per motũ, ſed aliquid fixũ, & ſtabile, puta virtutẽ continendi, & cauſandi, vel aliquid huiuſmodi ad dignitatẽ pertinens: quæ virtus continendi à primo locante, nedum ad primũ mobile, ſed ad alia loca particularia mediante illo deriuabitur. Secundo: quia locus formaliter ſuperficie ſuperaddit aliquẽ reſpectum tranſcendentalem: ſed iſte nõ eſt reſpectus coexiſtentiæ cũ partibus ſpacij imaginarij: neque eſt reſpectus præſentiæ ad ſpaciũ reale, vt ſtatim oſtendã: ergo eſt reſpectus continentiæ in ordine ad contentũ & ſimul ad prædictas partes mundi fixas. Conſequentia patet à ſufficiente diuiſione, quod autem iſte reſpectus ſit immobilis, ex eo quod reſpicit huiuſmodi partes fixas patet, quia ex illis deſumitur ſecundũ ſe, & quoad nos, ſitus, ac diſtantia ſecundũ trinam dimenſionẽ, hoc eſt ſecundũ longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vel latitudinem vnius loci ab alio, etenim longitudo vnius cuiuſque oppidi ſumitur ſecundum diſtantiam vnius poli in alterũ ſcilicet artici in antarticũ, quæ teſte Philo. lib. 2. de cœlo text. 13. eſt longitudo orbis, eo quod in vnaquaque ſphera longitudo ſumitur à maxima diſtantia, quæ menſuratur per diametrum, mundi autem diameter ab vno polo in alterum intercipitur: ſecundum autem diſtantiam ab oriente, tanquã à parte dextra orbis ad occidens, tanquam ad partem ſiniſtram deſumitur latitudo: profunditas vero, ſiue altitudo deſumitur ex diſtantia inter concauum lunæ, & centrum terræ, tanquam inter partem anteriorem mundi, & poſteriorem: cum ergo ab his ſex punctis, ſiue partibus fixis deſumatur immobilitas loci communis, hoc eſt huius orbis ſublunaris: pariter ab eiſdem deſumetur immobilitas locorum particularum quæ in illo continentur. Tertio, probatur labefactando duos priores modos dicendi: primus namque deficit propter duo: Tum quia illa coexiſtentia ad ſuperficies, & lineas imaginarias eſt pura relatio rationis: formalitas autem loci eſt quid reale. Tum etiam quia vnitas numerica, & immobilitas cuiuslibet loci particularis, cum ſit pars loci communis, debet deſſumi ex ordine ad partes fixas loci communis ac mundialis, à quibus dictum eſt deſumi de facto, & ſecundum ordinem ſtatutũ vniuerſi trinam dimenſionem, ac proinde immobilitatem mundi ſublunaris: vtpote: quia illorum immobilitas eſt per participationem iſtius: ergo non deſſumitur ex ordine ad partes ſpacij imaginarij. Deinde ſecundo deficit in duobus: Tũ in eo quod ſupponit locum particularem formaliter integrari ex ſuperficie, & reſpectu præſentiæ ad ſpacium: ac proinde tranſacta prima ſuperficie corporis ambientis, perire

eundem

eũdem numero locum, quia licet sit immobilis, tamen est corruptibilis: quod tamen iam ostendimus esse falsum. Tum etiã, quia supponit huiusmodi respectum præsentiæ tãtum desumi ex ordine ad spatium reale seclusis vel non consideratis prædictis partibus fixis vniuersi: sine quibus tamẽ neque loci communis, neque spatij veri, & realis, neque loci particularis in illo cõtenti stat immobilitas secũdum ordinem statũ vniuersi vt dictum est: ergo. Vltimo probatur satisfaciendo tribus obiectionibus, quibus hæc nostra conclusio conquassari poterat. Prima, quod ex illa sequi videtur locũ nedum immobilem, sed incorruptibilem esse: siquidem transacta superficie corporis fluentis, non perit, neque naturaliter perire potest idem locus in individuo. Secũda est, quia si totus orbis de potentia Dei absoluta moueretur versus orientem, Salmantica quoque, v.g. mutaret locũ: & tamen maneret in eadem distantia longitudinis latitudinis & altitudinis ad puncta fixa prædicta: ergo non ex illis, sed ex imaginarijs desumenda est immobilitas loci. Tertia est quod nulla videntur esse puncta fixa ex quibus talis immobilis distantia desumatur: nam Astrologi accipiunt longitudinẽ terræ, & oppidorum ab oriente in occidens, Philosophi vero cum Arist. 2. de cœlo accipiunt illã ab vno polo in alterum: latitudinem vero ab oriente in occidens, Cosmographi denique metiuntur longitudinẽ terræ, & oppidorum per distantiã ad meridianum insularũ fortunatarũ: quam proinde Apianus 1. p. Cosmographiæ c. 7. diffinit dicens: Lõgitudo est æquinoctialis circuli segmentum meridiano eiusdem loci, & fortunatarum insularũ, meridiano comprehensum: quæ tamen insulæ, neque sunt punctũ aliquod fixum, neque sub polo cœlesti directe locantur: ergo. Sed ab his facile vindicatur nostra conclusio. Ad primã enim respondetur negando antecedens: tunc enim corrumpitur locus, quando mouetur corpus locatũ, & illi, aut nullum, aut alterum corpus succedit: quia tamen oppidum est permanens, pariter & eius locus permanet de facto, licèt de se, corruptibilis sit. Ad secundã dices, vel quod in dicto casu miraculosæ motionis totius orbis, immobilitas loci particularis desumetur ex punctis fixis imaginarijs, quæ permanere fingũtur vbi puncta realia antea erant, à quibus tamẽ secundum ordinem statutum desumitur locorum immobilitas: vel etiam quod si moto orbe Salmantica non moueretur mutaret quidem locum, non per mutationem localem sui, sed per mutationem extrinseci termini, sicut ex mutatione facta in termino extrinseco variari quoque solet habitudo in respectiuis. Ad tertiam negatur antecedens: ad cuius probationem respõdetur ob duas rationes metiri diuersimode Astrologos, atque Philosophos oppidorum distantiam: prima est quam assignat Iuntinus super c. 2. sphæræ dicens Tholomeum demonstrare longitudinem terræ ab oriente in occidens, & latitudinem ab æquinoctiali ad polos, è contra vero Aristotelem: quia iste consideauit totam spheram vniuersi, in qua circulus æquinoctialis protenditur ab oriente in occidens & quia à parte orientis tanquã à dextera incipit motus primi mobilis ideo huiusmodi distantiam vocauit latitudinem mundi. Ille vero distantiam ab oriente in occidens, quia maior est, vocat longitudinem: distantiã vero ab æquinoctiali versus polum: quia minor est, vocat latitudinem. Secunda ratio est quam assignat Diuus Thom. 2. de cœlo lect. 3. dicẽs: propterea Astrologos vocare longitudinẽ distantiam ab oriente in occidens quia dimensionem non totius vniuersi, sed solius terræ habitabilis considerant: maior autem pars terræ habitabilis est ab oriente in occidens, quam a meridie in aquilonem. His addit Apianus vbi supra, quod veteres Geographi vsi fuere insulis fortunatis, tanquam puncto fixo, quoad nos, ad oppidorum longitudinis & altitudinis gradus inueniendos: eo quod versus occidens illæ fuerunt vltima pars terræ, quã nautæ inuenerunt: quo pacto etiam vtuntur Astrologi stellia pollari, tanquam puncto fixo, & immobili, quia licèt reuera moueatur, est tamen vicinior polo, qui à nobis imperceptibilis est, ideo nunus poli fixi, quoad nos exequitur.

Ex his respondetur ad primum pro prima sententia admisso antecedenti, negãdo consequentiam, quia hæc est peculiaris conditio huius accidentis, scilicet loci, vt formaliter non varietur ad variationẽ subiecti, nisi tantum materialiter. Ad 2. nego consequentiam, cuius instãtiam habemus in vase, quod tamen immobile nõ dicitur. Ad primum pro secunda sententia dicendum est quod Philo. ac D. Th. volunt dumtaxat, quod locus particularis moueatur materialiter, & quo ad superficies corporis fluentis, secus autem quoad formalem respectum distantiæ in sensu à nobis explicato. Ad secundum admissa maiori, & minori: nego consequentiam, quia licèt transacta superficie, quæ est subiectum huius respectus, pereat pariter & iste respectus ma-

terialiter, & entitatiue in quantum intrinsece illi inheret: secus tamen formaliter, hoc est quantum ad totam collectionem vel quantum ad terminos extrinsecos connotatos: à quibus cum sint fixi, pariter & locus, atque respectus formaliter sumptus sit immobilis. Ad tertium respondetur, quod in dicto casu aut turris sine motu locali, mutaret locum propter miraculum interueniens. Aut quod adhuc idem locus redderet, & reproduceretur: non quidem secundum eandem partem, & entitatem secundum quam perierat: sed secundum aliam consimilem, in qua propter dictos terminos fixos extrinsece connotatos saluatur ratio, & vnitas eiusdem loci: sicut interruptio fluuij postea reddeuntis non obstat vnitati eiusdem fluuij, siue in eius interruptione miraculum interueniat, vt cõtigit âquis Iordanis, quando filijs Israel sic cum iter præbuit: siue nullum miraculum interueniat.

QVÆSTIO IIII.

De vacuo & eius conditionibus in se & in ordine ad motum. in duos articulos diuisa.

POstquam Philosophus in quinque prioribus capitibus 4. Phisicorum absoluit disputationem de loca, sua tum in quatuor sequentibus de vacuo disputationem aggressus est eo quod contrariorum eadem est scientia, & disciplina: Locus autem, & vacuum priuatiue opponuntur, est enim vacuum locus corpore contento priuatus & locus corpore contento semper est plenus: obeanque rationem opere pretium fuit disputationi de loco aliam de vacuo inserere presertim ad exactam motus cognitionem habendam: in qua duo introuersiam vocatur: alterum circa eius possibilitatem, ac alterum circa modum, quo motus potest per illud exerci, quæ singulis articulis sunt examinanda.

ARTICVLVS I.

An vacuum per naturam aut saltẽ per diuinam omnipotentiam dabile sit in rerum natura?

25 IN quo 3. versantur oppiniones, prima fuit antiquorum nimirum academicorum, & stoicorum quos refert & refutat Aristoteles asserentium vacuum esse quid reale: ac proinde de facto existens in rerum natura, à quibus parum discreparunt alij existimantes vacuum esse quid priuatiuum tamen dari in rerum natura sicut dantur aliæ priuationes ratione subiecti & fundamenti: partim quidem externum propter necessitatem motus localis, quo non in pleno sed in vacuo corpora incedunt: partim internum ob necessitatem augmenti viuentium, quod nequit fieri per intus susceptionem, nisi vacuitatibus, aut poris admissis corpore contento euacuatis, in quibus recipiatur alimentum. De quorum numero fuere illi, qui teste Auicena libro 2. sufficientiæ capite 6. dixerunt: locum esse spatium, siue interualum vacuum, in quo corpora mouentur & recipiũtur. Quorum fundamentum erat, quod vacuum habet proprietates entis realis, nimirum: quia est immutabile, & capax repleri: ergo est verum, & reale ens. Secunda sententia est aliorum negantium vacuum posse dari in rerum natura per virtutem agentis corporei. Concedentium tamen posse dari per virtutem intelligentiæ spiritualis, quæ est supra ordinem naturæ corporeæ, licèt de facto ab huiusmodi effectu sit impedita, eo quod ex duplici capite potest impossibilitas vacui prouenire, nimirum ex parte virtutis naturalis corporum ad ipsum impediendum; & ex lege, ac ordine totius vniuersi, sic adeò statuto, vt potestatem, atque illum immutandi sibi soli reseruauerit: considerata igitur impossibilitate vacui, ex primo capite potest vinci per virtutem Angeli, non autem considerata ex 2. capite, quia teste Paulo ad Hæbreos 2: *non Angelis subiecit Deus orbem terræ*, id est quantum ad immutandum ordinem, vniuerso statutum, & nullus sit locus aptus repleri, qui de facto non sit repletus aliquo corpore. Tertia cõmuniter recepta â Philosophis, sicut negat per virtutem agentis naturalis, tâm corporei, quâm spiritualis posse dari vacuũ: ita affirmat illud esse possibile respectu diuinæ omnipotentiæ. De qua videndi sunt Soto 4. phis. q. 3. art. 1. Conimbricenses cap. 6. q. 2. art. 1. & lib. 8. cap. 10. q. 2. art. 4. Fonseca 5. huius cap. 5. q. 5. sect. 1. Quæ proinde à nobis statuitur pro conclusione, & pro prima parte probatur aduersus sectatores primæ oppinionis, primo quidem supponendo ex Diuo Thom. in 2. distinct. 1. q. 1. art. 5. ad 4. & 1. p. q. 44. art. 1. ad 4. vacuum dupliciter accipi posse, nimirũ, aut pure negatiue, & sic idẽ est quod innane quoddam spatium, quod nec pro

for-

formali, nec pro substracto aliquid reale importat nisi purã negationẽ corporis, quale fingitur esse spaciũ supra cœli empyrei cõuexã superficiẽ, hoc autẽ minus proprie vacuũ appellatur: aut magis strictè, & hoc dicitur vacuum priuatiue, quod de forma li priuationem corporis contenti, de materiali vero latera dicit, vel vltimã superficiem corporis continentis, quæ sine aliquo corpore contento excogitatur. Et in hoc sensu vacuum ab Aristot. diffinitur esse locus non repletus corpore aptus tamen repleri, ac proinde in hac acceptione vacuum dicitur ab eodem Aristo. vbi supra text. 50 sola ratione differre â loco, quia pro materiali est idem cum loco, sed de formali addit aliquid rationis: quod neque est relatio, neque pura negatio, sed priuatio formæ seu corporis in subiecto apto nato, vt constat ex eius diffinitione. Ex quo tale deducimus argumentum: vacuum de forma li est ens rationis priuatiuum, neque enim potest esse substantia spiritualis, quia est receptiuum corporũ, neque corporea, quia diffinitur per corporis exclusionem, neque accidens, quia nullum potest naturaliter esse extra substantiã: ac proinde neutiquam est ens reale, sed rationis priuatiuum talis autem carentia, seu priuatio corporũ de facto, aut de lege ordinaria nequit dari in rerum natura: ergo. Secundo teste Philosopho, vbi supra text. 51. tota naturę propensio nititur excludere huiusmodi vacuũ eo quod omnes partes vniuersi appetunt sui conseruationem, & eodẽ appetitu eiusdem conseruationis, nociua contraria vitare, atque à se propellere conantur: sed vacuitas contraria est conseruationi partium vniuersi, est enim diuisio, vnius ab altera, per diuisionem autem facilius res corruptioni sunt obnoxiæ, sicut è contra vnitas, & concordia partium conducit ad totius tam naturalis, quam politici conseruationem: ergo. Tertio, nam sicvniuersum ex celestibus, elementalibus & mixtis corporibus, sicut totum quoddam ætherogeneum ex partibus diuersæ rationis conflatur: sed partes totius ętherogenei puta viuentis indigent naturali vnione ad sui, & totius conseruationem ad quam proinde retinendam inclinantur, & oppositam diuisionem vitandam: ergo similiter partes vniuersi nequeunt, sine vnione, & contiguitate quadam conseruari: ac proinde nõ minus, quam partes totius ætherogenei, puta hominis caput, manus, & pedes ad vnionem inter se, & cum toto retinendam, atque ad vitandam diuisionem, quæ fit per vacuum naturaliter inclinantur. Confirmatur ex inclinatione naturali, quam habent omnia corpora ad omnes operationes exercendas, atque ad propria munia obeunda: sed ad has operationes, & munia necessaria est expulsio vacuitatis: oportet enim, vt inquit Phil. lib. 1. metheororũ mundum istum superioribus lationibus cõiunctum esse, vt omnis ipsius virtus gubernetur in Dei. Eo quod tota virtus mũdi sublunaris à superioribus corporibus deriuatur: quod fieri nequit nisi corpora ipsa se tangant, & cõtigua sint, agens enim corporale debet tangere passum. Quarto probatur ex figura rotunda, qua gaudet cœlum, & mundus intra ipsum contentus, necesse enim fuit, vt astrologi docent, cœlum esse figuræ rotundæ quia si esset alterius formæ scilicet trilateræ vel quadrilateræ, sequerẽtur hæc duo impossibilia, nempè quod inter duas partes corporis cœlestis dum moueretur circulariter, relinqueretur aliquis locus vacuus: & corpus sine loco: quorum vtrumque est impossibile per naturam: ergo signum est omnem creaturam vniuersi naturaliter fugere vacuũ: siquidem figura rotunda ad illud vitandum data fuit cœlo: quod autem est contra omnium partiũ vniuersi inclinationem naturalem, nequit naturaliter fieri. Huius naturalis inclinationis plures etiam experientias aducit Soto vbi supra. Deinde pro 2. part. statuitur aduersus aactores, 2. sententiæ: & quia exclusiua, habet duas exponentes, quarum prima est, posse dari vacuum per absolutam Dei potentiam: quæ probatione alia non eget, quam ex non repugnantia manifesta quæ ex parte effectus inuenitur: Deũ enim anichilare aquam vase cõclusam: & ingressum cuiuscũque alterius corporis impedire, minimè repugnat, secũdavero est: quod per nullam aliam virtutem creatam etiam Angelicam id possit fieri, & hæc probatur primo quod est contra vniuersalem naturæ inclinationem, nequit fieri ab Angelo: propterea etiam nequit Angelus mouere cœlum, verbi gratia, primum mobile motu opposito, nempè ab occidente in oriens aut diuidere minimum naturale: quia motus ille est contra cœli naturalem inclinationem: & diuisio minimi etiam totius naturæ obsistit propensioni: sed probatum est vacuitatem esse contra totius vniuersi naturalem indignationem: ergo nequit fieri ab Angelo, aut ab alia virtute creata: secundo nam eius est immutare ordinẽ statutũ, ac naturalẽ dispositionem rerum, cuius est illum statuere propria

virtute? qua ratione non poſſunt dæmones propria virtute teſte D. Th. q. 16. de malo ar. 10. ad vltimũ, extrahere integrũ elemẽtũ à proprio loco ipſi ſecundũ ſtatutũ ordinẽ conſignato, & ſi illius aliquam partem mouere poſſunt: ſed ſicut locus naturalis vnicuique elemẽto aſsignatus ſpectat ad ordinem & diſpoſitionem vniuerſi, ita & contiguitas vnius cũ altero: ergo etiã hæc pertinet ad eundẽ ordinẽ, qui cũ ſit effectus vniuerſalis, ſolius vniuerſalis cõditoris ac gubernatoris eſt proprius. 3. nã teſte eodẽ D. Th. 1. p. q. 110. art. 4. Angelus nequit operari miraculũ proprie dictũ: quia hoc eſt ſupra totius naturæ creatæ ordinẽ: quod autẽ Angelus propria virtute operatur, fit ſecũdũ ordinem naturæ creatæ, nempè Angelicæ ac proinde non eſt miraculũ ſed poſitio vacui cũ ſit præter ordinẽ totius naturæ creatæ miraculoſa eſſet: igitur nequit fieri ab Angelo. Quæ ratio declaratur amplius: nã immutare potentiã obedientialẽ creaturæ eſt ſolius Dei, cuius infinitæ virtuti ſubijcitur per potentiã obedientialem paſsiuã, vt alias docuimus: ſed in rebus inferioribus ſolũ eſt potentia obedientialis ad vacuũ: naturalis enim earũ potentia & inclinatio eſt ad oppoſitũ: ergo nequeunt ſecundũ talem potentiã ab Angelo ſecundũ propriã virtutem immutari.

26 Ad fundamẽtũ autem prioris ſententiæ reſpondent Conimbr. q. 2. ar. 1. vacuum eſſe verum ens pro formali æternũ, immutabile, & veram habens capacitatem nec tamẽ eſſe reale aut rationis, ſed mediũ. At hæc ſententia multipliciter aberrat à veritate; 1. quia ſupponit dari ens medium inter reale & rationis: ac proinde non diuidi per hæc duo genera adæquate ens, quod ſuperius oſtendimus eſſe falſum. 2. quia attribuit vacuo proprietates entis realis, abſq; eſſentia reali, quod eſt figmentũ. 3. quia adhuc illæ proprietates non conueniunt vacuo, etenim vacuũ proprie dictũ, ſicut nũquã fuit, ita neque eſt æternum aut immutabile, neque habet veram capacitatem, ſed talẽ haberet ſi daretur, ratione formalis nõ repugnantiã, vt in illo recipiantur corpora: ratione autẽ ſubſtracti, ſicut eſt ens realenta & realem haberet capacitatẽ, vacuũ autem improprie dictũ ſiue inane, quod ſupra cælum imaginamur, ſicut eſt pura negatio: ita negatiue dicitur æternum, immutabile & capax, ideſt non habens repugnãtiam vt intra ipſum ponatur aliquod corpus. Vnde ad formam argumenti facti negatur maior. 2. obijcitur: nã poſitio vacui nõ eſt effectus infinitæ perfectionis, neque arguens infinitã virtutem in cauſa, neque quod ſit contra naturalem inclinationem obſtat quominus poſsit ab agente naturali fieri: ſicut motus violentus lapidis qui non obſtante contrarietate ad naturalem lapidi, inclinationẽ poteſt ab agente naturalis particulari cauſari: ergo ſimiliter poſitio vacui. Reſpondetur poſitionem vacui nõ ideo ſubterfugere agentis creati virtutem, quia ſit effectus infinitę perfectionis quoad ſubſtantiã ſed quoad modum: quatenus fit ſecundum obedientialem potentiam creaturę, quę petit agens infinitæ virtutis: ſicut illuminatio cæci & reſurrectio mortui: vel quia eſt effectus vniuerſalis & ideo ſuperioris rationis, ac proinde in vniuerſalem cõditorem reducendus eſt. ſicut gubernatio, diſpoſitio vniuerſi, vel creatio. Ratio autẽ quare nequit per virtutem naturalem corporis poni vacuum, non eſt contrarietas ad quancunque inclinationem naturalem: ſed ad vniuerſalem & communem omniũ partium vniuerſi, cui adhuc alias rationes adiecimus omnino efficaces.

ARTICVLVS II.

An dato vacuo, corpus per illud localiter moueretur?

27 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ. 1. affirmans motũ ſucceſsiuum & temporaneũ poſſe fieri naturaliter & non ſolum de potentia abſoluta per vacuũ, eſt Philoponi 4. phiſ. tex. 75. indigreſſione de loco, & Scoti in 2. d. 2. q. 9. quibus Toletus ibidẽ q. 9. Conimbricenſes c. 9. q. 3. & q. 4. & alij iuniores ſubſcribunt, qui pro illa aducunt Sanctum Doctorem in 4. phiſicor. lect. 12. & in 4. d. 44. q. 2. art. 3. atque ex eius diſcipulis Soto in eodem 4. phiſicor. quæſt. 3. artic. 2. Secunda ſententia affirmat motum ſucceſsiuum nõ poſſe fieri per vacuum: ſeu tantum motum inſtantaneum. Hanc tenet Commentator 4. phiſicor. commento 71. & 72. vt legitimam Ariſtot. in eiſdem locis: eo quod ibi aſſerat quod admiſſo ſupernaturaliter vacuo, vbi nullũ eſſet corpus reſiſtens, motus fieret in inſtanti, Cui ex parte ſubſcribunt Paulus Venetus & Gregorius in 2. d. 6. q. 3. art. 2. Dum aſſerunt regulã Philoſo. veram eſſe in illis motibus in quibus nulla inuenitur reſiſtentia intrinſeca, ideſt ex parte mobilis, ſed tantum extrinſeca ex parte ſpatij, ſeu medij, vt ſunt modus naturales, hij namque in vacuo vbi nulla eſt reſiſtentia medij, proculdubio fieret in inſtãti.

est. Tertia negat motum successiuum atque etiam instantaneum posse fieri naturaliter per vacuum. Hanc sequuntur Themistius & simplicius ad textum 71. 4. phisicorum, quos sequuntur ibidem Burleus, Ægidius Iandunus Saxonia & Magnus Albertus 2. cap. 6. & 7. ex his authoribus: alij sentiunt de potentia absoluta posse fieri motum per vacuum successiue, sed debere fieri in instanti: & hij coincidunt cum authoribus secundæ sententiæ. Alij verò existimant naturaliter, admisso vacuo fieri, non posse: de potentia tamē absoluta fieri posse motum aliquem localem: & hunc debere esse successiuum: nullumque posse fieri in instanti: & hæc est plane sententia Sancti Doctoris in loco prælegato atque Soto minus benè à iunioribus intellecta in quam inclinat Suarius to. 1. methaphisicæ disput. 18. sect. 8. & quia hæc est vera sentētia, illā sta pro certa & indubitata conclusione: quæ tres continet partes: prima est nullum motum naturaliter posse fieri per vacuum, si poneretur à Deo in rerum natura. Secunda est, quod motus instantaneus localis, neque de potentia absoluta posset fieri per tale vacuum. Tertia est, quod benè posset fieri per illud motus successiuus de potentia absoluta. Primā igitur pars probatur aduersus authores 1. sententiæ, 1. quia nullus motus localis potest fieri naturaliter absque loco & vbi reali, ad quod de facto terminetur: sed in vacuo neque ad locum verū, neque ad vbi reale talis motus actu terminaretur vt suponimus: ergo. Huic argumēto respondet Suarius disp. 51. metaph. sect. 1. dari tunc verū & reale vbi in corpore sic moto per vacuum. 2. respondent Conimbricenses vbi supra, satis esse quod motus ille suapte natura ad verum vbi tenderet, licēt per accidēs illo careret: sed neutra solutio euacuat vim argumenti facti, non primā: quia vt supra aduersus eundem authorem ostendimus absque realis loci actiua circūscriptione, nequit dari realis passiua circūscriptio, in qua reale vbi consistat. Tū etiam quia ipse author non videtur sibi constare, dum in disp. 18. sect. 8. docet nullum agens naturale posse agere in passum, si mediet vacuum: ac proinde videtur ibi sentire nō posse agens naturale causare motū in proiectis, siue in grauibus ac leuibus. Si autem posset motus horū habere in vacuo vbi verum ac reale: connaturaliter terminabilis esset, & consequēter etiam esset possibilis naturaliter: ergo. Neque secunda quia motū carere de facto illo termino intrinseco, quem suapte natura postulat, nō arguit ipsum posse fieri naturaliter, nisi tātum miraculose & de potētia absoluta, quo pacto homo potest de potentia absoluta carere risibilitate, quā postulat suapte natura: quod nos nō negamus. 2. probatur quia Angelus non posset proijcere lapidem per vacuū: ergo nullū agens naturale posset motū in vacuo causare. Antecedens patet: quia illa proiectio fieret per impressionē alicuius impulsus à principio motus extra vacuum: aut immediate & cōtinuo imprimendo motum lapidi per totū spatium vacuum, nō 1. modo, quia talis virtus impressa cessaret in vacuo per nō conseruationem, cū à nullo agente naturali posset in vacuo cōseruari. Neque 2. modo: quia motus ille motui primi mobilis nō subdetur, vt iam pergo probare: ergo nullo pacto. 3. probatur, quia omnis motus localis factus per causas naturales in vniuerso debet à motu 1. mobilis dependere, & influxui cœlestium causarū subijci: sed ille motus factus per vacuū dependentiam & influxum cœlestiū corporū omnino subterfugeret: ergo nō esset naturaliter factus. Min. patet: nā neque corpora cælestia neque alia agētia naturalia possunt agere in vacuo aut per vacuū: eo quod ipsum vacuum negatiue resistit tali influxui per innatā incapacitatē: qua ratione res naturales odiunt vacuū: quia indigent contactu & medio ad operandū potissime autē iste mundus inferior, vt gubernetur à superioribus causis, debet illis contiguus esse, vt iā ostendimus: ergo. Huic argumēto respondēt Conimbr. vbi s. & 2. de cœlo c. 3. q. 4. ar. 2. & 1. phis. c. 9. q. 12. ar. 3. sequuti Durand. in 2. d. 15. q. vlt. negādo mai. eo quod existimā multos motus phisicos posse naturaliter fieri independenter à motu & influxu corporū cœlestium.

28 Sed proculdubio hæc sentētia falsa est & contraria Arist. 8. phis. c. 1. & 2. de cœlo c. 2. nec nō Doctori Angelico ibidē lect. 2. & in 2. d. 2. q. 2. ar. 3. & de pote. q. 5. ar. 8. & opusc. 10. ar. 7. & 8. qui cunctos motus inferiorū corporū naturaliter subdi motui primi mobilis, atque ab illo dependere atestātur, sicut omnes motus vitales inuiuente, à motu cordis tanquam à primo dependent. Vnde respondent alij lapidem tunc moueri in vacuo per influxum receptum prius extra vacuum à corpore cœlesti: & sic non subterfugere dependētiam primi mobilis: sed neque hec solutio euacuat vim argumēti: nam motus corporis inferioris, non solum in fieri aut in sui principio, sed etiam in conseruari quoad continuationem dependet ab influxu cœlesti: hic autem inua-

c 10 non potest non interrumpi: ergo illico deficiet virtus impressa, & consequenter ipse motus. Deinde secunda pars conclusionis probatur aduersus authores secundæ sententiæ; quia illud corpus debet esse affectum quantitate, & molis extensione, ac proinde necessarium est partem eius vltimam, verbi gratia, vltimã pedalitatem (sit namque tripedale) prius venire ad locum secundæ, quam ad locum primæ: vbi autẽ est prius, & posterius necesse est dari successionem: ergo talis motus foret successiuus: imo absque huiusmodi intrinseca successione non posset fieri vllo pacto motus localis: qui tamen in vacuo de potentia absoluta dari potest. Ex his relinquitur probata tertia pars conclusionis. Quę amplius confirmatur ex eo, quod Deus de potentia absoluta potest influxum corporum cœlestium tuplere, ac proinde motum localem corpori sublunari in vacuo imprimere independenter à motu cęlesti: at motus iste non esset trãsiens instantaneus à termino â quo in terminum ad quẽ, quia hunc ostendimus esse impossibilem: ergo esset successiuus: Neque Aristot. ex propria, sed ex antiquorum loquitur opinione, ad hominem conficiens argumentum aduersus illos qui totam resistentiam ex medio prouenire dicebant: in quorum opinione rectè sequitur, quod si medium sit vacuũ, nulla erit resistentia, & consequenter motus tunc fiet in non tempore.

QVÆSTIO V.

De natura, diuisione, & proprietatibus temporis, in quatuor articulos diuisa.

1 QVoniam Aristot. in hoc libro ea, quæ de motu dixerat in 5. Phisicorum repetiuit: inter alia autem quæ motui attribuuntur ab ipso Philosopho vnum est tempus: de illo namque ait 4. Phisicorum cap. 11. text. 101 esse numerum motus secundum prius, & & posterius: numerus enim dierum, aut horarum, aut similium morarum (quibus pro indiuisibili mensura vtimur) tempus est, quam diffinitionẽ colligit ex eo, quod tempus est quodam accidens, siue affectio motus quædam cuius proprietates recensebat c. 12. dicens: illud continuũ esse, & quodam modo discretum, & ratione secundi, esse numerum, habere quę minimum, sicut datur minimum in numeris, qui est dualitas. Rursus addit aliam proprietatem huic affinem, scilicet quod tempus, discreti, ac continui suscipit denominationes, vndè multum, & paucum, longum, & breue dici solet. Huic nectit tertiam proprietatẽ: quod tempus est idem, & diuersum: idem ad alias res comparatũ: diuersum vero ratione partium priorũ, & posteriorũ, quartam subdit, quod tempus idem recurrat, sicut idẽ recurrit motus. Redit namque eadem pars motus cœlestis vna circulatione perfecta in quantum iterum mouetur cœlum ab eodem signo in idẽ, inter quæ fuit circulariter motum: ita vero autumnus, & hyems, recurrere dicuntur: verũ tamen sicut non recedit eadem numero pars, sed altera priori similis, ita neque eadẽ secundum numerum recurrunt, sed solum secũdum speciem. Postremam proprietatem temporis assignat dicens: conuenire tempori reciprocam rationem mensuræ cum motu: illum enim mensurat, & vicissim ab illo mensuratur, sicut numerus & res mensurat, & per res ipsas habet cognosci, & quodãmodò mensurari. Ex his colligit quæ à tempore mensurentur: inter quæ primo numerat motum, eo quod ipse est, qui per se primo à tẽpore mensuratur, cætera autem non per se primo: sed ratione illius subiacent tempori, & hoc pacto res dicuntur esse in tempore, sicut mensuratum intra mensuram, quæ censetur esse aliquid ipsarum rerum mensuratarũ. Explanato autem modo quo res dicuntur esse in tempore tria corollaria elicit, primũ quod non solum totaliter ab eo comprehendantur, ac sub eo concludantur, sed quod etiam ab illo superentur. Secundum quod res quę sunt in tempore, ab illo patiũtur, atque corrumpuntur, quod vulgaris modus loquendi satis probat dũ docti pariter, & indocti affirmant res tẽpore tabescere, senescere, & oblitioni traddi. Tertiũ quod res ab interitu liberæ, idest, incorruptibiles non sunt sub tempore, neque eius iniurias patiẽtia sed solum caducas, & corruptioni obnoxia, non quæ finguntur, sed quæ reuera aparte rei sunt: vnde ad exactã motus declarationẽ habendã, & huius operis complementũ quatuor de tempore, ordine doctrinę à cõmunioribus procedẽdo nobis examinãda sunt, 1. an in genere durationis, ac mensuræ collocetur tempus, & per quid à cæteris durationis speciebus distinguatur? Secundo an sit ens reale, vel rationis? Tertio an eius diffinitio exacta sit? Et quarto de eius multiplicitate, & affectionibus disputatio habenda est.

ARTI-

ARTICVLVS I.

An duratio adæquatè in æternitatem, æuum, & tempus diuidatur.

COmmunis ſententia eſt, omniũ Theologorum cum D. Th. 1. p. q. 10. artic. 4. & 5. hanc eſſe adæquatam diuiſionem eiuſque membra ſuis rationibus formalibus opponi. Sed in aſſignando rationem diſtinctionis, atque formale vnius cuiuſque diſtinctiuum, diuiduntur Theologi, ac methaphiſici in plures modos dicendi, quidam enim de quorum numero eſt Fonſeca 5. Methaphiſicæ, capit. 13. quæſt. 12. ſection. 2. dicunt diſtinctionem aſsignatam à D. Thom. in quæſt. 10. inter æternitatem, æuum, & tempus, non prorſus rem attingere, quia procedit ex adiunctis, ſcilicet, ex operationibus, & quia licet res non operarentur, adhuc eſſent temporales, & æuiternæ: vnde concludit durationem ſic diuidendam eſſe: vt duratio alia ſit permanens, & alia ſucceſsiua. Rurſus permanens, alia dependens quæ aut eſt de ſe defectibilis, aut inſtans: aut deffectibilis non de ſe, ſed per potentiam alterius; & hæc eſt æuum. Succeſsiua autem, alia continua, quæ eſt tempus continuum, & alia diſcreta, quæ eſt tempus diſcretum. Scotus vero in ſecundo diſtinction. 2. quæſt. 4. & in 4. diſtinction. 49. quæſtion. 6. Affirmat nullam aliam durationem conſtituendam eſſe præter æternitatem, æuum, & tempus continuum, ac proinde neque diſcretum tempus pro operationibus Angelicis, neque æternitatem participatam pro viſione beatifica poni debere, cum quo conſentiũt ex iunioribus non vlli, quorum alij tempus diſcretum & æternitatem participatam: alij vero illud: alij vero iſtam negãt: eo quod putant æternitatem participatam ſpeciem quandam eſſe æui ab altera, quæ eſt menſura ſubſtantiarum incorruptibilium ordinis naturalis conditam, vel quia putant viſionem beatam ipſa Dei increata æternitate ſufficienter menſurari. Inquam ſententiam etiam inclinare videtur Capreol. in quarto diſtinctione 49. quæſtion. 1. ad argumenta contra ſecundam. & Ferrarienſis 4. contrag. capit. 61. & eam tenet vt probabiliorem Bañeſius, queſtion. 10. artic. 5. dubio 4. ſed D. Thom. ab æternitate increata Dei, æuo, & tempore continuo 1. part. quæſtion. 10. artic. 5. ad 1. quæſt. 63. artic. 3. quodlibet. 2. artic. 5. & quodlibet. 10. artic. 9. conditinguit tempus diſcretum, & cum illo in hac parte conſentiunt, Caietanus ibidem Capreol. in 2. diſtinctione 2. quæſt. 2. concluſione 3. Durand. ibidem. quæſtion. 4. Henricus quodlibeto 12. quæſtion. 8. Bañeſius artic. 5. prælegato, & Molina diſputatione 2. cum alijs iunioribus. Conditinguit etiam ſanctus Doctor à prædictis rationibus æternitatem participatam, quæ ſit duratio viſionis beatificæ hominum, & Angelorum. Ita habet quæſtion. 10. 1. part. art. 2. & art. 5. ad primum, & tertio, contra gen. cap. 61. & in 4. diſtinction. 49. quæſtion. 1. artic. 2. quæſtiuncula tertia, cum eo etiam conſentiunt Caietanus, Bañeſius, Molina, & alij in locis prælegatis. Circa durationem etiam rerum permanentium, puta ſubſtãtiarum, quæ ſunt generationi, & corruptioni obnoxia, eorumque accidentium, quæ in ſe ipſis non habent ſucceſsionem, ſed permanentiam, tres modi dicendi vertuntur: Scotus enim in 2. diſtinct. 2. quæſtione 4. affirmat, illis in eſſe durationem permanentem eiuſdem rationis cum æuo, per quam formaliter durant, & quæ tota ſimul tempori, & eius partibus coexiſtit. Huic affinis eſt modus dicendi Durandi ibidem quæſtione 6. Henrici quodlib. 2. queſt. 12. aſſerentium huiuſmodi durationem permanentem ſubſtantijs in eſſe, quę tamen nunc temporis diſcreti appellanda eſt, cui ſubſcribit Molina vbi ſupra. §. *quod ſi quis*, dicens: nomen inſtantis tẽporis diſcreti ſumi latius, non ſolum prout eſt duratio rei naturalis, & ſpiritualis, quæ deſinere poteſt, ſed etiam prout durationes corporeas rerum corporalium permanentium, & deffectibilium comprehendit, ſicut æuum amplectitur durationem ſpiritualem Angeli, & corpoream cœli, & in hac acceptione ait durationem rerũ corporalium permanentium eſſe inſtans temporis diſcreti, conditinctum ſecundum ſpeciem ab illo, quod eſt duratio rei ſpiritualis deffectibilis, & parum, aut nihil ab ijs diſſentiunt Suarez tom. 2. Methaphiſic. diſput. 50. ſect. 7. & Conimbric. lib. 4. phiſicor. cap. 14. quæſt. 3. art. 1. qui licet huiuſmodi durationem rerum permanentium deffectibilium ſecundum ſuum eſſe conſiderata rum nec æuum, vt Scotus, nec inſtãs temporis diſcreti, vt Durandus appellent; conueniunt tamen cum eis in duobus nẽpe quod hæc ſpecialis duratio, ac menſura concedenda ſit rebus corruptibilibus permanentibus ſecundum proprium eſſe cõſideratis, & quod indiuiſibilis illa ſit, ac tota ſi-

ta simul, licet ratione motus, & vel vti per accidens à tempore mensuretur. Tertius modus negans aliam durationem præter tẽpus esse his rebus attribuendam, sed illud esse propriam earum durationem, ac mensuram, qua nedum ratione motus, sed ratione proprij esse mensurantur, est Alberti 1. p. summæ de quatuor coæuis. Caiet. q. citata, art. 5. & Soncinatis lib. 12. huius q. 54. Fonsecæ, lib. 5. huius cap. 13. q. 12. sect. 3. & Tolet. 4. phisic. q. 14. ad tertium, neque illi auctores quando denegã durationem propriam rebus corruptibilibus permanẽtibus (vt quidam confingunt iuniores eo fine ducti vt tertiæ mediæ sententiæ se profiteantur inuentores) nomine durationis intelligunt illam, quæ cum esse ipsarum rerum identificatur: hæc enim nullo pacto ab illis misceri rebus denegatur, sed potius cõceditur, vt ratione illius habeant suum esse permanens, & totum simul, atque passiue tempori cõmensurentur, sed loquũtur de illa duratione, quæ actiue mensurat, & hanc non aliam esse pro his rebus mensurãdis dicunt nisi tempus. His suppositis, vt veram, ac legitimã in hac cõtrouersia Aristotelis, ac Angelici Doctoris sententiam aperiam, sequentes statuo conclusiones.

1 Respõdeo dicendum 1. quinque esse species, aut quasi species durationis realis, æternitatẽ videlicet increatam, participatam, æuum, tempus discretũ, & continuum quarum potissima est æternitas formaliter in Deo existens. Hæc conclusio probatur aduersus 2. & 3. sententiam 1. quia quod dẽtur tres, nempè æternitas: æuum; & tempus, manifestum est, & ab omnibus admittitur, & has tres species dari ostendit D. Th. in quæst. citata art. 5. constituens tres ordines rerum, seu triplex genus essendi, in 1. est solus Deus, qui nec secundum se, nec secundum suas operationes subditur mutationi, neque eius esse est mutabile, aut mutabilitati adiunctum, & ex hac perfectissima immutabilitate prouenit, quod sit æternus: in secundo cõstituit illa entia quæ sic a Dei permanentia, & immutabilitate recedunt, vt licet in se non habeant esse trãsmutabile, habent tamen transmutationem adiunctam in actibus, siue in potentijs, vt corpora cœlestia quorum esse substãtiale licet sit in transmutabile, tamen habet adiunctam transmutabilitatem secundum locũ, & similiter Angeli, qui habent esse intransmutabile, & liberum à corruptione cum adiũcta transmutabilitate secundum locũ suo modo, & secundum operationes intellectus, & voluntatis per quas mutationes diuersas subeunt: in tertio collocat ea quæ sic recedunt à diuina æternitatis permanentia, quod esse eorum, aut in successione, & variatione consistit, aut est obnoxium mutationi secundum se, vt sunt omnes motus, & corpora sublunaria. Cũ igitur sit triplex genus essendi, & duratio sequatur esse, triplex etiam esse debet duratio ad minus: nempè æternitas, æuum, & tẽpus. Et licet D. Thom. in hoc discursu tantum harũ specierũ vtpotè cõmuniũ, & notissimarũ mentionẽ fecerit: alias tamẽ duas non excluſit: sed vel illas sub prioribus comprehendi, vel illis has adiungendas putauit. Quod sic patet: & probatur secundo nostra conclusio: nam secũdum diuersum ordinem essendi, ac diuersum modum recedendi à permanentia, & immutabilitate diuini esse diuersificantur rerum durationes, vt docet D. Tho. in præfato discursu. Sed vltra illos duos modos recedẽdi, sunt alij duo, nempè visionis beatæ, quæ licet in se sit indeffectibilis, & corruptionis expers tamen est operatio consistens in actuali tẽdentia ad obiectum: & operationum Angelicarum quæ nõ sic recedunt, vt in se nõ sint deffectibiles, & à corruptione liberæ, nec sic desitioni obnoxię sunt vt tẽpori cõtinuo subiaceant, sed peculiari modo: ergo peculiaribus gaudẽt durationibus. Tertio probatur specialiter quantum ad æternitatem participatam: tum quia D. Thom. in locis præallegatis ponit condistinctam esse durationem æternitatis participatæ à tribus prædictis, ergo secundum mentem illius alia est omnino ab æternitate increata, ab æuo, & tempore: Tum etiam quia distinctio specifica durationum non solum ex modo vario durandi sed etiam ex diuersis conditionibus, ac naturis ipsarum rerũ colligi debet, vt si res suapte natura corruptionis capax, aut expers sit, si ordinis naturalis, aut supernaturalis, si naturæ spiritualis, seu materiæ omnino expertis, aut corporeæ sit. Hæc enim omnia sicut exigunt distinctas existentias secundum speciem, ita etiam ad minus petunt diuersas species durationes, eo quod duratio vel est ipsa existentia rei, vel modus illius, vt alias nẽpe in lib. 5. docuimus, dum naturam predicamenti quando exponeremus, sed visio beata est ordinis distincti ab his, quæ mensurantur æuo. Hæc enim sunt ordinis naturalis, illa vero est ordinis supernaturalis; ergo non mensuratur æuo sed alia duratione superiori, scilicet æternitate, & cũ eius supernaturalitas nõ sit increata sicut Deus neq; eius æternitas erit increata, sed participata

cipata: Tum denique qui aut viſio beatifica menſuratur quadam ſpecie æui, vt voluit Scotus, aut ipſa increata Dei æternitate, vt voluiſſe videntur Capreolus, & Ferrarienſis, aut habet propriã durationẽ, ac mẽſuram: non primũ quia æternitas increata eſt duratio ſolius eſſe diuini omnino immutabilis, eſt enim teſte Boetio lib. 5. de cõſolatione proſa vltima, *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, & licet realis duratio ſit, tamen non habet ratio nem menſuræ, niſi dependenter ab operatione intellectus illam à diuino eſſe diſtinguentis, ſed viſio beata eſt actio creata habens principiũ, vnde nec interminabilis vitæ eſt aparte ante: nec ita immutabilis ſicut Deus à cuius duratione æternà realiter diſtinguitur, ergo nequit per illam menſurari, maxime quia iuxta modum immutabilitatis eſt duratio rerum, ſed immutabilitas viſionis beatæ eſt alia à diuina: ergo & alia duratio, & aliàs cum eius intrinſeca duratio ipſi ſit ſufficiens, vt ab eamenſuretur ad eũ modum quo Deũ ſua æternitate dicimus menſurari, nõ eſt ei atribuenda alia duratio aqua extrinſicè menſuretur, niſi vellint prædicti auctores, quod ſicut res ſublunares habentes proprias, & intrinſecas durationes ratione illarum tempori ſubiacent; ab illo extrinſice menſurantur: ita etiam viſio beata gaudens propria, ac intrinſeca duratione, quæ æternitas participata appellatur Dei æternitati quodammodo ſubiacet, ab illa menſuratur extrinſice ſeclusis imperfectionibus prioris, ac poſterioris: hoc enim non inficior; & fortaſe hæc fuit illorum mens, aqua neque noſtra ſententia recedit. Quod nõ ſecundum poſsit dici; probatur: tum quia viſio beata eſt alterius ordinis ab æuiternis, & alterius immutabilitatis, æuiterna namque vicißitudinem admittunt motuum, & operationum, viſio autẽ beata vnica ſimplex, ac permanens operatio eſt, licet dilectionis, ac fruitionis actibus à ſociata: rurſus æuiterna ſunt omnino extra Deum exiſtentia. Viſio autem beata licet in ſe & ſubiectiue ſit quid creatum, tamen obiectiue ſumpta quid increatũ eſt, eo quod ad increatum obiectũ proxime terminatur, & ex parte principij formalis, eo quod non à ſolo intellectu, ſed ab illo per diuinam eſſentiam vt ſpecie actuato elicitur: ergo maior eſt eius immutabilitas, ac proinde perfectior ei debetur mẽſura, ac duratio: tum etiam, quia æuum cõprehẽdit menſuram inferiorem, quæ illico exiſtit qua ratione Angelus cuius eſſe menſuratur æuo, nequit naturaliter futurũ contingens cognoſcere in his inferioribus aut etiam futurã operationem liberam à ſe vel ab altero Angelo eliciendam; eo quod licet æuum ſit menſura perfectior tempore continuo, & diſcreto, non tamen illa cõprehendit, neque eorum durationes continet eminenter, tamen duratio æternitatis, participatæ quæ reperitur in viſione beata cõtinet in ſe huiuſmodi durationes inferiores eminenter, licet non cum tanta plenitudine, ſicut æternitas per eſſentiam: ergo. Minor patet: quia beatus ex vi talis participatæ æternitatis intuetur futura, tanquam ſibi præſentia, quo pacto animæ Chriſti futura coexiſtebant ratione ſuperioris menſuræ, qua eius ſciẽtia beata, atq; indita menſurabantur: ita, vt illa cognitione ſciret in tuitiua. Nullaque eſt repugnantia, quod Deus mihi infundat lumen, & ſpeciẽ, quibus intuitiue cognoſcam Antichriſtum quod nequit fieri, niſi talem menſuram lumini, & ſpeciei, aut cognitioni tribuendo, vt ei ſit præſens Antichriſtus phiſica, & reali illa præſentia, qua in temporis propria menſura erit præſens: intuitiua enim cognitio à Phiſica obiecti præſentialitate nequit abſolui. Hæc autem menſura non erit æuum, cui res non coexiſtunt antequam fiant: ergo. Tũ denique quia vnio hypoſtatica humanitatis ad verbum, in diſſolubilis cum ſit, durationem habet propriam, atque menſuram indeffectibilem, & non æuum: ergo æternitatem participatã diſtinctam tamen ſpecie ab illa, qua viſio beata menſuratur ſicut & ordo hipoſtaticus diſtinctus eſt ab ordine gratiæ. Dixi in concluſione, aut quaſi ſpecies, quia cũ duratio vt ſic nequeat eſſe genus ad durationes ordinum adeo diuerſorum, ac rerum, quæ ad diſtincta pertinent prædicamenta, nequit ſub ſe continere ſpecies ſubijcibiles, vnde dicuntur merito aſsignati modi durationum, quaſi ſpecies durationis, quia in ratione communi durationis, videlicet Deus, Angelus, corpora, & accidentia corporea, ordoq; ſuper naturalis analogãtur, quod autem potiſsimum durationis analogatum ſit æternitas, patet, quia teſtè D. Th. 1. p. q. 13. art. 6. nomina analoga, quæ proprie de Deo & creaturis prædicantur per prius ſaluantur in Deo quo ad rem ſignificatam tanquam in analogato magis principali, quo pacto Deus reſpectu nominis, ac rationis entis, & diuina ſapientia reſpectu nominis, ac rationis ſapientiæ eſt primarium analogatum: ergo etiã in ratione durationis, quæ propriè dicitur de Deo, & creaturis, diuina duratio, ſiue æternitas eſt

potiſ-

potiſsimum analogatum.

Dico ſecũdo, diuiſio durationis in æternitatem, æuum: & tempus, eſt rectè tradita à D. Th. & ſi latius æternitatis, & tempus accipiantur eſt adequata: Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctorem 1. ſententiæ, & probatur quoad primam partem. 1. quia D. Th. in art. 5. citato colligit diuerſas ſpecies durationis ex diuerſis modis immutabilitatis rerũ: ſed hic proceſſus eſt à priori, vtpotè cum perfecta immutabilitas ſit ratio demonſtrandi durationem permanentem imperfectiorẽ æternitate: ergo. Maior patet ex contextu, nam D. Th. ex perfectiſsima diuini eſſe immutabilitate colligit illius durationem eſſe æternitatem, quæ nullatenus habet, aut compatitur prius, & poſterius, & ex ſubſtantiarum incorruptibilium minus perfecta immutabilitate probat eis deberi æuum, quod licet non in ſe, tamen compatitur in adiunctis operationibus prius, & poſterius: rurſus corporibus corruptibilibus, & motibus attribuit tempus propter eorũ maximũ receſſum à diuina immutabilitate, & infimum gradum cõſiſtentiæ. Confirmatur: nam res ordinantur ad operationẽ ſuapte natura, ita vt quò perfectior eſt rei natura, perfectior ſit eius operatio, ergo ex operationibus diuerſis rectè colligitur diuerſitas in eſſe, & natura & cũ duratio ſequatur eſſe, rectè de primo ad vltimũ ex operationibus diuerſi modè durantibus colligitur diuerſitas in ipſarum naturarũ, ac rerum durationibus. Deinde confirmatur deſtruendo fundamẽtũ Fonſecæ dupliciter, primo, quia illa diuiſio ab ipſo facta non comprehendit æternitatem participatam, quam tamen oſtendimus eſſe ſpeciem durationis, neque procedit à priori ex diuerſo modo immutabilitatis, aut ex diuerſo modo recedendi ab illa ſed à poſteriori ex diuerſis ſubiectis, atque ex diuerſo modo ſe habendi ad eſſe. Secundò ſi res non operarentur de facto, tamen eſſent operatiuæ, & ſic dicerent ordinem ad operationes, & motus, ordinem in quam perfectibilis ad perfectionem, & ſubiecti cti mutabilis ad mutationem; quod ſi nec operarentur, nec eſſent operatiuæ aptitudinaliter non eſſent æuiternæ, aut temporales, ſed aut eſſent naturæ alterius omnino vniuerſi quibus aliæ durationes cõuenirent, aut eſſent omnino ens increatum, aut omnino non eſſent: & hoc tertiũ eſt tenendum; quia implicat aliquam naturam creatam non eſſe aut ſuſceptiuam alicuius mutationis, ſiuæ formæ accidentalis, aut operatiuam alicuius operationis, quod ſi operatiua eſt neceſſarium eſt eius operationem ab ipſa natura diſtingui realiter, quia ſolus Deus eſt ſua operatio, & in illo ſolo, qui eſt actus purus, potentia non diſtinguitur ab operatione falſum ergo omnino eſt illud fundamentũ Fonſecæ. Quod ſi res non operarentur in hoc ſenſu, quod neque eſſent operatiuæ, adhuc eſſent æuiternæ, & temporales ſicut modo ſunt, ſi autem ſolum neget actualem cooperationẽ ſub conditione eſt vera eius propoſitio cõditionalis, ſed intentum non probat. Ratio ergo ſancti Doctoris ad hanc formam reducitur: ſicut perfecta immutabilitas eſt ratio æternitatis, ita receſſus ab illa, eſt ratio durationum aliarum, quæ ſecundũ quod maior, aut minor eſt receſſus, variantur in magis, & minus in ratione durationis ſed datur perfecta immutabilitas in ſolo diuino eſſe; ergo illius duratio eſt æternitas. Tunc vltra, ab huiuſce diuino eſſe recedit maximè genus rerum corruptibilium, quæ omnino mutabiles ſunt, vndè ſicut Deus eſt in ſummo immutabilitatis, quia neque in eſſe, neque in operatione eſt ſuſceptiuus mutationis, ita illæ ſunt in ſummo mutabilitatis, quia in ſuo eſſe, & operationibus mutationi ſunt obnoxiæ: recedit autem medio modo genus ſubſtantiarum incorruptibilium, quia licet in ſuo eſſe non ſubſunt mutationi, bene autẽ in ſuis motibus, & operationibus, quę operationes, & ipſas ſubſtantias immutant, dum in illis recipiũtur, & in ſe ipſis defectibiles ſunt, dum earum duratio breui quadam mora terminatur: ergo corruptibilibus debetur duratio omnino variabilis quæ dicitur tempus, incorruptibilibus verò ſubſtantijs duratio inuariabilis in eſſe, & variationẽ admittens in operationibus quæ dicitur æuum. Secũda pars concluſionis probatur: nam durationis quinque ſunt modi, ſiue ſpecies, vt dictum eſt in prima concluſione, neque poſſunt aliæ excogitari præter recenſitas; ſed omnes poſſunt ſub aſſignatis tribus cõprehendi: ergo diuiſio illa facta à D. Thoteſt accipi vt adęquata. Min. patet, quia ſub æternitate poteſt comprehendi æternitas participata, & increata, ſi nomen & ratio æternitatis abſtrahit ab vtraque: ſub tẽpore autem poteſt cõprehendi continuũ & diſcretum, ſi nomen & ratio temporis abſtrahat ab vtroque: quod autem cõgruẽter abſtrahat æternitatis ratio, & nomen ab increata, & participata, patet ex eo quod vtraque eſt duratio ordinis ſupernaturalis, ac diuini, & inſuper vtraque habet conexionem cum diuino, & increato eſſe: Illa

la quidem per formalẽ identitatẽ cũ illo, hæc vero quia illud ex parte obiecti ac principij formalis includit; & in eodẽ subiecto scilicet in intellectu beati in quo est illud vnitã intimè supponit: similiter à discreto, & continuo tẽpore vnica ratio durationis deffectibilis de se, ac variabilis abstrahitur propterea quod in hac essentialiter cõueniunt: potest igitur hæc nomine temporis significari congruenter.

Dico 3. specialis duratio, ac mẽsura pro operationibus Angelicis constituẽda est, quæ tẽpus discretũ appellatur, ab ipso æuo cõdistincta. Vt hæc cõclusio probetur explicãdũ est nobis breuiter in quo propriæ rationes æui, ac tẽporis discreti cõsistant, æuum itaque ita describi potest: *est duratio rei creatæ tota simul, naturalis, & corruptionis suapte natura expers*, vel vt Caiet. diffinit ar. 5. q. 10. §. *quoad 4. æuũ est immutabile mutabilitati cõiunctũ*, id est, mẽsura rei creatæ immutabilis secũdũ esse, habẽs tamẽ anexam mutationẽ impotentia, & operationibus. vndẽ per particulã *rei creatæ*: excluditur ab esse æui, æternitas: per illum, *tota simul*, seu *immutabilis* excluditur tẽpus, per hoc autẽ, quod dicitur, *naturalis*, reijcitur visionis beatæ duratio, & tandem per illud quod dicitur, *suapte natura corruptionis expers*, vel *tantum mutabilis secundum esse*, excludũtur instãtia tẽporis discreti, & omnes durationes rerũ, quæ ex natura sua desinere possunt, æuiterna dicũtur illa, quæ æuo mensurantur, vt sunt substãtiæ Angelicæ, & corporũ cœlestiũ, nec nõ cognitio illa, & naturalis dilectio, quibus Angelus se ipsum cognoscit, & amat, eo ꝙ huiusmodi operationes, cũ naturales sint suapte natura, sunt indefectibiles: vndẽ quũ distinguitur ab instanti tẽporis discreti, eo quod sit duratio, quæ suapte natura desinere nõ potest, sicut neque ipsa substãtia Angeli, vel cœli cuius est duratio: instãs vero est de se deffectibile suapte natura, sicut & operationes ipsæ quarũ est duratio, quod autẽ corruptionis expers est suapte natura specie distinguitur ab eo ꝙ suapte natura desinere potest; distinguitur etiã à duratione visionis beatę, quia est duratio naturalis, duratio vero visionis beatæ est supernaturalis, nõ secus, atque ipsa visio, ꝙ enim ad rationẽ ordinis diuini pertinet, specie distinguitur ab eo ꝙ ad rationem ordinis naturalis spectat. Hoc supposito probatur cõclusio 1. nã duratio diuiditur adæquate in æternitatẽ increatã, participatã, æuũ, tẽpus discretũ ac cõtinuũ, tãquã in mẽbra suis rationibus formalibus diuersa intra latitudinẽ durationis: ergo alia ratio durationis in æuo, atque in tẽpore discreto saluatur. Cõfirmatur ex vtriusque diffinitionibus: diffinitio enim æui est duratio, vt vidimus, rei creatę naturalis, & corruptionis expers secũdum esse, idest, indefectibilis: diffinitio autẽ tẽporis discreti est alia: nẽpè duratio tota simul, operationis defectibilis: quæ autẽ gaudẽt diuersis diffinitionibus sunt diuersa ex natura rei: ergo. 2. probatur, ꝙ hæc duratio tẽporis discreti ab æuo distincta debeatur Angelicis operationibus, nã testẽ D. T. in locis supra allegatis plures operationes immanẽtes Angeli vt plures intellectiones, quarũ vna succedit durãt tẽpore discreto, singulæ vero durãt per instans tẽporis discreti: ergo talis duratio eis debetur. Cõfirmatur nã intellectio Angeli potest coexistere vni horæ nostri tẽporis, & tamẽ in se ipsa est indibisibilis, & tota simul: ergo debet habere durationẽ formaliter indiuisibilẽ, & totã simul, & alias defficiẽtẽ sicut ipsa intellectio desinit esse. Sed duratio indiuisibilis, tota simul, & deffici-s dicitur, instãs eo quod in his cõditionibus assimilatur instãti: ergo merito duratio Angelicæ operationis dicitur instãs, & alias cũ ex pluribus durationibus instãtaneis sibi succedẽtibus coalescat quædã duratio successiua discreta: propterea ex pluribus operationibus Angelicis, eatũq; durationibus instãtaneis sibi succedentibus vna duratio successiua cõflatur, quæ dicitur tẽpus discretũ 3. quia operationes liberæ, & immanẽtes Angeli mẽsurãtur aliqua mẽsura, non æternitate, aut æuo quia sunt deffectibiles, neq; tẽpore nostro, quia sunt altioris ordinis, & independentes à motu cœli, ergo assignanda est eis alia specialis mensura, scilicet, tempus discretum.

Dico 4. licẽt substãtiæ corruptibiles habeãt proprias, & intrinsecas durationes, nihilominus à solo tẽpore mẽsurãtur, ne dũ ratione motus, sed etiã secũdũ suũ esse, deffectibile. Hæc cõclusio statuitur pro auctoribus 3. modi dicẽdi, & cõtra duos priores recẽsitos circa hãc partẽ, & probatur 1. p. ꝙ scilicẽt, substantiæ corruptibiles habeãt proprias, & intrinsecas durationes: quia duratio rei, aut est eius exist ẽtia, aut modus illius, sed substantiæ corruptibiles, etiam secũdũ se, & secluso motu habent proprias existentias: ergo & proprias durationes. Confirmatur quia substantiæ huiusmodi non solum ratione motus, sed secundum suam durationem ponuntur in predicamẽto, quando, verum enim est dicere substantiam hominis verbi gratia, esse in tempore

sed

ſed ratio formalis prædicamẽti *quando*, eſt duratio, per quam res corruptibiles eſt in tempore: ergo habent proprias durationes à quibus intrinſicè, & realiter habent eſſe in tempore. Secunda pars, ſcilicet, quod nihilominus à ſolo tempore realiter menſurentur, probatur primo, quia D. Tho. q. 10. allegata. art. 4. ad tertium ex preſſe ait, eſſe rerum corruptibilium à tempore mẽ ſurari ſub his verbis: *Eſſe ergo rerum corruptibilium, quia eſt tranſmutabile non menſuratur æternitate, ſed tempore, tẽpus enim menſurat, non ſolum, quæ tranſmutantur, ſed quæ ſunt tranſmutabilia, vnde non ſolum menſurat motum ſed etiam quietem, quæ eſt eius quod natum eſt moueri, & non mouetur*, & art. 5. in corpore eandem profitetur ſententiã ſub his verbis. *quædam autem ſic recedunt à permanentia eſſendi, quod eſſe eorum eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit, huiuſmodi menſurantur tempore ſicut omnis motus, & etiam eſſe omnium corruptibiliũ*. ex quibus verbis patet de mente Angelici Doctoris ne dum motum, cui ſubeſt ſubſtantia corruptibilis, ſed ipſum eius eſſe ſubſtãtiale, vtà motu condiſtinctum, tempore menſurari, neque valet ſolutio Suarez in diſputat. allegata ſect. 11. aſſerentis eſſe rerũ corruptibiliũ non ratione ſui, ſed ratione motus tempore menſurari, eo quod D. Tho. condiſtinguens motum ab eſſe rerum corruptibilium, ait nedum illũ, ſed etiam illud ſubiacere tempori, & menſurari ab illo, ſi autem ex ratione duntaxat à tempore mẽſuraretur, qua ſubeſt motui ſufficeret ei dicere motum, ſeu mobile vt ſic menſurari tempore, neque ſecundam partem copulatiuæ adiungeret, dicens motum: & ipſum eſſe rerum corruptibilium tempori ſubiacere. Secundo probatur: nam teſte Philoſopho in loco præallegato ex 4. Phiſicor. tria requiruntur vt aliqua res ſit in tempore 1. quod ab illo menſuretur, imò, hoc eſt (ait ille) rem eſſe in tempore quod ab illo menſuretur: 2. quod à tempore contineatur, & ſuperetur: 3. quod à tempore partiatur, & ab illo conſumatur: ſed omnes huiuſmodi conditiones conueniunt ſubſtantijs corruptibilibus ſecundũ ſuum eſſe antecedenter ad omnem motũ: ergo re vera à tempore menſurantur. Minor patet: nã duratio videntiũ diſtinguitur in varias ætates per ordinẽ ad tẽpus: alia enim eſt hominũ alia plantarũ & alia Brutorũ ætas, & in ſingulis ſpecebus diuerſi ætatis periodi diſcriminantur. In non viuentibus vero licet non ſit proprie ætas vt ſenectus & iuuẽtus: datur tamen nouitas, & vetuſtas per ordinem ad tempus, ac proinde ſunt in tempore vt ab illo menſurata. Rurſus ſuperantur ab illo quia tempore adhuc ſuperſtite pereunt ipſæ ſubſtantiæ corruptibiles, & conſequenter à tempore ipſo ſeneſcũt, & conficiuntur. Tertio probatur nam paſsiuæ continentiæ atque menſurationi rerũ correſpondet actiua ex parte menſuræ: eſt enim menſura illud quo de quantitate rei certificamur. Vndè ſupponitur in eo quod menſuratur quantitas, ſiue formalis, ſiue virtualis, quæ per menſuram notificetur. Quo pacto in locato ineſt intrinſeca extẽſio quæ à loco continetur & menſuratur, & motui ineſt quantitas durationis ſucceſſiuæ quæ à tempore menſuratur. Sed paſsiuæ continentiæ, ac quantitati durationis ipſius ſubſtantiæ corruptibilis, non correſpondet menſura alia actiue illã continens niſi tempus quod eſt in 1. mobili: ergo ab illo habet menſurari: patet minor quia duratio ſubſtantiæ corruptibilis, quæ eſt id, quod ex pacientia temporis relinquitur non eſt actiue menſurans ſubſtantiã, cum ſit ipſum eſſe illius, aut eius modus, & quia eſt quantitas menſurata, & notificata, neq; eſt alia ex aſſignatis: ergo eſt tempus. Cõfirmatur: nam ſic comparantur durationes ſubſtantiarum corruptibilium ad tempus, ſicut durationes Angelorum ad æuum: ſed non obſtante quòd ſinguli Angeli gaudent ſuis durationibus intrinſecis, omnium tamen actiua menſura eſt duratio vnica ſupremi Angeli, quæ dicitur æuum, quia primum in vno quoque genere eſt menſura cæterorum illius generis, quo pacto probat D. Th. ar. 4. q. citatæ vnicũ dũtaxat eſſe æuum omniũ Angelorũ: ergo licet omnes ſubſtantiæ corruptibiles ſuis proprijs gaudeant durationibus, eis tamen vnica menſura actiua correſpondet, quæ duratio primi motus eſt, in qua tempus conſiſtit.

6 Sed cõtra prædictas rationes arguitur: æternitas nõ eſt duratio realis habẽs cõplẽtũ eſſe anteoperationẽ intellectus: ergo nõ debet inter ſpecies realis durationis numerari. Antecedẽs probatur ex D. T. qui ar. 1. q. 10. ſic ait, *in aprehẽſione vniformitatis eius, quod eſt omnino extra motũ, cõſiſtit ratio æternitatis*, & ar. 2. ad 3. ſubdit æternitatẽ in Deo ſolũ habere rationẽ meſuræ ſecũdũ aprehẽſionẽ noſtrã. Cõfirmatur dupliciter 1. inter meſurã, & menſuratũ requiritur diſtinctio realis, nihil enim realiter meſurat ſe ipſũ, ſed inter Deũ, & æternitatẽ nõ eſt realis diſtinctio: ergo æternitas nõ eſt meſura realis, & cũ ſolũ per reſpectũ rationis à Deo diſtinguatur ſolũ dicet de formali reſpectũ

ratio-

rationis à Deo distinguatur, solum dicit de formali respectum rationis, quem formaliter superaddit ipsi Deo. Confirmatur secundo; nam æternitas formaliter sumpta solum addit supra diuinam existentiam, negationem desitionis, successionis, & dependentiæ ab alio, quæ significantur illis particulis a Boetio ad hibitis in diffinitione æternitatis, scilicet: *Interminabilis, tota simul, & perfecta possessio*, cum igitur sola illa particula, *vitæ*, quæ proexistentia viuentis accipitur, importet aliquid positiuum, ac reale, cæteræ autem dicant negationem: signum est quod æternitas supra diuinum esse solum addat negationem. Huic accedit quod si per impossibile diuina duratio desineret esse crastina die, non haberet alium modum realem, ab eo quem habet nunquam desitura: sed solum durare in æternum, adderet negationem desitionis: igitur cum æternitas importet durationem, nunquam defecturam, non addit aliquem modum realem indiuino esse, siue indiuina duratione, sed solum addit illi negationem desitionis.

Propter hoc argumẽtum cum duplici ejus confirmatione, quintuplex versatur modus dicendi. Primus asserit rationem æternitatis consistere in positiua, ac reali ratione mensuræ diuini esse compleri tamen per aliquid rationis: nempe per vniformitatem, ac vnitatem diuini esse aprehensam in ratione mensuræ eiusdem esse, ad eum modum, quo tempus est realis duratio motus primi mobilis, completur tamen in ratione mensuræ per numerationem animæ distinguentis in illo partes priores, ac posteriores, illudque diuidentis per dies, menses, & annos, ita quod ex duobus integretur æternitas vt mensura diuini esse; ex reali duratione, vt ex ratione formali, & ex respectu mensuræ, qui est rationis tanquam ex complemento: siue hic respectus significetur in actu signato, siue connotetur in actu exercito, dum modo importetur in obliquo modus, & complementum mensuræ, quæ est de conceptu, & ratione formali æternitatis: ita Ferrariensis, primo contra gentes, capit. 15. & Syluester inconstato, quæstione 10. articulo primo, atque Banesius dubio secundo, quem videntur accepisse ex Alberto Magno in primo distinctione, 9. articulo 8. & in libro de quatuor coæquis, quæstione tertia, articulo primo, & Henrico in Summa, articulo 10. 11. quæstione secunda. Secundus modus est quorundam iuniorum, asserentium æternitatem secundum suam rationem formalem prout est attributum diuinum, & prout à nobis hoc nomine significatur, atque à Boetio diffinita fuit solum importare positiuum, ac realem durationem diuini esse cum negationibus realibus, cuiuscunque successionis variationis iamtij, ac finis, ac proinde nihil rationis includere in suo conceptu: & cum ratio mensuræ sit respectus rationis, neque hanc esse de conceptu illius: quæ sententia affinis est cum illa, quam tenuerunt Gabriel in secundo distinctione secunda, quæstione prima, Durandus in primo distinctione, 19. quæstione secunda, ad primum, qui dixerunt æternitatem in suo conceptu formali non importare rationem mensuræ: & subscribit Molina, quæstione, 10. articulo. 4. disputatione tertia, sectione secunda. Tertius modus est Scoti, quodlibeto sexto. §. *restat nunc*, asserentis æternitatem compleri per negationem successionis, ac desitionis, in ratione durationis æternæ. Quartus est aliorum, qui à ratione formali æternitatis nedum respectum mensuræ, sed etiam rationem durationis remouent: eo quod putant de ratione cuiuscunque realis durationis esse successionem; & quia in diuino esse nulla est successio, propterea colligunt, neque æternitatem formaliter in Deo existentem esse durationem diuini esse: ita sentiunt Aureolus, in primo distinctione, 2. quæstione prima, & Gabriel vbi supra quorum fundamenta sunt hæc: Primum, quia sicut se habet ad Deum diuina immensitas, quæ attingit omnes differentias loci, & qua dicitur esse vbique, ita se habet ad Deum æternitas, qua attingit omnes differentias temporis, eisque assistit, sed immensitas non dicit in Deo magnitudinem aliquam extensionis permanentem, qua Deus existat vbique: sed essentiam ob sui infinitam perfectionem vbique præsentem, & totam diuinam: ergo neque æternitas dicit durationem, ac proinde, neque extensiuam successionem, quæ omnibus temporis differentijs coexistat, sed ipsam essentiam diuinam indiuisibilem sua infinitate omni tempori, etiam imaginario assistentem: Secundum, quia omnis duratio comparata cum altera subit denominationem maioris, vel minoris, vel æqualis, quæ denominationes fundantur in successione partium, secundum quas vna duratio alteram superat, aut exequatur, aut ab illa exceditur; sed æternitas formaliter conueniens Deo, est expers successionis partium: ergo vel non est formaliter, & essentialiter duratio, vt infert Aureolus, vel vt infert Gabriel, æternitas diuina in ratione durationis est ipsum diuinum esse connotando successionem infinitam motus existentis actu, vel

tis actu, vel potentia. Quintus modus dicendi est Caietani, articulo primo, quæstionis, 10. asserentis rationem æternitatis non consistere in aprehensione vniformitatis, propterea quod consistat in aprehendi, seu cognosci, ita quod æternitas sit completiue ab anima, sicut de tempore dicitur, eo quod vnitas vniformitatis peremnis, actu est extra animam, non minus, quam vnitas essentiæ, sed propterea, quod consistit in conceptione obiectiua vniformitatis, quam frequentius vocamus rationem: ac si diceret D. Thom. ratio æternitatis consistit in aprehensione, ideſt in ratione vniformitatis: in quibus verbis vult Caietanus æternitatem complete saluari absque aliqua negatione, aut relatione rationis, in eo quod sit vniformitas habens rationem mensuræ, cuius fundamentum est, quia æternitas formaliter est ratio vniformitatis, ideſt, vnitas contracta ad formam: vniformitas enim est species vnitatis, & rem vniformem sinoni medicimus rem vnius formæ, quam etiam D. Thom. in primo distinctione 29. quæstione, 2. articul. 1. appellauit permanentiam actus diuini vt vnam: sed vnitas est attributum reale independens ab omni actu animæ: ergo. Confirmatur: nam si aliquid rationis esset de conceptu illius, maxime ratio mensuræ, quia cum sit vniformitas habens rationem mensuræ, & non includat respectum rationis, ratione primi; includere deberet illum ratione secundi, sed in ratione mensuræ talem respectum non includit: ergo. Minor patet, quia mensura non importat relationem formaliter, sed tantum fundamentaliter, vnde quid absolutum est, sed omnis ratio absoluta præueniens formalem relationem mensurantis realis est in Deo: ergo. Hijs accedit quod ita se habet æternitas respectu diuini esse, sicut tempus respectu durationis corruptibilium, & successiuorum, sed tempus in ratione mensuræ non dicit relationem rationis, sed aliquid reale, cum suapte natura sit aptum illam mensurare: ergo neque æternitas dicit in sua ratione formali respectum rationis.

Sed ex hijs modis dicendi secundus, tertius, & quartus manifeste à veritate deficiunt. Secundus quidem improbatur. Tum quia supponit rationem mensuræ esse extra conceptum æternitatis, tanquam extrinsecum quid, & accidentarium omnino, sicut & tempus, quod tamen est falsum, quia tempus suapte natura est mensura motuum sublunarium, vt pote primum in tali genere, aquo omnes alij suapte natura dependent, & regulantur, & similiter æternitas sicut est prima, & regulariss:ma duratio, ita est perfectissima mensura, siue in hac ratione mensuræ, per respectum rationis, siue per fundamentum talis respectus consumetur, atque compleatur: ergo. Tum etiam quia in conceptu æternitatis admittunt authores huius sententiæ includi duplicem negationem explicatam in diffinitione, scilicet successionis alteram, & alteram initij, ac finis: sed hæc duplex negatio formaliter accepta est quid rationis, quia omnis negatio species entis rationis est: ergo iam aliquid rationis est de conceptu æternitatis. Dicerent fortasse ad hoc argumentum præfacti iuniores has negationes tantum esse de conceptu æternitatis prout à nobis concipitur, & significatur, non autem secundum se. Sed contra: nam ipsi expresse dicunt æternitatem prout à nobis sub hoc nomine concipitur, & significatur nihil rationis includere, sed tantum positiuam, ac realem rationem durationis: ergo si vt sic includit huiusmodi negationes sibi sunt contrarij. Rursus aut ipsæ negationes formaliter sumptæ sunt de conceptu æternitatis, aut tãtum fundamentaliter sumptæ si primum habemus intentum, nempe quod aliquid rationis est de conceptu æternitatis: si secundum, ergo non ponunt innumero cum ratione reali durationis vniformis, etenim sicut hominis essentia, & negatio fundamentalis lapidis non ponunt in numero, quia per eandem essentiam Petrus est homo, & non lapis; ita æternitas per eandem formalem rationem, per quam est vniformis duratio, habet excludere successionem, atque initium, & finem: frustra igitur dicunt hij authores æternitatem in suo conceptu prout à nobis hoc nomine concipitur, & significatur includere rationem positiuam durationis cum negationibus. Tertius etiam deficit propter eandem rationem: nam negatio formalis non est de conceptu æternitatis, sed tantum fundamentum talis negationis, non enim negationes illæ, quæ ponuntur in diffinitione à Boetio, ideo ponuntur, quia ingrediantur conceptum, ac rationem obiectiuam æternitatis, sed quia simplicia explicãtur à nobis per negationem melius, quãm seipsis, vt enim aduertit D. Tho. art. 1. in solutione ad primum simplicia consueuerunt per negationẽ diffiniri sicut punctus est, cuius pars non est, quod non ideo est, quod negatio sit de essentia eorum, sed quia intellectus noster, qui primo aprehendit composita, in cognitionem simplicium peruenire non potest, nisi per remotionem compositionis. Rursus æternitas est species durationis, teste D. Tho. ibid. art. 2. sed duratio non includit negatio-

negationem: alias minus perfecta eſſet duratio æterna, quam temporalis, & creata, ſi quidem eſſet minus vindicata à negatione rationis, quam duratio temporis, aut æui, quæ nullam includit negationem: quod tamen eſt falſum, quia duratio æterna eſt præcipuum durationis analogatum ergo. Denique nam ſicut in eſſentia diuina datur infinitas intenſiua, quæ eſt modus realis eſſentiæ conſiſtens in latitudine reali perfectionis ſine termino, quæ latitudo acarentia termini denominatur infinita: ita æternitas eſt modus realis diuinæ exiſtentiæ conſiſtens in latitudine reali durativa, ſeu durationis ſine termino, quæ acarentia termini dicitur infinita extenſiua: igitur ſicut infinitas perfectionalis ſeu intenſiua eſt modus realis ab omni negatione intrinſeca vindicatus, ita infinitas durativa, ſiue extenſiua, in qua æternitas conſiſtit eſt modus realis omnis negationis expers, quod confirmatur ex teſtimonio Dionyſij, capit. 5. de diuinis nominibus vbi ſic habet: *Deus non quodam modo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, & in circunſcriptiue totum eſſe accipit in ſe ipſo, & præaccipit, propter quod dicitur rex ſeculorum*, & paucis interpoſitis ſubdit huius rationem dicens: *Ipſe eſt enim æuum æuorum, qui eſt ante ſecula*: quibus verbis ſubindicat in diuina exiſtentia ex natura rei eſſe infinitatem durationem, hoc etiam denotatur in locis Sacræ ſcripturæ, in quibus Deo attribuitur æternitas vt proprium eius attributum, per quod temporum, & æuorum continet eminenter durationes, propterea enim dicitur in perſona ipſius Deuteronomi, 32. *Viuo ego in æternum*, quaſi in vita intellectuali ipſius inbibatur æterna, & infinita duratio, & Eſaiæ. 57. *Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem*, cui conſonat illud Iobi 14. *Numerus meſſuum eius apud te eſt*, & illud 3. Eſdræ. 4. *Maieſtas, & poteſtas æuorum omnium eſt apud te Domine*, non quod formaliter æternitas ſit numerus menſium, aut æuorum duratio, ſed quod ſit eminens ac infinita duratio, temporum, & æuorum durationes præhabens eminenter. Quartus etiam deficit, tum quia falſo initur fundamento: falſum enim eſt omnem durationem eſſe ſucceſſiuam, æuum enim, & inſtans temporis diſcreti durationes quædam ſunt, quarum altera Angelus, altera Angelica operatio libera, & immanens menſuratur, & tamen non ſunt ſucceſſiua. Tum etiam quia æternitas formaliter eſt duratio teſte D. Thoma, quæſtione citata, articulo ſecundo, vbi probat Deum eſſe ſuam durationem, quia eſt ſuum eſſe, denotans quod duratio diuina eſt ipſum eſſe diuinum, aut modus illius, & propterea ſicut Deus eſt ſuum eſſe, ita eſt ſua duratio, & ſicut cum omni proprietate diuinum eſſe includit rationem eſſendi, ita includit rationem durationis, quod ſic patet; nam durare nihil aliud eſt, quam habere continuatum eſſe, ſed Deus per totum tempus ab initio mundi, & ante illud, per totum interſticium infinitum imaginarij temporis habuit eſſe apartere: ergo vere, & non fictitie durauit. Tum denique, quia viuere in æternum, eſt durare per infinitum ſeculum, ſed Deus viuit in æternum, vt ipſe Deutherom. 32. proteſtatur: ergo.

7. Ex hijs colligitur æternam Dei durationem nullam inuoluere ſucceſſionem partium, quod ſic probatur: nam nihil formaliter, & realiter exiſtens in Deo inuoluit ſucceſſionem; ſed æterna duratio eſt formaliter, & realiter exiſtens in Deo: ergo nullam inuoluit partium ſucceſſionem; quod adeo verum reputo, vt oppoſitum erroris nota exiſtimem in vrendum. Tum quia deſtruit diuinam immutabilitatem ac ſimplicitatem huiuſmodi partium ſucceſſio. Tum quia deſtruit veritatem concluſionis Theologicæ: quæ ex maiori certa lumine naturali, & minori de fide deducitur in hunc modum: æternitas eſt durationis ſpecies conueniens Deo formaliter: ſed æternitas non includit ſucceſſionem; ergo neque diuina duratio vt ſic. Minorem probant de fide perſpicua Sacræ ſcripturæ teſtimonia in quibus æternitas abſque ſucceſſione, prioris, & poſterioris Deo attribuitur: propterea enim dicitur in perſona diuina patris ad filium Pſalm. 2. *Ego hodie genui te*, quem locum verſans Auguſtinus, ait: *In æternitate, nec præteritum, quid quam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, quare per verbum hodie intelligit æternitatem, quæ tota eſt ſimul, ac preſens*, & Ioan. 8. *Ante quam fieret Abraham, ego ſum*, atque Exod. 3. *Ego ſum qui ſum ſic dices filijs Iſrael, qui eſt miſit me ad vos, &c.* Ex quibus locis probat Gregorius Homil. 18. in Euangelia, & libr. 16. Moralium, capit. 21. æternitatem ex pertem eſſe prioris, ac poſterioris, eo quod ratione illius non dicitur Deum fuiſſe, aut futurum eſſe, quaſi antea non fuerit, ſed ſemper preſentialiter exiſtere, quibus conſonat diffinitio Boetij ab vniuerſa Theologorum Schola aprobata: nec non illud eiuſdem teſtimonium, quod habet vltimo de conſolatione dicens: *Aliud enim per interminabilem vitam æui* (quod mundo Plato tribuit:) *Et aliud interminabilis vitæ, totam pariter complexam, eſſe præſentiam*. Hijs igitur tribus modis reie-

AEternitas eſt expers ſucceſſionis.

ctis, & explosis, restat examinare duos alios, priorem, scilicet, & postremum; vt is, qui Doctori nostro, ac veritati conformior fuerit à nobis elligatur, alioquim vtrumque probabilem esse, ac defensabilem existimandum est. Sed tamen elligendum esse priorem existimo, vt pote cum veritati, est nostro authori magis sit conformis, quod iam ostendo, primo, quia teste Diuo Thoma, in primo, distinctione, 19. quæstione secunda, articulo primo, æternitas est permanentia actus, secundum quod intelligitur in ratione vnius, quod habet rationem mensuræ, ideſt, æternitas est vniformitas, seu vnitas diuini esse, secundum quod habet rationem mensuræ: verba autem Doctoris sancti hæc sunt: *Sicut ergo prius, & posterius temporis pre intelliguntur numerata complent rationem temporis, ita permanentia actus secundum quod intelligitur in ratione vnius, quod habet rationem mensuræ complet rationem æui, & æternitatis, &c.* In quibus aperte denotat æternitatem, sicut & æuum includere in suo conceptu completo rationem mensuræ, sed ratio mensuræ in Deo nequit compleri nisi per respectum rationis: ergo æternitas in conceptu adæquato, & completo, quem viatores formamus de illa iuxta regulas fidei, ac Theologiæ (sic enim de illa loquimur in præsentiarum) includit respectum rationis, vt sui completiuum. Minor est Doctoris sancti, quæstione 10. citata, articulo secundo, ad tertium vbi sic ait. *Ad tertium dicendum, quod æternitas non est aliud, quam ipse Deus, vnde non dicitur Deus æternus, quasi aliquo modo mensuratus, sed accipitur ibi ratio mensuræ secundum aprehensionem nostram tantum*, ac si diceret quod æternitas est duratio interminabilis, & hoc habet à parte rei, & sic Deus à parte rei est æternus, sed quod subinduit rationem mensuræ, hoc habet per operationem intellectus distinguentis ipsam à diuino esse; vnde quod diuinum esse subinduat rationem mensurati non habet ex se, sed ab operatione intellectus, qui distinguens illa; vni atribuit rationem mensuræ, & alteri rationem mensurati. Secundo: nam teste eodem Diuo Thoma, ibidem, articulo quarto ad tertium, æternitas est propria mensura diuini esse, sicut tempus est propria mensura motus, ac proinde sicut tempus includit rationem mensuræ: ita æternitas, & tamen æternitas consistit in aprehensione vniformitatis, vt ipse sanctus Doctor habet in articulo primo, quia in ratione vniformitatis, atque vnitatis mensurantis completur dependenter ab operatione intellectus, sicut vnitas, licet attributum reale sit diuinæ essentiæ, hoc non obstante completur per negationem diuisionis, quæ negatio quidrationis est, vt pote quædam priuationis species, neque satis congruenter exponitur hoc testimonium sancti Doctoris à Caietano, & alijs, qui nomine aprehensionis vniformitatis accipiendum dicunt conceptum formalem, aut obiectiuum, quasi vellet dicere D. Thomas, quod conceptus formalis æternitatis tunc habetur, quando aprehendimus vniformitatem, vel quod conceptus obiecti eius est vniformitas; non enim D. Tho. de hijs, quæ nihil rationis admiscent solet dicere consistere in aprehensione: hic enim modus loquendi ex vi verborum denotat tale ens compleri per respectum rationis, aut aliquo modo ab operatione intellectus dependere. Fateor equidem probabilem esse Caietani expositionem; & ad hæc argumenta posse satis probabiliter responderi, quod æternitas in suo conceptu obiectiuo, & essentiali tantum includit rationem mensuræ fundamentalis, quæ est fundamentum respectus rationis quo constituitur in esse mensuræ actualis & formalis, ad quod sufficit eminens distinctio, quæ inter diuinum esse, & eius vniformitatem, ac permanentiam versatur ante omnem intellectus aprehensionem. Vnde si quis Caietani sententiam sequi maluerit, non infitior, & iuxta hanc nostram sententiam facile respondetur ad formam principalis argumenti concedendo antecedens, & negando consequentiam: complementum enim rationis non obstat quominus absolute, & simpliciter aliquod attributum sit reale, vt patet in vnitate. Ad primam confirmationem negatur maior satis enim est ad saluandam rationem mensuræ distinctio rationum formalium: quo pacto duratio eadem motus primi mobilis est mensura, & mensuratum secundum diuersas rationes formales: mensuratum quidem quatenus se tenet ex parte motus, & identificatur cum illo: mensura vero quatenus est regularis, & prima in genere motus: inter diuinum autem esse, & æternitatem licet non sit distinctio formalis ex natura rei, tamen est distinctio virtualis, & eminens, quæ eadem munia præstat, quæ præstat in creaturis actualis formalis, ac proinde est sufficiens fundare respectum mensuræ, & mensurati. Potest etiam dici secundo quod inter mensuram, quæ realiter refertur ad mensuratum, aut è contra, verum est requiri realem distinctionem, quo pacto tempus est mensura corruptibiliū, adquę refertur respectu trālcē dētali reali. Ad mēsurā autē quæ in esse talis,

comple-

completur per respectum rationis, qualis est illa, quæ competit æternitati satis est à parte rei virtualis distinctio, & actualis, per intellectus aprehensionem. Ad secundam negatur antecedens: addit enim æternitas supra diuinam existentiam respectum mensuræ, per quem completur, negationes autem illas addit quoad nos, tanquam id per quod à nobis explicatur: non autem tanquam complementa quibus intrinsice completur: potest etiam dici quod cum æternitas sit vniformitas, quæ vt sic est specialis vnitas, vt talis vnitas diuini esse, includit negationem diuisionis partium, ac diformitatis sibi oppositæ, tanquam sui complementum. Ad probationem subiunctam Scoti negatur antecedens: nam proculdubio si diuina duratio desineret, aut desinere posset, haberet alium modum realem ab eo, quem re vera habet, essetque alterius rationis quemadmodum si cœlum incorruptibilitatem amitteret, non eandem essentiam quam modo habet, sed aliam alterius rationis; haberet. Ex hijs patet etiam ad fundamenta sententiarum, quas refutauimus. Ad fundamentum enim secundæ negamus nihil rationis includi inconceptu æternitatis, negamus etiam illas negationes si formaliter sumantur esse reales, aut includi in conceptu æternitatis vt sic formaliter sumptas. Ad fundamentum tertiæ negatur per illam negationem sufficienter compleri æternitatem, nisi accedat respectus mensuræ, ponimusque in diuino esse modum realem infinitæ durationis extensiuæ. Ad primum factum pro quarta negatur, minor si de extensione virtuali, & eminenti fiat sermo, Deus enim, & si non sit magnus mole est magnus quantitate virtutis; alioquim admissa maiori & minori si de extensione formali intelligatur, negatur consequentia, sicut enim diuina essentia sua infinitate, vt potentia operans est, immediate attingit omnia spatia, & effectus, in quibus operatur, & vt ratio, siue intellectus attingit omnia obiecta existentia, atque posibilia, ita vt habet rationem existentis vniformiter, atque durantis sine principio, & fine formaliter se ipsa attingit omnes diferentias temporis etiam posibiles, & imaginarij, quibus dicitur coexistere, & præsens esse relatione quadam rationis, quæ in illa nullam ponit successionem, sed tantum supponit illam ex parte temporis, cui dicitur coexistere. Ad secundum negatur maior, denominationis enim maioris, minoris, vel æqualis non omnis duratio est capax, sed illa dumtaxat quæ, aut est finita, aut in qua cernitur partium extensio, ac latitudo. Respondetur secundo, quod licet duratio æternitatis in se non habeat formaliter partes, habet tamen illas virtualiter, & eminenter, vt dictum; est quo pacto includere dicitur æuorum, ac temporum durationes, habet etiam illas extrinsice per coexistentiam sui ad tempus habens illas intrinsice. Vnde ratione primi modi continendi partium diuisionem potest dici eminenter maior tempore, & illi inæqualis, sicut Deus dicitur maior Angelis, quorum perfectiones superat, eminenterque continet: ratione autem secundi modi potest dici adhuc æternitas maior tempore, quia eo existit omnibus eius partibus, & multo pluribus posset coexistere si darentur, vnde sicut anima rationalis potest dici maior manu, quia ne dum manum, sed totum corpus potest informare, & illi coexistere, ita æternitas licet in se partium expers sit, potest dici maior tempore, quia illi coexistit defacto, & si fuisset maius adhuc ei coexisteret. Ad fundamentum tertiæ sententiæ, quæ est Caietani, licet illam probabilem reddat. Respondetur distinguendo minorem, vniformitas est attributum reale quoad rationem formalem, & absolute, transeat, est attributum reale omnibus modis, etiam quoad complementum, quod connotat in obliquo, nego minorem. Ad confirmationem nego minorem, quia licet mensura in creaturis importet solum respectum transcendentalem admensuratum, aquo realiter distinguitur, tamen in Deo vbi realis defficit distinctio, solum importat relationem formalem rationis, quare dicendum est æternitatem attributum reale esse in vniformitate diuini esse consistens, quatenus includit rationem mensuræ per respectum rationis completam absque omni succesione.

Sed contra adhuc arguitur secundo: mensura dicit imperfectionem repugnantem Deo: ergo æternitas, quæ formaliter est in Deo non habet perse rationem mensuræ. Antecedens probatur: nam infinitum vt dictum est ex Philosopho tertio Physicorum est immensurabile, ideſt mensura nequit deffiniri, in quo denotatur, quod mensuratum deffiniri, ac limitari debet. Rursus requitur proportio, & adæquatio, atque etiam distinctio realis inter mensuram, & mensuratum, æternitati autem istæ tres conditiones, nequeunt conuenire maxime prima & tertia: ergo nequit habere rationem mensuræ. Confirmatur dupliciter, primo bene valet: mensura formaliter

indiuinis eſt aliquid rationis, æternitas eſt menſura: ergo æternitas eſt aliquid rationis, conſequens eſt falſum: ergo & antecedens non pro maiori: ergo pro minori. Confirmatur ſecundo æternitas formaliter eſt duratio diuini eſſe, ſed duratio diuini eſſe nequit ſub induere rationem menſuræ, cum potius ſit, quid menſuratum, duratio enim eſt quæ mẽſuratur: ergo nequit æternitas ſub induere rationem menſuræ. Reſpondetur nihilominus ad argumentum prænotãdo menſuram æquiuocum quid eſſe, & propterea poſſe accipi tripliciter. Primo pro forma extrinſeca omnino, ſiue exemplari, qua ratione idea, & Archetypus, dicitur menſura ideati, ſiue imaginis, ad eius ſimilitudinem deductæ, & hæc ratio menſuræ, licet repugnet Deo in ordine ad ſe, quia nihil eſt in illo à ſeipſo hoc modo menſuratum; non tamen repugnat ei in ordine ad creaturas, imò quo eſt perfectior creaturis, eo perfectiori modo ei competit eſſe illarum exemplar, & hoc modo primum in vno quoq; genere eſt menſura, ideſt exemplar cæterorum. Secundo accipitur mẽſura pro regula, per quam alterius rei quantitatem, ſiue perfectionem cognoſcimus, quę ex natura rei ante operationem intellectus compleatur in eſſe talis, atque dicat ordinem realem admenſuratum, & hæc nequit æternitati conuenire. Tertio modo accipitur pro menſura, ideſt, regula, qua, quantitas, aut duratio alicuius cognoſcitur, & cui proportionatur, atque adæquatur, non tamen extra intellectum conſumatur, ſed per reſpectum rationis, & hæc poteſt, ac debet conuenire æternitati, neque illas conditiones in rigore exposcit, ſed ſolum proportionem, ac diſtinctionem virtualem rationum formalium, quo ſuppoſito ad formam argumenti negatur antecedens. Ad probationem dicendum eſt Philoſophum, loqui de eo quod menſuratur ſecundum partem aliquotam, prout menſuratio deſeruit humanis commutationibus, hæc enim diffiniri, ac limitari debet: ſecus autem, illud quod menſuratur ſecundum partẽ non aliquotam, hoc enim poteſt eſſe infinitum vt diximus, articul. 3. quæſtion. 2. neque terminari, aut deffiniri, ideſt terminis claudi debet, ſed ſatis eſt quod eius quantitas, aut perfectio alteri adæquetur, aut per eam dignoſcatur. Ad primam confirmationem negatur maior in illa enim conſequentia variatur appellatio, ſicut in hac: homo eſt ſpecies, & ſpecies eſt quid rationis: ergo homo eſt quid rationis, & in hac: iuſtitia eſt attributum diuinum, attributum diuinum dicit relationem rationis: ergo iuſtitia dicit relationem rationis: etenim relatio rationis, quam importat de formali hoc nomen, *atributum*, vel *ſpecies*: non importatur nomine iuſtitiæ, aut hominis, & ſimiliter æternitas de formali, & in recto importat realem vniformitatem diuini eſſe; in obliquo vero, & per modum conditionis, ſiue complementi importat reſpectum menſuræ, quem tamen principaliter de formali importat hoc nomen, *menſura*, ac proinde arguitur in illa conſequentia à termino veluti ſecundæ intentionis, ad terminum primæ ſicut patet in aductis inſtantijs. Ad ſecundam Bañeſius, quæſtion. 10. art. 2. negat maiorem eo quod putat æternitatem identice tantum, & non formaliter eſſe durationem ductus argumento facto; duratio eſt id quod mẽſuratur, æternitas eſt mẽſura: ergo ratio æternitatis non eſt ratio durationis, licet in ſenſu identico hæc ſit vera æternitas eſt duratio, ſicut hæc, iuſtitia eſt ſapientia: ſed melius reſpondetur cum Caietano æternitatem eſſe formaliſsime durationem diuini eſſe, ſententia enim eſt Doctoris noſtri in eodem artic. 2. & artic. 1. preallegato ex primo ſententiarum æternitatem eſſe ſpeciem durationis, atque Deum eſſe ſuam æternitatem, quia ille ſolus eſt ſua duratio, quare ad argumentum, ſecundæ confirmationis conceſſa maiori neganda eſt minor, ſicut enim eadem motus primi mobilis duratio poteſt ſecundum diuerſas rationes eſſe menſura, & menſuratum, vt ipſe Bañeſius fatetur ibidem artic. 1. dubio 2. ad quartum, ita duratio diuini eſſe ſecundum diſtinctas rationes poteſt ſubire rationem mẽſuræ, & menſurati, menſuræ quidem vt eſt actiua, & vniformis duratio, qua veluti continuatur, & durat diuinum eſſe, & ſic eſt æternitas, menſurati vero quatenus eſt paſſiua duratio, atque reſipſa durans, & cõtinuata: nec mirum quod eadem indiuiſibilis perfectio diuinæ durationis ſit id, *quod* & *quo*, ſi eadem quantitas eſt res extenſa, & eſt id quo fit corporis extenſio, & eadem lux eſt lucida, *vt quo* & vt *quod*. Tertio, arguitur: æuum etiam habet ſucceſſionem ſecundum prius, & poſterius, non ergo diſtinguitur pœnes hoc à tempore, & conſequenter prefactæ diſtinctionis membra non opponuntur hijs rationibus formalibus. Antecedens probatur multipliciter. Primo: nam Hieronymus Epiſtola ad Marcellum ſentit ſolum Deum eſſe expertẽ præteriti, & futuri dicens: *In omni creatura differt præteritum & futurum, quia ſolus Deus eſt, qui non nouit fuiſſe, neque futurum eſſe.* Conſonat Auguſt. 11. confeſionum, cap. 14. quiſic ait: *Præſens ſi ſemper eſſet præſens, neque in præteritum tranſiret, iam non eſſet tempus, ſed æternitas.* Sola igitur æternitas ſecundum mentem Hieronymi, & Auguſtini, eſt tota ſimul,

&

& ex pers successionis. Secundo, quia implicat idem esse simul in actu, & potentia respectu eiusdem formæ, sed Angelus per suum æuum hodie, verbi gratia, est in actu durationis, quam nunc habet, & est in potentia ad durationē diei crastinę, quia potest durare crastina die, & etiam potest non durare, siquidem potest in nihilum redigi: ergo alia duratio in æuo Angeli, est hodierna: & futura, die crastina. Tertio, quia alias si omnino æuum Angeli indiuisibile esset, futura ei coexisterent, ac proinde posset illa naturaliter cognoscere: propterea enim Deus illa cognoscit, quia coexistunt indiuisibili nunc æternitatis. Rursus eadem ratione verificarentur duo termini contradictorij de eodem in æuo Angeli, sicut verificantur, in eodem nunc æternitatis, verbi gratia, Petrum currere, & Petrum non currere, quia cursus, & negatio cursus Petro conuenientes pro diuersis temporibus, propterea verificantur de illo in æternitate, quia æternitas est indiuisibile nunc illis coexistens, quod tamen non est dicendum. Confirmatur primo: nam si successiuum non esset æuum, non poneretur in prædicamento, *quando*, in quo solum duratio ponitur successiua, quæ vel ex temporis adiacentia relinquitur: aut illi proportionatur, consequens autem, est falsum, cum omnes durationes creatæ ad illud prædicamentum pertineant: ergo & antecedens. Confirmat. 2. nam si æuum est duratio indiuisibilis, substantiæ incorruptibilis, sequitur tot esse æua, quot sunt huiusmodi substantiæ, quod tamen non est dicendum: ergo: sequela patet, quia in singulis substantijs incorruptibilibus sunt singulæ durationes indiuisibiles esse in corruptibilis creati, mutabilitati coniuncti, in quo consistit ratio æui, est enim æuum vt definit Caietanus vnitas vitæ immutabilis mutabilitati coniuncta, vel vt Durandus ait in 2. distinct. 2. quæstion. 5. æuum est duratio esse creati vniformiter, & stabiliter se habens: cum igitur tot sint huiusmodi durationes, quot substantiæ incorruptibiles, tot erunt æua. Huic accedit, quod æuum cœlestium corporum est corporeum, sicut & esse eorum, æuum autem Angelorum est spirituale ac proinde diuersa. Et quia vnus Angelus non est mensura aliorum secundum durationem, etenim omnes fuerunt simul creati: ergo à parte ante nullus est alterius mensura, secūdum durationem; imò neque a parte post cum vnus quisque duret infinite ac proinde sit immensurabilis. Deinde quia mensura est causa mensurati, sed esse vnius Angeli, non est causa alterius: ergo. Quod si dicas propterea supremum esse aliorum mensuram: quia est alijs nobilior, & simplicior secundum essentiam, & consequenter sicut est mensura quiditatis aliorum, ita & durationis. Contra: nam homo in genere animalis est mensura aliorum animalium, & albedo aliorum colorum quatenus est ratio notificandi eorum quiditates eo quod est perfectioris, & nobilioris naturæ in tali genere, & tamen neque homo alia animalia, neque albedo alios colores mensurat secundum durationem: siquidem multa animalia, vt coruus, & cernus sunt vitæ diuturnioris quam homo. Alij etiam colores diuturniores possunt esse quam albedo: ergo ex perfectori essentia nō sequitur conuenire supremo Angelo mensuræ rationem respectu aliorum secundum durationem. Confirmātur hæc omnia ex dupli ci capite. Tum ex eo quod apud Dionisium, capite preallegato ex 3. Esdræ, 4. plura dicuntur esse æua æuum enim æuorum ait Dionisius esse in Deo, & Esdras, maiestatem æuorum apud ipsum esse: tum ab inconuenienti, quod sequeretur, etenim cum secūdum probabiliorem sententiam Doctoris sancti 1. p. quæst. 63. artic. 7. supremus Angelus sit damnatus, à damnato, & misero beati, ac fœlices mensurarentur, quod eorum derogat dignitati.

8 Propter hoc argumentum triplex versatur modus dicendi inter scholasticos: quidam namque sic constituunt æuum medium habere locum inter æternitatem, & tempus, quod æternitas, neque in se vt duratio est, neque in esse diuino admittit successionem, tempus vero illam admittit, tam in se, quam in motu cuius est duratio, æuum autem licet in esse Angeli, cuius est duratio, successionem non habeat, tamen eam habet in se, quatenus duratio quædam est. De horum numero fuere D. Bonauentura in 2. distinct. 2. quæstion. 3. & Gabriel, quæstion. 1. Secundus modus asserit nullam admittendam esse successionem in æuo, quem sequuntur in quæstion. 10. allegata, artic. 5. Caietanus, Banesius, dubio. 2. Molina disput. 1. eiusdem articuli sequuti sanctum Doctorem ibidem, & in quodlibeto 10. articul. 4. nec non Capreolum vbi supra conclusion. 5. & Henricum quodlibeto 5. quæstion. 13. Scotum in eadem distinct. 2. quæst. 1. Durandum, quæstion. 3. & Ricardū, artic. 1. quæstion. 3. ex hijs autem Durandus (cui subscribit Molina, vbi supra disputation. 2. §. *Vltimum dubium*, & articul. 6. §. *sit tamen*, *prima conclusio*) docet tot dari æua quot sunt æterna, eo quod nullius æterni duratio est mensura sui subiecti, propter identitatem, cum illo, neque est mensura aliorum propter rationes factas. Alij vero cum D. Thom. in eodem articul. 6. vt Caietan. Banesius, Capreo-

lus vbi supra, &c. Volunt vnicum tantum æuum omnium æuiternorum esse, quod nullam successionem admittit, & hic est tertius modus dicendi, quem decernimus amplectẽdum, & iuxta illum duo asserimus, alterum est quod æuum, & cuiuscunque substantiæ incorruptibilis duratio nullam admittit successionem. hoc patet ex prefatis æui diffinitionibus, & ex discrimine, quod D. Thom, art. 5. inter æuum & tempus assignat, quod ad hanc formam reducitur: in tempore reperitur prius, & posterius, quia dantur in motu, ex quo tempus resultat, & cuius est duratio, sed in esse Angeli vnde æuum resultat & cuius proxime est duratio nullũ datur prius, & posterius, nulla successio, aut innouatio, ergo neque in æuo aliqua prioritas, ac posterioritas, aliqua successio, aut innouatio reperitur. Tum etiam quia esse Angeli est indiuisibile: ergo eius mensura indiuisibilis debet esse, ac proinde æuum, quod est illius mensura. Consequentia patet quoniam teste Philosopho, 10. huius textu secundo mensura est quæ metiendo rem, quam metimur notam reddit, diuisibile autem sicut nequit metiri rem indiuisibilem, ita neque illam notam facere potest, posset confirmari. Et nam sicut esse Angeli consequitur ad actionem, qua Deus illum creauit, atque conseruat per longum tempus, ita & duratio illius, quia aut est ipsum Angeli esse, aut eius modus vt sæpe dictum est; sed actio, qua Deus creauit Angelum, & per longum tempus illum conseruat est prorsus eadem numero, & indiuisibilis: ergo & duratio indiuisibilis debet esse, hac ratione vtitur. Molina, eo quod putat actionem diuinam identificari cum termino producto, ac proinde non posse in termino dari successionem, quin detur in actione, sed quia hoc fundamentum est debile, probabilius namque est diuinas actiones formaliter esse immanentes, & virtualiter transeuntes dumtaxat, posset optime saluari successio in effectu, quin daretur in diuina actione, & de facto actio, qua Deus tempus producit atque conseruat est indiuisibilis, & expers successionis in seipsa cuius tamen non est expers illius terminus nempe tempus sicut igitur Molinæ fundamentum est debile, ita & eius confirmatio debilis est, quare potius prioribus rationibus innitendum est. Secundum est quod æuum dumtaxat est vnum: hoc probat Diuus Thomas artic. 6. quia propterea datur vnicum tempus duntaxat, quia vnicus est primus omnium motuum regularissimus, & simplicissimus, qui proinde debet esse cæterorum mensura, sed etiam inter Angelos datur suprẽmus, qui est omnium perfectissimus, ac simplicissimus: ergo ille debet esse cæterorum mensura, eo quod vnumquodque mensuratur simplicissimo sui generis. Teste Philosopho, 10. huius textu secundo, tunc vltra, sed æuum est mensura substantiarum incorruptibilium: ergo in solo supremo Angelo reperitur. Confirmatur nam in substantijs incorruptibilibus est inæqualitas. Aliæ enim sunt alijs perfectiores secundum sentẽtiam Dionis. cap. 10. cœlestis Hierarchiæ, quam sustinet contra Origenem vniuersa Schola Theologorum: imo omnes diferunt essentialiter, & specifice, vt libro sequenti trademus: ergo datur suprema, quæ omnes perfectione superet, & vniformitate in esse, & operatione, hæc ergo erit aliarum mensura, & consequenter sola cuis duratio æui rationem habebit. Hijs suppositis respondetur ad argumentum negando antecedens, ad primam probationem dicendum est Hieronymum, & Augustinum in eo sensu dicere solam æternitatem excludere successionem, quia sola illa, neque in se, neque in sibi adiuncta operatione habet successionem, æuum autem licet illam non habeat in se sicut tempus, habet tamen eam in sibi adiuncta operatione Angelica, quæ preteritioni, & futuritioni sub est, cum incipiat & desinat esse. Hæc tamen successio non est formaliter in æuo, sed in tempore discreto, quod mensurat actiones liberas Angelorum, formaliter reperitur, & ad æuum concomitanter se habet. Ad secundam nego maiorem nullum enim est inconueniens, quod aliquid sit in actu, & in potentia respectu eiusdem formæ ad diuersa tempora comparatæ, vnde sicut substantia Petri hodie habet actu suum esse, & est in potentia vt habeat illud crastina die, ita Angelus qui hodie est in actu respectu suæ durationis, est in potentia ad eandem non simpliciter, sed secundum quid, siue comparatiue, videlicet vt illam habeat crastina die, atque per eam diei venturæ coexistat, neque ex hoc probatur in esse distinctio partium in duratione Angeli, sicut neque in esse ipsius Angeli, quod authores primi modi dicendi indiuisibile fatentur, sed solum probatur in duratione indiuisibili esse potentiam ad coexistendum diei crastinæ, quæ tamen potest saltem per extrinsecam Dei potentiam impediri. Ad tertiam neganda est sequela, cuius ratio desumenda est ex discrimine, quod inter æternitatem, & æuũ versatur, in duobus enim conueniunt æternitas, & æuum, & in tribus discriminantur

conue-

conueniunt quidem in hoc quod sunt mensuræ indiuisibiles, & totæ simul, & quod sicut æternitas in coexistendo nostro tempori (hoc est in coexistentia, quæ est relatio rationis existentiæ diuinæ superueniens) habet successionem ratione cuius dicimus de Deo absque lesione suæ indiuisibilis durationis ipsum fuisse, esse, & fore, idest ipsum coextitisse tempori præterito, & coexistere præsenti, & habiturum esse coexistentiam cum futuro; ita de æuo Angeli dicimus absque læsione suæ indiuisibilis durationis ipsum fuisse, esse, & futurum esse, hoc est, ipsum habuisse coexistentiam, cum tempore præterito, & illam habere cum præsenti, atque habiturum esse eam cum futuro. Discriminantur autem in eo quod æternitas necessario necessitate etiam Logica, & per se inde pendenter habet esse simul in se, & coexistere omni tempori, etiam imaginario; æuum autem angelicum cum sit duratio creata, & dependens, etsi Physica necessitate habeat esse simul, non tamen Logica necessitate habet esse necessario in se, aut coexistere tempori, sed hoc habet dependenter à Deo, per cuius potentiam potest annihilari, & non habere coexistentiam cum cræstina die. Secundo differunt in eo quod æternitas cum sit duratio infinita habens latitudinem infinitam duratiuam vnite præhabet, & continet eminenter omnium æquorum inferiorum differentias, atque perfectiones, sicut esse diuinum, quia infinitum, & simplex est, continet eminenter propria omnium creaturarum distinctiua seclusis imperfectionibus, & ex hoc prouenit quod omnium rerum durationes secundum propria æternitati coexistant, etiam antequam: fiant æuum autem quia duratio finita, & limitata est secundum essentiam, vtpote in determinata specie constituta, non continet eminenter aliarum rerum inferiorum durationes, ex quo prouenit quod res futuræ, ei non coexistant. Tertio diuersificantur in eo quod æternitas nedum diuinum esse, & naturalem cognitionem, qua Deus seipsum cognoscit, sed etiam cognitionem, qua cognoscit alia à se, mensurat, vnde futura coexistunt mensuræ cognitionis diuinæ, æuum autem licet mensuret angelicum esse, & naturalem cognitionem, qua Deum, & se cognoscit, non tamen illam, quia libere alia à se cognoscet, vnde futura etiam si coexisterent æuo, non coexisterent mensuræ cognitionis: cum igitur cognitio futurorum non prouenat ex illis duobus, in quibus æuum, & æternitas communicant, sed ex hijs tribus, quæ æuo nõ conueniunt, sed soli æternitati, nempe ex eo quod sit mensura independens infinita habens vnite latitudinem duratiuam infinitam, & continens mensuram, ac durationem futurorum eminenter, atque ex eo quod futura non solum mensuræ cognoscentis, sed etiam mensuræ cognitionis coexistant, propterea sola æternitas siue per essentiam, siue participata potest vnite continere futuri effectus existentiam, vt sit ratio illum cognoscendi. Ad quartam concessa sequela negatur minor, eo quod licet respectu eiusdem *nunc* indiuisibilis fluentis nequeunt cõtradictoria prædicata de eodem verificari, quia tale *nunc* non potest bis sumi, & quia omnibus modis est indiuisibile, tamen respectu eiusdem nunc indiuisibilis æternitatis, & æui optime possunt verificari, quia licet sit indiuisibile formaliter & in se: tamen est diuisibile velut virtualiter, & habet coexistentiam cum duratione diuisibili; quo pacto intra idem æuum Angeli Gabrielis verum fuit dicere Gabriel non videt Deum (quando erat viator) & Gabriel videt Deum quia iam modo est beatus. Ad confirmationem primam concessa sequela negatur minor in prædicamento enim *quando* solum collocantur durationes illæ, quæ ex adiacentia temporis relinquntur, vt suo loco docuimus: aliæ vero aut non sunt in prædicamento vt æternitas, aut ponuntur in prædicamentis earundem rerum, quarum sunt durationes, vnde tempus continuum spectat saltem reductiue ad prædicamentum quantitatis, æuum autem, quod est esse Angeli ad prædicamentum substantiæ, & instans temporis discreti quia est duratio actionis immanentis ad prædicamentum qualitatis naturales, ad qualitatis autem supernaturalis generalissimum æternitas participata visionis beatæ reuocatur. Ad secundam negatur sequela, ad probationem primam dicendum est in singulis Angelis esse proprias, & intrinsecas durationes indiuisibiles eiusdem generis cum æuo. Sed nihilominus quia omnes excepta duratione supremi æuiterni nõ sunt in summo perfectionis, ac simplicitatis illius generis, propterea æui rationem non habent. Ad secundam neganda est maior. Cœlestia enim corpora in quantum entia permanentia, & incorruptibiles substantiæ vnius generis sunt in esse immutabilis cum Angelis, ac proinde debent supremi æuiterni duratione mensurari. Vnde illorum æuum spirituale est. Ad tertiam negandum est antecedens. Primus enim Angelus mensura est aliorum, in duratione, esse, & quiditate, quia vnaquæque quiditas mensuratur prima quiditate sui generis, neque

que huic obstat quod simul producti fuerint Angeli, alia enim æuiterna successiua producta fuere, vt animæ rationales, quæ post resurrectionem æuo mensurabuntur, & modo etiam in statu separationis æuo mensurantur. Itaque neque simultanea, neque successiua æuiternorum productio obstat quominus vno æuo mensurentur, quia non antiquior duratio, sed vniformior, & perfectior vendicat sibi rationem mensuræ, & æui dignitatem. Ad quartam negatur maior si vniuersaliter accipiatur: pro cuius declaratione egregie aduertit Durandus in quæst. 5. præallegata, duplicem esse mensuram seu rationem notificandi, alteram, quæ perse, & directe notificat per modum causæ, quia causa essendi est etiam & cognoscendi, alteram vero, quæ indirecte, & comparatiue notificat aut certificat alterius quantitatem, vel perfectionem, & hic modus mensurandi alia non fundatur in causalitate circa illa, quo pacto, primum in vnoquoque genere est cæterorum) mensura, verbi gratia, albedo est mensura colorum, quia per comparationem ad illam cognoscitur aliorum colorum perfectio, & hoc modo supræmus Angelus est aliorum mensura, quia per comparationem, & accessum ad illum cognoscitur aliorum perfectio in quiditate, esse, & duratione, hæc doctrina Durandi consonat Diuo Thomæ, qui artic. 6. citato in solutione ad quartum ait mensuram non semper esse causam mensurati in essendo, sed satis esse quod sit illo simplicior, ac notior, vt sic sit causa illius in cognoscendo. Potest etiam dici cum Caietano prima parte quæst. 2. art. 3. §. *circa illã* mensuram debere esse causam non effectiuam determinate, sed vel effectiuam, vel finalem, aut exemplarem mensurati, & hanc causalitatem exemplaris habere, primum in vnoquoque genere respectu aliorum, eo quod perfectiora sunt naturalia exemplaria imperfectiorum vt sic, quo pacto, primũ æuiternum in ratione incorruptibilis, & in transmutabilis causa est aliorum æuiternorum. Ad improbationem huius respondetur quod ratio Doctoris Sancti non initur huic principio, quod si Angelus supræmus mensurat alios in quiditate, etiam mensuret illos secundum durationem, sed huic, quod quia est supremus in quiditate, & simplicior in duratione, ideo illos mensurat quoad vtrumque, homo autem, vel albedo licet superet alia sui generis in quiditate, potest tamen excedi ab illis in duratione, & sic in quiditate & non in duratione erit eorum mensura, quia primum in vnoquoque genere solum est aliorum mensura secundum id, in quo est primum ac supræmum illius generis, præterquam quod cum duratio substantiæ sit eius esse, quo substantia est perfectior, habet etiam perfectius esse, & consequenter perfectiorem, ac simpliciorem durationem intensiue, licet extensiue excedatur ab aliquo sui generis. Vnde sicut homo in quiditate, ita & in duratione excedit intensiue alia sui generis, qua propter vtroque modo est illorum mensura. Ad primam partem vltimæ confirmationis respondetur dupliciter. Primo cum D. Thom. artic. 6. allegato ad primum quod æuum accipitur aliquando pro seculo quod est periodus durationis alicuius rei. Vnde æua plurali nomine significata pro pluribus seculis accipiuntur. Secundo respondetur plurale in Sacra Scriptura, & apud Sanctos Patres multoties per lyleptim, quæ est numerorum permutatio accipi pro singulari quodam excellenti quod pluribus singularibus ordinis inferioris æquipollet; ideo enim Psalm. 50. dicitur de vnico atque singulari peccato originali, &c. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, eo quod licet singulare, origo tamen radix, & fons aliorum actualium peccatorum sunt; non dissimiliter vnicum æuum propter eius excellentiam nomine plurali ab Esdra, & à Dionisio nuncupatur. Ad secundam respondetur iuxta illam sententiam æuum in Angelo damnato permansisse, quia vniformitatem durationis, vtpote naturalem per peccatum non amisit. Neque est inconueniens quod secundum durationem in esse naturali Angeli beati à Lucifero damnato mensurentur, siquidem secundum naturalia illos in esse, & vniformitate durationis excedit. Vltimo arguitur: substantiæ corruptibiles non mensurantur secundum esse tempore continuo; ergo datur alia mensura præter assignatas. Antecedens probatur multipliciter. Primo quia videtur expræsa sententia Sancti Doctoris opusculo 44. de tempore cap. 3. & Philosop. libro 4. Physico. cap. 11. vbi ait tempus perse primo solum mensurare motum & quietem, & mobile secundario vt stat sub motu, vel quieret. Secundo probatur, quia mensura debet esse congenea, & proportionata, atque eiusdem generis cum eo cuius est mensura, vt successiua si res mensurata sit successiua, & permanens si res sit tota simul: sed esse rerum generabilium est totum simul expers in seipso successionis, est enim indiuisibile vniformiter se habens: ergo debetur ei pro mensura

non

non tempus quod est successiuum, sed æuũ, aut alia à præfatis conditincta. Tertio nam teste Philopho in loco proxime allegato, sicut se habet tempus ad motum, ita se habet nunc temporis ad mobile, sed tempus habet se vt mensura motus: ergo & nũc indiuisibile temporis erit mensura mobilis, & consequenter non mensurabitur tempore mobile, sed mensurauiter ipso nunc, quod est diuersa species mensuræ. Quarto substantia corruptibilis durat formaliter in seipsa duratione quadam indiuisibile, sed ab hac duratione sufficienter mensuratur, cum sit tota simul, & vniformiter se habens, ac proinde nobilior duratione temporis, quæ est successiua & accidentalis, hæc enim ratione supræmus Angelus mensuratur ab æuo, quod est in se ipso, quia est duratio vniformis, supræma ac tota simul; ergo non mensuratur tempore. Respondetur nihilominus negando antecedens. Ad primam probationem ex testimonijs Angelici Doctoris, ac Philosophi desumptam dicendum est, ad testimonium quidem Sancti Doctoris, illud opusculum non habere certum authorem, & si alijs Doctoris Sancti fuerit insertum. Vnde cum de eius vltima voluntate in prima parte summæ nobis certo constet in certo Authoris testimonio, non vincimur: illo tamen admisso ita explicandum est vt in prioribus verbis, *mobilia vero quantum ad id quod sunt*, ideſt quantum ad esse substantiale præueniens omnem motum, *non mensuratur tempore*, & *vnde hijs respondet nunc temporis, & non tempus*, ideſt non mensurantur tempore ratione partium diuisibilium, & successiuarum, sed ratione instantis continuatiui illarum, quod est totum simul, loquitur enim in hijs verbis non de eo quod mensurat, sed de ratione formali mensurandi, licet autem esse substantiale, quod est totum simul mensuretur à tempore, vt ab eo, quod mensurat, tamen ratio per quam tempus habet mensurare illud, non est partium successio, sed instans indiuisibile, vnde inceptio, siue generatio substantiæ corruptibilis per quam accipit suum esse totum simul fit in instanti, & non in tempore, eo quod incipit substantia intrinsice per primum sui esse, quod est nunc indiuisibile temporis. in illis autem verbis quæ subsequuntur, *mensurantur autem tempore quantum ad sunm esse, & suum successionem, vel durationem*, loquitur de duratione ipsius esse substantialis, non secundum se, & vt præuenit motum, sed vt subest fluxui motus, & de hoc dicit mensurari tempore ratione successionis partium eius subditque huius rationem, *quia duratio eorum non est tota simul*, ideſt duratio eorum vt motibus subsunt, alioquim duratio eorum secundum se indiuisibilis est, sicut essentia, de qua in priori parte dixerat esse totam simul, essentiæ autem indiuisibili, & permanenti, etiam correspondet existentia indiuisibilis, ac permanens, cum qua duratiu identificatur. Ad testimonium autem Philosophi respondetur illum loqui ibi de tempore ratione partium indiuisibilium seclusis instantibus indiuisibilibus præcisiua abstractione, & sic verum est, quod, ait mobile, à tempore mensurari ratione motus, & vt subest motui, sed cum hoc stat quod ratione instantis indiuisibilis mensuretur substantia ipsa mobilis, ac defficiens, à tempore, duo itaque habet tempus, secundum quæ substantiam mobilem ac defficientem mensurat, licet diuersi mode nempe partes successiuas, & instantia, ratione quidem illarum per se primo mensurat motus, & secundario substantiam vt subest motui; ratione autem horum mensurat perse primo ipsas substantias, aliasque formas permanentes defectibiles, vnde in fine eiusdem capitis 11. subiungit, *ipsum autem nunc sequitur id quod fertur vt tempus motum*, & quasi dicat sic se habet nunc (quod dixerat ratione existentiæ vnius primi mobilis esse idem secundum rem in toto tempore, licet diuersum secundum rationem) ad id quod mouetur sicut tempus, ideſt fluxus successiuus ad motum: non ergo est contra, sed potius iuxta mentem Philosophi, asserere quod tempus ratione fluxus mensuret motum: ratione autem ipsius *nunc*, quod vel est instans continuatiuum, vel est ipsa vnitas existentiæ primi mobilis mensuret substantiam permanentem mobilem. Ad secundam quod mensura, & mensuratum in hoc debent esse congenea; quod eo modo, quo mensurati duratio recedit à duratione diuini esse, eius mensura recedat à permanentia æternitatis iuxta sententiam nostri Doctoris vbi supra. Cum igitur substantiæ corruptibilis duratio sit defectibilis corporea, atque motui subiecta maxime recedit à duratione diuini esse, ac proinde mensura eius debet esse tempus, quod maxime à mensura æternitatis distat: potest etiam dici quod sicut duratio substantiæ corruptibilis est tota simul, ita correspondet ei mensura, quæ ratione instantis, vel *nunc*, quod est existentia primi mobilis est tota simul. Et iuxta primam solutionem negãda est, secun-

ſecunda pars maioris, iuxta ſecundam vero ad miſſa maiori, & minori negatur conſequentia. Ad tertiam quod potius eſt pro nobis iuxta iam dicta. Ad quartam duplex eſt modus dicendi, primus aſſerit durationes permanentes non eſſe menſuras earundem rerum, quarum ſunt durationes, eo quod ſunt idem cum exiſtentijs rerum, ſecundum quas deberent illas menſurare. Nihil autem menſurat ſeipſum, & quia menſura teſte Philoſopho 10. huius textu 2. *notam facit rei quantitatem*, huiuſmodi autem durationes permanentes cum ſint indiuiſibiles nullam habent quantitatem: neque vna habet maiorem latitudinem duratiuam, aut minorem quàm alia, ſed dicitur maior, aut minor ab extrinſeca temporis duratiua latitudine, cui coexiſtit, quatenus, ſcilicet per Dei conſeruationem vna maiori tempori coexiſtit, quam alia, aut è contra. Hijs accedit argumentum aliud Scoti, quod menſura ex natura rei eſt notior menſurato, ſed nihil eſt in ſubſtantia defectibili, aut etiam indefectibili notius ipſa, cum ipſa ſit ratio demonſtrandi, & notificandi omnes ſuas paſsiones; ergo cum duratio ſubſtantiæ corruptibilis ſit indiuiſibilis, & tota ſimul non erit eius menſura. Hæc ſententia eſt Durandi, vbi ſupra quæſtione 6. cui ſubſcribit Molina loco etiam præallegato articuli quinti, §. *vltimũ dubium*, & ex parte conſentit Scotus in ſecundo diſtinctione tertia, quæſtione tertia aſſerens ſupræmum æuiternum non menſurari æuo quod eſt in ipſo, & ſi alia æuiterno illo menſurentur: hoc vltimo ductus argumento: ſed verus modus dicendi eſt quod & ſi non quælibet duratio ſiue permanens, ſiue ſucceſsiua ſit menſura ſui ſubiecti, niſi ſit prima ac ſupræma in vniformitate intra illud genus: ſi tamen ſupræma ſit, & regulariſſima in ſuo genere, nedum alia ſui generis, ſed ipſum ens, cuius eſt duratio menſurabit. Quo pacto cum durationes rerum corruptibilium permanentium, licet in eſſe entis ſint perfectiores temporis duratione: tamen in eſſe indefectibilis minime, cum potius à tempore contineantur, & illo ſuperſtite illæ conſumentur, & conficiantur: propterea à illo menſurantur, & ipſæ non ſunt menſuræ, ſuorum ſubiectorum, niſi paſsiue quatenus ſunt id per quod ſubſtantiæ fiunt aptæ natæ menſurari à tempore. Et iuxta hunc modum dicendi ad formam argumenti, reſpondetur negando minorem. Illa enim duratio licet indiuiſibilis ſit, non ſufficit ad rationem menſuræ, quia non eſt prima in eſſe vniformis, & indefectibilis in ſuo eſſe; ſicut durationes corporum cœleſtium, & inferiorum Angelorum, licet indiuiſibiles, non tamen pertingunt ad rationem menſuræ. Et ad argumenta pro primo modo dicendi facta, quatenus probant huiuſmodi durationes non eſſe menſuras non opus eſt reſpondere, quia ſunt pro nobis: nihilominus quatenus etiam intendunt probare neque in ſupræmo ſui generis durationem indiuiſibilem eſſe menſuram ſui ſubiecti quantum ad eſſe reſpondendum eſt. Ad primum quidem nego conſequentiam, quia licet ſint idem ſecundum rem cum exiſtentia; tamen differunt ſuis rationibus formalibus, & hæc diſtinctio ſufficiens eſt ad rationem menſuræ, & menſurati, vt ſuperius docuimus. Ad ſecundum quod huiuſmodi durationes habent quantitatem virtualem, & latitudinem duratiuam finitam alteri commenſurabilẽ, quia licet partes non habeat formaliter habet tamen illas virtualiter, & non ſolum in coexiſtendo maiori, aut minori tempori, licet enim eo exiſtentia Angeli ſupræmi, & inferioris ſit æqualis tamen abſolute maior intenſiue ideſt, magis perfecta, & vniformis eſt duratio ſupræmi quam Angeli inferioris. Ad tertium negatur minor: & enim æuum exiſtens in primo æuiterno ſiue ſit eius exiſtentia, ſiue aliquid aliud eſt notius ſubſtantia illius, vt immutabile, in ratione menſuræ eo quod æuum nihil aliud eſt quam vnitas per modum menſuræ talis immutabilitatis, ac proinde æuum eſt formaliter vnitas cui per ſe primo debetur ratio menſuræ. Subſtantia autem ſic immutabilis, non per ſe primo ſed denominatiue eſt vna, quam denominationem importat nomen æiterni, conſtat autem vniuerſaliter quod id quod eſt formaliter tale certius, & notius eſt ex natura rei, eo quod eſt denominatiue tale, vnde quamuis ſubſtantia primi Angeli ſit ſimpliciter notiſsimum omnium, quæ de illo demonſtrari poſſunt, tamen æuum in ratione menſuræ eſt notius illa, ſicut licet ſubſtantia corporea ſit notior ſecundum ſe quantitate, & tempore: in genere tamen menſuræ, hæc ſunt ſecundum ſe notiora, vt egregie reſpondet Caietanus articulo ſexto, quæſtionis 10. ad argumentum Scoticum pro defenſione ſententiæ ſui Autoris.

AR-

ARTICVLVS II.

An tempus sit ens reale, independenter ab operatione intellectus completum & consumatum esse habens, à parte rei.

9 IN hoc articulo tres versantur sententiæ, vna est veluti media, & aliæ extremæ harũ 1. affirmat absolute tẽpus nullũ habere esse reale seclusa intellectus operatione, sed solũ in intellectus imaginatione cõsistere, quatenus dũ mobile spatiũ pertrãsit, accipit ipsum intellectus, vt ante, & post, siue vt prius, & posterius, quę tamẽ extra intellectũ nihil sunt, & cõsequẽter, neque tẽpus ex eis cõpositũ aliquid reale est: hãc tenuerũt quidã antiqui Philos. quos refert, & refutat Magn. Albert. 4. Phisico, tract. 3. cap. 1. & in somma de quatuor cõtinuis, c. 10. 2. affirmat absolutè, & omnibus modis tẽpus esse ens reale, habẽs realẽ, & determinatã aparte rei existẽtiã, etiã pro vt est numerus motus secũdũ prius, & posterius, & nõ solũ in quãtũ est successiua, atque cõtinua duratio, quã tuetur auctor illius opusc. 44. q̃ inscribitur de tẽpore c. 1. Tolet. 4. Phis. q. 15. Perer. lib. 12. de principijs c. 1. & alij iuniores, qui & illã attribuũt Alb. Mag. super eũdẽ 4 Phis. c. 10. 3. & media asserit tẽpus quid reale esse, quoad intrinsecã, & essentialẽ rationẽ formalẽ eius cõpleri tamẽ per aliquid rationis, & quia ratio essentialis eius est, mora, & duratio successiua, cõplemẽtũ vero, q̃ sit numerus cõpositus ex distinctis partibus, videlicet ex horis, diebus, mẽsibus, & annis propterea docẽt auctorẽs huius sentẽtiæ rationẽ moræ, ac durationis in tẽpore realẽ esse rationẽ vero numeri, per quã diffiniuit illud Arist. esse quid rationis, ita habet D. Th. 4. Phis. lect. vlt. & in 1. dist. 19. q. 2. art. 1. cuius sentẽtiã sequũtur Capreol. in 2. dist. 2. q. vn. Hispal. ibid. Ferrar. lib. 1. cõtra gen. c. 19. auctor fabulę aureę dub. 1149. Iauel. 4. Phi. q. 24. art. 2. Sot. q. 4. & Conimbr. ibid. c. 14. q. 1. art. 2. Suar. to. 2. Metaph. disp. 50. sect. 10. & Mol. 1. p. q. 10. art. 1. disp. 3. In explicãdo autẽ huius modi cõplemẽtũ, q̃ tẽpus accipit â ratione in tres modos dicendi prædicti auctores diuiduntur. Alij, nãque de quorum numero est Soto asserunt compleri tempus per actualem distinctionem partium, videlicet, horarum, dierum, mensium, & annorum, ratione cuius sit numerus prioris, ac posteriores, sicut natura animalis in ratione generis completur per secundam intentionem, vnde sicut natura, quæ est genus aparte rei reperitur in individuis, genereitas autem conuenit illi per intellectũm, ita tempus pro substracto, seu res quæ est tempus est præter operationem intellectus; tamen quod sit numerus in quo consistit formalis ratio temporis habet per intellectus operationem, eundem modum sequti fuere postea Suarez, & Conimbricenses, qui dicunt in motus primi mobilis duratione vniformi regulari, & apta nata vt possit intellectus distinguere in illa horas, dies, menses, & annos, & aplicare ad mensurandum, saluarĩ fundamentum, siue substractum temporis, postea vero per actualem distinctionem, designationem partium, & aplicationem ad mensurandum fieri tempus formaliter, & quemadmodum signum ad placitum pro substracto est ens reale, sed pro formali dicit relationem signi rationis, quæ ad libitum ab intellectu attribuitur vocibus, aut etiam rebus: ita tempus pro substracto est reale quid, scilicet motus primi mobilis, pro formali vero importat rationem numeri, & mensuræ actualis, quam ad libitum attribuit intellectus potius motui primi mobilis, quã aliis eò quod videt illum esse regulariorem, & aptiorem ad notificandum aliorum durationes, subditque Suarez in præallegata sectione 10. §. *quarta assertio* quod hæc est natura temporis, & compositio, quæ â nobis non potest amplius declarari: horum fundamentum desumitur: tum ex diffinitione Philosophi diffinientis tempus, & numerum, & qua proculdubio declarat essentiam, & quidditatem temporis, ac proinde eius formalem rationẽm, sed talis numerus, discretio, ac distinctio partium non datur in motu primi mobilis ante operationem intellectus, quia realiter est continuus: ergo. Accedit pro horum opinione: eiusdem Philosoph. testimonium ex textu. 131. 4. Phisicorum vbi secundum Ioannis Argyropili translationem, sic habet: *Impossibile est si anima non sit tempus esse nisi id quod subiecto est tempus si fieri potest, quod sit sine anima motus, &c.* Ac si diceret ante operationem intellectus non dari tempus pro formali, sed duntaxat pro substracto: Alij vero ex discipulis sancti Doctoris, quibus etiam subscribit Molina, existimantes tempus propriè, & formaliter sumptum non supponere pro actuali numero partium aut pro actuali mensura corruptibilium, sed tantum pro aptitudinali, hoc est pro ea

duratione, quæ habet aptitudinẽ ad fundãdã distinctionẽ horarũ, dierũ & ad mensurandũ aliorũ motus, & operationes, cũ hęc aptitudo insit motui primi mobilis, dicũt tẽpus quoad essentialia, neq; cõstitui, nec cõpleri per aliquid rationis, sed tãtũquoad rationẽ actualis numeri, & mẽsurę actualiter aplicatæ ad mẽsurãdũ, quæ est accidens rationis superuenies tẽpori, sicut significatio vocibus, & secũda intẽtio generis rebus per intellectus operationẽ superuenit accidẽtaliter. Alij existimãtes vtrãq; rationẽ esse de conceptu temporis: illam quidem vt essentialem, ac formalem hanc vero vt cõditionẽ copletiuã dicũt tẽpus in sua essentia compleri per aliquid rationis.

10 Ex quibus modis placet nobis secundus qui veritati, Philosopho, ac Angelico Doctori conformior est, & ideo illum statuo pro conclusione à nobis sustinẽda, quę duas continet partes, quarum prima aduersus auctores primæ sententiæ, & primi modi deffendendi tertiam statuitur, & probatur primo. Tẽpus secundum suam rationẽ formalem est quid reale: nam D. Thomas in loco proxime citato comparat æternitatem tempori, vt sicut tempus est numeratio prioris, & posterioris, ita æternitas sit aprehẽsio vniformitatis diuini esse, sed æternitas licet in ratione mensuræ compleatur per intellectum, tamen hoc nõ obstat quominus secundum quod est duratio diuini esse sit realis: ergo licet tempus in ratione numeri cõpleatur per aliquid rationis, nihilominus in ratione durationis ens reale erit. Secundo probatur: nam tempus est duratio motus primi mobilis successiua, hæc enim ex natura sua est certa, regularis & vniformis, vt posset alios motus mensurare. Sed hæc est realis independens ab anima vt sic: ergo, & tẽpus. Maior patet, quia tempus nihil aliud est quam mensura successiuorum, & rerum corruptibilium, mẽsura autem eorum, quæ sunt in genere aliquo est primum illius generis. Minor vero probatur, quia duratio, & mora motus primi mobilis est illius existentia continuata, quæ realis est, & verum ens reale successiuum habens partem extra partem, nempè præteritam, & futuram, quæ per instans copulantur, ac proinde vt sic est species quãtitatis, saltem reductiuè: ergo. Confirmatur primo: nam sicut locus est mensura extrinseca rerum permanentium, nempè corporum locatorum: ita tempus est extrinseca mensura successiuorum, & eorum, quæ sunt in tempore, sed locus ex natura rei est mensura locati, & corpus ante operationem intellectus est in loco: ergo etiam tẽpus ex natura rei est mensura successiuorum, maximè cum etiam res ante operationem intellectus dicantur esse in tempore sicut dicuntur corpora esse in loco. Cõfirmatur secundo: nam habet conditiones & proprietates entis realis: ergo est ens reale: antecedens probatur: nam est duratio intrinseca ipsius motus primi mobilis, quę est vel eius existentia, vel cõtinuatio illius vt dictum est, sicut etiam in rebus permanentibus duratio nihil est aliud quam permanentia existentiæ earundem: rursus est forma extrinseca prędicamenti, *quando*, sicut locus est forma extrinseca prędicamẽti, *vbi*, & vestis prædicamenti, *habitus*, quæ formæ reales sunt. Denique est motus primi mobilis ex natura sua aliorum mensura: eò quod est vniformior, certior, & notior, sed esse durationem formam extrinsecam, alicuius prædicamenti, & mensuram ex natura rei, sunt prædicata realia: ergo. Tertio probatur supponendo tempus esse in motu quo primum mobile ab oriente in occidens intra spatium 24. horarum rapitur, & secum alios inferiores rapit orbes, licet alij orbes proprijs gaudeant motibus: octaua namque sphera motu trepidationis, siue accessus, & recessus: orbes autẽ planetarum ab oriente in occidens suis motibus circunferuntur: eò velocioribus, quò à primo mobili magis elongantur, & consequenter minus impedientur, verbi gratia, lunæ orbis intra spatium 27. dierum, Mercurius, Venus, & Sol: intra spatium vnius anni plus, minusvè. Mars duobus annis Iupiter 12. Saturnus 30. annis suos motus cõsummant, velocissimus tamẽ, atque omnibus vniformior est motus primi mobilis, qui dicitur diurnus, eo quod fit ab oriente per occidẽs rediẽs iterũ in orientẽ, & in 24. horis cõsumatur, est autẽ in 1. mobili, æqui noctialis linea, quæ ipsum pingit per mediũ, secũdũ quam adhuc hic motus vniformior, & velocior est, eò quod quo partes sphęræ primi mobilis sunt polis propinquiores, eò tardius mouẽtur, quia intra spatiũ 24. horarũ minus spaciũ percurrũt, & è cõtra quo æquinoctiali apropinquãt, eò velocius mouẽtur, quia intra eandẽ morã maius percurrũt spatiũ, & cũ æquinoctialis sit in medio totius sphęræ est quæ velocissimè mouetur: æquinoctialis: nãque vt diffinit auctor sphęræ cap. 2. est circulus diuidens sphæram in duo æqualia secundum quanlibet sui partem æque distans ab vtroque polo: & dicitur æquinoctialis, quia quando Sol transit per illum (quod est bis

in

in anno in principio ſcilicet, Arietis & in principio libræ, eſt æquinoctium in vniuerſa terra, vnde etiam appellatur æquator diei, ac noctis, quia diem artificialem a dæquat nocti; quia igitur in nona ſphæra huius circuli motus eſt velocior, & notior, ideoportiſſimè in illo vt ſic quatenus eſt motio æquinoctialis ineſt tempus, nempe illa mora, quam iſte circulus conſumit in progreſſu ab oriente in occidens, & regreſſu ab occidente in oriens, & quia conſtat hic circulus ex duodecim partibus æqualibus quarum quælibet habet 30. gradus, qui omnes conficiunt 360, mora quam conſumũt ſingulæ partes in egrediendo ſupra noſtrũ Horizontẽ eſt æqualis, continetque duodecimam partẽ vnius diei naturalis, quæ eſt mora duarum horarum, & conſequenter mora illa, quã conſumunt quindecim gradus eiuſdẽ æquinoctialis in egrediendo ſupra Horizontem eſt vna hora, vnde cum ſint 24. partes æquales in illa, ſingulæ gaudentes 15. gradibus hinc fit vt 24. horas cõſumat totus circulus, ſupra Orizontem egrediens: & per huius moram, ac durationem aliorum orbium cœleſtium, ac ſublunarium corporum motus cognoſcimus, atque metimur; ſcimus namque motũ ſolis durare per vnum annum, quia coexiſtit, 365. circulationibus primi mobilis, & ſic de alijs: hoc ſuppoſito tale conficimus argumentũ: mora, & duratio quã conſumit circulus æquinoctialis ſuo velociſſimo motu eſt tempus, & hæc eſt aliquid reale, habetque partes reales: ergo, & tempus aliquid reale eſt ex partibus realibus conſtãs.

11 Secundam partem concluſionis, nẽpè quod complementum accidentale temporis ſit quid rationis, probatur 1. prænotãdo quod tempus dupliciter poteſt accipi, vno modo pro mora, ſiue duratione motus primi mobilis, & præcipuè circuli æquatoris, in qua acceptione proredit prima pars noſtræ concluſionis. Alio modo poteſt accipi pro eadem duratione ſucceſſiua non abſolutè, & ſecundũ ſe, ſed prout deffinita ab anima, atque conſtitutiua tanta, vel tanta: vt enim anima ad placitũ deſinit vlnam, verbi gratia, in menſuram quarundam rerum permanentium, ſic etiam definit, ac ſtatuit diuerſas partes temporis putà diem, horam, annum, & menſem admetiendas res ſucceſſiuas, atque obnoxias mutationi, & licèt in duratione reali, ac mora motus primi mobilis ſit aptitudo, & capacitas vt huiuſmodi partes intellectus diſtinguat, ac numeret tamen actualis ſignatio, atque earum diſtinctio opus rationis eſt, & in hac acceptione definitum fuit tempus à Philoſopho vbi ſupra per numerum motus ſecundum prius, ac poſterius, ac proinde pẽdet ab anima: quibus prænotatis probatur primo hæc pars: nam tempus prout eſt numerus prioris, & poſterioris in motu importat tanquam ſui complementum actualem diſtinctionem partiũ: ſed hæc eſt aliquid rationis, etenim à parte rei omnes eius partes ſunt vnitæ & termino communi copulantur: ergo vt ſic cõpleturper aliquid rationis. Secundo: nam tempus complete ſumptum in ratione mẽſuræ importat proximam potentiam ad generandum: ſed proxima potentia egeet hac actuali partium diſtinctione horarum, ſcilicet, dierum, menſium, & annorum antecedenter enim ad hanc diſtinctionem tempus duntaxat eſt in potentia remota admetiendos aliarum rerũ motus, & actiones, & ſic poterit quidem dici tempus in prima acceptione, ideſt prout eſt duratio motus primi mobil ſupra nata aliorũ motus menſurare, non tamen in ſecunda prout tempus completam, & proximam rerum corruptibilium, ac motum menſuram dicit: ergo vt ſic completur per aliquid rationis, nempè per diſtinctionem partium, quam cum fundamento in re operatur intellectus: vnde merito æternitas in ratione menſuræ æquiparatur tempori à D. Thom. vbi ſupra, quia ſicut illa vt menſura diuini eſſe, ita & iſtud vt proxima menſura corruptibilium ab intellectu accipit complementum. Fauet huic parti Philoſophus 4. Phiſico. textus, 131. ſecundum antequam translationem: dicens: *Impoſſibile eſt tempus eſſe ſi anima non ſit, niſi hoc quod vtcumque ens eſt tempus, vt contingit motum eſſe ſine anima*: ac ſi diceret, quod tempus ita ab anima dependet, vt ſine illius operatione non poſſit dari perfectum, ac completum, ſed imperfectum duntaxat. Quod autem Philoſophus loquatur non de complemento eſſentiali, ſed de accidentali ipſius temporis, patet, quia loquitur de tempore vt ſubeſt actuali numerationi, in qua acceptione ſæpius Philoſophi ac ſancti Patres accipiunt hoc nomen *tempus*, vnde ſenſus translationis Argyropili non eſt ille quem ellicit Soto, ſed quem ibi ellicit D. Thomas in hæc verba: *Sic igitur tempus non habet eſſe extra animã, niſi ſecũdũ ſuã indiuiſibile ipſa tamẽ totalitas tẽporis accipitur per ordinẽ animæ numerãtis prius, & poſterius in motu, vt ſupradictũ eſt,*

& ideo ſignanter dicit Philoſophus, quod tempus non exiſtente anima eſt vt cunque ens, ideſt, imperfectè, ſicut & ſi dicatur, quod motum contingit eſſe ſine anima imperfectè, & in quibus adnotat D. Thomas, ſic tempus dependere ab anima ſicut motum: motus autem non dependet quo ad eſſe eſſentiæ ab anima, ſed tantum quoad complementum eſſe exiſtentiæ, quia ſolum exiſtit ſecundum vnum indiuiſibile medio quo partes copulantur, & ab anima accipiuntur, vt præſentes, ita tempus tantum exiſtit ſecundum vnum *nunc*, indiuiſibile; prius tamen, & poſterius, quæ ſunt partes eius accipiuntur ab anima vt præſentes; & propterea dicitur extra animam eſſe imperfectè ens, id eſt imperfectè exiſtens, & hoc inſinuare voluit Philoſophus dicens, ſecundum antiquam tranſlationem: *vt eumque ens eſt tempus*, & ſecundum alteram Argyropili, *id quod ſubiecto eſt tempus*, ex quo patet etiam ad argumentum, quod ex diffinitione aſsignata ab eodem Philoſopho prædicti auctores obijciunt, cum enim verba indiffinitione non dicant actum, ſed aptitudinem, *numerus motus*, in diffinitione temporis non ſupponit pro actuali numero, & partium diſcretione, ſed tantum pro aptitudinali, & hæc realis eſt, vnde in prælegato textu 131. poſt verba recenſita ſubdit Philoſophus: *Prius autem, & poſterius in motu ſunt: tempus autem hæc ſunt, ſecundum, quod numerabilia ſunt*: ac ſi dicat partes præteritas, ac futuras, dies, horas, menſes, & annos conſtituere ipſum tempus, non in quantum ſunt actu diſtinctæ, & numeratæ, ſed quatenus ſunt numerabiles, id eſt aptæ vt ab intellectu actualem accipiant diſcretionem, ac numeri numerati formalitatem: vndè falſo Molina vbi ſupra aſſerit tempus ſecundum, quod diffinitur â Philoſopho per numerũ motus eſſe quid rationis, aut â ratione dependens, quia reuera diffinitur quoad eſſentiam, & illa diffinitione explicat Philoſophus temporis quidditatem, quæ non in actuali, ſed in aptitudinali partium deſignatione, & aplicatione conſiſtit, & hanc importat nomen numeri poſitum in diffinitione temporis, neque alibi melius quidditatem temporis Philoſophus nobis expoſuit, verum eſt quod tempus in ſecunda acceptione, ideſt, vt ſubeſt actuali partium numerationi ſic diffiniatur, dicetur numerus ſecundum prius, & poſterius, ſed non accepto hoc nomine pro aptitudinali, ſed pro actuali numero numerato, quandoque nomen æquiuocum eſt gaudens duplici ſignificatione, & propterea tempus gaudere diximus etiam duplici acceptione, in quarum prima importat durationem vniformem aptitudinalemque menſuram repertam in motu primi mobilis, quæ realis eſt: in ſecunda vero importat eandem vt ſubeſt actuali deſignationi, ac partium diſcretioni, in qua Philoſophus accepit illud: dum dixit tempus pendere ab anima, & Auguſtinus 11. confeſsionum capit. 28. ipſum opus animæ appellauit, quia tamen abſolutè, & ex parte rei ſignificatæ hoc nomen *tempus*, importat realem illam vniformem durationem aptam ad menſurandum, numerumque fundamentalem, ideò abſolutè dicendum eſt tempus eſſe quoad eſſentialia quid reale, ſecundum quid tamen, & quoad accidentale complementum eſſe quid rationis: quod importat ipſum nomen ſecundum aliam minus principalem ſignificationem, ſiue acceptionem. Ex hijs patet quale iudicium debeat ferri de ſententijs. Primam namque oſtendimus abſolutè falſam aqua parum aut nihil differt primus modus deffendendi tertiam, prima vero ſententia poteſt ad concordiam cum ſecundo modo deffendendi tertiam reuocari, auctores enim illius ſolum loquuntur de tempore quoad eius eſſentialia, & ſic verum eſt illud eſſe omnibus modis ens reale, cum quo ſtat aſſertum aliorum, nempè quod accidentaliter, & complete ſumptum quo ad vltimam perfectionem, & in ſecunda acceptione eiuſdem nominis, tempus importet aliquid rationis. Tertius modus deffendendi tertiam quia complementum rationis ponit intrinſecum, & eſſentiale tempori eiſdem argumentis conuincitur falſitatis, quibus refutauimus primam ſententiam, & ſi non equali gradu falſitatis claudicet, quandoque falſitas ſuſcipit magis, ac minus, vt alias oſtendimus.

12 Sed contra arguitur primo, contra noſtram ſententiam ab auctoribus primæ: tempus in ſua ratione formali conſtituitur per actualem partium diuiſionem, atque deſignationem; ſed hæc eſt aliquid rationis: ergo. Minor patet, quia numerus, ac diſcretio in rebus continuis eſt quid rationis, & maior proba-

probatur: tum quia de ratione temporis est non solum continuitas, sed etiam discretio, est enim numerus secundum prius, & posterius, numerus autem etiam numeratus petit actualem partium distinctionem: tum etiam quia D. Thom. in locis citatis, & expressius in 1. dict. 27. quæst. 4. art. 3. & in 2. dict. 12. art. 5. ad 2. ait tempus includere duo alterum de materiali, quod pertinet ad quantitatem continuam, & alterum de formali, quod pertinet ad quantitatem discretam, sed discretio partium in illo est quid rationis: ergo. Respondetur negando maiorem; ad primam probationem: quod de ratione essentiali temporis non est actualis numerus numeratus, sed tantum aptitudinalis, & in eodem sensu ait D. Thom. numerum esse formale temporis: potest etiam dici, quod D. Thom. lo quitur de tempore secundum vltimã perfectionem, & complemẽtũ, hoc est, prout tempus accipitur pro mensura actualiter aplicata ad mensurandum, vel in potentia omnino proxima, & expedita prout deffinita est à nostro intellectu, & distincta per dies, menses, & annos; sed quia vltimum complementum, atque vltima perfectio sumitur in rebus ab earum actibus accidentalibus teste eodem D. Thom. 1. part. quæst. 5. artic. 1. ad primum: propterea licet tempus secundum essentiam non importet actualem partium numerum, illum tamen importat de formali vt subest suæ vltimæ perfectioni, quæ illi accidẽtalis est, & quia accidens entis realis potest esse respectus rationis: propterea ait D. Thom. tempus de formali importare numerum, qui est respectus rationis ad partes actu designatas, quod non de tempore secundum eius essentiam, sed de illo secundum eius vltimum complementum, ac perfectionẽ est intelligendum. Secundo arguitur: tempus formaliter potest aduenire sphæræ nonæ, absque eius reali mutatione: ergo non est quid reale: antecedens patet, nam anihilata decima sphera, in cuius motu de facto est tempus, eo ipso sine alia noua actione esset formalitas temporis in motu nonæ: eo quod inciperet esse vniformior, & primus, atque independentior in genere motus: ex vi autem solius anihilationis alterius non posset in illa produci aliquod accidens reale: ergo. Respondetur dupliciter ad hoc argumentum primo: quod supposita anihilatione nonæ sphæræ non resultaret formalitas temporis sine noua actione, eoquod proprius motus conueniens ei ab occidente in orien non est vniformior modo de facto, nec velocior, sed potius tardior, peragitur enim, vel 36. millibus annis secundum Ptolomeum, vel 49. millibus secundum iuniorũ Astrologorum obseruationes, propterea quod magis à motu primi mobilis impedi tur. Tunc autem deficiente illo, iam motus hic fieret velocius, ac proinde diuersimode moueretur nona sphera ab intelligentia siquidem velociorem motum reciperet: forte enim secluso impedimento retardante perageretur motus ille intra spacium 24. horarum, vel alium motum reciperet ab intelligentia, quo è contra ad instar primi mobilis ab oriente in occidens raperetur, & consequenter nõ absque noua mutatione, aut noua eiusdem mutationis velocitate, resultaret in illa formalitas temporis. Secundo, respondetur, quod sicut in vno extremo ad positionem alterius communicantis in eadem forma resultat relatio similitudinis ex vi antiquæ actionis, per quam sicut accepit formam, accipit radicem, ac fundamentum similitudinis, & ipsam similitudinem in via, ac veluti inchoatam, atque in tali dispositione, vt secluso impedimento per alterius correlatiui existentiam statim in illo resultaret, sicut motus secluso impedimento resultat in graui ex vi generationis, per quam accepit à generante formã, atque grauitatem, aut dissimiliter nona sphera ex vi suæ creationis accepit fundamentum, & radicalem temporis vniformitatem, atque durationem quæ posset secluso impedimento reduci ad actum licèt de facto per coexistentiam alterius mobilis nobilioris, atque vniformioris fuerit à tali actuali temporis resultantia impedita: vndè quod operatur respectu resultantiæ relationis in vno extremo, productio alterius, operaretur anihilatio primi mobilis respectu resultantiæ temporis in nona sphæra, nempè prohibentis remotionem; directè autem sicut relatio consequitur ex vi antiquæ generationis subiecti relationis, ita formalis ratio temporis ex vi creationis nonæ sphæræ in ipsa resultaret. Tertio arguitur: illud est continuum, ac compositum reale cuius partes actuantur existentia reali, sed partes temporis, nempè, præteritum, & futurum non actuãtur reali existentia, solum enim vnũ nunc indiuisibile existit: ergo nõ est ens reale. Confirmatur: nam si esset essen-

ria temporis in continuitate realicõſiſtens eſſet extenſum per ſe ipſum tẽpus, ac proinde eſſet formaliter ſpecies quantitatis, quod tamen repugnat his, quæ circa prædicamentum quantitatis docuimus: ergo, ſequela patet quia haberet per ſe partes, partes in quam reales nempe præteritum & futurum, quæ termino communi copulãtur, ſcilicet vno inſtanti, neque propterea eſſet extenſum per accidens, quia ſequitur eius extenſio ad extenſionem motus tum multoties contingat moras duorum motuum æqualium eſſe in æquales, & è cõtra: ſi enim duo homines perambulant ſpaciũ vnius leucę in tempore in æquali, alter per vnam horam, & alter per duas; motus ſunt æquales, & morę in æquales, ſi autem alter perambulet ſpacium duarum leucarum, dum alius vnam leucam perambulat, motus ſunt inæquales, & morę æquales, quod eſt manifeſtum ſignum aliam eſſe motus, & aliam durationis extenſionem, ac proinde tempus eſſe per ſe extenſum. Propter hoc argumentũ eſt duplex modus dicendi. Primus quorundam diſcipulorum ſancti Doctoris, qui ipſum, ac Philoſophum minus benè interpretantes dicunt partes tẽporis non eſſe actu exiſtentes per ſe, ſed tãtum ſecundum quid & ratione inſtantis: quorum fundamentum eſt quia ſcilicet partes eius ſunt præteritum, & futurum, præteritum iam non exiſtit quando eſt præteritum, & futurum nondũ exiſtit quando accipitur vt futurum: quod cõfirmant ex ſui auctoris teſtimonio proximè allegato videlicet 4. Phiſic. lect. 23. vbi hanc ſententiam verbis expreſsis atteſtatur dicens, iuxta Phiioſophi mentem, ac contextum, motus pariter, atque temporis ſolum vnum indiuiſibile exiſtere extra animam, ipſam tamen temporis, ac motus totalitatem, quæ ex partibus reſultat accipi ab anima.

Vera exiſtentia partiũ ſucceſsiuarũ temporis ſtabilitur.

Secundus modus, & verus eſt aliorum qui dicunt in entibus ſucceſsiuis exiſtẽtia ſimultanea ſolum vnicum indiuiſibile exiſtere, tamen exiſtentia ſucceſsiua, quæ in fieri, & fluxu conſiſtit, etiam partes realiter exiſtere: diſtinguntque namque, & merito duplicem exiſtentiam, alteram ſimultaneã quæ eſt propria permanentium, ex vi cuius totum ens ſimul ſit prę ſens, & extra cauſas ponitur, & hoc modo exiſtẽdi nihil eſt in entibus ſucceſsiuis, quod exiſtat niſi illud indiuiſibile, quod quia eſt partiũ expers eſt totum ſimul, & in motu dicitur mutatũ eſſe: in tẽpore autem inſtans nuncupatur, alteram ſucceſsiuam in fluxu quodam conſiſtentem ex vi cuius nequit ens, quod illa actuatur exiſtere totum, ſed ſucceſsiue & pars poſt partem, & huiuſcemodi exiſtentiam habent partes entium ſucceſsiuorum, puta motus, ac temporis, quæ illis terminis indiuiſibilibus coputãtur, quod probatur primo: nam teſte D. Thom. in 2. d. 1. quęſt. 1. art. 2. exiſtentia entis ſucceſsiui eſt fieri ipſius, ſed partes temporis verè, & realiter fiunt, & ſuccedunt: ergo verè, & realiter exiſtunt exiſtentia ſibi proportionata, quæ in fieri, ac fluxu conſiſtit. Secundo quia alias tempus non eſſet ens reale, quod eſt contradicta, ſiquidem non haberet partes reales, pars enim realis nequit eſſe, quæ exiſtentiæ reali non ſubeſt, nec ſubeſſe poteſt: ſed partes temporis ſecundum oppoſitam ſententiam, neque vnquam fuerunt ſub exiſtentia reali, neque per aliquã viam realiter tranſierunt: ergo non ſunt reales. Tertio, aut pars præterita verbi gratia, actuatur exiſtentia propria, aut exiſtentia inſtantis, aut nulla: ſi primum habemus intentum: ſi ſecundum non poteſt ſuſtineri quia exiſtentia inſtantis ſolum actuat ipſum inſtans, ſicut inſtans eſt indiuiſibile: ac proinde aliud à parte diuiſibili, ita exiſtentia inſtãtis eſt indiuiſibilis: ac proinde debet eſſe alia ab exiſtẽtia partis diuiſibilis. Si detur tertiũ ſequitur planè partes illas eſſe quid rationis, quarè dicẽdum eſt quod antequam aduenirat vnum inſtãs pars immediatè illud præcedens, quæ prior dicitur reſpectu ſubſequentis habet ſuã exiſtentiam ſucceſsiuam per quã exiſtit ſucceſsiuè, & pars poſt partem: cum enim ſit indiuiſibilis in infinitum conſiſtit in fluxu ſuarum infinitarum partium, quando autem aduenit illud inſtans, quod illã copulat cum parte ſubſequenti iam non exiſtit, ſed eſt præterita, & tranſacta ſecundũ ſe totam, quia primum eſſe inſtantis eſt primum non eſſe partis anterioris, exiſtitque tunc ſolum aliquid illius nempè inſtans, quod illam copulat, atque terminat. Vndè ad argumentum factum negãda eſt minor: ad teſtimonium autem Angelici Doctoris atque Philoſophi dicendum eſt ipſos loqui de exiſtentia ſimultanea, & hanc verũ eſt ſoli inſtanti conuenire, vndè ipſe D. Tho. Paulo ante premiſſerat circa motus ſucceſsionem, ac modum exiſtendi: hæc verba. *Si ergo motus haberet eſſe fixum in rebus, ſicut lapis, vel æquus, poſſet abſolutè dici, quod ſicut etiam anima non exiſtente eſt numerus lapidis, ita etiam anima non exiſtente eſſet numerus motus, qui eſt tempus, ſed motus non habet eſſe fixum in rebus, neque aliquid actu inueni-*

uenitur in rebus nisi quodam indiuisibile, in quibus denotat partibus motus non realem, sed dumtaxat fixam existentiam esse denegandam, hæc autem est existentia simultatis, ab existentia per modum fluxus constituta. Aliud enim est habere esse reale, & aliud habere esse reale fixum; primum omnibus partibus motus, ac temporis conuenit, secundum vero solis nunc indiuisibili: quod si roges qua ratione ductus D. Thom. subdidit ibi totalitatem motus, ac temporis ab intellectu dependere, siquidem partes reales, ac realiter existentes eis non denegauit? Respondeo, quia huiusmodi entia successiua nequeunt intelligi sub existentia reali, nisi admodum entis permanentis, quod totum simul existit, & propterea ab intellectu accipiunt hoc accidentale complementum, dum intelliguntur partes eorum solum existere ratione indiuisibilis termini, hoc est, dum accipit illas, vt iam transactas, verbi gratia præteritas, & nondum factas, verbi gratia futuras, in solo indiuisibili copulatas, atque habentes in eo quandam existentiam simultatis, quæ cum eis sit extrinseca, & insufficiens ad illas ponendum extra animam, per intellectus operationem fiunt, & accipiuntur intra animam sic copulatæ per illud indiuisibile, ac si reuera existerent, cum tamen ex vi illius non existant extra animam: huius etiam sententiæ est auctor opusculi 44. c. 1. vbi præfata verba sancti Doctoris videtur referre, atque retractare, quod si idem auctor vtriusque fuisset sanctus Doctor merito possemus existimare ipsum in opusculo sententiam quam tenuerat in 4. Phisico retractasse, sed quia ipsum fuisse auctorem commentarij super quartum Phisico, certo constat, maluimus sententiam auctoris opusculi tenere, retractationem autem verborum non admittimus, sed illis congruentem, ac perspicuam expositionem adhibemus. Ad confirmationem respondetur, negando sequelam, neque enim illa existentia quæ per se, id est essentialiter conuenit tempori sufficit constituere ipsum in ratione quanti per se, quia non est primordialis extensio, sed imperfecta, ad alterius nempe motus, & spacij extensionem consequta, & licet extensio illa duratiua vnius motus æqualis alteri, sit aliquando maior, quam duratio alterius, non tamen est maior, quam extensio motus, ad quam sequitur, sed ratione minoris velocitatis motus consequitur maior mora in vno quam in alio: vnde semper in motu est aliquid, ad quod latitudo durationis consequatur, qua propter inmerito Molina illo argumento conuinctus vbi supra quæst. 10. art. 1. dis. putat. 3. asserit tempus in ratione entis cõtinui, ac successiuæ durationis esse per se extensum, ac proinde veram speciem quãtitatis non solum in esse mensuræ, sed etiã in esse extensionis, quam tamen sententiã alibi latius impugnauimus.

ARTICVLVS III.

An exacta, & quidditatiua fuerit diffinitio temporis ab Aristotele assignata.

13 IN hoc articulo tres versantur sententiæ: prima fuit quorundam ex antiquioribus Philosophis, qui aliter diffiniendum tempus putarunt, eo quod non numerum motus, sed aut ipsam sphæram cœlestem, aut ipsum motum cœlestis sphæræ esse existimabant, ac proinde varias diffinitiones, seu descriptiones assignarunt, quas refert, & refutat Aristot. 4. Phisico cap. 1. Galenus de historia Philosophica, cap. 3. & Plutarchus lib. 1. de Philosophorum placitis, cap. 21. Plato namque in timæo, tempus esse conuersionem, seu motum cœlestem, verbi gratia, mẽsem circulationem lunæ, annum, cursum consumatum solis in sua sphera, & diem, vnius sapientissimæ conuersionis circuitum, affirmauit. Pithagoras vero esse sphera cœlestem dicebat; & Eratosthenes ipsum esse solis iter, diffiniuit. Aliique alijs descriptionibus temporis naturam putauerunt se exactius explicasse, quam per numerũ motus secundum prius, & posterius, quibus omnibus refutatis Aristot. primus omniũ nouam tempori diffinitionem assignauit, dicens cap. 11. tempus esse numerum motus secundum prius, ac posterius, in cuius explicatione est, secunda sententia asserẽtium diffinitionem hanc non esse quidditatiuam, sed tantum descriptiuam, eo quod non explicat id, quod est de quiditate temporis, sed tantum id, quod est ei accidentale nempe rationem mensuræ actiuæ; & actualiter mensurantis per actualem partiũ descriptionem. putant enim auctores huius sententiæ numerum hic accipi à Philosoph. pro numero numerato actuali; id est, pro actuali partium temporis descriptione, quæ est actualis mentura aliorum motuum, & accidens rationis superueniẽs tempori, vt explicuimus, art. præcedenti: ita sentiunt Molina vbi supra, Fonsec. 5.

huius cap. 13. quæſt. 9. ſect. 2. & Conimbri cenſ. cap. 14. quæſt. 9. art. 2. ſecundus ſenſus diffinitionis eſt tempus eſt numerus, id eſt, tempus eſt menſura actualiter aplicata motus ſecundum prius, ac poſterius propterea enim dicitur numerus ſecundū eorum intelligentiam, quia eius partes diſtinctæ, ac determinatæ ab intellectu accipiuntur ad metiendos motus ſublunares.

Tertia ſententia illam eſſe diffinitionē eſſentialem, acquiditatiuam affirmat. tempòriſque naturam vt eſt duratio ſucceſsiua, ac realis meſura exacte declararat, quā art. precedenti inſinuauimus. Illamque ſuſtinent D. Thom. ſiue auctor prædicti opuſcul. 44. cap. 1. & 2. Cōmentator, Themiſtius, atque ſimplicius ſuper cap. 11. 4. Phiſico, quibus Toletus, q. 12. Pererius lib. 12. cap. 2. & alij iuniores ſubſcripſere: vnde & illam pro cōcluſione ſtatuimus, quā probo 1. quia per eam explicatur genus, & diferentia temporis: ergo habenda eſt pro quidditatiua diffinitione: antecedens probatur, quia tempus conſiſtit eſſentialiter, vt art. præcedenti oſtendimus in latitudine illa duratiua, ſiue extenſione motus primi mobilis, quam habent partes motus in quantum vna eſt poſterior altera: ſed hæc eſſentialiter eſt numerabilis, in quo cōuenit eſſentialiter cum alijs rebus tam continuis, quam diſcretis, & alias ex propria, ac diferentiali ratione eſt numerabilis duntaxat: ſecunnus prius, & poſterius, quia ſolum conſtat ex partibus prioribus, ac poſterioribus, ex quarum fluxu, & ſucceſsione reſultat talis mora, ſiue extenſio duratiua: ergo. Secundo: nam tempus eſſentialiter, & realiter eſt menſura motuum ſublunarium quatenus eſt duratio motus vniformis videlicet illius, quo mouetur primum mobile menſura in quam non actu aplicata ad menſurandum ſed aplicabilis, vel apta nata ad menſurandum, at totum hoc declarat præfata diffinitio: ergo exacte exponit naturam temporis quatenus eſt ens reale. Min. patet, etenim numerus tripliciter poteſt accipi primo modo pro numero numerante, qui eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, & qui eſt formalis ratio numerandi. Secundo pro rebus ipſis numeratis, ſiue pro numero numerato, prout importat actualem rerum numeratarum diſcretionem. Tertio, pro numero numerato, ſeu numerali prout importat aptitudinalem partium diſtinctionem, quæ apta ſit actiuè menſurare, aut menſurari paſsiuè: quo pacto tres vlnæ panni ante actualem diuiſionem ſunt numerabiles, & conficiūt numerum aptitudinalem rerum numeratarum, & primam quidem acceptionē excludit Philoſophus ſtatim in ipſo cap. 11. dicens tempus non eſſe numerum illum, quo alia numeramus, ſed illum qui numeratur, quod autem non acceperit numerū numeratum pro actuali diſcreptione; probatur: tum quia hæc non eſt eſſentialis tēpori, ſed eſt accidens illius, & accidens rationis per opus enim rationis conuenit ei ab intellectu habere partes deſignatas, ac diſtinctas, quas vocamus horas, dies, & annos, cum ſecundum ſe, & eſſentialiter ſit quodam accidens continuum, cuius partes conſtituunt vnum, & alias cum verba in diffinitione non ſoleant importare actum, ſed aptitudinem, conueniēs eſt numerum in diffinitione temporis nō actualem, ſed tantum aptitudinalem diſcretionem importare: reſtat ergo vt numerus accipiatur tertio modo. Confirmatur, nā tēpus diffinitur vt accidens in abſtracto, ac proinde per ordinem ad ſubiectum in obliquo importatum: vnde dū numerus motus dicitur, motus ingreditur ibi vt ſubiectum temporis importatum in obliquo, & non vt obiectum duntaxat, ſed vt tempus eſt affectio motus, in quo ſubiectatur, eſt duratio continua, & ſucceſsiua, & tantum apta numerari: ergo etiam vt ſic dicitur numerus prioris, & poſterioris. Maior patet, quia hic eſt legitimus modus diffiniendi accidentia in abſtracto, quo pacto albedo diffinitur eſſe color corporis mixti aptus viſum diſgregare. & motus dicitur actus mobilis, ſeu entis in potetia, & ſic de alijs: igitur, & tempus per ordinem ad ſuum obiectum debuit à Philoſoph. & non ſolum per ordinem ad obiectū, hoc eſt ad motus menſuratos, quos reſpicit vt obiectū, ſiue materiā circa quā verſatur, diſiniri quare ſenſus primæ pārtis diffinitionis erit tempus eſt numerus, ideſt, duratio ſucceſsiua numerabilis motus, cui ineſt, & quia ſoli motui regulariſsimo, ac maxime vniformi ineſt, prohoc duntaxat motu ſupponit reſtrictè hic nomen motus: neque ex hoc licèt colligere vt falſocolligunt quidam iuniores, qui noſtram deffendunt ſentētiam ab hac diffinitione excludendam eſſe omnino rationem menſuræ actiuæ, quam putant eſſe proprietatem ad extenſionē ſucceſsiuam temporis conſequtam: nam cum duplex ſit menſura, alia actu aplicata ab intellectu, & veluti in potentia proxima ordinata ad menſurandum actum: ſiue iam actu menſurans, alia vero in potentia aplicata,

cata,& quæ radicalem aptitudinem ad mẽ ſurandum importat tempuſque non ſit aliud eſſentialiter quam duratio vniformis vtapta nata ad corruptibilia, & motus mẽ ſurandum,eius enim duratiua extenſio nõ ſpeciem quantitatis per ſe, ſed tantum ſpeciem menſuræ conſtituit, vt ex alibi dictis ſuppono: actus autem menſurandi, actualis aplicatio, atque deſignatio partium eſt illi accidentalis, dum à ratione eſſentiali temporis in prædicta diffinitione declarãtur rationem menſuræ, atque ordinem ad menſurabile excludimus,& ordinem durationis ad ſubiectum,cui ineſt ſub intelligẽdum affirmamus,non menſuram, ſiue ordine ad menſurandum in ſecunda acceptionem, ſed tantum in prima exiſtimamus excludi debere: in quo ſenſu auctores ſecundæ ſententiæ tempus numerum partium, atque actiuam menſuram appellabant,ſicque exiſtimarunt à Philoſoph.fuiſſe diffinitum,alioquim eo ipſo,quod tempus dicitur eſſe duratio vniformis numerabilis motus primi mobilis, licèt expreſſe ordo ad ſubiectum dumtaxat explicetur conſequenter tamen, & virtualiter ordo menſuræ tranſcendentalis ad menſurabile denotatur,potiſsima enim ratio quæ in tali vniformi duratione reperitur eſt quod ſit ſui motus, & aliorum menſura: ex quo patet in ſufficientia diffinitionum ab antiquis aſsignatarum.

14 Sed contra arguitur primo ex teſtimonio Auguſt.lib. 11. confeſsionum cap. 14. qui fatetur tempus notiſsimum eſſe quoad an eſt,ſed quod quid eſt eius ſe neſcire,*quid eſt ergo tempus* (ait Auguſt.) *ſi nemo ex me quærat ſcio,ſi quærenti explicare vel lim neſcio*:ſentit igitur Auguſtinus tempus diffinitionem quidditatiuam non habere,ſi quidem illa, quam Ariſtot. aſsignauerat, non latebat eum:accedit huic aliud ipſius Ariſtotelis teſtimonium cap.11.4.Phiſico text.103. vbi explanare ſuam diffinitionẽ: his verbis agreditur:*ſignum eſt autem, plus enim,& minus iudicamus numero motum autẽ plus, & minorem tempore, numerus itaque quidam tempus eſt*,& in quibus denotat ſe accipere numerum in diffinitione temporis pro illo,quo iudicamus,maius,aut minus, ac proinde,quo actu menſuremus: non igitur putauit ſe Ariſtot.quidditatiuam temporis diffinitionem tradidiſſe, ſed tantum accidentalem,atque deſcriptiuam. Reſpõdetur,ad hoc argumentum Auguſtin. non negare diffinitionem quidditatiuam temporis dari, neque profiteri ſe abſolute illã neſcire, ſed ſolum dificilem fatetur eſſe quidditatiuam temporis cognitionem, ac ſe non exactè interroganti illam poſſe tradere,& ſi illam ſibi habeat. Ariſtot. autem numerum,quo iudicamus maius,& minus accipiens in diffinitione temporis non illum ſecundum quod actu aplicatur ad mẽſurandum, ſed illum, ſecundum quod eſt aptus aplicari,& menſurare, denotat ſuſcepiſſe. Secundo arguitur:tempus eſt continuum, ſed numerus eſt quantitas diſcreta:ergo non debite diffinitur tempus quo ad eſsentialia per numerum: conſequentia probatur, quia nihil diffiniri debet eſſentiali diffinitione per genus extraneum atque diſparate ſe habens ad diffinitum, numerus autem etiam numeratus diſcretionem importat, quæ aliena à continuo eſt. Reſpondetur numerum numerãtem, & etiam numeratum ſecundum actualem diſcretionem partiũ, alienum eſſe ab ente continuo,quale eſt tempus: ſecus autẽ numerum numeratum ſecundum quod importat aptitudinalem diſcretionem,ac partium numerabilitatem, & ſic ponitur in diffinitione temporis: vndẽ iuxtà hanc diſtinctionem,minor eſt diſtinguenda. Tertio:nam illa ſecunda pars diffinitionis,videlicet ſecundum prius, & poſterius etiã ineptè ponitur in diffinitione quidditatiua temporis,quod ſic patet, aut enim per illã diuerſæ partes motus, cui ineſt tempus explicantur,aut diuerſæ partes eiuſdem temporis:neutrum poteſt dici,nõ primũ,quia alias partes temporis non eſſent aliæ à partibus motus,&conſequenter tempus à motu non diſtingueretur formaliter, & eſſentialiter, quod nullatenus eſt admittẽdum: neque ſecundum,quia alias tẽpus per ſuas partes integrantes,ſcilicet præteritum, & futurum, ac per conſequens per ſe ipſum diffiniretur, quod derogat artificioſæ, & quidditatiuæ diffinitioni:ergo. Confirmatur:nam prius, & poſterius denotant fluxum temporis continuum ex diuerſis partibus reſultantem,ac proinde pluribus inſtantibus tales partes indigerent, vt ſibi inuicem copularentur:at Philoſoph.4.Phiſico,cap.12.text.104. vnicum tantum eſſe nunc in toto tẽpora à teſtatur: dicens: *Eſt vero præſens momentum partim idem, partim non idem,quatenus etiam alio,& alio eſt diuerſum,quæ ipſius eſſentia, & ratio eſt: ſubiectum autem idem eſt*, & paulò infra *partim igitur ilem ſemper, partim non idem præſens momentum,dicitur ſiquidem ad id quod fertur*: ergo non ſunt admittenda plura inſtãtia. Reſpõdetur ad argumẽtũ negando antecedens, ad probationẽ:neganda eſt minor pro prima

ma parte, licèt enim tempus per proprias partes posset diffiniri, congruentius per ordinem ad partes motus diffinitur, quasi numerus, ac mensura prioris, & posterioris in motu vndè per prius, & posterius partes ipsius motus denotantur, quæ sibi succedentes moram, ac successiuam inferũt durationem, in qua formaliter consistit tẽpus, neque ex hoc licet colligere tempus easdem partes habere cum motu, aut ab illo formaliter ex natura rei non distingui, cum illius sit duratio. Duratio autũ est esse continuatiuũ cuiuslibet rei, vt superius dictum est, aut modus illius: ac proinde in vno quoque ente creato ab illius essentia ex natura rei distinguitur. Motus etiã post prædicamentum est: secus autem tempus, quod est manifestum signum distinctionis saltem formalis ex natura rei vnius ab altero. Circa confirmationem quatuor versantur modi dicendi inter Philosophos, ac Methaphisicos in explicando testimonia prælegata Philosophi in quibus dixit vnum nunc permanere in toto tẽpore, quãquam diuersum secundum rationem in diuersis illius partibus. Primus est Scoti, 3. lib. Methaph. super text. 17. asserentis esse idem nunc secundum speciem, & rationẽ formalem, diuersum tamen numericè, & secundum realem entitatem, cui affinis est sententia Antonij Andreæ in eodem 3. q. vltima dicentis esse idem nũc substãtialiter, & secũdũ se quod tamen diuersis respectibus identificatur: nam idem instans cõparatum ad partem præteritam est finis, & comparatum ad partem futuram est initiũ quos tamen diuersos respectus secundum se non habet, sed abstrahit ab illis, vnde solum dicitur idem secundum se, ea identitate quæ diuersificati respectiuè opponitur, cum quo stat quod nihilominus plura instantia in tempore suis absolutis entitatibus distinguantur. Secundus est Durand. in 2. dist. 2. q. 4. art. 2. asserentis esse idem nunc negatiue, quia nunc temporis continui cum sit indiuisibile est priuatio continuitatis, & sic consistit in exclusione pluralitatis partium, quas includit tempus, in quo differt nunc temporis continui à nunc æui, & à nunc temporis discreti, etenim nunc æui est idem realiter cum æuo indiuisibili, nũc tẽporis discreti realiter differt ab illo, quia est pars illius: at nunc temporis continui differt à tempore sicut priuatio à forma; cuius est priuatio. Tertius est Suar. to. 2. disp. 50. sect. 9. asserentis esse idem nunc imaginariũ, sicut quando punctũ imaginantur mathemathici fieri lineam: non datur verus, & realis punctus fluens per totam lineã, sed imaginatur ductus per illã, sic dum tempus fuit imaginatur idem instans fluere per totam temporis durationem. In eũdem inclinant alij iuniores eiusdem contubernij, qui putant stabilitatem, ac temporis vnitatem summi ex coexistentia, quam habet ad fluxum imaginarium, qui sub tempore reali imaginatur esse, de quorum numero sunt Fonseca quinto huius cap. 15. q. 10. sect. 2. & Conimbric. 4. Phisico. cap. 14. q. 2. art. 2.

15 Quartus, & verus modus dicendi asserit idem esse nunc in toto tempore subiecto, ac materialiter, quia eadem est mobilis existẽtia permanens ac suo fluxu motum, ac tempus efficiens: formaliter tamẽ plura esse instantia in tempore, & mutata esse in motu, hunc sequuntur planè D. Th. 1. p. q. 10. art. 4. ad 2. & in 2. dist. 1. q. 1. art. 2. Magnus Albert. lib. de quatuor eo æuis, q. 3. art. 12. Capreolus in 2. distinct. 2. q. 2. art. 3. ad 9. Aureoli, & ad 1. Scot. Flandrensis 3. Methaph. q. 10. art. 2. & Soto 4. Phisico. q. 4. art. 2. dubio 3. neque nomine vnitatis mobilis, aut existentiæ mobilis intelligunt hij auctores solã substantiã, aut existẽtiam absolutè sumptam mobilis, vt quidã iuniores confingunt, vt nostram sententiã se iactẽt inuenisse, sed durationẽ ipsius mobilis sub motu, quæ est fundamentum, & causa ipsius durationis motus, & licet re ipsa indiuisibilis sit formaliter tamen coexistit diuisibili durationi motus, quod patet: nam Capreolus in loco prælegato sic ait ex mente D. Thom. Ad primũ Scoti dicitur quod illud, quod ponimus manere idẽ secundum substantiam, & coexistere toti tẽpori non est substantia primi mobilis, licet Ægydius, & Gregorius hoc ponãt, neque est mera negatio, sicut ponit Durand. sed vnitas de genere quantitatis, vnitas in quã mobilis non secundum substantiam immediatè, & purè, sed vnitas eius sub forma secundum quam est motus, pura subvbi fluẽte, vnitas autem mobilis, sub vbi fluente prout est de genere quantitatis est vnitas durationis, atque coexistentiæ: Flandrẽsis quoque ait huiusmodi nunc esse existẽtiam mobilis sub motu, & tempore, sed existentia mobilis sub toto tẽpore est existentia continuata, quæ est duratio: igitur hunc intelligunt discipuli Doctoris sancti cum suo auctore nomine vnitatis mobilis: hoc supposito probatur hic modus dicendi 1. quia testẽ Philosoph. 4. Phisico, text. 103, sicut se habet tempus ad motum si nunc ad id, quod fertur, id est ad mobile, ac si

ac si diceret quod sicut tempus coextendi tur motui, ita nūc coexistentia mobilis ad tempus, & in testimonijs prealligatis asserit esse idem nunc in toto tempore propter mobilis identitatem: ergo. Secundo: nā aut nunc temporis accipitur formaliter, & sic sicut sunt plures partes ita dātur plura instantia copulatiua ipsarum partium aut accipitur causaliter: & fundamentaliter, & sic est existentia ipsius mobilis sub motu, siue eius durasio vt coexistens motui, ac tempori, & sic est idem secundum rem, & diuersum secūdum rationem, quatenus diuersis partibus temporis coexistit, ac subest: sed Philosoph. loquitur de nunc hoc secundo, modo quando ait esse idem in toto tempore: ergo, patet minor: tū quia de instātibus in prima acceptione ait Philosoph. alibi esse plura: etenim 3. Methaphis. cap. 6. sic ait: *sed tamen aliud semper videtur*, id est nunc temporis, *cum non substantia aliqua sit*, & 4. Phisicor. cap. 12. text. 100. *sic tempus vero, numerus est, non quo numeramus sed quod numeratur, quod quidem prioris, & posterioris ratione aliud semper, aliudque esse accidit, quoniam, & momenta alia sunt, & alia &c.* Deinde probatur impugnādo tres priores modos dicēdi. Primus: namque deficit, quia Aristot. ipse in locis adductis, ait nunc esse vnum secundum rem: & substantiā propter mobilis, hoc est, subiecti vnitatem, sed vnitas à subiecto desumpta est materialis: ergo. Rursus ait esse diuersum secundum rationem formalem: ergo non intelligit illud vnum esse sub ratione formali, & specifica sub qua intelligit esse diuersum: Tum etiam, quia aliquid speciale attribuit ipsi nunc, quod non attribuit partibus temporis, at vnitas secundum speciem pariter partibus temporis posset attribui: ergo. Secundus etiam deficit, quia illud nūc idem quod coexistit toti tempori habet se ad instar puncti ducti per lineam, quia sicut idem punctus secundum imaginationem coexistit toti lineæ, in qua existunt plura puncta continuatiua, ita existentia mobilis eadem coexistit toti tempori secundum rem: quod expressis verbis attestatur D. Th. in locis prælligatis sed punctus est quid reale: ergo etiam nunc istud. Rursus reste eodem D. Thom. 1. part. q. 10. art. 2. ad 1. intellectus aprehendens nunc fluens aprehendit ens verum, & reale: ergo & ipsum nunc est reale: consequentia patet, quia aprehensio temporis nequit causari ex aprehensione entis rationis: denique, quia nunc istud est existentia mobilis coexistentis toti tempori, siue eadem existentia vt continuata, atque vt ratio, quo pacto fundat, & causat motus, atque temporis extensionem, sed existentia, vt continuata, atque duratio est quid reale: ergo. Tertius denique modus deficit: eo quod istud nunc reale est, vt probatum est, etenim est mobilis existentia vt subest toti tempori: ergo non est quid imaginarium. Confirmatur: nam ex testimonijs Philosoph. aductis constat illud esse non imaginariū, sed vnum subiecto, atque secundum rem: Deinde, quia stabilitas, atque vnitas temporis causatur, & fundatur in huiusmodi nunc, quod est vnitas mobilis, sed ex imaginario nunc non causatur stabilitas, aut vnitas temporis, neque in illo fundatur: ergo: Hijs positis ad formam confirmationis negatur minor, & ad testimonia Philosoph. Respondetur illum loqui de nunc causaliter, ac fundamentaliter sumpto, quod est mobilis existentia vt subest toti tempori.

ARTICVLVS IIII.

An tempus sit vnum dūtaxat numero.

16 IN hoc articulo tres versantur sententiæ duæ extremæ, & alia media prima asserit dari plura tempora numero distincta, iuxta numerū motuum, quam sequūtur Themist. & simplicius 4. Phific. sup. text. 132. Iandun. ibidem. q. 22. Gregor. in 2. dist. 2. q. 1. & cū eo. Nominalium caterua, quibus nouissime subscribūt Suar. disput. 70. sect. 11. §. 4. *assertio*, & Conimbric. 4. Phisic. c. 14. q. 1. art. 2. pro cuius declaratione aduertunt tempus accipi posse dupliciter 1. modo pro reali, & intrinseca duratione, quæ numeratur secundum prius, & posterius, & sic esse tot tempora, quot sunt motus: secundo modo pro mensura extrinseca aplicata per intellectum ad mensurandum, & sic tantum esse vnum nempè durationem motus primi mobilis. Secunda huic ēdiametro opposita negat dari plura tempora continua, & successiua (omissa disputatione de tempore discreto) & tantum vnicum constitui in motu 1. mobilis: hanc tenent Conmentator. 4. Phisic. commento. 132. & ibidem Alexander, atque Magnus Albertus cap. vltimo Ferrariensis. quæst. vltima: Soto. quæst. 4. estque expressa sententia sancti Doctoris vbi supra lectione vltima. 1. parr. quæst. 10. art. 5 quæst. 66. art. 4. & in 2. dict. 2. quæst. 1. art. 2 ac Durandi, ibid. q. 2. quibus subscribit Fōseca. 5. huius cap. 13. quæst. 11. sect. 2. Tertia media in censura, & ad concordiam vtrāque

que nitens reuocare est quorundam iuniorum, qui super quartum Phisicorum aiunt disceptationem istam non tam de re ipsa, quam de modo loquendi sibi videri, ac proinde hac vnica distinctione posse ad concordiam vtranque, reuocari opinionē tempus bifariam vsurpari potest (dicūt isti neoterici) primo pro natione essentiali eius per diffinitionem Aristotelicam explicata quatenus est duratio motus ex priori, ac posteriori consurgens, & sic acceptum non est vnum numero sed multiplex. Secundo vsurpatur perfectius prout supra rationem successiuæ durationis addit esse mensuram sui motus, & aliorum, atque omnium, quę mouentur, & sic tantum est vnū numero, scilicet, in motu primi mobilis: Sed pro huius declaratione nonnulla supponenda sunt: primo namque supponendum est presentem disputationem non esse de tempore in tota sua latitudine, vt abstrahit â continuo, & discreto quod actiones liberas Angelorum mensurat, sic enim certum est tempus multiplex esse, nedum numero, sed etiam specie, quod partim ex dictis art. 1. partim ex his, quæ 1. p. quæst. 10. & quæst. 53. dicunt Theologi supponimus, sed tantū de tempore continuo, quod Philosoph. appellat numerum motus secundum prius, & posterius. Secundo, nec de vnitate specificanos loqui, quoniā nullus ex allegatis auctoribus ausus est dicere plura esse tempora continua secūdum speciem diuersa, & si aliqui eorum multa numero non negant, eo quod motuum cūctorum durationes vt sic eiusdem athomę speciei in ratione numerabilis secundū prius & posterius, quauis admissa temporum pluralitate: iuxta pluralitatem durationū facile quis sibi persuaderet (nec meo uideri multum deuiaret) illa esse secundum speciem diuersa siquidem durationes, aut existentiæ sunt, aut illarum modi: existentias autem, ac modos earum in motibus adeo diuersis, esse diuersas secundum speciem probabilius est, qua propter de vnitate numerica est sermo in presentiarum, vt hac statuta, ac probata omnem viam introducendi pluralitatem temporum specificam nouitatum amatoribus ocludamus. Tertio, quod de essentia temporis sit esse numerum motus, & aptitudinem ad mensurandum vt art. precedenti satis superque ostendimus, mensuræ etiam species, æternitatem, æuum, ac tempus esse ex D. Tho. 10. q. 1. partis latius artic. 1. huius quæstionis comprobauimus mensuram autem debere esse primam, ac maximè vniformē in vnoquoque genere respectu cæterorum: his breuiter suppositis, ac prenotatis.

Respondeo dicendum vnicum duntaxat numero tempus cōtinuum dari in vniuerso, quo omnes motus, ac corpora mobilia mensurantur, hæc assertio pro auctoribus secundæ, & aduersus auctores primę & tertiæ sententiæ statuitur, quæ à nobis probatur primo ex perspicuis Aristotelis testimonijs, quæ habentur 4. Phisicor. text. 132. & libro 8. capit. 10. in quorum primo, ait vnicum tantum tempus esse licet motus sit multiplex: in alio vero ait tempus in solo primo mobili reperiri. Accedit auctoritas D. Thom. qui Methaphisicis instar debet esse omnium: is namque in locis citatis potissimè primæ partis, & secundi sententiarum asserit vnitatem temporis ex vnitate primi motus secūdum quem cum sit simplicissimus: omnes alij mensurantur vt dicitur 10. Methaphisicæ esse desumendam, eo quod ad illum motum comparatur dupliciter, & vt mensura ad mensuratum, & vt accidens ad subiectum, & sic ab illo accipit numericam vnitatem, & ex hoc colligit quod sicut tempus est vnū quo mensurantur omnia temporalia, ita æuum est vnum, quo omnia æuiterna mensurantur. Secundo probatur, ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore, quę reducitur ad hanc formam: tempus per se est mensura omnium motuum, aut per se in primo modo, aut saltem per se in secundo modo, sed ratio mensuræ omnium motuum soli motui primi mobilis conuenit: Illi enim conueniunt conditiones mensuræ, & non alteri: videlicet regularitas, vniformitas esse notissimum, perpetuum, siue indeficientem: ergo illi soli conuenit ratio essentialis temporis: declaratur amplius hæc ratio primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, vt ex loco Philosoph. proximè allegato habemus, ac proinde mensura motuum debet esse primus omnium, atque magis independens, sed motus primi mobilis est primus, atque magis independens, cum ab illo cæteri dependeant, ille vero a nullo ergo ille solus habet esse regulam, ac mensuram cæterorum, & consequenter rationem temporis essentialem, cui enim proprietas non conuenit, neque essentia potest conuenire, & cum ratio mensuræ, prout dicit potentiam ad mensurandum activè, saltem sit proprietas temporis, sicut

alijs

aliis motibus non conuenit hæc proprietas, ita neque eis poteſt eſſentia temporis conuenire. Confirmatur nam tempus eſſentialiter pertinet ad prædicamentum *quando* vt eius forma extrinſeca: cauſatur namque *quando* quod eſt eſſe in tempore, ex temporis adiacentia, atque ex ſolius motus primi mobilis ad iacentia cauſatur *quando*, etenim reſpectu illius duntaxat res ſunt in tempore: ergo in illo duntaxat ſaluatur ratio temporis. Tãdem probatur ſatisfaciendo argumẽtis, quæ pro ſe adducunt prædicti authores.

18 Obijciunt namque primo plura teſtimonia in quibus pluralitas, ac multiplicitas temporis denotatur, quorum primum eſt illud Geneſeos 1. *fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem & ſint inſigna, & tempora, & dies, & annos*, quibus verbis denotatur, non ſolum motu primi mobilis, ſed etiam Solis, & Planetarum motibus effici tempora; quod poteſt tali argumento ſuadere: illa motus facit tempus, qui diuidit diẽ, ac noctem, quæ ſunt partes temporis, ſed motus Solis diſtinguit diem â nocte: ergo. Secũdum eſt illud Auguſt. lib. 11. confeſsionum cap. 32. vbi ſic habet. *Audiui à quodam homine docto quod Solis, ac Lunæ, ac ſiderum motus ipſa ſint tempora, & anni, cur enim non potius omnium corporum motus ſint tempora? an vero ſi ceſſarent cœli lumina, & moueretur rota figuli non eſſet tempus?* Tertium adducunt ex Philoſop. qui lib. 4. Phiſico. cap. 10. fatetur, quod tempus vbique eſt, cuius rationem reddit, quia vbique eſt aliquis motus, & idem inſinuat cap. 13. Reſpondetur ex his teſtimonijs nihil conuinci: in primo enim non ſolum denotatur Solẽ, & Aſtra ſuis motibus eſſe ſigna temporis primi mobilis, eo quod nobis manifeſtant durationem illius motus, quæ conficit ſingulis circulationibus, vt dictum eſt ſingulos dies naturales, ideſt 24. horarum diſtinguendo diem artificialem à nocte, & propterea quo ad nos ſunt menſuræ noſtrarum actionum, atque motuum, eo quod nobis per illos duratio motus, primi mobilis innoteſcit, quia ſecũdum ſe non ſunt motus Aſtrorum regulariſsimi, atque velociſsimi, & maxime vniformes, propterea temporis rationem non ſortiuntur eſſentialiter. In ſecundo nihil afirmat Auguſtinus, ſed dubitanter proponit, vnde ſtatim ſubdidit ex propria ſententia. *Nemo: ergo mihi dicat cæleſtium corporum motus eſſe tempora, quia & cu iuſdam tempus ibat: per ſuum quippe ſpatium temporis, quod ei ſufficeret, illa pugna geſta; atque finita eſt*, in quibus verbis probat Auguſtinus motum Solis non eſſe tempus, quia ſtante Sole, & ceſante eius motus tempore Ioſue non ceſauit tempus. Alias pugna illa non eſſet geſta in tempore quod eſt abſurdum. Solis igitur motus non eſt tempotis, ſed ſignum temporis, ſicut motus horologij non eſt motus Solis, ſed ſignum illius. In tertio Philoſophus non fatetur eſſe plura tempora, ſed tempus eſſe vbique, quia vbicumque eſt motus eſt tempus, non ſicut accidens in ſubiecto, ſed ſicut menſura in menſurato, quo pacto omnia mobilia dicuntur eſſe in tempore. Secundo obijciunt: nam tempus vt conſtat ex eius diffinitione nihil eſt aliud quam numerus motus ſecundum prius, & poſterius, ſed omnis motus habet prius, & poſterius numerabile: ergo in omni motu ſaluatur eſſentia temporis. Ad hoc reſpondetur quod tempus non eſt numerus cuiuſlibet motus, ſed tantum motus, primi ac regulariſsimi, qui ſuapte natura eſt ad alios menſurandos deſtinatus. Tertio obijciunt in hunc modum: ceſante motu, primi mobilis, & cæteris inferioribus miraculoſe permanentibus, adhuc eis conueniret extenſio durationis, ſecundum partes priores, ac poſteriores, ſecundum quam vnus eſſet altero breuior, aut diuturnior: ergo non eſt eis denegandum tempus in ſolo primo mobili conſtituendũ. Reſpondetur negando conſequentiam, licet enim ſinguli motus ſuis durationibus gauderent, non tamen in ſingulis eſſet tempus in ea ſupoſitione, ſed tantũ in regulariſsimi motus duratione, aut forte nullum eſſet tempus, quandiu Deus vellet primi mobilis erga alios motus ſuplere miraculoſe in fluxum, atque cauſalitatem. Neque huic ſolutioni obſtat ſolutio, quam adhibet D. Tho. quæſt. 66. art. 4. ad tertium dicentis motum non poſſe intelligi ſine tempore, cum tempus nihil aliud ſit, niſi numerus prioris, ac poſterioris in motu: loquitur enim ibi de regulariſsimo motu, vt patet ex contextu, aut ſenſus eſt quod ſine ordine ad tempus intrinſecũ, vel extrinſecum ſaltem, nequit intelligi motus, quod minime negamus.

Argumentum libri duodecimi.

HIC liber ſicut & vltimus ita & præcipuus eſt, atque primus fuit in intentione Philoſophi, & vltimus in exequtione vt pote cum totus in conſideratione ſubſtantiarum ſeparatarum verſetur, quæ potiſsimum locum inter omnes partes vniuerſi obtinent, ſicut enim dignitas artium, atque ſcientiarum ex obiectorum ſumitur dignitate, in vnaquaque ſcientia dignitas vnius libri, ſiue tractatus ex maiori

partialis obiecti dignitate penſatur, vnde cũ obiectũ particulare huius duodecimi libri alias partes Methaphiſicales obiecti excedat, perfectione, ac dignitate, etiã hic liberalis antecellit, diuiditurque à Philoſopho in duas partes, in prima, quæ quatuor capita, ſiue lectiones quatuor complectitur, quædã repetit, quæ in præcedentibus libris de ſubſtantia in communi docuerat, nempe qualiter ad Methaphiſicam pertineat conſideratu de ſubſtantia, deinde in 2. cap. ab illis verbis, *ſubſtantiæ vero tres ſunt, vna ſenſibilis*, & diuidit ſubſtantiam in tres ſpecies ſubalternas dicens: alias eſſe ſubſtantias ſenſibiles, & obnoxias corruptioni, & alias eſſe inſenſibiles, & corruptionis expertes vt ſunt cœleſtes orbes, alias vero eſſe immateriales, & incorruptibiles, atque immobiles, vt ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ neque ſenſibiles ſunt, neque motui, aut corruptioni obnoxiæ, nec naturales, eo quod non habent in ſe principium motus, & quietis, quod eſt natura: additque Philoſophus in 3. & 4. capite nõnulla, quæ ad rationem, & naturam formæ ſpectant, reuocat nãque in mentẽ ea, quæ de forma ſecundũ ſe, & in ordine ad ſubſtantiam compoſitam loculentius docuerat, ſubſtãtiã quoque ad alia genera entis comparat, diuerſaq; illius, & horum eſſe concludit. In ſecunda vero parte: principia quæ quinque capita, ſiue lectiones complectitur, ex profeſſo diſputat de ſubſtantijs ſeparatis, & immobilibus, incipiens ab illis verbis capitis quinti, *quoniam vero tres erant ſubſtantiæ, duæ naturales, & vna immobilis, de hac dicendum eſt, nempe neceſſe eſſe ſempiternam aliquam ſubſtantiam eſſe immobilem*, quinque autem ſunt, quæ Philoſophus oſtendit in hac ſecunda tractatus parte, primo namque à præfatis verbis oſtendit dari aliquam primam ſubſtantiam, ſempiternam, & immobilem, quam probat debere eſſe vnam, purum actum, penitus immaterialem, & immobilem, quæ ſit ſuum eſſe, ſuum viuere, ſuum intelligere, & ſuum velle, ſummum intelligibile, amantiſſimum, deſideratiſſimum, atque delectabiliſſimum, à quo tota natura creaturarum in eſſe dependet in cuius contemplatione ſumma felicitas, atque ſumma delectatio conſiſtit. Eſſe autem primam ſubſtantiam mouentem, purum actum, atque ſuum eſſe actualiſſimum connatur demonſtrare ex motus perpetuitate, quem ſempiternum exiſtimauit ab illis verbis textus 30. *Quim etiam ſi quod motiuum, & efectiuum ſit, nec tamen aliquid agat, motus non erit, fieri enim poteſt quod id quod potentiam habet non operetur, &c.* Concluditque ad perpetuitatem motus ſaluandam, requiri, ſed non ſufficere ſubſtantiam ſempiternam, & immaterialem, & ſemper actu mouentem, ſufficere autem hanc eſſe ſuum eſſe, & purum actum, quia id in cuius ſubſtantia admiſcetur potentia ad eſſe, & non eſſe, contingit aliquando non eſſe, id autem quod contingit non eſſe, contingit etiam non mouere, ac proinde motus ab illo dimanans non erit ex neceſſitate perpetuus, vbi nomine potentiæ, dubium eſt quid Ariſtotel. acceperit: Alenſis enim vult intelligi potentiam actiuam ad mouendum, & non mouendum: Fonſeca vero in cõmentario capitis 6. §. *huic dubitationi*, vult fore intelligendam potentiam paſſiuam ad motum, & quietem, quod probat: tum quia ex huiuſmodi potentiæ excluſione rectè ſequitur concluſio intenta ab Ariſtotel. nempe ſubſtantiam ab æterno mouentem eſſe actũ purum ſubſiſtentem perſe, quæ tamen ex Alenſis, & Doctoris Sancti interpretationibus non rectè colligitur: tum etiam quia in hunc ſenſum contextus ſine vlla violentia exponi poteſt, dum Philoſophus dicit, *neque etiam ſi operetur quidem, ſubſtantia vero eius potentia ſit, nec enim motus erit ſempiternus*, ac ſi diceret, non ſufficit ad ſempiternitatem motus, quod ſubſtantia mouens actiua ſit, ideſt actu mouens, ſi tamen potentia ſit, ideſt ſi potentiam habeat ad motum, & eius oppoſitum, ſed D. Thom. de potentia paſſiua ad eſſe, & non eſſe iſtius mouentis intelligit Ariſtotel. ex huiuſmodi enim potentiæ negatione rectè exiſtimat colligi, & motus ſempiternitatem, & ipſius primi motoris puriſſimam actualitatem, idque verba Philoſophi demonſtrant, dum ait, *ſubſtantia vero eius potentia ſit*, non enim hæc verba congruè de potentia ad motum ſed de potentia ſubſtantiali ad eſſe, & non eſſe poſſunt interpretari, vnde in hoc ſenſu Philoſophus in 8. Phiſicorum textu 49. intulit primæ ſubſtantiæ æternitatem ex motus perpetuitate, ideſt indefectibilitatem in eſſendo, vt ibi, & quæſt. 5. addncit egregiè Soto, & huic expoſitioni adhærent Flandrenſis q. 5. art. 6. & Sonzinas circa finem quæſt. 31. vnde, & illi putamus ad hærẽdũ. Deinde oſtẽdit Philoſophus primã cauſam mouere alia à ſe immobiliter, ſicut intelligibile, & apetibile, ideſt per intellectũ, & volũtatẽ, actiue, & finaliter. Tertio loco agit de numero, & multitudine ſubſtantiarũ ſeparatarũ, à quibus cœleſtia corpora mouẽtur: & quarto de earum virtute, actualitate, & immaterialitate, & tandem in quinto, ideſt vltimo capite oſtendit bonum, & ordinem vniuerſi, in quo conſiſtat, qualiterque ad illius complementum

mentum ſpectet ordo partium, & ſubiecto ad vnum motorem, vnum principem, atque vnum finem. Hæc ſunt quæ de prima cauſa, ſcilicet Deo Optimo Maximo, & alijs ſubſtantijs ſeparatis tangit Philoſophus Peripateticorum princeps ſolo lumine naturæ ſufultus: ad quarum exactam declarationem prima Philoſophia in catholicis Methaphiſicæ auſculatoribus lumini fidei ac Theologiæ indiget aſociari, ne in mundi temporali creatione, aut in motus inceptione cæcutiat, ſicut & noſter Philoſophus defectu huius luminis in hijs, intolerabili errore lapſus eſt, & quia diuini entis, ac primæ cauſæ atributa proprium locum vendicant, in prima parte ſummæ Theologiæ de quibus, & nos propria paramus commentaria, ideo illorum conſideratio eſt in proprium locum relicta, hic ſolũ quædam ad modum cauſandi primæ cauſæ, ad eius immutabilitatem, eſſentiam, & ſubſtantiarum ſeparatarum naturam, & immaterialitatem ſpectantia inſeruntur, quæ quatuor quæſtionibus exacte diſputantur, in quarum prima oſtendam neceſſario dandas eſſe ſubſtantias intellectuales materiæ expertes ad vniuerſi complementum, illaſque ſolo numero propter defectum materiæ multiplicari non poſſe, in ſecunda primæ ſubſtantiæ increatæ eſſentiam, & veluti formale conſtitutibum declarabo, in tertia eius virtutem, potentiam, ac modum cauſandi res ad extra, in quarta liberum eius agendi modũ in rebus producendis, atque temporalem mundi productionem abſque læſione diuinæ immutabilitatis patefaciam.

Explicit argumentum.

QVÆSTIO I.

De ſubſtantiarum ſeparatarum poſsibilitate, immaterialitate, numero, ac perfectione, in quatuor articulos diuiſa.

QVONIAM vna ex præcognitionibus in vnaquaque ſcientia requiſitis, eſt ſcire rei poſsibilitatem, ideſt, an ſit, vt tradit Philoſopus primo poſteriorum capite primo, merito de ſubſtantiarum ſeparatarum tractaturus, Philoſophus in hoc libro hanc quæſtionem mouet, atque oſtendit ſeparatarum ſubſtantiarum ſeparatarum neceſsitatem ad vniuerſi regimen, perfectionem, & complementum, quo nedum illarum poſsibilitatem verum etiam actualem exiſtentiam in vniuerſo demonſtratur, noſque eius veſtigijs inhærentes, ac ordinem doctrinæ ſeruantes, iure optimo ab eadem quæſtione hunc titulum exordimur, in qua remittendo alia, quæ ad Theologicam de Angelis diſputationem ſpectant, in ſuum locum, illa dumtaxat attingemus hic, quæ Methaphiſicalem non tranſcendunt diſciplinam, quatuor autem ſunt hæc, quatuor in articulis examinanda, nempe an ſint poſsibiles ſubſtantiæ ſeparatæ, & neceſſario ponendæ ad vniuerſi complementum, deinde an expertes ſint materiæ, & corporis. Tertio videndum eſt in quanto ſint numero creatæ à Deo Optimo & Maximo in vniuerſo, & quarto an ſola diſtinctione formali, & ſpecifica inter ſe poſsint gaudere?

ARTICVLVS I.

An neceſſe ſit ponere aliquas ſubſtantias ſeparatas in vniuerſo.

IN hoc articulo communis ſententia affirmatiuam ſequitur partem licet enim inter antiquos aliqua fuerit controuerſia circa modum quo huiuſmodi ſubſtãtiæ ſunt materiæ expertes, illas tamen eſſe, ſiue totaliter, ſiue ex parte à materia ſeparatas, nulli dubium fuit, qua propter duabus aſertionibus communem ſententiam, tum fidei lumine certam, tum naturalibus rationibus notam aperiam.

Dari Angelicas ſubſtantias eſt de fide.

1 Reſpondeo dicendum primo dari in vniuerſo ſubſtantias ſpirituales, ideſt, Angelos, eſt de fide; non tamen eſt adeo certum in quo ſpiritualitas eorum conſiſtat, prima pars probatur ex teſtimonijs Sacræ ſcripturæ, in quibus Angelos ſpirituales eſſe ſacrum eloquium atteſtatur, quorum primum eſt illud Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, & Geneſ. 11. dicitur, ad Angelos: *venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Ezechiel 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, & vltimũ habetur Mat. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciẽ Patris mei*, vnde Gregor. homilia 33. in Euangelia probat ex multis Sacræ ſcripturæ locis, dari nouẽ ordines An-

gelorũ, illudque Ezech. 28. *tu ſignaculum*, & ait dictum fuiſſe ad ſupræmũ Angelũ, propter eius ad Deum maximam aſimilationem; Deus autem eſt pure ſpiritualis: ergo & Angelus ſpiritualis debet eſſe: ſecunda pars probatur tum quia D. Tho. 1. p. q. 50. art. 1. probans ex profeſſo dari ſubſtantias ſpirituales in vniuerſo, relinquit de earum ſpiritualitate in quæſtionem ſequentem diſputandam, quod non faceret, ſi earum ſpiritualitas eſſet à Deo certa, ſicut eſt certum ipſas dari. Tum etiam quia multi ſancti Patres, & grauiſsimi Doctores olim docuere Angelos habere ſubtile corpus, exiſtimantes abſque erroris, aut hæreſeos nota Angelorum ſpiritualitatem, non inſubtilis, ſed ingroſſioris duntaxat corporis carentis, & excluſione conſiſtere: ergo non eſt adeo certus modus ſpiritualitatis eorũ, ſicut eſt certũ, & indubitatum illos dari ad vniuerſi complementum.

Dico ſecũdo eadem veritas eſt rationibus naturalibus demonſtrabilis. Hæc concluſio nõ aliter probatur, quã aducendo naturales rationes, quæ hanc conuincunt veritatem, quarum prima eſt Angelici Doctoris 1. p. q. 50. art. 1. Pro cuius declaratione ſupponendum eſt tres tantum gradus entis in Deo reperiri, eſſe ſcilicet, viuere & intelligere, nam iſti tantum dicunt perfectiones, quaſi formales, & diſtinctas per modum formæ, & entitatis. Reliquæ namque deitatis perfectiones, ſcilicet infinitatis, omnipotentiæ, bonitatis, ſupernaturalitatis, & ſupra iſtos addunt præciſe modum, & ideo non dicunt gradus, nec alij etiam de potentia Dei abſoluta latent in theſauris diuini eſſe per eſſentiã. Deinde notandum eſt ad integritatem, & perfectionem vniuerſi pertinere omnes hos gradus, hoc enim ſonat hoc nomẽ *vniuerſum*, ſcilicet cõplectens omnes gradus entitatis. Vnde ſicut ad amplitudinẽ entis vt ſic ſpectat quod nihil illius cõceptum ſubterfugiat, ita ad vniuerſi amplitudinem ſpectat vt nullus gradus illud ſubterfugiat, ſed oportet vt Deo ſecundum omnes gradus entitatis aſimiletur, non enim eſſet perfectũ vniuerſum, ſi omnes bonitatis gradus non haberet aut ſi aliquis poſibilis ei deficeret vt docet D. Tho. 1. p. q. 47. art. 1. & q. 48. art. 2. his ſuppoſitis ratio Angelici Doctoris formatur in hunc modum, vniuerſum debet participare perfecte gradũ intellectualitatis: ergo oportet dari in vniuerſo ſubſtantias intellectuales completas, ac proinde immateriales, antecedens probatur: nam vniuerſum debet habere ſuam debitam perfectionem, ſed ad eius perfectionem pertinet vt aſimiletur Deo ſecundum intellectum, & voluntatem, quibus Deus produxit, & cõſeruat illud: ergo. Minor patet, quia effectus tunc eſt perfectus, quando aſimilatur cauſæ ſecundum formam, per quã operatur, eo quod vnumquodque agit ſibi ſimile in forma, quæ eſt ei ratio operandi: conſequentia vero probatur, quia diuina intellectualitas eſt completa, & ſubſiſtens: ergo vt vniuerſum perfecte illi aſimiletur, debet continere creaturas cõpletas, & ſubſiſtẽtes, intellectuales, quæ ſint partes perfe vniuerſi: hãc demõſtrationẽ naturalẽ latius expendit D. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. ſuperius allegato, & quarto contra Gentes capite 46. Secunda ratio colligitur ex eodem Sancto Doctore in eiſdem locis quæ ſic habet: in vnoquoque noſtrorũ datur præter ſenſitiuas potentias intellectiua potẽtia, quæ eſt abſtracta à materia, ſecundũ eſſe: ergo in vniuerſo debet dari præter ſenſibilia obiectũ intelligibile abſtractũ à materia ſecundũ eſſe, conſequentia patet nã obiectũ terminatiuũ noſtri intellectus, & Methaphiſicæ eſt ens abſtractum ab omni materia, quia in ſua diffinitione materiã nõ claudit, eo quod obiectũ debet potentiæ, & habitui proportionari, ac proinde potentia, ſupernaturalis ſpiritualis, & ſcientia ſupræma, qualis eſt Methaphiſica debet circa obiectũ vniuerſale, abſtractũ, & immateriale verſari, vnde ſi ſubſtantiæ immateriales nõ eſſent, Methaphiſica non eſſet prima omniũ ſcientiarũ, nec â Phiſica diſtingueretur, vt recte concludit Ariſt. 6. huius textu 2. Tertia procedit in hunc modũ in vniuerſo datur medium inter ſpirituales, & corporales creaturas: ergo debent dari extrema, ex quibus medium participet, non enim medium abſque extremis poteſt in aliquo genere reperiri, antecedens probatur: nam anima rationalis eſt in cõfinio ſpiritualiũ, & corporaliũ creaturarũ, & quaſi mediũ inter vtraſque, in cuius ſignũ concurrunt in ipſa potẽtiæ, ac virtutes pure ſpiritualiũ, ac pure corporaliũ creaturarum. De hac cõcluſione videãtur D. Th. opuſ. 3. c. 75. Flandren. 2. Metaphiſicæ q. 1. art. 5. vbi probat fruſtraneum eſſe naturale hominis deſiderium, ſi non eſſent ſubſtantiæ ſeparatæ, illud enim ad maxime cognoſcibilia terminatur, in quorum contemplatione conſiſtit humana fœlicitas, poſibilis haberi in hac vita. Bañeſius, & alij inlerprætes Sancti Doctoris ſupra q. 50. primæ partis:

2 Sed contra arguitur primo: ad perfectionem vniuerſi non requiritur quod conſtet ex omnibus gradibus poſibilibus; ergo non licet colligere ex perfectione vniuerſi ſubſtãtias immateriales eſſe, antecedens probatur, quia perfectio vniuerſi non poſtulat omnes ſpecies creaturarũ poſibiles, eo quod

iſtæ

istæ sunt infinitæ,& quacunque data, potest alia perfectior creari à Deo,cuius potentiam esse exhaustã est incõueniens,sicut etiam omnes gradus sunt infiniti, ita quod quocũque dato,posibilis est creari alius perfectior,alio quim circa gradus istos diuina omnipotentia esset exhaustaergo. Respondetur negando antecedens,ad probationem nego minorem, solum enim sunt posibiles tres gradus entis,vt dictum est. Secundo arguitur:super naturalitas, deitas, & esse per essentiam, sunt gradus diuini esse, & tamen non pertinent ad perfectionem huius vniuersi naturalis:ergo vniuersum non petit ad sui naturalem integritatem omnes gradus entitatis,maior patet quia sunt perfectiones Dei virtualiter à se inuicem distinctæ, & alias earum participatio spectat ad ordinẽ gratiæ:ergo. Cõfirmatur nam alias gratia,& vnio hypostatica essent de perfectione, & integritate vniuersi, siquidem est perfectissima assimilatio vniuersi ad diuinam intellectualitatẽ, & perfectissima eius participatio fit per gratiam, & vnionem hypostaticam:cõsequens est falsum:ergo & antecedens, minor patet quia ex integritate,& perfectione vniuersi non licet demonstrare posibilitatẽ gratiæ,aut vnionis hypostaticæ,liceret autem, si ad integritatem vniuersi pertinerent. Respondetur negando maiorẽ,eo quod tres tantum sunt gradus diuini esse,scilicet intelligere,viuere,& esse,ad quos omnes aliæ diuinæ perfectiones reducũtur:deitas autem, ac supernaturalitas sunt in Deo ipsa diuina intellectualitas,& entitas per essentiam. Ad confirmationem distinguo consequens,gratia, & vnio hypostatica essent de integritate naturali vniuersi nego,essent de integritate vniuersi absolute,siue naturali,ac debita, siue superaddita, & veluti accidentalis,concedo sequelam,& nego minorem, neque ex hoc sequitur gratiæ, aut vnionis hypostaticæ posibilitatem esse demonstrabilem,quia solum illarum partium posibilitas est demonstrabilis naturaliter,quæ pertinent ad primariam naturalem, ac veluti intrinsecam,& debitam vniuersi integritatem,ad quam non pertinent dona supernaturalia,sed accidẽtalem,& super additam integritatem. Tertio nam vniuersum sufficienter assimilatur diuinæ intellectualitati per animas rationales,vtpotè in quibus saluatur ratio imaginis Dei,secundũ gradũ intellectualitatis,teste D. Thom. 1.p.q.93. ar. 1. 3. & 4. probat in anima rationali imaginẽ Dei reperiri,quatenus est naturæ intellectualis: ergo vniuersum non postulat ad perfectionem suã Angelos,ac proinde ex eius perfectione nequit illorũ existentia, aut posibilitas demonstrari,consequentia patet, nã perfectio vniuersi solũ requirit, quod sufficit ad saluandam illius assimilationem cum Deo secundum gradum intellectualitatis, hæc autẽ assimilatio saluatur in anima rationali:ergo. Confirmatur, nam ex perfectione, & integritate vniuersi solum licet demonstrare id, quod pertinet ad ordinem eiusdem vniuersi, at nequit demonstrari Angelos pertinere ad hũc ordinẽ:ergo. Maior patet,quia secũdũ D. Th. 1.p.q.47. art.1. & 48. art.1. ad vltimum, partes vniuersi habent ordinem interse, secundum quod vna agit in aliam,& est finis alterius, vnde teste eodem D. Tho. ibidem q.66. art.3. propterea cœlo impireo tribuendus est aliquis influxus in hæc inferiora, quia est pars vniuersi, ac proinde debet dicere ordinem ad alias partes, minor veto patet,quia si esset demonstrabile lumine naturali Angelos pertinere ad ordinem vniuersi,maxime ex eo quia sunt motores spherarũ cœlestium, & sic quodammodo influunt in regionem sublunarem: sed ex hoc capite nõ est demonstrabilis hæc positio, eo quod multi Philosophi absque erroris nota existimarunt cœlestes spheras moueri vitaliter, & â se,ac per consequens non indigere extrinsecis motoribus:ergo. Confirmatur secũdo,nã ex perfectione vniuersi solum licet demonstrare id,quod Deus intẽdit in vniuerso,scilicet cõmunicationẽ, & ostensionem suæ bonitatis,Deus enim producit creaturas propter suã bonitatẽ cõmunicandã, & repræsentandam,teste D. Tho. q.47. præ alegata art. 1. sed hæc bonitas, etiam quantum ad gradũ intellectualitatis saluatur, absq; omnimoda immaterialitate in animabus rationalibus,in obiectis scientiarũ, v. g. Mathemathicarũ, & Methaphisicæ,quæ sunt intelligibilia, & immaterialia:ergo. Respondetur ad argumẽtum negando antecedens,eo quod cũ diuina intellectualitas sit completa, & subsistens, ac totalis in sola natura intellectuali creata, completa,totali, & subsistenti saluatur perfecta participatio illius,& communicatio,ac per consequens,non saluatur in anima rationali,quæ est natura partialis,& incompleta. Ad primã confirmationẽ negatur minor, ad cuius probationẽ negatur iterũ minor, quia subsistãtias immateriales motrices; & ad effectũ mouendi spheras cœlestes (siue animatæ sint, vt multi voluerunt,siue inanimatę sint, vt reuera tenendũ est) potest lumine naturali demõstrari,& de facto Philosophus in hoc lib. tex. 44. & D. Tho. lectione 7. ostenderunt, has subsistantias motrices dari, vt ab eis cęlestes spheræ moueãtur. Ad secundam patet solutio ex dictis ad argumentum.

ARTICVLVS. II.

An huiuſmodi ſubſtantiarum immaterialitas in excluſione omnimodæ corporeitatis, ac materiæ conſiſtat?

IN hoc articulo quatuor verſantur ſententiæ prima fuit Auicembronis in libro Fontiſuitæ aſſerentis omnes res mundi cõſtare ex materia, ac per conſequẽs Angelicas ſubſtantias materiales eſſe; ſicut enim Auerrois libro de ſubſtantia orbis 2. & Rabbi Moiſſes lib. 1. cap. 75. putantes materiale, & corporeum non ſe habere conuertibiliter, in illum errorem inciderunt, vt aſſeuerarent dari quædam corpora adeo ſimplicia, puta cœleſtia & elementa, vt in materialia prorſus eſſent: ita Auicembron, eidem ſuppoſitioni inixus errauit, dicens, dari ſubſtantias incorporeas, videlicet Angelicas quæ nihilominus eſſent materiales, ideſt, ex materia & forma compoſitæ. Secunda fuit Auguſtini exiſtimantis omnes Angelicas ſubſtantias eſſe corporeas, & materiales; ita enim ſupponit 3. de Trinitate cap. 1. vbi ſub dubio relinquit, an Angeli quando nobis apparent, aſumant corpora craſiora ex elementis, vel an ſua propria corpora in aliam ſpeciem craſiorem transforment, ſub qua viſibiles fiant, inſinuans Angelos corpora habere, licet adeo ſubtilia vt in propria ſpecie corporeis oculis percipi non valeant, & eandem ſententiam tribuunt multi Auguſtino; quos refert Bañeſius 1. p. quæſt. 51. art. 1. qui reuera dubius fuiſſe videtur in hac parte; vnde D. Thom. 1. p. quæſt. 54. art. 5. illum excuſat dicens, non fuiſſe loquutum ex propria, ſed ex aliorum ſententia. Tertia huic affinis ait non omnes, ſed aliquos Angelos materiales eſſe, ideſt eſſe compoſitos ex forma, & materia aquea, vel aerea, ſcilicet Demones qui terram habitant, aut aerem; ita ſenſit Origenes libro 10. Perhiarcõ in prologo, & Pſellus libro de Demonibus cap. 1. fuiſſeque eiuſdem ſententiæ Auguſtinus libro 2. de ordine cap. 9, libro de diuinationibus Demonum cap. 4. & 8. de Ciuitate cap. 16. vbi diffinit Demones, dicens, eſſe animalia rationalia, & corpore aerea, licet poſtea cap. 23. videatur in oppoſitam ſententiam inclinare, dicens, Demones eſſe ſpiritus nequiſsimos; eandem ſententiam ſequitur aſſertiue Conradus Iuriſconſultus, libro de imaginibus cap. 14.

Quarta ſententia, ac fidei conformior aſſerit, Angelos materiæ, & corporis pariter expertes eſſe, ita D. Thom. 1. p. quæſt. 50. art. 2. & in 2. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 1. & cap. 5. de ente, & eſſentia, de qua Caiet. Bañeſius in eiſdem locis, atque Durandus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. videndi ſunt. Vnde & à nobis pro concluſione ſubſtinenda ſtatuitur, quæ probatur primo, quia in Sacris litteris omnes Angeli appellantur ſpirituales, dicitur enim de illis Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, & de Demonibus ſpecialiter ait Paul. ad Epheſ. 6. *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, ſpirituale autem dicitur illud, quod caret corpore, & materia: ergo. Neque valet ſolutio Origenis aſſerentis propterea dici ſpirituales Angelos damnatos, non quia carent omni materia, ſed quia carent materia groſſiori, & habent materiam ſubtilem, ſcilicet aeream, quæ nec videri, nec tangi poteſt, nã iuxta regulam Auguſt. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. & Athanaſij libro de communi eſſentia Patris, & Filij, verba Sacræ ſcripturæ in ſenſu proprio debent accipi, quando ex illo nullum ſequitur inconueniens, in ſenſu autem proprio præfata teſtimonia denotant Angelos eſſe omnino immateriales, & incorporeos: ergo. Secundo probatur, nã corpus, & compoſitum ex materia, & forma conuertibiliter ſe habent, ita quod omne corpus eſt compoſitum ex materia, & forma, & è conuerſo, ſed Angelus eſt ſpiritus expers corporeitatis: ergo etiam eſt immaterialis, ac proinde expers compoſitionis materiæ, & formæ; maior patet, quia omnis, & ſola materia eſt radix quantitatis, ac diuiſionis, in qua conſiſtit corporeitas: ergo omne compoſitum ex materia & forma, & ſolum tale cõpoſitum eſt corpus, ac proinde corpus, & cõpoſitum ex materia, & forma conuertibiliter ſe habent. Tertio probatur ratione Angelici Doctoris ex actione intelligendi deſumpta: natura enim, cui conuenit operatio omnino immaterialis, eſt, ſecundum ſe immaterialis; eo quod materia eſt actionis immaterialis intelligendi impeditiua, & vnumquodque eſt intellectuale, & intelligibile, in quantum eſt immateriale, ſed naturæ Angelicæ ſecundum ſe conuenit eſſe intellectualem, ſiue eſſe principium actionis intelligendi; ergo conuenit illi ſecundum ſe eſſe immaterialem. Quarto oſtenditur noſtra cõcluſio alia ratione Angelici Doctoris 1. p. quæſt. 75. art. 4. quæ ſic habet; anima rationalis, quia eſt principium intelligendi, eſt ſecundum ſe immaterialis, & expers omnis materiæ, ſed Angelus eſt perfectior in gradu intellectualitatis, & perfectiori modo principium intelligendi: ergo ſecundum ſe totus eſt expers

Angelos eſſe expertes materiæ.

pers cuiuſcũque materiæ. Has duas poſteriores rationes Angelici Doctoris Durandus reijcit vt ineficaces; primã quidẽ; quia materia ſpiritualis nõ impedit intelligibilitatem, aut rationẽ principij intellectiui, ratio autẽ illa nõ ſatis excludit ab Angelo materiã ſpiritualẽ; licet excludat ab eo materiã corpoream. Secũdã vero; quia anima rationalis eſt pars, ac proinde ſecundum ſe totam eſt forma expers materiæ, Angelus autem eſt ſubſtantia completa, ac per conſequens non cõuincit illum eſſe expertem materiæ. Sed plane iſtæ obiectiones nullius momenti ſunt, & prorſus inualidæ ad infringendas rationes Angelici Doctoris; ad primam enim facile reſpondetur materiam ſpiritualem non ſupponere, eo quod omnis materia vt probatũ eſt, præ habet in ſe radicaliter extenſionem, & magnitudinem molis, ſiue corporeitatem ac proinde eſt impeditiua vt ſic intellectualitatis. Ad ſecundam vero dicitur Angelum eſſe formam completam: vnde ſi anima rationalis, quia forma intellectualis eſt, ſecundum ſe totam eſt ſpiritualis, à fortiori natura Angelica, quia forma completa eſt, & ſecundũ ſe totam intellectualis, ſecundum ſe totam debet eſſe ſpiritualis: qua propter manent prædictæ rationes inconcuſſæ & aliæ, quas Durandus adhibet ad hanc concluſionem comprobandam, ab iſtis nomine tenus differunt, vt legenti conſtabit.

4 Sed contra arguitur primo: in Angelicis ſubſtantijs reperitur compoſitio ex genere & differentia, ex eſſentia, & eſſe, vt probat D. Thom. opuſculo 42. cap. 5. & in 2. diſtinctione 3. quæſt. 2. artic. 5. ex Auicena in hoc 12. tractatu 2. cap. 1. & tractatu 6. cap. 5. ſed hæc compoſitio ſupponit compoſitionem ex materia, & forma, & radicatur in illa: ergo ſubſtantiæ Angelicæ non ſunt materiæ expertes: Minor patet, nam compoſitio ex genere, & differentia includit aliquam potentialitatem. Methaphiſicam, nempe gradum genericum qui potentialis eſt, ſed omnis potentialitas Methaphiſica ſupponit primam, & radicalem potentialitatem Phiſicã; ſcilicet materiæ primæ, eſt que illius participatio, ſicut enim actualitas Methaphiſica gradus differentialis ſumitur à forma, ita potentialitas gradus generici ſumitur à materia: ergo. Ad hoc argumentum, reſpondet D. Thom. quæſt. 50. præallegata art. 2. in ſolutione ad primum in hæc verba. *Ad primũ: ergo dicendum, quod differentia eſt quæ conſtituit ſpeciem vnumquodque autem conſtituitur in ſpecie, ſecundum quod determinatur ad aliquẽ ſpecialem gradum in entibus, quia ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, quæ differunt per additionem vel ſubſtractionem vnitatis, vt dicitur 8. Methaphiſicæ, in rebus autem materialibus aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcilicet forma, & aliud quod determinatur, ſcilicet materia, vnde ab alio ſumitur genus, & ab alio differẽtia, ſed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & determinatum, ſed vnaquæque ipſarum ſecundum ſeipſam tenet determinatum gradum in entibus, & ideo genus, & differentia in eis non accipitur ſecundum aliud, & aliud, ſed ſecundum vnum, & idem, quæ tamen differunt ſecundum cõſiderationem noſtram, &c.* Ex quibus patet negandum eſſe antecedens, ad formam argumenti. Ad cuius probationem diſtinguenda eſt minor; potentialitas Methaphiſica ſupponit primam potentialitatem, & Phiſicam materiæ primæ in his in quibus genus & differentia ſumuntur ſecũdum aliud, & aliud, ſiue vbi determinans, & determinatum differunt, conceditur, in his in quibus determinans, & determinatum, & differentia ſumuntur ſecundum vnum, & idem ſolá ratione diſtinctum, negatur. Secũdo arguitur: nam in Angelis ſunt proprietates materiæ primæ: ergo & ipſa materia prima reperitur: antecedens probatur, nam reperitur hoc, quod eſt, ſubijci, & tranſmutari, ſubijcitur enim Angelus accidentibus in ſingulari, puta recipiendo ſcientias, intellectiõnes, & volitiones actuales, & de bono in malum fuit tranſmutatus, conditio autem habentis materiam eſt tranſmutari, & recipere formas in ſingulari: ergo. Reſpondetur nẽgando antecedens, quia cõditio materiæ eſt recipere formas in ſingulari modo materiali, & ea ſingularitate quæ oritur ex materialibus conditionibus, Angelus vero recipit formas accidentales in ſingulari modo intentionali, ac ſpirituali, & ea ſingularitate quæ opponitur abſtractioni ab indiuiduis, quiá recipit intellectionem indiuiduam, & ſingularem ſed non ea ſingularitate quæ oritur ex conditionibus materialibus. Tertio arguitur nam ex immaterialitate operationis non ſequitur, quod Angelus ſit toraliter expers materiæ: ergo deficit ratio Angelici Doctoris: antecedens probatur, quia operatio immaterialis ſolum petit immaterialitatẽ in principio formali quod eſt forma, & ratio agendi, non autem petit illam in toto ſuppoſito, ſaluatur enim in homine operatio intellectualis, ex hoc quod anima, quæ eſt ratio agẽdi, ſit immaterialis, licet ſuppoſitum ipſum ex alia parte includat materiam: ergo. Dices rationem Doctoris Sancti procedere de ſubſtantia intellectuali completa quæ non eſt forma partialis, & cum alias ſupponat Angelus eſſe ſubſtãtias completas, & intel-

lectuales optime colligit ex eorum immateriali operatione ipſos eſſe omnino immateriales. Sed contra hoc eſt nam ſequitur quod D. Thom. ſupponat probandum, etenim ratio eius militat aduerſus ſententiam Auicembronis tenẽtis Angelos eſſe formas etiã ad mixtas materiæ: ergo ſi ſupponat illos eſſe ſubſtantias completas, & non formas partiales ſupponit probandum. Reſpondetur negando antecedens, nam ex immaterialitate operationis, & obiecti recte colligitur immaterialitas principij, & licet ſupponat ratio Sancti Doctoris Angelos eſſe ſubſtantias completas, vt concludat illos eſſe ſecundum ſe totos immateriales, non ſupponit probandum, ſed potius ſupponit id quod ſupponendum eſt, & probat, quod probandum eſt, ex eo enim quod operatio immaterialis ſit, & circa obiectum immateriale verſetur, recte concluditur quod ſubſtantia quæ eſt principium illius vt ſic, ſit immaterialis, ac per hoc ſi eſt ſubſtantia completa, quod omnino ſit immaterialis, & quoniam Angeli nomine intelligimus ſubſtantias completas in ſpecie, ex eorum operatione immateriali recte deducitur illos eſſe ſecundum ſe totos intellectuales, ac proinde immateriales.

ARTICVLVS. III.

An ſubſtantiæ ſeparatæ ſint in aliquo magno numero, ita vt excedãt numerum ſpecierum rerum materialium.

IN hoc articulo quatuor verſantur ſententiæ: prima fuit error antiquorum Philoſophorum, qui dixerunt pauciores eſſe ſubſtantias ſeparatas ſpeciebus, imo & generibus rerum materialium; hanc tribuit D. Thom. in quæſtione de ſpiritualibus creaturis art. 8. ad 10. Platonicis, fuit etiam Ariſtotelis in hoc 12. & Auerrois, qui dũtaxat ſubſtantias ſeparatas 49. iuxta numerum cœleſtium orbium poſuerunt. Leucipus vero 55. poſuit, eo quod tot eſſe ſpheras cœleſtes exiſtimauit. Secunda ſententia fuit aliorum aſerentium eſſe infinitas ſpecies Angelorum, ac proinde multo plures ſpeciebus rerum materialium, quos refert, & refutat Durandus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 4. Tertia eſt ipſius Durandi ibidem aſerentis tria: primo quod plures ſunt ſpecies Angelorum quam ſpecies rerum materialium. Secũdo quod rationes Angelici Doctoris non ſuadent efficaciter hãc veritatem; tertio quod numerus animarum rationalium quæ fuerunt, ſunt & erunt vſq; ad finem mundi excedit numerum Angelorum. Quarta ſententia aſerit numerum Angelorum excedere, & ſpecierum materialiũ, & rationalium animarum numerum; hanc ſequitur D. Thom. quæſt. 50. art. 3. & quæſt. 112. art. 4. in hoc 12. lectione 7. cap. 5. de ente & eſſentia quæſt. 6. de potentia artic. 6. in 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 3. & 2. contra gen. cap. 93. illamque deſumpſit Sanctus Doctor ex Dionyſio cap. 9. 10. & 14. de cœleſti Hierarchia, & ei ſubſcribunt Caiet. Ferrara, & Bañeſius in locis citatis, Flandrenſis in hoc libro quæſt. 7. articulo 4. & Valentia prima parte diſputatione 6. puncto 1. & 2.

Plures eſſe Angelos cunctis ſpecieb⁹ creatis.

5 Reſpondeo dicendum primo: plures eſſe ſubſtantias Angelicas ſpeciebus rerum materialium, certo tamen numero compræhendi. Prima pars huius concluſionis ſtatuitur aduerſus Authores primæ opinionis; & probatur primo, quia Danielis 7. dicitur de Angelis, *millia millium, & decies centena millium miniſtrabant ei*, & Iob 25. *num quid eſt numerus militum eius*, in quibus teſtimonijs denotatur magnum, & exceſſiuum eſſe numerum Angelorum. Secundo quia quanto partes præcipuæ vniuerſi ſunt perfectiores pertinentes perſe primo ad eius integritatem, tanto ſunt in maiori exceſſu, ſed Angeli ſunt partes vniuerſi perfectiores ſpeciebus rerũ materialium: ergo. Maior patet in corporibus cœleſtibus reſpectu quorum tota regio elementaris eſt aliquid modicum, vt enim tradunt, & demonſtrant Aſtrologi in capite 1. de Sphera, tota terra ſe habet reſpectu Spheræ cœleſtis ad inſtar puncti propter duo, tum quia vndequaque videtur media pars cœli: tum etiam quia homo ſtans ſuper ſuperficiem centri terræ diuiſæ per medium perſpiceret medietatem cœli nõ minus quã ſtans in ſuperficie conuexa totius orbis terræ, ac proinde quantitas terræ eſt inſenſibilis reſpectu Spheræ cœleſtis; præterea ſtellæ primæ magnitudinis ſunt centies ſeptiesmaiores terra, teſte Alfragano libro rudimentorum Aſtrologiæ: quarum tamen quælibet ſe habet ad inſtar puncti reſpectu totius cœleſtis ſpheræ. Cum igitur corpora cœleſtia in magnitudine excedant corpora ſublunaria, etiam proportionabiliter ſubſtantiæ Angelicæ ſecundum multitudinem debent excedere ſpecies rerum materialium; Secunda pars concluſionis probatur aduerſus authores ſecundæ opinionis, quia omnis multitudo exiſtens in rerum natura eſt finita, & ſub certo numero compræhenſa, vt oſtendit D. Thom. 1. p. quæſt. 7. art. 4. ſed multitudo Angelorum exiſtit in rerum natura quoad omnes

nes suas partes, cum Angeli sint in corruptibiles: ergo eorum multitudo nequit esse infinita. Confirmatur nam licet in Angelis defectu quantitatis non sit numerus prædicamentalis, est tamen numerus transcendentalis, ita quod omnes sunt sub certo numero comprehensi. Sed omnis species numeri est finita, quia est multitudo mensurata siue facta per vnum: ergo.

Dico secundo sententia Durandi, quoad secundum, & tertium dictum est falsa, probabatur. Hæc assertio non aliter quam vtriusq; dicti ostendendo falsitatem, quod enim rationes Angelici Doctoris non sint ineficaces patet, quia non sunt aliæ, quibus amplius probetur hæc veritas, & illis exacte comprobatur: quod autem numerus Angelorum sit maior, quam numerus animarum patet, nam singuli homines singulis saltem Angelis Custodiuntur, vt probat D. Tho. 1. p. quæst. 113. articulo 2. & tamen solum Angeli infimi ordinis ad hominum custodiam deputantur: ergo signum est plures esse Angelos omniũ ordinum, quam omnes animæ creatæ hucusque, & vsque ad finem mundi creandæ. Illud etiam assumptum Durandi, quod pluribus animabus succesiue deseruiat idē Angelus ad custodiam, nec ratione; nec reuelatione constat; ac proinde eadem facilitate reijcitur, qua à suo authore affirmatur. Et licet gratis illud admittamus, non officit, quominus adhuc numerus Angelorũ sit maior, eo quod licet ex Angelis infimi ordinis ad custodiam hominum diputatis pauciores pluribus animabus deseruirent, ac perconsequens numerus Angelorum infimi ordinis esset minor numero animarum, tamen adhuc in alijs ordinibus erit maior numerus numero animarum.

6 Sed contra arguitur primo, nam quanto aliqua natura est Deo propinquior, tanto minus inuenitur multiplicata: sed natura Angelica est propinquior Deo, quam creatura corporalis: ergo est minus multiplicata. Maior patet, quia quanto aliquid in numeris est propinquius vnitati, tanto minus multiplicatur: sed res procedunt à Deo quodammodo, sicut numeri ab vnitate: ergo sicut in numeris accedentibus ad vnitatem minor est pluralitas, ita similiter in rebus magis Deo propinquis minor pluralitas inuenietur. Cõfirmatur, nam nobilissimæ creaturæ in corporalibus sunt numero pauciores, cœlestia enim corpora, quia nobiliora, sunt pauciora sublunaribus: ergo similiter Angeli, qui sunt nobiliores creaturis corporeis, sunt numero pauciores illis. Ad hoc argumentum respondetur, quod quantum ad partes, quæ veniunt in compositionem rei propinquioris Deo, est minor pluralitas, sicut etiam in numeris propinquioribus vnitati est minor partium, siue vnitatum pluralitas, binarius enim pauciores vnitates habet, quam ternarius, & sic de alijs, cum hoc tamen stat quod plures sint Angeli, quam species rerum materialium, sicut plures sunt binarij, quam septenarij. Ad confirmationem nego secundam partem antecedentis; corpora enim cœlestia non sunt pauciora, quia nobiliora, sed quia tantum dicunt ordinē ad hæc inferiora in ratione principij actiui, & ideo tot sunt, quot sufficiunt ad agendum in hæc inferiora: præterquam quod & si numero non excedunt corpora sublunaria, excedunt tamen illa in magnitudine, quia nobiliora sunt in ratione corporis. Angeli autem cum non possint excedere creaturas corporeas secundum magnitudinem, conueniens fuit illas excedere secundum multitudinem. Secundo arguitur: quia sequitur ex ratione Angelici Doctoris, quod quanto res sint nobiliores secundum perfectionem, & quantitatem virtutis, tanto debeant excedere secundum multitudinem res ignobiliores, consequens est falsum. Tũ quia alias plures deberent esse personæ diuinæ personis creatis: tum etiam quia alias plures deberent esse species lapidum præciosorũ, & metalorum, verbi gratia, auri, & argenti, maior quantitas, quam lapidum, aut terræ deberet in rerum natura reperiri, quod tamen veritati, & experientiæ repugnat: ergo & antecedens. Ad hoc respondetur rationem Sãcti Doctoris procedere de partibus per se vniuersi, cuiusmodi sunt corpora cœlestia, substantiæ immateriales, & species rerum corruptibilium, quæ sunt perpetuæ, quo pacto excludantur individua, & eorum multiplicatio, quia nõ sunt partes perse intentæ, sed per accidens, propter speciei conseruationem ab authore vniuersi: debet etiam intelligi ratio D. Thom. de creaturis secundum ordinem, & gradum nobilioribus, & nõ de nobilioribus secundum speciem duntaxat: & tandem debet intelligi de excessu maiori, ne dum secundum quantitatem virtutis, siue perfectionalem: alioquin idem esset, nobiliores creaturas excedere ignobiliores secundum quantitatem, atque illas excedere secundum perfectionem, & nobilitatem, seu esse illis nobiliores, quod est dicere idem per idem. Sed de excessu maiori secundum quantitatem extensionis, siue continuam, idest, magnitudinem, siue discretam, idest multitudinem, qua de causa in hoc sensu admittenda est sequela, & neganda est minor, ad cuius primam probationem negatur sequela

quela, quia diuinæ perſonæ non ſunt partes vniuerſi, nec ad alias partes ordinantur, ſed potius totum vniuerſum ad illas ordinatur, vnde defectu ordinis partis ad alias compartes, non licet inferre ex vi diſcurſus Sancti Doctoris maiorem in illis multiplicationē. Ad ſecundam negatur eadem ratione ſequela, quia lapides, & metalla præcioſa, ab alijs non præcioſis non diſcriminantur ſecundū gradum, & ordinem, tum quia ſunt eiuſdem gradus, ordinis, & generis cum illis, conueniunt enim omnia corpora mixta in eodem gradu, & ordine, licet diuerſis gaudeant ſpecificis differentijs. Tum etiam quia vnū reſpectu alterius non dicit perſe ordinem principij agentis, aut finalis cauſæ licet aliquando per accidēs vnum ab altero producatur, aut ab extrinſeco ad aliud ordinetur. Vnde nō licet in eis maiorē exceſſum ſecūdū multitudinē, aut ſecundū magnitudinē inferre; bene autē in elementis reſpectu mixtorum corporum, quæ illis perſe ſubordinantur, & ab illis ſecundum gradum, & ordinem differunt, & ſimiliter in corporibus cœleſtibus reſpectu elementorum propter eandem rationem recte maior exceſus conuenienter colligitur, & probatur. Tertio nam, non eſt conueniens Angelorum multiplicatio, niſi iuxta numerum motuum cœleſtium, at motus cœleſtes ſunt numero pauciſsimi: ergo & Angeli debent eſſe numero pauciſsimi; Maior patet, quia numerus intelligentiarū motricum ex motibus quos efficiunt, conuenienter colligitur, & non ex alio capite, motus enim comparantur ad intelligentias motrices, vt effectus ad cauſas, & cauſæ non debēt magis multiplicari, quam effectus expoſcūt, at omnes Angeli ſunt intelligentiæ motrices, & ordinantur ad motum: ergo ex numero motuum debet eorum multiplicatio deduci. Neque valet ſolutio Angelici Doctoris 1.p.q.50. articulo 3. ad 3. aſerentis ſubſtantias ſeparatas non eſſe propter ſpheras cœleſtes, aut earum motus, & propterea non debere multiplicari præciſſe iuxta numerum motuum illarum. Non inquam valet hæc ſolutio, tum quia Philoſophus, & commentator in hoc 22. textu 43. hac ratione ducti, numerum intelligentiarum, numero motuum cœleſtium parificarunt, neque tamen exiſtimarunt intelligentias eſſe propter corpora cœleſtia. Tum etiam quia corpora cœleſtia non ſunt propter corpora ſublunaria, cum ſint illis perfectiora, & tamen ex eo quod cō parantur ad illa, vt cauſæ ad effectus, tot ſunt præciſſe corpora cœleſtia, quot ſuficiunt ad agendum in hæc inferiora: ergo etiā tot erūt intelligentiæ, quot ſuficiunt ad mouendum, licet non ſint propter motum. Tum denique quia videtur intelligentias ad miniſterium mundi inferioris ordinari, miniſtrant enim Angeli hominibus, iuxta illud Pauli ad Hæbreos 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*, miniſtri autem proprium eſt alteri ſubijci, & ad illum ordinari, iuxta illud Chriſti Domini verbum Lucæ 22. *Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat nō nequi recumbit?* ergo. Reſpondetur iuxta ſolutionem inter arguendum aſignatam, quæ cum ſit Sancti Doctoris eſt omnino ſubſtinenda. Ad primam improbationem dicendum eſt, Philoſophum non recte parificaſſe numerum intelligentiarum numero motuum, ex quo vidit intelligentias non eſſe propter motus cœleſtes, vel ſi hoc non vidit, ſed oppoſitum, exiſtimauit, recte quidem proceſsit, ſed falſum ſuppoſuit: poteſt etiam dici, & ſatis ad mentem Philoſophi, quod non de omnibus intelligentijs, ſed tantum de motricibus loquebatur, & de motricibus, vt ſic formaliter in quantum motrices ſunt, recte intulit, tot debere eſſe præciſſe, quot ſuficiunt ad motus exequendos cœleſtium ſpherarū. Ad ſecundam reſpondetur corpora cœleſtia ordinari ad agendum in hæc inferiora, & eſſe propter huiuſmodi operationem, cum vnumquodque agens ſit propter operationem, vnde eorum numerus ex ordine, & ſufficientia ad operationem congruenter deducitur à nobis. Ad tertiam: quod Angeli miniſtrant cuſtodiendo, & dirigendo, miniſtrare autem ſic non eſt inferioris, ſed potius ſuperioris, vnde de illis; atque deſeruis, miniſtrans dicitur æquiuoce.

ARTICVLVS. IIII.

An omnes Angeli differant ſpecie inter ſe?

IN hoc articulo vnum eſt certum, aliud vertitur in dubium, certum quidem eſt, omnes ſubſtantias Angelicas eſſe eiuſdē generis, conuenireque vniuocē in ratione ſubſtantiæ intellectualis, & ſi in aſignando huiuſmodi genus duplex verſetur modus dicendi, quidam enim aſerunt non dari vnum genus proximum, ſed dari vnum genus veluti remotum, ſub quo ſint plures ſpecies ſub alternæ Angelorum. Hunc dicendi modum ſequitur Bañeſius 1.p. q.50. art.4. dubio 1. teſtimonio cuidam Damaſceni in elementario cap. 8. innitens, vbi ait Damaſcenus plures Angelos dari eiuſdem ſpeciei, & cum nō poſit

poſit intelligi de eadem ſpecie athoma, debet interpretari de ſpecie ſub alterna, quæ ſententia etiam poteſt ſuaderi ex diuerſis nominibus, & ordinibus Angelorum, alij namque dicuntur Seraphim, alij Cherubim, & alij Dominationes & hijs autem nominibus ſignificantur diuerſi gradus, ac proinde diuerſæ ſpecies ſub alternæ, ſiue diuerſa genera proxima, ſub alio ſuperiori genere contẽta. Secundus tamen modus dicendi & veritati conformior aſerit vnicum duntaxat eſſe genus, ſub quo omnes ſpecies athomæ Angelorum immediate continentur. Hunc ſequitur Caietanus in loco proxime allegato primæ partis & q. 56. art. 2. illũque mihi perſuadeo tam propter nonnulla Doctoris Sancti teſtimonia, ait enim D. Thom. opuſculo 42. capite 5. & 6. quod omnes ſubſtantiæ ſeparatæ immediato ſunt conjunctæ vni, & eidem generi condiſtincto à ſubſtantia corporea, cuius rationẽ ſubdit, quia quanto res eſt perfectior pauciores habet differentias, ſed Angeli ſunt nobiliſſimæ ſubſtantiæ: ergo vnica duntaxat gaudet vnuſquiſque differentia, ac proinde ſentit D. Tho. vnumquẽque Angelum immediate contrahere per vnicam differentiam vnum & idem genus. Rurſus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. articulo 5. dicit Angelos eſſe in vno genere duntaxat, propterea quod in vnica tantum potentialitate conueniant, ex quo teſtimonio talis deducitur ratio, propterea in rebus materialibus dantur plura genera, quia dantur plures gradus, & plures potentialitates, quæ pluribus determinatæ differentijs, plures conſtituunt ſpecies ſub alternas, ſed in vnaquaque ſubſtantia ſeparata propter eius actualitatem, & ſimplicitatem vnica duntaxat potentialitas, & vnicus gradus inuenitur: ergo & vnum duntaxat genus ſaluatur, hijs conſonat, quod idẽ Sanctus Doctor habet 1. p. q. 50. articulo 3. ad ſecundum, & articulo 4. ad primum vbi aſerit de vnaquaque ſpecie Angelica, quod eſt in ſupremo, & perfectiſsimo gradu intellectualitatis, & quod eſt Deo propinquior, atque minus de compoſitione habens in ſua natura, ſed hæc omnia ruerent, ſi Angelus ex pluribus gradibus generecis, & ex pluribus differentijs conſtituatur: ergo. Minor patet quia admiſſa multitudine ſpecierum ſubalternarum illa, quæ eſſet omnium perfectiſsima, eſſet gradus ſupremus naturæ intellectualis, & per conſequens reliquæ ab illa diſtinctæ non eſſent in ſupremo intellectualitatis gradu, & ſi componeretur ex pluribus gradibus, ſicut homo componitur ex rationali, & ſenſitiuo, viuenti, & non eſſet tantæ ſimplicitatis, neque ſecundum vltimam differentiam eſſet vnuſquiſque Deo propinquiſsimus. Dicendum igitur vnumquenque Angelum ex vnico duntaxat genere intellectualitatis, ſcilicet gradu, & vnica differentia conſtare, cui non obſtat dictum Damaſceni, quia nomine ſpeciei aut genus accepit communẽ omnibus Angelis, aut officium, & dignitatem, in qua, alij ab alijs accidentaliter diſcriminantur, qua ratione etiam diuerſis nominibus gaudent, quæ non ſunt nomina diuerſorum graduum eſſentialium, ſicut viuens, corpus, ſenſitiuum, & rationale, ſed diuerſorum munerum, & officiorũ. Hoc ſuppoſito quod in dubium vertitur eſt, an ſub hoc genere naturæ intellectualis angelicæ ſubſtantiæ ſpecifice, & formaliter ſolummodo diſtinguantur? In quo tres verſantur ſententiæ. Prima Durandi in ſecundo diſtinctione 3. quæſtione 2. & quarta aſerentis omnes Angelos de facto eſſe eiuſdem ſpeciei. Secunda eſt aliorum aſerentium nõ omnes Angelos, bene tamen plures eſſe eiuſdẽ ſpeciei, ita aſſertiue docẽt Gabriel Vazquez 1. p. diſputatione 181. tomo 2. Molina ibidem quæſtione 50. articulo 4. & Valentia diſputatione 6. puncto 3, Ferrarienſis vero 2. contra gentes capite 93. in illam, vt in opinionem probabilem inclinat, eiſque fauet Albertus Magnus parte 2. tractatu 2. de lege ordinaria capite 8. Tertia ſententia negans plures Angelos eſſe de facto, aut poſſe eſſe de lege ordinaria eiuſdẽ ſpeciei athomæ, eſt communis apud diſcipulos Sancti Thomæ qui plane illam ſequitur, & docet 1. p. q. 50. articulo 4. quæſtione 56. articulo 2. ad primũ, quæſtione 62. articulo 6. ad tertiũ, & quæſt. 79. articulo 7. & de potentia quæſtione 6. articulo 6. & de ſpiritualibus creaturis quæſtione vnica articulo primo ad 19. & articulo 8. & in 2. diſtinct. tertia quæſtione prima, articulo 4. & diſtinctione 9. quæſtione prima, articulo 5. & diſtinctione 17. quæſtione 2. articulo 2. ad quintum. Rurſus illam docet 2. contra gentes, capite 93. & 94. opuſculo 3. capite 56. & opuſculo 32. capite 3. atque opuſculo 42. capite 5. & alias ſæpe, eãdem ſequuntur, & pluribus exornãt, Capreolus in 2. diſtinctione 3. quæſt. 1, Bañeſius, & alij nouiores interpretes ſuper primam partem, quæſtione prælegata articulo 4. & Author Tabulæ aureę verbo *Angelus* dubio 115. & 102. eiuſdem ſententiæ eſt Caiet. in loco prælegato 1. part. & cap. 5. de ente, & eſſentia quæſt. 9. Scotus in 2. diſtinct. 3. q. 7. & Socin. in hoc 12. quæſt. 51. Quod ſi ab his authoribus inquiras, an ſicut plures Angeli neque de lege ordinaria poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ita repugnet inordine ad potentiã Dei abſolutam illos ſolo numero diſtinctos reperi?

reperiri? inueniesne eos in duos modos dicendi diuiſos, alij namque, de quorum numero ſunt Scotus, & Bañeſius reſpondent, poſſe de potentia abſoluta Dei plures Angelos eiuſdem athomæ ſpeciei dari, neque talem multiplicationem numeralem Angelorum in ordine ad potentiam Dei abſolutam repugnare, ſubditque Ferrara vbi ſupra, impoſsibile, in hac ſententia accipi à D. Tho. non abſolute, ſed iuxta mentem Ariſtotelis 12. Methaphiſicæ textu 49. ideſt, ſuppoſito ordine vniuerſi, vel Sanctum Doctorem loqui de impoſsibili in ordine ad principia numericæ diſtinctionis nobis nota, & veluti conaturalia, quia per hæc eſt impoſsibilis numerica Angelorum intra eandem ſpeciē multiplicatio, in hoc autem fundamento Scotus & Bañeſius à Ferrarienſi non differunt, licet differant ab illo in eo quod ſub formidine, §. *ad hoc dicendum*, affirmat plures ſcilicet, Angelos, etiam ſuppoſito ordine vniuerſi eiuſdem ſpeciei poſſe dari, & forte de facto illos inueniri, quod Scotus, & Bañeſius haut quaquam admittunt. Alij vero de quorum numero ſunt Capreolus, Caietanus, & Soncinas conſtanter reſpondent multiplicationem Angelorum intra eandē ſpeciem, etiam in ordine ad diuinam omnipotentiam repugnare.

Non dari plures Angelos in eadem ſpecie ſolo numero diſtinctos.

7 Reſpondeo dicendum primo de facto non dari plures Angelos intra eandem ſpeciem ſolo numero diſtinctos. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ, & ſecundæ ſententiæ, & probatur primo, nam omnis diſtinctio materialis, & numerica, aut fit per materiam, aut per ordinem ad materiam, per materiam quidem in ſubſtantijs corporeis, & completis, per ordinem vero ad materiam, in formis partialibus, & accidentalibus, quæ licet ſpirituales in ſe ſint, tamen per ordinem ad diuerſas materias, & ſubiecta differunt, intra eandem ſpeciem, quo pacto ſupra docuimus libro 8. duas animas rationales ſolo numero diſtingui, per ordinem ad diuerſa principia indiuiduationis, ſed ſubſtantiæ Angelicæ ſunt formæ materiæ, & ordinis ad materiam expertes: ergo non differunt ſolo numero, conſequentia patet, quia differentia, quæ eſt pure formalis, id eſt nullatenus ex materia, aut ex ordine ad materiam deſumpta, non materialis, ſed ſpecifica debet eſſe. Secundo nam in Angelis ſunt plures ordines ad diuerſiſsima officia deputati, ſed illi qui differūt ordine, nequeūt ſpecie athoma cōuenire: ergo falſa eſt ſenrētia Durādi. Quod autē adhuc illi, qui ſūt eiuſdē ordinis ſpecie differāt probatur aduerſus Valentiā, & alios Authores ſecūdæ ſentētiæ, tū, ratione facta quia differunt formaliter ſine illo ordine ad materiā. Tum etiā quia adhuc intra eundē ordinē Angeli ſunt inæqualiter iuſti, & beati, quia gratiā, & gloriā conſequti ſunt in diuerſo gradu, ſecundū gradū perfectionis naturalis, quæ perſe eſt intēta, qualis eſt perfectio ſpecifica, vt probat D. Tho. 1. p. q. 62. art. 16. ergo. Tertio probatur concluſio, nā quilibet Angelus ſeipſo induatur, id eſt, irreceptibilis in ſubiecto, formę nāque ſubſiſtētes, teſte D. Th. 1. p. q. 3. ar. 2. ad primū, & q. 41. art. 6. & 3. p. q. 77. art. 2. indiuiduātur ex eo præciſſe, quod irrecepti biles ſunt in ſubiecto, ſicut è cōtra formæ receptibiles in materia, ex eo quod receptibiles ſunt, ideſt, ex ordine ad materiā indiuiduā tur, ſed cauſa plurificationis materialis, & numeralis, eſt plurificatio ſubiecti, ſiue materiæ: ergo nequeunt Angeli ſolo numero plurificari defectu conaturalis principij talis plurificationis. Cōfirmatur, nā Angeli nō habent vnde ſolo numero diſtinguantur: ergo talis diſtinctio nō eſt in illis admittenda, antecedēs probatur, nā ſolū habent principia ſpecifica, & eſſentialia, ſed hæc nequeūt eſſe principiū diſtinguēdi cū potius ſint principium conueniendi in ſpecie.

Dico ſecundo, neque de potētia abſoluta poſſunt Angeli intra eandē ſpeciē multiplicari: hæc cōcluſio ſtatuitur aduerſus eoſdem Authores primæ & ſecūdæ ſentētiæ, & aduerſus illos, qui primo modo defendūt tertiā: probaturque primo rationibus modo factis, nā quia forma materialis eſt receptibilis nō poteſt nō eſſe multiplicabilis: ergo ſi Angelus eſt forma irreceptibilis, nullū dicens ordinem td materiā, nō poterit eſſe numero multiplicabilis, quo pacto implicat paternitatē, aut filiationem in diuinis multiplicari. Deinde quia vbi deficit principiū numeralis multiplicationis, per nullā potentiā poteſt dari talis multiplicatio, quia nequit effectus formalis ſine forma, aut ſine ſuo quaſi formali principio ſaluari, in Angelo autē deficit principium numeralis diſtinctionis, ac multiplicationis vt dictū eſt: ergo. Secundo probatur, nā D. Th. in locis allegatis ait, impoſsibile eſſe, quod duo Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, ſed impoſsibile nō cadit ſub obiecto diuinæ omnipotētiæ: ergo. Dices ſumi à D. Th. impoſsibile nō abſolute, ſed ſecundū potētiā ordinariā Dei, quod quidē eſt poſsibile reſpectu Diuinæ omnipotētiæ. Sed contra nā non minus eſt impoſsibile dari diſtinctionē numericā in duobus indiuiduis eiuſdē ſpeciei ſine principio talis diſtinctionis: atque dari albū ſine albedine, vt vbique enim dare tur effectus formalis ſine formali principio,

ſed

dari album sine albedine est omnibus modis impossibile: ergo etiam dari numericã distinctionem sine propio, & conaturali principio talis distinctionis. Tũc vltra, sed in Angelis deficit materia, quæ est principium numericæ distinctionis in substantijs: ergo impossibile est omnibus modis saluari numericam distinctionẽ. Tertio: nã alias sequeretur essentiam Angeli in illo casu aut esse receptã, aut habere aliquid receptũ in materia, consequens est falsum: ergo, & antecedẽs, sequela probatur, quia omnis natura multiplicata, & diuisa in pluribus indiuiduis, aut est recepta in materia, aut habet formã receptam in materia, qua ratione probat Philosoph. in hoc 12. text. 49. quod si cœlestis corporis natura est plurificata in huiusmodi indiuiduis, debet esse materialis, & habẽs formam receptã in materia. Quarto: nã sequntur duo contradictoria simul vera, verbi gratia, hæc, isti duo Angeli differunt solo numero, isti duo Angeli non differunt solo numero, prima nãque est vera ex hypothesi. 2. vero probatur, quia illis duo Angeli qui fingũtur esse eiusdẽ speciei haberent idem principium indiuiduationis, sed quæ gaudent eodem principio indiuiduationis, nequeunt differre numero: ergo verum est dicere de illis quod non defferunt numero, patet assumptum, quia haberent eandẽ rationem specificam, sed in Angelis, quia carent materia nequit dari aliud principiũ indiuiduationis, nisi ratio specifica: ergo darẽtur duo contradictoria simul vera, quod tamen est prorsus impossibile. Vltimo arguitur: nã natura Petri prout est associata hæceitati Petri, nequit etiã de potẽtia absoluta in pluribus indiuiduis multiplicari: ergo neque natura Grabielis poterit etiam de potentia absoluta multiplicari, consequẽtia patet, propterea nequit natura hæc in petro multiplicari, quia vt sic includit principium suæ singularitatis, quod obstat multiplicationi, sed etiã natura Grabielis absolute & secundũ se considerata includit principiũ suæ indiuiduationis, & singularitatis, est enim secundũ se immaterialis subsistens, ac irreceptibilis forma: ac proinde seipsa indiuiduatur: ergo nequit illa ratione multiplicari.

8 Sed contra arguitur 1. nã Angeli sunt in cœlesti hierarchia ordinati secũdũ congruentem ciuilitatẽ, sed ad congruentiam ciuilitatis spectat q̃ nõ omnes ciues sint diuersi in specie: ergo cõgruũ est aliquos, vel omnes esse eiusdẽ speciei. Min. patet: quia ad conuenientẽ ciuilitatem, concurrũt Sotiabilitas, & amor ciuiũ: ad vtriusque autẽ conseruationem requiritur conuenientia in specie: tũ quia societas teste D. T. 1. p. q. 31. art. 3. ad 1. solũ inter personas eiusdem speciei saluatur. Tũ etiã: quia amor ex similitudine generatur, cũ vnũquodque diligat sibi simile. Confirmatur: nã multi Angeli gaudent æqualibus gradibus gratiæ, & gloriæ, sed consequti fuere supernaturalia dona gratiæ, & gloriæ iuxta naturaliũ perfectionũ gradũ, & quantitatem: ergo signũ est plures illorũ gaudere eadem specifica perfectione. Min. probatur, multi homines, & animæ beatæ sunt in eodẽ gradu gratiæ, & gloriæ: ergo etiã multi Angeli, cũ eadem sit mẽsura hominis, & Angeli, vt dicitur Apocalypsi 20. Respondetur ad hoc argumentum negãdo min. ad saluandã enim cœlestis ciuitatis congruentẽ sociabilitatẽ sufficit conuenientia, & similitudo in gradu generico intellectualitatis, præsertim cũ omnes illi cœlestes ciues quantũ ad supernaturalem naturã, & filiationem Dei, quã habent per gratiã cõseruarã, sint eiusdem speciei. Ex qua oritur amor supernaturalis, quo & Deũ, & se ipsos diligunt in cesanter. terrena autem ciuilitas petit ciues eiusdem speciei per accidens, & ex suppositione quod nõ sunt aliæ creaturæ rationales nisi homines, si enim rationalia animãtia essent plurium specierũ, congruenter sibi inuicem associarentur. Ad confirmationem negatur maior, ad probationem dico, eandem mensuram esse hominis, & Angeli in donis gratiæ & gloriæ, non quia sicut duo homines habent æquale gradum gratiæ, & gloriæ: ita illum habeãt duo Angeli, sed quia vt exponit illud Apocalypsis testimoniũ D. Th. 1. p. q. 20. ar. 4. ad 2. tã Angeli quam homines ad ordinem gratiæ, & gloriæ fuerunt ordinati, licèt ex Angelis alij quibusdam hominibus, & ex hominibus alij quosdam Angelos in gradu gratiæ, & gloriæ antecedãt: homines autem qui solo numero differunt, & veluti per accidens, & secundario sunt intenti propter speciei humanæ conseruatiõnem non cõsequi sunt dona gratiæ secũdũ diuersitatẽ indiuidualiũ differentiarum, & propterea possunt plures homines ad eundẽ gradũ gratiæ & gloriæ peruenire, & prædestinari, sec⁹ autẽ Angeli, qui iuxta diuersitatẽ differẽtiarũ formaliũ, quibus gaudẽt, & quæ fuerũt intentæ, diuersos gradus gratiæ, & gloriæ fuerũt cõsequti, teste D. T. 1. p. q. 62. ar. 6. 2. arguitur, natura Grabielis, prout à nostro cõcipitur intellectu, est species & sit 2. prædicabile, quod ad plura solo numero distincta refertur, & de pluribus numero distinctis potest prædicari: ergo ipsa secũdũ se est apta nata esse in plurib⁹.

Cõſeq. patet, quia dici de plurib⁹ fundatur in aptitudine ad eſſendum in pluribus, etenim dici de ſupponit eſſe in neq; valet dicere, quod natura Gabrielis propterea ſit vniuerſalis â noſtro intellẽctu: quia non concipitur prout eſt in ſe (ſic enim accepta nõ vniuerſalis, ſed ſingularis dumtaxat ſuſciperet intentionem) ſed admodum rei materialis, & per ordinem ad illam: nam omnis natura conceptibilis vt vniuerſalis quomodocunque concipiatur, eſt apta nata plurificari in multis, vniuerſale enim eſt vnum in multis, ideſt aptum natum eſſe in multis, vnde natura, quæ ſubeſt intentioni vniuerſitatis, ſecundum ſe debet eſſe indifferens ad plura, ſaltem negatiue, quatenus non debet eſſe determinata de ſe magis ad vnum, quam ad alterum ſingulare, ſed natura Gabrielis ſub induit intentionem vniuerſalis: ergo eſt de ſe indifferens ad plura, & apta nata eſſe in illis. Confirmatur: nam ſingularitas, & indiuiduatio competit naturæ Gabrieli per aliquid diſtinctum à principijs ſpecificis, ſicut naturę rei materialis, ab alio principio ſumitur indiuiduatio, & ab alio ſumitur ſpecifica ratio: ergo natura Gabrielis de ſe, & ſecundum ſpecificam rationem eſt apta nata eſſe in pluribus indiuiduis. Conſequentia patet, quia hac ratione natura rei materialis eſt plurificabilis in indiuiduis, antecedens autem probatur: quia ſingularitas ſiue indiuiduatio non eſt de cõceptu naturæ ſpecificæ Grabielis ſi quidẽ hæc ſine illa poteſt à nobis concipi, & ſubſterni intentioni vniuerſalitatis alioquin ſi ſingularitas eſſet de illius conceptu non poſſet natura Gabrielis à nobis concipi præciſſa à ſingularitate neque poſſet ſubſterni intentioni vniuerſalitatis, hac enim de cauſa diuina natura neque concipi à nobis ſine eius ſingularitate, neque prout eſt in noſtro intellectu intentioni vniuerſalis ſubſterni poteſt: quia ſingularitas eſt de illius conceptu. Ad hoc argumentum reſpondetur iuxta ea, quæ alibi docuimus conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius probationem ſubſtinenda eſt ſolutio inter arguendum aſsignata, & ad eius improbationem, nego maiorem, falſa enim eſt ſi vniuerſaliter accipiatur, etenim falſum eſt, quod natura concepta vt communis ex parte dumtaxat modi concipiendi, ex eo quod non accipitur prout eſt in ſe, ſed per alienam ſpeciem, nempê rei materialis, ſit apta nata aptitudine phiſica ad eſſendũ in multis, ſatis namque illi eſt quod logicè, & aptitudine rationis, ideſt, conuenienti illi ratione ſtatus, & modi eſſendi, quem habet in intellectu reſpiciat plura, ac ſit indifferens ad illa. Ad confirmationem duplex eſt modus dicendi, primus aſſerit naturam Grabielis fieri ſingularem, non â principijs ſpecificis, ſed à modo quoddam ſubſtantiali orto ex illis, & conuertibiliter ſe habenti cum illis, atque ita adæquate illã contrahenti, vt hæc natura ſpecifica Gabrielis per hunc modum ſingularitatis, & non per alium poſsit cõtrahi, aut determinari connaturaliter, ita probabiliter affirmat Bañeſius vbi ſupra. Secũdus aſſerit eadem eſſe principia ſpecifica Grabielis, & indiuiduationis ratione tamen diſtincta, & nihilominus poſsibile de potentia Dei abſoluta naturam ſpecificam in pluribus indiuiduis multiplicari, eo quod hæc identitas principiorum indiuiduationis cũ principijs ſpecificis non obſtat indiuiduorum multiplicatitita docet, & ſentit Vaſquez in loco præallegato cum Durando cuius argumento conuincitur ſtatim à nobis proponendo. Sed 3. & verus modus dicẽdi eſt, quem ſequitur Soncin. q. 48. & 49. huius, ⁊ in natura Grabielis, aut cuiuſuis alterius Angeli eadem ſecũdũ rem ſunt principia ſpecifica & indiuiduantia, licèt ratione diſtincta, & quoad effectus ſpecificandi, indiuiduandiq; ordine quodam ſe habentia, & quod ex hac identitate prouenit talem naturam nõ poſſe multiplicari, & declaratur hic modus aduerſus alios duos priores, primus nãque defficit, quia ex quo modus indiuiduationis eſſet diſtinctus realiter à natura ſpecifica, nulla eſſet repugnantia, quominus eidem naturæ de potentia abſoluta Deus plures indiuiduationis modos cõmunicaret, illamque ad plura contraheret indiuidua, & ſolum repugnantia eſſet ex natura rei, vt inſinuat præfatus auctor cuius tamen oppoſitum oſtendimus. Secundus etiã defficit, quia ex quo eadem ſunt principia indiuiduationis & ſpecifica in Grabiele ſequitur illũ à ſuamet eſſentia indiuiduari, & indiuiduationem eſſe de eſſentia eius, ac proinde nõ poſſe eius naturã multiplicari indiuidualiter, natura enim, quæ eſſentialiter eſt indiuidua, & ſingularis nequit pluribus cõmunicari: quare cõtradictoria admittit, qui fatetur naturam Grabielis per ſuamet principia ſpecifica, eſſe indiuiduã, & ſimul ait poſſe illã pluribus indiuiduis cõmunicari. Deinde probatur directè hic modus dicendi: nã in Grabiele qui omnibus modis eſt immaterialis & expers ordinis ad materiã ſolũ ſunt principia ſpecifica & formalia: quia duplicé effectũ noſtro modo intelligendi in illo ſortiũtur, quatenus enim ſunt genus, & differentia ſiue partes

tes methaphisicæ diffinitionis Grabielis constituunt illum in tali specie, & essentia & reddunt ipsum indiuisum per principia formalia; ideſt, indiuisum in duas species, & eadem met principia quatenus sunt incommunicabilia, & irreceptibilia in materia constituunt Grabielem in ratione huius indiuidui, & reduntipsum indiuisum per principia materialia, ideſt, indiuisibilem in plura indiuidua, & quia primario & per prius exequuntur munia principiorum formalium, & tribuunt primum effectum, & secundario, ac per posterius exequuntur munia principij indiuiduandi, & tribuunt secundum effectum, propterea specifica principia naturæ Gabrielis licet eadem sint, secundum rem, differunt tamen secundum rationem, & quo ad effectus, quos ordine quodam exequuntur à principijs indiuiduationis.

9 Tertio arguitur: nam si aliqua ratione Angelica natura non posset habere plura indiuidua, esset quia caret materia quæ est principium indiuiduationis, sed hæc ratio est nulla, & falso initur fundamento: ergo. Maior est ratio Angelici Doctoris. Minor autem probatur: quia supponit quod sola materia sit principium indiuiduationis: ac proinde quod carentia materiæ sit carentia principij indiuiduationis, quod tamẽ ostenditur esse falsum, quia principium indiuiduationis est idem cum principijs specificis, & proprie saluatur in illis: ergo licèt Angelus careat materia, non propterea caret principio indiuiduationis. Antecedens probatur: nam minor distinctio requiritur in principijs, quam in effectibus, sed genus, species, & indiuiduum sunt idem in quocumque supposito, etiam naturæ materialis, Petrus enim homo, & animal idem sunt, & similiter Gabriel, species Gabrielis, & Angelus idem sunt secundum rem, & sola distinctione rationis distinguuntur: ergo à fortiori hæc distinctio sufficiet in principijs, scilicet in ratione generica, specifica, atque indiuiduali cum reali identitate. Quod si dicas hæc esse principia proxima huiusmodi effectuum, inter quæ non requiritur realis distinctio requiri tamen alia principia radicalia realiter distincta, puta formam phisicam, in qua radicatur specifica differentia, quæ est forma methaphisica, & materiam sub hac quantitate in qua radicatur indiuidualis differentia huius indiuidui, & quod ex carentia huius in Angelo infert D. Thom. carentiam principij indiuiduationis. Contra hoc in surgo: nam teste Diuo Thoma 1. p. quæst. 29. artic. 1. substantia completa materialis cum sit subsistens indiuiduatur per se ipsam, & quantitas per se ipsam est indiuidua, vt ostendit idem Diuo Thom. 3. part. quæst. 77. articulo. 2. ex Aristotele 1. Phisicorum, textu 15. Et hoc non obstat quo minus substantia materialis, & quantitas in pluribus indiuiduis multiplicentur: ergo neque quod Angelus à se ipso sit singularis, obstabit quo minus in pluribus indiuiduis multiplicetur. Ad hoc argumentum Durandi, quo & Vazquez in suam trahitur opinationem, respondetur facile iuxta solutionem inter arguendum assignatam. Ad cuius improbationem negatur consequentia: nam diuersi mode Angelus à se ipso indiuiduatur, atque substantia materialis, & quantitas, Angelus enim cum sit omnino immaterialis solum gaudet principijs formalibus, & specificis, à quibus distincto numerica precisse prouenire nequit, substantia vero materialis indiuiduatur radicaliter per materiam primam, aqua realiter distinguitur, sicut includens ab incluso, sed quia materia est eiusdem generis cũ illa, propterea dicitur indiuiduari per se ipsam, ideſt, non per aliquid alterius generis, sicut indiuiduãtur accidẽtia, quãtitas vero in se est accidẽs materiale, & alias est prima ratio diuisibilitatis, seu distinctionis numericæ, ac materialis alijs, & sibi. Vndè in se habet sufficiẽtem rationem materiæ, vt possit per se indiuiduari, & numero multiplicari, de quo alibi satis superque dictum est. 4. arguitur aduersus 2. conclusionem: nam Deus potest in specie Grabielis producere aliquam perfectionem substantialem: ergo potest illã in alio producere indiuiduo, consequentia patet, quia Grabieli nequit fieri additio nouæ perfectionis substantialis. Antecedens autem probatur, quia licet natura specifica Grabielis habeat omnem perfectionem substantialem sibi possibilem in ordine ad potentiam Dei ordinariam, non tamen habet omnem sibi possibilem in ordine ad potentiam Dei absolutam, neque enim repugnat aliam perfectionem substantialem ipsi communicari ex parte facti, neque ex parte virtutis agentis, quæ est infinita. Respondetur negãdo antecedes: ad probationem patet ex dictis Grabielis naturam habere omnem sibi possibilem perfectionem, etiam de potentia Dei absoluta eo quod caret principio indiuidualis multiplicationis. Quinto arguit Durandus in hunc modum: natura Grabielis producta

ducta eſt à Deo actione iterabili: ergo eſt pluri ficabilis ſecundum numerum, conſequentia patet: quia vbi actio productiua eſt iterabilis, & etiam terminus productus eſt iterabilis; & poteſt per talem actionem multiplicari. Antecedens autem probatur quia illa actio creatiua, & natura Gabrielis producta per illam pendent à Deo voluntarie influente: ergo poteſt interrumpi voluntarie: ergo etiam poteſt iterari, hæc vltima conſequentia patet: nam omnis actio voluntarie interrupta manente eadem virtute actiua agentis poteſt iterari, tàlis eſt hæc operatio: productiua Gabrielis: ergo. Reſpondetur ad hoc argumentum diſtinguendo antecedens natura Gabrielis eſt producta actione iterabili in eodem individuo concedo, actione iterabili in alio individuo diſtincto à Gabriele nego antecedens, poteſt enim Deus annihilato ſemel Gabriele eundem numero producere, ſed non poteſt aliud individuum eiuſdem ſpeciei producere, quia omnis perfectio huius ſpeciei clauditur, & continetur in Gabriele vt conſtat ex dictis.

QVÆSTIO II.

De eſſentia primæ increatæque ſubſtantiæ, & eius formali conſtituti uo in duos articulos diuiſa.

CVm ſupremum gradum immaterialium, ac ſeparatarũ ſubſtantiarum teneat prima, & increata Dei ſubſtantia, ſiue eſſentia, cum qua ſubſtantiæ Angelicæ communicant in gradu entis, vitæ, & intellectualitatis, illarum iam natura, ac perfectione declarata, opere pretium eſt ipſo doctrinæ ordine expoſcente ab imperfectioribus ad perfectiora gradũ facere, vt huius, nempè diuinæ ſubſtantiæ immaterialitatem, & perfectionem declarandam aſcendamus, quod duobus articulis exacte preſtandum fore putauimus: in quorum altero videndum erit, quis nam gradus eſt perfectiſsimus ex hijs, qui in theſauris eſſe per eſſentiã reperiuntur. In altero vero, quæ ſit formalis ratio conſtitutiua Deitatis noſtro modo intelligendi, cuius vè, gradus ſit illa primordialis ratio, per quam Deus in ſuo eſſe conſtituitur.

ARTICVLVS I.

An ex omnibus gradibus in Deo repertis perfectiſsimus ſit gradus intellectualitatis?

10 IN hoc articulo tres verſantur ſententiæ, quarum prima aſſerit ſupremum gradum atque perfectiſsimũ eſſe gradum entis: quia eſt abſtractior abſtractione formali, quam cæteri gradus, ſcilicet vitæ, & intellectualitatis. Pro cuius declaratione aduertunt auctores huius ſententiæ ex Caietan. tractu de primo cognito, quod ſicut eſt duplex compoſitio, ſcilicet formæ cum materia, & totius cum partibus, ita duplex eſt abſtractio, altera qua abſtrahitur forma à materia, ſiue ratio formalis à ſubiecto, ſecundum quam oritur actualitas, diſtinctio, & intelligibilitas in eo quod abſtrahitur, altera, qua totum actuale abſtrahitur à partibus ſubiectiuis, ſecundum quam oritur in eo, quod abſtrahitur potentialitas confuſio, & minor intelligibilitas: vnde illa perfectionem, hæc vero imperfectionem ædificat, quo ſuppoſito dicunt, quod ſi gradus entis ſumatur prout abſtractus abſtractione potentiali, ideſt, ſicut totum à partibus, ſic eſt potentialiſsimus, & imperfectiſsimus, ſi autem ſumatur vt abſtractus abſtractione formali, ſic eſt omnium perfectiſsimus, quia non includit reliquos, & aliquid amplius ſecluſis omnium inferiorum imperfectionibus. Secunda huic á finis, quam ſequitur Ledeſma de diuina perfectione articulo vltimo aſſerit ex hijs tribus gradibus entis partialiter & cum præciſione ſumptis perfectiſsimum eſſe gradum intellectualitatis, ſi autem accipiantur totaliter, & prout vnus alium includit, gradum entis eſſe perfectiſſimum, deinde gradum vitæ, & infimum tenere locum gradum intellectualitatis. Pro cuius declaratione ſuppoſita diſtinctione duplicis abſtractionis, formalis, nẽpè ac totalis, aduertit ex D. Th. 1. p. q. 4. art. 2. ad 1. hos 3 gradus dupliciter accipi poſſe atque dupliciter poſſe ad ſe inuicem comparari, vel partialiter, & ſecundum præciſionem, hoc eſt, quatenus vnus preſcindit ab alio, vel ſecundum totalitem, & quatenus vnus alium includit, in homine enim, & in Angelo vbi tres iſti gradus inueniuntur, poſſunt, & accipi quatenus partialiter ad conſtitutionem hominis concurrunt, ſiue quatenus ſecundum rationem diſtinguntur atque prout gradus, ver

bi

bi gratia entis præuenit: gradum vitæ & potest sine illo in lapide reperiri: & qua tenus gradus vitæ præuenit gradum intellectualitatis, & potest sine illo in animantibus brutis saluari, aut secundum totalitatem quatenus vnus secundum rem est idē cum alijs, & eorum perfectiones includit, quo supposito ait predictus auctor quod facta comparatione inter hos gradus sumptos partialiter, & cum precisione vnius ab alio, perfectissimus omnium est gradus intellectualitatis, facta autem comparatione inter illos secundum totalitatem sumptos perfectissimus est gradus entis deinde gradus vitæ, & infimum locum secūdum ordinem dignitatis tenet gradus intellectualitatis. Tertia est Caietani, Bañesij, & aliorum interpretum Doctoris Angelici super primam partem quæst. 50. art. 1. asserentium absolutè, & sub quacunque consideratione ex hijs tribus gradibus de facto vniuerso communicatis perfectissimum esse gradum intellectualitatis, & quia hæc sententia vera est pro eius declaratione.

12 Respondeo dicendum primo, non esse perfectiorem gradum entis gradu intellectualitatis, aut gradu vitæ absolutè, & simpliciter: Hæc statuitur aduersus primam sententiam, & probatur primo: nam perfectissimus gradus est ille, qui creaturas magis assimilat Deo, id est, diuinis perfectionibus, & attributis, quæ Deo sunt magis propriæ. Sed huiusmodi non est gradus entis, non enim assimilat creaturas Deo quoad viuere, & intelligere, sed solū quoad esse quæ est ratio communissima omnium ac proinde minus propria vnicuique enti, etiam Deo: ergo gradus entis non est perfectior gradu vitæ, & intellectualitatis, per quos perfectiones Dei magis propriæ à creaturis participantur. Secundo probatur: nam ille est in vniuerso gradus perfectissimus secundum quem saluatur imagò Dei, quæ attenditur secundum similitudinem, quasi specificam vniuersi cum Deo, eo quod in gradu veluti specifico, ac differentiali Dei assimilatur ipsi Deo, sed hic est gradus intellectualitatis, teste D. Thomas 1. part. quæstion. 93. artic. 1. omnis enim similitudo secundum alios gradus deficit à ratione imaginis vt ibi ostendit D. Thomas, & articulo 4. distinguit triplicem imaginem diuinitatis in creaturis, primam, quam tribuit creaturis intellectualibus gradus intellectualitatis. Secunda, quam tribuit iustis gratia habitualis iustificans secundum, qua iusti dicuntur filij, & conformes imagini naturali filij Dei: tertia quam tribuit beatis visio beatificata, secundum illud primæ Ioannis 3o. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, &c.* Sed omnes huiusmodi imagines fundantur in gradu intellectualitatis, ne dum enim natura rationalis, sed etiam essentia, gratia, & visio beatifica per intellectualitatis gradum constituuntur, natura quidem rationalis, quia est principium intelligendi obiectum naturalis ordinis. Gratia vero quia est radix intellectualium operationum ad obiecta super naturalia terminatarum, visio denique beatifica, quia formalissime statum intellectus per supernaturale lumen intellectiuum eleuat: ergo. Confirmatur: nam propterea solis hominibus, & Angelis tribuitur ratio imaginis Dei, de illis enim dicitur Geneseos 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: & de istis: *tu signaculum similitudinis*: Isai. 28. nullaque alia creatura imagò, aut signaculum similitudinis Dei deber, aut potest nuncupari: vide etiam D. Thomas 1. part. quæstion. 45. articul. 7. dicit vestigium Trinitatis per modum imaginis in solis creaturis rationalibus reperiri in quibus est intellectus, & voluntas: ergo solus gradus intellectualitatis creatæ assimilatur Deo per modum imaginis, ac proinde gradus entis non est illo perfectior.

Gradū intellectualitatis se gradibus entis ac vitæ perfectiorem.

13 Dico secundo gradus vitæ perfectior est gradu entis, & omnium perfectissimus est gradus intellectualitatis. Prima pars conclusionis probatur: nam perfectior gradus est, qui est proprius creaturarum nobiliorum, qui prouenit à forma nobiliori, qui est principium nobilioris operationis, & qui creaturas Deo secundum magis propiam perfectionem assimilat, vt constat ex dictis sed talis est gradus vitæ cum gradu entis comparatus: ergo: patet minor: gradus etenim vitæ conuenit solis viuentibus, prouenitque ab anima, quæ est formis inanimatis nobilior, & est principium vitalium operationumque sunt omnium nobilissimæ, assimilatque creaturas Deo, ne dum in esse, sed in vita quæ est Deo magis propria, quam ratio essendi vt inferius declarabo: ergo. Secunda vero pars probatur: nam tantum sunt tres gradus vniuerso communicati entis, scilicet, vitæ, & intellectualitatis, horum autem perfectissimus est in-

tellectualitas', ergo eſt omnium graduum perfectiſsimus. Minor patet, quia facta cõparatione inter gradum intellectualitatis, & entis gradum iam oſtenſum eſt in prima concluſione illum eſſe iſto perfectiorem, facta vero comparatione illius cum gradu vitæ etiam eſt perfectior, quod probatur, quia aſsimilat creaturas Deo in ratione eius perfectiſsima, propiſsima & veluti diferentiali, quam oſtendam ſtatim eſſe non vitam, ſed intellectualitatem: tum etiam quia ſolus ille tribuit creaturis rationalibus perfectionem imaginis Deitatis: tum denique, quia intellectualitas eſt principium nobilioris operationis, inter omnes enim vitales operationes perfectiſsima eſt intelligere: vnde & in illa conſiſtit beatitudo, quæ eſt omnium actionum nobiliſsima: igitur cum ille gradus ſit perfectior, cui perfectior operatio debetur, eo quod operatio ſequitur potentiam, & eſsentiam, illam proximè, & hanc radicaliter, intellectualitatis gradus, cui perfectiſsima debetur operatio, erit omnium perfectiſsimus. Secundo probatur concluſio quo ad vtranque partem: nam ſupremus gradus vniuerſi eſt, qui perfectiori modo continet omnium perfectiones, ſed intellectualitas continet perfectiori modo omnium graduum perfectiones, ſicut rationalis anima continet in gradu excellentiori vegetatiuum, & ſenſitiuum: ergo perfectiſsimus gradus omnium eſt intellectualitas: declaratur maior, duo ſunt de ratione ſupremi gradus vniuerſalis: omnium perfectionum continentia, & excellentia in cõtinendo illas: vndè quia eſſentia Dei continet omnium creaturarum perfectiones eminentiori, & excellentiori modo, quam ſunt in ſe ipſis comparatur adillas teſtè D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 6. & quæſt. 55. art. 1. vt actus perfectus ad actus minus perfectos, & illas clare, & diſtinctè, & ſecundum propria vniuſcuiuſque repreſentat. Minor autem probatur, quia intelligere omnia eſt eſſe omnia in eſſe intelligibili, ſicut enim cognoſcitiua ſe habent ad cognoſcere alia, ita ſe habent ad eſſe alia propter abſtractionem à materia, quam petunt cognoſcentia, & in qua à non cognoſcentibus diſtinguuntur, igitur cum natura intellectualis poſsit omnia cognoſcere, etiã omnium naturas, ac perfectiones poterit ſibi identificare in eſſe intelligibili, qui eſt nobilior modus eſſendi, vel habendi aliquid quã materialiter, & phiſicè. Declaratur antecedẽs: nã propterea Deus, qui omnia cognoſcit per eſſentiam ſuam omnia continet eminenter, & eſt idem cum omnibus in eſſe eminentiali, & Angelus qui per ſuam eſſentiam cognoſcit alios Angelos quo ad rationem genericam, etiam per ſuam eſſentiam eſt idem cum illis in ratione generica. Et anima rationalis, quæ per ſpecies diſtinctas à ſe cognoſcit omnia, etiam per accidentalem informationem in eſſe intelligibili fit omnia, ſenſitiua quoque animalis bruti anima, quæ materialia ſingularia percipit, per ſpecies accidentales etiam fit idem cum illis in eſſe intentionali: eodem igitur modo ſe habent cognoſcentia ad cognoſcere alia, quo ſe habent ad eſſe alia. Tertio: nam licet extenſiue gradus entis contineat plures perfectiones, intenſiue tamen, & collectiuè eaſdem continet intellectualitas: ergo eſt perfectior gradus, conſequentia patet, quia ex parte perfectionum contentarum nulla eſt diferentia, ſiquidem eaſdem continet vterque gradus, ex parte vero modi continendi excedit intellectualitas, quia quo plura magis vnitè, & collectiuè in aliqua forma continentur, eo talis forma eſt intenſiue perfectior, ex intenſione autem abſolutè, & ſimpliciter maior, aut minor perfectio formæ eſt deſumenda: Antecedens autem probatur: nam ſic ſe habet intellectualis natura adens, ſicut creatura intellectualis ſe habet ad vniuerſum, parificatur enim ſuperioritas entis creati: cum continentia, & incluſione vniuerſi, ſed intenſiue creatura intellectualis eſt perfectior vniuerſo, & vnite continet omnes illius perfectiones, vt docet D. Thom. quæſt. 93. proxime allegata, artic. 2. ad 3. vbi cum argumentum illud propoſuiſſet ad probãdum vniuerſum ipſum eſſe quandam Dei imaginem in hunc modum. *Præterea quanto aliquid eſt magis perfectum in bonitate, tanto magis eſt Deo ſimile, ſed totum vniuerſum eſt perfectius in bonitate, quam homo &c. Ergo totum vniuerſum eſt ad imaginem Dei, & non ſolum homo.* Reſpõdet tamẽ in hęc verba. *Ad tertium dicendũ. quod vniuerſum eſt perfectius in bonitate, quam intellectualis creatura extenſiue, & diffuſiue, ſed intenſiuè, & collectiuè ſimilitudo diuinæ perfectionis magis inuenitur in intellectuali creatura, quæ eſt capax ſummi boni, &c.* In qua ſolutione comparat D. Thomas creaturam intellectualem cum toto vniuerſo, cuius illa eſt pars, & in hac comparatione, ait vniuerſum excedere creaturam intellectualem extenſiue excedi tamen ab illa intenſiue, hic autem exceſſus attenditur penes maiorem naturæ excedentis perfectionem.

14 Sed

14 Sed contra arguitur primo: nã quã to aliquis gradus est abstractior abstractione formali, tanto est perfectior, hæc enim abstractio edificat perfectionem, vt patet ex notabili, & fundamento primæ sententiæ, idemque docet D. Thom. 1. contra gentes c. 24. & Caiet. 1. p. q. 4. art. 1. & 82. art. 3. sed gradus entis est abstractior abstractione formali, quã cæteri gradus: ergo est omnium perfectissimus. Minor probatur: nã sicut est omnium communissimus, ita est omnium à materia remotissimus, magis enim ens remouetur á singularibus quam ratio viuentis, aut intelligentis eo quod magis ratio entis distat à singularibus, quã omnis alia ratio ipsi inferior, cum sit omnium rationum suprema & vniuersalior. Confirmatur, & declaratur amplius hoc argumentũ: quia quanto aliqua ratio est cõmunior, & secũdum abstractionem potentialem alijs potentialior, tanto est illis actualior vt sub est abstractioni formali, quia plures prehabet perfectiones, cum ad plura se extendat, à quibus abstrahit abstractioni formali, ideſt eorum perfectiones seclusis imperfectionibus retinendo. Sed ratio entis est omnium communissima: ac proinde potentialissima vt subest abstractioni potentiali: ergo eadem vt subest abstractione formali est omnium actualissima, patet consequentia: nam sicut subest ratio entis abstractioni potentiali, quatenus superior per modum cõmunissimi, ac supremi vniuersalis, ita subest abstractioni formali quatenus est suprema forma, & actus rerũ. Respondetur ad hoc argumentum negãdo minorem: nam licèt extensiue sit gradus entis omnium cõmunissimus, & abstractissimus abstractione etiam formali, quia plura physice continet sub se, tamen gradus intellectualitatis eadem prehabet in esse intelligibili, quod est à materia magis depuratum, & abstractum quã gradus entis in esse physico. Ad cõfirmationem, vel nego maiorem, vel distingo illam, quanto aliqua ratio est communior, tanto est actualior, vt sub est abstractioni formali extensiue concedo, tanto est actualior intẽsiue nego maiorem: vel aliter potest distingui, quanto est communior secundum prædicationem & veluti in esse physico tãto est actualior ratio, negatur, quanto est communior in esse intelligibili & secundum continentiam intellectualem tanto est actualior ad, mittitur maior, sed in hoc sensu neganda est minor, sola enim ratio intellectualis, est quæ in esse intelligibili sibi omnia idẽtificat: ac proinde illa est actualior. Secũdo arguitur: nam modus, quo ratio entis abstrahit formaliter à suis inferioribus, est perfectior, quam abstractio formalis gradus vitæ, & gradus intellectualitatis: ergo ratio entis prout illi subest est omnium actualissima, antecedẽs probatur, supponendo id, quod etiam in solutione præcedentis argumenti supponi videtur, nempè dari latitudinem in abstractionibus formalibus: ac proinde in rationibus sic abstractis, quo supposito ostenditur abstractionem gradus entis perfectiorem esse abstractionibus, siue immaterialitatibus gradus vitæ, & gradus intellectualitatis ex triplici capite. Tũ quia per illã constituitur ratio entis in esse supremi, ac perfectissimi obiecti speculabilis, à quo specificatur Methaphisica, quæ est omniũ scientiarum naturalium nobilissima. Tum etiã: quia continet in se ratio entis, vt sic abstracta rationes vitæ, & intellectualitatis abstrahit enim ab illis formaliter: ac proinde retinet earum perfectiones, & aliquid amplius, cum enim sit forma superior ad illas habet se respectu illarum sicut forma perfectior & perfectius & potestatiue continens vegetatiuam, & sensitiuam. Tum denique quia illi vt sic debetur existẽtia quæ est omnium formarum formalitas & actus omnium actualissimus, teste D. Tho. 1. p. q. 3. art. 4. illa autem est omnium rationum perfectissima quæ sibi vendicat actum omnium perfectissimum: ergo. Respondetur negando antecedens, ad probationem primam quæ desumitur ex dignitate supremi speculabilis per sciẽtiam naturalẽ. Respõdetur, quod propterea ens abstractũ abstractione formali constituitur in ratione obiecti methaphisicę: quia includit sub se substantias intellectuales, in quibus saluatur realiter separatum ab omni materia, vnde maior, & perfectior est huiusmodi substantiarum abstractio à materia, quam abstractio entis hæc enim est secundum rationẽ, sed illa est secundum esse & aparte rei, & propter illam abstractio entis abstrahit illud ab omni materia, iuxta posterior istiusmodi regulam asserentem, propter quod vnumquodque tale, & illud est magis tale. Ad secundam negatur antecedẽs: quia aliter anima rationalis ad vegetatiuam, & sensitiuã se habet aliter vero gradus entis vt formali subest abstractioni, ad gradus vitæ, & intellectualitatis, anima enim rationalis se habet, vt species perfectior in genere animarum, quæ in generico gradu conuenit cum alijs animabus: vnde & formaliter secundum hunc, licèt perfectiori modo continet rationem vegetatiuæ, & sensitiuæ ani-

mæ, rationes tamen ſpecificas, & particulares illius animæ, quæ tantum eſt vegetatiua, & illius, quæ tantum eſt ſenſitiua dicitur poteſtatiue continere, ſicut ſpecies perfectior alicuius generis, quatenus eſt aliarum eiuſdem generis menſura, & canon, dicitur virtualiter illas continere, abſtractiones autem entis, vitæ & intellectualitatis & ſi in gradu veluti generico abſtractionis formalis conueniant, in quo parificantur animabus, gradus tamen ipſi, quibus cõueniunt ſunt diuerſi, vnde ratione diuerſitatis illorum animata, ab inanimatis, & intellectualia à viuentibus dũtaxat vitæ gradu gaudentibus differunt graduali diuerſitate, quæ pœnes diuerſa genera eiuſdẽ ordinis rerũ attenditur. Rurſus admiſſo quod in omnibus eſſet omnimoda parificatio ad huc ex hijs ſpeciebus abſtractionis formalis illa debet perfectior exiſtimari: ac proinde cæteras virtualiter continere, quæ nobiliori modo elõgatur à materia, dummodo non admittat pauciores perfectiones, hæc autem proculdubio eſt abſtractio gradus intellectualitatis, qui omnia entia continet in eſſe intelligibili, & alias ſecundum eſſe, eſt abſtractus à cõditionibus materialibus. Ad tertiam diſtinguenda eſt maior, debetur rationi entis ſic abſtractæ exiſtẽtia phiſica: verum eſt, debetur exiſtentia intelligibilis, falſum eſt, exiſtentia namque naturæ intellectualis perfectior, & actualior eſt, quam exiſtentia gradus entis etiam in eſſe phiſico, in eſſe vero intelligibili exiſtentia rerum eſt ipſum intelligere, per quod res intellecta ſit idem cũ intelligente, eſt enim intelligere, intelligentem eſſe in actu ſecũdo rem intellectam, intelligere autem actus perfectior eſt, quam exiſtentia quæ rẽponit in eſſe phiſico ſecũdum gradum entis præciſſe à gradu intellectualitatis condiſtinctum, vt intellectio lapidis, per quam anima fit lapis in eſſe intelligibili ſimpliciter loquendo perfectior eſt, quam exiſtentia phiſica lapidis, & ſi ſecundum quid excedatur ab illa, vnde D. Thom. 1. p. q. 82. artic. 3. oſtendit intellectum eſſe perfectiorem volũtate per comparationem ad illas res, quæ ſunt imperfectiores anima, eo quod in anima habeant modum eſſendi nobiliorem quam in ſe ipſis. Sed contra arguitur tertio: nam intellectualitas eſt inferior eſſentialiter ad ens, quod quidem habet omnem eſſendi plenitudinem: ergo nõ poteſt ſola intellectualitas naturalis totiſtationi entis æquipollere, antecedẽs eſt luce clarius, ſuperius namque eſt à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, & huiuſmodi eſt ens, nõ enim valet bene: eſt ens: ergo eſt natura intellectualis, lapis enim, qui eſt ens non eſt natura intellectualis: conſequentia autem probatur: nam nullum inferius poteſt totam ſui ſuperioris continere plenitudinem. Huic argumento reſpondet D. Thom. opuſculo 42. ca. 1. quod inferius eſt in duplici differentia, aliud enim eſt, quod continet totam perfectionẽ ſui ſuperioris, cuius modi eſt Deus reſpectu entis qui habet omnem eſſendi plenitudinem, aliud vero eſt, quod non ſic incontinentia perfectionis adæquatur ſuo ſuperiori, & huiuſmodi inferius eſt poſterius ſubſiſtendi conſequentia ſuperiori, ſecus vero illud, vnde Deus non eſt poſterior ſubſiſtendi cõſequentia quam ens, bene enim valet: eſt ens: ergo eſt Deus, ly eſt dicente exiſtentiã Dei, quia omne ens aut eſt Deus, aut ſupponit Deum in rerum natura, à quo dependet in fieri, & conſeruari. Poteſt etiam aliter intelligi hæc ſi multas, quam D. Thom. conſtituit inter Deum, & ens, etiam ly eſt ſumpto de tertio adiacente: quia bene valet eſt ens: ergo tale ens, vel eſt Deus, vel aliquid Dei, vel effectus Dei: ita vt cum ente in recto conuertibiliter ſe habeat Deus ſiue in recto, ſiue in obliquo predicatus, & in hoc ſenſu verum eſt Deũ conuerti cum ente, & eſſe ſimul ſubſiſtendi conſequentia, & ſi ens ſit ſuperius ſecũdum prædicationem, cum igitur natura intellectualis in eſſe intelligibili etiam contineat totam entis latitudinem, licèt in prædicando ſit inferior illo, tamen in continẽdo conuertibiliter cum illo ſe habet, vnde ſicut valet: eſt natura intellectualis: ergo eſt ens, ita bene ſequitur: eſt ens: ergo eſt vel natura intellectualis, vel aliquid illius, ſcilicet obiectum intelligibile, quod in eſſe intelligibili eſt idem cum intelligente. Vltimo arguitur, gradus entis eſt radix intellectualitatis gradus, ita vt ſit ille ratio à priori demonſtrandi de quo libet ſuppoſito intellectualis naturæ iſtum, ſed radix, atque ratio demonſtrãdi à priori aliquod prædicatum de aliquo ſubiecto eſt perfectior prædicato demonſtrato, ſicut principium potentiæ, & eſſentia paſsiones conſequutas excedit ſecundum dignitatem: ergo. Maior patet: quia hæc cauſalis eſt vera, quia Angelus eſt ens immateriale, eſt intellectualis; ſiue iſta: vnũquodque eſt intellectuale in quantum eſt ens actuale, & immateriale, cum intellectus ratio ſequatur ad immaterialitatem, qua ratione probat D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. Deum ex ſumma immaterialitate eſſe in ſummo intelligibilitatis paſsiuę

&

& ex eadem radice quæſt. 4. artic. 1. oſtendit ei conuenire gradum ſummi intellectiui. Ad hoc argumentum reſpondetur negando maiorem, ad probationem dico illas propoſitiones non eſſe veras in ſenſu cauſali, ſed ſolum in ſenſu identico, & ſecundum quandam concomitantiam, vnde in eis dictio *quia* vel *in quantum*, non cauſalitatem, aut cauſæ, vel radicis prioritatem, ſed duntaxat identitatem, vel concomitantiam importat, ita vt ſenſus ſit Angelum eſſe intellectualem, per entitatem immaterialem, & vnumquodque ratione immaterialis entitatis habere naturam intellectualem. De adductis autem teſtimonijs Angelici Doctoris, alias ſatis, ſuperque dictum fuit à nobis.

ARTICVLVS II.

Quis horum trium gradum ſit in Deo ſupremus, Deitatiſque formaliter conſtitutiuus?

15 IN hoc duæ ſunt ſententiæ prima aſſerens ſupremum gradũ, ac proinde noſtro more intelligendi Deitatis conſtitutiuum eſſe gradũ entis: eſt Scoti in 1. d. 3. q. 1. Cáiet. 1. p. q. 56. art. 3. §. *quoad ſecundũ*, Ledeſmij, vbi ſup. Bañeſij 1. p. q. 14. art. 8. qui diuerſimode id explicant, Scotus enim huiuſmodi gradus conſtituti ui Deitatis excellentiam conſtituit in ente infinito, Ledeſmius vero, in entitate veluti radicali per modum totalitatis: alij autem in entitate actualiſsima per modum exiſtentiæ, & actus ſecundi. Idque in quo conueniunt dicti auctores ſuadent, primo: quia conceptus entis infiniti eſt perfectiſſimus, ſimpliciſsimus, & Deo magis proprius: ergo in illo conſiſtit formaliter eſſentia Deitatis. Conſequentia eſt nota, quoniam Dei eſſentia in eo quod habet prædictas conditiones debet conſiſtere. Antecedens autẽ oſtenditur tripliciter: tum quia Deitas vt præintellecta attributis, eſt per ſe 1. infinita, & ratione eius infinitatis ſapientia: v. g. iuſtitia, & alia attributa ſunt infinita ſecundario, & per modum perfectionis modalis. Tum etiam, quia Deitas ratione ſuæ infinitatis habet non poſſe repræſentari quidditatiue per ſpeciẽ creatã: quod eſt propriſsimum eius prædicatum: Teſtẽ D. Th. 1. p. q. 12. art. 2. vnde ſecluſa infinitate poſſet iuſtitia, ſiue ſapientia repræſentari per ſpeciem creatam: ergo ratio entis infiniti eſt propriſsima Dei. Tũ etiã, quia hoc nomẽ *ens infinitum*, cũ ſit maximè illimitatum, & indeterminatum, eſt propriſsimũ Dei ex modo ſuæ ſignificationis: eo quod eſſe, D. Th. 1. p. q. 13. art. 11 quo nomen diuinũ eſt magis illimitatum, eo magis accedit ad modũ eſſẽdi Dei in ſe: ac proinde eſt magis propriũ illius: hoc autẽ nomen ex parte participij entis, importat cõmuniſsimã rationẽ omniũ, & ex parte adiectiui *infiniti*, importat rationẽ indeterminatiſsimã, hoc eſt ipſam negationẽ limitationis: ergo & ratio per illud ſignificata eſt Deo propriſsima. Quod amplius confirmant ex hoc nomine, *qui eſt*, quod eſt Dei propriſsimũ, vt ibidẽ probat D. Th. ex eo quod eſt ſimpliciſsimũ, & indeterminatiſsimũ: atque ſignificat ipſam Dei eſſentiã: propterea enim Exod. 3. Moyſi quærenti, ſi dixerint mihi, quod eſt nomẽ eius, quid dicã eis, reſpondit ſic, *dices eis, qui eſt, miſit me ad vos*: ergo eſſentia Dei formaliter cõſiſtit in ipſo actu exiſtendi, quem ſignificat nomen, *qui eſt*. Nam eſſentia Dei, ſicut & cuiuſcumque alterius rei, debet in ratione ſuprema, atque primordiali quæ ſit, veluti radix attributorũ, & proprietatũ, collocari: hanc autẽ eſſe entitatẽ, & non intellectualitatẽ probatur: tũ quia diuina ſupernaturalitas quæ eſt omnium diuinarũ perfectionũ ſuprema, vtpotè cuius gratia qua ſumus filij Dei eſt formalis participatio conſiſtit formaliter in ipſo eſſe independenti. Tum etiam quia Deo vt præintellecto perſonis conuenit huiuſmodi eſſe per eſſentiã, & independens, non autem conuenit intelligere: nam omne intelligens intelligit in verbo, quod non conuenit Deo vt præintellecto perſonis, quia vt ſic præintelligitur ad perſonam verbi: tertio, quia intellectualitas dupliciter poteſt accipi, nimirum, aut paſsiuè, aut actiuè, ſed neutro modo poſſe conſtituere diuinã eſſentiã formaliter patet: quia paſsiue ſumpta eſt Deũ intellectũ, ſeu cognitũ eſſe: quæ eſt denominatio rationis tã in *Deo*, quã in creaturis, vtpote prouenies ab intellectione, vt intellectio, ſiue ſpeculatio eſt, quod conſideratur veluti in completum in Deo ante aduentum actualis intellectionis, aqua veluti vltimo cõpletur, dũ Deus ſe ipſum intelligit: ac proinde in neutra intellectualitate poteſt conſiſtere eſſentia Dei: vtpotè quæ neque in denominatione rationis, neque in aliquo deſiderante complementum conſtitui poteſt: ergo in gradu entis actualiſsimi conſtituenda eſt. Secunda ſententia conſtituẽs in gradu intelligẽdi formale Deitatis cõſtitutiuũ eſt eiuſdẽ Bañeſij vbi ſup. q. 14. art. 4. Mol. ibid. & aliorum

iunio-

iuniorũ: quorũ alij huiuſmodi cõſtitutiuũ Deitatis in intellectualitate per modũ radicis. Alij vero de quorũ numero ſunt idẽ Mol. & Bañeſius vbi ſup. nec nõ q.27.art. 2. in ipſa intellectione per modũ actus ſecundi illud conſtituunt.

Excluditur ſententia Scotiſtarũ ponens infinitatem eſſe Dei cõſtitutiuũ.

16 Pro cuius declaratione dico primo formale conſtitutiuũ Deitatis non eſt ens infinitũ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Scotiſtarũ ſententiã. Et ſuadetur 1. ratione qua vtitur Caiet. in dicto art.11.q.13. nimirum quia teſtẽ ibidẽ D. Th. hoc nomẽ, *qui eſt*, inter omnia diuina nomina eſt Deo propriſſimũ, & ſimpliciſsimũ: & nõ hoc nomẽ *ens infinitũ*: quod tamẽ ſi exprimeret cõceptũ propriſsimum Dei, & eius rationẽ primordialẽ, pariter eſſet nomẽ propriſsimũ Dei: ergo. 2. quia huiuſmodi cõplexũ entis infiniti reſoluitur in duos cõceptus, nimirum entis, & infiniti, ex quibus cõflatur: ſed cõceptus reſolubilis in duos, vt ſit quidditatiuus, oportet quo ad vtrũque eſſe quidditatiuum alioquin rationale albũ: eſſet prædicatũ eſſentiale hominis, quia quoad primũ conceptũ importat hominis eſſentiale conſtitutiuũ: ergo pariter ſi ens infinitum eſt conſtitutiuũ Deitatis, quoad vtrumque cõceptũ debet eſſe conſtitutiuũ. Tũc vitra: ſed licet ratione entitatis in qua veluti radicaliter præhabetur infinitas, ſit conſtitutiuũ Deitatis, in quo ſenſu loquutus fuiſſe videtur Caiet. dicto art.1.q.56. ſecus vero ratione 2. cõceptus, nimirũ infinitatis: quoniã hæc noſtro more intelligendi eſt modus, ſiue attributalis perfectio de genere earũ quæ diuinã naturã ſuponunt, & ad illã ſecundũ rationem conſequuntur: ergo. 3. quia infinitas demonſtratur de *Deo* à prio ri à D. Th. 1.p.q.7.art.1. per eſſe irreceptũ in materia: ita vt hæc cauſalis ſit vera: quia Deus eſt in ſummè immaterialis, & omnino irreceptus in materia, eſt illimitatus, ac proinde infinitus: ergo infinitas conſequitur noſtro modo intelligendi cũ fundamẽto in re, ad eſſe irreceptũ, & in materiale: & hoc eſt ratio, ſiue cauſa virtualis illius, nõ minus, quam immutabilitas eſt ratio, ſiue cauſa virtualis æternitatis.

Dico 2. neque gradus entis, ſed intellectualitatis eſt formale, & totale cõſtitutiuũ Deitatis. Hæc ſtatuitur cõtra dictos iunio res citatos in 1. ſententia & ſuadetur: Tum quia ex dictis art. præcedenti cõſtat gradum ſupremũ, & perfectiſsimũ in Deo eſſe intellectualẽ: nec nõ ex D. T. q.22. de veritate art.11. ad 4. cõſtat gradũ quo ratio entis eſt perfectiſsimo modo cõtrahibilis, eſſe intellectualitatẽ vt aduerſarij etiã fatentur: ſed in eode gradu ſunt ratio differentialis contrahens, & ſuperior contrahibilis: ergo totalis eſſentia Dei intra gradum nobiliſsimum intellectualitatis continetur. Deinde quia adæquata eſſentia, & natura Dei habens modum naturæ eſt quam Pater diuinus communicat filio ex vi generationis, quæ ad naturã ſormaliter terminatur: cõmunicat autẽ filio naturã intellectualẽ formaliter: eo quod producit illũ in ratione verbi per actionẽ intellectus, per quã producitur vt ſimilis principio intelligẽti in natura intelectuali: ergo. Neque ſufficit ad generationẽ quod ſit cõmunicatiua per ſe ſolius gradus diferẽtialis, nifi ſimul ſit & totius naturæ cõmunicatiua: nã generatio hominis nõ à ſolo gradu diferẽtiali, ſed à tota natura hominis in qua aſſimilatur homogenitus generãti, ſpecificatur. Tũ denique, quoniã in Angelo qui eſt naturæ intellectualis, & ſimplex, formale, & totale conſtitutiuũ nõ eſt gradus entis aut vitæ, ſed ipſa intellectualitas, ſiue ratio ſuſtantiæ intellectiuæ: ſed Deus eſt naturæ intellectualis, & ſimpliciſsimus: ergo eius formale, & totale conſtitutiuũ nõ eſt gradus entis aut vitæ: ſed eſt gradus intellectiuus, hoc eſt ipſa ſubſtãtia, ſiue entitas inde pẽdẽs, viuẽs vita intellectuali. Cõſequẽtia patet: tũ quia in hac ratione conſtituimus lib.7. ipſam increatã Dei ſupernaturalitatẽ quæ eſt eius propriſsima, & primordialis ratio. Tũ etiã, quia cũ in Deo iſti tres gradus ſint ſingulares, & abſtracti ſecũdũ rem ab omni materia, & formaliter inter ſe idẽtificari, nõ poteſt vnus ab alio præſcindi, aut abſtrahi, ſed neceſſario ſe inuicẽ includũt, ita vt diuina entitas ſit vita intellectualis, & diuina vita ſit entitas intellectualis, & diuina intellectualitas ſit entitas viuens & ſubſiſtẽs habẽs omnẽ plenitudinẽ eſſendi: qua propter ex parte totalitatis, aut abſtractionis formalis neuter excedit alterũ: & alias cũ noſtro modo concipiendi intellectualitas excedat cæteros gradus in eo, quod explicat gradum Deo magis propriũ, in quo creaturarũ perfectiones nobiliori modo cõtinẽtur, & ſecũdũ quẽ creaturæ intellectuales per modũ imaginis aſſimilãtur, & qui cõmunicatur filio ex vi generationis primario, in illo præ alijs ponẽda eſt ratio totalis conſtitutiua Deitatis. Hinc colligo 1. aduerſus nõ nullos ex dictis Thomiſt. recẽtioribus, & diſtinctio totalis, & partialis nõ habet locũ in hijs gradibus diuinis: nã licet iſti tres gradus prout cõmunes analogice Deo, & creaturis, habeãt rationẽ ſuperioris, ac inferioris, & ſic poſſunt

possunt accipi partialiter, quatenus scilicet vnus veluti præscindit ab altero, & est cõtrahibilis per alterũ: tamẽ prout sunt in Deo, iã sunt determinati, & se inuicẽ includẽtes propter summã idẽtitatẽ, ac proinde nequeunt accipi vt partiales, propter duplex incõuenies, ꝙ ex tali partialitate sequeretur: nimirũ, & ꝙ daretur in Deo ratio cõtrahẽs, & cõtrahibilis: intellectualitas enim esset ratio partialis cõtrahẽs, & entitas diuina esset cõtrahibilis, ac per cõsequẽs potẽtialis ꝙ derogat summæ actualitati Dei: nec nõ daretur in illo cõpositio metaphisica derogãs summæ eius actualitati, & simplicitati: quia hæc fit ex pluribus cõceptibus obiectiuis mutuo à se inuicẽ præcindẽtibus, & habẽtibus se per modũ determinãtis, & determinabilis: & sic se haberent isti gradus diuini, entis, vitæ & intellectualitatis: prout partialiter à prædictis auctoribus cõsiderãtur. Col. 2. aduersus alios ex recẽsitis Thomist. iustitiã, misericordiã, & omnipotẽtiã nõ magis pertinere ad gradũ entitatiuũ in Deo, quam ad intellectualẽ. Eo ꝙ gradus intellectualitatis est natura totalis Dei vt dictũ est, ac proinde radix omnium attributorũ imo & processionũ ac relationũ: inde enim probãt Aug. 8. de Trin. & D. T. 1. p. q. 27. ar. 3. dari processiones, & relationes in Deo, quia est intellectiuus, & volitiuus. Deinde: ista causalis est vera, quia Deus est in summo intellectualis habet potẽtiã operatiuã infinitã, ac per cõsequẽs est omnipotẽs: quia operatur per intellectũ: nec nõ, quia eius volũtas est summè perfecta, habet infinitã misericordiã, ac iustitiã, quæ sunt virtutes pertinẽtes ad volũtatẽ: hæc autẽ est atributum proprium naturæ intellectualis.

Intellectualitas radicatis & nõ actualis intellectioest quidditas Deitatis.

17 Dico 3. intelligere diuinũ, ꝙ nostro modo intelligẽdi est formale & totale cõstitutiuũ Deitatis, no est intellectio per modum intellectus secũdi, sed intellectualitas per per modũ radicalis principij cõcepta. Hęc cõclusio statuitur aduersus auctores primi modi defendẽdi 2. sententiã, & suadetur 1. nã natura Dei debet cõstitui in conceptu primordiali, absoluto, & magis indepẽdẽti nostro modo intelligendi: sed iste est radicalis, & no actualis intellectio: ergo in illa, & nõ in ista cõsistit diuinæ naturæ cõstitutiuũ. Min. patet: nã actualis intellectio dicit nostro modo intelligẽdi habitudinẽ ad obiectũ extrinsecũ, testẽ D. T. 1. p. q. 14. ar. 2. ad 1. vnde Deus intelligit alia à se, & tamẽ nõ est aliud à se: supponit etiã intellectio diuina principiũ, concipitur enim vt actualitas sui principij, in quo radicatur, & à quo nostro modo intelligẽdi veluti dimanat: ergo cõceptus actualis intellectionis, neq; est simplicior, neque prior, neque indepẽdẽtior. Cõsequẽtia vero probatur, quia sicut essentia creaturæ apud nos cõsistit in ratione primæ radicali, & minus depẽdẽti ex omnibus, quæ in creatura reperiuntur, ad quã cætera prædicata, & perfectiones cõsequũtur, illãque afficiũt, & supponunt, ita essentia Dei per rationẽ & analogiam rei creatæ à nobis cognita debet in primo, minus depẽdẽti, & magis absoluto cõceptu cõstitui. 2. quia inter intellectionẽ actualẽ, & essentiã, siue naturã diuinam cõcipitur à nobis cũ fundamẽto in re ordo aliquis, & distinctio virtualis: distinguit enim D. T. q. & art. proximè allegato ad 3. in Deo potẽtiã intellectiuã, & actũ intellectionis, & q. 41. art. 4. ad 3. subdit ꝙ respectu actuũ essentialiũ, scilicet intellectionis ac volitionis ponũtur in Deo potẽtiæ, & principia secũdũ rationẽ distincta, nimirũ intellectus, & volũtas: sed hic ordo intellectionis ad eius principiũ est posterioris ad id quod est prius secũdũ rationẽ: ergo ad actualẽ intellectionẽ præsupponitur intellectus per modũ principij. 3. nã filio cõmunicatur natura diuina formaliter, & nõ cõmunicatur illi per modũ actualis intellectionis: eo quod verbũ procedit per modũ termini intellecti veluti passiue ex vi suę processionis quia vt sic est terminus intellectionis, ac proinde potius ei cõmunicatur formaliter intelligi quã intelligere actiuè per modũ actus secũdi: ergo in hoc nõ cõsistit formaliter natura Dei vt generãtis. Vndè hæc propositio: intelligere Dei est substãtia Dei, quã habet D. T. 1. p. q. 14. ar. 4. siue hęc, intelligere Dei est esse Dei, ex qua tbi. q. 27. ar. 2. probat diuinũ verbũ procedere simile in natura Patris, sumpta in sensu formali no debet accipi de intellectione per modũ actus 2. sed de radicali quæ in Deo est idẽ cũ intellectu, specie actu intelligendi, & obiecto intellecto: nã hęc quatuor idẽtificãtur formaliter vbi intellectus est purus actus, vt habet D. T. in d. art. 4. Vltimo: dũ dicimus essẽtiã Dei consistere in actuali intellectione: aut intelligitur de illa prout cõcipitur à nobis cõceptu quidditatiuo, & vt est in se: aut prout cõceptu conotatiuo quẽ habemus per speciẽ intellectionis creatæ nõ 1. quia sic nequit cõcipi à nobis pro hoc statu extra visionẽ beatã: neq; secũdũ: quia ille cõceptus diuinę intellectionis est cõceptus intellectionis accidẽtalis nõ solũ ex parte modi cognoscẽdi, sed etiã ex parte rei cognitæ: ergo nullo pacto cõsistit in tale intellectione essẽtia Dei. Si dicas conceptũ intellectionis diuinę esse quidẽ ad in-

stat

ſtar accidẽtalis, nõ quia repræſentet accidẽs ſed quia habetur â nobis per ſpeciẽ accidẽtis, ſcilicet intellectionis: & propterea dicitur eſſe ad inſtar accidentis ex parte intelligẽtis: & quoad modũ cognoſcendi, qui cũ ſe teneat ex parte cognoſcẽtis nõ refunditur in rẽcognitã, neque obſtat quominus in illo cõceptu cõſiſtat eſſentia Dei, ſicut & Angel⁹ cõcipiatur à nobis vt res materialis & per ſpeciẽ illius, cõceptu cõnotatiuo nõ obſtat quominus talis cõceptus ex parte obiecti cogniti ſit rei ſpiritualis, & eſſentialis Angelo, quia illa cõnotatio tenet ſe tãtum ex parte noſtri intellectus, & modi concipiẽdi. Cõtra hoc eſt, quia cũ dicitur Angelũ concipi à nobis ad inſtar rei materialis, hoc nõ verificatur ex parte modi cõcipiendi noſtri intellectus, quia iſte etiã eſt ſpiritualis: ergo verificatur ex parte rei cognitæ. Tũ etiã, quia licèt modus iſte cõcipiendi ſit imperfectus, & materialis ex parte cõnotati extrinſeci, hoc eſt ex parte obiecti ſpeciei intelligibilis quę deſeruit ad cõceptũ cõnotatiuũ Angeli, tamẽ refundi debet in ipſum obiectũ cognitũ, nõ quidẽ ſecũdũ ſe, ſed prout ſubeſt tali cognitioni cõnotatiuæ: ergo pariter cũ cõcipimus diuinã intellectionẽ per ſpeciẽ intellectionis creatę accidẽtalis cũ qua analogatur, modus cõcipiẽdi refunditur in illã prout terminat talẽ cõceptũ cõnotatiuũ: ac per cõſequẽs, vt ſic nequit eſſe ratio Dei quidditatiua. Quę ratio cõfirmatur ex doctr. *D.T.* 1. 2. p. q. 1. ar. 1. ad 3. aſſerẽtis nullã actionẽ idẽtificari realiter in creaturis cũ obiecto ad ꝙ terminatur: quo pacto implicat ꝙ volitio ſit 1. volibile, aut quod intellectio ſit 1. intelligibile: ergo in Deo ſecũdũ rationẽ ſaltẽ oportet intellectionẽ ab obiecto diſtingui: & cõſequẽter cum Deus ſit 1. intelligibile ad ꝙ noſtro modo cõcipiẽdi eius intellectio actualis terminatur, nequit ad primariũ, & quidditatiuũ cõceptũ Dei pertinere. Cõſeq. patet quia cõcept⁹ quẽ formam⁹ viatores de intellectione diuina per modũ actionis cõnotat eius principiũ, & obiectũ, hoc eſt, repræſentat illã per habitudinẽ ad ſpeciẽ intelligibilẽ, & principiũ intelligens, & ad obiectũ intellectũ, quaſi inter hæc duo extrema verſantẽ: ergo ex vitalis cõceptus intelligitur vt cõdiſtincta à principio, & obiecto, & vt illa præſuponẽs: id autem quod habet rationẽ eſſentiæ nihil vt prius debet præſuponere: quod ſi eſt ſubſtantia cõpleta, neque poteſt concipi cũ habitudine ad terminum vt pote cũ in cõceptu omnino abſoluto à termino debeat cõſiſtere: ergo.

18 Ad 1. autẽ pro 1. ſentẽtia nego antecedẽs. Ad cuius 1. probationẽ dico diſcrimẽ inter diuinã eſſentiã, ſeu intellectualitatẽ, & cætera eius attributa quãtũ ad habere modũ infinitatis hoc eſſe, quod diuina eſſẽtia habere intelligitur infinitatẽ primario, & ratione ſui tãquã radix illius cui perfect. cõuenit infinitas: attributa vero intelligũtur habere illã per ſe 2. hoc eſt ratione eſſẽtiæ, quã includũt, & cũ qua idẽtificãtur. Ad 2. reſpõdetur diuinã eſſẽtiã ideo eſſe irrepræſentabilẽ quidditatiue per ſpeciẽ creatam quia eſt infinita: intellige, quia eſt infinita radicaliter, hoc eſt quia eſt intellectualitas præhabẽs radicaliter infinitatẽ: vel quia ſe cũdũ rẽ idẽtificatur cũ infinitate: ad 3. dico ob eaſdẽ rationes nomẽ entis infiniti eſſe propriſsimũ Deo quoad nos: non autẽ eſſe quidditatiuũ prout importat infinitatẽ formalẽ quæ per negationẽ explicatur: cum quidditas Dei in cõceptu potius poſitiuo, & prę intellecto ad omnẽ negationẽ debeat collocari. Ad cõfirmationẽ reſpõdetur: vel ꝙ nomẽ *qui eſt*, eſt propriſsimũ Dei, quatenus ſignificat ens ſubſiſtẽs, & indepẽdẽs in natura intellectuali: vel ꝙ eſt propriſsimũ Dei ſolũ quãtũ ad id àquo nomẽ fuit impoſitũ, & quãtũ ad nos, quia ſignificat rationẽ cõmunissimã eſſẽdi nobis notioré: nõ autẽ ex parte rei ſignificatæ, quia ſic hoc nomẽ *Deus*, ſicut eſt magis quiditatiuũ, ita & magis propriũ Dei. Ad 1. alterius admiſſa maiori: nego min. Ad cuius 1. probationem, dico radicẽ ſupernaturalitatis in Deo formaliter conſiſtere in ente ſubſiſtẽte, prout viuẽs eſt â ſemetipſo vita intellectuali: ad 2. dico quod Deus etiã vt præintellectus per ſonis eſt intellectualis, & intelligit intellectione eſſentiali, quã habet in verbo eſſentiali, hoc eſt in eſſentia, ſua quatenus eſt mediũ in quo omnia intelligibilia diuino intellectui repræſentãtur. Ad 3. negãda eſt min. aut pro vtraq; parte, aut ſaltẽ pro 2. cuius ratio eſt ꝙ etiã intelligi eſſe in Deo eſt prædicatũ reale, & idẽ omnino cũ ipſo intelligere actiuè: vt videtur innuere D.T. 1. q. 18. ar. 4. & Caiet. q. 15 ar. 1. *quoad* 1. & q. 27. ar. 2. §. *ad euidẽtiã horũ*. Si autẽ ſequamur aliorũ probabilẽ opinionẽ aſſerẽtiũ, ꝙ licèt intelligi paſsiuè prout prouenit ad dictione ponat aliquid reale in verbo producto: pro vt tamẽ prouenit ab intellectione vt ſpeculatio eſt, ſit denominatio rationis: tũc dicẽdũ eſt intellectualitatẽ per modũ principij actiui præciſſe eſſe totale cõſtitutiuum Dei: ꝙ vt ſic præintellectũ actuali intellectione nõ concipitur per modũ potẽtialis, ſed per modum radicalis principij, ꝙ vt ſic perfecti⁹ eſt quã ipſe act⁹ 2. intellectionis: ſicut etiã anima noſtra vt radix intelligẽdi, & pariter ſubſtãtia Angeli perfectior eſt actuali intellectione. QVÆ.

QVÆSTIO III.

De virtute & ratione agẽdi per quã Deus vt prima causa operatur res ad extra in duos articulos diuisa.

DECLARATO formali constitutiuo Dei in se, oportet videre formale constitutiuum illius in ordine ad alia extra se, ideſt in ratione primæ causæ: & quoniam Deus teſte Philoſopho in hoc libro agit & mouet per intellectũ & voluntatem, vt mouens in motum: quia iſtæ potentiæ teſte eodem tertio de anima cap. 15. poſunt mouere in motæ manentes: & cum ad intellectum Artificis pertineat idea & ſcientia ſiue ars, videndum eſt quo pacto ideæ concurrant ad productionem creaturarum in primo articulo: in ſecundo vero, quo pacto diuinus intellectus ſiue eius ſcientia & voluntas ad earundem creaturarum productionem comparentur.

ARTICVLVS. I.

An in Deo ſint ideæ omnium creaturarum, per quas Deus creaturas ipſas producat?

19 IDEAS eſſe in Deo ad quarum immitationem omnes creaturas tanquam ſupremum artifex operatur, vt certum de fide ſuponimus ex illo ad Hæbreos 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*, ideſt exemplaribus idealibus: eſtque communis ſententia Patrum, vt Auguſtini tractatu primo in Ioannem 9. de Ciuitate Dei cap. 22. lib. 83. quæſtionum, quæſtione 46. Dionyſij, cap. 5. de diuinis nominibus, Clementis Alexandrini lib. 5. Stromatum circa finem, Euſebij lib. 11. de præparatione Euangelica capit. 12. & aliorum, quos ſequitur D. Thom. 1. parte quæſtione 15. articulo primo & ſecundo: quas etiam probat ratione naturali: nimirum, quia agens per intellectum & artem, cuiuſmodi eſt Deus, debet habere in ſe rationes ſiue exemplaria rerum faciendarũ ad quorum immitationem illas operetur. In explicando autem per quid huiuſmodi diuinæ ideæ conſtituantur, diuiduntur Theologi in plures modos dicendi. Scotus namque & ſequaces in 1. d. 38. illas conſtituat per quodam eſſe diminutum, medium inter eſſe reale & rationis. Alij vero illas conſtituunt per ipſum diuinum eſſe reale abſolutum, prout præuenit omnem diuini intellectus cognitionem. Alij cum Molina 1 p. q. 15. art. 1. diſp. 1. illas conſtituunt in ipſa actuali cognitione, qua Deus ſuam eſſentiam vt à creaturis immitabilem cognoſcit. Denique diſcipuli D. Tho. cõmuniter eas conſtituunt per ipſam diuinam eſſentiam quatenus exequitur munus conceptus formalis ſiue medij in quo creaturæ repræſentantur: ita vt conceptus idealis ex duobus integretur, nimirum ex diuina eſſentia per modum conceptus formalis veluti de materiali: atque ex eſſe obiectiuo creaturæ prout obiecta diuino intellectui, & cognita ab illo ſimul cum reſpectu rationis immitabilitatis ad creaturã ipſam cuius eſt idea, veluti de formali. Ex quo fit, vt multiplicatis huiuſmodi reſpectibus rationis, multiplicẽtur pariter rationes ideales: vt oſtendit ex profeſſo Caiet. in dict. q. 15. art. 1. & 2. Quo ſupoſito inquirimus in hoc artic. An huiuſmodi diuinæ ideæ ſint id per quod tanquam per rationem formalem agendi Deus ſuos effectus operatur ad extra; vel quo genere cauſalitatis concurrant ideæ ad creaturarum productionem?

20 In quo duæ verſantur ſententiæ: prima aſſimãs Deũ per ideas tanquã per rationẽ agendi operari, eſt Molinæ, vbi ſupra & eorũ qui ideã in cognitione ipſa diuini intellectus cõſtituũt. Eo quod idea eſt ratio cognoſcẽdi modũ quo res ſunt efficiẽdæ: & alias diuina ſcientia eſt cauſa effectiua rerũ: ergo eadẽ quæ eſt ratio cognoſcendi modum rerum faciendarũ, pariter eſt principium efficiens illarũ. Secunda aſſerit diuinas ideas eſſe quidem cauſas rerum creatarum, non effectiuas, ſed formales extrinſecas. Quæ procul dubio eſt ſententia D. Thom. in dicta quæſtione 15. articulo 1. & in primo, d. 36. quæſtione 2. articulo 1. & in 2. d. 1. art. 2. & de veritate quæſtione 3. art. 1. & lib. 1. contra gent. cap. 54. Capreoli in eadem D. Caietani vbi ſupra Bañeſij ibidem & Fonſecæ 7. huius cap. 8. quæſtione ſecunda, ſect. 6. Procuius declaratione.

Dico primo, diuinæ ideæ non ſunt rationes operandi ad extra per quas Deus effectiue influat in ſuos effectus. *Ideas nõ eſſe rationes efficiẽdi res adextra.*

21 Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ: & ſuadetur primo: nam ratio agẽdi per quã Deus effectiue producit creaturas eſt diuina ars ſiue ſcientia, vt art. ſequenti oſtendemus: ſed idea nõ eſt ſcientia,

etenim diuina scientia importat cognitionem diuini intellectus, idea vero consistit non in actuali cognitione sed in formali cõceptu vt dictum est: ergo idea non est ratio agendi. Confirmatur, & declaratur hæc ratio, diuina scientia habet modum principij, idea autẽ habet modũ termini, est enim essentia vt obiecta, vt cognita, & secundum quod habet rationem conceptus formalis, siue medij, in quo creaturæ repræsentantur, sed ratio agendi est id, quod in Deo habet rationem principij, & non id quod habet rationem termini, siue obiecti cogniti: ergo. Secundo arguitur ad hominem aduersus Molinam, ipse namque asserit ibidem quæstione 14. art. 8. diuinam scientiam naturalẽ vt præintellectam omni actu libero voluntatis, esse causam rerum, sed diuina essentia vt præuenit omnẽ actũ intellectus, & volũtatis liberum non habet rationem ideæ practicæ, id est ideæ quatenus est principium non solum cognoscendi, sed etiam producendi rẽ, in cuius signum Dionisius vbi supra relatus diuinas ideas apellat prædestinationes, ac bonas voluntates denotans ante huiusmodi actus non posse intelligi complete in Deo respectus ideales: ergo parum constans est sibi prædictus author. Tertio arguitur iterũ ad hominem; nam ipse in loco præallegato ex quæst. 15. fatetur ideas aliorum artificum esse tantum causas formales extrinsecas, & morales efficientes, formales quidem quia sunt exemplaria rerum artificialium, morales vero quia non efficiunt per se ipsas influẽdo, sed mediante cognitione, qua idea ipsa cognoscitur, cum enim huiusmodi cognitio dirigat potentiam executricem ad opus indeque melius intelligatur modus, quo res fabricanda est, propterea idea artificis creati est ratio, & principium efficiens morale rerum, quæ ad illius imitationem producuntur, sed idea diuina annalogatur cum ideis artificum in ratione ideæ exemplaris, & rationis rei faciendæ: ergo etiam annalogatur cum illis in ratione & modo causandi, ac proinde non est ei atribuenda causalitas alterius generis à causalitate aliarum. Vltimo probatur ratione D. Thomæ in locis præallegatis, quæ reducitur ad hanc formam, idea vt ex ipsa nominis Ethimologia patet, est idem quod forma, idea enim Græce, Latine forma dicitur, vnde idea est forma alterius rei extra ipsam existens, sed id, quod ad aliud comparatur vt forma, solum potest habere rationem exemplaris respectu illius: ergo solam causalitatem exemplaris, siue causæ formalis extrinsicæ poterit habere respectu eius, cuius est exemplar & forma.

12 Dico secundo ideæ requiruntur ad hoc quod Deus effectus ad extra producat. Hæc conclusio probatur primo, nam propterea ponuntur in Deo quia est agens per intellectum, & in omni agente per intellectum, quod non à casu operatur, requiruntur huiusmodi exemplaria, ad quæ respiciens operetur. Secundo nam propterea appellantur à Sanctis Patribus effectrices, & causatiuæ rerum, de illis namque ait Dionisius capite 5. de diuinis nominibus, *exemplaria esse effectrices causas eorum, quæ sunt*, & Augustinus 11. de Ciuitate capite 29. sic ait, *omnia hæc*, scilicet creata, *aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis vbi habent causas, rationesque suas secundum quas facta sunt*, & hoc significat Sacra scriptura quoties ait, Deum omnia in verbo, & per verbum fecisse, sic enim explicant illud Ioannis primo, *omnia per verbum facta sunt*, Ambrosius libro 3. de fide capite 3. Tertullianus contra Hermogenem, Clemens Alexandrinus libro 1. Pedagogi capite 6. & Cirilus libro 1. in Ioannem capite 6. idemque voluit significare Aristoteles 7. huius dum dixit sanitatem in materia fieri à sanitate in anima, idest, à sanitate præconcepta in mente, quæ est sanitatis adquirendæ idea.

Causalitas idearum est formalis extrinseca.

Dico tertio ideæ diuinæ concurrunt ad creaturas producendas in genere dumtaxat causæ formalis extrinsicæ. Hæc conclusio ostenditur primo nam ideæ diuinæ in ratione ideæ annalogantur cum ideis artificum creatorum, ac proinde solum habent eminentiori modo causalitatem illam, quam habent illæ minus perfectæ, at ideæ artificum creatorum solum gaudent causalitate formæ extrinsecæ: ergo & ideæ diuinæ eadem dumtaxat gaudent causalitate eminentiori modo. Minor probatur nam idea in mente artificis creati est conceptus formalis vt supra dictum est, sed conceptus formalis solum concurrit ad effectum arte factum, vt forma extrinseca imitabilis: ergo. Secundo nam idea est forma rei faciendæ propter ipsam existens, in qua diffinitione tota eius essentia declaratur, sed forma rei præter ipsam existens est forma extrinseca, quando obiectum & mensura concurrunt dumtaxat tanquam causæ formales extrinsecæ rei specificatæ, siue mensuratæ: ergo & idea solum concurrit ad ideati productionem tanquam exẽplar ad cuius similitudinẽ artifex operatur, & tanquã mẽsura, ac proinde tanquã causa formalis. Tertio nã idea nihil est aliud quã exẽplar ad cuius similitudinem operatur, sed in hoc

nulla

nulla actiuitas, nullaque efficientia declaratur, neque enim esse id ad cuius similitudinem agens operatur, est agere in idea siue in exemplari, sed tantum est passiue se habere terminando artificis cognitionem, & effectus imitationem: ergo idea vt sic non est ratio agendi, consequentia patet, quia passiua terminatio non est actiuitas, quia solum concurrit terminando alterius tendentiam in ipsum, in qua termination nullus inuoluitur concursus effectiuus: ergo si concursus exemplaris in passiua terminatione imitationis effectus consistit, non est effectiuus sed tantum formalis. Confirmatur, nã ideis diuinis attribuitur in Sacra scriptura, & apud sanctos Patres aliquis concursus respectu creaturarum, propterea enim effectrices rerum nuncupantur, & propterea in verbo, & per verbum, idest, in ideis, & per ideas dicuntur omnia facta fuisse à Deo, at non attribuitur concursus actiuus, iste enim est proprius scientiæ, & voluntatis diuinæ, hijs enim duabus potentijs Deus efficit suos effectus neque alius concursus potest eis attribui, finalis namque competit diuinæ bonitati, & non ideis, quæ pertinent ad conceptionem intellectus, materialis vero propter imperfectionem, quam inuoluit eis repugnat, neque formalis causæ formalis intrinsicæ propter eandem rationem imperfectionis potest eis conuenire: ergo solum concursus formæ extrinsicæ, qui nullam inuoluit imperfectionem potest, ac debet attribui, & conuenire illis.

23 Sed contra arguitur primo: nam ideæ diuinæ constituuntur formaliter per respectum rationis imitabilitatis, sed respectus rationis non tribuit eis virtutem causandi formaliter, aut effectiue, non enim creatura, quæ est ens reale, atque Deitatis participatio potest à respectu rationis effici, aut exemplari: ergo ideæ diuinæ neque exemplaris, neque effectiuæ causæ efficatiam habent. Ad hoc argumentum respondetur quod sicut respectus idealis non consequuntur ad actum diuini intellectus tanquam necessarij vt Deus distincte cognoscat creaturas non enim mendicat Deus à respectibus rationis perfectionem diuinæ intellectionis, sed consequuntur tanquam necessario concomitantes perfectionem, & fœcunditatem diuinæ intellectionis, ita non consequuntur vt tribuant diuinæ intellectioni vim causandi creaturas, sed vt conditiones concomitantes sine quibus diuina essentia nullam creaturam exemplaret tanquam adequatum illius exemplar, licet autem respectus rationis non possit esse ratio formalis causandi creaturam, potest tamen esse conditio necessaria, & concomitans ipsam rationem formalem producendi, atque ei tribuens non vt sit exemplar (hoc enim habet diuina essentia ex perfectione suæ repræsentationis) sed vt sit adequatum exemplar creaturæ producendæ. Secundo arguitur, nam causa efficiens principalis est illa, quæ in ratione agendi assimilat sibi suum effectum, sed agens per intellectum in idea assimilat sibi suum effectum: ergo idea est illi ratio agendi. Maior patet inductione, hac enim ratione ignis generat alium ignem, & homo alium hominem tanquam agens principale, quia assimilant sibi suos effectus ignem scilicet, & hominem genitum in formis substantialibus, quæ sunt ipsis rationes agendi. Minor autem constat ex eo quod artificiata opera ideis artificum de ipsis præconceptis assimilantur, & hac de causa sanitas in materia dicitur ad Aristotele fieri à sanitate præconcepta, & à Dionisio ideas rerum esse earum effectrices, idest rationes agendi: ergo. Respondetur maiorem syllogismi huius deficere in agentibus per intellectum, quæ habent aliquam formam præconceptam, quæ non est eis physica ratio agendi, & nihilominus ei assimilantur eorum effectus tanquam exemplari proposito ad imitandum, quemadmodum enim fieri potest vt prototipo exteriori aliquando ab artifice ad imitandum proposito assimiletur opus, quum sit artifici ratio agendi, ita & idea, quæ est interior prototipus, est forma cui effectus assimilatur, quum sit ratio agendi artifici, qui per intellectum operatur. Tertio arguitur, nam ars est causa effectuum artificiatorum, & non nisi mediante idea: ergo idea est ratio agendi. Consequentia patet quia id mediante quo agens operatur effectiue, etiam causat effectiue saltem tanquam ratio agendi. Maior autem, & minor sunt notæ. Confirmatur, nam tria concurrunt ad opera artificiata ex parte artificis, potentia, scilicet exequtiua, vt exequens ordinem, ac modum operandi præconceptum, voluntas, vt mouens intellectum ad opus, & ars existens in intellectu, vt dirigens mediante idea. Sed concursus ille ex parte voluntatis: & potentiæ exequtiuæ est actiuus: ergo etiam est actiuus ex parte artis, & ideæ. Confirmatur secundo, nam sicut agens naturale per suam formam agit, ratione cuius præhabet effectus similitudinem, ita agens intellectuale per ideam, ratione cuius continet effectus similitudinem, operatur: ergo idea est ei ratio agendi. Vt respondeamus huic argumento opere prætium est reuocare ad

memoriam, quod ſuperius docuimus de modo cauſandi cauſæ exemplaris in lib. 2. vbi ad genus cauſæ formalis exemplarē cauſam diximus reducendā, plures namque ſunt modi dicendi in hac parte. Molina enim in loco prælegato ad genus cauſæ formalis, & efficientis moralis idealē cauſam artificū creatorū reducit, ideas vero increati, ac ſupræmi artificis ad genus cauſæ efficiētis phiſicæ docet pertinere. Suarez vero in methaphiſica diſputat. 25. ſectione 1. omnē ideā reducit ad genus cauſæ efficiētis eo quod argumento facto conuictus cauſalitatem ideæ eſſe effectiuam. Sed verus modus dicēdi eſt omnem ideam vt ſic duntaxat ad genus cauſæ formalis pertinere, quē ſequuntur Albertus in 1. diſtinct. 2. art. 1. Durandus diſtinct. 45. quæſt. 2. Caietanus 1. p. q. 6. art. 4. & Soto 2. Phiſicorum quæſt. 3. quibus ſubſcribunt Fonſeca in loco prælegato ex 7. methaphiſicæ cap. 7. quæſt. 1. ſectione 5. & Conimbricenſes 2. Phiſicorum cap. 3. quæſtione 3. & ſi in eo differant ab Alberto, Caietano, Soto, quod iſti exemplar ad genus cauſæ formalis tātum reductiue, illi vero proprie, & ſine vlla reductione volunt pertinere, in quo tamen deficiunt à veritate, nā cauſa formalis proprie, & perfecte retinens propria ſui generis eſt forma informans, neque methaphorica ſed Phiſica cauſalitate ad effectū concurrens eſtque eius habitudo, eſſe id ex quo fit effectus, ſed exemplar proprie non eſt forma informans, quia extrinſice duntaxat ſpecificat: neque Phiſica, ſed tantum methaphorica, & obiectiua cauſalitate ad inſtar obiecti, ſiue finis concurrit. Neque eius habitudo eſt eſſe id ex quo, ſed id per quod ſicut habitudo obiecti, quæ eſt etiam cauſæ formalis extrinſicæ eſt eſſe ad quod, quæ tres habitudines diuerſæ ſunt infra habitudinē cauſæ formalis veluti eſſe conuenientes: ergo dicendum eſt exemplar vt ſic ad genus duntaxat formalis cauſæ reductiue pertinere, ad quod etiam ideæ diuinæ nō propter ſui imperfectionem, ſed potius propter ſui maximam perfectionem reducuntur, eo quod modus cauſandi per informationem inuoluit imperfectionem illis repugnantem, modus autem cauſandi per modum exemplaris imitabilis eminenter, & ſecluſa omni imperfectione in ipſis reperitur. Moralis autem illa efficientia, quam ideis Molina attribuit ratione intellectus ſiue cognitionis modum operandi dictantis, atque ad opus dirigentis non eſt aliquid in ipſis ideis, ſed eadem prorſus eſt, quam ars ipſa dirigendo ad opus exterius exercit. Quo ſuppoſito ad formam argumenti neganda eſt conſequentia, ad cuius probationē negatur maior deficit enim in agentibus per intellectum. Dupliciter nāque contingit in illis id, per quod agens operatur vno modo id per quod, tanquam per rationem agendi, alio modo id per quod tanquam per exemplar propoſitum operatur artifex. Ad primam confirmationem ad miſſa maiori, & minori negatur conſequentia. Ad ſecundam negatur antecedens agens enim naturale non habet aliam effectus ſimilitudinem, niſi formam, per quam conſtituitur in actu primo, & per eandem Phiſice operatur, agens vero per intellectum duplicem habet formam, alteram per quam Phiſice operatur, & hæc eſt ars medijs potentijs exequtiuis, altera eſt veluti extrinſeca id eſt obiecta, & cognita, & hæc eſt ratio quam de effectu faciendo concipit ad cuius ſimilitudinem effectum ipſum operatur, quæ non eſt ei ratio agendi, ſed eſt ratio ſpecificandi effectū.

ARTICVLVS. II.

An Deus per ſuam ſcientiam tanquam per rationem agendi operetur ſuos effectus?

25 IN hoc articulo conueniunt omnes Theologi, & Catholici Methaphiſici, qui fatentur Deum non ex neceſsitate naturæ, ſed libere operari ſuos effectus per intellectum, & voluntatem illos efficere, ſed in huius explicatione in quatuor dicēdi modos diuiduntur. Molina etenim 1. p. q. 14. art. 8. diſtinguens in Deo duplicem ſcientiam, ſeu eandem ſcientiam dupliciter ſpectatam conſiderans, ſcilicet vt naturalem, & vt præuenientem omnem liberam determinationem diuinæ voluntatis, qua Deus ſtatuit creaturas tali, vel tali tempore futuras eſſe, ait ſcientiam Dei naturalem, ſeu priori modo ſpectatam eſſe illam ſcientiam, de qua intelligitur concluſio D. Thomæ in illo articulo per quam Deus tanquam per proximā agendi rationem ſuos effectus operatur, priori, namque modo ſpectata (ait Molina) ſcientia Dei dirigi voluntatem ad opus, & modum operandi perſcribit, dicturque recta ratio factibilium ac proinde habet rationem artis, qua Deus cuncta fabricatur, præterea antecedit voluntatis determinationem liberam, ab eaque determinatur ad opus, ſpectata vero poſteriori modo neque dirigit voluntatem, neque modum operandi definit, neque actum liberum voluntatis antecedit vt ab eo poſit ad operationem determina

ri, ſed

ri, sed intra limites meræ contemplationis cõtinetur. Alij vero dicũt Deum proximius agere per voluntatẽ, quam per intellectum, ita vt intellectus veluti remote, & per modum dirigentis solum voluntas vero vt proxima ratio agendi ad effectus concurrat, ipsaque rationẽ ac munus potentię exequatur, in quã sententiã inclinat Ferrariensis in 2. contra gen. c. 1. & 16. & Scotus in 1. d. 37. Alij autem de quorũ numero est Suarez 2. to. Methap. disp. 30. sect. 17. nu. 47. dicunt Deum operari per suã met essentiam per quã vt sic agit tanquam per potentiã executiuam ratione distinctã ab intellectu, & voluntate, cuius fundamentũ est quod in Deo huiusmodi tres potentiæ secũdum rationem distinguntur, scilicet intellectus, & potentia executiua, cuius munus est executioni mandare id, ad quod intellectus directio & volũtatis motio terminatur, vbi autẽ ista tria distinguntur ratio proxima operandi est potentia executiua, intellectus enim solũ vt dirigens, voluntasque tantum vt aplicans, siue vt mouens concurrit, quod etiam testatur D. Thom. in duobus locis primæ partis, nempe in quæst. 19. art. 4. Ad quartum vbi sic habet. *Ad quartum dicendum quod vnius, & eiusdem effectus, etiam in nobis est causa scientia vt dirigẽs, qua concipitur forma operis, & voluntas vt imperans, quia forma, vt est in intellectu tantum non determinatur ad hoc quod fiat, vel non fiat in effectu nisi per voluntatem, vnde intellectus speculatiuus nihil dicit de operando, sed potentia est causa, vt exequens, quia nominat immediatum principium operis, sed hæc omnia in Deo sunt,* & quæst. 25. art. 1. Ad quartum in prima solutione eadem fere repetit verba dicens. *Ad quartum dicendum quod potentia non ponitur in Deo vt aliquid dependens à scientia, & voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet, potentia importat rationẽ principij exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit, quæ tria Deo secundum idẽ conueniunt*, in quibus locis attribuit D. Thomas rationem proximam agendi in Deo, nõ scientiæ, aut voluntati, sed potentiæ executrici ab illis secundum rationem distinctæ. Quartus modus dicendi aserit Deum proximius agere per scientiam liberam, id est, habentem adiunctam, & asociatam liberã aplicationem voluntatis: hunc docet D. Thomas 1. parte quæst. 14. art. 8. de veritate quæstione 2. art. 14. in 2. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. & primo contra gent. cap. 61. & 62. quem sequũtur Caiet. & Bañesius in commentario art. 8. præallegati, & art. 4. quæst. 19. & Ferrariensis loco citato, ex 1. contra gẽtes, quos sequuntur, alij lumiores inter quos triplex, adhuc est modus explicandi hanc sententiam sui auctoris, quidã enim dicũt diuinam scientiã liberam per ideas causare, ac producere creaturas, quorũ sententiã, articulo præcedẽti impugnauimus satis. Alij vero volũt quod scientia per se ipsam res operatur, ita vt ipsamet scientia quatenus est actus diuini intellectus, vel ipsemet intellectus sit proxima ratio faciẽdi res ad extra, alij denique dicũt diuinã scientiã esse causam effectiuam creaturarum mediante imperio, quod est actus intellectus practici, ita vt ratio proxima faciendi sit actus imperij, sit ne intellectus diuinus, vt habet adiunctum actum imperij.

29 Respõdeo dicendũ primo scientiam Dei naturalẽ secundũ quod antecedit nostro modo concipiendi liberã determinationem diuinæ volũtatis nõ esse causam rerũ, neque rationem agendi illas ad extra. Hæc conclusio statuitur aduersus primam sententiam, & probatur primo, nam Deus operatur per formam, quæ est ei ratio agendi libere, operatur enim libere, vt quæstione sequenti demõstratur, sed scientia naturalis non est ratio operandi libere, sed potius naturaliter, vnde si Deus per illã vt antecedentẽ liberã suæ voluntatis determinationẽ, operaretur, nõ libere, sed necessario & tanquã agens naturale suos effectus operaretur. ergo. Secundo nã teste D. Thom. 1. part. q. 19. art. 4. voluntas Dei est causa rerum iuxta illud sapientiæ 11. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses?* non nisi quia requiritur actus diuinæ voluntatis vt aplicans scientiam ad operandũ: ergo scientia vt aplicata per voluntatem est Deo proxima ratio causandi creaturas. Confirmatur triplici ratione, qua ibi vtitur D. Thomas: prima est, quia Deus cum sit agens per intellectũ operatur præstituendo sibi finẽ in suis operibus, sed proprium est agentis per intellectum, & voluntatem præstituere sibi finem, naturalia enim agentia operantur ad finem sibi ab extrinseco præstitutum: ergo Deus agit per intellectum, & voluntatem, ac proinde diuinus intellectus non est causa rerum vt antecedit voluntatem, aut eius aplicationem. Secunda reducitur ad hanc formam, quia alias sequeretur quod Deus agẽt, secundum vltimũ suæ potentiæ, (sic enim operantur agentia naturalia) sed consequens est falsum: ergo & antecedens, minor patet quia si ageret secundum vltimum suæ potentiæ produceret infinitum in actu, & ex hauriretur eius omnipotentia, & peruenireturad vltimam speciem, vltra quam progredi non posset, & simul causaret opposita, ad quæ est indifferens scientia diuina, vt præuenit determinationem vo-

luntatis, quæ ſunt in conuenientia omnino vitanda: ergo. Tertia nam illud eſt ratio agẽdi in Deo, ſecundum quam efectus præhabẽtur in illo, & aſimilantur illi, vnaquæq; enim cauſa principalis ſecundum rationem agendi præhabet ſuos efectus, & illos ſibi aſimilat in quantum poteſt, ſed Deus præhabet ſuos efectus ſecundum intellectum inclinatum à voluntate, præhabet enim illos intelligibiliter, efectur autem præhabentur ſecundum modum cauſæ, ſed inclinatio eius ad agendum quod intellectu conceptum eſt, pertinet ad voluntatem; igitur non ſola ſcientia abſque libera determinatione voluntatis eſt cauſa rerum.

Scientiã proximius efficere res ad extra.

Dico ſecũdo licet ſciẽtia, & volũtas ſint cauſa rerũ, tamẽ proximius cõcurrit ſciẽtia, quã volũtas. Hęc cõcluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecũdæ ſententiæ. Et probatur primo, nam quando duo concurrunt ad productionem alicuius effectus alterum, vt ratio agendi, alterum vt aplicatio rationis agẽndi proximius concurrit id, quod ſe habet vt ratio agendi, hac enim de cauſa aplicans ignem ad calefaciendum, non ita proxime cõcurrit ad calefactionẽ ſicut ignis, ſimiliter apræhenſio finis, & boni, quæ ſe habet tanquam aplicatio reſpectu voluntatis, non ita proxime mouet voluntatem, ſicut ipſa bonitas finis apræhenſa, ſed ſcientia diuina habet ſe vt ratio agendi, voluntatis vero determinatio ſe habet vt aplicatio, ſiue motio rationis agendi: ergo non ita proxime concurrit voluntas, ſicut ſcientia. Secundo probatur ratione, qua vtitur D. Thomas quæſtione 14. articulo 8. quæ reducitur ad hanc formam, ſcientia Dei ſe habet ad res creatas, ſicut ſcientia practica artificis ad artificiata, ſed ſcientia practica artificis, ſiue ars eſt cauſa artificiatorum phiſice, & proxime mouens potentias executiuas ad illorum conſtrũctionem: ergo ſcientia Dei eſt cauſa rerum creatarum phiſice, & proxime influens in illas: conſequentia patet, quia ſcientia practica & operatiua, quæ nullis indiget potentijs executiuis ad effectus productionem immediate influit in effectum, & mouet ad illius productionem, vnde ſi talis eſſet ars artificis creati, quod nulla executiua, & miniſteriali potentia indigeret, immediate, & perſe ipſam formam in materiam artificiatorum induceret, quia tamẽ indiget organis corporeis, ac proinde potentijs executiuis illis inſidentibus, propterea proxime, & immediate talia organa cum ſuis potentijs mouet, & aplicat ſuo imperio ad præconcepti operis conſtructionem. Maior vero eſt nota, quia ſcientia artificis creati, & ſcientia Dei analogantur in ratione ſcientiæ, & in ratione principij productiui: ergo quod conuenit illi vt analogato minus principali, debet huic conuenire ſecluſis imperfectionibus, & vt analogato magis principali, illi autem conuenit eſſe cauſam artificiatorum, quæ propter ſui imperfectionem proxime non circa opera artificioſa, ſed circa excutrices potentias ſuam motionem exercet, eſſet autem perfectiſsimo modo cauſa illorum ſi maxima perſe ipſam illa cauſaret: ergo proxima ratio cauſandi res creatas hoc ſecũdo modo debet ſeclusa imperfectione primi modi cauſandi diuinæ ſcientiæ tanquam analogato magis principali conuenire. Confirmat, & declarat amplius D. Thomas maiorem huius diſcurſus in hunc modum, ſicut ars, ſiue ſcientia practica, & factiua artificis continet virtualiter effectum artificialem producendum, ac proinde eſt cauſa illius, ita Deus per ſuam ſcientiã eminẽter præhabet omnes res creatas: ergo ſimiliter per ſuam ſcientiam illas cauſat, antecedens probat, quia per eandem formã continet effectum ſuum, per quam conſtituitur in actu primo ad operandum, vt inductione probari facile poteſt, ſed Deus per ſcientiam, & intellectum cõſtituitur in actu primo ad operandum, cum enim vnumquodque operetur in quantum eſt in actu & id, per quod Deus conſtituitur in ſuo eſſe ſit intellectualitas vt ſuperius quæſt. 2. docuimus, per eandem formam intellectualitatis operatur, quod eminenter ſecundum illam præhabet. Tertio probatur teſtimonio Auguſtini, quod ibi aducit in argumento, *ſed contra*, teſtimonium autem habetur apud Auguſtinum libro 5. de Trinitate capite 13. vbi ſic ait: vniuerſas creaturas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt ideo nouit Deus, ſed ideo ſunt, quia nouit: & quod Molina explicat de ſciẽtia naturali Dei peruenienti liberã volũtatis determinationẽ, de hac enim naturali ſcientia verificatur cauſalis illa Auguſt. (ait ille) ideo ſunt, quia nouit, ſecus autẽ de ſciẽtia libera, ſed verus ſenſus Auguſt. in quo D. Thom. ipſum adducit in loco preallegato ad probandum diuinam ſcientiam aplicatam per voluntatem eſſe cauſam rerũ, igitur quia Deus omnes res creatas nouit ſub diuina ſcientia per voluntatem libere aplicata, propterea illæ habent eſſe in rerum natura. Quarto, probatur teſtimonijs Sacræ ſcripturæ in quibus opus creationis tribuitur, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei Proberbiorũ namque tertio dicitur: *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia, ſapiẽtia illius eruperunt ab ipſo*, & Sapientiæ. 7. *Omniũ artifex*

artifex dotuit me ſapientia, quibus conſonat Regius vates in Pſal. 103. dicens: *Quam magnifica ſunt opera tua Domine omnia in ſapientia feciſti*, & Pſalm. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu*, atque Hieremias cap. 51. *Qui preparauit orbem terræ in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos*: ex quibus tale deducitur argumentum: in his teſtimonijs declarat Sacra ſcriptura, id per quod Deus tanquam per rationẽ agendi produxit res creatas, & dicit quod per ſapientiam ſiue prudentiam illas produxit: ergo ſapientia, ſcientia, ſiue prudentia fuit Deo ratio agẽdi, quod autem voluntas fuerit cõditio applicans diuinam ſcientiam patet ex alijs teſtimonijs, nempè ex illo Pſal. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, &c.* cui conſonat Paulus ad Epheſios 1. dicens de Deo quod: *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & illud* Apocalipſis, 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt*: ex quibus tale deducimus argumentum, res creatæ fuerunt factæ à Deo dependenter ab ipſius voluntate, tanquam ab aliquo neceſſario prerequiſito ad earum productionem, alias non tribueretur earum productio diuinæ voluntati ſpetialius, quam alijs attributis, ſed tribuitur voluntati, vt mouenti, & applicanti, hoc enim ſignificatur, dum dicitur Deum producere omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & propter voluntatem ſuam: conſilium eſt actus intellectus moti, & aplicati â voluntate, & per ly *propter*, magis denotatur cauſalitas mouentis, & applicantis, quam influentis proxime: ergo proximius cõcurrit ſcientia, quam voluntas ad rerum creatarum productionem, quia illa vt ratio agendi, hæc vero vt conditio applicans cõcurrit, & quia vtranque concurrere ad productionem rerum aperte colligitur ex pre allegatis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, nequit abſque fidei iniuria altera illarum à rerũ cauſalitate excludi, quia vero ſcientia libera eſt âſociata voluntatis determinationi, atque per ipſam aplicata abſque periculo, & temeritatis nota non poteſt liberæ ſcientiæ mũus cauſandi res creatas denegari.

27 Dico tertio, abſolute ſcientia diuina eſt in Deo proxima ratio agendi, itavt nulla alia inter ipſã, & effectus productos mediet. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores tertiæ ſententiæ, qui dicunt proximiorem rationem agendi eſſe potentiam executiuam, quam putant inter intellectum, & res productas mediare. Et probatur primo: nã D. Tho. in loco pre allegato quæſtion. 25. poſt primam ſolutionem adhibuit ſtatim ſecundam dicens: *Vel dicendum quod ipſa ſcientia, & voluntas diuina ſecundum quod eſt principium effectiuum habet rationem potentiæ, vnde conſideratio ſcientiæ, & voluntatis precedit in Deo conſiderationem potentiæ, ſicut cauſa precedit operationem, & effectum*: quam ſolutionem primæ preponit, dum illam ſecundo loco ponit, ac proinde ſententia negans in Deo executiuã potentiam ratione diſtincta â voluntate, & intellectu, magis placet Angelico Doctori, vnde, & illam approbat ſecũdo contra gentes, cap. 23. & 35. & propterea etiam, 1. part. quæſtion. 54. artic. 5. in Angelis ſolum ponit duas potentias, intellectiuam, ſcilicet, & volitiuam exiſtimans vt ibi egregie aduertit Caietan. naturas intellectuales his duabus tantum potentijs gaudere, atque in eis cum virtute volitiua coincidere virtutem motiuam, quo ſuppoſito argumentor ſic. In Deo ſecundum ſententiam propriam Doctoris Angelici non datur potẽtia motiua, ſiue executiua diſtincta ſecundum rationem ab intellectu, & voluntate, ſed ex his duabus intellectus proximius concurrit ad rerum productionem: ergo abſolute eſt ratio proximior operandi. Confirmatur: nam ſi in Deo eſſet potentia executiua medians ſecundum rationis ordinem inter intellectum, & effectus producendos actualis productio eſſet actio tranſiens ab intelligere, & velle conditincta, ſiquidem diuerſis potentijs diuerſæ proportionabiliter debentur actiones: ſed D. Thom. in locis pre allegatis 2. contra gentes ſolas actiones, immanentes formaliter intelligendi, & volendi, ac virtualiter dum taxat tranſeuntes agnoſcit, quod & nos lib. 5. ſatis oſtendimus: ergo neque talis potentia executiua ponenda eſt in Deo. Secundo: nã ſi talis potentia media poneretur immediatius diuinum imperiũ intellectus quo Deus creaturas producit intelligeretur terminatum ad illam, quam ad creaturas, ſiquidem mediante illa, diuinus intellectus produceret res creatas ad eum modum, quo ſecundũ rem ars creati artificis prius imperat potentijs executiuis corporeis, & medijs illis motis, & aplicatis efficit artificiata conſequens eſt falſum, tùm quia imperium, ſicut & promiſsio eſt ad alterũ, & reſpectu alterius realiter diſtincti, talis autem diſtinctio defficit inter diuinas potentias. Tùm etiam, quia in locis Sacræ ſcripturæ, in quibus hoc imperium explicatur per immediatum ordinem ad creaturas explicatur quaſi immediate ad illas terminetur, propterea dicitur Geneſ. 1. *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*, & Pſal. 32. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*, in primo, etenim teſtimonio verbũ imperatiuum, *fiat*, ad lucem immediate terminatur,

minatur, at in ſecundo dicere, ac mandare non ad aliquid in Deo exiſtens, ſed ad res factas refertur: ergo. Confirmatur: nam predeſtinatio, eſt actus diuini imperij, quo homines ad vitam æternam tranſmittuntur, vt docent diſcipuli D. Thomæ cum ſuo authore, 1. part. quæſt. 23. artic. 1. & tamen immediate ad homines terminatur, ipſi namque ſunt, qui inuitam æternam tranſmittuntur, qui & ſunt, ac appellantur predeſtinati: ergo diuinum imperium ad creaturas immediate terminatur, ac proinde diuinus intellectus erit abſolute proxima ratio operandi in Deo.

28 Dico quarto, diuina ſcientia eſt cauſa rerum creatarum, ſecundum quod exequitur munus imperij practici diuini intellectus, hæc concluſio ſtatuitur aduerſus primum & ſecundum modum explicandi, quartam ſententiam, & probatur primo: nam ſcientia Dei eſt cauſa rerum ſecundum quod eſt efficax, & practica, ſic enim eſt operatiua, ſed eſt efficax, & practica, quatenus eſt imperium: ergo vt ſic eſt cauſa rerum. Minor probatur ſupponendo, quod ſcientia Dei vna, & ſimplex cum ſit formaliter pre habet plures perfectiones, quæ in intellectu creato diuiſæ, & multiplicatæ reperiuntur, vnde cum in intellectu creato reperiatur perfectio principij intellectiui, & perfectio ſcientificæ cognitionis ſpeculatiuæ, & perfectio artis, atque cognitionis practicæ, ſiue imperij, quod eſt actus practici intellectus, quæ quidem perfectiones conueniunt intellectui ſecundum diuerſas formas, atque realitates, tamen omnes illas ſecluſis imperfectionibus pre habet diuinus intellectus ſub vnica ſimpliciſsima forma, multiplici tamen eminenter, eadem namq; intellectiua perfectio in Deo eſt principium cognoſcitiuum, & ſimul eſt cognitio ſpeculatiua rerum creatarũ vt contẽplatur, & practica, atque earum factiua, vt ſpeculatiua eſt iudicium, quod Deus habet de vna quaque re, vt praxis vero eſt imperium efficax, & vnius cuiuſque rei creatæ factiuum, quo ſuppoſito ſic argumentor, ſcientia Dei, vt prehabet perfectionem imperij eſt efficax, & factiua: ergo vt ſic eſt cauſa rerum. Confirmatur, ars creata eſt factiua artificiatorum per imperium, & mediante illo, ſed ars diuina in ratione principij operatiui analogatur, cum arte creata: ergo etiã eſt factiua per imperium: tunc vltra, ſed imperium diuinum eſt idem cum intellectu, & arte diuina, ſcientia enim, & intellectus in Deo habent actualitatem actus ſecundi: ergo ars, ſiue ſcientia diuina eſt operatiua quatenus prehabet perfectionem imperij. Secũdo; nam in locis proxime citatis ex Sacra ſcriptura, in quibus declaratur id, per quod Deus producit res creatas, ex primitur actus imperij, hunc enim ſignicat illa ratio imperatiui modi, *fiat lux*, ſubditurque mærito, *& facta eſt lux*, vt denotaretur ex efficatia diuini imperij factam fuiſſe lucem, ex qua omnia ſimiliter fuiſſe facta teſtatur Regius vates dicens: *Ipſe mandauit, & creata ſunt, &c.* Tertio probatur impugnando alios duos modos dicendi, primus namque aſſeuerans per diuinas ideas cauſari res creatas, defficit: tum, quia vt dictum eſt ideæ tantum concurrunt formaliter extrinſice exemplando res creatas: in præſentiarum autem agimus de principio effectiuo per quod Deus operatur. Tum etiam, quia ideæ habent modum termini, ſunt enim eſſentia vt cognita, & vt obiecta intellectui, vnde magis habent rationem cõceptus formalis, atque medij, in quo Deus cognoſcit, & ad cuius ſimilitudinem operatur, quam principij per quod operatur. Secundus vero modus dicendi, aut quando ait diuinam ſcientiam perſe ipſam, & ſine vllo medio eſſe cauſam rerum creatarum, excludit perfectionem imperij, aut tantum excludit rationes veluti extraneas intellectui, qualis eſt & potentia executiua ſi poneretur in Deo, ſi primum, defficit à veritate, quia ſcientia diuina ſecluſa ratione imperij, tantum habet perfectionem iudicij pure ſpeculatiui, vt ſic autem non eſt cauſa rerum, quia non eſt practica, aut operatiua, ſi ſecundum ſolo nomine à noſtra concluſione diſentit, idem enim eſt diuinam ſcientiam perſe ipſam in hoc ſenſu, eſſe cauſam rerum atque per imperium, quia perſe ipſam, hoc eſt, per eandem metrationem formalem, licet multiplicem eminenter habet exequi munus ſcientiæ iudicij, & imperij.

29 Sed contra arguitur primo: nam neque ſcientia libera Dei, neque ſcientia naturalis eſt cauſa rerum: ergo Deus non producit res creatas per ſuam ſcientiam, tanquam per rationem formalem, antecedens probatur pro prima parte (pro ſecunda enim ſupponitur probatum à nobis:) nam de huiuſmodi ſcientia libera dicit Origines, lib. 7. ſuper Epiſtolam ad Romanos, explicans illa verba Pauli: *Quos vocauit hos, & iuſtificauit* nõ propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur a Deo ante quam fiat, vbi manifeſte loquitur de ſcientia futurorum contingentium, quæ eſt libera, & de hac dicit non ideo res eſſe futuras, qui Deus ſcit illas eſſe futuras, ſed è contra ideo Deum illas ſcire, ideſt intuitiue, cognoſcere, quia ſunt futuræ: ergo ſcientia libera Dei nõ eſt cauſa rerum. Confitmatur primo: nã ſciẽ

tia

tia libera Dei preſupponit determinationẽ voluntatis, vt dictum eſt, ſed pro illo priori, iam res ad quam terminatur volitio diuina habet futuritionem: ergo ſcientia libera nõ eſt cauſa futuritionis rerum. Minor probatur quia volitio illa, qua Deus voluit Gabrielem v. g. producere antecedenter ad intuitiuam ſcientiam: de illo fuit efficax, ita vt ſi per impoſsibile deeſſet ſcientia de Gabriele, adhuc Gabriel eſſet futurus ne diuina voluntas, cuius nemo reſiſtere poteſt fruſtraretur: ergo ex vi illius antecedenter ad ſcientiam habet Gabriel ſuum fore. Confirmatur ſecundo, hæc cauſalis eſt vera, quia Deus voluit creare Gabrielem cognouit intuitiue Gabrielem: ergo prior fuit volitio creandi Gabrielem, quam libera eius cognitio, ac proinde talis libera cognitio non eſt factiua, ſed mere ſpeculatiua Gabrielis, ſupponitque illius eſſe futurum. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, pro prima parte: ad probationem reſpondetur cum D. Thoma, vbi ſupra in ſolutione ad primum vbi explicans teſtimonium Origenis ait, quod in prima parte loquitur de ſcientia ſecundum rationem ſcientiæ præciſſe, & ex propriis meritis ſcientiæ: cui non competit ratio cauſalitatis, niſi ad iuncta volũtate, denotans quod de ſcientia diuina prout antecedit voluntatis actum, & ſimiliter de ſcientia pure ſpeculatiua verum eſt dicere non eſſe cauſam rerum, & propterea non quia Deus ſcit aliquid ſcientia naturali, aut pure ſpeculatiua, ideo illud eſſe futurum, cognoſcit namque Deus ſcientia naturali multa entia poſsibilia, quæ nunquam erunt, & ſcientia pure ſpeculatiua cognoſcit pecata quæ tamen nõ ideo ſunt futura, quia Deus nouit illa: ſecundam vero partem teſtimonij prefati ait D. Thom. eſſe veram, ſi dictio cauſalis dicat cauſam cõ ſequentiæ, non cauſam ſecundum eſſe, ita vt ſenſus ſit, eo ipſo quod aliqua ſunt futura ſunt obiecta diuinæ ſcientiæ, & in pro ſpectu diuini intuitus, & propterea verum eſt dicere, quod quia ſunt futura ideo cognoſcuntur à Deo, *ly quia*, dicente concomitantiam, vel cauſam illationis per quam ſecundum ſequitur ex primo per bonam conſequentiam. Ad primam confirmationem reſpondetur, negando minorem, vel diſtingo illam: pro illo enim priori creatura habet futuritionem incomplete, quantum eſt ex parte conditionis aplicantis, ſed non complete, quia non dum intelligitur completa cauſa illius, ſicut ex vi electionis, quæ antecedit actum prædeſtinationis intelligitur gloria hominis electi futura ſecundum quid, quatenus dependens ab electione in ſuo genere, & non ſimpliciter, quia non dum intelligitur cõpleta cauſa futuritionis gloriæ, quoad vſq; intelligatur actus intellectus, in quo conſummatur prædeſtinatio. Ad ſecundam diſtingo pariter antecedens, illa enim cauſalis eſt vera ſi dictio, *quia*, reduplicet cauſam in adæquatam, & per modum aplicantis. Secus vero ſi reduplicet cauſam adæquatam, & vt proximã rationem agendi in Deo, non enim *præciſſe* quia voluit, ſed quia voluit, & imperauit Gabrielem fieri, ſeu quia illum practice ſciuit, propterea Gabriel fuit creatus, & quia practicè illum cognouit, ſpeculatiue ipſum vidit in æternitate, *ly quia*, dicente concomitantiam, cum enim ſcientia factiua, & ſpeculatiua ſit idem attributũ non eſt illa ratio aut cauſa illius. Secundo arguitur: cauſa eſt illa, ad quam diſpoſitam, & non impeditam ſequitur neceſſario effectus, ſed ad ſcientiam diuinam etiam liberam, & practicam poſitam in Deo ab æterno non ſequitur neceſſario effectus, alias ab æterno fuiſſent creaturæ, quod derogat articulo fidei de mundi inceptione temporali: ergo ſcientia Dei non eſt cauſa rerum. Si dicas maiorem eſſe veram de cauſa poſita in actu ſecundo, ſecus autem de cauſa poſita tantum in actu primo, & ſic fuit ſcientia Dei ab æterno. Sed contra hoc eſt, quia cauſam eſſe poſitam in actu ſecundo eſt illam actu producere. Vnde dicere, quod ad cauſam in actu ſecundo ſequitur effectus, nihil aliud erit, quam dicere quod ſi cauſa producit actu, ſtatim ſequitur productio effectus, quod eſſet idem per idẽ. Rurſus adhuc hac expoſitione admiſſa non infringitur vis argumenti: nam diuina ſcientia ab æterno fuit in actu ſecundo derogat enim eius actualitati, quod fuerit aliquando in potentia ad actionem: ergo ſi ad illã non fuit ſtatim ſubſequutus effectus ſignum eſt ipſam non habere veram rationem cauſæ.

Reſpondetur cum Ferrarienſi 1. cont. gentes cap. 67. & Soto 2. Phyſicorum, quæſt. 3. ad quartum quod illa maior propoſitio intellecta de cauſis naturalibus, quæ ex neceſsitate naturæ producunt ſuos effectus eſt vniuerſaliter vera, talibus enim cauſis poſitis formaliter in ratione cauſæ ſequitur neceſſario effectus ſi aliunde non impediatur: in cauſis vero liberis non habet vniuerſaliter verum ad illas enim poſitas in actu ſecundo ſui decreti, imperij ac determinationis efficacis non ſequitur ſtatim effectus, ſed ſatis eſt illum ſequi pro loco, & tempore, pro quo ipſum determinauit fore, poteſt etiam verificari tam in cauſis liberis, quam in naturalibus, adhuc ſenſum quod neceſſarium, ſiue infalibile ſit effectum poni in eſſe, poſita cauſa pro ſuo te

pore

pore, vel ſimul vt ſi cauſa ſit naturalis, vel pro tempore ſtatuto ſi ſit libera, & in hoc conſiſtit efficatia diuinæ ſcientiæ, quod creaturæ ponantur in eſſe intempore pro quo decreuit illas foreponendas in eſſe, eo quod ne dũ ſubſtantiæ, ſiue entitatis effectus, ſed etiam omnium eius circunſtantiarum, & modorum eſt factiua, poteſt tertio explicari axioma illud iuxta explicationem inter arguendum aſſignatam adhunc ſenſum, quod poſita cauſa in actu ſecundo ne dum quoad perfectionem actus ſecundi, ſed etiam quoad modum actualis productionis ſtatim ſequatur effectus, neque in hoc ſenſu committitur nugatio: nam aliud eſt ad cauſam actu producentem ſequitur actualis productio, & aliud, ad cauſã actu producentem ſequitur ſtatim effectus, in primo eſt nugatio non vero in ſecundo, & quia diuina ſcientia, licet ab æterno habuerit actualitatem, & perfectionem actus ſecundi, non tamen habuit modum actualis productionis, propterea non oportet effectus ab æterno illam commitari.

30 Tertio arguitur: diuinæ ſcientiæ repugnat eſſe proximam rationem cauſandi in Deo: ergo ruit noſtra ſententia. Antecedens probatur oſtendendo hanc repugnantiam, ex quadruplici capite, primo, ex parte obiecti: nam ſcientia libera Dei, ſiue appelletur libera, ſiue practica, ſiue aprobationis, tamen formaliter eſt ſcientia viſionis, ſed hæc ſupponit res iam exiſtentes in æternitate, quia omnis cognitio intuitiua ſupponit ſuum obiectum exiſtens: ergo. Secundo ex parte voluntatis diuinæ, quæ mediat noſtro modo intelligendi inter ſcientiam naturalem, & creaturas, & illa, eſt ſufficiens cauſa eſſendi rebus ipſis, ſicut & eſt ſufficiens ratio illas cognoſcendi, Deus namque indeterminatione ſuæ voluntatis tan quam in cauſa cognoſcere poteſt futura: ergo volitio eſt proxima, & efficax ratio producendi creaturas. Tertio ex parte imperij: nam licet in nobis habeat locum actus imperij, ſecus autem in Deo non enim poteſt diuinum imperium dirigi ad ipſum Deum, vel ad aliquid ipſius Dei defectu diſtinctionis realis, & inferioritatis, ad terminationem imperij requiſitæ, neque ad creaturas, quæ non dum ſunt, & imperium non dirigitur niſi ad rem exiſtentem: ergo ſcientia Dei nequit in ratione imperij eſſe cauſa rerum creatarum. Quarto ex parte diuinæ eſſentiæ oſtenditur hæc repugnantia: nam ſicut intelligere Dei eſt eſſe Dei, ita & velle identificatur cum eſſe diuino: ergo hæc identitas non eſt ratio quare intelligere ſit cauſa rerum creatarum, magis quam velle. Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, ad primam probationem nego minorem, pro cuius declaratione prenotandum eſt, diuinam ſcientiam, licet vnicum attributum ſit, ex eo quod eius obiectum primarium, & formale quaſi ſpecificatiuum vnum eſt, ſcilicet diuina eſſentia. Habere nihilominus tripliceni terminationem ab obiecta ſecundaria, ſcilicet ad creaturas, ex qua tripli terminatione triplex etiam nomen ſortitur, dicitur enim naturalis quatenus terminatur ad creaturas poſibiles, dicitur libera, & viſionis quatenus terminatur ad futuras, ſiue exiſtentes, ſed quia ad has dupliciter terminatur, nempe & vt factiua illarum, & vt contemplatrix earundem: ſecundum primum reſpectum dicitur ſcientia aprobationis, ſiue practica, & ratione ſecundi dicitur præciſe ſcientia viſionis, ſiue ſpeculatiua viſionis: poſſumus etiam extriplici rerum creatarum ſtatu, hanc ttiplicem ſcientiæ diuinæ nomenclaturam accipere. Res enim aut ſunt poſibiles, aut futuræ, & in via ad exiſtentiam, aut iam exiſtentes, veluti infacto eſſe intra æternitatem, vnde quatenus ſcientia Dei terminatur ad res ſub ratione poſibilis dicitur naturalis, quatenus vero terminatur ad res vt futuras, ſiue vt producendas dicitur ſciẽtia aprobationis, & quatenus terminatur ad eaſdem vt iam factas dicitur ſcientia viſionis ſpeculatiua, & quia quando ſcientia eſt factiua ſui obiecti vt ſic non oportet, quod illud ſupponat, bene autem quando eſt tantum ſpeculatiua illius, cum ſcientia libera Dei vtramque rationem habeat, quatenus factiua non ſupponit res exiſtentes, ſed facit illas exiſtere, quatenus vero ſpeculatiua eſt illas ſupponit iam ſub exiſtentia: quo ſuppoſito negatur minor, vel diſtinguitur iuxta aſſignatam diſtinctionem. Ad ſecundam diſtinguo maiorem, diuina volitio mediat inter ſcientiam Dei abſolute, & effectus nego: imo illam applicat: mediat inter ſcientiam quoad munus ſcientiæ naturalis tranſeat, ſed præcedit illam quoad munus ſcientiæ liberæ, & factiuæ. Ad tertiam negatur antecedens, ſicut enim in noſtro intellectu practico, ita & in diuino ſeclufis imperfectionibus habet locum imperium efficax, quod quidem immediate dirigitur ad creaturas, & quia eſt ſimul factiuũ ſui obiecti propterea non petit creaturas, ad quas terminatur pre exiſtere ipſi, ſed potius facit illas ſimul tempore exiſtere, atque in hoc diſcriminatur a motione diuinæ voluntatis, quod hæc immediate dirigitur ad intellectum,

lectam, ſiue ad ſcientiam propter diſtinctionem virtualem inter vtrumque, quia hic eſt naturalis modus operandi voluntatis, vt non moueat niſi mediante intellectu, imperium autem, quod eſt motio intellectus practici etiam dirigeretur proxime in Deo ad potentiam executiuam virtualiter ab ipſo intellectu diſtinctam ſi daretur, quia tamen non datur vt ſupponimus, & ſuperius oſtendimus proxime dirigitur ad creaturas non productas ante tali imperium, ſed ex vi illius producendas. Ad quartam nego antecedens: nam licet eſſentia diuina formaliter actualiter ſit ſuum velle, & ſua miſericordia, ac ſua iuſtitia, tamen cum ſuo intelligere non ſolum identificatur formaliter, ſed etiam virtualiter, ita vt nulla diſtinctio, ſiue formalis, ſiue virtualis inter illam, & intelligere verſetur, eo quod formaliſsime conſiſtit vt dictum eſt in gradu intellectualitatis, ad quem noſtro modo concipiendi conſequitur ratio volitiui, vnde ratio formalis, per quam Deus agit, & pre habet perfectiones creaturarum, non eſt voluntas, ſed intellectus, & ſcientia.

QVÆSTIO IIII.

De temporali rerum productione creaturarum abſque læſione diuinæ immutabilitatis, in quatuor articulos diuiſa.

DE eſſentia primæ, atque in creatæ ſubſtantiæ, de eius intellectualitate, de ratione formali per quam cõſtituitur in actu primo, vt operetur ad extra, & in qua rerum creatarum naturas, ac perfectiones prehabeat eminenter hucuſque verba fecimus. In hac autem vltima quæſtione, vt receptui canentes exoptatum miſce noſtris in Methaphyſicam commentarijs finem imponamus: de ipſa rerum creatarum actuali productione agere conuenienter doctrinæ ordo expoſcit, & quoniam temporalis rerum productio arguit creatoris libertatem, immutabilitatem vero prima facie læ dere videtur; æternam quoque mundi creationem aufert, eius impoſsibilitatẽ quoad aliquas creaturas minime tollit: hæc quatuor ſingulis articulis ſunt â nobis examinanda: videlicet diuina libertas quoad eſſe, & quoad operari, mundi creatio facta libere a Deo, & in initio temporis, deinde an quoad aliquas creaturas potuerit eſſe ab æterno mundialis machina? & tandem, quo pacto facta in tempore non lædat ipſius primi motoris immutabilitatẽ. Poſſunt etiam alia ratione huiuſmodi articuli ordinari, cum enim temporalis rerum creatarum productio poſit, vt multis Philoſophis ſuaſum fuit, aut ex defectu libertatis in Deo, quem multi ex neceſsitate naturæ operantem exiſtimarunt, aut ex ipſarum rerum perpetuitate, aut ex diuinæ immutabilitatis neceſsitate repugnare, propterea omnes has radices apparentis repugnantiæ ſingulis articulis excludemus: vnde in primo liberum modum agendi in Deo ſtatuemus: in ſecundo diuinam immutabilitatem non lædi ex temporali rerum productione. In tertio neque perpetuitatem aliquarũ rerum illam impedire, vt potè prorſus impoſsibilem: & tandem in quarto in tempore fuiſſe productam mũdialem machinam de facto quoad omnes partes vniuerſi concludemus: iuxta quem ordinem, vt potè conuenientiorem, ſequitur primus articulus diſputandus.

ARTICVLVS I.

An Deus gaudeat eſſentiali libertate, ſeruetque modum agentis liberi in operando ad extra?

1 IN hoc articulo vnum ſupponimus, & aliud inquirimus. Supponimus quidem cum D. Thom. prima parte, qnæſtion. 19. articul. 3. & cum ſententia communi Theologorum, & certa ſecundum fidem diuinam voluntatem reſpectu ſuæ bonitatis non eſſe liberã inamãdo, ſed ex neceſſitate Deum velle ſuam bonitatem, propter habitudinem vniuſcuiuſque potentiæ ad ſuum obiectum primarium: ex qua diuina voluntas neceſsitatur neceſsitate ſpecificationis, & exercicij ad amandum bonitatem in creatam, quæ eſt eius obiectum primarium. Inquirimus autem an libere determinetur ad amandum obiecta ſecundaria, hoc eſt creaturas? In quo omiſſo errore Gentilium Philoſophorum exiſtimantium Deum ex neceſsitate naturæ amare, ac producere creaturas ad extra: cuius ſectatores fuerunt Ariſtoteles, & Auerrois 8. Phyſicorum, capit. 2. & primo de cœlo textu primo, & alij relati ab Alberto, ſecunda parte, de mirabili ſcientia Dei tractatu primo, ab Auguſtino, libr. 10. de ciuitate capit. 3. & libr. 11. capit. 4. & â D. Thom. libr. 2. contra gentes capit. 35. ſiue Ariſtoteles huic opinioni inhæſerit, vt volunt, Scotus in primo diſtinct. 8. quæſtion. 5. Marſilius, quæſtion. 42. Okamus, & Gabriel, diſtinction. 43. Molina, 1. p. q. 19. ar. 4. diſp. 2. & Conimb. 8. Phyſico, c. 2. q. 3. art. 2. ſiue cũ formidine, & dubitan-

biranter aſſenſum præbuerit, vt contendit D. Th. vbi ſup. & in hoc libr. lect. 5. & 1. p. q. 46. a. 1. Inter Catholicos cõmuniter recepta ſententia affirmat Deum liberum fuiſſe in productione mundi quoad omnes eius partes. De qua videndi ſunt D. Tho. prima parte, quæſtion. 19. articul. 2. & 3. & 2. contra gentes, cap. 23. & in 1. diſtinct. 43. quæſtion. 2. Capreolus, ibidem diſtinction. 45. artic. 2. Aureolus eadem diſtinct. artic. 3. Ferrarienſis in locis nuper allegatis 2. contra gentes, & lib. 1. capit. 75. Caietanus, Molina, Vazquius, Bañeſius, & alij Iuniores in commentario, dicti artic. 2. & 3. primæ partis, Suarius diſputat. 30. Methaphyſicæ ſection. 9. & in relectione de libertate diuina diſpu. 1. ſect. 2. & Fonſ. 7. huius, c. 8. q. 5. ſect. 4. & 5.

Varijmodi explicandi libertatem diuini actus.

2 In explicando autem huiuſmodi diuini actus libertate in quinq; modos dicendi diuiduntur. Primus eſt Altiſiodorenſis, & Aureoli aſſerentium actum diuinæ voluntatis, qui eſt neceſſarius, & naturalis prout terminatur ad bonitatem diuinã fieri liberum per ſolam connotationem effectus ad extra producti. Eo quod actus liberi Dei non poteſt nõ includere aliquid, quod in Deo potuerit nõ eſſe: hoc autem ſuperadditum, nequit eſſe reſpectus rationis, cum libertas ſaluetur in diuino actu independenter a conſideratione intellectus: ergo eſt connotatio rerum creatarum ad extra. Secundus eſt Caietani aſſerentis huiuſmodi formalem libertatem diuini actus in quadam eius perfectione reali, & voluntaria: quæ abſolute potuit Deo non conuenire: licet ex ſuppoſitione quod fuerit ſemel in Deo ab eterno, non poſsit illi ab eſſe propter eius immutabilitatẽ. Quæ perfectio nihil aliud eſt, quam ipſa libera actus diuini volũtatis terminatio ad creaturas. Idq; ſuadet Caie. duplicitor. Tũ, quia velle liberũ vt ſic, eſt perfectio ſimpliciter: ergo ſicut reperitur in nobis, & Angelis, â fortiori debet reperiri in Deo: in quo proinde erit perfectio. Tũ, etiã quia id, per quod actus diuinæ volũtatis eſt cauſa rerum, eſt aliqua perfectio: ſed actus diuinæ voluntatis cauſat actualiter res per illud quod ſuperaddit libertatis ad ſe ipſum, quatenus eſt neceſſarius, & naturalis: ergo hæc eſt libera perfectio in diuina volũtate: quę proinde poteſt ab eſſe, & ad eſſe illi: quia hæc eſt cõditio actus liberi vt ſic. In eũdẽ modũ dicendi volens nolens incidit Fonſeca, ſolis verbis diſcrepans â ſententia Caiet. quã animo impugnare conabatur: eo quod admittit huiuſmodi libertatẽ diuinæ voluntatis cõſiſtere in actuali extẽſione, ſeu termi natione defectibili ad creaturas: quã fatetur eſſe realẽ in Deo: diffitetur tamẽ illã eſſe perfectionẽ. Tertius eſt ferecõmuniter receptus à Thomiſtis recẽſitis aſſerentibus illud ſuperadditum per quod actus diuinæ voluntatis neceſſario, & naturali fit liber, eſſe ſolũ reſpectũ rationis ad creaturas, quibus in hac parte ſubſcribit Molin. diſp. 2. quorũ fundamentũ eſt: quoniã ſicut actu ſe cõmunicare creaturis nõ eſt noua perfectio in Deo, ſed tantũ ponit in illo nouũ reſpectũ rationis, v. g. creaturis, iuſtificãtis, &c. ita velle actu ſe cõmunicare creaturis nõ eſt perfectio noua, aut ſuperadita actui neceſſario, ſed ſolũ ſuperaddit reſpectum rationis, aquo talis actus formaliter redditur liber. Quartus eſt Suar. vbi ſ. aſſerentis huiuſmodi libertatẽ cõſiſtere quidẽ, nõ in actuali terminatione ad creaturas, ſed in actuali terminatione ad bonitatẽ diuinã, vt creaturis cõmunicabilẽ, & in aptitudinali terminatione ad ipſas creaturas: ita vt actualis volitio Dei quatenus terminata actu ad bonitatẽ diuinã, & quatenus apta terminari, ſiue vt terminabilis ad creaturas, eſt perfectio diuinæ libertatis: indefectibilis omnino; quia ſicut aptitudinalis terminatio, ſiue terminabilitas ad creaturas nõ potuit nõ cõuenire illi actui: ita perfectio libera illius nõ potuit nõ eſſe in diuina volũtate. In eundẽ modũ coincidit Vazq. 1. p. diſp. 79. c. 1. dũ cõſtituit libertatẽ diuini actus nõ in actu 2. terminato, ſed in actu 1. terminabili ad creaturas: ac proinde libertas in actu ſecũdo nullã perfectionẽ addit in Deo ſupra eius potentiã, ſiue aptitudinalẽ diuinæ volũtatis terminationẽ, niſi ſolũ reſpectũ rationis. In quo plane cõuenit cum Suario: ſubdit tamẽ hoc ſpeciale corollariũ ex dicto antecedẽte deductũ: nimirũ diuinã volũtatẽ potuiſſe ab eterno fuiſſe ſuſpẽſam circa creaturas: quia potuit ſe habere mere negatiue, & carere vtroq; actu, ſcilicet volitionis, ac nolitionis circa creaturas producẽdas, vel nõ producẽdas. Quintus eſt aliorũ iuniorũ cõſtituentiũ huiuſmodi cõditionẽ libertatis diuinæ in eminentia diuina actus neceſſarij. Qui ſicut eſt neceſſarius reſpectu bonitatis diuinæ, ad quã amãdã eſt ab intrinſeco, & indefectibiliter determinatus: ita dicitur liber per eminentialẽ terminationem ad creaturas, ad quas ſe ipſo terminatur, ita vt poſſet nõ terminari: ac per cõſens ſit virtualiter, & eminenter defectibilis in Deo.

3 Pro cuius declaratione dico, 1. Deus libere cunctas mũdi creaturas produxit: cuius volũtas libertate gaudet formali ſecluſis imperfectionibus. Prima pars ſtatuitur aduerſus relatũ erroré antiquorũ, tãquã dogma fidei: & ſuadetur, 1. ex teſtimonijs Scripturæ in quibus denotatur Deũ intellectu, & volũtate res ad extra produxiſſe: vt ex illo Pſ. 134.

Omnia

omnia quæcũq; voluit Dominus fecit, & Ps. 135 qui fecit cœlos in intellectu, & Sapiẽt. 11. quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: ergo cũ aliæ creaturæ nõ habeant necessariã cõnexionẽ cũ diuina bonitate, neque diuina voluntas habeat necessariã habitudinem ad illas, vt ostẽdit D.T. 1. p.q. 19. art. 2 cõsequẽs est omnino libere illas produxisse. Conseq. patet: quia agens per intellectũ & voluntatẽ circa obiecta secundaria, quæ nõ habent necessariã cõnexionẽ cũ primario, semper agit libere: alioquin diuinæ processiones ad intra cõueniunt Deo tãquam actus necessarij, licẽt mediãte intellectu & volũtate. Quod amplius cõfirmatur ex eo, q; Deus produxit creaturas mediante cõsilio, imperio intellectus, & proposito voluntatis, iuxta illud, Ps. 148. *ipse mãdauit & creata sunt*, & ad Ephes. 1. *qui operatur omnia secũdũ cõsiliũ volũtatis suæ*, &c. illi autem actus sunt liberi, vtpote à libero arbitrio, & ab intellectu moto per volũtatẽ procedẽtes: vnde & in nobis sunt actus prudentiæ & meritorij in homine iusto: ad meritũ autem requiritur libertas: ergo. 2. quia si Deus operaretur ex necessitate naturæ, ageret secundũ vltimũ suæ potentiæ: ac proinde produceret infinitũ, tã secũdũ magnitudinẽ, quã secundũ multitudinẽ: sicque maneret eius potentia exhausta circa effectus ad extra: quod tamen derogat eius infinitæ omnipotentiæ: quæ in eo maxime consistit, vt producta quacunque creatura, alias plures & maiores numero ac perfectione possit efficere, vt ostendit D.T. 1. p.q. 25. art. 6. ergo. 3. probatur ex alio incõueniẽti quod sequitur in sententia Phil. 8. phis. c. vlt. admitentis Deũ esse infinitæ potentiæ & nihilominus non mouere primũ mobile, in nõ tẽpore: si tamen virtus infinita Dei ageret ex necessitate naturę, ageret secundũ vltimũ potentiæ: ac proinde moueret infinito modo velitius quã virtus infinita: & cõsequenter in non tempore, quod dum negat Philos. admittens primum, latentem contradictionem admisit.

4 Deinde 2 pars suadetur: quia Deus in Angelo & anima rationali produxit liberũ arbitriũ: sed nõ posset illud creaturis cõmunicare nisi, præhabẽdo in se illud eminẽtiori modo & seclusis imperfectionibus: quia nulla causa equiuoca principalis, qualis est Deus comunicat aliquam perfectionẽ effectui, quã nõ præhabeat in se eminentiori modo: ergo & Deus ratione suæ volũtatis prehabet perfectionẽ liberi arbitrij modo eminẽtiori. Nec tamen desinit illã prehabere formaliter, quia huiusmodi perfectio libertatis est simpliciter simplex, ideſt me-

Deum esse formaliter liberũ.

lior ipsa quã nõ ipsa: ac proinde formaliter est in Deo: vnde & ab illa diuina voluntas formaliter denominatur libera, diciturq; liberè velle creaturas: preterea ea quæ de Deo & creaturis formaliter prędicãtur, per prius saluãtur in Deo tanquã in analogato principaliori, seclusis imperfectionibus cũ quibus in analogatis inferioribus inueniũtur, teste D.T. 1. p.q. 13. art. 6. ergo cum de Deo & creaturis intellectualibus liberum arbitrium siue libertas formaliter prædicetur, consequens est illam per prius saluari in Deo, vt in analogato principaliori, seclusis imperfectionibus cũ quibus in creaturis reperitur: hoc est secluſa indifferentia ex parte subiecti, & vertibilitate in malũ, quæ sunt imperfectiones libertatis creatæ, à quibus diuina vindicatur.

5 Dico 2. actus diuinæ volũtatis nõ cõstituitur liber formaliter per effectus cõnotatos ad extra productos, neque per respectũ rationis ad illos. Hæc cõclusio statuitur aduersus 1. & 3. modũ explicandi libertatẽ diuini actus, & ostenditur labefactando illos. Primus nãque defficit propter tria: tũ quia in sacra Scriptura tribuuntur Deo actus cõsilij, imperij vt patet ex locis citatis, necnõ actus dilectionis, & electionis iuxta illud Ioan. *sic Deus dilexit mundũ*, &c. & ad Ephes. 1, *elegit nos ante mundi constitutionẽ*, tanquã distincti ab ipsis rebus productis ad extra: sed huiusmodi actus sunt formaliter liberi in se ipsis: & attribuũtur Deo in sensu proprio absque aliqua methaphora & improprietate verborũ: ergo. Tum etiã: quia effectus ad extra dependent ab huiusmodi actibus liberis tanquam à causa efficiente: quæ proinde illos debet prehabere, antecedere, & esse independens ab illis: ergo nõ possunt actus liberi diuinæ volũtatis cõstituiri per suos effectus aut ab illis dependere. Tũ denique quia alias diuina voluntas vt libera non distingueretur in voluntatem beneplaciti, & in voluntatẽ signi: sed solũ & semper esset volũtas signi, siquidẽ nihil ponit formaliter in Deo, sed tantũ constituit creaturas quatenus sunt signa diuinæ volũtatis: cuius tamen oppositum docet D. Th. 1. p.q. 19. art. 11. approbans prædictam diuisionem diuinæ volũtatis à Patribus assignatam: ergo. Deinde, secũdus etiam defficit propter easdem rationes nimirum quia alias actus liber non esset causa efficiens effectus ad extra, siquidem illum neque præhabere, neque causare potest per respectum rationis: cum tamen in quantum liber sit causa rerum ad extra. Neque voluntas beneplaciti libera condistingueretur à voluntate signi, siquidem nihil formaliter

maliter nonitia Deo niſi reſpectum rationis ad effectus ad extra connotatos. Neque libertas diuini actus eſſet perfectio in Deo: quæ nullatenus ſunt admittenda: ergo.

Refutatur Caietani ac Fonſecæ ſententia circa modũ explicandi libertatem diuini actus.

6 Dico 3. neque actus diuinæ voluntatis ſit liber per aliquã perfectionem, aut extẽſionem realem defectibilem formaliter in Deo: ſed vel per extenſibilitatem aptitudinalẽ ab obiecta ſecundaria, vel per eminentialem extenſionẽ ad creaturas productas, vel producendas. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſecundũ modũ & pro authoribus 4. & 5. modi explicandi diuinã libertatẽ, & pro prima parte probatur aduerſus Caietanũ, quia nulla perfectio libera potens ab eſſe & ad eſſe Deo repugnat ei ex triplici ca. 1. ex eius infinitate, ob quã Deus nõ poteſt ex creaturis aut ex earum amore recipere aliquã perfectionẽ ſuperadditã, vtpote quia infinito per eſſentiã nequit fieri aliqua additio maximè à creaturis à quibus nullũ commodũ poteſt Deus reportare: 2. ex diuina ſimplicitate & actualitate: ſi enim Deus acciperet huiuſmodi perfectionẽ realẽ liberam ex extenſione ad creaturas, iã actuaretur per illam, & eſſet aliquatenus in potentia ad illã: cum qua proinde faceret compoſitionem: quod eius ſimplicitati, & actualitati derogaret: ergo. 3. ex diuina immutabilitate & perfectione, quã habent omnes Dei perfectiones: vtpote quia omnes cõueniũt illi eo perſe, & ſunt idem cũ illo: quicquid enim eſt in Deo, eſt ipſamet ſubſtãtia Dei: ſi autẽ hæc libera perfectio poſſet ab eſſe, & ad eſſe Deo, eſſet accidẽs reſpectu illius, ac perconſequens realiter ab eius ſubſtãtia diſtingueretur: quod eſt abſurdũ: ergo. Deinde pro ſecunda parte ſuadetur, primo: quia hæc eadẽ argumenta, quæ perfectionẽ liberi â Caiet. pariter extenſionẽ realẽ defectibilẽ à Fonſeca excogitatã impugnãt. 2. quia aut hæc extenſio actualis ad creaturas eſt reſpectus rationis, & hoc negat prædictus author: aut eſt quid reale: & tunc erit perfectio: quia omnis realitas diuina eſt perfectio in Deo, & idem realiter cũ eſſentia diuina: & alias cũ ſit libera, ac defectibilis, erit perfectio libera potens ab eſſe, & ad eſſe Deo: ac proinde admittit perfectionẽ liberam Caiet. quã impugnare cõtendit. 3. probatur duabus rationibus, quas idem author ſibi obijcit, & proculdubio inſolutas relinquit: prima eſt, nam quicquid realiter eſt in Deo, eſt ipſe Deus, ac perconſequẽs huiuſmodi extẽſio realiter exiſtens in Deo eſt ipſe Deus: ſed Deus potuit libere non extendi ad creaturas: ergo potuit non eſſe Deus. Secunda eſt, nã cũ Deus ſit ſumma perfectio, & illa extenſio ſit realiter ipſe Deus, erit realiter ſumma perfectio, aut eã includit: ergo falſum eſt huiuſmodi extenſionẽ non eſſe vllã perfectionem, quam dicat actũ liberi in Deo. Rurſus pro tertia parte probatur concluſio ſupponendo libertatẽ diuini actus cõſiſtere quidẽ in aliquo ſuperaddito ſecũdũ rationẽ ſupra actũ neceſſariũ & naturalẽ diuinæ voluntatis: huiuſmodi quidem ſuperadditum ſecundum rationẽ habere ſummã actualitatẽ expertẽ omnis potẽtialitatis, & imperfectionis: eo quod omnis diuina perfectio eſt actus purus expers totius potẽtialitatis habenſque actualitatẽ actus ſecundi: ac proinde talis debet eſſe libertas diuini actus, cũ ſit diuina realitas, at q; perfectio: vt dictũ eſt. Cui tamẽ ſummæ actualitati nõ obſtat, quominus noſtro more loquendi, & intelligendi explicetur per modũ actus primi, hoc eſt per modũ aptitudinalis terminationis, ſiue extenſionis ad creaturas ſecundũ eſſe actuale, & reale volitat: cuius ratio eſt, quia attributa diuina, quæ dicũtur immediatũ ordinẽ, vel explicãtur à nobis per immediatũ ordinem ad creaturas (alioquin in ſe cũcta diuina attributa ſunt abſoluta ab omni ordine ad creaturas) explicãtur per modũ actus primi, & nõ ſecũdi, v.g. omnipotẽtia, & miſericordia licèt in Deo ſint ſummè actuales ex parte rei cognitæ, tamẽ quia cõueniũt *Deo* per ordinẽ ad creaturas: cõſiſtũt quidẽ noſtro more intelligẽdi, nõ in eo q explicatur per modũ actus ſecũdi, ſed in eo q explicatur per modũ actus primi: neque enim omnipotẽtia, aut miſericordia prout eſt naturalis perfectio *Dei* cõſiſtit in actuali productione rerũ, aut in actuali ſubleuatione miſeriæ, ſed in aptitudinali dũtaxat, hoc eſt in principio potente producere vel ſubleuare: cuius oppoſitũ cõtingit in illis attributis, ſiue perfectionibus, quæ *Deo* cõueniũt abſolutè, & per ordinẽ ad ipſum ad intra, cuius modi ſunt intellectus, volũtas, potẽtia generatiua, &c. Nõ enim ſolũ eſt perfectio in *Deo* poſſe intelligere, poſſe velle, aut poſſe generare, ſed ipſũ intelligere, & velle, atq; generare actuale. Quo ſuppoſito probatur ſic dicta pars noſtræ aſſertionis. Primo quia libertas diuini actus nõ cõuenit Deo per ordinẽ ad eius eſſentiam, vel ad creaturas poſsibiles habentes cũ illa neceſſariam conexionem, ſic enim cõſtitnitur diuinus actus in ratione neceſſarij, ac naturalis: ſed per ordinẽ ad creaturas ſecũdũ eſſe reale ipſarum volitas, ſecundum quod habent cũ Deo neceſſariam connexionem: ergo non conſiſtit in eo quod explicatur per modum actus ſecundi, ſed in eo quod explicatur per modum actus primi

mi

mi hoc est in aptitudinali terminatione ad creaturas, & non in actuali. Secundo: quia in differentia intrinseca diuinæ libertatis non est ad actus scilicet ad velle, & nolle, sed est in differentia obiectiua, hoc est immediate ad obiecta secundaria, quæ non necessario, sed indifferenter terminant diuinum actum: talis autem indifferentia absque imperfectione ponit in Deo actū primum, vt pote quia non est potentia indifferens ad eliciendū actum volitionis, aut nolitionis, hęc enim derogat actualitati, & immutabilitati diuinæ: sed est potentia indifferens ad terminari, & nō terminari ex parte obiecti, quæ respectu actualis terminationis præcise, vel non terminationis dicitur potentia, talis autem potētia in actu primo habet totam suam perfectionem consummatam: ergo. Minor patet, quia ex actuali terminatione, vel non terminatione non aduenit illi noua perfectio realis actus secundi, nisi tantum nouus respectus rationis: potentia autē, cui ab actu secundo non supernenit noua perfectio, in se vt præintellecta tali actui est complete, & consumate perfecta, vt potentia creatiua vt præintellecta actuali creationi, quæ vt sic non superaddit, nisi solum respectum rationis est complete, & consumate perfecta: in qua proinde consistit perfectio Dei vt creatoris. Maior autem ostenditur à D. Thoma, & Ferrariensis 1. contra gent. c. 83. ex discrimine inter nostram, ac diuinam voluntatē liberam, quod illius indifferentia est ad vtrumque scilicet ex parte actus, & ex parte obiecti: huius autē in differētia solū est ex parte obiecti, hoc est ad obiecta opposita.

Constitui diuinam libertatem in aptitudinali, aut eminētiali extensione ad creaturas.

7 Denique pro vltima parte ostēditur nostra assertio: pro cuius tamen declaratione primum supponendum est, libertatem per modum actus secundi ponendā esse in aliquo, & sic cōueniat agenti libero, quod potuerit ei de esse, siue nō conuenire, cum liberū vt sic in actu secundo indifferens sit ad esse, & non esse: neque magis necessariā connexionem habeat cum sui esse, quā cū sui nō esse, per hoc enim actus liber ab actu necessario discriminatur, quod iste habeat necessariam connexionem cum sui esse, secus vero ille. Supponendum est secūdo dupliciter posse huiusmodi defectibilitatem, siue potentiam ad nō esse actui libero conuenire, vno modo formaliter, quia scilicet actus liber formaliter per se ipsum, & secūdum suam entitatem potuit non esse antequam eliceretur ab agente libero, & postquā est elicitus potest deficere: & quia hęc defectibilitas dicit imperfectionem repugnantem Deo, & conuenientem creaturis intellectualibus, ideo actus liberi illarū gaudent huiusmodi defectibilitate, & potentia ad nō esse, secus vero actus liberi diuini: alio modo emineter, quia nimirū actus liber licēt ratione suæ entitatis nō possit deficere formaliter, potest tamē deficere eminenter, siue virtualiter ratione denominationis, quæ denominat subiectum volens libere, præstatque munus actus potentis formaliter deficere modo eminentiori, & secluſis imperfectionibus illius: & quia hæc virtualis, siue eminēs defectibilitas nō inuoluit imperfectionem Deo repugnātē sicut nec illā inuoluit causalitas virtualis vnius attributi circa alterū, nec virtualis, siue eminens distinctio attributorū inter se nō est cur illā actibus liberis diuinis denegemus: Quibus præsuppositis ostenditur hæc vltima pars nostræ assertionis: primo, nā actus diuinę volūtatis in ātū est liber, in quantū aliquo modo habet potentiā ad nō esse: sed non habet potentiā ad non esse formaliter: ergo habet illā eminēter, & virtualiter: tunc vltra sed hæc in eo consistit vt idem actus ob sui eminētiā ita denominet Deū libere voluntatem creaturæ, ac si reuera formaliter posset deesse Deo: sicut causalitas virtualis immutabilitatis circa æternitatē in eo consistit, vt immutabilitas ita fundet, & præcedat æternitatē ac si esset causa illius: & eminentialis distinctio attributorū in eo cōsistit vt præstet munia actualis distinctionis rationē cuius quod verificamus de vno attributo, negamus de altero, ac si actuali distinctione vnū ab altero gauderet: ergo cū actus diuinæ voluntatis in se ipso habeat huiusmodi eminentiā vt sicut Deū cōstituit, & denominet necessario volentē diuinā bonitatem, ita constituat, & denominet Deū volentē creaturas libere, ac si posse Deo deesse, quod est illū vt liberum posse virtualiter, siue eminenter defficere. Secundo nā per hunc modū congruentius videntur saluari omnes conditiones libertatis diuini actus, nimirum quod sit perfectio libera, completa antecedenter ad respectum rationis, & illationem effectus ad extra, nec non quod sit actualis actualitate actus secundi, ac potens adesse, & abesse Deo saltē virtualiter, quæ duo nō tā in aptitudinali, quā in actuali extensione diuini actus ad creaturas saluātur: ac proinde in ista quatenus virtualiter defectibilī ponēda est libertas diuini actꝰ. Vltimo probatur satisfaciendo duabus obiectionibus, quæ huic modo dicendi obstare videntur. Prima est quod ex illo sequatur non poni

in Deo libertatem formaliter, ſed tantum virtualiter, & eminenter, ſiquidem eo modo actus diuinus eſt liber quo eſt potẽs deficere: eſt autem potens deficere tantum virtualiter: quod tamen eſſe falſum patet, quia ſicut Deus ſapiens formaliter: ita eſt liber formaliter: ergo. Secunda eſt, nam ſicut actus diuinus eſt liber formaliter, ita eſt defectibilis formaliter quantum ad reſpectum rationis circa creaturas: ergo ab hoc reſpectu habet compleri in ratione liberi formaliter. neque hoc eſt maius inconueniens quam diuinum verbum compleri in ratione verbi per reſpectum rationis expreſsiui ad creaturas, & eſſentiam diuinam repreſentatas: & in ratione imaginis per relationem ſimilitudinis ad Patrem, quæ eſt rationis: aut quam Spiritum Sanctum compleri in ratione doni per reſpectum rationis ad illum, cui donatur: quę tria admittunt Theologicum D. Thom. 1. parte quæſtione 34. articulo 3. quæſt. 35. articulo 2. & 38. articulo 1. Ad quarum primã neganda eſt ſequela: vt enim actus ſit liber formaliter, ſufficit ei eminentialis defectibilitas. Ad ſecundam negatur conſequentia: neque eadem eſt ratio de actu libero, qui vt ſic eſt perfectio, atque de Verbo & imagine, quæ ſunt nomina notionalia in diuinis: ac proinde reſpectum rationis ad intra concernere poſſunt: donum autem eſt nomen reſpectiuum ad extra, ſicut creans, vel iuſtificans: ac per conſequens ſicut hoc, ita & illud à reſpectu rationis non abſoluitur. Ex quibus etiam patet ad fundamenta adducta pro tribus prioribus modis explicandi diuini actus libertatem.

Non poteſt Deus manere ſuſpenſus circa creaturas producendas vel nõ producẽdas.

8 Hinc colligo aduerſus Vazquium Deum ab æterno non potuiſſe manere ſuſpenſum circa creaturas producendas, vel non producendas, ſed neceſſario propter ſui immutabilitatem debuiſſe habere volitionem circa creaturas. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt huiuſmodi actum, quo tollatur ſuſpenſio diuinæ voluntatis circa creaturas vno ex tribus modis conſtitui à Theologis: Alij enim illum conſtituunt in hoc actu ad obiectum diſiunctim terminato: nimirum, volo producere, vel non producere creaturas: cui accidit velle illas producere determinatè, ſicut accideret nolle illas producere, ſi Deus ab æterno decreuiſſet mundum non producere. Alij verò conſtituunt illum in hoc actu: volo diſcernere, vel non diſcernere de creaturis producendis: cui pariter accidit velle diſcernere determinate, ſicut accideret velle non diſcernere. Demum illi qui in ſola aptitudinali terminatione per modum volitionis ad creaturas conſtituunt eſſentialem libertatem diuinæ voluntatis ab æterno, dicunt neceſſario ei conuenire alter verum ex his duobus actibus determinatis: ſcilicet, volo, aut nolo creaturas producere, non quidem propter diuinam libertatem, ſed propter Dei immutabilitatem ſaluandam. In quo ſenſu noſtrum corollarium oſtenditur: primo quia ſi diuina voluntas ab æterno merè negatiue ſe haberet circa creaturas: vel hoc eſſet libere, vel neceſſario, ſi primum igitur poſſet poſtea habere actum poſitiuum illas producendi, vel non producendi: ac proinde realiter mutaretur: ſi ſecundum: igitur non potuiſſet non ſe habere merè negatiue, cuius oppoſitum dictat fides, & ſacra Scriptura dicens Deum voluiſſe creaturarum productionem. Neque ex tali actu ſuperueniẽte ſubiret Deus ſolum reſpectum rationis actualis terminationis ad creaturas: qui cum non aduenire Deo ex mutatione obiecti, quod non dum fuiſſet productum, aduenire illi cum intrinſeca mutatione propter actus ipſius nouitatem. Secundo: quia licèt iſta actualis terminatio hoc vel illo modo ſit formaliter reſpectus rationis in diuina voluntate, tamen neceſſario conuenit illi neceſſitate veluti ſecundi modi dicendi per ſe, quia neceſſario iſte reſpectus ſaltim ſub dicta diſiunctione comitatur diuinam voluntatem: quo pacto ſunt alij reſpectus rationis in Deo veluti tranſcendentales neceſſario eius eſſentiam, aut cognitionem comitantes: cuius generis ſunt reſpectus ideales immitabilitatis diuinæ eſſentiæ à creaturis, & reſpectus factiui & expreſsiui creaturarum in verbo, quorum neceſsitas oritur ex diuina immutabilitate: ne ſi de nouo aduenirent Deo, mutaretur: ex qua pariter oritur neceſsitas in diuina voluntate ſub eundi reſpectum rationis actualis terminationis ad creaturas per modum volitionis, aut nolitionis. Tertio quia huiuſmodi ſuſpenſio dicit imperfectionem, quæ proinde à Deo remouenda eſt: & non remouetur congruenter ex illis actibus primo & ſecũdo loco aſsignatis: eo quod vterque importat eandem ſuſpenſionẽ, atque ſi merè negatiue Deus ſe haberet, nihil enim determinate per illos vellet, aut diſcerneret. Tũ etiã: quia tunc non minus mutaretur Deus per actum, quo voluit determinate mundum producere, ſiquidem per illum tranſiuit de non volente determinate

te in volentem. Tum denique: quia talem actum determinatum habere non potuisset: siquidem oppositū illius quod Deo cōuenit perse, neque per se, neque per accidens potest illi conuenire: ergo auferenda est dicta suspensio per vnum ex actibus determinatis, tertio loco assignatis.

ARTICVLVS II.

An Deus sine læsione suæ immutabilitatis possit creaturas in tempore producere?

9 IN quo vnum supponimus, & alterum inquirimus: supponimus quidem tāquam dogma fidei Deū esse omnino immutabilem: de illo namque dicitur Malachiæ 3. *Ego Dominus & non mutor*, Iacobi 1. *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Numerorum 23. *non est Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur*: ob quæ testimonia Ecclesia in capite *firmiter* de summa Trinitate &c. confitetur quod vnus solus est verus Deus æternus, immensus, & incommutabilis. Quam veritatem etiā demōstrat D. T. 1. p. q. 9. rationibus naturalibus ex Dei summa actualitate, simplicitate, & infinitate petitis: omne enim quod mutatur, debet habere aliquo modo potentiam passiuam ad recipiendum id per quod mutatur, debetque cum illo facere aliquam compositionem, & tandem debet acquirere aliquid de nouo, ad quod antea non pertingebat: ac proinde debet ei fieri additio aliqua realis: horum autem primum summæ actualitati, secundum summæ simplicitati, & tertium infinitati Dei repugnat: hoc igitur supposito, quod inquirimus est quo pacto transierit Deus in tempore de non creante in actu creantem, absque sui mutatione, siue absque læsione prædictæ immutabilitatis: quam supponimus ei per se conuenire.

10 In cuius explicatione tres sunt modi dicendi primus asserit propterea Deum non mutari in temporali rerum creatione quia creatio, & aliæ similes actiones, quibus Deus ad extra operatur sunt operationes vere trānseuntes receptæ in ipsius creaturis, ac per consequens ex huiusmodi actionibus nihil aduenit Deo de nouo, sed ipsis creaturis, ipsæ creaturæ sunt, quę mutantur, Deus autem non mutatur, sed solum subinduit respectum rationis, ex vi cuius nequit mutationem pati, hunc sequitur Molina 1. parte quæstione 9. articulo 2. in solutione ad secundum, Suarez disputatione 20. metaphisicæ sectione 6. & alij iuniores, qui Deum dicunt per actiones formaliter transeuntes operari, quos alias retulimus. Secundus modus dicendi asserit, propterea Deum huiusmodi operationibus temporalibus non mutari intrinsice: quia sunt actiones immanentes formaliter: ac proinde idem cum ipsamet Dei substantia: & ab æterno Deo conuenire, solumque addere in tempore mutationem ex parte effectus, & respectum rationis ex parte Dei, quod ita verum esse quidam existimant, vt nedum actiones immanentes in ratione actionis verum etiam in ratione actualis causalitatis dicant fuisse in Deo ab æterno, ita vt verum sit dicere Deum ab æterno fuisse actu causam, & creationem non solum vt est actio, & ratio causandi, sed etiam vt actualis est causalitas fuisse ab æterno in Deo, ita sentit Caietanus 1. parte quæstione 6. articulo 1. Tertius modus asserit Deum non mutari per huiusmodi actiones productiuas: quia sunt formaliter immanentes, & secundum se æternæ, etiam vt sunt Dei causalitate, licèt sint nouæ, ac temporales virtutes, secūdum quid, terminatiue, & nostro more intelligendi, vnde quando Deo attribuuntur ex tempore, nō tribuitur aliquid, quod absolute: & simpliciter sit nouum, sed tantum secundum quid, & terminatiue est nempè ipsa diuina actio, atque causalitas quatenus actu terminata ad effectum, ita Fonseca lib. 7. cap. 8. quæstione 4. sectione 5. & 6.

11 Respondeo nihilominus dicendum primo, omnes hos modos saluandi diuinam immutabilitatem esse defficientes. Hæc conclusio probatur singulos impugnando, primus namque defficit: quia vt alias ostendimus, Deus non operatur ad extra per operationes formaliter transeūtes, sed per actiones immanentes formaliter, & virtualiter transeuntes, ac per consequens cum eius actiones maneant in ipso, ex alio capite videndum est cur per illas non mutetur, sicut nos per actiones immanentes de nouo elicitas mutamur. Cōfirmatur nam admisso quod creatio esset actio formaliter transiens, & in creaturis recepta, adhuc reddenda est ratio quare hæc actio creatiua, verbi gratia, potius modo, quam antea emanet à Deo. Dixerunt enim antiqui Philosophi causam huius esse nouam voluntatem, & nouum consiliū Dei, quibus mutaretur realiter potissime

cum noua tranſiens operatio in agente libero ſit ſignum noui conſilij, ac nouæ voluntatis: ergo modus primus eſt inſufficiens, quatenus ex ſola tranſitione operationis productiuæ colligit diuinam immutabilitatem in temporali rerum productione. Secundus etiam deficiens oſtenditur primo ex eo quod ſequeretur ex illo mundum fuiſſe ab æterno, ſiquidē poſita cauſa ſubactuali cauſalitate neceſſarium eſt poni effectum; actualis enim cauſalitas, & effectus ſe inuicem concomitantur: ergo ſi actio creatiua verbi gratia, fuit in Deo ab æterno, etiam vt actualis cauſalitas, & per illā Deus fuit ab æterno cauſa creans in actu ſecundo, etiam neceſſarium eſſet fuiſſe mundum ab æterno productum. Secundo: nam actualis cauſalitas eſt effectiua actualis productio, ſed actualis productio effectus ſtatim ponit effectum, neque aliud mente cōcipi poteſt: ergo & actualis cauſalitas effectiua ſtatim ponit effectum: ac proinde ſi Deus ab æterno fuit actu cauſans, etiam fuiſſet actu producens mundum. Tertio: nam alias hæc propoſitio eſſet æternæ veritatis *Deus eſt creans*, ſiquidem ab æterno actu eſt creans, & cauſans, & ab eo quod res eſt vel non eſt propoſitio, dicitur vera, vel falſa; conſequens eſt falſum, ſicut enim in principio temporis Deus creauit cœlum & terram: ita in initio temporis ſubijt denominationem creantis actu. Quarto arguitur ad hominem: nam Caietanus vbi ſupra admittit quod actio creatiua (& idem de alijs operationibus Dei ad extra) qua Deus creauit mundum fuiſſet ab æterno in Deo ſecundum id, quod actio ponit in agēte, non vero ſecundum quod infert effectum, ſed actio & actualis cauſalitas non ſolum dicit id, quod ponit actio in agente: ſed etiam illationem effectus, & terminationem actualem ad illum: ergo admiſſo primo debet admitti hoc ſecundum. Tertius denique deficit primo: quia non explicat quo pacto diuinæ actiones, & cauſalitates ſint in tempore quoad terminationem ſiquidem abſolute, & ſimpliciter ponuntur æternæ. Secundo: quia actualis cauſalitas, ſiue actualis creatio in ſententia Fōſecæ non dicit relationem rationis ad effectus, ſed actionem, ad quam ſequitur talis relatio & tantum negat creationem, & actualem cauſalitatem vt ſic formaliter, fuiſſe ab æterno. Tertio: nam in ſententia huius auctoris terminatio ipſa diuinæ actionis ad effectus eſt realis, & non rationis: ſed omnis realitas diuinæ actionis fuit ab æterno ſicut & ipſa diuina actio: ergo & ipſa terminatio actualis debet dici æterna, ſecundum huius authoris ſententiam. Maior declaratur: nam ſicut extenſio actus diuinæ voluntatis ad obiecta ſecundaria eſt realis in ſententia illius: ita terminatio: pro eodem enim extenſio, & terminatio reputantur apud eundem: vnde ſectione 5. præallegatæ quæſtionis 4. *tertia pars*: ait actum diuinum vnicum, & ſimpliciſsimum in ſe triplici gaudere reali terminatione. Prima earum eſt, qua terminatur ad eſſentiam diuinam. Secunda ad creaturas poſsibiles, tertia ad creaturas quibus Deus ab æterno decreuit communicare aliquod eſſe reale, quo pacto (ait ille) is actus non eſt neceſſarius, ſed liber, quia Deus nihil extra ſe producit ex neceſsitate naturę, ſed omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt Paulus air, & veri Philoſophi, ac Theologi demonſtant: vnde quemadmodum extra ſe omnia libere produci: ita etiam libere vult producere, ſed actualis extenſio actus liberi in eſſe volitionis eſt formaliter reſpectus rationis, vt probauimus aduerſus hunc auctorem, licet æterna ſit: ergo à fortiori actualis terminatio ad effectus in eſſe productionis debet eſſe quid rationis quia temporalis eſt. Confirmatur: nam præfatus auctor lib. 5. cap. 2. quæſt. 18. ſectione 3. dixerat rationem agendi in Deo eſſe ex tempore quatenus noſtro modo concipiēdi diſtinguitur â ſuo principio actiuo, quod eſt ipſe actus diuinæ voluntatis, ſed quidquid aduenit actui diuino ex tempore eſt relatio rationis: ergo ratio agendi, vel eſt relatio rationis, quod tamen negat in loco allegato ex lib. 7. vel non aduenit Deo ex tempore, quod negauerat lib. 5.

12 Dico ſecundo, ex temporali rerum productione Deus nō mutatur: quia actio quo ad totum ſuum eſſe reale ab æterno conuenit ei, & ſola relatio rationis illi aduenit, per quam fit de non cauſante actu, cauſans actualiter. Hæc concluſio quoad primam partem probatur ex ipſa ratione mutationis ad quam requiruntur tria, ſcilicet potētia paſſiua in re mutabili, & quod res, quæ mutatur, habeat pro aliquo ex terminis ſuæ mutationis priuationem, ſiue negationem, ac tandem noua perfectio, ſiue realitas, aut formalitas realis, aut modus aduenies rei, quæ mutatur ex vi talis mutationis: oportet enim rem, quæ mutatur ſiue phiſica, ſiue metaphiſica mutatione, acquirere aliquam formam, vel modum realem, ad quam antea erat in potentia, aut acquirere negationem formæ, quam antea habeat: vnde debet eſſe

Vera ratio diuinæ immutabilitatis aperitur.

in

in potentia passiua, vel quasi passiua ad talem formam, aut eius priuationem, & debet talis transitus fieri inter esse, & non esse talis formæ. Rursus in omni mutatione reali, debet res, quæ mutatur, acquirere aliquod esse reale, quod antea non habebat, vel amittere aliquod esse reale, quod antea habebat, hoc enim est aliter se habere rem aparte rei modo quam antea, in quo ratio vere, & realis mutationis sita est: vnde debet esse in tali remutabili potentia ad esse aliquod reale, vel ad non esse tale reale: ac proinde acquisitio noui, vel amissio antiqui, & negatio, siue priuatio illius cū potentia veluti passiua concurrens ad omnem realem mutationem, quod aduertit D. Tho. in 3. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. ad primum, dicens id solum mutari, quod fit, vel sascipit aliquid de nouo ratione potentiæ passiuę, & quia Deus factus est homo de nouo non ratione potentiæ passiuę, sed ratione suæ actualitatis, propterea in assumptione humanitatis non fuit mutatus: sed etiam in Deo quando fit iste transitus de nō operante actu in actu operantem, neque inuenitur potentia passiua ad nouum esse reale: vel ad amissionem antiqui, neque datur negatio alicuius esse realis ad quam vel a qua terminetur talis transitus, nō enim fit denegatione realitatis actionis, aut ad realitatem actionis, sed denegatione determinationis, & illationis effectus, ad nouā terminationem, & illationem effectus, neque aduenit Deo ex vitalis transitus noua forma, aut nouus modus realis, sed tantum aduenit illi noua termin tio, & noua illatio effectus, quæ in Deo tantum ponit respectum rationis, & in creaturis esse reale: ergo ex vitalis transitus non mutatur. Confirmatur primo: nam in assumptione humanitatis, & si aduenit diuino verbo noua entitas creata, scilicet entitas humanitatis de nouo ab illo terminata, quia tamen non fuit recepta in illo per potentiam passiuā, secundum quam fuisset antea in potentia ad talem humanitatem recipiendam, sed tantum per potentiam terminatiuam, secundum quam erat antea in potētia ad terminandum, quæ vt sic nullam dicit imperfectionem, propterea nullam subijt verbū diuinum realem mutationem, sed solum aduenit illi respectus rationis terminantis ergo quando de nouo operatur res ad extra nequit mutari realiter siquidem nulla ei realitas vnitur tanquam supposito terminanti, sed solum vnitur ei realitas effectus tanquam agenti, quæ terminatio non ponit aliquid reale in agente nisi solum respectum rationis. Confirmatur 2. nam nullum agens etiam creatum ex vi solius actionis transeuntis mutatur realiter vt latius ostendimus lib. 5. sed actio diuina non est actualis causalitas diuini agentis, nisi quatenus est virtualiter transiens, id est, quatenus exequitur munus transeuntis secluſis imperfectionibus: ergo vt sic nō valet immutare Deum realiter. Secunda pars nempe quod ratio huius immutabilitatis sit, quia totum esse reale actionis sit æternum, & nullam in se accipiat nouitatem, probatur supponendo dupliciter posse explicari illud esse, quod habebat actio diuinæ voluntatis, siue intellectus antequam exequeretur munus actualis productionis effectuum ad extra, potest namque explicari per modum actus primi, licet enim in se sit actus secundus, tamen propter sui eminentiam simul prehabet rationem actus secundi: in ordine neque ad nostros conceptus potest representari quoad vnam, & nō quo ad alteram ratione, & sicut perfectio diuinæ libertatis in actu voluntatis consistit in aptitudinali terminatione per modum actus secundi, ita perfectio, & realitas actionis, atque diuinæ causalitatis, qua Deus causat res ad extra, consistit in aptitudine ad producendum res ad extra, quā habet illa actio ab æterno, & non in actuali causalitate, & productione, quæ vt sic solum addit respectum rationis supra prædictam aptitudinem. Secundo, cum actiones Dei, atque causalitates, quibus Deus producit effectus suos sint formaliter immanentes, & virtualiter transeuntes, in ratione immanentium habent esse in tempore ab æterno per modum diffinitionis, decreti, ac volitionis: at in ratione trāseuntium habent esse in tempore per modum actualis productionis, ac causalitatis, consistitque earum realitas, ac perfectio in esse diffinitionis, ac decreti, imperij, siue volitionis, & non in esse actualis causalitatis, atque productionis, huic fauet D. Tho. 1. p. quæst. 46. articulo 1. in solutione ad 10. dicens. *Quod posita actione sequitur effectus secundum exigentiam formæ, quæ est principium actionis: vnde quia in agentibus per voluntatem, id quod conceptum est, & prædiffinitum accipitur vt forma, quæ est principium actionis, id circo nō est sequutus ex æterna Dei actione effectus eius æternus, sed qualem Deus voluit, vt scilicet haberet esse post non esse: &c.* In quibus verbis denotat actionem Dei, ea ratione qua est æterna, potius habere rationem formæ, seu principij agendi, siue decreti, ac diffinitionis statuendæ, modum,

& locum pro quo effectus eſt producendus, quam rationem actualis productionis, & ideo effectum non comitari illam ab æterno, quia decreuit illum in tempore, & non ab æterno ponere in eſſe. Hoc ſupoſito oſtenditur ſecunda pars noſtræ concluſionis primo: illa actio cuius realitas, ac perfectio ſaluatur in aptitudine ad producendum effectum, explicata per modum actus primi, & in ratione diffinitionis, ac decreti, atque volitionis, non neceſſario ſecum adducit effectum, ſed poteſt ſaluari antecedenter, duratione ad effectum, ac proinde ſine ſui mutatione reali poteſt ponere effectum in eſſe, ſed actiones diuinæ ſunt huiuſmodi, conſiſtit enim earum perfectio, & realitas in actualitate actus ſecundi explicata tamen â nobis per modum actus primi, nempe aptitudinalis productionis, atque cum ſint actus intellectus, & voluntatis totam ſuam perfectionem habent in eſſe prædiffinitionis decreti, imperij, ſiue volitionis: ergo poteſt ſaluari earum conſumata perfectio abſque effectuum poſitione, ac proinde quando effectus ponuntur in eſſe nihil eis aduenit reale de nouo, & conſequenter nõ mutatur realiter. Secundo actio, quæ propter ſui eminentiam eſt immanens, & tranſiens virtualiter, poteſt ſaluari in terminatione immanentis formaliter, antequã exequatur munus tranſeuntis, & quando fit tranſiens quoad muneris executionẽ nulla perfectio aut realitas ei aduenit, quia tota realis, ac perfectio eius cõſiſtit in formalitate immanẽtis: ſed actiones diuinæ ſunt immanentes formaliter, & virtute tranſeũtes: ergo poſſunt ſaluari in ratione immanentium antequam munus tranſeuntium exequantur, & quando illud exequuntur nullam realitatem, aut perfectionem accipiunt. Tertio: nam actiones Dei eſſe tranſeuntes virtualiter nihil aliud eſt, quam illas poſſe producere effectus ad extra, ac ſi eſſent tranſeuntes, & poſſe exequi munus actionis tranſeuntis: ergo earum perfectio & realitas conſiſtit in virtute, ad hanc executionem, & ſic quoad huiuſmodi virtutẽ, & potentiam fuerunt ab æterno in Deo, ac proinde ex actuali executione ſicut nihil eis aduenit virtutis ad exequendum, ita nihil eis aduenit perfectionis, ſed antiqua virtus, & perfectio explicatur in actuali executione, quę explicatio nihil eſt preter reale, ac nouum eſſe ex parte effectus, & reſpectũ ratonis ex parte agentis. Confirmatur: nã propterea Deus nõ mutatur in tẽporali effectuũ productione, quia ſolũ accipit de nouo reſpectum rationis, & propterea ſolus reſpectus rationis ei aduenit, quia agit per actiones quarum realitas, & perfectio æterna eſt, & nõ noua: ergo propterea non mutatur, quia totum eſſe reale actionis, & rationis cauſandi ab æterno cõuenit illi. Confirmatur 2. nam actiones diuinæ quibus producit res in tempore habent eſſe æternum in Deo quoad rationẽ virtutis productiuæ, ſeu principij actualis potentis producere, & quo ad rationem actionis immanentis formaliter, ac ſolũ virtute tranſeuntis, & tandem quoad rationẽ prædiffinitionis, decreti, ac volitionis, ſed quãdo actio eſt talis ſine ſui mutatione ponit effectum in eſſe, ergo. Tertia pars nempe, quod in tempore fiat Deus actu operãs ſiue actu cauſans probatur: nã ſic fit Deus actu cauſans, verbi gratia, actu iuſtificans, actu creans, & ſicut fit noſtrum refugium, & noſter adiutor, ſic fit refugium, & adiutor actu in tempore per reſpectum rationis illi de nouo aduenientem: ergo ſimiliter in tempore fit actu operans, & actu cauſans. Maior patet, quia Deus non aliter fit refugium, adiutor aut protector noſter, quam operando aliquid in nobis, vel circa nos, ac proinde ſicut abſque leſione ſuę immutabilitatis de nõ adiutore, & de nõ protectore, actu adiutor, & protector in tempore factus eſt nobis, ita abſque leſione ſuę immutabilitatis de nõ operante, verbi gratia de non creante, ſiue de non iuſtificante fit in tempore creans, ſiue iuſtificans: eõ quòd ſicut ratio adiutoris, refugij, & protectoris formaliter connotat ſolam relationem rationis, ita ratio creantis, & iuſtificãtis actu ſolam relationẽ rationis connotat de formali. Confirmatur nam cauſare actu & operari actu nihil aliud eſt, quã actu dare eſſe effectui, ſiue actu illum producere: ſed hoc ſecundum includit nouitatẽ, non enim Deus ab æterno dedit eſſe rebus, aut illas produxit: ergo & primũ, includit nouitatem, ac per conſequens de nouo, & in tempore factus eſt Deus actu cauſans, & actu operans.

13 Sed contra arguitur Deus eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam præſens rebus, quæ mouentur, verbi gratia in corporibus cæleſtibus, elementa rebus, & mixtis, quãdo ad ſua loca, vel circa illa mouentur, ſed quidquid eſt in illo, quod per ſe mouetur per accidens mouetur ad motum illius: ergo Deus ſaltem per accidens mobebitur ad motum aliarum rerum. Cõfirmatur: nam quando aliquod ſubiectum ſuſcipit prædicationem realis prędicati, de

nouo

nouo, quam anteanon suscipiebat: signum est ipsum mutari realiter, quia veritas realis prædicationis fundatur in reali conuenientia alicuius prædicati realis, quod antea tali subiecto non conueniebat, sed diuinum verbum in assumptione humanæ naturæ suscepit de nouo prædicationem prædicati realis; ex tunc enim de illo prædicatur verè, quod sit homo: hoc autē prædicatum reale, ac substantiale est: ergo verè, ac realiter fuit mutatum, ac proinde non est Deus omnino immutabilis. Ad hoc argumentum respondet Molina vbi supra, propterea Deum non moueri ad motum cœli, vel lapidis, quia est immensus, & ratione suæ immensitatis est in omnibus locis, ac punctis vniuersi, & ideò nunquam incipit esse vbi antea non erat, quod tamen est de ratione motus localis, tunc autem mouetur aliquid per accidens ad motum alterius quando non est in omni loco: ex quo infert quod si Deus non esset in loco ad quem lapis mouetur, necessario moueretur ad motum lapidis. Sed hæc solutio plusquam falsa est, eiusque falsitas ostenditur: tum ex eò quod in Deo non repugnat motus ratione immēsitatis, sed ratione immutabilitatis, quæ sunt distincta atributa: ergo ad excludendum motum localem, aut alium quempiam â Deo nō est assignanda pro ratione, immensitas, sed immutabilitas. Tum etiam, quia Angelus mouens corpus cœleste aparte orientis per impulsum, quem imprimit singulis partibus illuc peruenientibus non est in omnibus partibus spatij, quod occupat cœleste corpus, sed solum habet suam localem præsentiam in parte orientis, & tamen nō mouetur ad motum partium cœli: ergo à fortiori Deus existens in creaturis posset illis motis, localiter immotus permanere, etiā secluſa immensitate. Tum denique quia sequitur ex predicta solutione Molinæ Deū moueri posse ad motum lapidis proiecti versus vacuum, aut spatium aliquod imaginariū quale est illud, quod imaginamur supra cœlum empireum; consequens est impossibile: ergo, & antecedens, sequela patet nam possibile est lapidem ab Angelo, vel ab ipso Deo proici versus tale spacium, & quia Deus in tali spatio non est præsens, siquidem in illo nihil operatur, posset tunc, & deberet ad motum lapidis moueri. Vera tamen solutio est quod tunc aliquid mouetur ad motum alterius, quando sic est in illo quod contineatur, & dependeat quodammodo ab illo, & illi alligetur: secus autem quando neque vllo modo continetur, aut alligatur: Deus autem sic est in rebus, vt non sit ab illis contentus alligatus, aut dependens, sed potius vt illas continens, atque conseruans: & propterea non mutatur ad motum illarum, vnde iuxta hanc distinctionem distinguēda est minor argumenti. Ad confirmationem respondetur cum D. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 6. ad secundum, quod quando prędicatum conueniens de nouo alicui subiecto, est absolutum, & conueniens ei ratione alicuius absoluti, tunc susceptio talis prædicati est mutatio, secus autem quando prædicatum conueniens de nouo, aut non conuenit ratione alicuius absoluti, sed ratione alicuius respectus rationis: tunc enim potest de nouo aliquid prædicari de aliquo subiecto absque eius mutatione per solam alterius extremi mutationem, sicut homo de nouo fit dexter absque sua mutatione per motū illius, qui fit ei sinister, esse autem hominē conuenit Deo ratione vnionis, quæ ex parte Dei est relatio rationis, & ideo prædicatur de illo de nouo, absque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in diuinam personam. Secundo: respondetur distinguendo aliter maiorē, si enim prædicatum reale conueniat de nouo alicui subiecto per potentiam passiuā, quam in ipso supponat, tunc susceptio noui prædicati realis est mutatio iuxta doctrinam assignatam in secunda conclusione, si autem prædicatum reale adueniat alicui non per potentiam eius passiuam, sed potentiam actiuam, aut terminatiuā præcisse, tunc conuenientia noui prædicati realis nō arguit mutationem in tali subiecto. Et quia diuinum verbum nō habet esse hominem de nouo per potentiam passiuam ad esse hominis, & tanquam subiectum susceptiuum humanitatis, sed per potentiam actiuam, & terminatiuam, & tanquam terminus humanitatis, propterea absque sui mutatione reali in cæpit esse homo.

14 Secundo arguitur: nam mutari est aliter se habere subiectum sed Deus aliter se habet in temporali rerum productione: ergo fuit mutatus. Maior est diffinitio mutationis realis, quam tradit Aristoteles 5. Phisicor. cap. 1. text. 7. Minor, autē probatur: nam actu causare, & actu producere de nouo, est aliter se habere illud, quod antea solum in potentia causabat, atque in potentia producebat, sed Deus de nouo in tempore fit actu causans, & actu producens: ergo. Nequevalet dicere quod actu causare in Deo solum dicit respectū rationis, & sic nō fit mutatio ex parte Dei,

sed

ſed ex parte alterius extremi, ſcilicet, creaturæ, nam actio Dei non eſt actualis cauſalitas, aut actualis productio per reſpectũ rationis: ſed antecedenter ad illum, per aliquid reale, cum actu cauſare, & actu producere ſit perfectio, ſicut & agere eſt magna perfectio nedùm in Deo, ſed etiam in cauſis ſecundis; ergo. Confirmatur: nam à Deo remouẽda eſt nedum realis mutatio, verum etiam omnis mutationis ſimilitudo, & vmbra; propterea enim dicitur Iacobi 1. quod apud eum non eſt viciſſitudinis obumbratio, & in tranſitu, quo Deus tranſiuit de otio in actualem operationem, de cauſante in potentia in cauſantem actu. & ſi non ſit mutatio vera, & realis, interuenit tamẽ mutationis obumbratio: ergo & hęc eſt illi deneganda. Reſpondetur negando minorem: ad probationem dicendum eſt, quod actu cauſare, & actu producere in illo, qui operatur per actionem, quæ præexiſtebat in eſſe virtutis, & aptitudinalis productionis, atque in eſſe actionis formaliter immanentis, & virtualiter tranſeuntis, nec non in eſſe liberæ, & efficacis determinationis, & prædiffinitionis non eſt aliter ſe habere agens in ſe, ſed ſolum hæc alietas, ſiue mutatio cõtingit ex parte effectus aduenientè tempore, pro quo erat prædiffinitus, & determinatus ab agente libero, & infinito, exiuit extra cauſas. Ad replicam reſpondetur, quod in actione Dei, cuius perfectio conſiſtit in hoc, quod ſe ipſa poſſit effectum pro tali tempore producere, exequi munus actualis productionis eſt relatio rationis ſicut actualis extenſio ad creaturas vt producendas in diuina volitione non eſt perfectio libertatis, ſed ſola relatio rationis. Ad confirmationem reſpondetur negando maiorem. vmbra enim, ac ſimilitudo mutationis non lædit ipſam Dei immutabilitatem, & alias ſæpè ſæpius ipſi in ſacra ſcriptura attribuitur, de illo namque dicitur Geneſis 6. quod pœnituit ſe feciſſe hominem, & in Pſalmo 2. *nequando iraſcatur Dominus.* Abacuc 3. *Cũ iratus fueris miſericordiæ recordaberis?* Pſal. 17. *Inclinauit cœlos & deſcendit: & aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, &c.* Et Ioannis 1. Verbum Caro, dicitur factum, &c. Pœnitentia autem affici, iraſci, aſcendere, & deſcendere, ac multo magis, Verbum fieri carnem, ſunt apparentia ſigna mutationis non igitur apparentem, & ſimilitudinariam mutationem à Deo debemus excludere. Ad teſtimonium autem Iacobi duplex eſt interpretatio 1. quod dũ dixit. *Apud quem non eſt tranſmutatio*, realem, ac veram mutationem, dum autem ſubdit: *neque viciſſitudinis obumbratio*, non mutationem realem iam excluſam, ne ſit innanis, & vacua verborum repetitio, neque apparentia ſigna, quæ non ſunt à Deo excludẽda, ſed certa ſigna veræ, ac realis mutationis excluſit. Secunda eſt gloſſæ tam interlinealis, quam exterioris aſſerentis à Iacobo in illo loco, patrem luminum, ſcilicet, Deum, ſoli qui eſt pater corporei luminis comparari, atque ab illo in duobus diſcriminari primo in eo quod Sol vt ſui luminis radios cõmunicet, mutatur localiter ab vno ad alterum hemiſphærium per circularem motum tranſeundo: *Deus* autẽ immotus permanendo radios ſui ſpiritualis luminis nempè dona gratiæ, quibus animas illuminat, diſtribuit: ſecundo in eò ꝙ Sol ſuo motu viciſſitudines dierum, ac noctium cauſat, acceſſu namque, lumine, receſſu vero ſuo, noſtrum hemiſpherium tenebris perfundit: pater autem ſpiritualiũ donorum, ac luminum huius viciſſitudinis cauſa non eſt in animabus: ſic enim donis gratiæ animas illuſtrat, vt tenebris peccari eas minimè perfundat, ex eò quòd ex nobis eſt perditio noſtra: ex illo autem tãtum modò auxilium gratiæ: vnde D. Thomas hanc ſequens expoſitionem in commentario ad prædictum teſtimonium, ſic ait: *Sicut Sol materialis auctor eſt luminum materialium, ita Sol inteligentiæ luminum ſpiritualium: apud quem non eſt tranſmutatio in natura ſua, quia omnino immortalis eſt, nec viciſſitudinis, obumbratio: in effectu, quia ab ipſo procedit lux, nunquam tenebræ*, &c. quæ proſequitur in eandem ſententiam, ex quibus liquet Iacobum in prima parte ſui teſtimonij mutationem realem à Deo in ſe, in ſecunda vero viciſſitudinem noctis ſiue tenebrarum culpæ ab eius effectibus excluſiſſe. Tertio arguitur: nam quando Deus de nouo creauit mundum, non ſolum fuit nouitas in reſpectu rationis, ſed etiam in ipſa actione, quæ Deo fuit ratio agendi: ergo non ſolum acquiſiuit relationem rationis ad creaturas, verum etiam realem actionem, per quam neceſſarium fuit ipſum realiter mutari. Antecedens probatur dupliciter primo, quia nouus reſpectus rationis non aduenit abſque nouo fundamento, ſed illius, quem Deus acquiſiuit in creatione mundi, fundamentum fuit actio realis, igitur nedum reſpectus rationis, ſed etiã eius fundamẽtũ, vel diuina actio includit nouitatẽ. Secũdo, quia illa forma includit nouitatem, cuius effectus formalis, ſiue cuius concretũ includit nouitatẽ, ſed hoc con-

concretum, creans includit nouitatem; nõ enim de Deo nisi ex tempore prædicatur eiusque forma non est relatio rationis, sed realis actio creandi: ergo. Confirmatur: nã concretum actionis immanentis verbi gratia, volitionis, aut cognitionis, non potest dici de Deo ex tempore quin mutetur realiter propter nouitatem actionis volendi, aut intelligendi, si enim Deus in tempore velet aliquid, aut sciret, quod antea nec volebat, nec sciebat, reuera mutaretur: sed cõcretũ actionis transeũtis, verbi gratia, creãdi, aut iustificandi, etiam est cõcretũ actionis realis, ac diuinæ: ergo nequit de Deo ex tempore dici, quin ipse realiter immutetur. Respondetur ad argumentum: negando antecedens: ad probationem primam dicendum est maiorem veram esse de respectu prædicamentali, falsam tamẽ de respectu rationis transcendentali, qui nullũ postulat fundamentum, & tales sunt respectus rationis ad diuinas actiones consequuti, sicut enim relatio rationis vnionis verbi ad humanitatem in ipso verbo, absque vlla eius mutatione in tempore fuit suscepta, eò quòd posito illo effectu humanitatis assumptæ in tempore ipsamet relatio se ipsa absque alio fundamento resultauit: ita respectus rationis creantis, siue iustificantis in Deo absque noua actione suscipitur ex tempore, eò quod huiusmodi respectus positis de nouo effectibus ad extra, ex vi actionis æternæ Dei se ipsis sine alio fundamento resultant: vnde non consequitur respectus creantis verbi gratia, ad actualem creationem, neque illam supponit constitutam in esse actualis creationis, sicut relatio habet supponere suum fundamentum, sed potius resultat ad positionẽ effectus vt complementum ipsius actualis creationis, sine quo neque constitui, neque intelligi, potest actio creatiua in ratione actualis creationis. Ad secundam nego minorem pro secunda parte: forma namque illius concreti est actualis creatio, quę veluti constitutur ex actione creatiua, & respectu rationis, vnde quia respectus rationis includit nouitatem absolutè totum cõflatum, quod est forma dicti concreti includit nouitatem. Potest etiam dici quod fundamentum proximum illius respectus etiam si prædicamentalis sit, vt alijs placet quodammodo includit nouitatem: tũ quia non est actio creatiua quomodocunque, sed vt associata effectui posito in esse, & satis est quod ex parte effectus associati sit nouitas. Tũ etiã quia cũ fundamentũ illius sit actio formaliter immanens, & virtualiter transiens, satis est ad fundamentum noui respectus quod actio illa sit virtualiter noua: virtualis autem nouitas non repugnat actioni æternæ Dei, sicut neque virtualis transitio lædit, eius formalem immanẽtiam, quia sicut virtute transire est ponere effectum, ac si esset transiens, siue munus transeuntis actionis exequi: ita esse virtualiter nouam, est dare nouam denominationem, & fundare respectũ de nouo, ac si esset noua: siue exequi munus noui fundamenti propter sui eminentiam: sed conformior est nostræ sentiæ prima solutio. Ad confirmationem negatur consequentia. Ratio discriminis est, quod si Deus vellet ab æterno aliquod obiectum futurum, vel è contra si de nouo vellet, quod antea nolebat, aut si inciperet velle, aut nolle illud, circa quod mere negatiuè se habuerat ab æterno, aut si de vollente, vel nollente transiret ad actum meræ negationis, ita vt deinceps, neque vollens, neque nollens esset, non solum fieret mutatio, siue successio quoad respectus rationis, sed etiãquoad actus immanentes in diuina voluntate, ac proinde pateretur Deus realem mutationem ex huiusmodi vicissitudinibus, & varietatibus, eò quòd ad nouum respectum acquirendũ, vel amittendum antiquũ requiritur mutatio ex parte vtriusque, vel saltẽ ex parte alterius extremi, & cũ ante mundi creationem nulla facta fuerit mutatio ex parte creaturarum deberet fieri ex parte Dei, vt successiue de volente in nollentem, vel è contra aliquo ex illis modis tribus posset transire, ac proinde in primo casu veluti motũ inter terminos positiuos versantem, & in secundo mutationem similem generationi accidentali à negatione actus ad actum: in tertio vero mutationem similem corruptioni accidentali ab actu ad negationem actus terminatam pateretur: in actionibus autem exequentibus munus transeuntium cum fiat mutatio ex parte alterius extremi, vel ex parte effectuum absque alteratione, aut nouitate ipsarum actionum diuinarum potest contingere successio, varietas, & nouitas in respectibus rationis, propter ipsarum actionum eminentiam, ac effectuum resultantiam. Ex hucusque dictis colligitur manifestè, neque ex naturali modo agendi, neque ex immutabilitate Dei reddi impossibilem mundi inceptionem, atque nouitatem, cum Deus in operando sit summe liber, & absque læsione suæ immutabilitatis possit res de nouo producere, quas ab æterno voluit, statuit, ac de-

decreuit non niſi in tempore producere, cum igitur neque libertas, neque immutabilitas Dei impediat temporalem mundi productionem, videndum reſtat quo pacto ex naturis ipſarum rerum, neque æterna ſuadetur, neque temporalis ipſarum productio impediatur.

ARTICVLVS III.

An mundum fuiſſe productum in tempore ſit demonſtrabile, vel ſola fide tenendum.

15 IN hoc articulo omnes Catholici Philoſophi, ac Methaphiſici conuenienter affirmant ſola fide tenendum eſſe mundi nouitatem quo ad omnes creaturas, licet quoad aliquas, hoc eſt, quo ad illas, quæ ſuapte ab æterno fieri non potuerunt, ſit demonſtrabilis mundi nouitas, quia demonſtrabilis inceptio talium creaturarum eſt. In his autem creaturis aſignandis diſcriminantur auctores. Alij namque volunt ſola entia ſucceſsiua, vt motum, ac tempus eſſe talia quibus repugnet ab æterno fieri. Alij verò etiam corruptibilia permanentia à numerant, vt ſtatim videbimus. Vt autem certa à dubijs ſeparentur, ſequentes ſtatuo cõcluſiones. Reſpondeo, dicendum primo: mundum fuiſſe factum à Deo in temporis initio quoad omnes tam viſibiles, quam inuiſibiles creaturas: hæc concluſio quoad vtranque partem eſt à Deo certa vt oppoſitum abſque temeritatis nota non poſsit ſuſtineri: & probatur prima pars tanquam certa ſecundum fidem 1. ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ: nam Geneſeos 1. dicitur *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: ex quo loco ait D. Thom. 1. part. quæſt. 46. artic. 3. tres errores à Moyſe excludi, quorum vnus fuit antiquorum Philoſophorũ, qui poſuerunt mundum ſemper fuiſſe, & tempus non habere principium, ad quem excludendum exponitur, *in principio* ſcilicet, temporis: alius fuit quorundam aſſerentium duo eſſe generationis principia, vnum bonorum, & aliud malorum, ad quẽ excludendum exponitur, *in principio*, id eſt in filio: iuxta illud Apoſtoli ad Coloſenſes, 1. in ipſo ſcilicet filio condita ſunt vniuerſa. Alius vero fuit quorundam dicentium corporalia fuiſſe creata mediantibus creaturis ſpiritualibus, quæ ante viſibilem mundum extiterunt ad cuius excluſionem exponitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: id eſt, ante omnia: quatuor enim ponuntur ſimul creata, ſcilicet, cœlum empireum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica: hæc D. Thom. ex præfato loco Geneſis 1. Proberbiorum 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, quem locum verſans Hieronymus tom. 3. epiſtola ad Cyprianum, & tom. 9. cap. 2. epiſtolæ ad Epheſios, condiſtinguit creationem à poſſeſsionem ſignificãte coæternitatem filij diuini cum patre, & ideo dicere Sapientiã in perſona filij, *Dominus poſſedit me*: creationem autẽ eſſe, *eius, quod prius non erat conditionis exordium*, & ideo ſubditum fuiſſe à Sapientia: *antequam quidquam faceret à principio*: huic conſonat illud, Pſalm. 89. *Priuſquam montes fierent aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus*, vbi Hebræus ſic habet, *antequam montes naſcerentur, & parturiretur terra, & orbis à ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus*, & hijs ſimile eſt illud, quod Chriſtus Dominus, Ioann. 17. dixit: *Clarifica me Pater claritate, quam habui prius quam mundus fieret*, & hoc ipſum proteſtamur in ſymbolo dum credimus Deũ eſſe creatorem cæli, & terræ, cuius ſenſus eſt Deũ in tempore ex nihilo cœlum, & terrã feciſſe, vnde ex hac ſymboli propoſitione probant Gregor. homil. 1. ſuper Ezechiel. & D. Tho. 1. p. q. 46. art. 1. mundi nouitatem. 2. probatur ex diffinitionibus Cõciliorum, Sophron. namque in ſua epiſtola, quæ habetur in 6. Sinodo action. 11. & ſuſcipitur vt orthodoxa à toto Concilio, actione 13. ſic ait. *De principio viſibilis mundi, & conſtitutione, quæ facta eſt, confiteor, quod non tantum viſibilia, ſed & inuiſibilia vnus Deus condidit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, & expræſius Concilium Lateranenſe ſecundum ſub Innocentio 3. in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica, in hunc modum diffinit: *firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, quod vnus eſt ſolus verus Deus, vnum vniuerſorũ principium, creator omnium inuiſibilium, & viſibiliũ, ſpiritualiũ, & corporalium, qui ſua omnipotente virtute ſimul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalẽ, Angelicam videlicet, & mũdanam, & deinde humanã quaſi cõmunẽ ex ſpiritu, & corpore conſtitutã*, &c. De certitudine autẽ 2. partis non dicimus eſſe tantã vt oppoſitũ ſit hæreſis manifeſta ſed eſſe temeritatis nota dignam, in quo non eſt concors Theologorũ iuditium.

Inceptio mũdi intẽpore ſtabilitur.

16 Alij namque volunt eſſe ita certam de Fide ſecũdã partẽ noſtræ concluſionis, atque

atque primam poſt Concilij Lateranenſis, præallegatam diffinitionem, ac proinde illius decretalis non meminiſſe, D. Thom. quando in prima parte, quæſtion. 61. articul. 3. ſcripſit in fauorem ſanctorum patrum, qui oppoſitum dixerunt, nempè Angelicam creaturam fuiſſe ante mundum corporeum productam dicens: *Quanuis contrarium non ſit erroneum præcipue propter ſententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta eſt in doctrina Chriſtiana auctoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit, ſicut neque Athanaſij documentis, vt Hieronymus dicit*, de horum numero eſt Molina in præfacta, quæſtion. 61. articul. 3 §. *Dubium vero eſt*, vbi calumniam Gregorij dictis inferens, ait hæreticam iam eſſe poſt prædictas Sophronij, & Concilij Lateranenſis diffinitiones, Gregorij, & aliorum Græcorum ſententiam, Canus vero, libr. 5. de locis capit. 5. quæſtion. 4. ad finem cenſet (licet abſque perfecta firmitate) illa verba Decretalis non continere fidei diffinitionem aduerſus ſententiam Græcorum, ſed aduerſus errorem Origenis: & ad obiectionem ſibi factam ex opuſculo 23. quod inter opuſcula D. Thomæ refertur ſuper allegatæ Decretalis expoſitionem, ait illud non eſſe D. Thom. ſed alterius: Caietanus denique in commentario articuli præallegati ex quæſtion. 61. primæ partis, & D. Thom. proprium, ac legitimum opuſculum illud, 23. agnoſcit, & eius ſaluat iudicium circa Patrum Græcorũ ſententiam, dicens in hæc verba. Ad hoc dicitur aquibuſdam quod ſi Sanctus Thom. reuoluiſſet cum ſcriptis hũc articulum non dixiſſet hæc verba, ſed mihi videtur quod ſciens, & prudens hæc ſcripſerit: nam illa verba Decretalis interprætanda ſunt in ſenſu in quo fiunt, magis, quàm in ſenſu, quem faciunt, & vt docet Sanctus Thom. in expoſitione illius Decretalis verba illa oppoſita ſunt contra errorem Origenis, & eorum, qui ponunt creaturas ſpirituales tantum eſſe perſe productas à Deo: ac poſt mundum propter demerita earum corporales creaturas productas fuiſſe, vnde cum dupliciter teneatur Angelos productos eſſe ante corpora, ſcilicet tanquam res ſic perſe productas, quod propter earum demerita per accidens mundus corporeus ſit productus, vel ſimpliciter, & abſolute, quôd ex voluntate Dei Angeli præceſſerint mundum viſibilem: Decretalis illa quanuis ſecundum verba vtramque poſitionem deſtruat, contra primam tamen tanquam contra hæreſim interprætanda eſt. Ad ſecundam vero tanquam ad minus probabilem applicari poteſt, & ratio huius Gloſſæ eſt, quia determinationes iſtæ non niſi contra aliquos errores conſueuerunt fieri. Hæc Caietan. in quibus tria docet notatu digna. Primum eſt Sanctum Doctorem ſcienter, ac prudèter loquutum fuiſſe, quod probat, eo quod Decretalem illam expoſuit in præallegato opuſculo, vbi cum ad explicanda verba, quæ ad rem præſentem ſpectant, deueniſſet ſic ait: *Alius fuit error Origenis ponentis quod Deus à principio creauit ſolum ſpirituales creaturas, & poſtea quibuſdam earum peccantibus creauit corpora, quibus quaſi quibuſdam viſibiles ſpirituales ſubſtantiæ alligarentur, ac ſi corporales creaturæ non fuerint ex principali Dei intentione productæ*, & paucis interpoſitis, ſubdit: *Vnde ad hoc excludendum dicit Concilium ſimul abinitio vtranque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & humanam, &c.* Ex quibus verbis patet Sanctum Doctorem illam Decretalem minime latuiſſe, neque valet ſolutio Cani, qui opuſculum illud negat eſſe Sancti Doctoris, quia eadem facilitate qua negatur ab ipſo conceditur ab alijs diſcipulis Sancti Thomæ, qui inter illuſtriores à numerantur, & eius auctoritati opponitur auctoritas Caietani affirmantis auctorem illius opuſculi eſſe Sanctum Thomam. Tùm etiam, quia in operibus Venetijs excuſis anno 1593. in quibus vera, ac legitima D. Thom. ab aduiterinis, & ſuppoſititijs opuſculis diſcriminantur, habet notas, & huius diſcriminis characteres. Tùm denique quia aut D. Thom. Decretalis illius meminit dum præfactum iudicium pro ſententia Græcorum expræſsit, aut non: ſi Cano admittat ſecundum, admiſsio eius omiſsionis arguit D. Thomam, ſi admittat, primum non poteſt negare, quod D. Thomas potuerit Decretalis verba interprætari in ſenſu illo in quo, illa auctor citati opuſculi (quicunque ille fuerit) interprætatus eſt: ſenſus enim ille verus eſt, ac proinde non indignus D. Thomæ, verum namque eſt poſitionem Origenis erroneam eſſe, & in prædicta Decretali labefactatam: quod amplius patet, quia D. Thom. ſupra quæſt. 46. art. 3. iam dixerat ex illis verbis Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ſic intellectis, ideſt, ante omnia creauit Deus, & excludit error illorum, qui dixerũt corporalia fuiſſe creata mediantibus ſpiritualibus creaturis, ideſt, propter illas, diffinitio autem Concilij Lateranenſis ex eodem teſtimonio Geneſis ſecundum eundem intellectum procedit, igitur ex illa potuit etiam dicere D. Thom. colligere eiuſdem erroris ex

cluſionem, fauet locus alter Sancti Thomæ, quæſtion. 3. de potentia artic. 9. vbi referens tres ſententias: circa animæ rationalis originem: primam luciferianorum affirmantium animas rationales per ſeminalem propagationem produci. Secundam Origenis aſſerentis animas omnes ſimul creatas fuiſſe, cum cæteris naturis intellectualibus, & poſtea corporibus: per diuinam voluntatem mandantem vniri: & tertiam communem, quæ ponit animas ſimul cum a Deo creantur corporibus infundi, & duas priores ſententias temporibus D. Auguſtini in dubium verti ſolere, poſt modum vero primam iudicio eccleſiæ eſſe damnatam, & tertiam aprobatam, in quo loco D. Thomas planè alludit ad præfatam diffinitionem Concilij Lateranenſis, & licet Ferrarienſis, ſecundo contra gentes capit. 83. ad finem hoc teſtimonio ſuaſus dicat. Primo prædictam Græcorum poſitionem damnatam fuiſſe, eſſeque erroneam poſt allegatam diffinitionem, atque eiuſdem eſſe ſententiæ D. Thomam imprefato loco de potentia, aqua non recedit (vt ille ait) in quæſt. 61. primę partis, quia ibi non intendit dicere ſententiam Nazianzeni, & Græcorum non eſſe erroneam abſolute, & omnibus modis, ſed tantum non eſſe erroneam directe, & ſuapte natura, quaſi ſit contra primos articulos fidei, aut Sacræ Scripturæ reuelationem expreſam, cũ quo ſtat quod vellit illam eſſe erroneam veluti per accidens, & indirecte, ex ſuperuenienti Eccleſiæ diffinitione: tamen ſtatim ait, ſecũdo poſſe dici non excludi per diffinitionem Concilij ſententiam Græcorum, quatenus ponebat creaturas intellectuales fuiſſe ante corporeum mundum productas, ſed quatenus ab Origene defendebatur ponente omnes ſubſtantias ſpirituales ſimul fuiſſe productas ante corporeas creaturas, ſed ipſis diuerſimode peccantibus, poſtea ad earum demerita fuiſſe vniuerſam corporalem creaturam productam, & hunc errorem proculdubio ait D. Thomas in allegato loco de potentia eſſe iudicio Eccleſiæ damnatum, quatenus ad rationales animas extendebatur. Secundum quod ait Caietanus eſſe præfatam Græcorum ſententiam non eſſe à Patribus Lateranenſis Concilij damnatam, neque vt Hæreſim fore habendam, ſed ſolum damnari Origenis errorem, cui diffinitio Concilij tanquam Hæreſi debet aplicari. Hoc probat Caietanus, quia verba Concilij debent interpretari iuxta præcipuam tantum diffinientium intentionem; hæc autem tantum fuit damnare Origenis poſitionem, vt habet explicatio Sancti Doctoris in opuſculo 23. Tertium eſt quod opinioni Græcorum de productione ſubſtantiarum ſpiritualium ante mundum corporeum non debet aplicari Concilij diffinitio tanquam hæreticæ, ſed tanquam minus probabili, quod probat, quia non damnatur ex intentione cõcilij & alias non ita conſonat cum verbis Concilij, ſed potius videtur deſtrui. Caietano ſubſcribunt Sixtus Senenſis libro 5. Bibliothecæ annotatione 5. Bañeſius articulo 3. citato ex quæſtione 61. primæ partis, & Canus in his duobus dictis vltimis à Caietani ſententia non diſentit, licet cum formidine alterius partis, vt etiam Molina concedit, Ferrarienſis quoque, quem Molina pro ſe adducit, ipſumque tanquam auctorem præcipuum ſuæ ſententiæ nominat, licet in prima ſolutione damnet vt hæreticam prædictam Græcorum poſitionem ex diffinitione Concilij, tamen in ſecunda Caietano ex prædictis verbis ſubſcribit, cuius ſolutionis Molina, meminiſſe non voluit, ſed tantum primæ, quæ apud ſcriptores minus præcipua eſſe ſolet, ac per ſub ſequentem corrigi, quæ ſicut poſtrema, ita vltimam ſcriptoris exprimit voluntatem: vnde, & hæc ſententia Caietani nobis placet, quæ cum ſit probata exactè quoad primum dictum, probatur amplius à nobis quoad ſecundum & tertium, quibus probatis relinquetur probata, ſecunda pars noſtræ concluſionis. Quoad ſecundum, quidem quia multi fuerunt Patres mirifici Eccleſiæ Græcæ, qui aſſeruerũt Angelos fuiſſe productos ante mundum corporeum, huius enim ſententiæ fuere Grægorius Nazianzenus, Oratione 38. de Natiuitate, cuius dictis nullus vnquam teſte Hieronymo calumniam inferre præſumpſit, Baſilius Homil. 1. in Hexameron, quibus ſubſcribit Damaſcenus, lib. 2. fidei Orthodoxæ, capite tercio, Chryſoſtomus, libro primo de prouidentia, & alij quos referunt Bañeſius, & Molina vbi ſupra, quorum ſententiam, vt probabilem etiam ex latinis ſequuti fuerunt Ambroſius in libro. 1. Examer. capit. 5. Hilarius, libro 12. de Trinitate, Iſidorus, libro primo, de ſummo bono capit. 12. & quod amplius eſt Hieronymus, tanti illam ſui præceptoris Nazianzeni, fecit ſententiam, vt ad Titum, capite primo, illam ſequatur dicens: *Sex millia nondum noſtri temporis complentur annorum, & quanta tempora, quantaſque ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, throni, dominationes, cæteriquę ordines Deo ſeruierunt, &c.* Sed non decebat hanc, ac tantorum patrum ſententiam publica, ac Canonica diffinitione, vt Hæreticam ab Eccleſia

cleſia improbari : ergo non eſt dicendum: talem diffinitionem in Lateranenſi Concilio , aut in Epiſtola Sophronij contineri. Deinde quia D.Thomas,non ignarus Concilij Lateranenſis, affirmauit in prima parte prædictam Patrum Græcorum opinionem non eſſe erroneam, ſed minus probabilem, & propter authoritatem D. Thom. poſtea Caietanus, & alij Theologi aſſeuerarunt verba præfata Concilij talem diffinitionem non continere, vt fatetur Molina, & propterea ait hodie non eſſe ab Eccleſia receptum communiter ſententiam Græcorum hæreticam eſſe ac damnatam, quæ ſi in culpam vertendo D.Thomæ, quod illa Patrum Sanctorum ſententia non ſit hodie communi omnium ore damnata. Ego vero hoc in magnam Diui Thomæ laudem cædere exiſtimo , cum magna laus ſit filiorum parentibus debitum cultum pietatis exhibere, & eorum ad inſtar Sem Patrum minus veras ſententias cœlare, è contra vero magnum de decus filiorum ad inſtar Chami, illas proferre in propatulum , quod nimiæ curioſitatis in Magiſtris, ac Doctoribus nouarum rerum amatoribus eſſe manifeſtum indicium , & argumentum teſtatur Phylo Iudæus, libro de reſipiſcentia Noe à vino: verſans enim illum locum Geneſis. 9. vbi legitur , quod cum Patriarcha Noe aſomno Ebrietatis experge factus didiciſſet quid ei faceret impudens filius ſuus minor Chanaam iracundia motus illum maledixit: *Maledictus puer Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis* , ſic ait : *Cæterum iuniorem filium dicens, non ætatis nomen, ſed qualibus moribus prædicti ſunt rerum nouarum amatores indicat, &c. Niſi per curioſitatem auſus fuiſſet quod nemo antea, &c.* Quibus verbis Phylo haud obſcure reprehendit eos Doctores, qui Patrum, ac maiorum ſententias contemnunt, atque non nulla in illis ſilentio in voluenda publice damnant , ac proferunt in propatulum, è contra vero magnæ laudis eſſe in recentioribus antiquiores Magiſtros (ne dum Eccleſiæ Patres) venerari,eorumque, ea, quæ aliqua fuerint digna reprehenſione cœlare : affirmat ; vnde magnæ laudis eſt in Diuo Thoma , & pietatis eius perſpicuum argumentum , quod ſententiam Græcorum Patrum , ac aliquorum ex latinis minus Sacræ ſcripturæ , & Concilijs conformem ab errore voluerit excuſare : eiuſdemque laudis , ac pietatis participes eſſe in Caietano, ac reliquis Thomiſtis , non vituperij , aut ex probandi, ſed potius gratulandi , ac gratiarum actionis materia nobis debet eſſe.

18 Quoad tertium vero dictum , nempe, quod illorum Patrum ſententia minus probabilis ſit, ac temeritatis nota in vrendus eſſet, qui illam modo ſequeretur, probatur primo : quia in prædicto teſtimonio Geneſeos : *In principio creauit Deus cœlum, & terram* , abſolute dicitur Deum creaſſe cœlum , ideſt omne cœlum , quia indiſinita æquiualet vniuerſali , ac proinde denotatur etiam creaſſe in initio illius temporis cœlum empireum , quod ſimul fuit , teſte D. Thoma , prima parte , quæſtion. 61. articulo quarto , Angelis repletum , & exornatum , vnde & D.Thomas , quæſtion. 46. articulo tertio , citato ex eodem teſtimonio colligit ſimul fuiſſe creata quatuor , ſcilicet, cœlum empireum , tempus , naturam Angelicam , & materiam corporalem nomine terræ deſignatam : ergo. Secundo accedit alia ratio ex Angelis reprobis deſumpta : iſti nanque vbi primum pecauerunt ad infernum debitum ſui ſuplicij locum deſcenderunt è cœlo empireo , vt conſtat ex illo Apocalipſis 12. *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli* , & infra, *neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo , & proiectus eſt draco ille magnus , &c.* & ſecundæ Petri ſecundo : *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit , ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos , &c.* Sed locus inferni eſt in centro terræ , vt pote magis a cœlo , quod Dei ſedes ac beatorum locus eſt , diſtancti : ergo ſimul fuiſſe Angelos creatos cum terra,& loco inferni in eius centro collocato pro centro habendum eſt; ita vt oppoſitum abſque temeritatis nota defendi neque at,&c. Cõſequentia hæc patet, quia hæc nota digna eſt opinio , quæ Sacræ ſcripturæ teſtimonijs , ac Conciliorum diffinitionibus minus conformis eſt. Talis autem probatur eſſe hæc opinio Græcorum Patrum noſtris temporibus ; tum propter aducta teſtimonia Sacræ ſcripturæ, & Conciliorum: tum propter illud alterum teſtimoniũ Eccleſiaſtici. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, quem locum intelligunt communiter Doctores cum Gregorio libr. 32. Moralium, capit. 9.de creatione proprie dicta: ita vt ſenſus ſit,omnes creaturas per creationem proprie dictam , ideſt ex nihilo productas , fuiſſe ſimul à Deo creatas : quia tamen locus iſte alias habet expoſitiones , & de creaturis viſibilibus , ac potioribus vniuerſi viſibilis partibus , ab alijs authoribus, & Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſolet explicari, neque hucuſque eorum explicationes ſunt ab Eccleſia damnatæ , non probatur ex illo quod intendit Molina , nempe hæreticam,

ticam eſſe Patrum Græcorum poſitionem. Denique, quia Moiſi fuit reuelata omnium creaturarum inceptio vt de articulo creationis Iſraëliticum populum inſtrueret, ſed non aliam expoſuit populo præter illam, quæ fuit in temporis initio, vnde licet expreſſe non meminerit niſi lucis cœli, terræ, ac aliarum viſibilium creaturarum implicite tamen, credendum eſt omnium etiam inuiſibilium meminiſſe, omniumque vniuerſi partium inceptionem reuelaſſe nominibus ſolum creaturarum viſibilium expræſis, vt potè aptioribus ad populum rudem, & carnalem edocendum, neque cogitandum eſt Deum prius feciſſe Angelos, quam vniuerſum, cuius illi ſunt partes, neque Moiſem de creatione vniuerſi tractaturum, eius partialem, ac incompletam dum taxat inceptionem declaraſſe, certa igitur eſt noſtra concluſio quoad vtranque partem, licet non in eodem gradu certitudinis.

Dico ſecundo nullatenus demonſtrabilis eſt mundi inceptio, ſed ſola fide tenenda. Hæc concluſio oſtenditur à D. Thoma, prima parte, quæſtione. 46. articulo ſecundo, hac ratione mundi nouitas, neque ex parte mundi, qui ſecundum ſe abſtrahit ab hic & nunc, neque ex parte potentiæ Dei creantis illum libere poteſt demonſtrari: ergo ex nullo capite demonſtratione, ſed ſola fide teneri poteſt. Deinde probatur declarando amplius Doctoris Angelici rationem. De hijs, quæ ex ſola Dei voluntate dependent, non poſſumus habere notitiam niſi per Sacræ ſcripturæ reuelationem, aut Eccleſiæ diffinitionem, per quam nobis diuina voluntas inoteſcit, ſed inceptio mundi ex ſola libera Dei voluntate dependet: ergo. Rurſus per ſcientiam naturalem ſolum demonſtrari poſſunt paſsiones, vel prædicata illa, quæ habent cum eſſentia ſubiecti neceſſariam connexionem, eo quod vtuntur eſſentialibus principijs ad demonſtrandas paſsiones de ſubiectis, ſed nouitas mundi non habet neceſſariam connexionem, cum eius creatione, potuit namque illi conuenire, & non conuenire: eius etiam oppoſitum, ſcilicet duratio ſine principio illi conueniret, ſi Deus voluiſſet mundum ab æterno producere: ergo.

19 Sed contra primo poſſet argui: tam ex modo agendi Dei, qui producit res ex neceſsitate naturæ, cum enim ſit ſuus actus ſemper actu operari debet. Tùm ex eius immutabilitate, quia poſita actione productiua, quoad eius influxum, & actualitatem ponitur neceſſario terminus productus; ſed ab æterno fuit in Deo actio creatiua quoad eius influxum, & actualitatem, habuit enim illa actio in Deo ab æterno totam ſuam perfectionem, & actualitatem, ſolumque illi defuit reſpectus rationis alioquin Deus mutaretur quando de nouo res produceret: ergo. Sed horum argumentorum ſolutio iam relinquitur ex duobus articulis præcedentibus patefacta; in illis namque oſtendimus, neque modum agendi Dei, qui eſt ſumme liber, neque eius immutabilitatem obſtare mundi nouitati, quia actio creatiua ab æterno illi conueniens, quoad actualitatem actus primi, & actionis formaliter immanentis potuit in tempore reduci ad actualitatem actus ſecundi ſeu actualis productionis atque actus tranſeuntis, quia hæc actualitas ſolum eſt in illa reſpectus rationis, vt dictum eſt. Secundo arguitur; nam in neceſſarijs idem eſt poſſe, & eſſe, ſimulque ſunt potentia, & actus, vnde, & ſimul ſunt ab æterno in Deo potentia generatiua, & actualis filij generatio: ſed mundus potuit eſſe ab æterno, & eius exiſtentia eſt neceſſaria: ergo talis potentia ſemper fuit adiuncta ſuo actui, ac proinde exiſtentia fuit ab æterno. Confirmatur: nam ſpecies humana fuit ab æterno, fuit enim ante quam montes fierent, & formaretur terra iuxta illud Pſalmi. 89. *Domine refugium factus eſt nobis à generatione in generationem, priusquam montes fierent, aut formaretur terra, &c.* Non autem poteſt Deus eſſe ab æterno refugium, niſi illis, qui ab æterno ſunt, neque enim eorum qui non ſunt poteſt eſſe Deus, Dominus, refugium, vel adiutor: & ſimili argumento probauit Chriſtus Dominus Mathæi, 22. Abrahami, Iſaci, & Iacobi animas viuere, quoniam Deus nuncupabatur, Deus Abraham, Iſaci, & Iacobi, & non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum: ergo & mundus cuius vna pars eſt ſpecies humana debuit eſſe ab æterno, cuius refugium dicitur Deus. Ad hoc argumentum reſpondetur in neceſſarijs ſimul eſſe potentiam, & actum, in quibus eſt potentia paſſiua ſatiata ſua forma, ſecus autem in illis, in quibus potentia eſt libera in agendo, Deus autem, & eius potentia ſemper fuit coniuncta, cum ſuo actu, qui eſt ſua eſſentia, non tamen cum ſuo effectu, vel cum actuali eius productione reſpectu cuius eſt libera potentia. Ad confirmationem reſpondetur Deum dici refugium hominum antequam terra formaretur, non quia actu præberet eis auxilium, ſed quia ſemper ei ad fuit potentia, & inclinatio ad illis opitulandum, quo pacto etiam poteſt dici fuiſſe ſemper Dominus,

minus, non ratione actualis relationis, sed potentiæ coërciuæ ad sibi creaturas subijciendum. Tertio arguitur: ex vero nequit sequi falsum, & fidei contrarium, sed expositione mundi ab æterno sequitur fidem destrui de mundi nouitate: ergo non potest esse vera talis positio, ac proinde erit demonstrabilis mundi inceptio. Respondetur, quod mundum posse esse ab æterno est verum absolute: ex suppositione tamen est falsum, & contra fidem, sed hoc non cognoscit Gentilis, qui non scit Deum in principio fecisse cœlum, & terram, quod docet D. Thomas, quæstione tertia, de potentia, articulo 14. dicens mũdum posse esse ab æterno secundum potentiam actiuam Dei, & etiam secundum potentiam logicam, idest, non repugnantiam terminorum, si vero posibile referatur ad potentiam passiuam, sic supposita fide, ac diuina reuelatione de ipsius mundi inceptione temporali nequit fieri, quod mundus semper fuerit, sicut enim implicat nunquam fuisse, id quod aliquando fuit, ita implicat semper fuisse, quod aliquando non fuit, & iuxta hanc distinctionem distinguendum est consequens argumenti.

ARTICVLVS IIII.

An vniuerso quoad aliquas creaturas repugnet, etiam, in ordine ad potentiam Dei absolutam, ab æterno fuisse?

20 IN hoc articulo quatuor versantur sententiæ, duæ extremæ, & duæ aliæ mediæ, illarum prima negat mundum posse esse ab æterno quoad aliquas sui partes, ita quod nulla creatura aut pars vniuersi secundum huius sententiæ auctores potuerit etiam de potentia absoluta produci ab æterno. Hanc sequuti sunt Henricus, quodlibeto primo, quæstione. 17. & quodlibeto 9. quæstione 17. Marsilius in secundo quæstione prima, articulo secundo, Ricardus ibidem, distinctione prima quæstione prima, fauet Scotus; dum illam in secundo distinctione allegata quæstione tertia, propter argumenta Henrrici, quæ ibidem refert, defendit problematicè. Secunda huic est ediametro opposita & asserit mundum quoad omnes sui partes hoc est quoad omnia entia tam successiua, quam permanentia potuisse produci ab æterno, secundum eandem dispositionem, quam modo habent, & relinquendo illas suis naturis, quam sequuntur Ariminensis in secundo distinctione prima, quæstione tertia, articulo primo, Herueus ibidem quæstione, prima articulo secundo, & fauet D. Bonauentura ibidem quæstione sexta, parumque ab hac sententia recedunt illi qui dicunt omnes creaturas (excepta specie humana) potuisse relictis suis naturis produci ab æterno de quorum numero sunt Capreolus in 2. distinctione citata, quæstione prima articulo primo, conclusione tertia, & articulo 2. atque Basolis ibidem quæstion. 5. & Flandrensis in 12. huius quæstione 4. articulo 2. ad tertium. Ratio autem excipiendi speciem humanam, vel absolute à productione sine principio, vel a productione sine principio durationis secundum naturalem dispositionem, quam modo habet, est ne aut tollatur animæ rationalis immortalitas, aut admittatur infinitus numerus animarum rationaliũ. Tertia & media affirmat de entibus permanentibus; negat vero de successiuis, quæ incipiunt per motum, & successionem potuisse esse ab æterno. Hanc sequuntur Durandus in 2. distinctione prima, quæstione 2. & 3. Suarez tomo 2. Methaphysicæ disputatione 29. sectione prima, Toletus 8. Physicorum quæstione, 2. & Conimbricenses ibidem quæstion. 7. articul. 3. & 4. licet problematicè vtramque partem defendant probabilius tamen existimant entia successiua nullatenus potuisse esse ab æterno, & idem censent de generationibus rerum generabilium, res autem permanentes semel productas ab æterno posse sine nouo miraculo per infinitum tempus conseruari. Quarta sententia asserit mundum potuisse, quoad omnia entia tam permanentia quam successiua, tam corruptibilia, quam incorruptibilia ab æterno produci de potentia absoluta Dei. Hanc sequuntur Soto 8. Physicorum quæstione 2. & Bañesius 1. part. quæst. 46. articul. 2. licet in eius explicatione dissentiant, Bañesius enim vult produci potuisse ab æterno, sed non relictas suis naturis, nec sub modo, quem nunc habent, sed sub alio, & immutatis earum naturis, Soto autẽ vult omnia incorruptibilia potuisse relicta suis naturis, & sub modo eodem, quem nunc habent: corruptibilia vero potuisse produci, sed non relicta suis naturis, sed pro veritatis declaratione.

Potuisse Deũ mũdũ quoad entia permanẽtia & successiua ab æterno producere.

21 Dico primo, mundus quoad omnes res permanentes potuit esse ab æterno. Hæc conclusio statuitur aduersus authores primæ opinionis, & probatur primo: nam vt ex supra dictis constat mundum factum fuisse in

tempore ſola fide tenendum eſt, quia nulla-tenus eius inceptio eſt demonſtrabilis, hoc autem non ita eſſet ſi ab intrinſeco ei repugnaret fieri ab æterno quoad omnes partes, ex quibus conſtat; ergo pro certo habendum eſt ipſum ſaltem quoad res per manentes potuiſſe fieri ab æterno. Secundo: nam neque repugnat ex parte Dei facientis cum eius potentia ſit infinita, neque ex parte rei factæ, neque ex parte modi faciendi: ergo ex nullo capite. Antecedens probatur pro ſecunda, & tertia parte, pro ſecunda quidem, quia non repugnat rebus permanentibus fieri per creationem ſine motu, & veluti in inſtanti, ac proinde neque eis repugnat eſſe coæuas ſuo principio efficienti: pro tertia vero; quia modus faciendi aliquã rẽ per creationẽ nõ petit quod talis res præcedatur ſecũdũ durationẽ à ſui eſſe negatione, ideſt nõ petit præcedẽtiã durationis in termino aquo, ſed tãtum petit quod vel ordo maneat negatus, ideſt quod nõ fiat ex aliquo ſubiecto, vel quod ordo affirmatus ad nõ eſſe, ſit tãquã ad nõ eſſe pri⁹ natura, ſed nõ prius duratione, vt ſuperius docuim⁹, cum de creatione ſermonem inſtitueremus. Tertio, nam ſi Deus operaretur ex neceſsitate naturæ re vera produxiſſet mundum ab æterno, ſed modus operandi libere per voluntatem, ſcilicet, liberam, & intellectum nihil adimit de potentia, ac infinitate virtutis productiuæ in ipſo: ergo idem poteſt, quod poſſet admiſſa illa hypotheſi.

Dico ſecundo, potuit etiam Deus ab æterno producere entia ſucceſsiua, vt motum, & tempus. Hęc ſtatuitur aduerſus authores tertiæ ſententiæ, & probatur primo: nam D. Thomas in locis prælegatis articulo præcedenti abſolute abſque vlla exceptione determinat mundum potuiſſe eſſe ab æterno, & propterea eius inceptionem ſola fide teneri: ergo abſolute de omnibus partibus vniuerſi dicendum eſt potuiſſe fieri ab æterno, earumque inceptionem ſola fide teneri, alias inceptio mundi, quoad entia ſucceſsiua eſſet demonſtrabilis ratione, quod nullatenus eſt admittendum. Secundo probatur, quia motus cœli v.g. potuit eſſe ab æterno: ergo idẽ dicendum eſt de alijs ſucceſsiuis. Antecedens probatur, quia potuit produci per actionem creatiuam, & inſtantaneam ſine motu, ſicut de facto fuit productus per eandem actionẽ creatiuã per quam cœlum factum eſt. Tertio: nam non repugnat ex parte temporis dari vnam diem ante aliam, & vnam circulationem cœleſtis corporis ante aliam in infinitum aparte ante abſque prima: ergo nec repugnat ipſum tempus productum fuiſſe ab æterno. Conſequentia patet, quia tota repugtia eſſet hæc, quod non eſſet aſignabilis, prima dies aparte ante: igitur ſi hoc non repugnat nulla erit repugnantia. Antecedens probatur, quia aparte poſt non repugnat dari dies ſine vltima, ac proinde ſine termino, ſed eiuſdem rationis eſt tempus aparte ante, & aparte poſt: ergo etiam aparte ante potuit fieri ſine prima die, ac proinde ſine termino: eodem argumento probatur dari poſſe motum ſine primo mutato eſſe aparte ante. Confirmatur, quia ſicut incipiendo ab hac die verſus futurum, nequeunt per tranſiri infinitæ, ita vt infinitæ fiat trãſactæ, quia infinitum non eſt per tranſibile, ita neq; numerando ab hac die verſus præteritum poſſunt per tranſiri infinitæ; & hoc non obſtante poteſt Deus conſeruare aparte poſt tempus abſque termino per infinitos dies ſincathegorematice: ergo neq; hoc obſtabit quo minus aparte ante potuiſſet tempus produci abſque termino, & quod ſint tranſacti infiniti dies ſincathegorematice.

Sec⁹ quo adſerem generationũ & corruptionum.

22 Dico tertio, entia corruptibilia non potuit Deus producere ſecundum naturalem diſpoſitionem, quam modo habent, aut relinquendo illa ſuis naturis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ, qui abſque vlla exceptione partes vniuerſi potuiſſe produci ſecundum naturalem diſpoſitionem aſſerebant, & probatur, primo: nam res generabiles, & corruptibiles conaturaliter petunt ſub ſequi ad cauſam ipſis priorẽ duratione; ſed rei, quæ præceditur ab aliqua cauſa ſecũdũ durationẽ repugnat æternitas: ergo res generabiles, & corruptibiles ſecũdũ ſuã naturalẽ diſpoſitionẽ nequeũt eſſe ab æterno. Maior patet, quia omnis generatio conaturaliter petit motum alterationis præuiũ, cuius ipſa eſt veluti extrinſecus terminus. Minor probatur, quia implicat, æternũ duratione aliqua præcedi ab alio. Quod ſi dicas vnã rẽ generabilẽ v.g. vnũ hominem, determinatè expeſcere cauſam priorẽ duratione, ſecus autẽ omnes homines collectiue ſumptos: tota enim collectio poteſſet eſſe ab æterno. Cõtra hoc eſt: nã quod eſt de ratione vnius hominis v.g. geniti, vt geniti, eſt de ratione illius accepti ſecũdũ ſe, & accepti cõmũ cũ alijs, per hoc enim, quod alijs aſsociatur nõ amittit ſuã eſſentiã; igitur fide ratione vnius hominis geniti eſt præcedi à ſua cauſa duratione, etiã hoc ipſũ debet eſſe de ratione totius collectionis hominũ genitorũ. Secũdo probatur: nã tribus modis poſſet cõtingere, quod ſpecies humana, eſſet ab æterno, primo vt ſi ab æterno fuiſſet producti duo homines, maſculus, ſcilicet, & fœmina in ſtatu perfecto creati, in quo ſtatim poſſent generare, & ex

ex illis suæ naturali dispositioni relictis totũ humanus genus fuisset propagatũ. Secũdo si illi duo fuissẽt per ęternã durationẽ à generatione sibi similiũ impediti, & postea intẽpore suæ naturę iterũ relinquęrẽtur, vt ex eis humanũ genus multiplicaretur. Tertio si absq; primo humanæ speciei individuo abæterno fuissent à Deo homines producti, ita vt â parte ante signato quocunque individuo, aliud, & aliud prius à Deo emanauerit, & nullum determinate signabile sit, in quo primo genus humanum à Deo processerit, sed nullo ex hijs modis saluatur naturam generabilem relictam suæ naturali dispositioni potuisse ab æterno esse: ergo. Maior patet â sufficienti diuisione, neque enim alij sunt modi, aut casus excogitabiles. Minor vero probatur quia primus casus implicat in adiecto, etenim illi duo primi homines relicti suæ naturæ per motũ generarent, ac proinde durationẽ aliqua generationem præcessissent, vnde iam non generarent abæterno. Rursus homo ex illis genitus modo naturali, quo nunc filius ex parentibus nascitur per spacium 9. mensium esset illis posterior: ergo non esset abæterno, & consequenter, neque parentes essent abæterno, consequentia patet quia æternũ nequit esse illud, quod solũ per durationẽ nouem mensium præcedit temporale. Secũdus vero casus destruit naturalem dispositionem rei generabilis, & corruptibilis, etenim supponit duo individua corruptibilia per æternum tempus in corrupta conseruari, & ab actu generationis se abstinere, quod est à naturali dispositione rerum generabilium, ac corruptibilium, quam modo habent omnino alienum. & tandem quod neque in tertio casu id fieri possit probatur. Tum quia inuoluit contradictionem ex parte ipsius diuinæ actionis creatiuæ, quæ debet ad aliquod individuum determinatum, certum, cognitum ab ipso Deo, atque ad determinatum finem ordinatum; non ergo in incerto, & incognito individuo potuit species generabilis produci. Tum etiam quia non minorem repugnantiam inuoluit ex parte ipsorum individuorum, quæ cum fuissent infinita entia simpliciter, vtpote individua completa de genere substantiæ, atque inter se omnino distincta, & hodierna die essent transacta omnia quæ præcesserunt, infinitus numerus esset pertransibilis, quod est implicatorium, hoc autem non sequitur si hodie fuissent infiniti dies, aut infinitæ cœli circulationes trãsactæ. Ex illis enim omnibus vnicũ tẽporis, aut motus circularis individuũ, quasi ex partibus, vel entibus incõpletis conficitur, qua ratione nullũ est incõuenies quod finita hora infinita instãtia, & infinitæ partes proportionales pertransierint. Tũ denique quia in specie humana repugnat illa infinitorum infinitorum individuorũ successiua productio, darentur enim modo omniũ illorum animæ in rerũ natura existentes. Cum enim sint immortales superstites essent infinitæ animæ, ac proinde de facto in rerum natura esset infinita multitudo chategorematice animarũ rationalium: quod tamen rationibus D. Th. 1. p. q. 7. art. 4. ostenditur impossibile: ergo.

23 Dico quarto, de alijs rebus incorruptibilibus, siue permanentibus, siue successiuis probabilius reputo potuisse abæterno relictas suis naturalibus dispositionibus produci. Hæc cõclusio statuitur aduersus authores primi modi explicãdi quartã sententiam. Sed nõ vt adeo certa sicut præcedens conclusio, sed vt probabilior, & veritati cõformior: probatur primo: nã ex productione taliũ rerum abæterno nõ oporteret alterare naturalem dispositionẽ, quã modo habent; ergo potuerũt cũ illa produci abæterno. Antecedes probatur ex discrimine, quod inter corruptibiles & incorruptibiles substantias versatur, illæ enim habet potẽtiã vegetatiuã, aut generatiuã, aut vtrãque simul subiectã tẽpori, cuius operatio, ac proinde effectus productus per illã est posterior duratione, quã causa, ac proinde dicit nouitatẽ, at istæ temporis non subiacent, neque earũ effectus, aut operationes petunt esse posteriores duratione suis causis, sed possunt esse illis coæui, verbi gratia, intellectio potuit esse coæua Angelo, & motus circularis petit esse coæuus cœlo licet diuersimode incipiat esse; ergo ex hoc capite non deberet alterari substantiarum incorruptibiliũ naturalis dispositio. Secũdo: cõforme est naturæ Angelicæ quod nõ habeat vltimã intellectionẽ, aut volitionẽ à parte post, sed quod eliciat infinitas sincathegorematice, quia nõ habet terminũ à parte post, eius duratio, sed si fuisset abæterno productus Angelus, etiã careret termino durationis à parte ante: ergo etiã esset illius naturæ conforme non habere primam intellectionem, sed infinitas sincathegorematice absque prima, ita vt quauis signata fuisset in illo alia prior. Tertio quia non solum non repugnat dari vnam diem ante aliam, & vnam cœli circulationem ante aliam absquẽ termino, sed neque hoc est contra naturalem temporis, ac motus conditionem, sicut enim in partibus proportionalibus vnius horæ verbi gratia, non datur vltima pars, ita neque datur prima: ergo iuxta naturalem eius dispositionem esset producibilis absque, prima sicut & absque vltima die. Consequen-

tia patet; quod enim eſt connaturale partibus totius homogenei, etiam connaturale eſſe poteſt ipſi toti, quia totum, & partes ſunt eiuſdem rationis. Quarto nam ſicut non repugnat dari infinitas circulationes cœli ſincathegorematice à parte, ante, ita neque repugnat dari infinitas intellectiones, ideſt, ſine termino à parte ante in Angelo creato abæterno, poſſet enim dari abæterno ſucceſſio infinitarum intellectionum, ſicut dabitur à parte poſt, ſed Angelus nihil aliud petit ad ſui naturalem diſpoſitionem niſi poſſe pro ſua libertate abæterno actus intellectus & voluntatis exercere: ergo. Vltimo arguitur nam Bañeſius vbi ſupra concluſione ſecunda probat ideo cœlum nõ potuiſſe creari abæterno relictum ſuæ naturæ, quia ſic crearetur cum motu, qui eſt ipſi naturalis, quod tamen eſt impoſsibile, quia motus cœli debuit à ſequi ſuum finem, qui eſt viciſſitudo generationum in regione ſub lunari, quæ tamen abæterno nequit eſſe, &c. Et quia neceſſarium fuit ſolem creari in aliqua parte determinata Zodiaci videlicet, aut in libra, aut in ariete, aut in alio ſigno, quod in noſtro hemiſferio, vel in antipodarum hemiſferio eſſet, & hac hypoteſi data neceſſario daretur prima circulatio, & prior pars motus cœli, & prior illuminatio in vno quam in altero hemiſferio, & prius eſſet in libra verbi gratia per ſex menſes, quam in ariete, quæ tamen omnia, deſtruunt motus cœli, ſiue ſolis æternitatem. Sed iſtæ rationes ſi aliquid probant, nedum conuincunt cœlum relictum ſuæ naturæ nõ poſſe eſſe abæterno, ſed etiam quod neque de potentia abſoluta potuerit eſſe abæterno, ſiquidem prædicta inconuenientia etiam militant in ordine ad potentiam Dei abſoluta, quod tamen eſt contra ipſius Bañeſij primam concluſionem, in qua aſſeuerat entia ſucceſſiua potuiſſe abæterno produci de potentia Dei abſoluta, inter entia autem ſucceſſiua nullum eſt aptius æternæ durationi quam motus circularis cœli, qui & contrarietatis, & corruptionis expers, & ſubiecto incorruptibili connaturalis eſt.

24 Sed contradicta arguitur primo: nam entibus ſucceſſiuis repugnat fuiſſe abæterno, ac perconſequens eorum nouitas eſt demonſtrabilis: ergo ſecunda cõcluſio eſt falſa. Antecedens probat Suarez vbi ſupra ratione proxime allata, quia motus cœli, verbi gratia, per æternã durationem fuiſſet in aliqua parte determinate etenim deberet produci ſol in noſtro hemiſferio, vel in oppoſito; quod tamen eſt contra rationem motus, de cuius eſſentia eſt aliter, & aliter ſemper ſe habere: ergo. Sequela patet quia ſi ſol productus in noſtro hemiſferio, v. g. non permaneret per æternam durationem, ſed per temporalem, verbi gratia, vnius diei prius eſſet illuminatio noſtri hemiſferij, & dimidia circulatio ſolis ſupra illud per ſpatium vnius diei, quam illuminatio, & dimidia circulatio ſupra oppoſitum hemiſferium, ac proinde neutra eſſet abæterno. Non hæc ſecũ ia quia præcederetur à prima, quod eſt contra rationẽ æterni, neque illa prima, quia æternũ non poteſt eſſe, quod excedit temporale per durationem finitã. Confirmatur nam ſi tẽpus fuiſſet abæterno eſſet hodie tranſacta infinitorum dierum multitudo, eſſentque infiniti dies actu accepti, quia eſſent tranſacti, omnes, qui hunc præceſſerunt, qui proculdubio fuiſſent infiniti, conſequens autem eſt prorſus impoſsibile: ergo & antecedẽs. Minor patet quia infinitum nequit per tranſiri, neque poteſt eſſe acceptum quoad omnes ſuas partes: eſt enim infinitum, cuius quantitatẽ accipientibus ſemper reſtat aliquid accipiendũ. Confirmatur ſecundo, nam poſitio infiniti ſub prioris, & poſterioris ſucceſſione non minus repugnat reduci ad actum, quam ſub permanentia, & ſi multitate ſuarum partium, ſed multitudo infinita permanẽs nullatenus poteſt poni in eſſe quoad omnes ſuas partes: ergo neq; multitudo infinitarũ partiũ ſucceſſiuarũ poterit poni in eſſe. Neque valet dicere cum D. Tho. 1. p. q. 46. art. 2. ad 6. quod trãſitus ſemper intelligitur à termino in terminũ, ideſt, à parte ſignata in parte ſignatã, à quacũque autẽ die ſignata finiti dies pertranſierũt: nã ab hac die vſq; ad tẽpus præteritũ eſt eadẽ diſtantia quæ abæterno vſq; ad hanc diẽ: ſed incipiendo ab hac die numerare nunquã peruenietur ad infinitos dies: ergo neq; à parte ante potuerũt infiniti pertranſiri, ac proinde nequit tẽpus eſſe abæterno, vel nũquã ad hanc diẽ peruentũ fuiſſet, ſicut in linea infinita verſus orientẽ, cuius extremitas verſus occidentẽ haberet finẽ, incipiendo ab oriente nunquã peruenietur ad finẽ, quẽ habet in parte occidentis, neque incipiendo ab occidente poſſet vnquã pertranſiri infinita lõgitudo lineæ. Ad hoc argumentũ. Reſponde tur negãdo antecedens, ad probationẽ dicendũ eſt quod ſol nunquã fuiſſet primo in noſtro emiſferio, quim prius fuiſſet in alio, neque in alio fuiſſet quim prius fuiſſet in noſtro. Vnde neque daretur prima dies, aut prima circulatio cœli, neque Deus illas cognoſceret, quia quod non eſt non ſcitur, eſſet enim tũc tẽpus, & motus cœli infinitus ſincathegorematice à parte ante de cuius ratione eſt vt ſic nõ habere terminum, ideſt, primam

partem,

partem, ſed quacunque data, habere aliam priorem.

Ad primam confirmationem nego minorem: ſicut enim tranſacta vna die ſunt infinitæ partes tranſactæ, ita tunc eſſent infiniti dies tranſacti, quia ex illis non conficeretur infinitum in actu, ſiue cathegorematice, ſed duntaxat infinitum ſincathegorematice ſecundum ſucceſſionem. Ad ſecundam nego maiorem ſi infinitum ſucceſſiuum ſit cathegorematice infinitum, & actu conſtans ex partibus infinitis: ſecus autem ſi ſit finitum in actu, & infinitum duntaxat ſincathegorematice, quale eſſet tempus illud, quod ſolum conſtaret ex partibus in potentia. Reſpondetur ſecundo quod paritas maioris ſtat in hoc, quod ſicut multitudo infinita permanens nequit ſimul eſſe in rerum natura: ita multitudo infinita ſucceſſiua partium æqualium nequit in tempore finito poni in actu, bene tamen poterit poni in tempore infinito. Vnde ſicut multitudo infinita cogitationum animæ beatæ clauditur in æternitate, ita in tempore infinito quod præceſſiſſet (ſi mundus fuiſſet ab æterno) claudentur, & tranſactæ fuiſſent infinitæ cœli circulationes, infinitæ noctes, & infiniti dies, maxime, quia ex parte hodiernæ diei eſt duratio illa finita, quia tamen fuiſſet infinita ex parte ante, nunquam ex illa parte habuiſſet terminum, & ſic nunquam inciperet, nullamque primam diem, aut noctem Deus produceret, vnde in linea etiam illa infinita verſus orientem ſi aliquis per infinitum tempus, ideſt, ab æterno per illam ambularet ab oriente in occidens, tandem perueniret ad finem illius: ſecus verò ſi à parte occidentis inciperet, quia tunc incederet verſus orientem, ex qua parte, ſicut non habet finem ita nunquam ad eius finem perueniret.

25 Secundo arguitur, nam homo nequit produci abæterno, etiam de potentia abſoluta relictus ſuæ naturæ: ergo neque aliæ ſpecies rerum generabilium. Antecedens patet, quia primus homo abæterno productus generaret alium, & ille alium, & ſic de ſingulis. Ex hoc autem ſequitur infinitos homines præceſſiſſe, & ſic modo eſſe in rerum natura animas rationales infinitas, quod eſt prorſus impoſsibile: ergo. Dices diſcrimen eſſe quod animæ hominum ſunt immortales, ac proinde ſpecialiter homini relicto ſuæ naturæ repugnat fuiſſe abæterno. Sed contra hoc eſt, quod idem inconueniens de infinita multitudine ſequitur, (& ponamus alias naturas generabiles, vel incorruptibiles fuiſſe abæterno) quod probatur primo, quia poſito Angelo abæterno præceſſiſſent infinitæ intellectiones, ac volitiones, quas per infinitam durationem pro ſua innata libertate potuiſſet habere, habere, aut enim fuiſſet per infinitum tempus ſine aliqua operatione libera cum ſola naturali cognitione, ac dilectione ſui, & Dei; & hoc non eſt contra eius innatam libertatem: aut in vna operatione libera perſeueraret per infinitam durationem, & hoc eſt contra naturam ipſius operationis liberæ facile tranſeuntis: aut relinqueretur, ſuæ naturæ vt prolibito operationes elliceret, & ſic ellicuiſſet vſque ad hanc diem infinitas, multitudo autem hæc cum ſit partium infinitarum, quæ ſunt etia in actu, nequit eſſe tota liter accepta, & poſita in eſſe. Secundo quia etiam daretur tranſacta ſimilis multitudo infinitorum equorum; ſiquidem infinitæ generationes pertranſiſſent. Tertio qui ſicut ſucceſſio volitionum Angelicarum abſque læſione ſuæ naturalis diſpoſitionis potuit fieri ſine prima, ita ſucceſſio indiuiduorum naturæ æquinæ, ſiue leoninæ potuit abſque primis duobus indiuiduis fieri à Deo: abſque læſione naturalis diſpoſitionis ipſorum: ergo diſcrimen eſt nullum. Quarto quia poſitis infinitis diebus Deus poſſet in ſingulis producere ſingulos Angelos, ſiue animas rationales, ac proinde modo eſt tota multitudo infinita ſimul infinitorum, ſiue infinitarum animarum. Confirmatur: nam Philoſophus agnouit non poſſe dari infinitum in actu, vt patet ex tertio Phiſicorū, & primo de cœlo: ergo iudicauit hominū, & Angelorū æternam durationē eſſe impoſsibilē, ſiquidem illa poſita aperte ſequitur dari multitudinē actionū ſucceſſiuē, & animarum rationalium ſimul multitudinem actu infinitā. Ad hoc argumentū reſpondetur admiſſo antecedenti: nego conſequentiam, quia ex ſpeciebus generabilium ſola humana nequit eſſe abæterno, quantum ad generationum vicißitudinē, deberet enim Deus ſi aliquos homines abæterno produceret, illos per infinitū tēpus ab actu generationis impedire, ne daretur infinitus numerus animarū rationalium. Aliarū enim ſpecierum generabilium, ac proinde humanarū generationū nouitas eſt demōſtrabilis, vnde quīdo ait D. Thom. 1. parte quæſt. 46. artic. 2. ſola fide eſſe certam mundi nouitatem, debet intelligi quoad omnes partes exceptis humanis generationibus. Reſpondetur ſecundo iuxta noſtram ſententiam concedendo antecedens, & conſequentiam: nam ſicut natura humana quoad ſucceſſionem naturalium generationū nequiuit produci abæterno, ita nulla alia ſpecies quoad ſucceſſionē ſuæ gene-

rationis potuit produci ab æterno propter rationes ſuperius factas contra authores ſecũdæ ſententiæ, licet verũ ſit quod generationis humanæ productio ab æterno implicat maiorẽ impoſsibilitatẽ quam productio aliarum generationum: implicat enim illam impoſsibilitatem de infinita multitudine animarum permanentium, quam aliarum generationum ſucceſsio infinita non implicat. Vnde quando D. Thomas ait mundi nouitatẽ ſola fide poſſe teneri: debet intelligi, quo ad omnes partes exceptis generationũ ſucceſsionibus; has enim nequiuit Deus ab æterno producere, quia pertinent ad naturalem rerum generabiliũ diſpoſitionẽ, quã modo habent: hanc autem rerum corruptibilium diſpoſitionem certum eſt quod Deus nõ potuit ab æterno producere, & propterea illius nouitas demõſtrabilis eſt. Ad primã improbationẽ de Angelicis actibus liberis. Reſpõdetur negãdo id eſſe incõueniẽs: nã vicißitudo, & ſucceſsio actuũ liberorũ potuit fieri ſine primo ſignato, quia cũ proxima cauſa illius ſit liberũ arbitriũ Angeli, vel animæ rationalis, & alias nullum habeat ordinem vnus ad alterum; quia vnus non eſt cauſa alterius: potuit Angelus, vel anima rationalis creari ab æterno vollens, & intelligens libere, ſed nõ prima aliqua volitione, aut intellectione, qua non eſſet alia, & alia in infinitum ſinchategorematice prior. Vnde ex carentia primæ volitionis, aut intellectionis in Angelo, vel in anima nullum ſequitur incõueniens; at ex carentia primorum indiuiduorum in generationibus ſubſtantiarum generabiliũ, ſequitur quod Deus, qui fuit proxima cauſa ab æterno talium ſpecierum, non producat illas in aliquibus indiuiduis certis, cognitis, ac determinatis, & quod nũquã peruenireturad aliquam generationem determinatam, quia poſterior dependet ex priori; eſt enim effectus illius, ſicut vnum in diuiduum fit ex alio. Ac proinde ſi latitudo prima fuit infinita nunquam ad aliquam poſteriorem determinatam peruenireturAd ſecundam nego ſequelam, quia non admittimus dari poſſe infinitas generationes æquorum eſſe tranſactas, neceſſario enim Deus in productione æternali naturæ equinæ, & ſimilis alterius ſpeciei debuit producere duo indiuidua ab actu generationis per infinitum tempus impedita: infinitam autem multitudinem actuum liberorũ Angelicæ naturæ eſſe tranſactam ſucceſsiue nullum eſt inconueniens, quia in illis non eſt ordo, & alias ſunt accidentia ipſius Angeli, & non entia à Deo proxime cauſata, aut perſe primo intenta, ſicut nullum eſt inconueniens quod in fine diei huius ſint tranſacta infinita inſtantia, & infinita mutata eſſe motus cœli. Ad tertiam fateor ſatis probabilem reddere ſententiam Bañeſij: ſicut enim ſucceſsio cogitationum liberarum ſaluari potuit abſque prima, & conſequenter Angelum produci ab æterno iuxta naturalem ſuam diſpoſitionem, quam modo habet, ita ſucceſsio generationum cuiuſlibet ſpeciei ſublunaris (excepta humana ratione immortalitatis animarum rationalium) videtur poſſe produci abſque prima generatione aliqua & conſequenter naturæ generabilium potuiſſent eſſe ab æterno, iuxta ſuam naturalem diſpoſitionem, & ſicut tranſitio infinitarum cogitationum nõ eſt impoſsibilis, ita neque tranſitio infinitarum cogitationum in vna ſpecie videtur eſſe impoſsibilis. Vnde non immerito poſſet quis dicere, quod ſubſtantiæ incorruptibiles quoad eſſe ſubſtantiale abſque immutatione naturalis diſpoſitionis potuerunt eſſe ab æterno, & in hoc diſcriminãtur à corruptibilibus ſubſtantijs, quæ ſi producerentur ab æterno, debuiſſent prima indiuidua earum ſupra ipſarum naturas per æternum tempus conſeruari, at quoad operationes in vtriſque opus fuiſſet naturalem modum alterare, quia ſicut naturalis modus generabilium eſt expeditas eſſe ad generationem, & corruptionem, ita naturalis modus ſeparatarum ſubſtantiarum eſt, expeditum habere liberum arbitrium ad actiones liberas exercendas, & fortaſe nullum aliud quam primum diſcrimen, voluit aſsignare Soto dum in tota illa quæſtione, ſubſtantiarum duntaxat meminit, & non operationum. Sed nihilominus noſtram concluſionem vltimam quoad vtrumque diſcrimen ſuſtinendo, dicimus negandum eſſe antecedens, tertiæ improbationis propter rationes aſsignatas, cogitationes namque vnius Angeli ſupponunt ipſum Angelum à Deo creatum; & ab illo elliciuntur proxime; à Deo autem mediate cauſantur, vt à cauſa prima & non perſe primo intenduntur ab illa, neque vna operatio habet ordinem cauſæ ad alteram tanquam ad effectum, ſemper enim hæ ſunt aliquæ operationes liberæ omnino diſparate ſe habentes, at natura generabilis ſubſtantialis, ſecundum aliqua indiuidua debuit eſſe immediate à Deo vt effectus perſe intentus ab illo, & terminans perſe primo eius actionem creatiuam, & per conſequens hæc indiuidua deberent eſſe certa, determinata, ac cognita à Deo vt prima ante quæ alia non produxerit, vt dictum iam eſt, à nobis.

Ad

Ad quartã dico quod Deus in ſingulis diebus diuiſsiue poſſet creare ſingulos Angelos, ſed non in omnibus collectiue, ſicut etiã modo de facto Deus in ſingulis inſtantibus vnius horæ quæ ſunt infinita, poteſt creare diuiſiue ſingulos Angelos, ſed non in omnibus collectiue; quia in fine horæ eſſet multitudo chategorematice infinita Angelorum, quam dari repugnat ex parte facti.

26 Ad confirmationem plures ſunt modi dicendi. Alij enim dicunt Philoſophum ſenſiſe infinitum non poſſe dari in rebus per ſe ordinatis, bene tamen vbi non eſt ordo, ſicut non eſt inanimabus. Alij vero quod ſenſit animas rationales corruptibiles eſſe, ac proinde non fore ſuperſtites infinitas. Alij quod & ſi animæ rationales immortales ſint non tamen pro ſingulis corporibus ſingulæ creãtur ſed infinitis hominibus finitæ deſeruirent. Hij ſunt qui tranſmigrationem animarum admiſerunt. Caietanus 1. p. quæſt. 7. artic. 4. ait Philoſophum non negaſſe infinitum in rebus ſpiritualibus, ſed tantum in rebus materialibus, & ideo ſciens, & prudens, ac memor ſuæ ſententiæ admitès generationes humanas ab æterno, latenté admiſit Philoſop. contradictionem in poſitione humanæ generationis ab æterno. Durandus denique vbi ſupra ait Philoſophum immemorem ſuæ doctrinæ in alijs locis, in quibus negauerat abſolute poſſe dari infinitum in 8. Phiſicorum, & in hoc lib. 12. latenter duo contradictoria admiſiſſe; & huic ſolutioni ſtandum puto, neque enim mirum debet eſſe intellectum ſummè fidei deſtitutum, â quo etiam naturæ lumen perficitur; aliquando circa naturalia cœcutire, qua propter ad confirmationem admiſſo antecedenti negatur conſequentia, & quidquid ſenſerit Philoſophus circa infiniti in actu impoſsibilitatem: Veritas eſt quod ex eius poſitione ſuppoſita animarum rationalium immortalitate, ſequitur dari infinitam in actu animarum multitudinem, quæ prorſus eſt impoſsibilis. Hoc tamen inconueniens ex noſtra poſitione non ſequitur, quia ſolum ponimus Deum potuiſſe aliquos homines creare ab æterno, qui tamen per infinitum tempus nõ generarent, & ſic neque hominum, neque animarum admittimus multitudinem infinitam. Alia inconuenientia, quæ expoſitione entium ſucceſsiuorum ab æterno inferri ſolent ab aduerſarijs, videlicet quod vnum infinitum eſſet maius alio: nam multitudo dierum tranſacta hodie eſſet maior quam tranſacta nudius tertius, & quod infinito fieret additio, ſiquidem diebus infinitis tranſactis fieret additio ſuperuenientium dierum, menſium, & annorum, & ſimilia omittimus, quia peruia, & facillimæ ſolutionis ſunt, illud enim infinitum motus, aut temporis non ex omni parte, ſed ex parte ante, ſolum haberet infinitatem in actu, & conſequenter non eſſet inconueniens admittere à parte poſt exceſsum, & additionem; ex hac enim parte, infinitate careret; præterquam quod cum D. Thom. tertia part. quæſt. 10. artic. 3. non reputauimus libro præcedenti inconueniens, quod inter infinita in genere determinato detur vnum maius altero, & in caſu noſtro certum eſſe debet, quod numerus reuolutionum Lunæ eſſet maior, quam numerus reuolutionum Solis, licet vterque eſſet infinitus: & qui plura deſiderat pro horum, & ſimilium ſolutione legat Capreolũ in loco præallegato, noſtris enim Methaphiſicis commentarijs de hac Philoſophica quæſtione hactenus dicta ſufficiunt. Hicque quæſtionum Methaphiſicalium vela colligentes ſilentij optatiſsimi portum placet ocupare: dum Theologica commentaria in lucem proferre paramus, & vtinam hæc Methaphiſicalia, quæ pro viribus elaborata finiuimus, in aliqualem Dei omnipotentis laudem, ac Angelici Doctoris gloriam cedant, pro cuius doctrina maiora parati ſumus ſubire certa mina.

Finis tomi ſecundi.



SALMANTICAE

Apud Antoniã Ramirez, Vniuerſitatis, Typographam, Anno M. DC. XXXI.

INDEX TITVLORVM, QVAESTIONVM, ATQVE ARTICVLORVM HVIVS SECVNDI TOMI.

Ex libro sexto.

QVAESTIO I.

De multiplici intellectus operatione.

Art. 1. *ANsimplicium aprehensio sit actus intellectus speculatiui?*
2. *An secunda opositio intellectus sit composita qualitas?*
3. *An discursus sit tertia operatio intellectus speculatiui?*
4. *An imperium sit actus intellectus practici?*

QVÆSTIO II.

De ente per accidens, & eius causis.

Art. 1. *An de ente per accidens posimus habere scientiam?*
2. *An ens per accidens habeat causas perse?*
3. *An poni debeat fatum, siue fortuna pro effectibus per accidens?*

QVÆSTIO III.

De effectibus contingentibus, & radica contingentiæ.

Art. 1. *An dentur effectus contingentes in vniuerso?*
2. *Quotuplex sit modus contingentiæ?*
3. *An radix contingentiæ sit efficacia diuinæ voluntatis.*

Ex libro septimo.

QVÆSTIO I.

De ordine substantiæ ad accidentia.

Art. 1. *An substantia sit prior accidentibus natura, & conditione?*
2. *An inherentia sit de essentia accidentis?*
3. *An substantia præcedat dignitate accidentia naturalia?*
4. *An præcedat dignitate accidentia supernaturelia? Cum duplici dubio appendice de radice supernaturalitatis, & substantiæ supernaturalis impossibilitate.*

QVÆSTIO II.

De comparatione substantiæ ad suppositum.

Art. 1. *An quod quid est sit idem cũ eo cuius est?*
2. *An suppositũ à natura realiter distinguatur?*
3. *An existentia ab essentia realiter distinguatur? Cum duplici dubio appendice de diuinis subsistentijs relatiuis.*

QVÆSTIO III.

De comparatione substantiæ ad principia extrinseca.

Art. 1. *An generatio naturalis sit mutatio de nõ esse ad esse?*
2. *An in viuentibus generatio sit origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ?*
3. *An possibilis sit corruptio, & quæ eius essentia?*
4. *An eadem animalia secundum speciem ex semine, & putri materia generentur?*
5. *An cœlum in animalium ex putrefactione, generatione sit agens principale?*
6. *An accidens in virtute substãtiæ attingat formæ substantialis productionem?*

QVÆSTIO IIII.

De actione creatiua, eiusque ab edductione de potentia materiæ distinctione, in sex articulos diuisa?

Art. 1. *An creatio sit posibilis, & in quo cõsistat?*
2. *An ad creationem requiratur nouitas essendi?*
3. *An solius Dei sit creare, vt causæ principalis?*
4. *An instrumentalis virtus ad creandum possit creaturæ communicari? Cum dubio appendice de productione existentiæ creatæ?*
5. *In quo consistat formarum edductio?*

6. *An omnes formæ naturales, exceptâ anima rationali, de potentia materiæ educantur?*

QVÆSTIO V.

De comparatione totius ad partes, in septẽ articulos diuisa.

Art. 1. *An totum à suis partibus simul sumptis, & vnitis realiter distinguatur?*
2. *An forma substantialis dignitate materiam antecedat?*
3. *An multiplicentur formæ substantiales intẽ-posito naturali?*
4. *An in homine repugnet dari plures animas?*
5. *An in singulis partibus vnius animalis, singulæ animæ partiales reperiantur?*
6. *An partes fluidæ animalis, anima totius informentur?*
7. *An formæ elementorum in mixto formaliter saluentur?*

Ex libro Octauo.

QVÆSTIO I.

De potentialitate materiæ primæ in tres articulos diuisa.

Art. 1. *An materia prima, gaudeat entitate actuali, distincta ab entitate formæ?*
2. *An gaudeat propria existentia?*
3. *An possit existere sine forma?*

QVÆSTIO II.

De materia in ordine ad indiuiduationem in quatuor articulos diuisa.

Art. 1. *An principium radicale indiuiduationis substantiæ sit sola materia signata?*
2. *An materia signata sit, quæ sub est quantitati?*
3. *An formæ substantiales à materia indiuiduentur?*
4. *An accidentia à subiectis indiuiduentur?*

QVÆSTIO III.

De comparatione materiæ ad accidetia in duos articulos diuisa.

Art. 1. *An materia sit immediatum subiectum accidentium?*
2. *An in corruptione compositi fiat resolutio vsque ad materiam primam?*

QVÆSTIO IIII.

De actiuitate formarum in duos art. diuisa.

Art. 1. *An ad agendum requiratur dissimilitudo in gradu, & intensione?*
2. *An ex meritis actionis, agens in agendo à passo repatiatur?*

QVÆSTIO V.

De intensione formarum in duos articulos diuisa.

Art. 1. *Vnde aliquæ formæ sint intensibiles, at remissibiles?*
2. *An huiusmodi intensio fiat per accessum noui gradus?*

QVÆSTIO VI.

De numero ac distinctione causarum in quatuor articulos diuisa.

Art. 1. *Quæ, & quo tuplex sit ratio principij?*
2. *An causa sit id, ad quod aliud sequitur?*
3. *An causa adæquate in materialem, formalem, &c. diuidatur?*
4. *An vniuoce in prædicta quatuor genera diuidatur?*

QVÆSTIO VII.

Siue secunda in hoc tractatu de causis, de causalitate causæ materialis in tres articulos diuisa.

Art. 1. *In quo consistat propria causalitas causæ materialis?*
2. *An gaudeat vnica causalitate dumtaxat?*
3. *An vniuoce in omni subiecto reperiatur?*

QVÆSTIO VIII.

De causalitate causæ formalis in tres articulos diuisa.

Art. 1. *An ratio causæ formalis in actu primo sit actus informatiuus subiecti?*
2. *An causalitas formæ sit duplex altera ad materiam, & altera ad compositum terminata?*
3. *An de omnibus formis dicatur vniuoce?*

QVÆSTIO IX.

De causalitate, ac diuisione causæ efficientis in sex articulos diuisa.

Art. 1. *In quo cõsistat causalitas causæ efficiẽtis?*
2. *An causa efficiens recte in principalem, & instrumentalem diuidatur?*
3. *An in vniuocam, & equiuocam?*
4. *An causa secunda subordinetur primæ, ab illa que realiter distinguatur. Cum dubio appendice de concursu præuio, & simultaneo à causa prima præstito?*
5. *An causa primæ immediatius, quam secunda attingat effectus?*
6. *An a duabus causis totalibus possit idem effectus prouenire.*

QVÆSTIO X.

De causa finali in tres articulos diuisa.

Artic. 1. *An ratio formalis finalizandi sit realis bonitas finis.*

2. *An*

2. *An cauſalitas finis ſit motio metaphorica?*
3. *An vniuoce conueniat omni fini?*

Ex libro nono.

QVÆSTIO I.

De diſtinctione inter actum, & potentiam in duos articulos diuiſa.

Artic. 1. *qualis diſtinctio inter actum, & potentiam verſetur?*
2. *An præter potentiam actiuam, & paſſiuam detur obiectiua?*

QVÆSTIO II.

De diſtinctione potentiarum cõgenitarum à ſuis ſubiectis in 2. art. diuiſa.

Art. 1. *An potentiæ congenitæ ſubſtantijs ab ipſis realiter diſtinguantur?*
2. *An ab ipſis poſſint ſeparari?*

QVÆSTIO III.

De diſtinctione potentiæ actiuæ à paſſiua in 4. art. diuiſa.

Art. 1. *An potentia actiua à paſſiua realiter diſtinguãtur?*
2. *An repugnet idem à ſeipſo ſecundum idem pati, ac moueri?*
3. *An grauia & leuia à ſeipſis moueantur?*
4. *An cor animalis à ſeipſo moueatur, vel à generante?*

QVÆSTIO IIII.

De diſcrimine inter potentias rationales, & irrationales in 3. art. diuiſa.

Art. 1. *An hæc diuiſio exacte tradatur?*
2. *Quid ſit libertas, & in qua potentiarum ratione naturalium ſaluetur?*
3. *Quo pacto potentiæ liberæ ad operandum determinentur?*

QVÆSTIO V.

De potentia, quæ in creaturis in ordine ad ſupernaturales formas reperitur in 3. articulos diuiſa.

Art. 1. *An detur in creaturis potentia obedientialis congenita ad formas ſupernaturales?*
2. *An hæc in actiuam, & paſſiuam diſtinguatur?*
3. *An potentia obedientialis paſſiua ſit ſupernaturalis?*

Ex libro decimo.

QVÆSTIO I.

De contrariorum incompoſibilitate in 3. articulos diuiſa.

Art. 1. *An eidem poſſint plura contrariari?*
1. *An vnum contrarium expellat alterum formaliter. vel effectiue?*
3. *An poſſint duo contraria compati in eodem ſubiecto?*

QVÆSTIO II.

De impoſſibili regreſſu priuationis ad habitum in quatuor articulos diuiſa.

Art. 1. *An ex aliqua priuatione ad habitum ſit poſſibilis regreſſus per naturam?*
2. *An ſubſtantia ſemel corrupta poſſit per naturam reproduci?*
3. *An idem accidens ſemel corruptum poſſit reproduci per naturam?*
4. *An de potentia abſoluta poſſit fieri ſemel corrupti reproductio?*

QVÆSTIO III.

De diſtinctione inter ens corruptibile, & incorruptibile in 5. art. diuiſa.

Art. 1. *An materia celeſtium corporum ſit diuerſa à materia ſublunarium?*
2. *An corpora celeſtia ſint ab intrinſeco incorruptibilia?*
3. *An gaudeant aliquo gradu vitæ?*
4. *An numero denario claudantur?*
5. *An ſingula ſingulis motibus proprijs gaudeant?*

Ex libro vndecimo.

QVÆSTIO I.

De natura motus in 6. art. diuiſa.

Art. 1. *An diffinitio motus ſit exacta?*
2. *An motus ſit eſſentialiter continuus, & ſucceſſiuus?*
3. *An ad tria tantum prædicamenta detur per ſe motus?*
4. *An actio tranſiens ſubiectetur in agente?*
5. *An operationes Dei ad extra ſint tranſeuntes?*
6. *An actus diuini intellectus, & voluntatis ſint proprie actiones licet non prædicamentales?*

QVÆSTIO II.

De infinito in 3. art. diuiſa.

Art. 1. *An poſſit infinitum in actu per agentis naturalis potentiam, aut de lege ordinaria produci?*
2. *An de potentia Dei abſoluta poſſit infinitum cathegorematice ſecundum magnitudinẽ aut ſecundum multitudinem produci?*
3. *An vnum infinitum maius alio eſſe, aut cum fundamento in re excogitari poſſit?*

QVÆSTIO III.

De natura loci in duos articulos diuiſa.

Art. 1. *An locus formaliter ſit ſuperficies, ac proinde ſpecies quantitatis continuæ?*
2. *De immobilitate, quæ eſt loci differentia?*

QVÆSTIO IIII.

De vacuo in duos articulos diuiſa.

Art. 1. *An detur vacuum per naturam?*
2. *An dato vacuo corpus per illud moueretur?*

QVÆSTIO V.

De natura temporis in tres articulos diuiſa.

Art. 1. *An duratio adequate in æternitatem, æuum ac tempus diuidatur.*
2. *An tempus ſit ens reale?*
3 *Sit eius deffinitio exacta, nec ne?*

Ex libro duodecimo.

QVÆSTIO I.

De natura ſubſtantiarum ſeparatarum in quatuor articulos diuiſa.

Art. 1. *An dentur in vniuerſo?*
2. *In quo earum immaterialitas conſiſtat?*
3. *An ſint in aliquo magno numero?*
4. *An omnes Angeli differant ſpecie?*

QVÆSTIO II.

De natura primæ cauſæ in duos articulos diuiſa.

Art. 1. *An omnium perfectiſſimus in deo ſit intelligere?*
2. *An ſit conſtitutiuus Deitatis?*

QVÆSTIO III.

De virtute cauſandi primæ cauſæ in duos articulos diuiſa.

Art. 1. *De diuinis Ideis qua pacto ad creaturarum produtionem concurrant?*
2. *An ſcientia ſit ratio agendi in Deo?*

QVÆSTIO IIII.

De diuina immutabilitate, & libertate in rebus producendis in quatuor articulos diuiſa.

Art. 1. *An Deus gaudeat eſſentialiter libertate?*
2. *An ſine laſione ſuæ immutabilitatis res in tempore producat?*
3. *An mundum incepiſſe in tempore, ſit ſolafide tenendum?*
4. *An quoad aliquas creaturas repugnet mundo fuiſſe abæterno?*

FINIS.

INDEX RERVM, QVAE IN HOC TOMO SECVNDO CONTINENTVR.

A.

ACidens ſucceſſiuum non poteſt idem numero reproduci, p.479. c.1.

Accidens ſucceſſiuum quod conſiſtit in plurium entiũ ordinata ſucceſſione poteſt per naturam reproduci, p.479.c.1.

Accidens ſucceſſiuum habens vnitatem ſimpliciter ſemel corruptum nequit per naturam reproduci, pag.480.col.2.

Accidens permanens non poſſe naturaliter reproduci eſt lumine naturali notũ, ibid.

Actus & potentia quatenus diuidunt ens, realiter diſtinguntur, opponũturque ſuis formalibus rationibus, p.361.c.2.

Actio vel qualitas habens ſe admodũ actionis non expellit contrarium â ſubiecto niſi aliquam formam incompoſibilem producendo, pag.445.col.2.

Actio qua Deus cũcta creauit, primario fuit ad totum terminata, ad partes vero ſecundario, pag.254.col.2.

Agens non poteſt in ſe ipſum ſecũdum idẽ operari motu Phiſico, p.379.c.2.

Hæc incompoſibilitas prouenit ex meritis agentis & paſi, p.381.c.1.

Agens in agẽdo repatitur ſecũdũ eandẽ formã & partẽ per quã agit, p.290.c.2.

Accidẽs iuxta quartã cõparationẽ eſt perfectius ſubſtantia in completa potentiali, pag.68.col.1.

Accidentis cauſalitas quatenus virtus ſubſtãtiæ, extenditur ad productionem formæ ſubſtantialis, p.136.c.1.

In accidenti eſt tota proxima ratio agendi, quãdo illo medio ſubſtantia producit, ſimile, ibidem.

Nullum accidẽs eſt agens principale in productione ſubſtantiæ, p.185.c.2.

Animæ non ſunt plures in vno animali, pagina 217.col.1.

Vnica tãtũ anima eſt in quolibet animali, ib.

Anima rationalis eminenter præhabet vegetatiuam, & ſenſitiuã; & tamen ipſa eſt formaliter vegetatiua atq; ſenſitiua, ibidem.

Vnica tantum anima animantur omnes partes animalis, p.224.c.2.

Apræhenſio ſimplicium eſt operatio intellectus ſpeculatiui, p.4.c.1.

In ſimplicium apræhenſione poteſt eſſe cõplexio, ibidem.

In ſimplicium apræhẽſione nequit dari propoſitio, p.4.c.2.

Idem aſenſus poteſt ferri ſimul in præmiſſas & concluſionem, p.15.c.2.

Actio tranſiens non eſt in agente ſubiectiue, ſed in paſſo, p.548.c.2.

Actiones Dei ad extra non ſunt formaliter tranſeuntes, p.557.c.1.

Actus diuini intellectus, ac voluntatis ſunt vere actiones: licet non prædicamentales, pag.563.c.

B.

Beatitudo cõſiſtit in actu intellectus eſt quæ omniũ eſt operationũ nobiliſsima, p.644. col.1.

Beata viſio menſuratur æternitate participata, p.599.c.2.

C.

Cauſæ definitio ſcilicet, id quod aliud ſequitur eſt recta, p.307.c.1.

Cauſa in communi adæquate diuiditur in materialem, formalem, efficientem, & finalem, p.308.col.1.

Cauſam non dici vniuoce de quatuor anumeratis probabile eſt; oppoſitum tamen eſt probabilius, p.311.c.1.

Cauſa principalis, & inſtrumẽtalis per hoc tantum diſtinguuntur, quod illa per propriam virtutem, & cum intentione aſimilãdi ſibi paſsũ operatur; iſta nõ p.339.c.1.

Cauſa inſtrumẽtalis ſubdiuiditur aliquibus diuiſionibus; multis autem cauſa principalis, p.340.col.1.

Cauſa adæquate diuiditur in vniuocam, & equiuocam, pag.352.c.1.

Illius proprietas eſt producere effectũ ſolũ in fieri ab ipſa dependentem; iſtius vero in fieri, & conſeruari, ibid.col.2.

Cauſæ ſecundæ ad primam ſubordinatio nõ tollit eius cauſalitatem, neque influxum in effectum, pag.333.c.1.

Vt cauſet indiget ex meritis ſuis concurſu Dei, pag.334.col.1.

Dependet à prima non ſolum quia ab ipſa recipit virtutem operatiuã, ſed quia eius etiã requirit influxũ vt operetur, ibid.c.2.

Eget non ſolum ſimultaneo, ſed etiam præuio concurſu Dei eiuſdem ordinis vt ad ſuum aplicetur effectum, p.341.c.2.

Talis præuius concurſus nec ex parte Dei, nec cauſæ ſecundæ diſtinguitur ſecundũ rationem à ſimultaneo, p.343.c.2.

Vterque concurſus diuiditur in generalem, & ſpecialẽ quorum ille debetur cauſæ ſecundæ; ſecus autem iſte, p.344.c.2.

Cauſa prima cõcurrit immediate immediatione

tione virtutis, & ſuppoſiti ad effectum ſecundæ ſecundum omnes ſuas partes, & gradus, pag. 350. col. 1.
Cauſæ finalis bonitas eſt ratio finalicandi, aprehenſio, conditio, conuenientia vero ratio ſub qua, pag. 354. col. 2.
Eius cauſalitas eſt Phiſica, metaphoricaque ſimul ſecundum diuerſas conſiderationes pag. 396. col. 2.
Variæ eius diuiſiones adducuntur, & explicantur, pag. 357. col. 2.
In quarum membris inuenitur ratio finis analogice, pag. 359. col. 2.
Cauſæ efficientis in actu primo conſideratæ conſtitutiuum eſt forma per quam agit p. 335. col. 1.
Vt operetur requiritur phiſica exiſtẽtia, nõ vt ratio formalis, ſed vt condicio ibi. c. 2.
Eius cauſalitas eſt actio de prædicamento actionis, & non aliquis modus ab ea realiter diſtinctus, p. 336. c. 1.
Cauſa materialis conſtituitur per hoc quod ſit receptiua, & compoſitiua per modum ſubiecti, pag. 314. col. 1.
De illa in actu primo non prædicatur forma liter exiſtentia, licet iſta requiratur tanquam conditio, vt illa in actu ſecũdo cauſet, pag. 319. col. 1.
Eius cauſalitas propria eſt illa ſubiectio ſecũdum quam forma, & cõpoſitũ dependent ab illa, ibidem, col. 2.
Suam cauſalitatem exercet in formas, & in compoſitum, p. 319. col. 1.
Eius cauſalitas eſt modus ex natura rei ab ipſa diſtinctus, non tamen ab vnione, ibid.
Habet duplicem cauſalitatem, non realiter, ſed ratione diſtinctam, ibid. c. 2.
Eius ratio ſaluatur vere, & proprie in ipſa reſpectu formæ, & compoſiti ſubſtantialis, nec non in compoſito reſpectu accidentiũ in ipſo receptorum, ac in accidẽtibus, quæ ſunt aliorũ receptiua, p. 322. c. 2.
Saluatur etiam in ente ſpirituali, & ſupernaturali, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, pag. 323. c. 1.
Et in diſpoſitionibus ad quamcunque formã ibidem, col. 2.
De omnibus prædictis dicitur cauſa materialis analogice analogia proportionalitatis, ibidem.
Cauſa formalis conſtituitur in ratione cauſæ phiſicæ per ſuam entitatem informatiuam ſubiecti, p. 327. c. 1.
Cuius rationem conſtitutiuam in actu primo ingreditur exiſtentia col. 2.
Vt abſtrahit ab intrinſeca, & extrinſeca eſt determinatiua rei ad certã ſpeciem, p. 328. col. 1.
Cauſa formalis intrinſeca habet cauſalitatem in materiam, & compoſitum ſola ratione diſtinctam, p. 329. c. 2.
Eius cauſalitas conſiſtit in modo vnionis ab ipſa forma diſtincto ex natura rei, ibid.
Cauſa formalis dicitur analogice de intrinſeca & extrinſeca, p. 331. c. 1.
Nec non de accidentali, & ſubſtantiali intrinſeca, col. 2.
Cauſa fatalis diſtinguitur eſſentialiter à fortuna, p. 38. c. 1.
Cauſa fatalis non tollit contingentiam à rebus, ibidem, col. 2.
Conſeruatio eſt continuata productio non ad exiſtentiam, ſed ad eſſentiam terminata, pag. 255. col. 1.
Contrario vni vnum tantum perfecte poteſt contrariari, p. 531. c. 2.
Materialiter vero & ſecundũ diuerſas rationes vnũ poteſt pluribus contrariari, pag. 438. c. 1.
Contingentia datur in rebus, p. 40, c. 2.
Contingentia effectuũ eſt triplex, p. 44. c. 1.
Radix prima contingentiæ neque eſt in cauſis ſecũdis neq; in diuina libertate, p. 46. col. 1.
Compoſitum ſubſtantiale eſt nobilius forma, p. 230. c. 2.
In compoſito ſubſtantiali non datur forma creata quæ ſit cauſa exiſtẽtiæ, p. 175. c. 1.
In compoſito ſubſtantiali omnia prædicata eſſentialia proueniunt ab eadem forma, p. 210. c. 1.
Neque formaliter ex natura rei diſtinguntur interſe, ibidem.
Contraria quæ habent medium poſſunt compati ſimul in gradibus remiſis, p. 499. c. 1.
Secus in gradibus intenſis, p. 450. c. 1.
Contraria quæ carent medio, in nullo gradu etiam remiſo poſſunt compati in eadẽ parte ſubiecti, ibidem, c. 2.
Bene tamen in diuerſis, p. 451. c. 1.
Nec non de potentia abſoluta in eadem parte ſubiecti, ibidem, col. 2.
Corruptio ſubſtantialis datur de facto: eſtq; terminus intentionis naturæ vniuerſalis, p. 120. c. 2.
Diſtinguiturque realiter à generatione, p. 121. col. 2.
Creatio eſt productio ex nullo præſupoſito ſubiecto, p. 142. c.
Accipiturque actiue & paſſiue, p. 147. c. 1.
Non requirit ſubiectum commune vtrique termino, ibid. col. 2.
Creatio prout facta in tempore includit nouitatem eſſendi: quam tamen de ſe non petit, p. 752. c. 2.
Nulla creatura poteſt creare in genere cauſæ

ſæ principalis, ibidem, & p. 156. c. 2.
Neque virtus creatiua poteſt dari extra Deū p. 159. c. 1.
Neque creatura poteſt cōcurrere inſtrumentaliter ad annihilationem, p. 171. c. 1.
Corpus cœleſte non poteſt virtute propria cauſare principaliter animalia genita ex putri materia, p. 121. c. 2.
Bene tamen vt inſtrumentum intelligentiæ motricis, p. 132. c. 1.
Corpora cœleſtia ſunt compoſita ex materia & forma, p. 492. c. 2.
Materia corporū cœleſtiū nō eſt eiuſdē rationis cū materia ſub lunariū, p. 493. c. 1.
In vnoquoq; corpore cœleſti eſt materia diuerſæ ſpeciei à materia alterius, p. 494. c. 1.
Quid influat cœlum empyreum in hæc inferiora, p. 496. c. 2.
Corpus aliquod datur, cui ab intrinſeco conuenit incorruptibilitas, p. 506. c. 1.
Corpora cœleſtia ſunt ab intrinſeco incorruptibilia, p. 507. c. 1.
Corpora cœleſtia eſſe animata, vel inanimata non eſt cōtra fidē defendere, p. 520. c. 2.
Secundum principia Philoſophiæ ſunt inanimata, p. 521. c. 2.
De fide eſt dari cœlum empyreum ſupra omnes alios, p. 525. c. 2.

D.

Dimenſiones interminatæ non dantur de facto, p. 274. c. 2.
Deus poteſt ſupplere effectum cauſæ materialis extrinſecæ in diuerſo genere cauſæ, p. 325. c. 1.
Diſſimilitudo in gradu & intenſione qualitatis requiritur ad actionem, p. 278. c. 2.
Diſcurſus includit plures propoſitiones, p. 14. c. 1.
Diſcurſus eſt tertia operatio intellectus, p. 17. c. 1.
Deus eſt immutabilis, p. 668.
Vnde & in quo diuina immutabilitas conſiſtat, ibid. c. 2.

E.

Effectus idem non poteſt à duabus cauſis totalibus Phiſicis nō ſubordinatis, ſiue principalibus, ſiue inſtrumentalibus ſimul producī, p. 351. c. 2.
De ente per accidēs nō eſt ſciētia, p. 27. c. 1.
Effectus per accidens habent cauſam perſe in ſolo Deo, p. 31. c. 2.
In effectibus dependentibus à ſolis cauſis naturalibus datur vera cōtingētia, p. 41. c. 1.
Ens permanens ſemel corruptum poteſt per Dei virtutem reproduci, p. 484. c. 2.
Secus ens ſucceſſiuum, p. 487. c. 1.
Exiſtentia non eſt idem realiter cum eſſentia creaturæ, p. 91. c. 2.
Vna tantum exiſtentia datur in quolibet cōpoſito, p. 92. c. 2.
Exiſtentia eſt actus realiter entitatiue diſtinctus ab eſſentia creata, p. 93. c. 1.
Exiſtentiæ rerum producuntur à ſolo Deo principaliter, p. 173. c. 2.
Et à cauſis ſecūdis vt ab inſtrumētis, p. 175. c. 1.
Exiſtentia non multiplicatur in Deo ad multiplicationem relationum, p. 101. c. 2.

F.

Fatum in prima acceptione non eſt ponendum, p. 37. c. 1.
Quoad rem ſignificatam à Theologis pertinet ad cauſam efficientem perſe, ibidē.
Forma non educitur de potentia materiæ, quia in illa fuerit ſecundum eſſe actuale, p. 182. c. 2.
Ad eductionem formæ requiritur concurſus actiuus ex parte agentis, & paſſiuus ex parte materiæ, p. 184. c. 2.
Omnes formæ compoſitorum naturaliū præter animam rationalem educuntur de potentia materiæ, p. 190. c. 1.
Forma ſubſtantialis eſt perfectior materia prima, p. 203. c. 2. Non dantur plures formæ ſubſtantiales in cōpoſito, p. 209. c. 1.
Quælibet forma ſupernaturalis eſt perfectior ſubſtantia naturali, p. 70. c. 2.
Formæ elementorum non manent formaliter in mixto, p. 234. c. 1.
Formæ elementorum manent in mixto ſecundum ſuas virtutes, p. 235. c. 2.
Formæ accidentales ſubiectantur in toto cōpoſito, p. 273. c. 2. Illarum ſubiectum nequit eſſe materia prima, p. 275. c. 2.
Formæ accidentales habent radicem intenſionis ex ordine ad ſubiectum, p. 93. c. 1.
Nō ſolū augētur ſecundū actuale inheretiā, ſed etiā ſecundū eſſentiam, ibidem, c. 2.
Formæ reſpicientes obiectum extrinſecum habent ex tali ordine radicem augmenti extenſiui, p. 294. c. 2.

G.

Gratia iuſtificans eſt perfectior omni ſubſtātia creata, p. 96. c. 1.
Grauia, & leuia non mouentur à ſe, ſed à generante, p. 387. c. 2.
Habent in ſe ipſis quodammodo principiū actiuum ſui motus, p. 388. c. 1.
Generatio naturalis eſt mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter, p. 104. c. 2.
Generatio, vt mutatio communiter dicta eſt duplex, p. 105. c. 2 Generationis diffinitio eſt recta, p. 111. c. 2. Et ſaluatur ibiq; particula ex vi proceſsionis, p. 112. col. 2.
Generatio propria viuentis, quæ & qualis, ibidem, c. 2. Gratia educitur de potentia ſubiecti, p. 195. col. 1.

H

Hecceitas non eſt indiuiduationis principiũ in ſubſtãtijs materialibus, p. 258. c. 2.

Omnes humores in ſtatu perfectæ de coctionis ſunt partes animalis, & informantur eius forma, p. 228. c. 1.

Humores animalis ante vltimam de coctionem ſunt partes pertinentes ad integritatem animalis, pag. 228. col. 2.

Humores animalis eadem ratione, qua ſunt partes eius informantur ipſius anima, â qua ſolum accipiunt vitam vegetatiuam, p. 229. col. 2.

I.

Imperiũ reſpectu alterius ab imperante eſt actus intellectus practici, p. 20. c. 1.

Imperiũ erga proprios actus imperantis eſt actus intellectus practici, p. 20. c. 2.

Inherentia actualis non conuenit eſſentialiter accidenti, p. 62. c. 1.

Inherentia aptitudinalis eſt de intrinſeca ratione accidentis, pag. 62. c. 2.

Inherentia aptitudinalis non eſt ordo relationis prædicamentalis, p. 63. c. 1.

Intelligentia creata non eſt potens in productionem effectuum corporaliũ, p. 131. c. 1.

De ratione inſtrumenti eſt, quod ex propria forma habeat virtutem, per quã operetur aliquid præuium effectui agentis principalis, p. 163. c. 1.

Indiuiduationis principium completur in hac materia, ſociata quãtitati, p. 259. c. 2.

Indiuiduatio formarum ſubſtantialium prouenit ex diuerſo illarum ordine ad diuerſas materias, in quibus recipiuntur, pag. 269. col. 2.

Huiuſmodi ordo per quem indiuiduantur formæ prædictæ non eſt aliquid ſuperadditum ad entitatem ipſarum, p. 270. c. 1.

Nec eſt ad quancumque materiam, quam de facto informant, ſed ad materiam, quam informant primo, vel quam primo potũt informare, ibidem.

Indiuiduatio etiam formarum accidentaliũ â ſubiecto, talibus circunſtantijs determinato debet ſumi, p. 272. col. 2.

Ratione huius indiuiduationis plura accidẽtia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto ſimul eſſe non poſſunt, p. 263. col. 1.

Intenſio qualitatis non fit per acceſſum nouæ qualitatis deſtruentis præ exiſtentem pag. 299. col. 1.

Nec fit per acceſſum noui gradus, ibid. c. 2.

Sed tantum fit per acceſſum modalis terminationis perfectioris, pagina 302. columna 1.

Infinitas non eſt formalis ratio conſtitutiua Deitatis, pag. 648. col. 1.

Intellectus determinat voluntatem, quoad ſpecificationem actus, pag. 410. col. 1.

Intellectus, & omnes aliæ potentiæ animæ determinantur à voluntate, quoad exercitium, ibidem, col. 2.

Intellectus imperat voluntati fugam, vel proſequutionem obiecti liberam, pag. 411. col. 2.

Intellectualitas eſt gradus omnium perfectiſsimus, pag. 643. col. 1.

Eſt formalis ratio conſtitutiua Deitatis per modum radicalis principij, p. 649. c. 2.

Infinitum per eſſentiam in ſolo Deo reperitur, pag. 567. col. 1.

Infinitum in actu ſecundum intenſionem nequit dari de lege ordinaria, ibid. c. 2.

Neque eſt dabile de lege ordinaria ſecundũ magnitudinem, aut multitudinem, pag. 568. col. 1.

Infinita multitudo rerum indeterminate exiſtentium, eſt ſin cathegorematica, pag. 573. col. 2.

Infinitum in actu ſecundum magnitudinem multitudinem, aut intenſionem; neque de potentia abſolata poteſt fieri à Deo, pag. 574. col. 2.

Ex infinitis in tali genere vnum poteſt excogitari maius altero, etiam in Phiſicis, pag. 583. col. 2.

Ideæ ſunt in mente diuina rerum faciendarum, pag. 651. col. 1.

Ideæ habent concurſum circa res faciendas, non effectiuum, ſed formarum exemplarium, pag. 652. col. 1. & 2.

L.

Liberum arbitrium non conſiſtit in aliquo realiter ſuperaddito potẽtijs intellectus, & uoluntatis, p. 405. c. 2.

Liberum arbitrium formaliter, & potiſsime conſiſtit in voluntate, p. 406. c. 1.

Deus eſt liber, libertate eſſentiali, pag. 663. col. 2.

Libertas diuini actus conſiſtit in aptitudinali terminatione ad creaturas: aut in eminẽtiali deffectibilitate prout præuenit omnem reſpectum rationis ad creaturas, pag. 664. col. 2.

Deus nõ potuit manere ſuſpẽſus ſine aliquo decreto libero de creaturis producendis, vel non producendis, p. 665. col. 1.

Locus non eſt interuallum, pag. 586. col. 1.

Locus non eſt formaliter ſuperficies de prædicamento quantitatis, ibid. col. 2.

Formalis ratio generica loci eſt reſpectus trãſcẽdẽtalis continentiæ ad contentum, p. 567. c. 1.

Eius ratio differentialis eſt immobilitas, pag. 588. col. 1.

Locus eſt immobilis per ſe: & idem numero manet inuariatus, pag. 589. col. 2.
Immobilitas loci ſumitur per ordinem ad partes fixas, pag. 590. col. 1.

M.

Materia prima habet entitatem diſtinctam ab entitate formæ, quâ accipit à ſolo Deo pag. 240. col. 2.
Materia prima habet propriam differentiã, quæ poteſt actualitas Metaphiſica nuncupari, pag. 242. col. 2.
Materia prima nullum actum includit in ſua eſſentia, pag. 242. col. 2.
Habet tamen propriam bonitatem, & vnitatem, pag. 244. col. 1.
Non habet propriã ideã in Deo, pag. 245. col. 1.
Materia prima non gaudet propria exiſtentia, pag. 246. col. 1.
Nec de potentia Dei abſoluta exiſtere poteſt ſeparata à forma, p. 259. c. 1.
In principio mundi non terminauit propriã actionem creatiuam, p. 254. c. 1.
Materia ſignata quantitate dicit ipſam materiã vt principale indiuiduationis principium, & quantitatem vt conditionem: vel tantum dicit materiam vt præhabentem radicaliter quantitatem, pagina 265. col. 2.
Materia prima non eſt id in quod vltimo reſoluitur compoſitum naturale, pag. 277. col. 1.
Materia corporum celeſtium differt ſpecie ſubalterna à materia corporum ſublunarium, pag. 500. col. 2.
Omnes motus orbium celeſtium ſunt circulares exceptu motu trepidationis, pag. 530. col. 1.
Motus orbium celeſtium ſunt naturales, pa. 531. col. 1.
Diffinitio motus recte traditur à Phi. pag. 539. col. 1.
Vniuoce conuenit motibus, & mutationibus inſtantaneis, p. 540. col. 1.
Motus ſumit eſſentiam, & vnitatem à termino ad quem, pag. 543. col. 1.
Succeſſio, & continuitas ſunt de eſſentia motus ſtricte dicti, ibidem.
Ad tria tantum prædicamenta datur per ſe motus ſtricte dictus, pag. 545, col. 1.
At generatio non eſt motus proprie, ſed mutatio, pag. 548. col. 1.
Motus cordis non prouenit à principio intrinſeco, vt à principali mouente, pag. 393. col. 1.
Motus cordis eſt vitalis vitalitate propria, pag. 395. col. 1.
Procedit ab anima, & potentia loco motiua, quæ reſidet in corde, pag. 396. col. 1.
Mundus potuit eſſe abæterno quantum ad res permanentes, & quantum ad ſucceſſiuas, ſcilicet motum ac tempus, pag. 680. col. 1.
Mundum incepſſe in tempore eſt de fide, pagina 674. col. 1.
Mundus non potuit eſſe abæterno, quantum ad res generabiles, ac corruptibiles, relictas ſuis naturis, pag. 682. col. 1.
Bene tamen quantum ad incorruptibiles relictas ſuis naturis, pag. 683. col. 1.

N.

Nomen numerale aliquando numerat concretum ratione materiæ, aliquando vero ratione materiæ, & formæ, p. 248. c. 2.

P.

Potentia omnis, vel eſt actiua, vel paſſiua, ita vt nulla detur obiectiua, pagina 363. col. 2.
Potentia ordinata ad actum ſubſtantiale poteſt idem ſignificari cum ſuo ſubiecto, ſecus autem ſi ad actum accidentalem ordinetur, p. 368. col. 2.
Potentiæ congenitæ ſubſtantiæ creatæ, ſiue actiuæ ſint ſiue paſſiuæ ab ipſa ſubſtantia realiter entitatiue diſtinguntur, pag. 369. col. 2.
Potentia cõgenita ſubſtantiæ creatæ poteſt ab illa ſeparari, pag. 375. col. 2.
Potẽtia vere paſſiua realiter diſtinguitur ab actiua, pag. 377. col. 2.
Potentia in tota ſua latitudine adæquate diuiditur in rationalem, & irrationalem, pagina 40. col. 1.
Duo membra dictæ diuiſionis opponuntur ſuis rationibus formalibus, ibid. col. 2.
Supradicta diuiſio eſt vniuoci in vniuocata, ſiue generis in ſpecies, pag. 402. col. 1.
Potẽtia obedientialis datur in qualibet creatura reſpectu formarum, ſiue actuum ſupernaturalium, pag. 414. col. 1.
Talis potentia eſt aliquid poſitiuum, & reale, ipſa videlicet entitas creaturæ, pagina 415. col. 1.
Non denominat ſubiectum potens ſimpliciter, ſed tantum capax, vel obedientialiter, ibidem, col. 2.
Potentia obedientialis actiua quæ in creaturis ſit ſola negatio repugnantiæ eſt fictitia, pag. 418. col. 1.
Neque datur talis potentia actiua quæ ſine intrinſeca mutatione in actum ſecundum prorrumpere ſit potens, ibidem, columna 2.
Cum eleuata eſt per formam ſupernaturalem non eſt dicenda potentia obedientialis actiua, pag. 421. col. 1.

Potentia obedientialis paſſiua, quam habent creaturæ ad formas ſupernaturales recipiendas, nec eſt ſuperaddita, nec ſupernaturalis, pag. 427. col. 1.

Nec eſt partim naturalis, & partim ſupernaturalis ex parte ſubiecti, p. 429. col. 2.

Non eſt dicenda naturalis, ſed obedientialis, ibidem, col. 2.

Principia entis naturalis ſunt tantum tria, p. 105. col. 2.

Principium vt ſic dicitur analogice analogia proportionalitatis de membris diuidentibus, pag. 311. col. 1.

Ab aliquibus priuationibus ad habitus eſt poſsibilis regreſſus per naturam, ab aliquibus vero non eſt poſsibilis, p. 462. col. 2.

Ex extremis priuatiuis oppoſitionis moralis vnum poteſt remoueri abſque poſitione alterius, pag. 467. col. 1.

Quando priuatio & forma phiſice & abſolute opponuntur reſpectu ſubiecti apti nati, etiam de potentia Dei abſoluta non poteſt vnum abſque poſitione alterius excludi, ibidem.

Quando priuatio non abſolute, ſed cum ordine ad actum præcedentem opponitur formæ, poteſt habitus excludi à ſubiecto abſque poſitione priuationis, non tamen ê conuerſo, pag. 468. col. 1.

Propoſitio aprehenſiua pertinet ad ſecundam operationem intellectus, p. 6. col. 2.

Propoſitio aprehenſiua eſt compoſita qualitas, pag. 7. col. 1.

Propoſitio iddentica eſt compoſita qualitas pag. 8. col. 2

Propoſitio aprehenſiua & iudicatiua realiter diſtinguntur, p. 11. col. 2.

Propoſitio eſt actus intellectus practici, p. 19. col. 1.

In propoſitionibus cõditionalibus nulla eſt veritas contingens, pag. 48. col. 2.

Q.

Qualitas etiam actiua dũmodo non ſit actio, non expellit à ſubiecto contrarium effectiue phiſice, pag. 444. col. 1.

Quando tamen eſt inſtrumentum alterius agentis extrinſice poteſt in proprio ſubiecto aliquem effectum producere, & actiue contrarium expellere, p. 445. col. 1.

Qualitates ſupernaturales ex natura rei non habent terminum augmenti, bene tamen naturales, pag. 570. col. 2.

R.

Relationes diuinæ conſtituunt perſonas ſecundum quod diſtinguntur ab eſſentia, p. 94. col. 2.

Tres dantur in diuinis relationes ſubſiſtendi relatiuæ præter ſubſiſtentiam abſolutam, pag. 95. col. 1.

S.

Subſtantia creata dicitur accidẽtibus prior, quia illa præcedit generatione, p. 57. c. 2.

Subſtantia eſt diffinitione prior accidentibus, quia ingreditur illorum diffinitionẽ, pag. 58. col. 1.

Subſtantia completa eſt perfectior accidenti completo, pag. 67. col. 2.

Subſtantia incompleta potentialis eſt perfectior accidenti incompleto eiuſdem ordinis, ibidem.

Supernaturalitatis radix eſt diuina perfectio, pag. 73. col. 1.

Subſtantiæ ſupernaturalis creatæ poteſt à priori demonſtrari repugnãtia, p. 77. c. 1.

Suppoſitum conſtituitur in eſſe talis per aliquid intrinſecum reale, pag. 84. col. 2.

In omnibus ſubſtantijs creatis modus ſubſiſtendi diſtinguitur realiter â natura, pag. 86. col. 1.

Quo ordine collocantur Sphæræ cœleſtes, pag. 528. col. 2.

Vnius cuiuſque Sphæræ ſunt plures orbes, pag. 527. col. 2.

Decem ſphæræ ſunt quæ mouentur in regione etherea, pag. 526. col. 1.

Subſtantia perfecta ſemel corrupta non poteſt per naturã reproduci, p. 471. col. 1.

Subſtantia completa ſemel corrupta, quamuis alias ſit imperfecta non poteſt reproduci per naturam, pag. 472. col. 1.

Subſtãtias ſeparatas & angelicas dari eſt de fide, pag. 619. col. 2.

Eſt etiam rationibus naturalibus demonſtrabile, pag. 630. col. 1.

Subſtantiæ iſtæ ſunt incorporeæ, p. 632. c. 2.

Excedunt numerum ſpecierum omnũ corporum, pag. 634. col. 1.

Differunt ſpecie, & non ſolum numero, p. 641. col. 1.

Scientia Dei eſt ei ratio agendi ad extra, p. 650. col. 2.

Scientia Dei vt practica, & vt eſt imperium, eſt cauſa rerum, pag. 658. col. 1.

T.

Duratio adequate diuiditur in æternitatem æuum, & tempus, pag. 598. col. 1.

Tempus diſcretum menſurat operationes angelicas, pag. 601. col. 1.

Tempus continuum menſurat motus, & ſubſtantias ipſas incorruptibiles, ibid. col. 2.

De temporis abæternitate, & æuo vero diſcrimine, pag. 604. & ſequenti, col. 2.

Tempus eſt quid reale, completur tamẽ per actum rationis, pag. 627. col. 1.

Partes temporis habent realem exiſtentiam ſucceſsiuam, pag. 620. col. 1.

Exacta eſt diffinitio temporis tradita ab Ariſtot. p. 612. col. 1.
Tempus continuum dumtaxat eſt vnum in vniuerſo, pag. 626. col. 2.
Totum diſtinguitur realiter, à ſuis partibus, pag. 196. col. 2.
Totum addit ſupra ſuas partes quandam formalitatem integritatis ibidem.

V.

Vacuum non poteſt dari per naturam, pag. 593. col. 1.
Dato vacuo, de potentia abſoluta Dei, motus non fieret per illud naturaliter, bene tamen de potentia abſoluta, p. 595. col. 1.
Talis motus factus, per vacuum deberet eſſe ſucceſſiuus, ibidem.
Viuentia gaudent termino intrinſeco magnitudinis, & paruitatis, p. 579. col. 2.
Gradus vitæ perfectior eſt gradu eſſendi, p. 643. col. 1.
Viſibilia, & inuiſibilia ſimul produxit Deus initio temporis, pag. 674. col. 1.
Viſibilium creaturarum productionem fuiſſe factum initio temporis eſt certum ſecundum fidem, ibidem.
Quod autem tunc fuerint productæ creaturæ inuiſibiles, & ſpirituales hucuſque nõ eſt certum ſecundu fidem: neque ab Eccleſia diffinitum, pag. 675. col. 2.
Vnde neque aſſertio patrum Græcorum de productione creaturarum inuiſibilium facta ante productionem viſibilium eſt hereticа: neque damnata directe in Concilio Lateranenſi, capite firmiter, ibidem.
Neque illi tanquam hereticæ applicanda eſt dicta decretalis, ſed tantum poſitioni Origenis, pag. 676. col. 1. & ſequenti.
Voluntas diuina eſt immutabilis, & ſine leſione ſuæ immutabilitatis, produxit in tẽpore creaturas, pag. 667. col. 2.
Voluntas diuina eſt cauſa rerum, p. 956. c. 1.
Voluntas diuina eſt cauſa rerum mouens, & applicans, ibidem.
Vnde immediatius cauſat res diuina ſcientia, quam voluntas ibidem.
Volentas diuina eſt formaliter libera, pag. 662. col. 2.
Voluntas diuina habet rationem liberi arbitrij, ſeclusis imperfectionibus, cum quibus inuenitur in creaturis intellectualibus, pag. 665. col. 1.
Volitio diuina eſt formaliter libera, non per connotationem effectus ad extra producti, ibidem, col. 2.
Neque cõſtituitur formaliter libera per reſpectum rationis ad effectus, ibidem.
Volitio diuina non conſtituitur libera per aliquam perfectionem formaliter deffectibilem in Deo, pag. 664. col. 1.
Volitio diuina conſtituitur formaliter libera, vel per aptitudinalem extenſionem ad creaturas productas vel producendas, quę explicatur per modum actus primi, ibid. col. 2.
Aut etiam conſtituitur formaliter libera per extenſionem ad creaturas eminentialiter deffectibilem in Deo, pag. 665. col. 1.
Voluntas diuina propter ſui immutabilitatem debuit habere abæterno volitionem circa creaturas producendas vel non producendas, pag. 666. col. 1. & ſequenti.

FINIS.

FINIS.





Biblioteca Universitaria
174
2.965